DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPERA OMNIA

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.mi P. ALOYSII A PARMA

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS VI.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCXCIII

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Los Gatos, Calif.
2085
B640

53384

Proprietas Litteraria.

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

COMMENTARII IN SACRAM SCRIPTURAM

TOMUS VI.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCXCIII

OPERA HUIUS TOMI.

Commentarius in librum Ecclesiastae . . . . *pag.* 1
Commentarius in librum Sapientiae. . . . . » 105
Commentarius in Evangelium Ioannis . . . . . » 237
Collationes in Evangelium Ioannis . . . . . » 533

PRAEFATIO.

Partem primam Commentariorum seraphici Doctoris in sacram Scripturam, qui secundam Omnium Operum eiusdem classem constituunt, hoc sexto tomo publicamus; alteram partem septimo reservamus, cui copiosus utriusque voluminis index rerum adiungetur.

Commentarium in Evangelium Ioannis excipiunt tanquam complementum genuinae, sed hucusque prorsus ignotae *Collationes in Ioannem,* praedicatoribus imprimis, ut putamus, gratae atque utiles.

Quod autem in editionem Vaticanam praeter alia opera spuria recepti essent etiam illegitimi Commentarii, iam pridem viris doctis non erat ignotum[1]. Ipse P. Benedictus Bonelli pro supposititio Commentario in Evangelium Ioannis substituit legitimum, multo praestantiorem eumque an. 1772 in suo *Supplemento* diligente cura edidit; nostra vero aetate P. Fidelis a Fanna[2] in lucem protulit codices manuscriptos Commentarii *in Psalterium* S. Bonaventurae communiter adscripti, qui exarati erant ante eundem natum, atque opus illud suo auctori vindicavit, Michaeli Meldensi, archiepiscopo Senonensi, qui obiit an. 1199. Idem Rev. Pater plurima nova documenta in bibliothecis abscondita invenit, quorum fide iudicari atque decerni potest de multis aliis opusculis et Commentariis tum in editione Vaticana, tum in memorato Supplemento contentis.

Ut igitur genuini Commentarii separarentur ab illegitimis, diligente disquisitione antiqua testimonia afferenda ac rationes ex utraque parte ponderandae erant. Hanc inquisitionem pro viribus et solius veritatis, non partium studio instituimus in Prolegomenis huius voluminis. Quodsi plura opuscula, quae adhuc P. Bonelli videbantur genuina, ex catalogo legitimorum ob graves rationes expungenda invenimus; non haesitandum nobis visum est, cum gloria seraphici Doctoris ponenda sit in virtute ac praestantia operum, non in magno numero scriptorum mediocrium.

Silentio praeterire nos non decet mortem, quam lugemus, eximii nostri collaboratoris ac carissimi confratris P. Benedicti Bechte, qui 21 Sept. 1892 diem supremum obivit. Natus est 29 Apr. 1840 in pago Heumar prope Coloniam

---

[1] Cfr. de hoc Echardus, Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 245 b.

[2] Ratio novae Collectionis operum omnium seraph. D. S. Bonav. Taurini 1874 pag. 179 seqq.

Agrippinam. Absolutis cum laude Gymnasii et Universitatis studiis, in Seminarium archidioeceseos Coloniensis admissus et 12 Mart. 1864 sacerdos ordinatus est. Postquam officia sacerdotis saecularis per quinque annos pie atque operose exsecutus est, a Deo inspiratus, Seraphici Ordinis nostri habitum in Provincia Recoll. Saxonia S. Crucis 19 Dec. 1868 assumsit. Facta professione, aliquamdiu iuniores fratres litteras humaniores docuit. Ab anno 1875, cum Fratres in Borussia e Conventibus eiicerentur, sociis P. Fidelis a Fanna b. m. adiunctus est. Comes et amanuensis eiusdem in lustrandis bibliothecis et conferendis cum originali codicibus in Germania, Gallia et Anglia diligenter et accurate laboravit. A Ministro Generali Ordinis an. 1879 vocatus in Collegium S. Bonaventurae ad Claras Aquas, per duodecim annos communibus nostris laboribus strenuus collaborator assistebat, licet infirma valetudine plerumque male affectus. Cum die 24 Sept. 1891 in Capitulo suae Provinciae electus esset Custos, cum nostro et suo dolore communibus nostris laboribus debuit renuntiare; nec multo post ingravescente stomachi morbo lente consumtus, pie ac placide in Domino obdormivit.

Religiosus fuit exemplaris: vitam ducebat humilem et mundo absconditam, Deo devotam, solitudini et studiis deditam, proximis officiosam, omnibus caram. Ultra corporis vires incumbebat laboribus litterariis. Horis subsecivis plura opuscula ascetica vel composuit, vel in linguam germanicam vertit et, tacito plerumque suo nomine, prelo tradidit; alia quaedam reliquit manuscripta. R. I. P.

In Collegio S. Bonaventurae
ad Claras Aquas 3 Decembris 1892.

P. P. EDITORES.

cis omnem luc barrtudinē pfectio
nem. Qui cum dilectissimo pie et
spū scō unus t regnas ponma scla
sculoz. Amen. Alia oratio.

Salue salus mundi. ubum pie.
hostia ria. unua caro. ditas integ
ra. uerus homo. Tibi interpati me
mamur offerri intemplo maiestatis
diuine. ad corpus tuum quod inder
tera est. ell patris. e beatri ut eternita
tis tue futuri simus pricipes t tam tu
dinis tue solute. t scē interpationis
tue corpales. quia tibi est honor et
gria in scula sculoz Amen.

Perficiant in nobis dne tua sa
menta q ornent. ut q nuc spe
rimus. rei ueritate capiamus.

Lectoz scriptoris memoriis omib;
bonis.

Oro tunc oia. pro me cum legeris
hora.

Dicto patrino quod plectam ihū.
Amen.

Explicit lib fratris alberti rhetorici
de ordine fratrum predicatoz de missa
t de corpe xpi. Amen.

Incipiūt collones sc̄i euangelium scdm
a fr̄e Vincentium gñāli misse fr̄m minoz ordis.

In principio erat ubū. s. lux
in tenebris lucet t rc. eā nō cp. ego
erat in ubis ub duo tangunt primo
qm dat ub plenā diuine claritatis ei
di. lux in tenebris. Secdo reprehendit in
ub ignorantia humane cat̄is ei di. t
tenebre eā nō cp̄hēderūt. Circa pm sciēdū
est quē lux ista lux dr̄ ei. effecter. Ly ueri
est lux uera que illuminat omnem hoiem
uenientem in hunc mundum. ut dr̄ Joh. primo.
qui est lux. q̄nt ad naturam
omnium. q̄. ad ām humanam. q̄. ad ām sanctam
illustrat intellectum. q̄. ad ām humanam. ibi
certio uita est. q̄. est lux. p. q. ho. dr̄ q. pro
cedit. ergo lux uera in mundo. qui sequitur me
non ambulat in tenebris. sed habebit lumen uite. Lux.
ei sequitur in eo excellentia dignitatis humane
hoīs. Est autem sm q. ho. lux arguēs. lux
dirigens. lux delectans. arguēs malos. dum
gratis uultos. delectās bonos. Arguēs ma
los. ephe. v. Omia enim que arguuntur a lūce
manifestant. t ideo dicitur amal. principium
qui male agit odit lucem. Dirigens bonos.
ge. vij. Ambulate dum lucem habetis ne
tenebre uos non comprehendant. Lux. Delectans
nos exīs ex alto. t illuminare his qui
in tenebris. t ad dirigendi. t. Delectat lucis aspec
tus. Cuius illa nō ergo sole nec lumen dia
rium enim dī illuminat illā. t habundat
ign̄i. Lux in tenebris. ista autem dī lucet extra
sm operationes humane ri. t lux in mundo sm op
rationes dine. lucet ante ephi. signa. albi. t
crepic. q̄n signis luce ei pō. ꝑ nubes et tepia.
bonitas in ea lucet. q̄ insignis. fulgur
coruscationes. t oz. t. chorusc̄antes. in q̄ mu
nclox quas uidet. Roma. e. ds lucis in ubo. q.
rep. Dū bene ibi erit. dūm lux. t splendet ei

Missa uolue grāe [illegible]
Inpmis de offcio misse [illegible]
Qrō eiusdem de sacramento eucharistie
Itē Collationes [illegible]

PROLEGOMENA

IN SEXTUM TOMUM.

Rationem reddituri de operibus S. Bonaventurae ad sacrae Scripturae scientiam spectantibus, quorum editionem novis studiis purgatam hoc sexto nostrae editionis volumine incepimus, opportunum esse putamus primo tractare de libris eidem falso attributis, deinde de genuinis, quae in eodem sexto volumine continentur.

CAP. I.

De spuriis libris exegeticis sub nomine S. Bonaventurae prelo datis.

§ 1. Opera exegetica in editionibus praecedentibus Bonaventurae attributa brevitèr enumerantur. — In editione operum S. Bonaventurae Vaticana aliisque subsequentibus haec inveniuntur (cfr. editio nostra tom. I. Praefatio generalis pag. XIII seqq.): 1. Principium s. Scripturae. — 2. Expositio in Psalterium. — 3. Expositio in Psalmum 118. — 4. Expositio in Ecclesiasten. — 5. Expositio in Sapientiam. — 6. Expositio in Lamentationes Ieremiae. — 7. Expositio in cap. VI. S. Matthaei. — 8. Expositio in Evangelium Ioannis. — 9. Collationes in Ioannem.

Opera n. 8. et 9. relata alia sunt ab operibus eiusdem inscriptionis, quae in hoc tomo nostro publicata sunt. Praetermisimus opusculum *Illuminationes Ecclesiae* sive Expositio in Hexaëmeron in nostro quinto tomo iam impressum, quia, ut cuique patet, nullatenus est opus exegeticum.

Praedictis addita sunt in *Supplemento* P. Benedicti Bonelli (Tridenti 1772): 10. Tractatus in Psalmum 45: *Vacate et videte.* — 11. Expositio in Canticum Canticorum. — 12. Tractatus in c. 1. Ezechielis: *Cum essem in medio captivorum.* — 13. Tractatus in c. 10. Ezechielis: *Ingredere in medio rotarum.* — 14. Commentarius in Evangelium S. Ioannis (infra impressus). — 15. Commentarius in Apocalypsim. — 16. Commentariolus in c. 4, 8. Apoc.: *Quatuor animalia.* — 17. Item in c. 5, 1. Apoc.: *Vidi in dextera sedentis.*

His praemissis, facienda est discussio de singulis operibus, quae certis argumentis probari possunt esse *supposititia.*

§ 2. De opusculo: Principium sacrae Scripturae.

Incipit: *Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae.* Desinit: *et amabilius veteri testamento.* — Editum est primo in collectione opusculorum Argentinae 1495, deinde receptum in Vaticanam et posteriores editiones. Ut *suppositìtium* notatur a Casimiro Oudino (Commentar. de Scriptoribus ecclesiast. tom. III. Dissert. de operibus S. Bonav. c. 8. pag. 392, ed. Lipsiae 1722), ab editoribus Venetis (tom. I. de Vita et scriptis pag. 104) et ab Hyacintho Sbaralea (Supplem. ad Scriptores Ord. Min. pag. 156 a); sed Benedictus Bonelli (Prodromus ad opera omnia S. Bonav., Bassani, 1767, col. 622) hoc opusculum Bonaventurae vindicare nititur, sed frustra. — Quid nómine *Principium sacrae Scripturae* medio aevo intelligeretur, notatur infra (§ 8.).

Audiamus igitur de hoc tractatu Hyacinthum Sbaraleam: « Removendum aio ab operibus seraphici Doctoris et alio ablegandum, eo quod stilus huius opusculi omnino diversus est a stilo Bonaventurae: nihil in eo grave, sed abiectum; nihil erectum, sed humile; phrasis inculta et sordida ac superlativis ad nauseam redundans, ut est apud Petrum Ioannis Olivi; voces Latinae insuetae ac frequentissimae, quae produnt auctorem saeculi XIV, qui prologum expositioni sacrae Scripturae confecit ». — Hanc opinionem approbandam esse censemus, quin tamen negemus, haberi in opusculo illo sententias minime spernendas, praesertim quae depromptae sunt ex libris S. Bonaventurae.

Argumenta igitur a Benedicto Bonelli pro sua opinione allata minime persuadent, et alia multa in favorem contrariorum militant. Primo Bonelli dicit, ipsos adversarios confiteri, eundem huius opusculi auctorem esse ac *Collationum in Hexaëmeron.*; sed has Collationes esse certo Bonaventurianas, licet adversarii eas ut spurias reiiciant: ergo. — Quod idem utriusque operis sit auctor, dicunt quidem Oudinus et qui eum quasi semper et caece sequuntur, editores Veneti, non autem Sbaralea; isti autem nullum argumentum afferunt, nisi « quia aequalis locutio vitiosa suadet, idque confirmat levis rerum comparatio ». Etiam Bonelli scribit: « Certe stilus haud absimilis est; itidem in utroque fit distinctio *Verbi increati, Verbi*

incarnati, Verbi inspirati ». Porro plura alia affert ad probandum, quod variae sententiae istius *Principii* etiam in genuinis S. Bonaventurae scriptis inveniuntur; ostendit etiam, quod saepe iidem Ss. Patres citantur, qui seraphico Doctori sunt familiares.

Ad haec respondemus: Tenendum est, Collationes in Hexaëmeron esse genuinum S. Bonaventurae opus, non tamen ab ipso scriptum, sed ab aliis reportatum et foedissime in antiquis editionibus deformatum (cfr. tom. V. Prolegom. c. VI. pag. XXXVI). Unde venia danda est viris doctis, qui tale opus putaverunt esse spurium. Sed contra utramque opinionem negamus, talem inter haec duo opuscula esse similitudinem, ut ex ea concludi possit, sive utrumque esse spurium, sive primum illud esse genuinum. Quamquam quodlibet opus non scriptum ab auctore, sed ex eius ore ab aliis exceptum ordinarie non praestat aptam regulam pro iudicando vero alicuius auctoris stilo; nihilominus minime dubitamus, quin qui attente nostrum Collationum praedictarum textum quoad stilum conferat cum altero opusculo persuasum sibi habeat, stilum in utroque esse valde diversum. Quod autem prorsus absimilis sit ab illo stilo, qui in libris a S. Bonaventura scriptis invenitur, manifestum est et propugnatur a tribus censoribus, qui istud de quo loquimur opusculum spurium esse profitentur.

Nec obstat, quod certi modi loquendi et non paucae sententiae in illo opusculo inveniuntur, qui S. Bonaventurae sunt familiares. Concedenda enim est *veritas facti*, sed neganda est *conclusio*, scilicet quod inde semper sequatur, eundem debuisse esse diversorum operum auctorem. Molestum est nobis, toties nos esse coactos, ut egregio et diligentissimo investigatori operum S. Bonaventurae, Benedicto Bonelli, quoad hanc suam conclusionem adversemur. Improbo sane labore ille in suis animadversionibus et praecipue in notis ad calcem spuriorum librorum positis quaesivit et notavit ex libris, quos putavit esse Bonaventurae, plurimos locos similes dictis illius auctoris, quem prae manibus habuit. Dolendum tamen, quod frequentissime citet opera eiusdem non genuina.

Sed vir doctus non satis attendit ad morem scriptorum medii aevi, qui maiori quam nunc fieri potest libertate aliorum dicta in proprium usum adhibebant; quod prae ceteris discipuli duorum praestantissimorum doctorum, Ss. Thomae et Bonaventurae, facere consueverunt. Ut de huius tantum discipulis loquamur, ipse Matthaeus ab Aquasparta, inter praestantiores suae aetatis doctores censendus, Minister Generalis et postea Cardinalis, passim exscripsit multa ex libris Bonaventurae. Exemplum videbit qui comparaverit quaestionem ipsius disputatam a nobis editam in opusculo *De Humanae Cognitionis ratione* (pag. 87) cum alia Bonaventuriana (ibid. pag. 49) et cum *Itinerario mentis in Deum*. — Idem dicendum est de famoso Fr. Ubertino a Casali, qui in suo libro *Arbor vitae crucifixae* fere totum opusculum Bonaventurianum *Lignum vitae* exscripsit, cui plurima de suo addidit. — Praecipue hoc observari potest in scriptis Petri Ioannis Olivi; id quod occasionem dedit, ut P. Bonelli non pauca eiusdem opera seraphico Doctori attribuerit. Ille enim in tot operibus suis non tantum utitur doctrina seraphici Doctoris, sed etiam verba et phrases eiusdem adhibet, ita tamen, ut multa de suis addat, alia immutet et ultra iustam mensuram augeat et exaggeret. Hinc qui subtilius non tantum quasdam partes, sed integrum scriptum huius auctoris scrutatur, alium a Bonaventura spiritum ac stilum plerumque deprehendere poterit.

Ut autem redeamus ad opusculum *Principium* etc., negari non potest, multas sententias et loquendi modos convenire cum Bonaventurianis. Nam praeter ea quae allegat Bonelli, omnia, quae de scientiarum et sacrae Scripturae divisione in medium proferuntur, et praecipue totum illud, quod dicit (ed. Vat. pag. 7 a) de Christo ut medio septemplici, sumta sunt ex Collationibus in Hexaëmeron (collat. 1. n. 11. seqq.). Obiter notamus, etiam Petrum Ioannis Olivi in Tractatu super c. 1. Ezechielis (Supplement. Bonelli I. col. 285 § 5. seqq.) eandem de hoc medio septemplici sententiam proferre, sed diffusius explicare et alio modo applicare quam auctor *Principii s. Scripturae*.

Alienum esse hoc opusculum ab ingenio et spiritu S. Bonaventurae, praeter stili dissimilitudinem suadet etiam quidam discretionis defectus et in sententiis proferendis verborum excessus. Hoc observari licet, etiam ubi ipsa doctrina deprompta est ex operibus S. Bonaventurae. Exempli causa ponimus ea quae de scientia philosophica dicuntur (ed. Vat. pag. 4 b): « Tertia vero rhetorica (scientia) cum buccis tumentibus plus est inflatrix intellectuum quam illuminatrix ». « Scientia metaphysica cum consideratione quidditatum nudissimarum et abstractissimarum ac per hoc insipidissimarum nullum saporem dat affectui. Scientia vero mathematica cum consideratione magnitudinum, quae abstrahunt a materia et a motu, nec sensum devotionis nec modum bonae operationis dat affectui. Scientia vero naturalis, quae motum concernit et materiam, et sua obscuritate obfuscat intellectum et propter dubietatem causarum naturalium pene in omnibus naturalibus contristat affectum. Unde et Aristoteles harum scientiarum vel inventor vel professor praecipuus, propter latentiam causae fluxus et refluxus maris in profundum maris, ut de eo legimus, se submersit ». — Haec si conferantur cum iis quae S. Bonav. in Hexaëmeron (collat. IV-VII, licet ibi data opera *insufficientiam* scientiarum profanarum demonstrare intendat) moderate ac sapienter docuit, satis apparet, talem in loquendo excessum non congruere indoli seraphici Doctoris, sed potius spiritui Petri Ioannis Olivi, qui similia de scientiis philosophicis proferre solet. — Argumenta igitur *interna*, quae Bonelli in favorem suae assertionis profert, minime convincunt, immo potius contrarium insinuant.

Secundo, idem dicendum est de ratione a *testimoniis* de auctore libri sumta. P. Bonelli nullum huius opusculi codicem manuscriptum novit; nec P. Fidelis a Fanna b. m., diligentissimus tot bibliothecarum investigator, ullum manuscriptum invenit, sed Bruxellis tantum quoddam apographum saeculi XVI. ex editione Vaticana transcriptum. — Teste P. Bonelli prima huius opusculi editio est Argentinensis an. 1495, quam secuta est Veneta an. 1564, et deinde Vaticana cum aliis. Sed auctoritatem primae editionis solam nullius fere esse momenti, iam monstravimus in Prolegomenis ad tom. V. c. 11. pag. LII n. 5. Sufficiat hic repetere, hanc praecipue editionem causam fuisse, quod tot opera spuria in subsequentibus editionibus sint S. Bonaventurae attributa. Ipsa enim praecedentibus editionibus addidit 48 nova opuscula, quorum plus quam viginti *certo* sunt spuria. Accedit, quod omnino tacetur et ignotum est, tum *quis* collegerit et edendam curaverit hanc editionem, tum *unde* et *qua auctoritate* tot nova opuscula addita sint.

Praeter huius editionis auctoritatem complures testes, sed *recentiores* a P. Bonelli (loc. cit.) afferuntur, scil. « Franciscus Samson, Octavianus de Martinis, Alexander Ariostus, Marianus

Florentinus, Ioannes Trithemius, Iacobus Forestus, Albertus Castellanus, Gulielmus Eisengrenius, Sixtus Senensis et alii » (cfr. Prolegom. ad V. tom. c. 12.). Sed in his allegandis Bonelli parum feliciter procedit. Primo enim auctores illi, qui sunt saeculi XVI, post editionem Argentinensem an. 1495 scripserunt, ut Marianus Florentinus, Iacob Forestus, Albertus Castellanus et alii, qui hos sequuntur; et hi, ut fit, data opera de veritate non inquisierunt, sed fidem praestiterunt eidem editioni et per eam decepti sunt. — Quoad eos vero, qui sunt saeculi XV, observandum est, quod non referunt *proprium titulum* opusculi, de quo tractamus, sed aliam inscriptionem, quam Bonelli sine ratione in suo sensu interpretatur. Primus igitur testis, Franciscus Samson (Prodrom. col. 236) habet: « Item, *Compendium* veritatis sacrae Scripturae »; ad quae verba P. Bonelli in adiecta nota dicit: « Ab auctore vocatur *Principium*, in editione autem Veneta 1564 *Isagoge* in sacram Scripturam ». — Sed haec assertio potius neganda est, cum exstet aliud opusculum, quod proprio suo nomine inscribitur *Compendium Scripturarum*. Audiamus doctissimum Sbaraleam (Supplem. pag. 164 a sub n. 80.), qui, loquens de operibus Bonaventurae nondum inventis, ait: « *Compendium Scripturarum*. Incipit: *Mundus fit in principio;* versu iambico dimetro, ut habet Sixtus Senensis lib. IV; quod Octavianus Martini et Marianus vocant *Compendium veritatis s. Scripturae*, sed *Compendium Scripturarum* appellat Trithemius » etc. — Quoad illum indiculum, quem Franciscus Samson, Minister Generalis Ord. Min. (ab an. 1475) pro petenda S. Bonaventurae canonizatione Sedi apostolicae exhibuit, etiam aliam suppositionem contra hypothesim Benedicti Bonelli afferre possumus. Mirum enim est, quod in dicto catalogo nulla fit mentio libri *Breviloquium* inter omnia opera Bonaventurae celeberrimi et ubique noti. Constat autem, in non paucis codicibus hoc mirum opusculum, etiam suppresso nomine *Breviloquii*, inscribi titulo *Compendii*, vel *Compendii sacrae Scripturae*, vel *Compendii vitae aeternae*, vel etiam *Summae* (vide tom. V. Prolegomena c. 3. pag. XIX seqq. codices n. 45. 59. 63. 66. 68. 83. 86. 103. 106. 134. 137. relatos). In aliis plurimis titulo *Breviloquii* additur: *de intelligentia s. Scripturae.* Etiam supposito, quod illud Sbaraleae *Compendium Scripturarum* non exstaret, tamen dubium remaneret, an in praedicto indiculo insinuatum sit illud *Principium*, vel potius hoc *Breviloquium*. Et quoad posteriores indiculos allegatos, qui etiam *Breviloquium* recensent, dici posset, ipsos transcripsisse quae de hoc *Compendio* habent ex catalogo Samsonis.

Valde igitur dubium est, utrum *unus* inveniatur testis, qui ante editionem Argentinensem hoc *Principium* Bonaventurae tribuerit. Cum igitur nec indoles huius scripti nec testes idonei opinionem Benedicti Bonelli fulciant, hoc opusculum e catalogo operum S. Bonaventurae expungendum esse censemus. — Quod autem Petrus Ioan. Olivi sit eiusdem auctor, in medio relinquimus. Argumenta quaedam intrinseca hoc suadere possent, sed non habemus pro hoc certam testium auctoritatem, nec illud invenimus notatum in erudita et quam maxime accurata dissertatione, quam de vita et scriptis dicti Petri Ioan. Olivi luculenter scripsit cl. P. Franciscus Ehrle S. I. (Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte, Bd. III. pag. 409-623). Sed haec omissio quaestionem non dirimit; mira est enim multitudo scriptorum praedicti Olivi, et in catalogis a Rev. P. Ehrle primo publicatis interdum legitur: « et multa alia in eodem volumine » (cfr. ibi pag. 460 seqq.), quin singulorum tituli dentur.

§ 3. De Expositione in Psalterium.

Incipit: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedat.* — Primo impressus est hic liber in editione Vaticana (tom. I. pag. 76-162). Ex praefixa editorum observatione haec transcribimus: « Cuius porro Expositionis exemplar vetus, manu exaratum tanquam praeclarum munus Sixto quinto, Pontifici Maximo, ex Hetruria allatum in typographia Vaticana ab eo instituta... placuit una cum ceteris illius lucubrationibus recte ordineque imprimi atque inde emitti ad catholicae Ecclesiae usum. Est porro Expositionis huius liber sane eiusmodi, qualem illius auctorem S. Bonaventuram, doctorem et seraphicum et sapientem devotumque, agnoscunt atque adeo profitentur gravissimi viri, qui bene sentiunt illiusque operum usu litterate periti sunt » etc. Sequitur pag. 77 Summa totius expositionis et deinde praefatio auctoris et ipsa Expositio. Hoc scriptum dein locum habuit in omnibus quae subsecutae sunt operum omnium S. Bonaventurae editionibus.

Soli editores Veneti hanc Expositionem spuriam esse censuerunt, recte in hac re iudicantes; dum Oudinus, Sbaralea et Bonelli eam minime in dubium revocandam esse contendunt. Attamen argumenta Venetorum levissima erant, quae et Sbaralea et diffusius Bonelli (Prodr. col. 630) facile diluere potuerunt. Bonelli autem, ut hoc opus seraphico Doctori vindicet, quasdam affert rationes, quae relatae sunt etiam in libro P. Fidelis a Fanna *Ratio novae collectionis* etc., pag. 180 seqq. — Sed idem P. Fidelis non tantum peremptorie demonstravit, opus hoc non esse S. Bonaventurae, sed etiam verum eius auctorem primus detexit. En verba ipsius ex citato opusculo (pag. 182) transcripta: « Verum enim vero, his non obstantibus, res modo a nobis non in dubium vocatur, sed penitus conficitur contra ipsum P. Bonelli, Sbaraleam, Casimirum Oudinum, Romanos editores, et quotquot praedictum opus sive dubie, sive certo S. Bonaventurae adscripserunt. Igitur ad S. Bonaventuram illud nullatenus spectare dicimus. Testes adduco codices plures [etiam ante Bonaventuram scriptos] qui opus Doctori nostro perpetuo auferunt et Michaeli Meldensi, archiepiscopo Senonensi, vere et certissime restituunt. Ii porro codices a me inspecti et recensiti sunt:

1. *Oxonii* in Collegio Novo, codex 36, in folio, membranaceus, foliorum 113, saeculi XIV, olim Willelmi Malton, postea Willelmi Ware, Collegii Novi sociorum. Incipit folio secundo, absque titulo et nomine auctoris: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedit.* Sed fol. 4, in superiori margine, grandioribus litteris et coloratis legitur: *Incipiunt distinctiones magistri Michaelis Meldensis super Psalterium.* Ipsa vero Expositio exorditur: *Beatus vir, qui non abiit. Homo, quando per contemplationem Deo adhaeret, in patria manet, et quando cogitationem suam ad terrena flectit, a patria in exilium vadit.* Pluribus in locis detruncata et brevior quam edita sub nomine S. Bonaventurae apparet, sed cum ea omnino convenit et plurimas habet variantes lectiones. Desinit fol. 112: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein a prima manu:

> Doctor Meldensis, Michaël Praesul Senonensis,
> Hic bene Psalmorum polixena verba locavit.

2. *Londini* in Musaeo Britannico, mss. cod. regiae collectionis, signatus III. A. 6, membran. in 4°, folior. 106, binis columnis saeculo XIII ineunte exaratus. Folio primo recto, col. 1,

in superiori margine, litteris coloratis: *Incipiunt distinctiones Magistri Michaelis Meldensis super Psalterium.* Praefatio incipit: *Quisquis ad divinae paginae lectionem erudiendus accedit.* Primi Psalmi expositio: *Beatus vir, qui non abiit. Homo, quando cognitionem suam ad terrena flectit, a patria in exilium vadit.* Desinit fol. 106, col. 2 circa finem: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein, primo viridibus ac postea rubris litteris, haec habentur:

Doctor Meldensis, Michaël Praesul Senonensis,
Hic bene Psalmorum polixena verba locavit.

3. *Parisiis* in bibliotheca, quae modo Nationalis, olim Regia audiebat, mss. cod. latin. collectionis regiae 446, olim Colbertinus 216, membranac., in 4°, saeculi XIII ineuntis miscellanea. Fol. 81. recto, col. 1, in initio: *Quisquis ad divinae paginae lectionem.* Psalmus primus: *Beatus vir, qui non abiit. Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Desinit fol. 132. verso, sequentibus: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein, post spatium vacuum unius lineae, ab eadem manu: *Finis distinctionum post Meldensem collectarum. Amen.*

4. *Ibidem*, mss. latin. 14424, olim Victorinus, saeculo XIII ineunte vel circiter exaratus, folior. 180 miscellanea. Fol. 49. recto, col. 1: *Quisquis ad divinae paginae lectionem.* Psalmus: *Beatus vir. Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Desinit fol. 98. recto, col. 2 in medio: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola enim perseverantia accipit bravium.* Dein, eodem quo reliquum operis charactere, legitur: *Finis distinctionum post Meldensem collectarum.*

5. *Ibidem*, cod. latin. ad Regiam spectans collectionem sub numero 441, olim DD. de Bethune, membr., in 4°, folior. 118. Fol. 5. recto, rubris litteris: *Notulae super Psalmos. Quae sit materia divinae lectionis.* Nigris vero praefatio incipit: *Quis quis ad divinae paginae lectionem.* Psalmus primus: *Beatus vir... Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Auctoris nomine destituitur, sed convenit cum impressa sub S. Bonaventurae nomine Psalmorum Expositione. Et cum praecedentibus manuscriptis codex iste antiquior sit, utpote cuius aetas intra finem saeculi XII et initium XIII statuenda videatur, maiorem quam ceteri fidem facit, Bonaventurae abiudicandam esse hanc Psalmorum Expositionem.

6. *Ibidem*, in bibliotheca Mazarinea, mss. cod. 681, membranaceus, in 4°, a diversis manibus exaratus. Fol. 129 recto, col. 1: *Quisquis ad divinae paginae lectionem. — Beatus vir, qui.... Homo, quando cogitationem suam ad terrena flectit.* Desinit, fol. 222. verso: *finis omnia concludit, omnia locat, omnia perficit. Sola perseverantia accipit bravium. Finis distinctionum post Meldensem collectarum.* Huius expositionis scriptura est saeculi XIII, sed eius quaedam pars saeculi XII exeuntis.

Alios habeo codices pro Meldensi, alibi recensendos, nullum pro Bonaventura. Sed relati sufficiunt ad probandum, archiepiscopum Senonensem, Michaelis nomine vocatum, auctorem esse praedictarum distinctionum ex ipsius ore dicentis collectarum, nullatenus vero Bonaventuram.

De praefato Michaele, qui Meldensis appellatur, quia Meldensis Ecclesiae decanus fuit, sed verius e Corbolio dicendus, *Gallia Christiana*, tom. 8, col. 1665, edit. Paris. an. 1744, Decanos Ecclesiae Meldensis recensens, haec habet: « Michael I. de Corbolio, frater Reginaldi de Corbolio, Episcopi Parisiensis, ex canonico et cancellario Ecclesiae Parisiensis factus Decanus Meldensis, bullam protectionis ab Alexandro III obtinuit, in qua ius eligendi decani capitulo confirmatur. Testis occurrit, an. 1169, in literis Stephani episcopi, medietatem decimae de Quinciaco pro anniversario suo largientis. Subscripsit an. 1184 fundationi Guliaci. Arbiter electus est cum Petro Cantore Parisiensi inter archidiaconum Soliacensem in Ecclesia Aurelianensi et capitulum Jargogilense motae litis, quam Hugo decanus Aurelianensis finivit an. 1185. Fuit et decanus Laudunensis et Parisiensis; denique electus in Patriarcham Ierosolymitanum, antequam illuc iter arriperet, factus est Senonensis archiepiscopus. Obitus ejus notatur in Necrologio Meldensi ad diem primam decembris ».

Tomo autem 12, col. 55 et 56 eiusdem *Galliae Christianae* traditur, praedictum Michaelem, archiepiscopum Senonensem anno 1194 creatum, obiisse an. 1199.

Subiungimus supra positis codicibus alios ab eodem P. Fidele notatos:

7. *Graecii* in Styria, bibliotheca Universitatis, cod. 1049. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Commentarius in Psalmos vacat titulo et nomine auctoris; extremitati additur tantum: *Finis.*

8. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. B. B. Tab. 145. num. 16. chart. in fol. parvo saec. XV. In superiore margine fol. 1. r. est titulus: *Super Psalmos singulos incipiunt notule.* Deinde: *Excerptiones Demeldensis*, et etiam in fine: *Expliciunt Excerptiones Demeldensis.*

9. *Lauduni* in Gallia, cod. 153. (olim N. Dame de Laon 188.) membr. in fol. saec. XIII. circa medietatem. Est titulus: *Distinctiones post Michaelem, tunc Meldensem Decanum, post Senonensem Archiepiscopum.* Eadem fere verba replicantur in fine.

10. *Ibidem*, cod. 32. bis, membr. in 4. saec. XIII. ante medietatem. Incipit et desinit ut editi; additur in fine: *Finis Distinctionum post Meldensem collectarum.*

11. *Matriti*, bibliotheca Universitatis, seu *del Noviziado*, cod. 118. 6. membr. in 4. saec. XIII. ineunt. Fol. 1. v. scriptor saec. XIV. haec notavit: *Annus iucarnationis Xti fuit M.° CC.° LXIX.° tempore, quo fuit curia apud Toletum, et fuit factum matrimonium Domini Ferrandi Infantis Castelle et filie Regis Francie. Era M.ª CCC. VII.* Commentarius in Psalmos incipit fol. 5. r. col. 1. et desinit fol. 80. v. col. 1. ut in edito; additur: *Finis Distinctionum post Meldensem collectarum. Amen.*

12. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. D. V. 14. membr. in fol. parvo saec. XIII. ineunt. Commentarius incipit fol. 1. r., desinit fol. 91. r. per verba: *Finis Distinctionum*, sine nomine auctoris.

§ 4. **De Expositione in Psalmum 118.**

Incipit: *Alleluia, laus, honor. Beati immaculati. Nota: S. Scriptura dicitur paradisus.*

Haec Expositio valde diffusa est. Edita est primo « Parisiis in aedibus Claudii Chevallon 1524 in 8. ad normam exemplaris a Coenobio Fratrum Minorum Castriradulphi Parisios allati », est recepta in Vaticanam (tom. I. pag. 162-308) et alias sequentes collectiones.

Oudinus non negat, ipsam esse Bonaventurae, sed Sbaralea (loc. cit. 156 b) et editores Veneti eam volunt esse spuriam; quod confirmat Bonelli (Prodr. col. 712), ita dicens: « Nihilo tamen secius animadvertens P. Magister Sbaralea, quod Expositio haec fusior stilum Bonaventurianum redolere non videatur,

quodque, ubi auctor praedictae *Summae Expositionis in Psalterium* cap. 8. vers. 7. legit: *Sprevisti omnes discedentes a iudiicis tuis*, auctor Expositionis huius amplioris in eundem Psalmum 118. cap. 8, vers. 6, habet *a iustitiis tuis*, intulit atque pronuntiavit, hanc fusiorem Expositionem non esse sancti Bonaventurae, sed Ioannis Lemovicensis monachi Claravallensis, ex ms. codice bibliothecae S. Marci Veneti, qui forsan is est, qui tempore Innocentii quarti factus Minorita, an. 1245 erat eius Poenitentiarius ex actis Concilii Lugdunensis, et eius meminit Waddingus ad an. 1251 num. 68 ».

Quod Bonelli recte iudicaverit, certum est et confirmatur auctoritate codicum, quorum novem sunt anonymi, duo (n. 7. et 12.) auctorem nominant Ioannem Lemovicensem, monachum de Claravalle, unus (n. 10.) vero Fr. Gulielmum de Lacea (?), quod legitur in fine opusculi; quo tamen nomine fortasse non auctor, sed scriptor indicatur. Non est alicuius momenti, quod manus recentior in principio inscripsit: *Sancti Bonaventure.*

1. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 191. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Alleluia, laus et gloria* etc. Desinit folio 87. r. col. 1: *Dignetur beatus et immaculatus Dominus beatis et immaculatis spiritibus aggregare. Amen.* Sequitur tabula rerum alphabetice disposita.

2. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. IX. dext. cod. 10. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Commentario praemittuntur haec verba: *Iste liber fuit ad usum fratris Thebaldi de Casa, quem vivens assignavit armario fratrum minorum de Florentia, anno Domini 1406.* Desinit fol. 108. r. col. 1. Hinc habetur index ut in cod. praec. sub hac rubrica: *Quicumque vult invenire notabilia prenotata requirat in tabula subnotata. Abominatus.*

3. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis (olim S. Victoris), cod. 14427. membr. in fol. saec. XIV. Scriptor posterior praemisit: *Tractatus notabilis super Beati immaculati.* Desinit fol. 134. v. Sequitur tabula sub hoc titulo: *Tabula ad inveniendum leviter quodcumque notabile contentum in prelibato opere. Abominatus.*

4. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 14869. membr. in fol. parvo, saec. XIV. ineuntis. Incipit fol. 126, desinit fol. 249; additur: *Explicit summa beati immaculati*, et sequitur tabula ut in praecedente.

5. *Ibidem*, Collectiones variae, cod. 16496. membr. in fol. minore saec. XIV. Commentarius est valde abbreviatus ac mutilus; excurrit enim a fol. 88. r. col. 1. ad fol. 91. v. col. 2. in fine.

6. *Sancti Audomari*, bibliotheca Civitatis, cod. 622. membr. in fol. saec. XIV. Tabulae praemittitur idem titulus, quem profert cod. supranotatus sub n. 2.

7. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 556. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Codex est anonymus, sicut sunt alii hucusque descripti, sed recens compactor impressit in dorso voluminis aureis litteris: *Opera Ioannis Lemovicensis Pr. Clarevallis.* Commentarium sequitur tabula, quae desinit fol. 138. r. his verbis: *In ista tabula colliguntur notabilia universa, quae diversis capitulis, versiculis, articulis sunt disposita.*

8. *Ibidem*, cod. 1624. membr. in fol. minore saec. XIV. Complectitur commentarium et tabulam ut praecedens sine nomine auctoris.

9. *Ibidem*, cod. 1534. membr. in fol. parvo, saec. XIII. Commentarius a fol. 1. r. excurrit usque ad fol. 147. v. ut alii. Deinde subiicitur tabula notabilium.

10. *Ibidem*, cod. 1714. membr. in 4. saec. XIV. Plura ac plurium auctorum opera continet. Commentario in Psalm. 118. recens manus saec. XV. exeuntis praemisit: *Sancti Bonaventure.* In fine commentarii fol. 404. r. post: *Amen* sequitur: *Hunc librum scripsit fr. Guillelmus de Lacea* (Lanicea?). *Qui liber est superioris sancte Marie Clarevallis.* Sequitur tabula solita rerum.

11. *Ibidem*, cod. 1857. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Complectitur totum commentarium cum tabula et solita animadversione.

12. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, class. I. cod. 59. membr. in 4. saec. XIV. circa medietatem. Folio 1. r. col. 1. legitur: *Incipit Tractatus magistri Ioannis Lemovicensis monachi de Clara valle super beati immaculati.* Manus posterior addit: *Et primo ponitur Titulus. Alleluia* etc. Desinit commentarius fol. 147. v. col. 2: *Explicit Tractatus super beati immaculati.* Alia manus prosequitur: *Iohannis Lemovicensis monachi de clara valle.* Tandem prima manus: *Finis adest operis, mercedem posco laboris.* Sequitur index cum hac rubrica: *Incipiunt concordantie sequentis operis. Abhominatus.*

Quae cum ita sint, opusculum Bonaventurae abiudicandum est et probabiliter Ioanni Lemovicensi tribuendum.

§ 5. **De Expositione in Evangelium Ioannis.**

Incipit: *Nunquid ad preceptum tuum. Cum inter quatuor sancta animalia.*

Huius commentarii in Ioannem alii genuino perperam substituti editio prima facta est a viris doctis, qui Collectionem Vaticanam curaverunt (tom. II. pag. 311-466). De origine eiusdem ipsi editores rationem reddunt quodam operi praefixo *Argumento*, ex quo excerpimus quae sequuntur.

« Constat fere inter omnes antiquitatis ecclesiasticae usu peritos, in Evangelium S. Ioannis eximium Ecclesiae Doctorem seraphicum Bonaventuram, virum in primis vitae sanctimonia doctrinaeque laude clarissimum, luculenter scripsisse commentaria eaque distribuisse in postillas et collationes ». Deinde refertur, haec commentaria diu desiderata tandem inventa esse Coloniae Ubiorum in conventu S. Francisci Ord. Min., Summumque Pontificem Sixtum V. Nuntio Apostolico in Germania inferiori Octavio Mirto, episcopo Caiacensi id negotii dedisse, ut ea quam primum recte describenda curaret Romamque mitteret. Is Pontificis mandatum exsecutus, Expositionis illius exemplum recte eleganter exscriptum ad Urbem misit cum litteris huiusce testimonii in calce libri manu notarii adscripti, quod posteritati typis prodendum censuimus ad perpetuum illius testificationis monimentum ». Sequuntur ipsa verba huius documenti, in quo notarius fidem facit, istam postillam descriptam esse ex vetere exemplari praedicti conventus, quod ibi adhuc fideliter servetur.

De eodem apographo, quod nunc est in bibliotheca Vaticana cod. n. 7723, loquitur Bonelli (Prodr. col. 458. n. 43.) in recensione codicum bibliothecae Aracaelitanae: *Postilla S. Bonaventurae in Ioannem.* Incipit: *Nunquid ad preceptum;* cod. chart. in folio, quo manu publici notarii munito Coloniaque Romam advecto usi sunt editores Sixtini. Sed animadvertendum, quod ly *S. Bonaventurae* tam in codice quam in litteris notarii substitutum fuit manu recentiore, primo nomine deleto. Hinc Waddingus (de Scriptoribus Ord. Min. pag. 211 col. 1.) inquit: « Exstant in bibliotheca nostra Aracaeli in Urbe duo Opera non contemnenda sub titulo Ioannis Gualensis, unum

ita inscriptum *Summa Collectionum* etc.; aliud est: *Postilla in Evangelium Ioannis.* Incipit: *Nunquid ad preceptum tuum elevabitur aquila?* — Satis mirum est, quod et in apographo et in litteris substitutum sit nomen Bonaventurae, primo nomine deleto!

Sed his non obstantibus, Oudinus (loc. cit. col. 398), Sbaralea (loc. cit. pag. 156 b), Bonelli (Prodr. col. 712) censuerunt, eundem esse spurium; editores Veneti (loc. cit. pag. 92) de eo dubitant.

Certe non spectat ad S. Bonaventuram. Ratio peremptoria est, quod alius Commentarius longe diversus et in hoc tomo impressus S. Doctori certo vindicari potest. Nemo autem affirmabit, ipsum scripsisse duplicem in Ioannem Commentarium. Insuper, qui genuinum Commentarium comparat cum altero luculenter videbit, tum quantum differat spurius a genuino, tum quis congruat ingenio et stilo seraphici Doctoris.

Audiamus Benedictum Bonelli (loc. cit. col. 713) de supposititia hac Postilla et etiam de Collationibus infra § 6. recensendis loquentem: « Praesentium itaque Postillarum atque Collationum auctorem negamus quidem Bonaventuram, sed nihilominus Franciscanum alium antiquum agnoscimus. Franciscanum etenim sese prodit collatione XXIX, dum laudat *sanctum Antonium de Ordine Fratrum Minorum*, et collatione ultima, dum illam sic claudit: Verus ergo imitator beati Petri fuit beatus Franciscus in praedictis, et ipsius debent esse imitatores professores suae sacrae religionis in eisdem. Sed nunquid censendus earundem auctor Fr. Alexander ab Alexandria? Minime gentium, quia *Postilla super Evangelium S. Ioannis scripta a Fr. Alexandro de Alexandria Ord. FF. Minorum* aliud praefert initium in vetusto membraneo codice bibliothecae Patavinae S. Antonii Minorum Conventualium, videlicet: *Prologus S. Hieronymi presbyteri* etc. *Hic est Ioannes Evangelista* etc. Quis ergo alius? Crediderim potius Ioannem Guallensem Ordinis Minorum, cum inter eius opera Waddingus ad fidem codicis Aracoelitani de Urbe recenseat *Postillam in Evangelium Ioannis* incipientem: *Nunquid ad preceptum tuum elevabitur aquila?* Nostrae huic opinioni suffragatur P. Magister Sbaralea inquiens: *Expositio in Ioannem et Collationes in eundem sunt Fratris Ioannis Guallensis.* De hoc scriptore nonnulla diximus alio in loco; quibus heic adiicimus, eundem saeculi XIII. auctorem habendum esse etiam ex eo, quod, Waddingo attestante, in publica Oxoniensi cathedra praecesserit Fr. Thomam Dochingum, Anglum Minoritam, qui anno MCCLXX claruit ».

Attamen non videtur esse omnino certum, Ioannem Guallensem esse huius opusculi et earum Collationum, de quibus agimus in seq. § 6, auctorem, quia de hoc dissident codices antiqui, quos hic de utroque opusculo loquentes referimus.

1. *Patavii*, bibliotheca Antoniana Scaff. XV. N. 326. membr. saec. XIV. *Postille et Collationes in Evang. Ioannis.* Incip.: *Nunquid ad preceptum tuum elevabitur Aquila... Cum inter quatuor animalia...* Finis: *professores sue sancte religionis in eisdem.* — Opuscula haec sunt anonyma; sed ab editore catalogi (Patavii 1886) attribuuntur Ioanni Guallensi ob argumenta a P. Bonelli allata.

2. *Rhemis* in Gallia, bibliotheca publica, cod. B. 68-64. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Sub titulo fol. 1. r. col. 1: *Incipiunt Collationes edite a magistro Iohanne Gallense ordinis fratrum minorum super Iohannem, primum capitulum, Collatio prima. In principio erat verbum. Supposita litterali expositione ex dictis circa litteram* etc. Sunt 90 collationes, quae finem habent fol. 16. r. col. 2. his verbis: *in quibus est pondus mysteriorum magnum, ut similiter patet consideranti.* — Deest igitur in hoc codice ipse Commentarius.

3. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1533. membr. in fol. saec. XIV. Folio 1. r. in superiore parte: *Postilla super Iohannem.* Inferius: *Nunquid ad preceptum tuum* etc. Desinit fol. 132 r. col. 2. Hinc statim sequuntur collationes eiusdem, ad quarum finem legitur, ab alia manu eiusdem aevi parvis litteris exaratum: *Petrus de Scala super Iohannem.*

Petrus de Scala Ord. Praedic. episc. Veronensis, teste Echard., *Scriptores Ord. Praed.*, mortuus est 1295. Scripsit Postillam super Matthaeum, cuius initio praemittitur duplex *principium*, quorum alteri eundem locum Scripturae praefixit, quem habet illud *Principium*, de quo supra § 2. locuti sumus, scil. Apoc. 22: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae...* Sed deinde sequitur alia expositio. — Etiam Sixtus Senensis (I. pag. 455, ed. Neapoli 1742) huic Petro attribuit illam Postillam in Ioannem. Princip. *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila*, quam se vidisse testatur « manu descriptam in membranis Genuae in bibliotheca Minoritarum Observantium ».

Cum igitur codices sibi circa auctorem contradicant, quaestionem relinquimus iniudicatam, licet probabilior nobis esse videatur opinio, quae favet Ioanni Guallensi.

§ 6. **De Collationibus in Ioannem.**

Incipit: *In principio erat Verbum. Supposita luminali expositione.*

Hae collationes in ed. Vaticana immediate post spurium Commentarium sequuntur, ex eodem codice descriptum. Omnes confitentur, eundem esse utriusque auctorem, cui opinioni favent etiam codices modo relati, qui, excepto n. 2, utrumque opus coniungunt. Unde probabilius attribuendae sunt praedicto Ioanni Guallensi. Diversae ab his sunt genuinae Bonaventurae collationes in Ioannem, a P. Fidele a Fanna primo inventae et hoc tomo impressae, quae ita indolem seraphici Doctoris referunt, ut de vero auctore non possit dubitari, etiamsi deessent authentica testimonia.

Haec sunt opera in ed. Vaticana impressa et Bonaventurae tributa, quae ob gravissimorum argumentorum rationem censemus expungenda ex catalogo eiusdem operum. Transeamus nunc ad examinanda ea opera exegetica, quae P. Benedictus Bonelli in suo *Supplemento* Bonaventurae attribuit et typis tradidit. Inviti, sed veritate cogente, accedimus ad probandum, egregium hunc virum, cui defecerunt plurima documenta nunc in publicam lucem producta, in his Commentariis recensendis non habuisse laboris prosperum successum, nisi in solo genuino Evangelio Ioannis edendo, in ceteris vero diiudicandis defecisse.

§ 7. **De Expositione in Canticum Canticorum.**

Incipit: *In speculo brevi et aperto contueri volentibus. Osculetur me.*

Hic Commentarius primo editus est a Benedicto Bonelli (Supplem. I. col. 51-284, qui ibi in praefixa Admonitione et in Prodromo (col. 729) eum S. Bonaventurae vindicare nititur. Primam pro sua sententia rationem haurit ex argumentis intrinsecis, scilicet quod auctor sit Italus, sit frater Minor, sit S. Bonaventura. Pro more suo in notis opusculo adiectis diligentissime probavit, multa in ipso convenire cum scriptis seraphici Doctoris, quae ab ipso iudicata sunt esse *certa*. — Sed quid sentiamus de tali conclusione, iam supra (§ 2.) diximus.

Porro idem allegat duos codices nomine Bonaventurae inscriptos, Assisiensem unum et Romanum alterum. — De primo ipse habet (Prodrom. col. 381 n. 25.) « *Expositio in Cantica D. Bonaventurae.* Ita a tergo cod. chart. in fol. n. 2. Est sine operimento. Prima eius pagina habet inscriptionem: « S. Ioannis Eustachii Bonaventurae, episcopi Albanensis et S. R. E. Cardinalis, Doctorisque Seraphici Ordinis Minorum ». Incipit Prologus: *In speculo brevi et aperto.* Post Prologum ante exorsum Expositionis primi capitis repetitur: « Seraphici Doctoris divi Ioannis Eustachii Bonaventurae episcopi Albanensis et S. R. E. Cardinalis Ord. Minorum, in Canticum Canticorum non minus pia quam erudita interpretatio ».

Observandum est, hanc inscriptionem, cum Bonaventura *sanctus* nominetur, post annum 1482, quo a Sixto V. inter Sanctos relatus est, factam esse. Sed in catalogo Assisiensi iam an. 1381 confecto (cfr. tom. V. Prolegomena pag. LX b sub n. XXIV.) eadem postilla tribuitur *Petro Ioannis Olivi.* Fol. 89: « *Expositiones super Cantica, Lamentationes Ieremiae Prophetae, Regulam beati Francisci,* et aliqua alia Magistri Petri Ioannis cum postibus in parvo volumine, cuius principium: *In speculo brevi et aperto inspicere volentibus;* finis vero: *et potentiae consimiles occultatione fidei nostrae* » (Prodrom. col. 379). Quae verba, ut recte iudicat Sbaralea (loc. cit. pag. 164 a), satis indicant, illam postillam attribui Petro Ioannis. Aliter censet Bonelli, qui, ut hoc catalogi testimonium eludat, adiungit: « Praefati *Magistri Petri Iohannis* dicenda quidem *aliqua alia,* neutiquam vero *Expositiones* prius commemoratae ». Idem fusius repetit ibid. col. 731. — Sed haec interpretatio satis violenta est, cum post nomen *Magistri Petri Ioannis* verba, quae sequuntur: *cuius principium* etc., referantur ad primum opus: *Expositiones* etc. Quia igitur idem opus et eiusdem bibliothecae an. 1381 tribuitur auctori Petro Ioannis, inscriptio alia in fine saeculi XV. facta nullius est auctoritatis.

De secundo codice Vaticano membr. in fol. miscell. cod. 918. (a pag. 61-71) in eodem Prodromo (col. 453 n. 2.) habetur: « *Postilla in Cantica Canticorum.* Incipit: *In speculo brevi.* In fine: *Explicit Postilla super Cantica Canticorum Fratris Bonaventurae. Amen. Amen.* Eiusdem *D. Bonaventurae* nomen habetur quoque in capite Praefationis, sed recenti charactere ». Fide eiusdem codicis Bened. Bonelli edidit tum hanc in Canticum Expositionem, tum quinque opuscula infra § 8. recensenda, tum Commentarium in Apocalypsim (§ 9.). Unde operae pretium est accuratiorem totius huius codicis descriptionem a Bonelli factam et a P. Fidele a Fanna (qui eundem saeculo XIV. adiudicavit), approbatam hoc loco exscribere.

1. « *Postillae Bonaventurae super Ecclesiasten.* Ita litteris rubris. Incipiunt: *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* Ad calcem nigro charactere: Expliciunt Postillae Fratris Bonaventurae Ordinis Minorum super Ecclesiasten. *Tum:* Dicas unum Ave Maria, et unum Pater noster pro anima F. Thomae, qui hunc librum scripsit, pro remedio animae suae. *Dein:* Iste liber est Monasterii S. Ioannis in Seyts Ordinis Carthusiensis. Habentur a pag. 1 usque ad 59 cod. 918. membr. in fol. ».

2. « *Postilla in Cantica Canticorum.* Incipit: *In speculo brevi.* In fine: *Explicit Postilla super Cantica Canticorum Fratris Bonaventurae. Amen. Amen.* Eiusdem *D. Bonaventurae* nomen habetur quoque in capite Praefationis, sed recenti charactere. Exstat in eodem cod. 918. a pag. 61 ad 71 ».

3. « In illud Apocalypsis: *Vidi in dextera sedentis.* Incipit: *Consideranti mihi.* A pag. 71 ad 74 memorati cod. 918 ».

4. « Super illud Apocalypsis quarto: *Quatuor animalia singula eorum habebant alas senas.* Incipit: *Superineffabilis.* A pag. 74-79 praefati cod. 918 ».

5. « In illud Ezechielis decimo: *Ingredere in medio rotarum.* Incipit: *Scripturarum sanctarum pelagus.* A pag. 79 ad 83 praedicti cod. 918 ».

6. « In illud Psalmi XLV: *Vacate et videte.* Incipit: *Sicut inter omnia.* A pag. 83 ad 86 eiusdem cod. 918 ».

7. « *Io. Eustachii Bonaventurae in Apocalypsim,* recenti charactere. Incipit: *Praemittitur autem huic libro Prologus.* In fine litteris similibus illis, quibus opus exaratum est: Explicit Postilla super Apocalypsim Ioannis Apostoli, Deo gratias. Amen, edita a venerabili Doctore Fratre Bonaventura Ordinis Minorum. A pag. 86 usque in finem saepe indicati codicis 918. Omnia huc usque recensita opera seraphico Doctori attribuit eruditus ille anonymus, qui proxime elapso saeculo Inventarium codicum mss. huius Vaticanae bibliothecae lucubravit. In margine eiusdem Inventarii e regione opusculi tertio loco relati ac incipientis: *Consideranti,* habetur haec nota: In hoc tractatu et tribus sequentibus (nempe recensitis n. 4. 5. et 6.) non est nomen Bonaventurae, sed ut ex eius ordine et structura dignoscitur, non possunt esse nisi Bonaventurae. Videas tamen, an sint sermones, vel non sint, in Prooemio sequentis Postillae in Apocalypsim ».

Praeterea, attendendum est, praedictum codicem Vaticanum compactum esse ex voluminibus primitus separatis, primumque opusculum sive genuinum S. Bonaventurae Commentarium in Ecclesiasten ab alia manu esse scriptum; quod praeter P. Fidelem a Fanna observavit ipse Bonelli (Prodr. col. 653 n. 9.), qui prosequitur: « Id ipsum suadent paginarum characterumque inaequalitas et antiquitas, tum accessiones novorum codicum, de quibus in unum compactis dubium non est editioni praefatae [Vaticanae] successisse; ac demum, quia in fine expositionis in Ecclesiasten, quae in dicto codice se primo offert, subditur: *Iste liber est Monasterii sancti Ioannis in Seits Ordinis Carthusiensis;* quod procul dubio in finem totius codicis fuisset positum, si omnes illae expositiones ad eundem codicem spectassent ». Propterea manifestum est, nihil prodesse opinioni praedictae, quod primum huius codicis opusculum sit certo genuinum.

Denique notamus, *apographum* partis huius codicis saec. XVI. scriptum exstare in eadem bibliotheca Vaticana cod. 6066. ita inscriptum: *Seraphici Doctoris D. Bonaventurae ordinis Minorum in Canticum Canticorum et in Apocalypsin, ex bibliotheca Vaticana.* Infra alia manus notavit: « Crediderim fuisse transcriptus cura P. Magistri Bassucci Veneti eiusdem Ordinis, licet eius nomen fuerit deletum. Felix Contelorius, biblioth. Vaticanae custos ». — Incipit fol. 2. v.: *In speculo brevi* etc.; desinit fol. 100 v.: *Explicit postilla super Canticum Canticorum seraphici Doctoris D. Bonaventurae.* Deinde sequitur Commentarius in Apocalypsim, de quo infra. — Hoc apographum posterioris temporis non habet per se ullam auctoritatem.

Praeter primos duos codices Bonelli nominat quendam Anglicanum, « cuius initium ipsi erat ignotum », aliumque Patavinum, sed auctoris nomine destitutum, quem cum duobus iam nominatis ipse contulit.

Ex praedictis patet, solius codicis Romani auctoritatem pro hypothesi Benedicti Bonelli notabile testimonium reddere. Ve-

rumtamen alii codices et catalogi maioris auctoritatis quaestionem de auctore huius Expositionis in favorem *Petri Ioannis Olivi* solvunt. Iam allegavimus catalogum bibliothecae Assisiensis an. 1381, cuius auctoritas elidi non potest, confirmata iudicio doctissimi Sbaraleae et P. Fidelis a Fanna. Hic insuper antiquos duos codices a se examinatos allegat suae sententiae testes idoneos. Primus est *Parisiensis*, qui, cum non contineat nisi scripta Petri Ioannis Olivi, summi momenti est pro quaestione in hac et seq. paragrapho solvenda; unde eius integram descriptionem ab eodem P. Fidele notatam hic transcribimus.

1. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15588. olim Sorbonae 120. membr. in fol. saec. XIII. foliorum 179. In 1. folio r. In superiore margine, parvis admodum litteris, a manu secunda saec. XIV. primae medietatis legitur: *Postilla Io. Petri. Et huius postille tabula questionum 71. de Lemovicis. bancha ad volumen 9.* Hinc col. 1: *Vidi in dextera sedentis super thronum librum unum scriptum intus et foris signatum sigillis septem. Consideranti mihi scripturarum sanctarum pelagum infinitum* etc. Desinit fol. 4. r. col. 1. circa finem: *Ad hanc igitur visionem tam utilem tamque desiderabilem nos introducat ipse Dei filius Iesus Xtus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat et cuncta videt et gubernat in secula seculorum. Amen.*

Post haec, nullo interposito medio, prosequitur: *Quatuor animalia singula eorum habebant alas senas et in circuitu et intus plena sunt oculis et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est. Superineffabilis altitudo doctrine evangelice in quatuor evangeliis apprehense* etc. Desinit fol. 5. r. col. 1. circa principium: *In egressu vero de Xti morte et contumeliis. In reditu autem de reditu aut de resurrectionis et ascensionis tropheis et preconiis.*

Hinc immediate: *Cum essem in medio captivorum iuxta fluvium Cobar vidi visionem Dei. Conscendere cum Paulo volentibus in tertium celum* etc. Desinit fol. 9. v. col. 1. versus medium: *Clavis etiam earum est visibilis caritas. De istis tamen clavibus et de modo ducendi eas amplior exigitur tractatus. Explicit iste tractatus. Deo gracias.*

Unius lineae spatio interposito, legitur: *Ingredere in medio rotarum, que sunt subtus Cherubin, et imple manus tuas et imple prunis ignis, que sunt inter Cherubin, et effunde super Civitatem. Ezech. X. Scripturarum sanctarum pelagus et abyssus triformiter se ingerit* etc. Desinit fol. 12. r. col. 1. post medium sic: *Fons veritatis equitatis et caritatis, in secula seculorum. Amen.*

Deinde, sine ullo spatio medio, iterum incipit: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus. Sicut inter omnia nihil Deo altius* etc. Desinit fol. 14. v. col. 1. circa medietatem: *Plenum gratie et veritatis, in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus iste. Deo gracias.*

Folio sequenti in superiore parte legitur: *Postilla super Mattheum*, et infra: *Quatuor facies uni.... aeris candentis. Ezeck. I. Quemadmodum admirabilis est clausura* etc. Desinit fol. 134. v.: *Ipse est leo resurgens, qui solus meruit et potuit solvere septem signacula libri Dei. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Finito libro sit laus et gloria xto. Amen.*

Folio 135. r. col. 1. absque ullo titulo incipit: *Ad contemplandam et prelibandam in summa doctrinam epistolarem divinissimi Pauli, menti mee nihil occurrere potuit brevius et clarius quam verbum eiusdem II. Cor. III. dicentis: Ubi spiritus Dei, ibi libertas* etc. Desinit folio 163. r. col. 1: *Quidam legunt hoc sine* cui *de Deo. Ei qui sic potens est et qui tanta nobis revelavit sit per Iesum Xtum gloria in secula seculorum. Amen. Explicit tractatus iste. Deo gracias.* Post hunc commentarium super Epistolam sancti Pauli Apostoli ad Romanos immediate sequitur: *In speculo brevi et aperto contueri volentibus continentiam Cantici Canticorum* etc. Desinit fol. 179. r. col. 2: *Ducat eam ad vite fontes aquarum, quas qui bibet non sitiet in eternum. Amen. Explicit liber iste. Deo gracias.* Subiicitur tabula alphabetice disposita manu saec. XIV. exarata.

Folio 181. v. manu saec. XIII. additur: *Iste liber est pauperum magistrorum de Sorbona ex legato magistri Petri de Lemovicis, quondam socii domus huius, in quo continentur Postille super Mattheum et super Epistolam ad Romanos et super Cantica. Posticum X. librorum. Cathenabitur.*

Hic Petrus de Lemovicis, baccalaureus theologiae, legavit Sorbonae plus quam 120 volumina et mortuus est an. 1306. — Huic codici accedit *alius* idem testificans.

2. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 480. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. A posteriore, sed antiqua manu, habet indicem contentorum in fine his verbis expressum: *In hoc volumine hec continentur Petri Iohannis super Ecclesiasten, super Iob, de Paupertate, seu super Regulam fratrum Minorum, super Dionysium de Angelica hierarchia et super Cantica Canticorum.* Postremus hic tractatus incipit: *In speculo brevi et aperto* etc. Desinit: *Quas qui bibit non sitit in eternum.*

Lubenter praedictis adiungimus grave testimonium auctoris, qui novissime eandem quaestionem diligenter tractavit et iudicium P. Fidelis plene confirmavit. Laudatus enim P. Ehrle S. I in iam allegato Archiv etc. pag. 485 scribit, auctoritate antiquorum catalogorum omnino constare, Petrum Ioan. Olivi scripsisse aliquem Commentarium in Canticum Canticorum. Pro hac sententia ipse allegat primo catalogum bibliothecae Pontificiae Avenionensis inter annos 1370-1378 scriptum, ubi legitur: « Item in volumine signato per CCLXVI postilla fratris Petri Ioannis super Genesim, Exodum, Regum, Ecclesiasten, *Cantica*, Isaiam, Threnis, Ezechielem ». Similia dicuntur in alio inventario Benedicti XII. (ibid. pag. 461. seq.). Deinde, quod huius Petri Commentarius idem sit cum eo, quem Bonelli typis vulgavit, probatur tum testimonio catalogi Assisiensis, tum quia invenitur in duobus antiquis codicibus, quos supra allegavit P. Fidelis, scil. cod. Urbin. 480. fol. 168. seq., ubi a manu posteriore scriptum est: « Incipit postilla Petri Ioannis super Cantica Canticorum »; et cod. 15588. bibliothecae Nationalis Parisiensis saec. XIII. cum inscriptione antiqua: « Post[illa] fr. Ioannis Petri » [sic].

§ 8. **De quinque Tractatibus, de s. Scriptura sive de Principiis generalibus in s. Scripturam in Supplemento Benedicti Bonelli impressis.**

a. In hoc Supplemento (tom. I. col. 23-49) habetur cum titulo: *De studio divinarum litterarum*, Tractatus in verba Psalmi 45: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.*

b. Ibidem col. 282-347 Tractatus in cap. 2. Ezechielis de sacrae Scripturae mysterio: *Cum essem in medio captivorum iuxta flumen Chobar* etc.

c. Ibid. col. 349-374 Tractatus in cap. 10. Ezechielis de s. Scripturae materia: *Ingredere in medio rotarum* etc.

d. In tom. II. col. 1039-1052 Commentariolus in cap. 4, 8. Apoc. de doctrina evangelica: *Quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas* etc.

e. Ibid. col. 1053-1113 Commentariolus in cap. 5, 1. Apoc. de Scripturarum s. dignitate et excellentia: *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum* etc.

Observandum est, inscriptionem *Tractatus*, vel *Commentariolus*, cum determinationibus *de studio divinarum litterarum* etc., non inveniri in codicibus, sed auctorem habere editorem. Bene monuit laudatus P. Ehrle S. I. (loc. cit. pag. 495), proprium nomen talium de Scriptura lectionum aetate media fuisse *principium in Scripturam*, quo significabatur illa lectio, quae expositioni sacri textus praemitti solebat ac generalem quandam de Scripturae excellentia vel studio doctrinam tractabat. Ita etiam intelligendus est titulus opusculi spurii, de quo supra § 2. locuti sumus. Plura autem huiusmodi *principia* Fr. Petrum Olivi scripsisse, idem cl. auctor probat (ibid. pag. 460) per catalogum bibliothecae Pontificiae Avenione an. 1369 sub Urbano V. scriptum, in quo legitur: « 381. Item, *principia generalia super sacra scriptura* et dictio per fratrem P[etrum] Ioannis ac multa alia in eodem volumine cooperto corio viridi, de littera curiali, que incipiunt in secundo folio: *per corporationem*, et finiunt in penultimo folio: *apposite* ».

Praedicta igitur quinque *Principia generalia* sumsit Bonelli ex cod. Vat. n. 918. supra § 7. fuse descripto. Sed quadam auctoris negligentia in recensione ex Prodromo a nobis transcripta est omissum opusculum sub *b* relatum: *Cum essem in medio captivorum*, cum ipse Bonelli in Admonitione praefixa (Supplem. I. col. 282) asserat, illud esse ex dicto codice descriptum, et re vera in eo habeatur, teste P. Ehrle (loc. cit. pag. 495). — Insuper notandum est, haec quinque opuscula ibi esse *anonyma;* quod ex verbis relatis patet, et post auctorem catalogi eiusdem bibliothecae confitetur ipse Bonelli. Ab utroque illa tribuuntur Bonaventurae hac praecipue ratione, quia inveniuntur in medio inter duo opera, quae ibi perperam dicuntur esse Bonaventuriana.

Praeter hunc altero quodam codice saec. XV. in sua editione usus est P. Bened. Bonelli. Hic tunc exstabat Venetiis in bibliotheca Conventus S. Bonaventurae Minorum Reformatorum; de quo idem refert (Prodrom. col. 488 seq.):

26. *S. Bonaventura de Intelligentia sacrae Scripturae.* Sic litteris rubris. Incipit a fol. 1. cod. chart. saec. XV. in folio: *Vidi in dextera sedentis.* Post primum huius opusculi folium interrumpitur sensus, ita ut ad fol. 15 fiat saltus.

27. In illud Apocalypsis 4: *Quatuor animalia, singula eorum...* Post hunc sequuntur eadem tria opuscula ut in cod. Vaticano n. 918, et quidem, ut Bonelli observat, « quasi per modum continui absque ullo titulo, sed incipiens a textu ».

Solus igitur secundus cod. sequioris aetatis explicite haec opuscula attribuit seraphico Doctori. Sed omnino maioris auctoritatis est cod. saec. XIII. bibliothecae Nationalis Parisiensis supra (§ 7.) descriptus. Hic primo loco habet haec quinque *Principia generalia* ab antiqua manu Fr. Petro Olivi tributa, et non continet nisi scripta ipsi, ut aliunde probari potest, certo tribuenda. Accedit, quod, teste illo catalogo sub Urbano V. scripto et supra (§ 7. circa finem) citato, Petrus Olivi certo scripsit *Principia generalia* in s. Scripturam. Cum etiam ipsa indoles eorundem optime congruat singulari ingenio eiusdem, assentiendum esse censemus duobus peritissimis librorum illius aetatis investigatoribus, scil. P. Ehrle S. I. et ante ipsum P. Fideli, quorum uterque proprio suo studio et documentorum pervestigatione cognovit, haec *Principia generalia* auctorem habere dictum Petrum Ioannis Olivi.

§ 9. **De Commentario in Apocalypsim.**

Praemittitur Prologus Gilberti: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo.* Incipit Expositio in Prologum: *Praemittitur huic libro.*

A P. Bonelli (Prodr. col. 316 tab. XVII.) de quadam antiqua *Glossa in Apocalypsim* haec refertur ex Annalibus typographicis Michaelis Maittaire: « *Bonaventurae Glossa* in Apocalypsim 4. Lipsiae 1481 ». Loescherus observat, summam huius libri esse, Turcas propediem esse destruendos, primumque hunc librum esse Lipsiae impressum, teste I. I. Müllero in Incunabulis typograph. Lipsiae pag. 9 tom. 1. part. 2. pag. 427. In nota ille addit: « Hactenus frustra a me quaesita etiam Lipsiae ». — Nec nos fuimus feliciores. In *Repertorio* Ludovici Hain non fit mentio huius *Glossae*, nec alibi reperire potuimus, quae et qualis sit ista *Glossa.*

Ioannes de la Haye Ord. Min., multis de Scriptura scriptis satis notus, hunc Commentarium primus edidit Parisiis 1647 in fol. eumque *Alexandro de Hales* ut auctori inscripsit. Hoc fecit fide unius codicis Antverpiani et duorum virorum recentiorum, scil. Henrici *Willot*, qui se hunc Commentarium in bibliotheca Antverpiana Fratrum Minorum vidisse attestatur, et Ioannis *Pitsei* in libro de Scriptoribus Anglicis ad an. 1245. Editor in Praefatione *certum* esse contendit, Alexandrum Hal. hunc Commentarium composuisse, « praesertim cum ipsa verba spiritum et eruditionem Alexandri de Hales redoleant... ratio suadeat, stilus doceat, confirmet veritas ». Laudat etiam admirabilem operis « eruditionem, sententiarum profunditatem, in difficultatibus enodandis maximam claritatem ».

Alteram editionem, sed *S. Bonaventurae* inscriptam, curavit P. Benedictus Bonelli in tom. II. sui *Supplementi* (Trident. 1773), quam copiosis doctisque notis illustravit. Idem in praefixa Praelocutione et in Prodrom. (col. 648 seqq.) satis probavit, immerito a primo editore opus attributum esse Alexandro de Hales. Evincit enim, auctoritatem istius codicis Antverpiani non esse magni momenti, cum nihil dictum sit de eius antiquitate, variaque adsint indicia, quod sit recentioris aetatis (ibid. n. 3.); duos etiam testes citatos minime esse « omni exceptione maiores » (n. 4.); denique plura in ipso opere inveniri indicia, quae insinuant, librum esse scriptum post Alexandri mortem († 1245). Nam, inquit, « cum auctor disserat de beata Clara non velut in terris adhuc agente, sed in caelis aeterna beatitate donata, eius meminisse non potuit citra prophetiam Alexander Halensis, qui obiit an. 1245, Clara vero abiit ad Sponsum an. 1253 Sanctorumque fastis adscripta est an. 1255. Nequidem dicere potuit Halensis illud quod cantatur de beato Antonio: « Veritatis iaculis aeque feriebat » (ed. Haye pag. 154 a), cum officium verba ista continens (Resp. 6.) non minus quam aliud S. P. Francisci post Halensis decessum fuerit concinnatum per Fr. Iulianum Theutonicum etc.

Aliud grave argumentum addere potuisset P. Bonelli, si ipsi noti fuissent quidam codices antiqui, qui Alexandro de Hales *diversum* omnino Commentarium in Apocalypsim attribuunt. — Ita *Cantabrigae* in Anglia, cod. Mss. V. 31. 2436. saec. XIII. in 4. foliorum 207, ubi legitur: Alexander de Ales Comment. in Apocal. Incipit: *Sanctus Ioannes... Apocalypsis,*

que latine dicitur interpretatio. Desinit: *Oportet fieri quod petierit, fiat, fiat.* — Idem Comment. habetur etiam *Wratislaviae* in bibliotheca Universitatis, Cod. cl. I. in quarto 19. membr. saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis: Incipit prefatio fr. Alexandri de ordine fratrum Min. in expositionem apocalypsis, qui anno Domini millesimo CCLXXI obiit (!). Sanctus Ioannes apostolus et evangelista propter verbum Dei, quod predicabat... Fol. 3. v. c. 1: Apocalypsis grece latine dicitur revelatio. Cum dicit apocalypsis subaudiendum est.

Assentimus igitur P. Bonelli neganti, hunc librum auctorem habere Alexandrum Hal., quin tamen assentiamus ipsi affirmanti, eum esse legitimum et certum S. Bonaventurae fetum. Nolumus tamen negare id quod non pauca documenta testantur, quod scil. S. Doctor scripserit quandam Postillam in Apocalypsim; alia autem quaestio est, an haec quam Bonelli edidit Postilla sit genuina. Argumenta enim editoris hoc non sufficienter probant; obstant autem aliae multae rationes. Cum agatur de re gravi, quaestio paulo fusius et diligentius tractanda est, ne expunctio huius Commentarii speciem temerariae levitatis prae se ferat. Unde ad trutinam vocabimus tum *testimonia externa* tum *criteria interna* a P. Bonelli allata.

Primo igitur dicimus, *non sufficere testimonia externa, ab ipso in favorem S. Bonaventurae allegata.*

Ipse unum tantum codicem saec. XIV. testem pro sua opinione afferre potuit, eundem scil. codicem Vaticanum n. 918, supra § 7. descriptum, ex quo etiam edidit tum Commentarium in Canticum Canticorum, tum quinque illa opuscula, quae nomine *Principia generalia s. Scripturae* notavimus. Sed supra § 7. et 8. satis ostendimus, tum Commentarium illum, tum opuscula falso attribui seraphico Doctori et restituenda esse Petro Ioannis Olivi. Hinc sequitur, hunc codicem erroris iam supra convictum esse testem parum idoneum. — Nec eius auctoritas augetur eo, quod Waddingus ex hoc codice curavit fieri apographum, in archivo Collegii S. Isidorii (n. 100.) tempore P. Bonelli adhuc conservatum; nec quod aliud saeculi XVII. apographum fuit et est Romae in bibliotheca Angelica (cod. S 8. 19. chart.), quod in nonnullis, ut Bonelli dicit, est completius. — Accedit, quod alii codices etiam antiquiores, cum S. Bonaventuram vel non nominent auctorem, vel alium, magis etiam animum relinquunt suspensum atque incertum. En catalogus eorum codicum, qui ignoti erant P. Bonelli.

1. *Budae Pestinae,* bibliotheca Universitatis, cod. sine numero, membr. saec. XIV. circa medietatem. Fol. 151. r. in superiore margine: *Incipit prologus sancti Ieronimi super Apocalypsim;* anonym. Hinc: *Premittitur autem* etc. Desinit fol. 157. v. col. 2: *Duxit in finem et terminum, sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

2. *Burdigalae* in Gallia, cod. 65. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 3. r. Initio alia manus saec. XV. praemisit: *Lectura obtima* (sic) *super Apocalipsim;* alia manus adhuc recentior addidit: *Gallonis in Apocalipsim.* Prologus deest. Desinit fol. ultimo codicis, parte v. col. 1.

3. *Florentiae,* bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. olim sanctae Mariae a Carmelo 513, modo vero 135. membr. in fol. saec. XIV. Commentarius in Apocalypsim incipit fol. 83. r. verbis: *Praemittitur autem huic libro prologus* etc. Desinit fol. 146. r. Post triplex *Amen* additur: *Explicit postilla venerabilis cardinalis et magistri sacre theologie super Apocalipsim.* Nomen auctoris proprium desideratur.

4. *Patavii,* bibliotheca sancti Antonii, cod. 272. ex duobus in unum compactus, membr. in fol. saec. XIV. Commentarius in Apocalypsim sequitur alium in Isaiam et incipit: *Premittitur autem huic libro* etc. Desinit ut in editis.

5. His addendi sunt alli tres codices, qui, teste Sbaralea (Supplem. p. 689 a), antiquitus notati erant in tabulario sacri Conventus Assisiensis. Hi exhibebant quandam postillam in Apocalypsim, cuius prologus incipiebat: *Spiritu magno* etc.; ipsum vero opus sive alius prologus eodem modo ut praenotati codices, scil.: *Premittitur autem huic libro prologus* etc. Istorum antiquior erat anonymus, in alio satis antiquo opus tribuebatur *Fr. Vitali Doctori sac. Rom. Ecclesie.* De his codicibus infra redit sermo.

Observandum est, in edito Commentario deesse ipsius *auctoris* prologum contra consuetudinem illius aetatis. Nec satisfacit ratio editoris, quod huic defectui suppleverit prologus Gilberti cum explicatione auctoris. Nam in aliis Commentariis nostri Doctoris, quamvis habeant prologum Hieronymi, tamen praecedit alius prologus auctoris. Non raro quidem in quibusdam *codicibus* prologi auctoris omittuntur, vel alius substituitur. Et cum in citatis codicibus nonnullis praecedat prologus, probabilius esse videtur, in duabus editionibus excidisse prologum auctoris. Hoc confirmatur eo, quod codices alligati post *praemittitur* addunt *autem,* quod in editionibus suppressum est, fortasse quia tale operis initium male sonat.

Deficientibus igitur testimoniis idoneis, unusquisque facile sibi persuadet, sententiam P. Bonelli sustineri iure non posse, nisi ille defectus suppleatur criteriis internis, quae indolem et stilum seraphici Doctoris luculenter prae se ferant. De his igitur nunc inquirendum est.

Secundo affirmamus, *argumenta ex indole operis a P. Bonelli deducta non sufficiunt ad probandum, immo alia graviora militant pro parte contraria.*

Prima eiusdem ratio est doctrinae et phrasium similitudo cum legitimis Bonaventurae operibus. Unde pro more suo praesertim in notis plura affert exempla sententiarum et verborum, quae etiam apud Bonaventuram occurrunt, nullumque dicit allegari auctorem, quem etiam Bonaventura non potuerit adhiberi.

Concedimus Patri Bonelli, auctorem huius Commentarii fuisse virum doctum et in s. Scriptura versatissimum, opusque quoad *doctrinam* non esse seraphico Doctore indignum. Concedi etiam potest quod P. Bonelli (Praelocut. n. 16.) dicit: «Qui hunc Commentarium legerit perinde fere sapiet, ac si multos alios legerit», praesertim cum ipse editor multorum posteriorum interpretum sententias in notis diligenter adiecerit. Manifestum est etiam, eundem auctorem fuisse Franciscanum et in doctrina librisque S. Bonaventurae versatum atque passim nonnulla fere ad verbum inde exscripsisse. Ita e. g. in Expositione prologi n. 25-28. totum illud, quod dicitur de quatuor Verbi conditionibus, quibus eliduntur quatuor haereses, paucis tantum omissis vel mutatis, transcriptum est ex S. Bonaventurae Comment. in Ioannem (infra pag. 246 seq.). Plurima alia notata sunt in adiectis notis. Nonnulla conveniunt cum dictis nostri Doctoris in Collationibus in Ioannem, quas editor non novit.

Sed iam diximus, auctores medii aevi, praesertim eiusdem Ordinis, maiori quam nunc conceditur libertate aliena consuevisse mutuari. Hinc in iudicando alicuius scripti auctore non tam haerendum est circa singula quaedam et particularia duo-

bus auctoribus vel *communia*, vel *similia*, sed potius tota indoles operis et proprietas stili examinanda et ponderanda est. Imprimis est attendendum, num in doctrina vel stilo inveniri possit *differentia* et *dissimilitudo*. — Instituto igitur circa haec examine, nobis persuasum est, ita hunc Commentarium differre a legitimis S. Doctoris scriptis, ut satis luculenter monstretur, ipsum compositum, vel saltem auctum et mutatum fuisse ab alio auctore.

Primo enim in eodem desideratur singulare illud seraphici Doctoris ingenium multa et diversa per quandam synthesim ad unum quoddam totum reducendi, sive totum aliquem librum sive principales partium sententias; quod manifeste se prodit in genuinis commentariis et facile perspicitur solo intuitu schematum, quae singulis subiunximus. Auctor vero huius Commentarii magis haeret in singulis particulis explicandis. Saepius eaedem sententiae ac verba ad taedium repetuntur. Item longiores repetitiones occurrunt, ut nexus partium ostendatur. Non raro quinque vel sex diversae expositiones per particulam *vel* coniuncta sibi succedunt. Haec omnia insolita sunt S. Bonaventurae.

Secundo, nonnullis locis quidam in modo loquendi excessus et exaggeratio deprehenditur; qui defectus alienus est a moderatione animi et modestia S. Bonaventurae. Ita col. 83 n. 68. legitur: « Tunc aderit *stultissimus* Plato cum discipulis suis ». Verum quidem est, sapientiam mundi comparatam sapientiae Dei recte dici *stultitiam*, sed ipsam Platonis *personam* S. Bonaventura alias nunquam vocavit *stultissimam*, sed potius ipsum laudat atque recenset inter *nobiles* philosophos (Hexaëm. Collat. VI. n. 1. 6-10.). Similiter col. 438 n. 664. « doctores philosophos, ut Platonem, Pythagoram et Aristotelem » dicit esse illos *serpentes*, de quibus est sermo Apoc. 9, 19.

Tertio, ipse P. Bonelli (Praelocutio n. 4.) confitetur, in pluribus locis esse « aliqua *duriuscula nimisque generalia* adversus eius aevi clerum atque praelatos » et nimis « acriter generaliterque dicta ». Huiusmodi verba dicta contra clerum, quin faciat ullam exceptionem, leguntur e. g. col. 74 n. 56: « Vere obscuratum est aurum Ecclesiae hodie, quia non lucet splendor sapientiae et scientiae... Tres machinae habent hodie Ecclesiam dissipare: perversitas in exsequendis iudiciis, temeritas in proferendis sententiis, pusillanimitas in corrigendis vitiis. Istae tres machinae dispergunt hodie lapides Sanctuarii. Nam nec praelati nec capellani nec alii clerici curant hodie de scientia catholica nec de Ecclesia, sed facti sunt laici vacantes otio in capite omnium platearum ». Similia etiam alibi et passim *sine restrictione* dicuntur. Non est dubium, quod ipse auctor velit, haec esse cum grano salis intelligenda et restringenda ad *multos*, sive *plurimos*, cum in alio loco confiteatur, bonos etiam esse praelatos. Sed in opere scientifico etiam *verba* non excedant oportet limites veritatis. In prima illa editione a P. de la Haye curata haec duriora adiectis verbis *multi*, vel *plurimi* temperata sunt, quas lectiones variantes P. Bonelli in notis ad calcem allegat. Ignoramus, utrum haec restrictio a primo editore sumta sit ex codice Antverpiano, an ab ipso suo marte adiecta.

Ut autem haec *duriuscula* non esse aliena a S. Bonaventurae modestia ostendat, Bonelli recte quidem dicit, eiusdem modestiam fuisse pari zelo coniunctam, ipsumque ad hanc correptionem esse compulsum a morum corruptione, qua clerus tunc laborabat. Profert etiam sententiam ipsius Bonaventurae, qui in Libello apologetico contra eos qui Ordini FF. Min. adversantur (q. 1. in fine) scripsit: « Clericis possumus in capitulis suis omnia pericula sua in sermonibus litteralibus seorsim (scil. a populo) ostendere cum reverentia caritatis et maturitate benigna ». Ad hoc confirmandum idem ex citato opusculo affert gravem hanc cleri inferioris reprehensionem: « Quam paucissimi in terris istis iam reperiuntur, qui debito more ministeria praestent animabus sibi commissis; quod nimis est miserabile; et qui aut defectu iuris, aut scientiae, aut vitae, aut diligentiae circa eas, aut liberae exsecutionis nihil habeat reprehensibile, aut quod eos tali officio reddat indignos. Quomodo vero tota Ecclesia per mala exempla clericorum et avaritiam corrumpatur et negligentiam deformetur et a statu debito elongetur, et quanta ex hoc quotidie peccata increscant, et quod bona negligantur per mundum, vix aliquis sufficit aestimare ». — Sed hoc exemplum parum assertioni P. Bonelli favet. Nam gravia haec verba, quae auctor protulit coactus, ut rem sibi assumtam probaret, ita spirant verum zelum pro gloria Dei et salute animarum, ut minime excedant terminos *veritatis*, cum loquatur cum restrictione, immo nec terminos *caritatis* et *reverentiae*.

Quarto, ipse editor (Prodr. col. 652 n. 8.) notat, auctorem huius Commentarii in quadam re non concordare cum Bonaventura, qui in collat. XV. [n. 3.] in Hexaëm. de antichristo dicit: « Aliqui volunt dicere, quod ad litteram erit de tribu Dan; utrum autem ita sit, non auderem affirmare ». In Postilla vero (n. 480.) dicitur expressis verbis, istum fore ex tribu Dan. Hanc obiectionem editor eo solvit, quod non sit hic proprie antilogia, et quod S. Doctor in ultimo suo opere, aetate grandior et doctior factus, priorem sententiam temperaverit. Certe haec res non est magni momenti.

Nolumus etiam multum urgere, quod in hoc Commentario inseruntur ultra 25 *themata sermonum* (ita saepe nominantur) satis diffuse exposita aliique excursus morales; id quod S. Doctor in Commentariis genuinis non facit.

Quinto vero, plus ceteris nos movet, quod in plurimis locis huius Commentarii magna verborum et stili differentia apparet, quae insinuat, auctorem non fuisse S. Bonaventuram, sed potius alium saeculi XIV. Ipse P. Bonelli hanc differentiam aliquo modo sensisse videtur. Licet enim alibi commemoret similitudinem doctrinae et *phrasium*, pro quo affert quosdam locos ex Bonaventura transcriptos; tamen in Praelocutione (n. 21.) scribit: « Quodsi etiam huius Commentarii stilus videretur paulo diversus ab aliis eiusdem libris; adhuc nulla causa esset, cur eidem abiudicaretur ». Idem in Praelocutione et in notis etiam allegat minutas quasdam res, quae a modo dicendi et connectendi S. Bonav. differre videntur, ut illud *continua*, *notate*, illud frequentissimum *ita dixi*, et interdum *bene dixi*, *vere dixi* etc. Sed haec vel similia in genuinis Commentariis interdum occurrere non negamus; nec haec magni esse momenti contendimus. Alia enim sunt et verba et dicendi modi, quae lectorem offendunt. — Praemittimus quandam observationem auctoris quidem suspecti, scil. Oudini, sed quoad ea quae sequuntur, non spernendi. Cum igitur Oudinus (loc. cit. col. 393) illud opusculum *Principium s. Scripturae*, de quo supra § 2. egimus, ex Bonaventurianis expungit, rationem accipit ex nimis barbaro et affectato huius scripti stilo. Sed de legitimis operibus Bonaventurae ait, in eis « nihil inveniri nisi grave, nihil infantile atque affectatum, licet stilus aliquando tantisper humilis sit »; item, non esse in eisdem dictionem barbaram; quae vocum barbaries invaluerit saeculo XIV, simul cum affectato et continuo usu *superlativo (eminentissimis, affluentissimis, perspicuissi-*

mis etc.). Sane Oudinus classico Latino addictissimus despexit latinitatem medii aevi tanquam signum barbariae veramque culturam fere posuit in adhibendis verbis Ciceronianis; saepe etiam halucinatus est, iudicans de legitimis vel spuriis Bonaventurae libris; nihilominus verum est quod dixit, post Bonaventuram invaluisse illam vocum barbararum abundantiam et stili affectationem.

Utriusque vitiosi defectus exempla abundant in hoc Commentario. Hoc patet manifeste ibi, ubi affert divisionum membra, quae constanter verbis inter se perfecte consonantibus exprimuntur. Saepe adhibet duplicem vel triplicem consonantiam. Non raro verba sunt ita artificialiter et curiose arcessita, ut satis pateat, auctorem pro more sui temporis magis ad verborum consonantiam quam ad sententiae et divisionis rectitudinem et linguae puritatem attendisse. Hinc non raro utitur vocabulis barbaris a Bonaventura nunquam adhibitis, ut *infastidibilis*, *incontristabilis*, *inobfuscabilis*, *inobscurabilis* et similibus plurimis, praesertim insolitis superlativis.

Pauca ex plurimis audiamus praedictarum divisionum exempla. Loquens de proprietatibus hypocritarum (n. 182.): « Peccata, inquit, aperiunt in stabulo iniquitatis; simplices fallunt sub pallio bonitatis; bonis invident et detrahunt lingua malignitatis; vanam gloriam quaerunt in saeculo vanitatis; cito pereunt et deficiunt in stagno foeditatis ». — Alia exempla sine delectu se offerentia sunt: « Nota, quod debet esse cor plenum caritate, os veritate, opus humilitate, oculus castitate, pes gravitate, manus largitate » (n. 186.). — « Humilitas impetrat superbientis malitiae triumphum eximium, supereminentis sanctimoniae copiosum donum, supereffluentis gratiae dulcorosum iubilum, splendentis sapientiae luminosum radium, superexcellentis gloriae spirituale bravium » (n. 203.). — « Est tutela bellatorum ad proelium animatrix, dispersorum ad convivium congregatrix, damnatorum ad supplicium indicatrix. Sic vox Domini tuba buccinans ad proeliandum contra peccantium vilitatem, ad congregandum charismatum pluralitatem, ad formidandum aeterni supplicii gravitatem. Unde tuba illa erit primitiva monitionis... praemissiva citationis... exsecutiva discussionis » etc. (n. 254.). — « Thronus Christi hominis est aeternaliter fixus virtute Divinitatis... specialiter clarus splendore humanitatis... singulariter summus honore dignitatis » (n. 278.). — « Istud altare, scilicet signum crucis, est placativae oblationis, quia salus praevaricantium; protectivae munitionis, quia clypeus bellantium; ignitivae dilectionis, quia calculus amplexantium; suspensivae devotionis, quia titulus contemplantium » (n. 546.). Vix est pagina, in qua non occurrant similia exempla cum vocabulis novis ad consonantiam formatis. — Etiam Bonaventura in suis Commentariis quandam consonantiam imperfectam verborum passim habet, ut sic rerum memoriae serviat, sed moderate; quod facile videt qui schemata Commentariorum intuetur.

Haec curiositas et arcessita verborum consonantia praecipue invenitur in pluribus illis sermonum thematibus, quae passim inserta sunt. Magnam invenimus differentiam inter haec schemata sermonum et illa quae habentur in genuinis Collationibus in Ioannem. Ut lector de hac differentia ipse possit iudicare, subiungimus exemplum descriptum ex hoc commentario (n. 259-262.): « *Ascende huc, et ostendam tibi quae oportet fieri.* Verba sunt Iesu Christi, Virginis Filii, virginem Catharinam dulciter alloquentis. Unde ipsam primo invitat ad bravium superni culminis; secundo praesentat prodigium divini luminis: tertio declarat praesagium venturi temporis, vel trisagium prophetici carminis. Trahit vigor ad bravium, trahit splendor ad prodigium, trahit pudor ad praesagium: bravium in ascensu, ibi: *Ascende huc;* prodigium in aspectu, ibi: *ostendam tibi;* praesagium in eventu, ibi: *quae oportet fieri* ».

« Circa primum, ubi primo invitat beatam Catharinam ad bravium superni culminis, cum dicit: *Ascende huc;* sciendum, quod iam ipsa ascendit ad bravium magistralis splendoris, militaris vigoris, imperialis honoris. Quod probat efficacia verborum utilium, verba penetrant; sufferentia flagellorum crudelium, flagella intrant; honorificentia agminum caelestium, caelestia agmina honorant. De primo Isaiae quadragesimo: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. De secundo Iudith octavo: Reputantes peccatis nostris haec ipsa supplicia minora esse: flagella Domini etc. De tertio Iudith decimo tertio: Percussit cervicem eius; et sequitur: Congyraverunt circa eam universi, illa autem ascendens eminentiorem locum iussit fieri silentium ».

« Circa secundum, ubi Christus praesentat beatae Catharinae prodigium divini luminis, cum dicit: *Ostendam tibi;* sciendum, quod beata Catharina aeternae lucis radio illustrata fuit. Acutissima in arguendo, quod probat peritorum sive philosophorum confusio; Iob decimo tertio: Disputare cum Deo cupio, prius vos ostendens fabricatores mendacii. Apertissima in respondendo, quod probat occultorum obiectorum solutio; Iob trigesimo secundo: Respondebo et ego partem meam et ostendam scientiam meam. Subtilissima in exponendo, quod probat divinorum secretorum discussio; Isaiae trigesimo nono: Non fuit verbum, quod non ostenderet eis ».

« Circa tertium, ubi declaratur praesagium venturi temporis vel trisagium prophetici carminis, cum dicit: *Quae oportet fieri;* sciendum, quod summus opifex ab aeterno ordinavit, beatam Catharinam fieri vasculum puritatis angelicae, vehiculum veritatis deificae, triclinium Trinitatis magnificae. Puritas reddit ipsam insignem, et ideo imitanda est; Cant. primo: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Veritas illustrem, et ideo veneranda; Psalmo decimo quinto: Notas mihi fecisti vias vitae. Trinitas celebrem, et ideo decantanda, vel invocanda; Cant. tertio: Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani etc. *Vox* ergo *prima, quam audivi,* dixit: « *Ascende huc* ». — Quis contendet, haec congruere altitudini et simplicitati seraphici Doctoris?

Ultimum pro sua opinione argumentum P. Bonelli (Praeloc. n. 20.) haurit ex consideratione temporis, quo opus esse scriptum (scil. inter an. 1255 et 1260) per coniecturam exploravit. Terminum, ante quem illud non potuit esse compositum, recte determinat contra P. de la Haye, ut supra vidimus; sed nullius momenti sunt rationes, quas affert quoad ultimum terminum, scil. an. 1260. — Prima eius ratio est, quod auctor (in expositione Prologi Gilberti n. 30. et deinde n. 462. et 536.) « in hoc Commentario putare videtur, B. Mariae conceptionem haud vacasse peccato originali »; cum autem Bonaventura in capitulo Narbonensi an. 1260 ordinaverit festum de Conceptione B. M. V. in Ordine celebrandum, P. Bonelli inde concludit, ab eo tempore eundem retractasse sententiam, quam tenuit in Commentario (III. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 1. 2; cfr. scholia). — Sed haec conclusio eliditur verbis S. Doctoris (ibid. q. 1. ad 4.), cum explicite affirmet, in casu, quod ista solemnitas celebretur, « potius referri ad diem sanctificationis quam conceptionis ».

Hoc autem confirmatur eo, quod praedicti festi celebratio minime impedivit, quominus post celebratum a multis annis illud capitulum Generalis Ordinis et cardinalis Matthaeus ab Aquasparta († 1302) in quadam inedita quaestione disputata, quam habemus exscriptam, piam sententiam, quae nunc ab Ecclesia definita est, multo acrius, quam Bonaventura improbaverit. Expressis etiam verbis contendit, festum huius conceptionis non posse celebrari « intuitu et consideratione sanctificatae seu sanctae conceptionis vel praesentis sanctificationis; et hoc modo conceptionem eius celebrare non est debitum, immo est superstitiosum et erroneum » (!). Certe erravit vir doctus; sed hic error post Bonaventuram in scholis adhuc valde communis ostendit, conclusionem P. Bonelli non esse legitimam. — Etiam iam famosus Fr. Ubertinus a Casali in suo libro *Arbor vitae crucifixae*, quem composuit 1304, adhuc non tenet veram sententiam (lib. I. c. 6.). Unde etiam Bonaventura, si fuisset auctor Commentarii (quod negamus), post an. 1260 tenere potuisset primam suam sententiam, sicut alii in Ordine Minorum etiam in principio saec. XIV. revera tenuerunt.

Altera ratio allata prorsus nihil valet, supposito quod alius a Bonaventura hunc Commentarium scripserit, et etiam in hypothesi editoris valde exiguum valorem habet. Arguit enim ex eo, quod auctor « declarans illud : *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi* (Apoc. 7, 2.), ne verbum quidem faciat de B. Francisco, secus ac postea fecit in Prologo praedictae Legendae, cuius scriptio in Capitulo generali Narbonensi sibi fuerat demandata ».

Tertia editoris ratio sumitur ex nonnullis sententiis, quae aetatem S. Bonaventurae insinuare videntur. Sed exempla, quae afferuntur de reprobatione paupertatis (n. 574.), de persecutione contra clericos et religiosos (n. 899.), sunt ita generaliter dicta, ut aequo iure applicari possint primis decenniis saeculi XIV, quando Italia diris factionibus et saevitiis discerpebatur, et Philippo rege Galliae auctore, Bonifacius VIII. Anagniae (1303) aspere violatus est. Quae turbulenta facinora, oppressiones et thesaurorum ecclesiasticorum depraedationes, durante illo Avenionensi exilio Summorum Pontificum (ab an. 1305), passim fiebant. Hinc illi tempestati magis quam aetati S. Bonaventurae conveniunt verba, quae n. 1500. leguntur: « Sed quomodo hodie reges et alii terrarum principes eius [Ecclesiae] libertatem conservant? Certe non conservant, sed potius dissipant. Nam cum deberent eam defendere, conantur eius bona arripere et ipsam violenter opprimere et sponsam Christi ut venalem meretricem prostituere ». Pluries invehitur contra eos qui *depraedantur Ecclesiam et thesaurum eius diripiunt*, et praecipue contra « *civitatem Romanam* », quae accusatur, quod non tantum tempore antichristi, sed etiam illa aetate Ecclesiam persequatur (cfr. n. 1046. 1222. 1228. et alibi). Haec optime convenire tempestati exilii Avenionensis, praesertim in ore scriptoris Galli, manifestum est. Alia adhuc minoris momenti, quae habet Bonelli, brevitatis causa omittimus, ut graviora dicamus.

Ultimum argumentum nostrum ex eo sumitur, quod hic Commentarius in ea forma, quam habet in duabus editionibus memoratis, *non est opus prorsus originale, sed ex alio quodam anteriore Commentario formatum*, sed non *parum auctum et mutatum*.

Ipsa enim, ut ita dicam, medulla et substantia eiusdem invenitur in illo Commentario in Apocalypsim, qui inter opera S. Thomae impressus est (ed. Parmensis tom. XXIII. pag. 325-511). De Rubeis (Dissertationes criticae, diss. 7. c. 2. 3.) probat, eum abiudicandum esse S. Thomae, esse tamen scriptum saec. XIII. Revera inveniuntur codices huius saeculi, sed anonymi, qui eundem habent e. g. Brugis in Belgio, bibliotheca Civitatis cod. 70. membr. saec. XIII, qui quoad prologos et initium primi cap. perfecte convenit cum illa editione. Auctor eiusdem est incertus. — Huius Commentarii prologus incipit: « *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram...* Quatuor sunt causae huius operis scilicet efficiens etc. ». Post hunc prologum, sed in editione Parmensi (pag. 326 a) immediate in eadem linea, sequitur ille prologus, quem habent ed. Bonelli et multi codices: « Praemittitur autem huic libro Prologus magistralis [scil. Gilberti, hic omissus], in quo fere omnia, quae diximus [Bonelli *dicemus*] praelibantur; et dividitur in quatuor partes » [Bonelli quinque]. Quae deinde pro explicatione Prologi Gilbertiani sequuntur, paucis mutatis, habentur apud Bonelli, sed in hoc plurima adduntur. Ita in ed. Parmensi deest totus iste locus exscriptus, ut diximus, ex Bonav. Comment. in Ioannem de quatuor conditionibus Verbi, quae elidunt quatuor haereses; item desunt omnes istae *moralitates* de tentationibus etc., quae revera prorsus a re tractata sunt aliena, ut facile appareat, ea esse additamenta posteriora et satis inepta. Praeter hanc in Prologi explicatione manifestam similitudinem, sive potius in substantia identitatem, eandem utriusque Commentarii relationem in primis, mediis et ultimis capitulis invenimus. Omnia illa sermonum schemata, omnes illae artificiose cum consonantia verborum formatae divisiones desunt in altero Commentario aliaque non pauca. Quaedam tamen in hoc habentur, quae apud Bonelli desiderantur. Sed ipsa textus explicatio plerumque etiam eisdem verbis exhibetur.

Quae cum ita sint, satis apparet, vel utrumque auctorem alio et eodem antiquiore commentario usum esse, vel unum eorum alterius opere. Quodsi hoc secundum contigit, satis appareat, Commentarium a Bonelli editum altero esse posteriorem.

Tot igitur et tam graves rationes satis ostendunt, ex catalogo operum S. Bonaventurae expungendum esse saepe laudatum Commentarium, saltem *in ea forma*, quam habet in editis.

Si autem quaeratur, quis fuerit auctor Commentarii a Bonelli editi, non desunt quaedam indicia, quae insinuant, fuisse Fr. Ioannem Vitalem a Furno Ord. Min., qui, natione Gallus, an. 1310 provincialis Aquitaniae, a Clemente V. 13 Dec. 1312 creatus est Cardinalis S. Martini in Montibus et a Ioanne XXII. episcopus Albanus, ac mortuus 16 Aug. 1327 (cfr. de eo Wadding. *Annales* ad an. 1323 n. 2. et *Scriptores Ord. Min.* sub voce *Vitalis*; item P. Denifle, Chartular. Univers. Paris. tom. II. pag. 117, docum. 760. et nota). Hic inter alia an. 1305 scripsit *Speculum morale totius s. Scripturae*, primo impressum Lugduni 1513, quam editionem prae manibus habemus, deinde Venetiis 1594 et 1600, teste eodem Waddingo. Ipse Bonelli (Praelocut. n. 17.) observavit, hunc Vitalem « pleraque fere ad verbum ex eodem [Commentario] in suo *Speculo totius sacrae Scripturae* mutuatum videri ». Reapse istud *Speculum* non tantum idem, quod iste Commentarius, tradit de *duodecim privilegiis* B. Mariae Virginis (tit. Assumtio) et de *triplici muro Ecclesiae* (tit. Ecclesiae) aliaque, sed habet etiam passim easdem vel similes divisiones. — Attamen Bonelli (Prodr. col. 648) negat, Vitalem fuisse auctorem dicti Commentarii, quia *aliam* scripserit postillam in Apocalypsim, quae « quamvis idem habeat

prologi initium, aliis tamen verbis exorditur primum caput (?) eiusdem, videlicet: *Spiritu magno vidit ultima* ». Non dicit, unde haec habeat. Sed Wadding. (*Scriptores* etc.) et distinctius Sbaralea (voce *Vitalis*) ita de Postilla huius Vitalis loquuntur: *Postilla in Apocalypsim:* Incipit prologus: *Spiritu magno vidit...* Incipit opus seu alius prologus: *Praemittitur autem huic libro prologus.* Porro post Waddingum et clarius asserit Sbaralea, hanc postillam in Apocalypsim una cum aliis eiusdem Vitalis commentariis, castigatam a Cardinali Sarnano, editam esse a Bernardo Iunta apud Societatem Minimam Venetiis 159... [sic], eamque haberi, ut supra diximus, secundum tabularium sacri Conventus Assisiensis in tribus codicibus, quorum unus inscriptus sit: *Frater Vitalis de Furno.*

Praedictae editionis a Sarnano curatae nullum vestigium nec Venetiis nec Florentiae nec Romae potuimus invenire; et citatis verbis non satis determinatis Waddingi et Sbaraleae indicari videtur, nec ipsos eam vidisse et examinasse. Si autem revera existit, examinandum esset, utrum praeter additionem illius prologi *Spiritu magno* etc., in aliis non differat ab editione a Bonelli facta, an potius conveniat cum Commentario Fr. Ioannis Guallensis (Guallensis, Wallensis), qui saec. XIII. scripsit Postillam in Apocalypsim, cuius prologus eisdem verbis incepit: *Spiritu magno vidit* etc., ipsum opus: *Cum in sacra doctrina revelata...* De huius Postillae auctore Guallensi testantur tum antiquus catalogus bibliothecae Tudertinae, tum eiusdem cod. 68. membr. saec. XIV, tum alius *Wratislaviae*, in bibliotheca Univers. cod. 78. chart. in fol. Alibi invenitur anonyma.

Sed ex tota huius capituli disquisitione patet, quam difficile sit in hac re tam obscurata codicum varietate et contradictione attingere veritatem; unde cavendum, ne praecipiti iudicio quidquam affirmemus, aut negemus. Quapropter nolumus diiudicare, quis composuerit postillam a Bonelli editam, dummodo non attribuatur Bonaventurae.

Obiter tantum notamus, in quodam Commentario S. Bernardino Senensi attributo et in Operum eius editione Veneta (tom. V.) impresso, non pauca haberi, quae prorsus conveniunt cum dictis toties memorati Commentarii, ut Bonelli in suis notis animadvertit.

Denique nolumus silentio dissimulare gravissimam iniuriam, quae occasione huius Commentarii, sed sine ullo fundamento, honori seraphici Doctoris illata est. Vir iam defunctus, eruditione sua notus, sed lugenda apostasia notior, Ign. *Döllinger* in quadam oratione academica asseruit, cardinalem Bonaventuram, celeberrimum theologum, in suo Commentario in Apocalypsim illum de meretrice locum applicuisse *Sedi Romanae* (auf den römischen Stuhl). Ita enim verba *civitas Romana* interpretatus est. Quod Bonaventura non sit auctor huius libri, ille non potuit ita facile scire, sed quod contra manifestum locorum ab ipso citatorum et totius Commentarii sensum ea quae contra *Romanos* dicta sunt, distorqueat contra *Sedem Romanam*, quo intelligitur ipse Summus Pontifex, hoc eo magis vituperandum est, quia ipse P. Bonelli pluries et copiose in notis verum sensum auctoris clare demonstravit. Alioquin notissimum est, aliud esse *civitatem Romanam*, aliud *curiam Romanam*, aliud *Sedem Romanam*. Contra *civitatem Romanam* auctor saeculi XIV, praesertim Avenione commorans, iuste querelas proferre potuit, tamen passim loquitur de Roma civitate, qualis *futura* sit tempore antichristi. — In toto illo Commentario ne verbum quidem invenitur contra Summum Pontificem vel Sedem Romanam, nec nominatur *curia Romana*, quamvis auctor saepe perstringat malos praelatos, sacerdotes et religiosos (de hac calumnia cfr. liber cl. P. Dr. Emil Michael S. I., Ignaz von Döllinger. Innsbruck, Fel. Rauch 1892. pag. 537 seqq.).

CAP. II.

De genuinis huius voluminis Commentariis in s. Scripturam.

§ 1. Referuntur Commentarii, qui in antiquis indiculis S. Bonaventurae attribuuntur.

In Prolegomenis ad tom. V. pag. LV non pauci indiculi quam brevissime relati sunt, qui a P. Bonelli (Prodr. lib. V. col. 213 seqq.) notis explicantur. In his et quibusdam aliis commemorantur Postillae Bonaventurianae, quae sequuntur:

1. Fr. Salimbene Parmensis in Chronicis: « Fecit Lecturam Parisiis super totum Evangelium Lucae, quae pulcra et optima est ».

2. Ptolomaeus Lucensis Ord. Praed. (scripsit circa 1312-1317): « Et postillavit aliquos libros Bibliae, sicut libros Salomonis, Iob et Epistolas Pauli ».

3. Martinus, Monachus Fuldensis (post medium saec. XIV.): « Multos libros Bibliae postillavit, sicut libros Salomonis et Iob et Epistolas Pauli et alia multa ».

4. Bartholomaeus Albitius Pisanus (1399): « Postillavit excellenter Evangelium B. Lucae » (et multa alia).

5. Anonymus Stronconiensis exscripsit Pisanum, sed substituens *Librum Pharetrae* pro *Regula Novitiorum.*

6. Gulielmus Vorrilongus († 1464): « Expositiones mirificae in textum Bibliae ».

7. Iacobus Oddo in Speculo Minorum exscripsit Barth. Pisanum.

8. Franciscus Samson (vide supra c. 1. § 2.): « Item, scriptum super Evangelio Ioannis. — Item super Evangelio Matthaei. — Item elegantissime scriptum super Evangelio Lucae. — Item scriptum super Evangelio Matthaei [Haec repetitio fortasse respicit tantum cap. VI. Matthaei].

9. Antonius Eugubinus [in processu pro canonizatione S. Doctoris]: « Item, utilissima et compendiosa scripsit super Evangeliis et maxime super Evangelio Lucae Evangelistae ».

10. Octavianus de Martinis [in oratione coram Sixto IV.]: « Super Evangeliis copiose et utiliter scripsit, Lucae praesertim ».

11. Ioannes Trithemius: « Super oratione dominica Lib. I. *Pater noster. Oratio haec privilegiata.* — In Evangelium Ioannis Lib. I. *In principio* etc. — In Evangelium Lucae Lib. I. *Spiritus Domini super me.*

12. *Marianus Florentinus* († 1523): « Expositio copiosa et utilis super Evangelia, Lucae praesertim. — Principium in libros s. Scripturae. Incipit: *Ostendit mihi Dominus.* — Expositio orationis dominicae. Incipit: *Oratio haec privilegiata est* ».

13. Robertus de Licio († 1495): « Super quatuor Evangelia, praecipue super Lucam ». Similia repetunt Alexander Ariosti, Albertus Castellani aliique.

14. Fr. Ludovicus Rutenus in suo Trilogio animae: « De expositione orationis dominicae », quod opusculum allegat etiam Bernardinus de Bustis.

15. Ioannes Mahusius Ord. Min. nominatus episc. Daventrensis († 1572): « In librum Iob — In Canticum Canticorum — In duodecim Prophetas Minores — In Lucam — In Marcum et Matthaeum — In omnes Epistolas D. Pauli — In Epistolas canonicas » etc.

16. Gulielmus Eisengreinius (an. 1565): « In Evangelium Lucae — In Evangelium Ioannis ».

17. Sixtus Senensis, Biblioth. sancta (1566): « Scripsit in Psalmum 118. scholasticam Postillam incipientem: Halleluia, laus et gloria — In Lucae Evangelium scholasticam Postillam, quae incipit: *Spiritus Domini* — In Ioannem Postillam, quae incipit: *In principio* ».

18. Franciscus Gonzaga (de Origine Seraphicae Religionis): « In Evangelium Lucae — In Evangelia et Epistolas per annum ».

19. Ioannes Franciscus de Pavinis (in Relatione ad Sixtum IV. circa canonizationem S. Bonav.): « Super quatuor Evangelia — Super Ecclesiasten — Super Lucam; incipit: *Spiritus Domini* ».

His et nonnullis posterioribus indiculis, in Prodromo relatis addimus quae sequuntur:

20. Notatu dignae sunt Postillae, quae Bonaventurae tribuuntur in antiquo documento, publicato a cl. P. Denifle O. Praed. in Chartulario Univ. Parisiensis tom. I. pag. 647, quod taxat pretium solvendum a scholaribus, quibus librarii librum commodabant. Haec taxatio secundum editorem facta est inter annos 1275-1286, cui convenit Echard. (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 244b), qui interdum hoc documentum citans dixit, illud factum esse ante an. 1300. Haec ibi leguntur:

Hec sunt scripta fratris Bonaventure de Ordine fratrum Minorum scilicet:

Postille super Lucam continent pecias LXXIII. III sol.

Item, Postille eiusdem super Ecclesiasten XIII pecias VI den.

Item, Postille super Canticum Canticorum XIII pecias VIII den.

Item, Postille super librum Proverbiorum continent pecias XXXVII XX den.

Item, Postille super Canticum Canticorum XV pecias VIII den.

Item, Postille super librum Sapientie X pecias VI den.

Item, Postille super Apocalypsim XXIII pecias V den.

Item, Postille super Epistolas canonicas XV pecias VIII den.

Item, super Sentencias pro primo libro II sol.

Pro secundo III sol.

Pro tertio II sol.

Pro quarto II sol.

Tunc sequitur post intervallum maius

Pro textu Bibliae etc.

21. In catalogis antiquis Tudertinae bibliothecae S. Fortunati (de his cfr. tom. V. Prolegom. c. 1. § 2.) haec commemorantur Commentarii S. Bonaventurae. In antiquiore catalogo, scripto circa 1300 (cfr. Bonelli Prodr. col. 479, et Leonii novus Catalogus pag. 185):

1. « Postilla Fratris Bonaventure super Ecclesiastes (sic) et Gallensis super Apocalypsim ».

2. « Item Postille Fratris Bonaventure super Lucam et Postilla super Threnos, Libros (sic) Sapientie et Apocalypsim ». — Observandum est, his verbis non omnino excludi dubium, utrum etiam tres posteriores Postillae Bonaventurae adscribantur, an in eodem codice ut anonymae contineantur; in altero tamen catalogo inter annos 1334-1342 scripto clare legitur: « Postilla Bonaventure super Lucam et super Threnos et libros Sapientie et Apocalypsim ».

3. « Item, Postilla Fratris Bonaventure super Ioannem ». Referuntur etiam duo alia exemplaria Commentarii in Lucam.

Vix credibile est, S. Bonaventuram *scripsisse* omnes Postillas, quae in aliquibus indiculis, praesertim n. 15. et 20. commemorantur. Quod tamen complures deperditae sint, non est improbabile, praesertim si supponamus, quod non sint ab ipso scriptae et editae, sed potius ex eius ore exceptae sive *reportatae* et ab aliis ampliatae; quod insinuat illud non satis certum documentum, quod in tom. V. pag. LXI n. 26. exscripsimus.

§ 2. Explicatur, unde saepe oriatur difficultas discernendi genuinos medii aevi commentarios a spuriis, vel saltem mutatis.

Qui inspicit codices in praecedente et in hoc capitulo a nobis recensitos vix non mirabitur, quod tot codices exhibeant postillas vel anonymas vel in nominando auctore sibi contradicentes. Idem observare licet percurrenti libros celeberrimi Echardi *Scriptores Ord. Praed.* et Waddingi *Scriptores Ord. Min.* cum Hyac. Sbaraleae *Supplemento*. Accedit et magis confundit, quod idem commentarius non raro invenitur diversis indutus formis: modo brevior, modo diffusior, nec raro habet alios prologos, aut plures distinctos. Quoad postillas huius aetatis in Scripturam idem fere fit, quod cl. P. H. Denifle Ord. Praed. (Archiv für Kirchengeschichte und Litteratur VI. pag. 373 seq.) observat de sermonibus eiusdem aetatis, quod scilicet idem sermo mira varietate in diversis codicibus et terris sit mutatus et pluribus auctoribus attributus.

Putamus autem, huic confusioni auctorum praeter alia aliquam occasionem praebuisse institutam rationem et consuetudinem Universitatis Parisiensis. Absolutis enim studiis passivis, annorum septem pro saecularibus, sex vero pro regularibus, ut aliquis fieret *baccalaureus formatus*, primo explicare debebat s. Scripturam. Statutum enim erat, « quod quilibet baccalaureus, antequam sententias legat, tenebitur legere *duos cursus* de veteri et novo testamento, nec cum aliquo dispensabitur » (P. Denifle, Chartul. Univers. Paris. tom. II. pag. 699 n. 28.). Saeculares enim hi baccalaurei, *cursores* nominati, unum librum ex veteri, alterum ex novo testamento legere debebant; mendicantes autem Bibliam continuo et breviter legebant. Quod iuniores hi lectores studia et labores antiquiorum auctorum non raro in usum proprium sibi adaptaverint et deinde aliis communicaverint, satis probabile esse videtur. Exemplum manifestum praebet codex in § 3. n. 2. descriptus, et etiam plures alii ibi et § 4. recensiti. Hinc facile fieri potuit, ut idem commentarius varie mutaretur aliisque auctoribus adscriberetur.

Specialiter autem notandum est, quod legitimus Commentarius S. Bonaventurae in Ioannem et quidam alii aliorum auctorum et in codicibus et in libris impressis publicati sunt sub nomine Nicolai de Gorran Ord. Praed., sed cum multis additionibus. Ut de hoc recte iudicari possit, aliqua de hoc Fr. Nicolao excerpenda sunt ex saepius allegato opere Echardi (Scriptores Ord. Praed. tom. I. pag. 437 a seqq.), qui diffuse de eiusdem operibus tractat. Dicit igitur, eum fuisse ante an. 1280 Priorem Conventus Parisiensis S. Iacobi ac confessorem regis Philippi IV. et obiisse circa 1295; ipsum totum vetus testamentum egregiis

postillis explicasse (ut aliqui tradiderunt). De singulis postillis loquens notat, plures earum etiam aliis tribui, et anceps est, cui attribuendae sint Postillae in Epistolas S. Pauli: *Dedi te in lucem gentium*, quae pluries impressae sunt sub nomine Gorrani, utrum scil. ipsi, an Fr. Petro a Tarantasia (Innocentio V.), cui a contemporaneo Petro a Palude ascribuntur. — Sed de hoc dubio P. Fidelis a Fanna (Ratio novae collectionis etc. pag. 130 in nota) dicit: « Ego vero quaestionem hanc certissime solvere possum, quia multos codices optimae notae reperi eadem commentaria Petro a Tarantasia adserentes ». Et reapse sic est. — Porro de quadam postilla in Actus Apostolorum notat Echard., eam incipere: *Scribe visum et explana eum*, et pluries editam esse sub nomine Gorrani, sed ipse indicat (pag. 441 a): « Gorrano abiudicanda videtur, seu quae ipsissima sit totidem verbis a capite ad calcem, ut aiunt, Hugonis a S. Charo ». — Porro de alia postilla habet: « Etsi Postilla primae ad Corinthios eodem versu Scripturae: *Enoch placuit Deo*, incipiat, quo excusa sub nomine Gorrani, id solum probare, auctorem impressae usum Postilla Guerrici (scil. Fr. Guerrici de sancto Quintino Ord. Praed. circa an. 1244), cui tamen plura addiderit; sic idem in Epistola ad Ephesios usus est Commentario S. Thomae de Aquino, prologum totidem verbis exscripsit et cetera fere omnia, ita tamen, ut identidem plura adiiciat ». Haec Echardus.

Ignotum fuit Echardo, quod etiam aliorum auctorum Commentarii simili modo in codicibus inveniuntur sub nomine Nicolai de Gorran, in specie Commentarius S. Bonaventurae in Ioannem, de quo infra plura. Non igitur sine fundamento scripsit P. Fidelis a Fanna (loc. cit. pag. 129): « Familiare enim fuit Gorrano aliorum scriptis sic uti, ut plura eisdem de suo identidem addens, aliis postea quae aliorum sunt eius esse viderentur ». — Haec breviter dicenda erant, ut constaret, quam auctoritatem habeant codices a nobis citandi, qui aliquod opus Gorrano tribuunt.

§ 3. **De Commentario in Ecclesiasten.**

Prologus incipit: *Beatus vir, cuius est nomen Domini... Cum, sicut vult beatus Dionysius.*

Soli editores Veneti (Diatribae pag. 106 seq.) hunc Commentarium S. Bonaventurae abiudicant; sed rationes, quibus opinionem suam fulcire nituntur, sunt manifeste falsae et iam a Sbaralea (Supplem. pag. 172) et Bonelli (Prodr. col. 631) satis discussae et confutatae. Ne acta agamus, sufficiat hic breviter notare, falsum esse quod Veneti dicunt, nomenclatores de hoc Commentario Bonaventurae silere. Nam praeter Ptolomaeum Lucensem memorant eum catalogi supra § 1. n. 19. et 20. relati. Accedit testimonium plurium codicum bonae notae infra relatorum. Item nullius est momenti, vel potius falsum, quod iidem dicunt, quod expositor sit « plus iusto curiosus ac in philosophorum systematibus indagandis explicandisque nimio plus versatus. A qua re semper alienus fuit Bonaventura ». Ipse enim liber Ecclesiastae expositori occasionem dedit quasdam quaestiones philosophicas vel physicas tangendi; et hoc fecit auctor admodum sobrie et breviter, sicut etiam in aliis operibus facere solet.

Ceterum et doctrina et stilus redolent ingenium seraphici Doctoris (cfr. Prodr. loc. cit.), praesertim prologus, qui invenitur etiam in collectione Sermonum Bonaventurae, quem habet cod. antiquus Tudertinae bibliothecae.

Prima huius Commentarii editio facta est Venetiis 1559.

I.

Codices a nobis cum editione Vaticana collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, cod. membr. in fol. saec. XIV ineunt. exaratus. Expositio incipit fol. 1. v., cui prima manus praemisit: *Postilla super Ecclesiastes et Epistolas Pauli.* Deinde col. 1. *Beatus vir... falsas. Cum sicut beatus Dionysius* etc. Desinit fol. 29. r. col. 1. per verba: *in conspectu iudicis cuncta servantis. Explicit.* — In nostra editione signatur littera A.

De hoc codice locutus est P. Fidelis a Fanna (Ratio etc. pag. 201-206) eumque littera S signavit. Cum observasset, in ipso esse multa additamenta ad editionem Vaticanam, putavit, lacunas editionis explendas esse ex hoc codice. Speciminis gratia utrumque textum ex adverso imprimi curavit, ut lector uno conspectu videret differentiam inter utrumque. Nos autem, editionem novam parantes et attentius codices collatos considerantes, vidimus, in antiquioribus codicibus deesse illa additamenta, et quod maioris momenti est, eadem esse exscripta ex aliis auctoribus v. g. quae in expositione prologi addita sunt, ex Britone, alia multa ex Commentario Card. Hugonis a S. Charo, vel ex Glossis. Unde tuto concludere potuimus, istum codicem non esse aptum ad lacunas explendas, nec additamenta ipsius in textum recipienda. Excepta hac differentia, in aliis convenit cum melioribus codicibus. — Est anonymus, quod facile ex praedictis explicatur.

2. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis Iagellonicae, cod. A. A. XII. 2. chart. in 4. saec. XV. In asseri exteriore legitur: *Postilla Bonaventure super Ecclesiasten.* Incipit fol. 1. r.; sed prologo sancti Bonaventurae praemittitur alius ignoti auctoris, qui sic exorditur: *In nomine Domini* etc. *Et quia aggressus sum librum Ecclesiastis, qui plenus est divina sapientia.* Circa finem continuat: *assumo verbum Prophete, qui dicit: Beatus vir cuius est* etc. Desinit fol. 122. v.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* — Signatur littera F.

In hoc codice textui originali adhuc multo plura adduntur, quam in praecedente. — Ex prologo valde diffuso et satis confuso nonnulla exscribimus. Post quandam exhortationem ad auditores continuat: « Assumo mihi verbum pro fundamento acquisitionis sapientie et recommissionis sacre theologie scriptum (Act. 2.), videlicet hoc: *Cecidit sors super Mathiam*, quod repetitum (?) in quatuor libris sententiarum per me primo assumtum in principio cursus mei ». Ex quo patet, hunc prologum esse id quod tunc nominabatur *principium sacrae Scripturae*, de quo c. 1. § 8. locuti sumus, seu ea prima lectio, qua baccalaureus quidam suum *cursum*, id est expositionem huius libri incepit. — Circa finem ita transit ad textum S. Bonaventurae: « Dixi tertio de speciali recommissione sapientie et scientie huius libri Ecclesiastes. Assumo verbum Prophete, qui dicit: *Beatus vir, cuius nomen* » etc. *Dicit beatus Dionysius*, ut in editis, sed cum multis variantibus, et passim additamenta occurrunt, quae non raro integram paginam explent. Explicite citat ipsum Bonaventuram, dum exponens initium huius libri, scil. *Verba Ecclesiastes* etc., plura addit et scribit: « Tempore enim Salomonis, *ut dicit bonaventura*, sapientie studium viguit in Ierusalem, quia » etc. Item, in expositione versus 1, 6: « Haec littera *secundum bonaventuram* sic exponitur ». — Manifestum igitur est, ignotum quendam baccalaureum pro sua prima lectione sibi accommodasse opus S. Bonaventurae.

3. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 268. membr. in 4. saec. XIV. ineuntis (olim liber sanctae Mariae in fonte salutis). Folio 1. r. in superiore parte praemittitur: *Incipit bona postilla parisiensis super Ecclesiasten. Beatus vir* etc. Desinit fol. r.: *in conspectu iudicis cuncta servantis. Explicit.* — Sign. litt. B.

Cod. est inferioris pretii quam E G, tamen plerumque convenit cum eisdem.

4. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15573. (olim 81. Sorbonicus) membr. in fol. saec. XIII. in capite fol. 2. r. legitur a prima manu exaratum grandioribus litteris: *Prologus.* Deinde col. 1: *Beatus vir* etc. Desinit fol. 30. r. col. 1. in fine: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* Post haec eadem prima manus addidit: *Explicit super Ecclesiasten secundum fratrem Bonam venturam, et sunt peroptima scripta.* — Sign. litt. E.

Hic optimas habet lectiones et convenit cum sequente 5. perantiquo, ex quo exemplari videtur esse transcriptus.

5. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 14429. membr. in fol., exaratus an. 1267. Incipit fol. 1. r. cum titulo: *Postilla super Ecclesiasten.* Desinit fol 49. r.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* Deinde additur: *Iohannes hoc fecit, quem beata virgo Maria adiuvet. Explicit super Ecclesiasten secundum fratrem Bonam venturam et sunt peroptima scripta.* — Sign. litt. G.

Hic tantae antiquitatis codex auctoritate et valore ceteros antecellit et etiam praecedenti E ab ipso transcripto suam auctoritatem communicat. Cum cod. E iam antea a quodam nostro collaboratore cum editis collatus esset, continuo apparuit, primum ita perfecte cum antiquiore G convenire, ut in hoc vix nova lectio alicuius momenti inveniri potuerit. Unde post prologi et primi ac secundi capituli collationem labor conferendi non est continuatus. Pro ipso igitur in ceteris supplet cod. E.

6. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 9. membr. in fol. maximo, saec. XIV. Continet etiam textum Bibliae cum Glossis et commentariis in omnes libros Salomonis sine nominibus auctorum. Codex pereleganter scriptus, litteras omnes initiales habet auro et coloribus splendide ornatas ac depictas. Commentarius sancti Bonaventurae incipit fol. 61. r. col. 1: *Beatus vir* etc. Desinit fol. 86. v.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.* — Sign. litt. D.

Quod saepe in manuscriptis antiquis observatur, hoc etiam de isto dicendum est, nempe quod valor internus non correspondet pulcritudini codicis et scripturae. Ita enim corruptus est omissione verborum et partium textus, ut interdum non praebeat sensum.

7. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 68. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Alia manus saec. XIV. praemisit: *Postilla super Ecclesiasten. Beatus vir* etc. Desinit. fol. 23. r. col. 2. ut in editis. Hinc grandioribus litteris: *Explicit Ecclesiastes.* Secunda manus, sed primae coaeva, addidit: *Unde versus:*

Linea, mysterium, velamen, fama pudoris,
Solamen, testis lapidatio, prolis honestas,
Hec sunt, cur sponso tradita virgo fuit.
Pius dominus, qui pie penitentibus aut peccata dimittit,
Aut ad memoriam reducere facit. Deo gracias.

— Sign. litt. C.

Cod. est satis bonus et plerumque convenit cum codd. E G.

II.

Codices a nobis non collati.

8. *Basileae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. III. 20. membr. in fol. grandiore saec. XIII. exeuntis. Commentarius incipit fol. 97. r., cui scriptor saec. XIV. praemisit: *Postille super librum Ecclesiasten secundum fratrem Wilhelmum de Altona ordinis Predicatorum magistrum theologie Parisius.* Prologus est omnino diversus a genuino sancti Bonaventurae, sed commentarius est idem, identidem tamen vel auctus, vel diminutus. Desinit fol. 114. r. col. 1: *ante oculos agitur iudicis cuncta cernentis.* Hinc adduntur nonnulla verba, quorum finis talis est: *Forsitan propitiabitur mihi, quam propitiationem nobis concedere dignetur, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Explicit opus fratris Guillelmi de Altona ordinis* (alia manus saec. XIV. prosequitur) *fratrum Predicatorum doctoris in theologia Parisius.*

9. *Burdigalae* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 38. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Incipit fol. 2. r.: *Beatus vir... Cum sicut vult beatus Dionysius* etc. Desinit fol. 30. r.: *in conspectu iudicis cuncta servantis. Expliciunt Postille super Ecclesiasten fratris Bonaventure, de domo minorum.*

10. *Divionum* in Burgundia, bibliotheca Publica, cod. 43. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. vel ineunt. XIV. Incipit fol. 1. r. praemissis verbis: *Super Ecclesiasten*, absque alia nota. Desinit fol. 34. r.: *in conspectu iusti iudicis cuncta intuentis.*

11. *Lipsiae*, bibliotheca Paulina, cod. 140. membr. in fol., exaratus anno 1345. Commentarius in Ecclesiasten incipit fol. 67. r. verbis: *Beatus vir* etc. *Sicut vult beatus Dionysius.* Plurima adduntur mutuata ex commentario Hugonis Cardinalis a S. Charo, praesertim in posterioribus capitulis. Desinit fol. 108. v.: *quod caret intentione pie humilitatis, aut ratione iuste necessitatis, sive bonum sive malum, quod factum est, supple.*

12. *Londini*, Collectio regia, cod. 2. C. VII. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius in Ecclesiasten incipit fol. 108. r. absolute: *Beatus vir* etc. Desinit fol. 130. v. col. 2, additur: *Expliciunt Postille super Ecclesiastes*, tacito nomine auctoris.

13. *Metis* in Lotharingia, bibliotheca Civitatis, cod. 478. membr. in fol. minore, olim Conventus beatae Mariae Coelestinorum de Metis. Commentario praemittitur: *Postilla Bonaventure*, et fini subiicitur: *Explicit expositio Bone venture super Ecclesiasten conscripta anno Domini M. IIII°. XLVI. secunda die post Pascha.*

14. *Parisiis*, bibliotheca Mazarina, cod. 1276. membr. in fol. saec. XV. ineuntis. Commentario deest prologus, incipit enim a verbis: *Memini. Huic libro premittit Ieronimus prohemium.* Desinit ut in editis. A manu saeculi posterioris addita sunt haec verba: *Expliciunt Postille fratris Bone venture super Ecclesiasten.* Manus adhuc recentior notavit haec alia. *Iste liber est theologis collegii de Campania ex legato magistri Petri de Parrochia, quondam magistri grammaticorum dicti collegii. pretii XX. f.*

15. *Ibidem*, bibliotheca Nationalis, cod. 472. membr. in fol. saec. XIV. (olim Carmelitarum Parisiensium). Commentarius incipit fol. 1. r., cui manus alia, sed primae coaeva praemisit hanc rubricam: *Postilla Bone venture super Ecclesiasten.* Haec eadem repetit in fine, quem excipit fol. 33. v. col. 2: *Dum cuncta agimus in conspectu iudicis cuncta cernentis.*

16. *Ibidem*, bibliotheca Arsenalis, cod. T. L. 531. miscell. in fol. parvo saec. XV. Fol. sine num. v. praemittitur Commentario sequens rubrica: *Tractatus beati Eustachii, qui et Bonaventura, super Ecclesiasten doctoris seraphici.* Prologus sequitur ut in editis. In fine iterum: *Explicit expositio beati Eustachii Banaventure super Ecclesiasten.*

17. *Patavii*, bibliotheca Conventus sancti Antonii, cod. 271. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Incipit post alia opera: *Beatus vir* etc.; desinit: *in conspectu iudicis cuncta servantis.* In decursu Commentarii nonnulla desunt, ut etiam innuunt sequentia verba ad calcem posita: *Postilla ex Postilla fratris Bonaventure, et facta est immutatio modica valde hinc inde.*

18. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 918. membr. in fol. parvo saec. XIV. Scriptor initio Commentarii praemisit titulum sub hac formula: *Postilla fratris Bonaventure super Ecclesiasten.* Haec eadem verba repetuntur in fine, tum additur: *Dicas unum ave Maria et unum Pater noster pro anima fratris Thome, qui hunc librum scripsit, pro remedio anime sue. Iste liber est Monasterii sancti Iohannis in Seyts Ordinis cartusiensis.*

19. *Ibidem*, cod. 612. membr. in fol. Pars codicis, quae continet expositionem in librum Ecclesiastae, exarata fuit saec. XIV. Expositio ipsa mutila est, sine prologo et passim interpolata. De alia parte huius codicis egimus tom. V. pag. V. n. 1.

20. *Senis* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. F. V. 23. membr. in fol. minore saec. XIV. Incipit fol. 1. r. col. 1. sub rubrica: *Expositio super librum Ecclesiastes. Beatus vir... Cum, sicut dicit beatus Dionisius* etc. In fine, fol. 38. r. col. 9. post verba: *in conspectu iudicis cuncta cernentis,* idem scriptor addidit haec alia: *Explicit lectura super librum Ecclesiastes, quam de diversis Postillis recollegit frater Iacobus de Cessolis Ianuensis ordinis fratrum Predicatorum. Deo gracias Matri eius et beato Dominico. Amen.*

21. *Taurini*, bibliotheca Universitatis, cod. I. III. 15. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentarius incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et desinit fol. 36. his verbis: *Det igitur Deus nostris precibus efficaciam, ut videamus tunc faciem eius placitam. Amen.*

22. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 1410. (olim Claraevallis E. 26.) membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis. Post alia incipit expositio in Ecclesiasten fol. r. non numerato: *Beatus vir* etc. Desinit ut in editis: *in conspectu iudicis cuncta cernentis. Explicit.*

23. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 182, quem iam descripsimus tom. V. pag. XXVIII n. 15. et pag. XLV n. 1. Continet tantum prologum in Ecclesiasten, qui, paucis immutatis, refertur in integrum ad instar sermonis in honorem sancti Antonii Patavini a fol. 149. v. ad sequens, ubi desinit his verbis: *In quibus docet celestia diligi maxime ipsum sponsum;* vide pag. 5 n. 13. huius voluminis.

24. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 1463. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 46. r. sub titulo: *Expositio super librum Ecclesiasten. Beatus vir* etc. Desinit fol. 65. v.: *in conspectu iudicis cuncta cernentis.*

25. *Ibidem*, cod. 4879. chart. in folio. Commentarius est mutilus in principio, ut recte notatur a manu recentiore fol. 130. r. in margine superiore hoc modo: *Prologus Bonaventure hic deficit, et expositio eiusdem est in veritate.* Desinit fol. 153. ut in editis. Additur: *Expliciunt Postille Bonaventure super Ecclesiastes. Anno incarnationis 1345.*

Ex horum codicum recensione satis apparet, confirmari id quod supra § 2. diximus, ac simul, cum inscriptio decem codicum, quorum quidam (n. 5.) auctoritate prorsus singulari pollet, testimonium reddant in favorem nostri Doctoris, certum omnino reddi, quod S. Bonav. sit legitimus huius operis auctor. Nihil obstat, quod in codicibus n. 8. et 20. descriptis nominantur duo alii auctores huius postillae. Primus, *Wilhelmus de Altona* Ord. Praed., teste Echardo (loc. cit. pag. 244 a), fuit magister Parisiensis, florens inter an. 1260-1270, et scripsit praeter alias etiam *Postillam in Ecclesiasten*, quam Echard. vidit in quodam codice an. 1267. Sed haec, eodem teste, aliud habuit initium aliumque finem ac Bonaventuriana. Cum autem auctor postillae n. 8. descriptae textum originalis hinc inde mutaverit aliumque praefixerit prologum, probabile videtur, hanc mutationem factam esse «*secundum* fratrem Wilhelmum de Altona». Alter auctor, *Fr. Iacobus de Cessolis*, Ord. Praed., in fine postillae ingenue fassus est, quod eam collegerit de *diversis postillis*, ita ut textui Bonaventuriano, ut videtur, aliqua addiderit vel mutaverit aliunde sumta.

§ 4. **De Commentario in librum Sapientiae.**

Incipit prologus: *Diligite lumen sapientiae omnes* etc. Post Prologum Hieronymi incipit expositio: *Liber Sapientiae* etc. *Hic est prologus, quem praemittit Hieronymus.*

Hic Commentarius primo editus et S. Bonaventurae inscriptus est Venetiis an. 1574 in 8. apud Franciscum Salvionum, simul cum Commentario eiusdem in *Lucam* et in *Lamentationes Ieremiae*, deinde in Vaticanam et subsequentes editiones receptus. Oudinus, Sbaralea, Bonelli (Prodr. col. 633) ipsique editores Veneti (Diatribae pag. 871) censent opus hoc esse certo genuinum et seraphico Doctori dignum.

Ingenue fatemur, deesse nobis codices, quorum auctoritate hanc Postillam S. Bonaventurae vindicare possimus; ex altera parte satis patet, eorum codicum testimonium, qui alios auctores nominant, nullius esse momenti. Opportunum igitur erit primo loco recensere codices nobis notos.

Codices a nobis collati cum textu Vaticanae editionis.

1. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15573. (olim Sorbonicus 81.), de quo locuti sumus supra pag. XVII sub num. 4. Commentario sancti Bonaventurae praemittitur alius prologus, qui incipit fol. 156. r. col. 1: *Fons sapientie verbum Dei in excelsis*, Eccli 1. *Sapientiam*, ait Eccli. 38. (25.) *Insinuans nobis, in quo precipue sit studendum et qualiter et quando.* Desinit: *Ubi in fonte suo bibitur aqua sapientie salutaris.* Hinc sequitur prologus ut in editis: *Diligite lumen sapientie* etc. Commentarius desinit fol. 189. v. col. 2. in fine: *Ad hanc magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster qui est benedictus in secula seculorum. Amen.* In initio fol. seq. v. ab alia manu eiusdem aevi notatur: *Iste liber est collegii pauperum magistrorum Parisiis in theologia studentium ex legato magistri Geroudi de abbatisvilla.* Inferius: *chatenabitur.* Adhuc inferius: *Hic continentur postille super libros sapientiales, scilicet Ecclesiasten, Parabolas Salomonis et Sapientiam.* — In nostra editione signatur littera A.

Commentarius est anonymus. Eo autem, quod praeter prologum editionibus et codicibus *communem: Diligite lumen sapientiae* etc., alterum illum praemittit, iam satis indicatur, praeter principalem auctorem operis alium quendam manus apposuisse,

cum praesumendum non sit, duplicem prologum scriptum esse ab ipso auctore. Neque dubium est, peculiaris illius prologi scriptorem iam habuisse ante oculos et alium prologum et aliud opus. Haec praesumtio plene confirmatur, si quis utrumque prologum inter se comparat. Auctor enim posterioris prologi genuinum meliore quo potuit modo, ast parum feliciter, in proprium usum transfert et ad textum Scripturae ab ipso praefixum applicat. Post verba supra relata continuat sic: « Inter humana enim studia precipue est studium sapientie. Nam, ut ait Hugo... Huic precipue studio precipui inter homines, id est aliorum vel presidentes aliis existentes, vel futuri rectores maxime debent intendere, id est firmiter retinende. *Describe eam*, ait Salomon, *in tabulis cordis tui*, scil. in tribus partibus divine imaginis, in memoria retinendo, intelligentia recogitando et voluntate amando, secundum illud Prov. 22: *Ecce descripsi* etc. Tempus vero huic studio aptum est tempus vacuitatis, id est vacationis ab occupationibus mundanis. Causa enim tripliciter hoc est bonum otium, quod reprehendit a luto et latere et paleis congregandis... Tale otium desiderat studium sapientie, quia qui immoratur actu in ea percipiet sapientiam, Eccli 38. Et quia in libro Sapientie precipue agitur de studio et amore sapientie, ideo in ipso studere debet (sic) tempore vacuitatis sue amatores sapientie ». — Iam haec, si comparantur prologo impresso (n. 2. et 3.), ostendunt, quod et quomodo scriptor iste usus sit originali. Sed magis hoc patet in his quae sequuntur, ubi tractat de quatuor causis huius libri. Sententiae et verba fere omnia paulo aliter ordinata descripta sunt ex originali, sed adaptata ad textum illum: *Fons sapientiae* etc. Brevitatis causa a describendo plura supersedemus.

Hoc igitur manifeste apparet, scriptorem additi prologi non esse auctorem operis originalis.

2. *Patavii*, bibliotheca S. Antonii, cod. 333. membr. in fol. saec. XIII. Praeter Commentarium in Sapientiam continet etiam postillas in Epistolas canonicas beati Pauli et in cap. 1. Evangelii sancti Ioannis. In Sapientiam incipit: *Diligite lumen sapientie omnes* etc. Desinit ut in editis, addito: *Explicit liber.* — Sign. litt. B.

Praeter hos codd. manuscriptos collata fuit etiam editio quaedam in 4. parvo impressa Venetiis 1574. — Sign. num. 1.

II.

Codices a nobis non collati.

3. *Basileae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. III. 20. Hunc codicem iam descripsimus supra pag. XVII sub n. 8. Commentarius in Sapientiam incipit fol. 115. r. col. 1. verbis: *Diligite lumen sapientie* etc. Sed alia manus saec. XIV. inuntis praemisit hanc rubricam: *Postille super librum Sapiencie secundum fratrem Iohannem de Verdiaco ordinis fratrum Predicatorum Bachilarium in theologia Parisiis.* Desinit fol. 145. v. col. 2: *ad hanc magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster, qui est benedictus in secula seculorum. Hic liber scriptus est anno ab origine mundi 6469 anno Domini 1267.* Haec eadem ultima verba scripta sunt in fine commentarii in Sapientiam codicis Parisiensis, 14429, olim sancti Victoris 553, de quo erit sermo infra num. 5, ex quo amanuensis huius codicis Basileensis hoc sine iudicio exscripsisse videtur. In hoc codice sequitur alia expositio in eundem librum Sapientiae eiusdem Ioannis de Verdiaco, quae incipit fol. 147. r., sed ab alia manu saeculi XIV. conscripta, sic: *Postilla super librum Sapientie eiusdem fratris Iohannis de Verdiaco: Trahitur sapientia de occultis, Iob 28.* Postea sequuntur: *Postille super Cantic. secundum fratrem Iohannem de Verdiaco ordinis Predicatorum, Bachilarium in theologia. Cantabo dilecto meo. Canticum triplex in novo legitur Testamento, scilicet canticum Zacharie, Marie et Simeonis.*

4. *Burdigalae*, bibliotheca Civitatis, cod. 38, de quo supra locuti sumus pag. XVII num. 9. Expositio in Sapientiam incipit fol. 57. r. Praemittit eundem prologum, quem habet cod. n. 1: *Fons sapientie verbum Dei in excelsis;* et omisso altero edito, continuat: *Dicit ergo: Diligite sapientiam* etc. Desinit fol. 92. r. col. 2: *Ad illam magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.*

5. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis cod. 14429. (olim Collegii sancti Victoris 553.) foliorum 206, quem codicem iam nominavimus supra pag. XVII num. 5. et pag. XXII n. 13. et hic superius n. 3. — Continet plures postillas in s. Scripturam praeter quoddam opus Hugonis a S. Victore et Prooemium S. Bonaventurae in II. librum Sententiarum; habet genuinam S. Bonaventurae Postillam in Ecclesiasten alteramque in eundem librum, tributam Gulielmo sive de Altona Ord. Praed., sive de Melitona. Etiam duplex commentarius in Sapientiam invenitur, sed reapse est idem, excepto uno prologo et inscriptione auctorum, ut iam observavit Echard. (loc. cit. pag. 245) qui etiam hunc codicem descripsit. P. Fidelis notat, eundem esse scriptum diversis manibus.

Folio 50. r. in extremo margine superiore, parvis litteris fere deletis, adhuc tamen legibilibus a prima manu forte exaratis habetur: *Super Sapientiam secundum Doctorem innominatum*, deinde litteris grandioribus, alternative rubris et caeruleis posterius efformatis: *Postille super Sapientiam Salomonis.* Hinc prima manus prosequitur: *Diligite lumen sapientie* etc. Desinit fol. 93. r. ut editi. Postea adduntur ipsissima verba, quae supra sub num. 3. retulimus ex codice Basileensi, scilicet: *Hic liber scriptus est anno ab origine mundi 6462. anno Domini 1267.* Post haec alia manus saec. XIV. addidit: *Explicit lectura super librum Sapientie secundum fratrem Nicholaum de Gorram de ordine fratrum Predicatorum.*

Fol. 155. r. incipit secundum exemplar eiusdem Postillae in Sapientiam, de qua P. Fidelis scribit: « In superiore margine parvis litteris valde detritis, sed legibilibus, a prima manu, ut puto: *Super sapientiam secundum fratrem Gulielmum de Melitona.* Dein maioribus litteris rubris et caeruleis: *Postilla super Sapientiam Salomonis* ». — Tamen Echard. (loc. cit.) hoc habet: « Immediate post superiorem sequitur: *Postilla super Sapientiam Salomonis;* in margine vero superiore litteris ex minio sic legitur: *super Sapientiam secundum Fratrem Gulielmum de Altona ordinis Fratrum Predicatorum.* Nescio quis postea sub hoc vocabulo *de Altona* scripsit *de Melitona;* sed alius punctis sub qualibet littera adiectis id delevit, nam is erat antiquitus mos delendi non legenda in codd. MS. vocabulis puncta subiicere. — Prologus: Fons sapientiae verbum Dei in excelsis, Eccli 1. Sapientiam, ait Ecclesiasticus 38, scribe in tempore nativitatis (sic) »... — Testimonium expressum Echardi de isto nomine non est reiiciendum, cum tempore ipsius litterae adhuc distinctius legi possent, et improbabile videatur, Guliel-

mum de Melitona *Ordinis Minorum* († 1260) istum prologum scripsisse. Convenit autem Echard. cum P. Fidele in hoc, quod deinde sequatur in codice prologus communis et Commentarius ut in editis. — De hoc codice plura infra.

6. *S. Audomari* (St. Omer) in Flandria, bibliotheca Civitatis, cod. 260. membr. in fol. saec. XIII, sed magna pars Commentarii est a recentiore manu saec. XV. conscripta. Incipit cum prologo: *Fons sapientie.* Desinit: *Ad illam magnitudinem nos perducat Iesus Xtus Dominus noster, qui est benedictus in secula. Amen. Explicit super Sapientiam.* Nomen auctoris desideratur.

7. *Toleti* in Hispania, bibliotheca Capitul., cod. Caion. 5. num. 5. membr. in fol. saec. XIII. ante finem. Praeter alia commentaria complectitur hanc expositionem in Sapientiam, quae incipit fol. 75. et desinit fol. 118. ut in editis, sed prorsus anonyma est.

8. *Trecis* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 667. olim E. 4. Claravallensis, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Commentarius in Sapientiam est mutilus, desinit enim cap. 19. v. 13. verbis: « non recipiebant hospites, vel quia male recipiebant, alii quidem, scilicet ipsarum ignotos non recipiebant advenas, unde Iob 31. ». Cfr. editio nostra tom. VI. pag. 231.

Tres igitur de iure auctoris competitores Ord. Praed. in codicibus adversus Bonaventuram proferuntur. Audiamus de hoc primo loco Echardum (loc. cit. pag. 245 b), qui quartum competitorem Fr. Ioannem de Versiaco (vide supra n. 3.) hic non nominat. « Ex his quaestio oritur, quis trium sit illa postilla; an S. Bonaventurae, an Nicolai de Gorran, an Gulielmi de Altona [an Ioannis a Versiaco]. In instrumento supra citato ex libro Rectoris prostabat venalis *Postilla F. Bonaventurae super Sapientiam;* unde quin aliquam scripserit, non dubito; sed an genuinam et ab eo scriptam habuerint Romani editores, id in controversiam vocari potest, praesertim cum illos certum sit plura ei supposuisse opera adulterina, et quorum postea cogniti sunt veri auctores. Adde, et vivo adhuc Bonaventura, scil. an. 1267, sub alterius nomine inter codices Adenulphi, viri gravissimi et S. T. magistri Parisiensis exstitisse. Nicolaum de Gorran etiam super *Sapientiam* scripsisse, dicetur postea, sed aliud indicatur principium. An non solum principium *Fons sapientiae* etc., sed et postilla integra sit Gulielmi de Altona, ex hoc solo codice argui non potest; videndi essent alii, quod mihi non est obvium, sed sperandum a peritioribus et curiosis bibliothecarum scrutatoribus dilucidandum aliquando et cuique quod suum est reddendum ».

Hoc bene dictum est. Adhibitis aliis a P. Fidele descriptis codicibus, hoc saltem tanquam certum statuere posse confidimus, nullam pro tribus competitoribus Ord. Praed. esse probabilitatem. Praescindimus ab eo, quod inter istos codices est de auctore contradictio, quae singulorum auctoritatem fere abolet; sed praeterea contra singulos competitores speciales gravesque rationes militant. Nicolai Gorrani nomen sequiore aetate in codice citato substitutum est antiquae inscriptioni « *secundum Doctorem innominatum* ». Praeterea idem scripsit aliam postillam in *Sapientiam*, cuius principium, teste ipso Echardo (pag. 439 b) est: « *Si delectamini in sedibus et sceptris, reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Reges populi*, id est maiores principes et praelati seculares. In verbis istis invitat Philo Sap. 6. iudices et praelatos etc. Finis: Magnificavit eum in conspectu et dedit illi coronam glorie, quam nobis concedat etc. Postilla Gorran super librum Sapientie ». — Cum igitur nec principium nec finis huius Postillae conveniat cum impressa, nec praesumendum sit, Gorranum bis in Sapientiam scripsisse; inscriptio nominis *Gorrani* nullam meretur fidem. Denique, ratione eorum habita, quae supra § 2. dicta sunt de hoc auctore, si aliqua similitudo inter utramque postillam inveniretur; concludendum esset, eum pro more suo usum esse alieno opere.

Quoad *Gulielmum de Altona* primo observandum est, in eodem codice ipsi falso attributum esse etiam Commentarium Bonaventurae in *Ecclesiasten* cum inscriptione: *secundum fratrem Gulielmum de Altona*, quod auctorem postillae indicare videtur. Sed cum ea quae sequitur Postilla in *Sapientiam, eisdem prorsus verbis* inscripta sit: *secundum fratrem Gulielmum de Altona ordinis Fratrum Praedicatorum* (Echard. pag. 245 b); testimonium huius codicis de primo errore iam convicti perdit fidem etiam quoad alteram assertionem. Posset tamen dici, illa verba *secundum fratrem Gulielmum...* non significare proprie *auctorem*, sed *fontem*, ex quo alius hauserit. — Denique iam monstravimus (supra ad cod. n. 1.), auctorem prologi *Fons sapientiae* etc., iam aliud originale ante oculos habuisse.

Restat tertius competitor, Fr. *Ioannes de Varsiaco* (Versiaco), qui, teste eodem Echardo (pag. 274), mortuus est Parisiis 1278, scripsitque praeter alias Postillam in *Sapientiam*, quae, ut idem dicit, « extat [in] cod. M. S. fol. membr. in biblioth. publica Basileensi, olim maximam partem nostra ». Principium et finem huius Postillae omittit Echard., sed notantur a nobis supra in descriptione cod. n. 3. — Sic observare possumus, quod in eodem codice eidem auctori alia et *diversa* postilla in *Sapientiam* tribuitur; quo iam satis probatur, nostram Postillam non esse ab ipso scriptam. Accedit, quod verba supra in descriptione codicis notata satis ostendunt, priorem illam Postillam transcriptam esse ex cod. Parisiensi sign. 14429. mutato tanto nomine *Gorrani.*

Minime igitur fidem merentur illi codices, qui hanc Postillam, quae certe post medium saec. XIII. scripta est, tribuunt vel Nicolao Gorrano, vel Gulielmo de Altono (Altona), vel Ioanni de Varsiaco.

Exclusis his competitoribus, non restat nisi ille « doctor innominatus ». Cum autem non tantum fide Ptolomaei Lucensis Ord. Praed. (§ 1.), sed etiam aliorum documentorum satis constet, nostrum Doctorem librum Sapientiae commentatum esse; praepropere iudicatum esset, si propter defectum antiquiorum testium opus voluissemus eidem abiudicare. — Nolumus tamen contradicere ei qui forte dixerit, originale huius Postillae fuisse ab aliis aliquatenus mutatum, sive in aliquibus diminutum, sive in aliis auctum. Cum enim in codicibus Commentariorum huius tomi a nobis collatis toties observaverimus, facta esse vel additamenta, vel lacunas, vel mutationes; cum etiam prologus primus in cod. A, ex genuino compilatus, manifeste ostendat, alienam manum suo modo usam esse originali; suspicari licet, similem quandam mutationem ipsius Postillae accidisse. Nec desunt pro hac suspicione indicia interna non spernenda. Saepius hic quam in aliis Commentariis auctor utitur Glossa, praesertim interlineari in minutis rebus, cum v. g. toties repetat: « *autem* pro *sed* »; saepius adhibentur ad ostendendum nexum orationis formulae *bene dixi*, vel *ita dixi*, quae illa aetate usitatae erant, quaeque interdum occurrunt etiam in Commentario Bonaventurae in Ioannem (cfr. n. 36. 37. 40. 48. 56.) et saepissime in

Commentario in Apocalypsim edito a Bonelli. Brevius solito etiam tractantur quaestiones scholasticae passim occurentes.

Haec tamen omnia non sunt tanti momenti, ut de hac re reddant rationem prorsus exploratam. Minutae enim hae differentiae satis explicari possent etiam hac suppositione non improbabili, quod S. Bonaventura iuniore aetate et ante alios suos Commentarios librum Sapientiae in scholis explicaverit.

§ 5. **De Commentario in Evangelium Ioannis.**

Prologus incipit: *Ecce, intelliget servus meus...* Cap. 1. incipit: *In principio erat Verbum... Iste liber, qui est de Verbo incarnato* etc.

Omnino constat, S. Bonaventuram scripsisse Postillam in Evangelium Ioannis. Praeter alia testimonia in indiculis (supra § 1.) relata habemus testes omni exceptione maiores tum *catalogum* antiquum (circa an. 1300) bibliothecae S. Fortunati Tudertinae, tum codicem perantiquum saec. XIII, quem protulit P. Fidelis a Fanna (*Ratio* etc. pag. 93 seqq.), de quo infra plura dicentur.

Iam monuimus (supra c. I. § 5.), Commentarium in Ioannem, qui habetur in editione Vaticana et subsequentibus, esse spurium, alterum autem genuinum et prorsus diversum editum esse a P. Benedicto Bonelli (*Supplementi* tom. I. col. 416. seqq.) doctisque notis illustratum.

Sed iam ante Bonelli idem opus fere integrum, sed valde amplificatum et hinc inde etiam immutatum typis traditum est sub nomine Fr. Nicolai de Gorran Ord. Praed. Editio haec, quae in magno volumine continet postillas Gorrani in quatuor Evangelia, facta est a Fr. Ioanne Pesselio Tilano apud Coloniam Agrippinam Dominicanae professionis, dedicata Carolo Geldriae et Iuliae duci, an. 1537 postridie Idus Martii apud Petrum Quentel. fol. Ornata est haec editio tum stemate illius ducis, tum imaginibus quatuor Evangelistarum eleganter ligno incisis. Editor ille conqueritur de vitiis codicum, quibus usus est, ita « ut nonnumquam, quatuor consultis exemplaribus, tandem ad coniecturam ingeniumque hiulca sive hiantia loca cogerer suffarcire ». — Hanc editionem ad manus habemus. Altera editio prodiit Antverpiae 1617 in folio apud Ioan. Keerberg, quam non vidimus.

Ut autem relatio, quae est inter hanc postillam et Bonaventurianam, perspiciatur, specimen quoddam exhibendum censuimus. *Prologus* omnino convenit cum edito a nobis, nisi quod textui nostro (n. 2.) post verba *omnibus diebus* bene additur *vitae suae* et passim aliquae lectiones differunt.

Sed in principio I. capituli n. 1. post verba: in secunda in comparatione ad ea quae dicuntur per Verbum: *Omnia per ipsum facta sunt,* addit: « Et quia hunc librum composuit contra haereticos destruentes coaeternitatem et consubstantialitatem Filii, ideo in prima parte ponit quatuor propositiones: prima est de Filii aeternitate; secunda de distinctione Filii a Patre; tertia de consubstantialitate Filii ad Patrem; quarta de coaequalitate Filii ad Patrem. Per primam, quae est: *In principio erat Verbum,* confutatur Nestorius et Claudius haeretici, praedicantes, Christum initium habuisse. Per secundam, quae est: *Et Verbum erat apud Deum,* confutatur Sabellius, qui dixit, Filium non esse distinctum a Patre. Per tertiam, quae est: *Et Deus erat Verbum,* confutatur Arius, qui dicebat, Christum esse puram creaturam et nullo modo consubstantialem et aequalem Patri. Per quartam, quae est: *Hoc erat in principio apud Deum,* confutantur omnes simul, quia ista propositio dicit, Filium esse coaeternum et consubstantialem et coaequalem Patri et personaliter distinctum a Patre. Dicit ergo: *In principio erat Verbum.* Ista propositio exponitur tribus modis. Primo sic: *In principio erat Verbum* ». (NB. Quae sequuntur non conveniunt cum S. Bonav.).

Item n. 9. post verba: *Omnia per ipsum facta sunt* etc., additur: « Postquam determinavit B. Ioannes de Verbo aeterno in comparatione ad dicentem, hic determinat de ipso in comparatione ad ea quae per Verbum dicuntur, et hoc quantum ad quatuor conditiones. Describitur enim primo ipsum Verbum ut principium creationis *sufficiens,* cum dicit: *Omnia per ipsum facta sunt;* secundo ut *indeficiens,* cum dicit: *Et sine ipso factum est nihil;* tertio ut *praecognoscens,* cum dicit: *Quod factum est in ipso vita erat;* quarto ut *aliis cognitionem praebens,* cum dicit: *Et vita erat lux hominum;* et quia non omnibus praebet cognitionem sui sicut sunt peccatores, ideo quinto dicit, quod peccatores cognitionem sui non comprehendunt, cum dicit: *Et lux in tenebris lucet et tenebrae* etc. Dicit ergo: *Omnia per ipsum facta sunt;* continuatur sic: ostensum est, quod Verbum habet rationem principii, et hoc quantum ad hoc quod ab ipso omnia, ideo sequitur: *Omnia per ipsum facta sunt; omnia,* scilicet visibilia et invisibilia, spiritualia et temporalia naturam conservantia, quod dicitur propter peccata, quae naturam non conservant, sed corrumpunt; *per ipsum,* supple Verbum, quod in principio erat apud Deum; *facta sunt,* supple a Deo Patre. Unde Eccli. 18: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul;* et hoc per Verbum (quae sequuntur conveniunt cum verbis S. Bonav.; excepto quod in n. 10. omittitur ultima propositio: *Et in hoc perfecte* etc., et in n. 11. pro ultimis verbis *et transmutatio omnis nonnulla mors est* substituuntur haec: Dicit ergo: *Quod factum est* etc.; continuatur sic: Si Verbum erat in principio, per quod facta sunt omnia et sine ipso factum est nihil eo quod sit ars et sapientia Patris, sequitur, quod omnia, quae facta sunt, prius facta fuerunt in eo ut in arte, sicut facta sunt in opere. Et hoc est *quod factum est,* id est omne factibile, *in ipso,* supple Verbo, quod vita est, *vita erat).* — Quaestionibus, quas S. Bonav. ponit, tres aliae a Gorrano praemittuntur. Simili modo in sequentibus modo exscribitur Bonaventura ita fideliter, ut nostram textus emendationem confirmet, modo alia multa adiiciuntur.

Attamen omnino certum est, Commentarium a nobis editum esse genuinum et integrum opus S. Bonaventurae. Integra fides habenda est codici saec. XIII. bibliothecae Ambrosianae (Mediolani), sign. A 11 superiore, ex quo multa exscripsit P. Fidelis a Fanna (*Ratio* etc., pag. 93-120). In illo recensentur plurium auctorum, sed prae ceteris Bonaventurae sermones, additis circumstantiis temporis, loci et nominis praedicatoris; rubricae singulis sermonibus superscriptae a P. Fidele loc. cit. publicatae sunt. Pag. 107 sub n. 141. legitur: « Item, sermo fratris Bonaventure in scholis Parisiis, quando incepit Ioannem. *Ecce, intelliget servus meus... sublimis erit valde* ». Schema huius sermonis ex codice illo a P. Fidele exscriptum et publicatum habetur etiam infra pag. 240, nota 1, cum nonnullis nostris observationibus. — His nunc addimus, eundem sermonem, sive potius prologum, haberi non tantum in duobus codd. P Q a nobis cum edito collatis, sed etiam in bibliotheca Carolopolitana (Charlesville) cod. 92. membr. in 8. saec. XIII. exeuntis, fol. 42, sermo 18. Habetur ille sermo hic diminutus et, ut videtur, *reportatus.* — Ille cod. P exstat *Basileae,* bibliotheca Civita-

tis, cod. B. IX. 32; est membr. in fol. minore saec. XIII. Incipit fol. 21. r. col. 2. ut in editis. — Alter vero cod. Q habetur *Tuderti*, bibliotheca S. Fortunati, sign. cod. 182. membr. in 8, in quo etiam alia opera S. Bonaventurae, de quibus egimu stom. V. prolegomena pag. XXVIII n. 15. et pag. XLV n. 1. Prologus ibi inscribitur: *Sermo de s. Ioanne evangelista: Ecce, intelliget servus meus* etc., et desinit verbis: *peditare debent cum agnis*. Hic tamen, exceptis nonnullis lectionibus variantibus, ita perfecte cum edito prologo convenit, ut non ex ore dicentis exceptus, sed ex originali transcriptus esse videatur.

Bene de S. Bonaventura promeritus est P. Bened. Bonelli, qui primus legitimum eiusdem Commentarium in Ioannem detexit, auctori suo multis rationibus vindicavit (Prodr. col. 641 seqq.) relationemque ostendit, quae inter hunc et Gorrani opus intercedit. Bonelli non cognovit genuini operis codices nisi tres. Primus fuit Romanus bibliothecae Angelicae Eremit. S. August., valde antiquus, in cuius fine prima manu scriptum erat: « Explicit Postilla optima super Ioannem edita a Domino Fratre Bonaventura cardinali ad usum Fratrum Minorum IK » (cfr. Prodr. col. 457 n. 39.). Secundo loco ille citat codicem Tudertinum anonymum, eundem, quem nos accurate cum editione contulimus (vide infra n. 14.). Tertius illo tempore fuit in bibliotheca Monasterii Heilbronnensi in Franconia, qui nomen S. Bonaventurae inscriptum habuit (cfr. Prodr. col. 424).

Pro edendo hoc Commentario Bonelli non usus est nisi codice Romano, passim adhibens editionem Coloniensem Commentarii a Gorrano compositi; insuper plurimas copiosasque notas ad calcem apposuit, quibus etiam nos saepe usi sumus.

Superfluum nobis visum est omnes repetere rationes a P. Bonelli in Prodromo et in I. tomo Supplementi pro S. Bonaventura auctore allatas, cum alia testimonia illi editori ignota nobis non desint, quae omne dubium dissipant.

Fide enim codicum constat *primo*, Commentarium Gorrani esse opus distinctum a Bonaventuriano, quod est brevius, antiquius et fere integre in alterum receptum. Inter 49 codices a nobis notatos sunt 26, qui explicite habent nomen Gorrani; quibus addendi videntur nonnulli alii anonymi. Verisimile tamen est, non omnes istos exhibere integrum illud opus. Observandum est, quod illi 26 codices inveniuntur in bibliothecis Germaniae et Austriae, et si qui pauci in Gallia inveniuntur, sunt anonymi. — Legitimus Bonaventurae Commentarius habetur certo in 13 codicibus nostris, quorum novem sunt anonymi. Fortasse etiam nonnulli alii anonymi potius habent Commentarium Bonaventurae paulo mutatum quam Gorrani.

Secundo constat, Bonaventurae tribuendum esse illum prologum a Gorrano integre receptum: *Ecce intelliget* etc., quem ille recitavit « in scholis Parisiis, quando incepit Ioannem ». Hoc bene confirmatur verbis Commentarii (c. 2. n. 6.): « *Metreta* dicitur a *metron*, quod est mensura, et vocatur hic mensura communis et usitata, sicut *Parisius sextarium vini dicimus* ». Cum autem *in scholis* tradita sit haec Postilla, verisimile est, eam factam esse ante an. 1257; et certo ante eam quae est in Evangelium Lucae.

Criteria interna, diffuse a P. Bonelli in Prodromo et in notis exposita, prorsus confirmant testimonia externa; quod facile intelliget qui versatus est in genuinis Bonaventurae operibus.

Propter intimam relationem, quam cum nostro Commentario habet opus Gorrani, in elencho codicum promiscue codices utriusque allegamus, licet distinguendi sint utriusque auctoris Commentarii. Nec dissentimus a Bonelli, qui (Prodr. col. 648) suam disputationem his verbis concludit: « Nihil in reliquis detractum [esse volo] clarissimo Gorrani nomini, utpote scriptoris egregii, quem nos quoque magni facimus ».

I.

Codices Commentarii in Evangelium S. Ioannis cum textu a P. Benedicto Bonelli edito a nobis collati.

1. *Cracoviae*, bibliotheca Universitatis, cod. 1393. AA. VIII. 12. membr. in folio saec. XIII. Incipit pag. 2 col. 1, cui alia manus saec. XIV. praemisit: *Postilla super evangelium sancti Iohannis*. Hinc inferius: *Ecce, intelliget servus meus et exaltabitur et elevabitur et erit sublimis valde. Quia commendatio auctoris redundat in opus* etc. Desinit pag. 157 col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Laus tibi est Xte, quoniam labor explicit iste.* — Signatur litt. H.

Est anonymus; sed convenit, paucis propriis lectionibus exceptis, cum codd. bibl. Florentinae et Monacensis.

2. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 373. membr. in fol. parvo saec. XIV. ineuntis. In chartula adnexa ad calcem folii secundi, exarata a manu saec. XV, praeter alia legitur: *Item Postille Bonaventure super Ioannem*. Eodem folio incipit Commentarius et prosequitur ut in edito. Post *amen* addidit primus scriptor: *Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste.* — Sign. litt. G.

De hoc cod. idem valet iudicium, quod de praecedente.

3. *Florentiae*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, cod. olim sanctae Mariae Novellae 848, modo vero numero mutato 363. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. In chartula adiecta legitur inter alia a manu saec. XIV. exarata: *Postile* (sic) *super Iohannem fratris Donati de Florentia, ordinis fratrum Predicatorum. Iohannis Parisiensis.* Et infra: *Istam Postillam super Iohannem emi ego frater Donatus ser Michaelis a fratre Antonio de Senis* (?), *tunc Priore sancte Marie, ordinis fratrum Predicatorum.* Et inferius fol. 1. col. 1. incipit prima manus: *Ecce, servus meus intelliget* etc. Desinit folio 71. r. col. 2. Eadem prima manus addidit: *Laus tibi sit Xste, quoniam labor explicit iste.* Identidem occurrunt notulae a scriptore sacculi XIV. exaratae. — Sign. litt. I.

Hic cod., sicut et duo seqq., licet plerumque satis conveniant cum Parisiensibus codicibus, fere semper easdem praebent lectiones speciales, quae etiam multoties exhibentur a cod. bibl. Monacensis, qui sign. M.

4. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, olim sanctae Mariae Novellae 645, modo 99. 465. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Complectitur plurium opera, quae manus saec. XV. notavit; fol. 1. inter alia habet: *Postilla super Iohannem*, manus adhuc recentior prosequitur: *secundum Dominum Hugonem.* Commentarius sancti Bonaventurae incipit fol. 144. r. sub titulo: *Expositio evangelii secundum Iohannem.* Hinc: *Ecce, intelliget* etc. Protrahitur usque ad fol. 225. v. col. 2. ut in editis; additur: *Laus sit tibi Xte*, ut in codice praecedente. — Sign. litt. K; vide n. 3.

5. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. olim sanctae Mariae Novellae 847, nunc vero 360. membr in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentarius sancti Bonaventurae sequitur Commenta-

rium eiusdem in Evangelium Lucae sub titulo recenter exarato: *Postilla in Iohannem*, col. vero 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 194. r. col. 2, manus saec. XV. addidit: *Postilla magistri Ioannis Parisiensis.* — Sign. litt. L; vide n. 3.

6. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca Regia, cod. 7940. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et nomine auctoris: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 60. v. col. 2. circa medium: *Ad quam vitam perducat nos Iesus Xtus, qui est per omnia secula benedictus. Amen. Sic finit.* — Sign. litt. M.

Non paucas proprias praebet lectiones; generaliter tamen convenit cum codd. bibl. Florentinae et quandoque cum uno alteroque cod. bibl. Parisiensis.

7. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 17783. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. sub hac inscriptione: *Gorra super Iohannem.* Hinc col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Commentarius valde est ampliatus fere per totum. Desinit ut in edito fol. 169. r. col. 2. in fine. Additur: *Explicit per manus et non per pedes;* alia manus prosequitur: *Magister Nicolaus de Gorra super Iohannem.* — Sign. litt. O.

Hic cod. exhibet Commentarium Nicolai de Gorran, sed cum lectionibus variantibus; unde sicut illa editio, habet fere integram Postillam nostram, in qua parte ordinario confirmat lectiones codicum nostrorum.

8. *Monasterii* in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 135. membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis. Commentarius incipit fol. 1. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 94. r. col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Alia manus saeculi XIV. addidit: *Expliciunt Postille magistri...* (nomen fuit abrasum) *super evangelium Iohannis.* Sequuntur Collationes Bonaventurae in eundem Evangelium, de quibus loquemur inferius. — Sign. litt. N.

Utrumque opus est anonymum. Praeter multas lectiones proprias peculiare ipsi est, quod tam cum cod. C bibl. Parisiensis, quam cum cod. bibl. Tudertinae, qui sign. E, convenit; tamen scatet vitiis librarii.

9. *Montis Alvernae*, bibliotheca Conventus, cod. membr. in fol. saec. XIV. post medietatem. Commentario praemittuntur haec verba ab alia, sed coaeva manu parvis litteris exarata: *Incipiunt Postille fratris Bonaventure super evangelium Iohannis. In festo sancti Iohannis evangeliste potest iste prologus predicari.* Deinde col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Codex hic multas habet falsas lectiones et identidem etiam maiores lacunas. Desinit fol. ultimo verso per haec verba: *Hic est finis istius operis. Deo gracias.* — Sign. litt. F.

Satis convenit cum codd. bibl. Florentinae, sed laborat hoc vitio, quod saepe verba et quandoque plures propositiones omittit.

10. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15680. membr. in fol. Post alia opera antiquioris aevi fol. 102. r. col. 1. incipit: *Ecce, intelliget servus meus* etc. A folio 126-145. alia, sed coaeva manus scribit. Desinit fol. 174. r. col. 2. Post *Amen* additur: *Laus tibi sit Xte, quoniam labor explicit iste.* — Sign. litt. A.

Hic inter quatuor Parisienses codices, qui omnes sunt saec. XIII, videtur esse antiquior et originali fidelior; non tamen expers est eorum vitiorum, quae fere omnibus illius aetatis manuscriptis sunt communia.

11. *Ibidem*, cod. 15593. membr. in fol. saec. XIII. circa medietatem. Commentarius sancti Bonaventurae incipit fol. 159. r. col. 1. et desinit fol. 226. v. col. 1; additur: *Explicit explanatio evangelii Iohannis.* — Sign. litt. B.

Satis convenit cum praecedente; tamen in eo vestigia alieni correctoris inveniuntur in minutis rebus, praesertim in modis citandi, ut textus reddatur clarior.

12. *Ibidem*, cod. 15599. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius incipit fol. 1. r. sub hoc epigrammate: *Assit principio sancta Maria meo. Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 51. r. col. 1. Post *Amen* additur tantum *Explicit.* — Sign. litt. C.

Hic inter Parisienses codices magis accedit ad editionem P. Bonelli et ad cod. E Tudertinum.

13. *Ibidem*, cod. 15592. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Post Commentarium card. Hugonis a S. Charo in Matthaeum aliumque prologum (fol. 135. r.), scil. eundem, qui praefixus est spurio Commentario (cfr. supra c. 1. § 5.). Prologus genuinus incipit fol. 136: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 185. v.: *Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen;* absque alia nota. — Sign. litt. D.

Habet optimas lectiones, interdum tales, ut ipsum solum secuti simus. — Praeter communem prologum habet plures alios; fol. 135. r.: *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila... In hoc verbo huius operis, scil. Evangelii.* Cum de obitu Ioannis quaedam fabula eisdem fere verbis narretur, quae legitur in editione Gorrani (expos. prologi Hieronymi), hic prologus fortasse ab ipso scriptus est, vel ab alio, qui opere Gorrani usus est in prologo scribendo. — Post finem Postillae (fol. 185. v.) alius est prologus eadem manu scriptus, qui incipit: *Abscondita produxit in lucem. Verbum istud, quod sumtum est* ex Iob 18, *licet exponatur generaliter* etc. Desinit fol. 186: *Sic igitur patent operis huius causae...* — Alius prologus incipit explicans prologum Hieronymi: *Hic est Ioannes: Quoniam secundum August., VII. de Civ. c. 7, finem rei concomitatur* etc. Est longior aliis et eadem narrat de obitu S. Ioannis. — Denique ultimus prologus incipit: *Ego sumam medullam cedri sublimis... Actor ab opere et opus ab actore ad invicem* etc. Hic in pluribus convenit cum prologo S. Bonaventurae.

14. *Tuderti* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Fortunati, cod. 65. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis. Commentarius sancti Bonaventurae in Evangelium Ioannis incipit, sine ullo titulo et nomine auctoris, fol. 37. r. et desinit fol. ultimo codicis ut in editione. — Sign. litt. E.

Codex hic est bonae notae, sed plerumque omittit id quod *moraliter* exponitur et saepe aliquos locos Scripturae, quando plures citantur; sed ad marginem habet copiosa additamenta, alia manu et parvis litteris exarata, quae etiam supplent id quod in textu codicis omissum est.

Codices Parisienses, excepto C, quasi unam familiam formant, quam plerumque secuti sumus; codices Itali quasi medium tenent inter Parisienses et ceteros. Non raro editio Gorrani confirmavit lectiones a nobis electas.

II.

Codices a nobis non collati.

15. *Alba-Carolinae* (Karlsburg) in Transsylvania, bibliotheca Batthyan, cod. H. 5. IV. 1. chart. in fol. minore saec. XIV.

exeuntis. Commentarius incipit fol. 1. r. ut editi, sed in decursu est saepe ampliatus vel interpolatus, sicut videtur fere in omnibus manuscriptis, quae hic inferius subiicimus. Desinit fol. 294. r.: *Gloriose et individue Trinitati, Iesu Xti crucifixe humanitati, beate Marie virgini matri sit laus et honor et gloria ab omni creatura in sempiterna secula seculorum. Amen.*

16. *Bambergae* in Bavaria, bibliotheca Civitatis, cod. Q. III. 13. chart. in fol. saec. XV. circa medietatem. In parte superiore folii primi praemittitur: *Gorra super Iohannem evangelistam.* Deinde col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Desinit folio 155. v.: *Domino Iesu adiuvante et auxiliante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* Hinc scriptor se prodit hoc modo: *Si* al *ponatur et* ber *associatur et* tus *addatur — Qui scripsit* Bic *vocatur* (Albertus Bic).

17. *Bremae*, bibliotheca Civitatis, cod. A. 27. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Commentarius incipit fol. 2. r., ubi praemittuntur haec verba: *Assit ad inceptum sancta Maria meum. Incipit Gorra super Iohannem.* Desinit folio ultimo ipsissimis verbis codicis praecedentis. Dein additur: *Expliciunt dicta super evangelia Iohannis. Orate pro scriptore.*

18. *Cracoviae*, bibliotheca Civitatis, Ms. 1317. A. A. VII. 7. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit pag. 1 col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit pag. 289: *Ipso adiuvante, qui vivit in secula seculorum. Amen.* In chartula asseri interius adnexa legitur: *Gorra super Iohannem.*

19. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, Ms. 1316. A. A. VII. 8. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Pagina 1 habetur: *Incipit prologus in Iohannem. Dicta Gurrani. Ecce, intelliget* etc. Desinit pag. 304 ut praecedens codex; additur: *Expliciunt dicta Gurre super Iohannem, sub anno nativitatis Domini...* Reliqua desiderantur.

20. *Ibidem*, Ms. 1336. A. A. VII. 9. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit pag. 1 et desinit pag. ultima ut codex praecedens, additur: *Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste. Expliciunt dicta Nicolay de Gorran super evangelia Iohannis apostoli et evangeliste.*

21. *Ibidem*, Ms. 1338. A. A. VII. 10. chart. in fol. Incipit pag. 1 et desinit pag. 222. Post *amen* additur: *Laus tibi virgo, pia genitrix virgoque Maria. Explicit Gorran super evangelia Iohannis evangeliste. Anno Domini millesimo CCCC°. II°. feria IIII°. post diem sancti Marci.*

22. *Chremisani* (Kremsmünster) in Austria, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 223. chart. in fol. Incipit fol. 1. col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Expositio prologi sancti Hieronymi valde protrahitur. Commentarius desinit fol. 134. sub verbis: *Expliciunt dicta Gorre super evangelium Iohannis iam finita per Iohannem presbyterum anno Domini M. CCCC. XIII. in die decollationis sancti Iohannis Baptiste..*

23. *Gorlitii*, bibliotheca Civitatis, cod. A. B. 126. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 125. v. col. 2: *Domino Iesu adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Et gloriose et individue Trinitati, Iesu Xti crucifixi humanitati, beate Marie virgini matri sit honor, laus et gloria ab omni creatura in sempiterna secula. Amen. Respice peccator — Si non verus amator — Nam te morti gravi — Moriendo vivificavi.*

24. *Lambaci* in Austria superiore, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 119. chart. Folio 1. r. habetur: *Incipitur Gorra super Iohannem;* saepe saepius interpolatur, et desinit fol. 139. r. col. 1. sub rubrica: *Expliciunt dicta Gorre super evangelia Iohannis evangeliste per manus Mathie Funca feria secunda post vincula sancti Petri. Budecz, anno millesimo quadringentesimo, mensis februarii.*

25. *Moguntiae*, bibliotheca Publica, cod. chart. 4. progress. XXVIII. in fol. Incipit folio 2. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 102. r. col. 2: *in sempiterna secula. Expliciunt dicta egregi doctoris Gorre de Lyra* (!) *super evangelio Iohannis.* Postea sequitur: *Reportata per Iohannem dictum Hoppen sub anno Domini MCCCLXXXVII. in vigilia Bartholomei apostoli..*

26. *Neoburgi* (Klosterneuburg) in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. 489. chart. in folio. Commentarius incipit fol. 128. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus.* Desinit fol. ultimo r.: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Expliciunt dicta Gorram super evangelium Iohannis, finita in civitate Vienensi per manus Bartholomei, conscripta fideliter et continuata, anno Domini LXXXV* (1385).

27. *Olomutii* in Moravia, bibliotheca Regia, Ms. I. B. 29. chart. In fol. non numerato incipit post alia duo opuscula et desinit ut in edito. Post duo *amen* additur aetas codicis his verbis: *Iam sum liber, quia finitus est liber annis millenis tercenis octogenis VI°. hoc scriptum sancti Iacinti tertio idus...* ultima verba desiderantur.

28. *Ibidem*, Ms. II. D. 18. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 2. r. col. 2: *Ecce, intelliget* etc. Desinit fol. ultimo cum hac additione: *Explicit* (sic) *dicta Gorre super Iohannem, bona et correcta.*

29. *Pelplini*, bibliotheca Seminarii, cod. V. K. f. 2. chart. in folio. Titulatur: *Super Iohannem*, sed manus posterioris aevi addidit: *Nicolaus de Gorra.* Hinc columna prima: *Ecce, intelliget* etc., prosequitur ut in editis. In fine post triplex *Amen* additur: *Sacrosancte gloriose* etc., ut iam in aliis notavimus, deinde: *Anno Domini M. CCC. LXXX. VII. finitus est iste liber per manus cuiusdam in die sancti Bartholomei die sabati in domo pauperum reportatus propter* etc. Tandem alia manus: *Venit in Pelplyn MCCCCXXVI.*

30. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. V. K. d. 16. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 125. r. col. 1. ante medium: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Gorra. Expliciunt dicta super evangelio Iohannis.*

31. *Pragae*, bibliotheca Universitatis, cod. I. B. 35. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Initio fol. 1. praemittitur: *Thema magistri Gorre super Iohannem exhortationis ante prologum.* Deinde col. 1: *Ecce, intelliget* etc. Desinit fol. 150 r. col. 2. his verbis: *Expliciunt dicta Gorre fratris Nicolai super Iohannem.*

32. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. IV. B. 7. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. ab expositione prologi sancti Hieronymi: *Hic est Iohannes evangelista*, et desinit fol. 116. r., cui scriba posterior subiicit: *Expliciunt dicta Gorre super Iohannem; correxi, sicut potui: orate pro me Deum.* Item alius adhuc recentior: *Etiam ego correxi, sicut potui. Anno 1461.*

33. *Ibidem*, cod. IV. C. 16. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 148. r. col. 2. per verba: *Expliciunt postille Gorre super evangelia Iohannis finales.*

34. *Ibidem*, cod. X. C. 14. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et desinit fol. 136. v. col. 1. ut in editione. Scriptor in fine se nominat hoc modo: *Bartholomeus. Finito libro in vigilia sancti Bartholomei, sit laus et gloria Xto in die ipsius. Expliciunt dicta Gorre super evangelium Iohannis.*

35. *Ibidem*, cod. I. E. 19. saec. XIV. exeuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Ecce, intelliget* etc.; desinit folio ultimo verbis: *Quod autem dictum est: sic eum volo manere* (cap. 21. n. 53. editionis nostrae). Cetera fuerunt avulsa.

36. *Ibidem*, bibliotheca Capituli metropolitani, cod. A. XCIII. Incipit fol. 1. r. non numerato et desinit ut in edito. Additur: *Expliciunt dicta super Iohannem venerabilis magistri Iohannis* (sic) *Gorre, anno Domini millesimo.* Ita hic terminat scriptor, sed ad calcem operis immediate sequentis notavit: *anno Domini M°CCCC°. decimo.*

37. *Ibidem*, bibliotheca Musaei nationalis, cod. III. B. 8. membr. in fol. saec. XIV. circa medietatem. Commentarius incipit fol. 1. r. sine ullo titulo et sine nomine auctoris. Desinit fol. r. col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

38. *Ratisbonae*, bibliotheca Civitatis, cod. 382. chart. et membr. mixtim in fol. saec. XIV. exeuntis. Praefert in initio fol. 1. r.: *Incipit Gorram super evangelium Iohannis*, et fol. 142. r. post *Amen* legitur: *Laus tibi sit Xte, quoniam liber explicit iste: in vigilia sancti Nicolai, anno Domini M.° 380. Expliciunt dicta Nicolai de Gorram super evangelium Iohannis.*

39. (Raigern) in Moravia, bibliotheca Monasterii ordinis sancti Benedicti, cod. 410. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Commentarius in Evangelium Ioannis excurrit a folio 1. r. ad fol. 132. r. col. 2. Est prorsus anonymus et sine titulo.

40. *Regimontii* in Borussia, bibliotheca Regia, cod. 1273. chart. in folio. Praemittitur: *Gorra super Iohannem*, et fol. ultimo subiicitur: *Expliciunt dicta super Iohannem reverendi magistri Nicolai de Gorra, finita anno ab incarnatione Domini MCCCLXXXIIII. Finitus in die Martine martiris.*

41. *Remis* in Gallia, bibliotheca Publica, cod. B. 93. 106. membr. in fol. parvo saec. XIV. ineuntis. Incipit fol. 1. r. col. 1. sine ullo titulo: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 101. v. col. 1: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Finito libro, reddantur vina magistro.*

42. *Romae*, bibliotheca Angelica, cod. R. 8. 4. membr. in fol. minore saec. XIII exeuntis. Incipit et desinit ut edita, fini additur: *Explicit postilla optima super Iohannem edita a fratre Bonaventura de Balnoregio ordinis fratrum minorum, cardinali ad usum fratrum minorum.* I K. — De eodem cod. cfr. P. Bonelli (Prodr. col. 457), qui hoc solo in editione sua usus est.

43. *Sancti Floriani* in Austria, bibliotheca Monasterii Canonicorum regularium, cod. XI. 41. chart. in fol. saec. XIV. exeuntis. Fol. 1. r. col. 1. praemittitur: *Incipit Gorra super Iohannem. Ecce, intelliget* etc., et fol. 206. r. col. 2: *Explicit Gorra super Iohannem per manus Michahel* (sic).

44. *Trecis* in Gallia, cod. 1410. iam descriptus supra pag. XVIII n. 22. Commentarius in Ioannem incipit fol. 2. r. et desinit fol. 94. v. ante medium, additis sequentibus verbis: *Laus tibi sit Xte, quoniam labor explicit iste.* Nomen auctoris desideratur.

45. *Turonis* in Gallia, cod. 127. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius incipit fol. 1. r. col. 1. sine ullo titulo, desinit: *Ipso adiuvante, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

46. *Vindobonae*, bibliotheca Palatina, cod. 3765. chart. in folio. Commentarius excurrit a fol. 1. r. col. 1. ad fol. 166. r. col. 1. et clauditur his verbis: *Expliciunt evangelia Iohannis comentisata* (!) *per reverendissimum magistrum Gorram. Finita anno Domini millesimo CCC.° octogesimo octavo mensis Iunii.*

47. *Ibidem*, cod. 4866. chart. in fol. saec. XV. ineuntis. Antiqua manus praemisit haec verba: *Emi a facultate medicine; detur pro libraria domus Collegii*, 1449. Ad calcem vero sequuntur haec alia: *Explicit Gorra super Iohannem.*

48. *Weimarii*, bibliotheca Ducalis, cod. fol. 15. chartaceus. Commentarius incipit fol. 1. r. col. 1: *Ecce, intelliget servus meus* etc. Desinit fol. 121. v. col. 1. sub hac clausula: *Expliciunt dicta Gorre super Iohannem. Anno Domini millesimo CCC.° octogesimo quarto in die Symonis et Iude Appostolorum* (sic).

49. *Wratislaviae*, bibliotheca Universitatis, Class. I. cod. 69. chart. in fol. saec. XV. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 115. r. col. 2. Additur: *Expliciunt dicta Gorre super evangelium Iohannis.*

§ 6. **Collationes in Evangelium Ioannis.**

Aliae *Collationes in Ioannem*, sed falso S. Bonaventurae attributae et Ioanni Guallensi Ord. Min. probabilissime restituendae, impressae sunt in editione Vaticana (tom. II.) et aliis subsequentibus. Sed genuinae, prorsus ignotae et a praedictis diversae, inventae sunt a P. Fidelo a Fanna, quae ita spirant ingenium et stilum seraphici Doctoris, ut vix indigeant testimonio codicis Toletani, cuius testimonii fac-simile infra exhibemus.

Pretiosae hae *Collationes* nequeunt recenseri inter Commentarios sacrae Scripturae, cum sint potius vel schemata quaedam sermonum vel breves annotationes, quae multos versus huius Evangelii adaptant ad usum praedicatorum. Attamen tam intima est relatio inter has Collationes et Commentarium, ut eas seiungere non expediat.

Notatu dignum est, in genuinis sermonibus nostri Doctoris tomis IX. et X. edendis inveniri sententias, divisiones et auctoritates easdem, quae in his Collationibus habentur; quod accuratiore sermonum examine, ut putamus, magis adhuc confirmabitur. Hinc nobis videtur probabile, S. Doctorem, qui continuo s. Scripturam meditabatur et frequentissime praedicabat, pro proprio proxime usu has Collationes et annotationes meditando hoc Evangelium conscripsisse et fortasse etiam alias in aliorum sacrorum librorum lectione; cuius exemplum habemus illam collationem in Lucam c. 3, 6. (pag. 631). Post certo genuinas Collationes in codicibus nostris sequuntur exigua quaedam additamenta, de quibus dubitari potest, utrum sint legitima; unde ea reiecimus in appendicem.

1. *Toleti* in Hispania, bibliotheca Capituli, Caion. 5. cod. 22. membr. in fol. minore saec. XIII exeuntis, vel XIV. ineuntis, ut videre est infra in specimine chimice impresso. Collationes incipiunt fol. 176. v. col. 2. in initio sub titulo: *Incipiunt collationes super evangelium Iohannis a fratre Bonaventura generali ministro fratrum minorum edite. In principio erat verbum* etc. Desinunt verbis: *salus invisibilis et salutaris.* In ultimo fol. r. ad calcem est inscriptio saec. XIV. partim rasa, cuius haec verba legi poterant: *Iste liber est fratris Stephani... Ordinis fratrum minorum de Provincia Francie inferioris.* —

Correctiones ad marginem sunt factae alia manu eiusdem aevi. — Sign. litt. A.

2. *Monasterii* in Borussia, bibliotheca Paulina, cod. 135, de quo locuti sumus supra pag. XXIII n. 8, est membr. in fol. parvo saec. XIII. exeuntis vel XIV. ineuntis. Collationes incipiunt fol. 95. r. col. 1: *In principio erat verbum* etc. Desinunt fol. 120. col. 2: *salus visibilis et visio salutaris. Finitur. Amen.* — Sign. litt. C.

3. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 1298. membr. in fol. minore saec. XIV. ineuntis. Collationes in Evangelium sancti Ioannis sequuntur expositionem sancti Bonaventurae in Evangelium sancti Lucae. Incipiunt: *In principio erat verbum* etc. Desinunt: *salus invisibilis et visio salutaris*, ut in duobus praecedentibus codicibus. — Sign. litt. B.

Codice A, ab ipso P. Fidele exscripto, usi sumus pro fundamento nostrae editionis. Ipse est satis correctus, nisi quod non raro laborat solito codicum vitio omittendi ea quae in medio eorundem vocabulorum habentur. Hae lacunae suppleri poterant utroque codice B C, praesertim vero cod. B. Cod. C ab aliis recedit in eo, quod dubie vel breviter dicta aliis verbis solet interpretari, sed tantum in rebus minutis, quia quoad sententias, exceptis librariorum negligentia omissis, cum aliis plene convenit. Nullus trium codicum ab alio dependet ut apographum, quia singuli suas proprias lectiones habent nec in praetermissionibus convenire solent, sed invicem se corrigunt et supplent. Hac excellenti horum codicum proprietate, qua repraesentantur quasi tres codicum familiae, praestatur sponsio pro sinceritate textus nostri.

§ 7. **De indole et praestantia Commentariorum S. Bonaventurae et de nostra editione.**

Iudicandi sunt hi Commentarii secundum normam, quam communiter expositores illius aetatis, et inter alios innumeros B. Albertus, S. Thomas et card. Hugo a S. Charo sequebantur. Quaestiones illae philologicae, historicae, criticae, quae in recentioribus Commentariis abundant, in his Commentariis tantum obiter, et prout per media illius aevi fieri potuit, tractantur, non tamen penitus negliguntur. Expositor noster totus fere versatur in sensu sententiarumque nexu sacri libri eruendis et ad usum praedicatorum praeparandis. Dictum est de Commentariis nostri Doctoris, nimis eum versari circa sensum mysticum quaerendum. Sed qui hoc censuerunt videntur attendisse praecipue ad opera spuria editionis Vaticanae. Legenti enim genuinos huius voluminis Commentarios ad oculos patet, mysticam in eis expositionem admodum exiguam eorum partem occupare, et hanc plerumque ad *moralem* (tropologicam) applicationem spectare. Bonaventura sibi constans praecipue litteralem sensum exponere conatus est tanquam aliorum fundamentum, sicut docuit in Breviloquio (Prolog. § 6.), « quod non potest quis de facile (ad absconditum sensum) pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et litteram Bibliae commendet memoriae, alioquin in expositione Scripturarum nunquam poterit esse potens. Unde sicut qui dedignatur prima addiscere elementa, ex quibus dictio integratur, nunquam potest noscere nec dictionum significatum nec rectam regulam constructionum; sic qui litteram sacrae Scripturae spernit ad spirituales eius intelligentias nunquam assurget. — Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda » etc.

Inter Scholasticos viguit consuetudo, librum Scripturae exponendum non tantum in partes generales distribuere, sed etiam has multipliciter usque ad singulos fere versus subdividere; id quod cum S. Thoma et B. Alberto aliisque etiam noster Doctor magno et subtili studio facere consuevit. Haec methodus nostra aetate non placet, et vix invenitur aliquis, qui tot divisiones memoria retinere possit, et non potius harum numero obruatur ac confusionem quandam experiatur. Huic incommodo occurrere conati sumus duplici medio. In textu praeter divisiones capitulorum principaliora auctoris divisionum membra nostris rubricis distinximus, ultima vero ad marginem notavimus. Insuper post Commentarios in scholio per modum schematum has divisiones sub uno conspectu proposuimus.

Praecipua nostra cura fuit, ut ipsum textum originalem, ope codicum, quantum fieri potuit, restitutum, correcte typis exprimeremus. Altera cura et non nisi improbo labore solvenda fuit, ut *fontes*, quibus auctor usus est, indicemus. P. Bened. Bonelli in edendo tertio Commentario sententias plurimorum commentatorum et catholicorum a saec. XVI. usque ad XVII. in notis apposuit. Quem laborem si continuare voluissemus usque ad nostram aetatem, ardua haec res et vires nostras excederet et aliena esset ab officio editorum. Omissis igitur eiusmodi notis, a P. Bonelli Commentario in Ioannem appositis, potius supplevimus defectus et lacunas ab eodem in fontibus citandis ibidem relictos; quoad praecedentes duos Commentarios labor hic fere a principio a nobis praestandus erat. Non raro etiam synchronos commentatores, scil. B. Albertum, S. Thomam et card. Hugonem a S. Charo, praesertim in Commentario in Ioannem allegare placuit.

Quod sacram Scripturam interpretari, « ad proprios sensus *contorquens* », nemo audeat, neque « contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum »; constitutum est a Synodo Tridentina (Sess. IV. De editione et usu s. Script.). Haec regula catholica in Commentariis S. Bonaventurae et coaevorum auctorum sic praevalebat, ut ad tramites Ss. Patrum totam fere expositionem dirigerent et sine auctoritate eorum vix no um aliquid in medium proferre auderent. Notum est, quanta auctoritate apud Scholasticos frueretur utraque *Glossa*, scil. *ordinaria* et *interlinearis*, propter hanc rationem, quia ex Patribus collectae, vel secundum eosdem factae erant. Omnium illius aetatis expositionum quasi fundamentum, super quo Commentarii diversi, adhibitis aliis Patrum testimoniis, communiter construebantur, sunt Glossae. Hinc magna illa Commentariorum antiquorum quoad substantiam similitudo.

Praeter utramque Glossam S. Bonaventura in operibus huius tomi diversis auctoribus usus est. De fontibus Commentarii in *Ecclesiasten* iam locuti sumus in scholio nostro infra pag. 99. — Ipsae *Glossae* ad librum *Sapientiae* magna ex parte sumtae sunt de expositione *Rabani*, quam etiam noster Commentarius plerumque sequitur. — In Commentario in Evangelium Ioannis auctor noster breviter refert fere omnia, quae Ss. Augustinus et Ioan. Chrysostomus de eodem Evangelio scripserunt; quod satis patet ex notis a nobis ad calcem positis. Praeterea non raro citat quendam *Victorem*, de quo nullibi certam notitiam a principio invenire potuimus. Postea vero incidimus in duo testimonia Alcuini pag. 277, nota 11. (cfr. pag. 246, nota 7.) relata, quae allegant duo opera nunc ignota, quae scripsit *Victor, episcopus Capuae*. Verisimile est, ad hunc Victorem Capuanum spectare allegationes S. Bonaventurae. Etiam auctor spurii Commentarii in Apocalypsim interdum citat quendam *Victorem*.

TABULAE

COLLATORUM CODICUM OMNIUM OPERUM

HUIUS SEXTI TOMI.

I. *Adhibiti pro Commentario in librum Ecclesiastae:*

A. . Cod. Assisiensis (bibliotheca sacri Conventus) num. vacat (n. 1. [1]).
B. . . . » Erlangensis (biblioth. Universitatis) 268. (n. 3.).
C. . . . » Tudertinus I. (biblioth. Conventus s. Fortunati) 68. (n. 7.).
D. . . . » Tudertinus II. (biblioth. Conventus s. Fortunati) 9. (n. 6.).
E. . . . » Parisiensis I. (biblioth. Nationalis) 15573. (n. 4.).
F. . . . » Cracoviensis (biblioth. Universitatis) A. A. XII. 2. (n. 2.).
G. . . . » Parisiensis II. (biblioth. Nationalis) 14429. (n. 5.).

II. *Adhibiti pro Commentario in librum Sapientiae:*

A. . Cod. Parisiensis (bibliotheca Nationalis) 15573. (n. 1.).
B. . . . » Patavinus (biblioth. S. Antonii) 333. (n. 2.).
Editio Veneta 1574.

III. *Adhibiti pro Commentario in Evangelium S. Ioannis:*

A. . Cod. Parisiensis I. (bibliotheca Nationalis) 15680. (n. 10.).
B. . . . » Parisiensis II. (biblioth. Nationalis) 15593. (n. 11.).
C. . . . » Parisiensis III. (biblioth. Nationalis) 15599. (n. 12.).
D. . . . » Parisiensis IV. (biblioth. Nationalis) 15592. (n. 13.).
E. . . . » Tudertinus (biblioth. Conventus s. Fortunati) 65. (n. 14.).
F. . . . » Montis Alvernae num. vacat (n. 9.).
G. . . . » Erlangensis (biblioth. Universitatis) 373. (n. 2.).
H. . . . » Cracoviensis (biblioth. Universitatis) 1393. A. A. VIII. 12. (n. 1.).
I. . . . . » Florentinus I. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) Conv. soppr. 363. (n. 3.).
K. . . . » Florentinus II. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) » » 465. (n. 4.).
L. . . . » Florentinus III. (biblioth. Mediceo-Laurentiana) » » 360. (n. 5.).
M. . . . » Monacensis I. (biblioth. Regia) 7940. (n. 6.).
N. . . . » Monasteriensis (biblioth. Paulina) 135. (n. 8.).
O. . . . » Monacensis II. (biblioth. Regia) 17783. (n. 7.).

IV. *Adhibiti pro Collationibus in Evangelium S. Ioannis:*

A. . Cod. Toletanus (biblioth. Capituli) Caion. 5. n. 22. (n. 1.).
B. . . . » Romanus (biblioth. Vaticana) 1298. (n. 3.).
C. . . . » Monasteriensis (biblioth. Paulina) 135. (n. 2.).

---

[1] Numeri intra parenthesim inclusi indicant locos, ubi codd. in respectivis §§ describuntur.

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COMMENTARIUS IN ECCLESIASTEN

PROOEMIUM

COMMENTARII IN ECCLESIASTEN

Introductio generalis.

1. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit in vanitates et insanias falsas*[1]. Cum, sicut vult beatus Dionysius, bonum sit primum appetibile; bonum autem sit duplex, temporale scilicet et aeternum, iuxta illud secundae ad Corinthios quarto[2]: *Quae videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna:* duplicem in nobis generat amorem sive appetitum, scilicet *caritatis* et *libidinis*, ut caritas sit amor rediens ad aeterna, libido ad terrena. Et quia convenientiam et differentiam *appetituum* sequitur convenientia et disconvenientia *morum;* et secundum convenientiam in legibus et moribus consistit *unitas civitatis:* ex hoc duplici amore duplex oritur *civitas*, civitas scilicet supernae Ierusalem et civitas Babylonis[3]. Primae fundamentum est caritas ordinata, secundae, libido perversa. Superna igitur civitas, quia fundata est in caritate, quae erigit ad aeterna, in aeternis quiescit et in eis beatitudinem ponit. Babylonis vero civitas, quae per libidinem deprimitur ad terrena, in his terrenis beatitudinem ponit. — Et sic relinquitur ex praedictis, quod sicut duplex est *bonum*, sic duplex est *amor*, sic duplex *civitas*, sic etiam *beatitudo* duplex, vera scilicet in aeternis, falsa in temporalibus et caducis; Psalmus[4]: *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt* etc. — Et sicut amor caritatis et libidinis sic obviant sibi, ut simul esse non possint; sic hae duae beatitudines; Matthaei sexto: *Nemo potest duobus dominis servire.* Ideo, si quis vult esse beatus, necesse est, ut futura bona diligat et contemnat praesentia. Ideo Spiritus sanctus per Psalmistam virum beatum ab hoc duplici actu describit: a supernorum dilectione, quae faciunt *beatum*, cum dicit: *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius;* et a terrenorum aspernatione, quae faciunt *vanum*, cum dicit: *Et non respexit in vanitates et insanias falsas.* Vere *beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.*

Duplex bonum. — Duplex amor. — Duplex civitas. — Duplex beatitudo. — Invicem se excludunt. — Beatus describitur a duplici actu.

2. Solus autem Dominus beatificat, nec est aliud nomen sub caelo, quod beatificet. Solus enim Dominus est beatus *per essentiam*; primae ad Timotheum sexto[5]: *Serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium.* Illi ergo soli inest beatitudo et potentia per essentiam, beatitudo autem nostra est *per participationem;* secundum quod est per participationem, ortum habet ab illo quod est per essentiam: ergo beati sumus participantes fontem beatitudinis, qui est Deus. Ideo Apocalypsis decimo nono[6]: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Primo enim Deus per desponsationem beatitudinem communicat Agno, per consequens his qui ab Agno sunt vocati.

De 1. actu. — Ratio 1.

3. Solus etiam habet *affluentiam;* quia de Sapientia, quae Deus est, dicitur singulariter Proverbiorum tertio[7]: *Pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari.*

Ratio 2.

---

[1] Psalm. 39, 5. — Sententia Dionys. insinuatur de Div. Nom. c. 4. § 4. 10. et 31.

[2] Vers. 18. — De duplici amore vide August., XI. de Gen. ad lit. c. 15. n. 19. seq.; 83 Qq. q. 36. n. 1. et XIV. de Civ. Dei, c. 28. Libido, quae etiam cupiditas ab August. nominatur, ab ipso in lib. de Mendacio, c. 7. n. 10. definitur: Appetitus animi, quo aeternis bonis quaelibet temporalia praeponuntur. — Inferius pro *rediens* F *reducens*. Sed hic cod. repraesentat textum a Fr. Nic. Gorrano O. P. interpolatum et passim mutatum; quod aliquo modo etiam de A dicendum est. Hinc passim omisimus in sequentibus notare illas horum duorum codicum variantes lectiones, quae recedunt a lectione aliorum.

[3] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 64. n. 1. seq.; XV. de Civ. Dei, c. 1. seq.

[4] Psalm. 143, 15; deinde Matth. 6, 24.

[5] Vers. 14. seq. — Paulo superius respicitur Act. 4, 12: Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

[6] Vers. 9. — Inferius pro *desponsationem* sola Vat. *dispositionem*. Illud verbum respondet *nuptiis Agni*.

[7] Vers. 15. 16; deinde v. 18; denique Sap. 7, 11. — In seqq. respicitur definitio beatitudinis data a Boethio, III. de Consol. prosa 2: Beatitudo est status bonorum omnium congregatione perfectus.

Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria. Beatitudo autem nostra est per *bonorum omnium aggregationem:* ergo in eo solo est, qui habet omnium affluentiam. Ideo infertur statim: *Lignum vitae est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam, beatus;* Sapientiae septimo: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* etc.

4. Solus habet *intransmutabilitatis quietem,* Ratio 3. quia omnia variantur, sed ipse non variatur; Iacobi primo [1]: *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Beatitudo autem nostra est per bonorum congregatorum *tranquillam possessionem,* quia sine pace beatitudo esse non potest. Cum igitur in nullo sit perfecta tranquillitas nisi in Deo, non possumus ergo pacificari nec beatificari nisi in Deo; unde Apocalypsis decimo quarto [2]: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*

5. Solus etiam habet *aeternitatis immortalita-* Ratio 4. *tem,* sicut dicitur primae ad Timotheum ultimo [3]: *Qui solus immortalitatem habet et lucem habitat inaccessibilem.* Beatitudo autem nostra est per bonorum possessorum *interminabilem durationem.* Status enim, qui finiri potest, beatus non est, sed miseriae subiacet. Cum igitur interminabilitatem non possit quis habere nisi a fonte immortalitatis, in eo solo beatificatur; ideo dicitur in Psalmo [4]: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te,* quia eorum erit laetitia sempiterna; Isaiae trigesimo quinto: *Venient in Sion cum laude, et laetitia sempiterna super capita eorum; gaudium et laetitiam obtinebunt. — Beatus* igitur *vir, cuius est nomen Domini spes eius.*

6. Sed non beatus, immo profecto *vanus* est De 2. actu. qui sperat in *mundo;* respicit enim *in vanitates et insanias falsas:* ideo evanescit, secundum illud Ieremiae secundo [5]: *Elongaverunt a me patres vestri et abierunt post vanitatem, et vani facti sunt;* Vanitas mundi. Ratio 1. post vanitatem, id est post mundum. — Mundus enim cum suis vanus est, quia non praebet *fulcimentum innitenti;* unde Isaiae trigesimo: *Aegyptus frustra et vane auxiliabitur,* eo quod innitenti sibi fulcimentum non praebet. Est enim baculus arundineus, super quem si innixus fuerit homo, perforabit ambas manus; quia mundus et mundana omnia omnes in eis confidentes reddunt debiles et infirmos et ad omne opus bonum ineptos; ideo *manus* dicitur *perforare.* Ideo desperans Propheta [6] de auxilio mundanorum petit a Domino: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*

7. Vanus etiam, quia non praebet *plenitudinem* Ratio 2. *continenti;* unde dicitur Ecclesiastae quinto [7]: *Avarus non implebitur pecunia.* Et ratio huius est, quia mundana omnia vana, et vana non implent; unde dicitur Ecclesiastici trigesimo quarto: *Vana spes et mendacium viro insensato, quasi qui apprehendit umbram et sequitur ventum; sic qui attendit ad visa mendacia;* unde sicut ventus non satiat ventrem, nec umbra replet; sic nec tempora- Notandum. lia, quae sunt umbra aeternorum, ad quae anima est creata.

8. Vanus etiam, quia non dat *quietem labo-* Ratio 3. *ranti,* et ideo qui pro mundanis laborat in vanum laborat; Ecclesiastae secundo [8]: *Quid proderit homini de universo labore suo, quo* laborat *sub sole? Cuncti dies eius laboribus et aerumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit; et hoc nonne vanitas est?* quia laborat in vanum, quia non quiescit. Mundus iste non potest dare quietem, quia nec ipse permanet, immo semper circuit: ergo qui ei adhaerent necesse habent circuire. Ideo dicitur in Psalmo: *In circuitu impii ambulant.*

9. Vanus etiam, quia non praebet *fructum di-* Ratio 4. *ligenti;* unde dicitur Ecclesiastae quinto [9]: *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas.* Non capit fructum, immo magis damnum, quia lucrando mundum perdit Deum et perdit se ipsum; et secundum quod dicitur Matthaei decimo sexto: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* Detrimenta animae per quadruplicem vanitatem interiorem.

10. Homo lucrando mundum patitur animae detrimentum. — Mundus enim praetendendo *altitudinem* Vanitas 1. erigit in *superbiam,* et per hoc hominem evanescere facit, iuxta illud Iob undecimo [10]: *Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri se liberum putat.* Dum enim ad vana extenditur, in vanam superbiam elevatur, secundum quod dicitur Iob trigesimo: *Elevasti me et quasi super ventum ponens elisisti valide.* — Mundus etiam praetendendo *dulcedinem* in- Vanitas 2. flammat ad *luxuriam,* sicut vinum sua dulcedine trahit ad gulam et per hoc ad luxuriam; unde tertii Esdrae tertio [11]: *Vinum, quod praevalet omnibus, qui bibunt illud, seducit mentem. Item regis et orphani*

---

[1] Vers. 17.

[2] Vers. 13.

[3] Vers. 16, ubi E cum Vulgata *inhabitat* pro *habitat.*

[4] Psalm. 83, 5; deinde Isai. 35, 10. Vulgata *caput* pro *capita.* — Cfr. August., XIV. de Civ. Dei, c. 25.

[5] Vers. 5. Vulgata *ambulaverunt* pro *abierunt.* — Sequitur Isai. 30, 7; ibid. 36, 6: Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius et perforabit eam etc. — Superius post *Sed non* Vat. prosequitur *solum beatus, immo perfecte beatus. Vanus est* etc.

[6] Psalm. 59, 13.

[7] Vers. 9; deinde Eccli. 34, 1. 2. — Inferius post *omnia vana* A addit: *Gen. 1. (2.):* Terra autem erat inanis; *Ier. 4. (23.):* Aspexi terram [et ecce vacua erat et nihili etc.].

[8] Vers. 22. 23, ubi Vulgata et A post *labore suo* prosequuntur *et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti* etc. Pro *laborat* B C D F *laboravit;* cfr. c. 1, 3. — Sequitur Ps. 11, 9.

[9] Vers. 9; sequitur Matth. 16, 26.

[10] Vers. 12; deinde ibid. 30, 22.

[11] Vers. 18. 19: Viri, quam praevalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud! seducit etc. — Sequuntur locis citt. v. 18. et v. 1: Dixi ego in corde meo: Vadam etc.

facit mentem vanam, et hoc inflammando ad luxuriam; iuxta illud ad Ephesios quinto: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ad hanc vanitatem mundus traxit Salomonem; Ecclesiastae secundo: *Dixi: Vadam et affluam deliciis et fruar bonis;* Vanitas 3. *et vidi quod hoc quoque esset vanitas.* — Mundus etiam praetendendo *sufficientiam* trahit ad *cupiditatem*, et per hoc facit cor hominis vanum, iuxta illud Proverbiorum vigesimo primo[1]: *Qui congregat thesauros lingua mendacii vanus est, excors est.* Non solum avaritia facit hominem *vanum*, immo etiam *sine corde;* dicitur enim Ecclesiastici decimo de extro, qui *proiecit intima sua;* quia, secundum quod dicit Veritas Matthaei sexto, *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum;* sed thesaurus est extra: Vanitas 4. ergo et cor extra. — Mundus etiam praetendendo *sapientiam* allicit ad *curiositatem*, et per hoc facit vanum; unde dicit Apostolus primae ad Corinthios tertio[2] et trahit ex Psalmo: *Dominus scit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt;* quia, secundum illud Ieremiae decimo, *stultus factus est omnis homo à scientia sua.* Haec enim est sapientia humana, quae non cognoscit *utilia*, sed *mutabilia;* et ideo Dominus eam fecit stultam, sicut dicitur primae ad Corinthios primo: *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Sapientia stulta vana est, quia erronea; unde dicitur Ecclesiastici trigesimo quarto: *Divinatio erroris et auguria mendacia et somnia malefacientium vanitas est.*

11. Ab hac quadruplici vanitate cordis *interiori* Item, exterius evanescit homo quadrupliciter. quadrupliciter evanescit homo *exterius.* — Primo Primo. namque vanitas *superbiae* reddit *infructuosum*, iuxta illud Ecclesiastici sexto[3]: *Non te extollas in cogitatione tua velut taurus, ne forte elidatur virtus tua, et relinquaris velut lignum aridum in eremo*, et ita vanum quantum ad fructum boni operis; de quo Ieremiae decimo: *Vana sunt opera eorum et risu digna, in die visitationis suae peribunt.* — Secundo. Vanitas *avaritiae* reddit *negotiosum*, et per hoc multis laboribus obnoxium; Ecclesiastae quarto[4]: *Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole: unus est et secundum non habet, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius divitiis.* Divitiae enim sunt dii alieni, de quibus Ieremiae decimo sexto: *Servietis diis alienis, qui non dabunt* Tertio. *vobis requiem die ac nocte.* — Vanitas *luxuriae* reddit hominem *compositum*, quia luxuriosi se exterius consueverunt ornare; unde in persona eorum dicitur Sapientiae secundo[5]: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant;* et hoc quidem vanitas, quia dicitur Proverbiorum ultimo: *Fallax est gratia, et vana est pulcritudo;* ideo vana, quia *omnis gloria* et pulcritudo *carnis tanquam flos foeni.* — Vani- Quarto. tas mundanae *sapientiae* reddit *vaniloquum.* Dum enim cor errat, os vana pronuntiat; primae ad Timotheum primo[6]: *Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.* Et quia mundana sapientia sunt corrupti et decepti, alios volunt per vana verba seducere; unde ad Titum primo: *Sunt multi inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui.* — Sic igitur a vanitate rerum exteriorum oritur vanitas Notandum. cordium, et ab hac oritur vanitas exteriorum operum.

12. Secundum hoc igitur colligitur, quod tri- Triplex vanitas. plex est vanitas, scilicet *mutabilitatis, iniquitatis* et *poenalitatis*, et secundum quod dicit Hugo de sancto Victore[7], « prima est naturalis et apta, secunda culpabilis, quia perversa, tertia poenalis et misera »; et habet una ortum ab alia, ut visum est. Qui igitur vult recedere a vanitate *miseriae* deserat vanitatem *culpae*, et qui hanc vult deserere non respiciat ad vanitatem *mutabilis* naturae, sed speret et adhaereat *divinae*, et sic beatus erit. *Beatus* igitur *vir, cuius est nomen Domini spes eius.*

13. Quoniam igitur sapientis est viam docere Tres libri Salomonis. ad veniendum in beatitudinem, hoc fuit praecipuum et operae pretium sapienti Salomoni; sed quia, ut patet ex dictis, ad beatitudinem acquirendam necesse est, aeterna diligi et praesentia despici, et ulterius scire *in medio pravae nationis* debite conversari[8]; ideo tres libros edidit, *Proverbiorum* scilicet, in quibus docet filium sapienter in hoc saeculo conversari; *Ecclesiasten*, in quo docet praesentia contemnere; et *Cantica canticorum*, in quibus docet caelestia diligere, maxime ipsum Sponsum.

De quadruplici causa huius libri.

14. Sic igitur patet, quis sit *finis* libri Eccle- Libri huius finis. siastes. Et quoniam « finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem[9] »; cum finis sit contemptus

---

[1] Vers. 6; sequitur Eccli. 10, 10; deinde Matth. 6, 21.

[2] Vers. 20. ex Ps. 93, 11. — Sequuntur locis citt. v. 14, v. 20. et v. 5.

[3] Vers. 2. et 3, ubi Vulgata plura interserit. — Sequitur Ier. 10, 15: Vana sunt et opus risu dignum, in tempore visitationis etc.

[4] Vers. 7. 8. Post *non habet* Vulgata et A addunt *non filium, non fratrem.* — Sequitur Ier. 16, 13: Servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.

[5] Vers. 8; deinde Prov. 31, 30. Subinde respicitur I. Petri 1, 24: Quia omnis caro ut foenum, et omnis gloria eius tanquam flos foeni etc.

[6] Vers. 5-7, ubi Vulgata post *vaniloquium* addit *volentes esse legis doctores*, et pro *affirmant* maior pars codd. *afficiuntur.* — Sequitur Tit. 1, 10. et 11.

[7] In Eccle. homil. 1, ubi distinguit tres species vanitatis, scil. mutabilitatis, curiositatis sive cupiditatis et mortalitatis, ac deinde ait: Prima ergo vanitas naturalis est et apta sive congrua, secunda etc. Cfr. infra c. 1, 1-3.

[8] Phil. 2, 15: Ut sitis sine querela... in medio nationis pravae et perversae. — De seqq. cfr. Hieron., Comment. in Eccle. 1, 1. et tom. V. pag. 363, nota 8. verba Origenis.

[9] Secundum Aristot., II. Phys. text. 88. seqq. (c. 9.).

praesentium, de eis tractat, non ea ratione, qua attrahunt, sed ea ratione qua contemnuntur: attrahunt sub specie boni, sed contemnuntur sub specie vani. Ideo sequitur ex hoc, quod *materia* huius libri sunt rerum praesentium vanitates, sive ipsae res, secundum quod vanae, ut melius dicatur, quia vanitatem quasi passionem probat in rebus, primo proponens, secundo probans, tertio concludens. Unde procedit persuadendo et probando illam, scilicet triplicem vanitatem, quae supra dicta est [1], scilicet *naturae, culpae* et *miseriae*. — Et ex hoc patet *modus agendi* sive forma. Habet enim modum agendi singularem inter alios libros; procedit enim ut concionator, diversorum sententias proponendo, modo sapientis, modo stulti, ut ex plurium sententiis una clarescat veritas in animis auditorum. — Ex praedictis concluditur, quis debuit esse *efficiens*. In isto enim libro docentur contemni voluptates, divitiae, honores et curiositates tanquam vanitates. Et quia non creditur de contemptu talium nisi experto — non enim creditur pauperi, qui non habuit divitias, de ipsarum contemptu, quia *non est expertus*, et ideo non *recognoscit* [2] — oportuit, quod esset talis, qui omnium haberet experientiam horum, scilicet qui esset potens, dives, luxuriosus et curiosus sive sapiens. Nullum alium legimus nec audivimus in tanta excellentia haec habuisse, sicut habuit Salomon; ideo ipse prae ceteris fuit talis libri convenientior auctor. — Patet igitur, quae sit huius libri causa *materialis, formalis, efficiens* et *finalis*.

Materia. Forma. Efficiens.

Sed iuxta has quatuor causas quatuor particulae possunt quaeri.

Quaestio I. *De fine libri Ecclesiastes.*

Primo de *fine*. Dicitur enim, quod finis libri est *contemptus mundi*. Quod autem sic sit determinatus,

1. probatur per illud quod dicitur Iacobi quarto [3]: *Amicitia huius mundi inimica est Deo;* sed omne, quod Deo est inimicum, bonum est contemnere.

Fundamenta.

2. Item, primae Ioannis secundo [4]: *Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt.*

Sed contra: 1. Laus operis redundat in artificem [5], ergo et contemptus operis redundat in eundem, ergo qui contemnit mundum contemnit Deum: aut igitur iste mundus non est factus a Deo, aut non est contemnendus.

Ad oppositum.

2. Item, Proverbiorum decimo sexto [6]: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, ergo omnia ordinantur ad Deum; sed quod ordinatur in finem non est contemnendum, sed accipiendum ut amandum: ergo mundus iste, et ea quae sunt in ipso, sunt amanda.

Respondeo: dicendum, quod, sicut vult Augustinus et Hugo [7], mundus iste est quasi quidam anulus datus a sponso ipsi animae; sponsa autem duobus pliciter potest diligere anulum a sponso sibi collatum, amore scilicet *casto* et *adulterino*. Amor *castus* est, quo diligit anulum in memoriam sponsi et propter amorem sponsi; *adulterinus*, quo diligit anulum plus quam sponsum; et hoc non potest sponsus non habere pro malo. Sicut enim duplex est amor, ita duplex odium vel contemptus, quia quoties dicitur unum oppositorum, et reliquum [8]. Contemptus anuli, quasi sit parvum et vile donum, redundat in sponsum; sed contemptus anuli, quasi nihil reputetur comparatione amoris sponsi, iste est ad gloriam sponsi; et de hoc contemptu dicitur Cantici ultimo [9]: *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* De hoc contemptu est hic sermo; et sic patent obiecta.

Resp.

Quaestio II. *De materia eiusdem.*

Postmodum quaeritur de *materia*, et dicitur, quod hic agitur de *vanitate*.

Sed contra: 1. Omnis scientia est de bono et vero [10]; sed *vanum* privat bonitatem et veritatem: ergo de ipso non est scientia.

Ad oppositum.

2. Praeterea videtur, quod in rebus non sit vanitas, quia dicitur Genesis primo [11]: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona:* ergo si omnia sunt valde bona, nihil est vanum.

3. Praeterea, vanum est et frustra, quod non est ordinatum in finem, sicut, si aliquis se balnearet, ut sol deficeret, in vanum operaretur, quia hoc non est ordinabile in illud; sed omnes creaturae tendunt ad summum bonum suo modo, ut dicit Dionysius [12],

---

[1] Num. 12. — Supra vox *passionem* significat *proprietatem*.

[2] Eccli. 34, 10: Qui non est expertus pauca recognoscit.

[3] Vers. 4. Vulgata: inimica Dei.

[4] Vers. 15.

[5] Eccli. 9, 24: In manu artificum opera laudabuntur.

[6] Vers. 4.

[7] De Arrha animae (ubi etiam seq. distinctio amoris insinuatur), ex quo opusculo plura iisdem verbis habentur in lib. de Diligendo Deo (inter opera Augustini), c. 4. Pro Augustino allegatur a Vat. Enarrat. in Ps. 36. serm. 1. n. 2, ubi exponitur, quod in mundo « alii bene operantur, alii male ». Cfr. Serm. 385. (alias 38. inter 50 Homil.) c. 5. n. 6. seq., ubi ait: Si autem deseris eum qui te fecit, et amas illa quae fecit, deserto illo qui te fecit, adulter es... Anima, deserto Creatore, amans creaturam adultera est; illius enim amore nihil castius etc. Vide etiam Serm. 368. (alias 37. inter 50 Homil.) c. 4. n. 4. et XV. de Civ. Dei, c. 22.

[8] Aristot., V. Ethic. c. 1: Sequitur autem plerumque, ut si unum [oppositorum] multis modis dicitur, alterum quoque dicatur, ut si ius, etiam iniuria. Cfr. I. Topic. c. 13. — Vocibus *et reliquum* A praefigit *toties*.

[9] Vers. 7.

[10] Cfr. Aristot., I. Poster. c. 2. — Subinde pro *bonitate et veritate* cum B C D F substituimus *bonitatem et veritatem*.

[11] Vers. 31. Hanc obiectionem insinuat etiam Hieron., Comment. in Eccle. 1, 2.

[12] Libr. de Div. Nom. c. 4. § 4. 10. et 31; Boeth., III. de Consol. prosa 2. et prosa 11; Aristot., I. Ethic. c. 1, qui etiam *maiorem* cum allato exemplo proponit II. Phys. text. 62. (c. 6.), scil. balneantem eo fine, ut sol obscuretur.

et Boethius, quod omnia bonum exoptant, et etiam Philosophus: ergo nihil in rebus omnibus reperitur vanum.

4. Praeterea, si vanum reperitur, et scientia ista est fundata super illud tanquam super subiectum; et quod fundatum est super vanum vanum est: ergo haec scientia vana est.

Respondeo: ad intelligentiam praedictorum uno
Resp. 1. modo potest dici sic, quod *vanum* dicitur dupliciter: uno modo *simpliciter*, et sic privat verum et bonum, et tale non est in universo. Est alio modo *vanum* per *comparationem ad terminum initialem*, quia de nihilo; et sic non repugnat bono, immo unum et idem est bonum et vanum: sed *bonum*, quia a bono et ad bonum; *vanum*, quia de nihilo et sibi relictum tendit ad nihil; et talis vanitas habet bonitatem sub scientia, et ideo de tali potest esse scientia et doctrina. — Et per hoc solvi potest ad omnia obiecta, quia procedunt, ac si essent de vano simpliciter.

Sed haec solutio non solvit, quia non agit Ec-
Non probatur. clesiastes de rebus, secundum quod ex nihilo sunt, immo secundum quod ab hominibus appetuntur; et praeterea agit de vanitate *culpae*, quae privatio est: ideo oportet aliter dicere.

Respondendum igitur aliter et dicendum, quod
Resp. 2. sicut *verum* dicitur tribus modis, ita et *vanum* sibi
Verum et vanum triplex. Primo. oppositum, per regulam supra [1] dictam. Uno modo dicitur *verum*, secundum quod *convertitur cum ente*, et sic dicitur, quod omne ens est verum; et sic *vanum* vero oppositum dicitur *non-ens*, sicut dicimus,
Secundo. quod chimaera est *non-ens*. — Alio modo dicitur *verum*, secundum quod ultra entitatem addit *ordinem ad operationem et finem*, sicut dicitur *verum vinum*, quod habet veram operationem vini, sic *homo verus*, qui habet operationem debitam homini [2], et haec est operatio virtutis; et sic *vanum* dicitur per privationem ordinationis in finem, et sic peccata
Tertio. omnia et abusiones vanae sunt. — Alio modo dicitur *verum*, secundum quod addit supra *esse impermixtionem ad non-esse*, quod nullo modo habet potentiam ad illud; et sic dicitur habere *verum esse*, quod habet *esse immutabile;* et hoc modo *vanum* oppositum vero est illud quod est mutabile et transmutabile. Et sic omnis *creatura vana est, quia subiecta vanitati* [3], id est mutabilitati.

Sic igitur dicto vano tripliciter: uno modo per privationem *esse simpliciter*, alio modo per privationem *esse ordinati*, tertio modo per privationem *esse intransmutabilis;* de primo nullo modo est scientia nec doctrina, nisi forte habeat *esse in causa* et secundum illud *cognosci* et *edoceri;* et sic non est vanum; sed secundum quod *vanum* est, nec *per se* nec *per accidens* est de eo scientia [4]. — De secundo modo non est scientia *per se*, sed *per accidens*. Sicut enim medicina est scientia sani et aegri, sani quidem *per se*, aegri vero *per accidens*, ut vult Philosophus [5]; sic de culpa vel peccato est theorica, sed ratione virtutis. — De tertio modo, scilicet de mutabilitate creaturae, scientia est *per se*, sicut patet de motu solis et orbium et aliarum rerum. — In hoc igitur libro agitur de vanitate *mutabilitatis* sive naturae, quia est pulcra et apta, et de vanitate *culpae;* de alia vanitate, scilicet *privationis omnimodae*, non agitur, quia de illa non est scientia neque doctrina.

De primo vano non est scientia.

De secundo scientia per accidens.

De tertio scientia per se.

Applicatio.

1. Quod ergo primo obiicitur, quod omnis scien-
Solutio oppositorum. tia est de bono et vero; verum est per se, sed de vano etiam potest esse ratione veri; et qui cognoscit principia vera, et falsa cognoscit; et similiter est de aegro et sano, similiter et in proposito [6].

2. 3. 4. Quod obiicitur, quod creaturae non sunt vanae, quia valde bonae et in finem ordinatae; solvendum, quod non dicuntur *vanae* per defectum boni vel ordinis, sed per defectum *esse incommutabilis;* et sic omnis creatura vana, nec est ita vana, quin habeat veritatem et bonitatem [7]; et ideo scientia et doctrina de ipsa est vera.

Quaestio III. *De modo agendi in eodem.*

Item, quaeritur de *modo agendi;* dictum est enim, quod agit et loquitur in personis diversis, scilicet fatui et sapientis.

Sed: 1. Sicut dicitur Ecclesiastici vigesimo [8], *ex*
Ad oppositum. *ore fatui reprobabitur parabola:* ergo et sententia dicta in persona fatui non est attendenda: ergo si sententia librorum sacrorum est attendenda, non debet loqui in persona fatui.

2. Item, quae dicit in persona fatui et carnalis sunt reprobanda; sed nescitur, quando loquitur,

---

[1] Quaest. 1. in resp.

[2] Aristot., IV. Meteor. text. 54. (c. ult.): Omnia autem sunt terminata opere; omnia enim, quae possunt facere suum opus, *vere* sunt, ut oculus, si videt, quod autem non potest, *aequivoce*, ut mortuus etc. Cfr. V. Metaph. text. 34. (IV. c. 29.).

[3] Rom. 8, 20: Vanitati enim creatura subiecta est etc. Cfr. I. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 1. — Vat., refragantibus codd., legit: *et hoc modo* vanum *opponitur* vero *per privationem* esse illius, *quod est immutabile et intransmutabile. Et sic omnis creatura est subiecta vanitati, quia mutabilitati.*

[4] Aristot., I. Poster. c. 2: Quod non est non est *scire*, ut quod diameter sit symmeter.

[5] Libr. VI. Topic. c. 3. (c. 5.), ubi tractans de hac definitione medicinae: scientia sanitatem et aegritudinem efficiendi, ait: « Nam de illa quidem *per se* dicitur, de hac autem *per accidens;* simpliciter enim alienum a medicina aegritudinem efficere » etc. — Mox pro *theorica* ob abbreviationem codd. legi posset *theoria* vel *theologia*. Retinuimus *theorica* i. e. contemplativa sive, ut Origenes (cfr. tom. V. pag. 363, nota 8.) vult, inspectiva scientia.

[6] Aristot., I. de Anima, text. 85. (c. 5.): Sufficiens enim est altera pars contrarietatis se ipsam diiudicare et oppositam; recto enim et ipsum et obliquum cognoscimus; iudex enim utrorumque regula; obliquum autem neque sui ipsius neque recti.

[7] Hieron., loc. cit., obiectioni respondet: Possumus igitur et nos in hunc modum caelum, terram... bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata, esse pro nihilo etc.

[8] Vers. 22.

utrum hoc dicat in persona propria, vel aliena: ergo nescitur, quid in hoc libro tenendum, quid reprobandum: ergo haec scientia [1] via est ad errorem. Sed libri canonici debent purgare errorem: ergo liber iste tollendus est de canone.

Resp. cum distinctione.

Respondeo: dicendum, quod loqui aliquid in persona fatui vel carnalis est dupliciter: vel ut approbet, vel ut reprobet et vanum esse ostendat. Primo modo non convenit scientiae veritatis; secundo modo convenit, sicut si aliquis vellet errorem reprobare et prius illum explicaret, postmodum destrueret. Et hoc modo loquitur, non primo; et ideo non est reprobandus, immo commendandus, quia reprobat reprobanda.

Solutio oppositi.

2. Quod obiicitur, quia nescitur, quando loquitur in persona sua; dicendum, quod disputationis altera pars non potest sciri, quousque veniatur ad sententiam et ad determinationem, quia in solutione scitur, quid eligatur et quid reprobetur. Sic dico, quod Ecclesiastes procedit quasi disputando usque ad finem libri et in fine [2] dat sententiam, cum dicit: *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, et scito, quod pro omni errato adducet te Deus in iudicium.* In quo verbo damnat omnes sententias fatuorum, carnalium et mundanorum. Unde quod illi sententiae concordat in propria persona dicit, quod vero discordat, in persona aliorum: et ideo non potest sciri liber iste, nisi audiatur totus.

Quaestio IV. *De causa efficiente eiusdem.*

Potest etiam quaeri ultimo de *efficiente;* et dictum est, quod efficiens fuit Salomon. Quod autem non conveniat, talem esse auctorem, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia ipse fuit peccator et carnalis; sed quando carnalis praedicat spiritualitatem, potius scandalizat quam aedificet: ergo liber iste potius est ad generandum scandalum quam aedificationem.

2. Item, in Psalmo [3] dicitur: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas?* Ergo si Salomon peccator erat, ergo peccabat divinam iustitiam enarrando.

3. Praeterea, bonus auctor facit fidem, unde habet robur *locus ab auctoritate* [4], ergo malus auctor nullam fidem; sed libri sacrae Scripturae sunt ad generandam fidem: ergo etc.

Resp. 1.

Ad hoc respondendum, quod, sicut dicit Hieronymus [5], ut tradunt Hebraei, liber iste Salomonis fuit poenitentiam agentis; et quia non abiicit Deus poenitentes, sed potius acceptat, secundum hoc non erat Salomon in statu reprehensibili, quando hunc librum scripsit.

Resp. 2.

Aliter responderi potest, quod Spiritus sanctus non tantum loquitur vera et bona per bonos, immo etiam per malos; unde ipse Dominus in Evangelio [6] dicit: *Quae dicunt facite, quae autem faciunt nolite facere;* unde et per Balaam expressissime prophetavit, sic et per Salomonem etiam carnalem multa bona dixit.

Solutio oppositorum.

2. Quod ergo obiicitur, quod ipse peccabat; respondendum, quod sibi erat donum sapientiae commissum specialissime inter alios; et quia tenebatur talentum Domini non abscondere [7], debebat docere populum Domini et verbo et scripto, maxime cum esset ad eius regimen institutus. Unde non peccabat in hoc, quod docebat, sed in hoc, quod non debite se disponebat.

3. Quod obiicitur, quod non est credendum libro, cum auctor non sit dignus fide; respondeo: sicut credimus Prophetis, quod non per se, sed per Spiritum sanctum locuti sunt; sic et in omnibus libris Scripturae, quod Spiritu sancto dictante sunt editi; unde bonitas personae non facit ad maiorem vel minorem fidem, hoc supponendo, quod fuerit per Spiritum locutus. Et quia constat nobis, Salomonem spiritu sapientiae fuisse repletum, sicut patet ex tertii Regum tertio [8]; ideo Ecclesia indubitanter recipit libros eius.

Prologus Commentarii S. Hieronymi in Ecclesiasten.

Memini, me ante hoc ferme quinquennium, cum adhuc Romae essem et Ecclesiasten sanctae Blesillae legerem, ut eam ad contemptum istius saeculi provocarem, et omne, quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo; rogatum ab ea, ut in morem commentarioli obscura quaeque dissererem, ut absque me posset intelligere quae legebat. Itaque, quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitae nostrae habere consortem, tantoque vulnere tunc perculsus obmutui; nunc in Bethlehem positus, augustiori videlicet civitate, et illius memoriae et vobis reddo quod debeo; hoc breviter admonens, quod nullius auctoritatem secutus sum; sed de Hebraeo transferens, magis me Septuaginta Interpretum consuetudini coaptavi, in

---

[1] Cod. C *sententia.* Intellige: huius libri doctrina.

[2] Cap. 12, 13. seq. Post *Deum time* S. Bonav. non verba omnia Scripturae adducit.

[3] Psalm. 49, 16.

[4] Boeth., II. de Differentiis topic., maximam huius loci, qui etiam *ex rei iudicio* dicitur, sic proponit: « Quod omnibus vel pluribus vel sapientibus hominibus videtur, ei contradici non oportere ». Petr. Hispan., Summul. tr. de locis topic.: Auctoritas, ut hic sumitur, est iudicium sapientis in sua scientia. Unde iste locus solet nominari *a rei iudicio...* Maxima: Unicuique experto in sua scientia credendum est.

[5] Comment. in Eccle. 4, 12: Aiunt Hebraei, hunc librum Salomonis esse poenitentiam agentis etc.

[6] Matth. 23, 3. Vulgata: Omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere. — De Balaam cfr. Num. 23. et 24.

[7] Respicitur Matth. 25, 14. seq.; Luc. 19, 12. seqq.

[8] Vers. 5. seqq.

his dumtaxat, quae non multum ab Hebraicis discrepabant. Interdum Aquilae quoque et Symmachi et Theodotionis recordatus sum, ut nec novitate nimia lectoris studium deterrerem; nec rursum contra conscientiam meam, fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectarer [1].

Expositio huius Prologi.

Huic libro praemittit sanctus Hieronymus Prooemium, in quo primo manifestat motivum ad transferendum. Secundo determinat translationis modum, ibi: *Hoc breviter admonens.*

Motivum translationis.

Prima pars habet tres partes. Primo dicit, quid movit eum ad inchoandum, scilicet intercessio sanctae Blesillae. — Secundo tangit, quid impedivit ad differendum, scilicet mors eiusdem, ibi: *Itaque, quoniam in procinctu* etc. — Tertio, quid movit ad consummandum, scilicet et eius memoria et intercessio Eustochii et Paulae, ibi: *Nunc in Bethlehem positus* etc.

Modus transferendi.

Hoc breviter admonens. Hic tangitur modus transferendi, et primo ponitur *modus*, scilicet quod nec omnino convenit cum aliis nec omnino differt, immo, in quibus potuit bono modo, eos est imitatus. Secundo subiungitur *ratio*, scilicet ibi: *Ut nec novitate nimia* etc. Et est ratio, quia secutus est in aliquibus, ne videretur nimiam ingerere novitatem; nec omnino secutus, ne desereret veritatem [2].

COMMENTARIUS

IN LIBRUM ECCLESIASTES.

Capitulum I.

Divisio generalissima.

Verba Ecclesiastae etc. Iste totalis liber dividitur in tres partes: in *titulum* sive prooemium et *tractatum*, qui incipit ibi [3]: *Vanitas vanitatum* etc.; et *epilogum*, qui incipit ibi: *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes.* — In titulo manifestatur *efficiens*, in tractatu *materia* et *forma*, in epilogo *finis*.

De titulo.

Expositio.

Tria manifestantur.

(Vers. 1.). In *titulo* igitur manifestatur auctor quantum ad *sapientiam*, quantum ad *bonitatem*, quantum ad *regiam potestatem*. — Ratione *sapientiae* dicit [4]: *Verba Ecclesiastae*, supple: quae sequuntur sunt verba Ecclesiastae; quia Ecclesiastes dicitur *concionator*, et concionator esse non potest, nisi sit sapiens; quia dicitur Proverbiorum vigesimo sexto: « Quomodo si nascatur spina in manu temulenti, sic indecens est in ore stultorum parabola »; unde Proverbiorum decimo septimo: « Non decent stultum verba composita ». — Quantum ad *bonitatem* manifestatur, cum dicitur: *Filii David.* David enim sanctus fuit, et imitationis filii sancti sunt; unde in Scriptura nomen est benignitatis et mansuetudinis; Matthaei decimo quinto [5]: « Miserere mei, fili David ». — Quantum ad *regiam potestatem*, cum dicitur: *Regis Ierusalem*, quia Ierusalem nobilissima erat civitas et totius regni principium, infra [6]: *Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Ierusalem*, quia ibi maxime morabatur.

Quaestiones.

I. Incidit hic quaestio: cum Salomon tres libros fecerit, quid est, quod libro Proverbiorum et huic praemittit titulum, in quo exprimitur nomen suum, sed non praemittit in Canticis canticorum?

Resp.

Respondeo: dicendum, quod in libro Proverbiorum introducitur ipse Salomon loquens ut sapiens ad discipulum; unde vocat auditorem *filium;* similiter

---

[1] Hunc prologum transcripsimus ex editione Vallarsii Operum S. Hieronymi, tom. III. col. 382.

[2] Post hunc in Prologum Hieronymi commentariolum cod. E adiungit alium longe maiorem; quem cum contulerimus cum commentario scripto a Fr. Gulielmo Britone Ord. Min. (qui vixit eadem aetate, qua S. Bonaventura, et omnes Prologos S. Hieronymi in libros Scripturae commentatus est), invenimus, codicem illum exhibere totum scriptum praedicti Gulielmi, tamen auctum additione plurium locorum s. Scripturae. — Item notamus, quod etiam cod. A verbis S. Bonaventurae hic interserit explicationes sumtas ex eodem Gulielmo. Idem cod. A passim addit multas interpolationes, etiam longiores, depromptas plerumque ex Commentario Hugonis a S. Charo in Ecclesiasten, vel ex Glossa ordinaria. Plura de his in Prolegomenis nostris dicuntur.

[3] Cap. 1, 2. Epilogus *Cumque esset* etc. est c. 12, 9.

[4] Cap. 1, 1: Verba Ecclesiastae, filii David, regis Ierusalem. — Duo seqq. loci sunt Prov. 26, 9. (Vulgata omittit *indecens est*) et 17, 7. Observamus, quod in expositione textus non potuimus retinere solitum morem, verba Scripturae litteris Italicis exprimendi; alioquin expositio non bene distingueretur a textu.

[5] Vers. 22: Miserere mei, Domine, fili David.

[6] Cap. 1, 12.

hic introducitur ut homo diversa expertus; sed in Canticis canticorum loquitur sponsa et sponsus. Ne igitur videretur, quod essent verba Salomonis ad uxorem suam — sed sunt Christi ad Ecclesiam — non praemittit ibi nomen suum. Hic autem quia in persona sua ut plurimum loquebatur, et in libro Proverbiorum; ideo praemittit titulum, in quo nomen eius specificatur et aperitur [1].

II. Item quaeritur, quare in libro Proverbiorum dicit *parabolae*, hic autem dicit *verba*. — Si *tu dicas*, quod ibi loquitur parabolice et figurative, hic autem aperte; tunc *quaero*, quare hic et ibi diversificat modum agendi.

Respondeo: dicendum, quod quidam est modus
Resp. loquendi *proprius* et apertus, quidam *parabolicus;* et hic est duplex: quidam per parabolas et *apertas* similitudines; quidam per *occultas* et profundas. Quoniam ergo Salomon in libro Proverbiorum loquitur parvulis et indoctis, ideo loquitur *parabolice* et *aperte;* quia vero in Ecclesiaste proficientibus, ideo *aperte* et *proprie;* sed in Canticis, quia perfectis, quorum est *solidus cibus* [2], ideo *parabolice* et *occulte*.

III. Quaestio est, quare in titulo Proverbiorum se vocat nomine suo, hic vocat se *Ecclesiasten?*

Respondeo: dicendum, quod, sicut dicit Hiero-
Resp. nymus [3], Salomon fuit trinomius, quod quidem convenit ei secundum triplicem scripturam, quam edidit. Dictus est enim *Salomon*, dictus *Ecclesiastes* et *Idida*. *Salomon*, pacificus, quia totum regnum in pace possedit; unde et omnibus doctrinam parabolarum tradidit. *Ecclesiastes*, concionator, quia in personis loquitur diversorum. *Idida* idem est quod dilectus Domini. — Ideo igitur se vocat *Ecclesiasten*, quia in hoc libro diversorum adducit sententias et secundum hoc diversimode persuadet. *Idida* dictus est in titulo Psalmi [4] *Eructavit*, qui de ipso est ad litteram.

IV. Item quaeritur, quare hic se dicit *filium David* et *regem Ierusalem*, sed in Proverbiis dicit se *regem Israel?*

Respondeo: sumitur una ratio ex parte *auctoris*,
Resp. Ratio 1. quia, secundum quod credunt Hebraei, liber iste fuit Salomonis poenitentiam agentis et se humiliantis [5]. Et ideo in Proverbiis non denominat se ab alio, immo manifestat totius regni sui potentiam; hic autem se humiliat; ideo, ab alio se denominans, non totam potentiam, sed partem indicat, et ideo etc.

Alia ratio fuit ex parte *operis*, quia in Prover- Ratio 2.
biis inducit ad cognitionem agendorum, hic ad contemptum praesentium. Et quia plurimi sunt, qui plus volunt sapere quam praesentia contemnere; ideo ibi se dicit regem *Israel*, hic vero *Ierusalem*, quia contemptores mundi sunt cives supernae Ierusalem, qui non habent *hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt* [6].

V. Et ex hoc patet solutio illius quaestionis, quae potest fieri: quare hic non exprimit finem, sicut in Proverbiis. Quia finis Proverbiorum est *sapientia* [7], quae allicit ad audiendum; finis huius libri est *mundi contemptus*, de quo pauci audire volunt.

Ex his patet, quare dixit *verba*, quare dixit Epilogus.
Ecclesiastes, quare *filii David*, quare *regis Ierusalem*, quare etiam non addidit de utilitate sententiae huius libri, sicut in Proverbiis.

Sequitur huius libri tractatus.

(Vers. 2.). *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* — Hic Divisio generalis in tres partes.
incipit tractatus; et quia « finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem [8] »; cum finis huius libri sit omnium rerum contemptus et Dei solius timor: ideo in omnibus intendit ostendere vanitatem. Et quia procedit tanquam concionator persuadendo et probando, ideo tractatus iste habet tres partes: quia primo Proponit.
proponit quod intendit probare, scilicet esse in omnibus vanitatem; secundo probat, ibi [9]: *Quid habet am-* Probat.
plius homo de labore suo etc.; tertio concludit tan- Concludit.
quam probatum circa finem: *Vanitas vanitatum* etc.

Propositio rei probandae.

Proponit ergo in rebus triplicem vanitatem, sci- Divisio. Triplex vanitas.
licet *poenalitatis, iniquitatis, mutabilitatis*. Quantum ad vanitatem *poenalitatis: Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes*, id est, proposuit. De hac, infra secundo [10]: *Cuncti dies eius laboribus pleni sunt, nec per noctem mente requiescit; et hoc nonne vanitas est?* — Quantum ad vanitatem *iniquitatis* dicit iterum: *Vanitas vanitatum;* unde Ieremiae de-

---

[1] Hieron., Comment. in Eccle. 1, 1, ad eandem quaestionem ita respondet: Sicut enim Proverbia et rudis institutio ad duodecim tribus et ad totum pertinent *Israel;* et quomodo contemptus mundi [qui docetur in Ecclesiaste] non nisi metropolitis convenit, hoc est habitatoribus *Ierusalem*, ita Canticum canticorum ad eos proprie facit, qui tantum superna desiderant. Ad incipientes et proficientes et paterna dignitas et regni proprii merito vindicatur auctoritas; ad perfectos vero, ubi non timore eruditur discipulus, sed amore, proprium nomen sufficit, et aequalis magister est et nescit esse se regem etc. — Superius pro *sed sunt*, Vat. *ad litteram quae sunt*. Codd. habent *sed*, retinuimus cum Vat. *sunt*.

[2] Hebr. 5, 14: Perfectorum autem est solidus cibus.

[3] Comment. in Eccle. 1, 1.

[4] Psalm. 44, 1: In finem... canticum pro dilecto. — Superius pro primo *Ecclesiastes* A ponit *Coheleth*, quod paulo inferius post *tradidit* ita repetit: *Coheleth hebraice, Ecclesiastes [graece], latine concionator.*

[5] Cfr. supra pag. 8, nota 5. — Vat. addit *non sic liber Proverbiorum.*

[6] Hebr. 13, 14: Non enim habemus hic... inquirimus. — Superius respicitur Rom. 12, 3: Non plus sapere etc.

[7] Prov. 1, 2. seqq.: Ad sciendam sapientiam etc.

[8] Secundum Aristot., II. Phys. text. 88. seqq. (c. 9.).

[9] Cap. 1, 3. Seq. locus est 12, 8.

[10] Vers. 23.

cimo[1]: *Vana sunt opera eorum et risu digna; in die visitationis suae peribunt.* — Quantum ad vanitatem *mutabilitatis* dicit: *et omnia vanitas*, quia omnia subiecta sunt mutabilitati; ad Romanos octavo[2]: *Vanitati subiecta est creatura non volens;* et infra tertio: *Cuncta subiacent vanitati, et omnia pergunt ad locum unum.* Non igitur est verborum inculcatio, cum ter dicit *vanitas*, sed intelligibilium mira distinctio.

Ordo trium vanitatum.

Et notandum, quod ista triplex vanitas est consequenter se habens, et una ex altera oritur: quia vanitas *iniquitatis* ex vanitate *mutabilitatis*, licet illa non sit tota causa; vanitas vero *poenalitatis* ex vanitate *iniquitatis*. Has igitur vanitates ordine praepostero resolutorio ordinat, et e contrario in consequentibus prosequitur. Et quia illa duplex vanitas ortum habet ex alia vanitate, sed tertia non; ideo bis[3] dicit *vanitas vanitatum*, et post tantum *vanitas*.

Ipsae sunt in homine.

Notandum est etiam, quod haec triplex vanitas in *homine* reperitur, quia ipse est, in quem cadit poena et culpa; et propter hoc dicitur in Psalmo[4]: *Universa vanitas omnis homo vivens.* Est enim in eo vanitas *naturae*, vanitas *culpae* et vanitas *poenae*. De vanitate *naturae*, in Psalmo: *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praetercunt.* De vanitate *culpae*, in Psalmo similiter: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.* De vanitate *poenae*, Iob decimo quarto: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.*

Quare loquatur Salomon de se ut de alio.

Notandum etiam, quod ipse Salomon loquitur de se quasi de alio, sicut Ioannes, vigesimo primo[5]: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his;* et similiter Moyses. Huius autem potest ratio assignari triplex: una est ex parte *efficientis primi*, quia Spiritus sanctus ipse est auctor Scripturae, non Salomon vel alius; ideo, quando introducitur ipse in sacra Scriptura, debet Scriptura de ipso facere sermonem quasi de alio, sicut dixit Balaam Numerorum vigesimo quarto[6]: *Dixit auditor sermonum Dei* etc. — Alia ratio sumitur ex parte *efficientis immediati:* quia Scriptura omnem refugit superbiam et praetendit humilitatem; et ideo nullus in ea doctor debet de se ut de se loqui, sed propter humilitatem quasi de alio[7]. — Tertia ratio: quando Scriptura magna innuit et mirabilia, debet quasi a longinquo ostendere; unde Hugo[8]: « Hoc genus locutionis, quoties in Scriptura assumitur, vel humilitatis causa fit, vel admirationis. Nam et magna propter humilitatem a nobis removere debemus, et mirabilia propter admirationem quasi de longe ostendere ». Exemplum in Paulo et Ioanne.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Divisio totius probationis.

Quid habet amplius homo etc. Supra proposuit quod probare intendit, hic probare incipit; et secundum quod triplex vanitas proposita fuit esse in rebus, sic et triplex esse probatur. Unde habet haec pars tres partes. Primo enim in rebus ostendit esse vanitatem *mutabilitatis;* secundo vero, vanitatem *iniquitatis*, ibi[9]: *Vidi sub sole in loco iudicii impietatem;* tertio, vanitatem *poenalitatis*, infra septimo: *Cuncta tentavi in sapientia.* « Prima est naturalis et apta, ut dicit Hugo; secunda culpabilis, quia perversa; tertia vero poenalis et misera ».

Habet tres partes.

Pars I. Probatur vanitas *mutabilitatis* quoad duo.

Mutabilitas autem in rebus dupliciter consideratur: uno modo ratione *transmutationis*, alio modo in comparatione ad mensuram certi *temporis*. Primo ergo agitur de vanitate naturae mutabilis quantum ad *transmutationem;* secundo, quantum ad *tempus*, infra tertio[10]: *Omnia tempus habent.*

Partis primae membrum I. Ostenditur vanitas naturae mutabilis quoad transmutationem.

Prima habet duas, quia primo ostendit, in rebus esse mutabilitatem, et per hoc vanitatem; secundo vero ex cognitione eius suam reprehendit curiositatem, ibi[11]: *Ego Ecclesiastes fui rex* etc.

Art. 1. *Probatur mutabilitas in existentia creaturarum quoad duplex* esse.

Ostenditur igitur primo mutabilitas in *existentia creaturarum.* Et quia creaturae triplex habent *esse*, scilicet in *Verbo*, ratione exemplaritatis; in *universo*, per modum materialitatis; in *animo humano*, per modum abstractionis[12]; primum *esse* est indeficiens et immutabile, unde nullam habet vanitatem; sed in aliis est vanitas; et ideo haec pars habet duas: quia primo notatur vanitas mutabilitatis in rebus secundum *esse*, quod habent in universo; secundo, quantum ad *esse*, quod habent in animo humano, ibi[13]: *Cunctae res difficiles* etc.

Triplex esse rerum.

---

[1] Vers. 15. Ita codd.; Vulgata: *sunt et opus risu dignum, in tempore visitationis suae peribunt.*

[2] Vers. 20; sequitur Eccle. 3, 19. et 20.

[3] Maior pars codd. *bene*, fortasse legendum *bene bis.*

[4] Psalm. 38, 6. — Tres loci seqq. sunt Ps. 143, 4; 93, 11. et Iob 14, 1. — Cfr. Hug. a S. Vict., in Eccle. homil. 1.

[5] Vers. 24. — Num. 12, 3: Erat enim Moyses vir mitissimus etc. [6] Vers. 4.

[7] Vat. hic allegat II. Cor. 12, 2: Scio hominem... usque ad tertium caelum. — Superius pro *immediate* ex E substituimus *immediati*, ceteri codd. corrupte *et meriti.*

[8] In Eccle. homil. 1, nonnullis omissis.

[9] Cap. 3, 16; seq. locus ibid. v. 24. — De sententia Hug. cfr. supra pag. 5, nota 7. [10] Vers. 1.

[11] Cap. 1, 12.

[12] Cfr. August., II. de Gen. ad lit. c. 8. n. 16. seqq., IV. c. 23. n. 40. seq. et c. 29. n. 46.

[13] Cap. 1, 8. Duo seqq. loci sunt ibid. v. 5. et 6.

Probatur vanitas mutabilitatis secundum esse rerum in universo, et hoc tripliciter.

Prima pars habet tres secundum tria genera creaturarum, in quibus ostendit mutabilitatem: quia primo ostendit in creatura *rationali;* secundo, in *caelesti*, ibi[1]: *Oritur sol;* tertio, *elementari*, ibi: *Lustrans universa* etc.

Divisio.

(Vers. 3. 4.). Quantum igitur ad creaturam *rationalem,* hominem scilicet, ostendit esse mutabilitatem, a qua nullo labore potest eripi; propter quod dicit: *Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?* Supple: nisi vanitatem et mutabilitatem, quasi dicat: nihil. De hoc labore dicitur Iob quinto[2]: « Avis nascitur ad volandum, et homo ad laborem »; et Genesis tertio: « Maledicta terra in opere tuo; in labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae ». — Et quod non habeat amplius quam vanitatem, ostendit, cum subdit: *Generatio praeterit, et generatio advenit.* Ergo mutatio est et successio tam in homine quam in suis operibus; Ecclesiastici decimo quarto[3]: « Alia generantur, et alia deiiciuntur; sic generatio carnis et sanguinis: alia finitur, et alia nascitur »; secundum quod dicitur Iacobi quarto: « Quae est vita vestra nisi vapor ad modicum parens »? Sed dum corrumpuntur, non cedunt in nihil, sed in aliquid, quia in terram; unde dictum est Adae[4]: « Pulvis es, et in pulverem reverteris ». Propterea subdit: *Terra vero in aeternum stat,* quasi materia, ad quam fit resolutio; Psalmus: « Qui fundasti terram super stabilitatem suam »; et Proverbiorum octavo: « Quando appendebat fundamenta terrae ».

Expositio litteralis. Primo, quoad creaturam rationalem.

(Vers. 5. 6.). *Oritur sol et occidit* etc. Hic secundo ostendit mutabilitatem in natura *caelesti,* ut puta in sole, qui nunquam quiescit, sed cum oritur, tendit ad occasum, unde non permanet in ortu. Propterea dicit: *Oritur sol et occidit,* ita quod in loco ortus non permanet nec etiam in loco occasus; unde subdit: *Et ad locum suum revertitur.* Nec ibi permanet, unde et subdit: *Ibique renascens gyrat per meridiem.* Nec etiam in loco medio permanet; ideo subdit: *Et flectitur ad aquilonem.*

Secundo, quoad naturam caelestem.

Istud exponi potest quantum ad motum *diurnum,* vel etiam *annuum.* Quantum ad *diurnum,* dicit Hugo[5]: « *Oritur sol* quotidie, quando humanis praesentatur aspectibus. *Occidit,* quando, descendens ad inferiores partes, oculis nostris se subtrahit. *Revertitur ad locum suum,* quia, impellente volubilitate subtus, rursus ad locum suum revertitur. Sed *renascens gyrat per meridiem,* quia obliquo ductu ab ortu ad lineam meridianam conscendit; deinde *flectitur ad aquilonem,* quia, ad occasum descendens, rursus obliqua progressione ad aquilonem inclinatur ». — Quantum ad motum *annuum* sic: « *Oritur sol,* quando per vernale aequinoctium ad nostrum polum consurgit. *Occidit,* quando per autumnale aequinoctium exiens ad inferiora descendit. *Gyrat per meridiem*[6], quando in hiemalibus signis commoratur. *Flectitur ad aquilonem,* quando in aestivis signis, quae polo boreali viciniora sunt, circumfertur ». Et sic non stat sol per naturam, sed solum per miraculum, sicut legitur Iosue decimo[7]: « Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Hailon » etc.

Duplex expositio. Prima. Secunda.

(Vers. 6.). *Lustrans universa.* Hic tangitur tertio mutabilitas in natura *elementari,* et primo quantum ad *aërem,* secundo vero quantum ad *aquam,* ibi: *Omnia flumina intrant in mare.* — Quantum ad *aërem,* cum tangit mutabilitatem in spiritu sive in vento, qui vel est motus aëris secundum aliquos philosophos, vel secundum Aristotelem[8] motus vaporis in aëre, ad cuius motum etiam movetur aër. Propter quod dicit: *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus,* id est, ventus omnia perlustrando circuit. Spiritus dicitur *ventus;* Exodi decimo quinto[9]: « Flavit spiritus tuus, Domine, et operuit eos mare »; et in Psalmo: « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum ». — Hic *pergit in circuitu,* quia oritur a quatuor plagis terrae; Zachariae secundo[10]: « Fugite de terra aquilonis, quoniam in quatuor ventos caeli dispersi vos »; et Ezechielis trigesimo septimo: « A quatuor ventis veni, spiri-

Tertio, quoad naturam elementarem, dupliciter. Primo, quoad aërem.

---

[1] Cap. 1, 5; deinde v. 6.

[2] Vers. 7. — Sequitur Gen. 3, 17. Post hunc locum A addit expositionem *moralem,* sumtam ex Comment. Hugonis a S. Charo, paucis tantum mutatis verbis.

[3] Vers. 19. — Sequitur Iac. 4, 15: Quae est enim vita vestra? vapor est ad etc. Huic textui Vat., refragantibus codd., subiungit haec: Aliter: generatio Iudaeorum praecessit, generatio gentium advenit, *terra vero,* id est Ecclesia, *in aeternum stat* [secundum Hieron.]; vel: generatio malorum praeterit, Prov. 30, 13: *Generatio, cuius excelsi sunt oculi;* generatio bonorum advenit, de qua Ps. 111, 2: *Generatio rectorum benedicetur.* Huiusmodi res non cedunt etc.

[4] Gen. 3, 19. — Sequuntur Ps. 103, 5. et Prov. 8, 29. Iterum A subnectit expositionem *moralem* sumtam ex Hug. a S. Charo in hunc locum.

[5] In Eccle. homil. 2. Textus originalis plura interserit. Ibid. habetur etiam seq. locus.

[6] In A additur: *scilicet a principio librae usque ad finem piscium,* et post *aquilonem* subnectitur *hoc est a principio arietis usque ad finem virginis.*

[7] Vers. 12. Pro *Hailon* Vulgata *Aiulon.*

[8] Libr. II. Meteor. c. 4; ibid. I. Sum. 4. c. 1. (c. 13.) affertur etiam opinio illorum philosophorum, qui dicunt, ventum esse motum aëris, de qua vide etiam IV. Topic. c. 5.

[9] Vers. 10. — Sequitur Ps. 148, 8.

[10] Vers. 6. Post *aquilonis* Vulgata addit *dicit Dominus.* — Sequitur Ezech. 37, 9. — Isidor., XIII. Etymolog. c. 11. n. 2. seqq.: Ventorum quatuor principales spiritus sunt. Quorum primus ab oriente *subsolanus,* a meridie *auster,* ab occidente *favonius,* a septentrione eiusdem nominis ventus aspirat, habens geminos hinc inde ventorum spiritus. Subsolanus a latere dextro *vulturnum* habet, a laevo *eurum;* auster a dextris *euroaustrum,* a sinistris *austroafricum;* favonius a parte dextra *africum,* a laeva *corum;* porro septentrio a dextris *circium,* a sinistris *aquilonem* etc. Cfr. Aristot., loc. in penultima nota cit. et de Mundo, c. 3. (c. 4.).

tus » etc. Quatuor enim venti sunt principales et octo collaterales. — *Et in circulos suos revertitur*, quia tunc cessat ventus, quando vapor ille quiescit et ad terram, unde oritur, revertitur. Et quia causa illa est occulta, ideo dicitur in Psalmo [1]: « Qui producit ventos de thesauris suis », id est occultis.

Aliter. Vel, sicut exponit Glossa, potest hoc intelligi de sole quantum ad motum *annuum*, qui lustrat universa et revertitur in circulos zodiaci; et dicitur sol *spiritus*, quia principium et causa vitae omnis; unde cetera facit spirare.

Secundo, quoad aquam. (Vers. 7.). *Omnia flumina* etc. Hic tangitur mutabilitas quantum ad naturam elementarem *visibilem*, scilicet aquam, quia non est ibi status; omnes enim aquae moventur ad mare; unde dicit: *Omnia flumina intrant in mare*, scilicet magnum oceanum, de quo dicitur Iob trigesimo octavo [2]: « Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens »? Et motus iste non terminatur, quia mare non impletur; ideo subdit: *Et mare non redundat.* Et quia istud videtur mirabile, ideo reddit huius causam: *Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur*, non ut ibi quiescant, sed *ut iterum fluant.* Flumina exeunt occulte, manifeste redeunt, quia per meatus subterraneos et excolationes quasdam exeunt. Et sic omnia feruntur in circuitu et vanitati subiecta sunt; Hugo [3]: « Ecce, quomodo in circuitu feruntur omnia et vanitati subiecta sunt; et scimus, quia circulus finem non habet; quae ergo in circuitu currunt, currunt quidem, sed ad finem non perveniunt. Quae igitur requies sperari potest, ubi status nullus esse potest? Et ideo de impiis dictum est: « Caput circuitus eorum »; et iterum: « In circuitu impii ambulant »; et iterum: « Deus meus, pone illos ut rotam ».

Expositio spiritualis praecedentium. *Spiritualiter* notandum, quis sit iste *sol*, quis sit iste *spiritus lustrans*, quae *flumina circumeuntia* et *redeuntia.*

Sol est Christus. *Sol* iste est Christus, de quo Malachiae quarto [4]: « Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae ». Iste sol *oritur* in nativitate ad illuminandum; Isaiae sexagesimo: « Surge, illuminare, Ierusalem »; et Ioannis primo: « Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem ». — Iste sol *occidit*, in passione ad redimendum; Amos octavo [5]: « Occidet sol in meridie », id est in vehementi amore caritatis. — Iste sol *ad locum suum revertitur*, in ascensione; Lucae decimo nono: « Homo quidam abiit in regionem longinquam » etc. — Iste sol *gyrat per meridiem*, id est in ferventi Sanctorum dilectione; Cantici primo [6]: « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie »; et Ioannis decimo quarto: « Si quis diligit me » etc., post: « Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». — Iste *flectitur ad aquilonem* in extremo examine; Ieremiae primo: « Ab aquilone pandetur omne malum » etc.

Spiritus lustrans est Spiritus S. *Spiritus* iste *lustrans* est Spiritus sanctus, qui ideo *lustrare* dicitur, quia nos facit omnia perscrutari; primae ad Corinthios secundo [7]: « Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei ». — Iste dicitur *ire in circuitu*, quia nos facit circuire; unde Sapientiae septimo [8]: « Spiritus sapientiae mobilis »; sicut etiam *circuiens*, quia nos facit considerare circuitum *miseriae;* Iob primo: « Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc ». Item circuitus *gratiae*, de quo Ioannis decimo sexto: « Exivi a Patre et veni in mundum, et iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». Item *gloriae*, Ezechielis primo: « Hic erat aspectus splendoris per gyrum, et haec erat similitudo gloriae Domini ». Hunc facit considerare Spiritus Dei; secundae ad Corinthios tertio: « Nos revelata facie gloriam Domini speculabimur » etc. — Iste circuitus est in consideratione, quod omnia a Deo et ad Deum. Et dicit Dionysius [9], quod Angeli circulariter moventur circa thronum.

Notandum.

Flumina sunt flumina gratiarum. *Flumina* ista sunt flumina gratiarum, de quibus Ioannis septimo [10]: « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent ». — *Mare*, a quo flumina *habent ortum*, est divinae largitatis immensitas, quae non augetur nec minuitur; « Magnus enim Dominus noster et magna virtus eius; et sapientiae eius non est numerus ». — Ad hoc mare *redeunt* flumina gratiarum actionum, ut iterum fluant; Ioannis quarto: « Qui biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ». Ab hoc *exeunt;* Iacobi primo:

Mare est divina largitas.

---

[1] Psalm. 134, 7, ubi Glossa *interlinearis* ex August. (in hunc locum): « De occultis causis ». — Seq. Glossa est *ordinaria* in Eccle. 1, 6. sumta ex Hieron. in hunc locum.

[2] Vers. 8.

[3] In Eccle. homil. 2: Ecce enim, quomodo in circuitu feruntur omnia transitoria et vanitati subiecta. Et scimus etc. Post *nullus esse potest* textus originalis plura addit. Loci in fine allegati sunt Ps. 139, 10; Ps. 11, 9. et 82, 14.

[4] Vers. 2. — Sequuntur Isai. 60, 1. et Ioan. 1, 9.

[5] Vers. 9. — Sequitur Luc. 19, 12: Homo quidam nobilis abiit etc. Vat. addit locum Isai. 38, 8.

[6] Vers. 6. — Sequitur Ioan. 14, 23, ubi etiam tertius locus; quartus Ier. 1, 14. Vulgata omittit *omne.*

[7] Vers. 10. Quem locum August., Enarrat. in Ps. 52. n. 5. ita explicat: Non quia ille scrutatur, qui novit omnia, sed quia tibi donatus est Spiritus, qui et te scrutari facit; et quod dono ipsius tu facis, ille facere dicitur, quia sine illo tu non faceres etc.

[8] Vers. 22. et 24. — Sequitur Iob 1, 21; tertius Ioan. 16, 28; quartus Ezech. 1, 28. et 2, 1: Haec visio similitudinis gloriae Domini; quintus II. Cor. 3, 18: Nos vero omnes revelata... speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.

[9] De Div. Nom. c. 4. § 8, ubi secundum abbatem Vercellens.: Dicuntur autem mentes angelicae moveri *circulariter* sursum extentae, in quantum uniuntur illuminationibus pulcri et boni, quae sunt sine principio et fine, iuxta quod in circulo non invenitur principium aut finis.

[10] Vers. 38. — Sequuntur Ps. 146, 5; Ioan. 4, 13; Iac. 1, 17; denique Ps. 73, 15.

« Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est ». Et sicut flumina cessant esse et siccantur, cum cessant fluere et quiescunt; sic et dona gratiarum; Psalmus: « Tu dirupisti fontes et torrentes », per largitatem; « tu siccasti fluvios Ethan », per iudicii severitatem.

Quaestiones.

I. Quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Quid habet amplius homo* etc.?

Ad oppositam. 1. Ista videtur esse haeretica sententia et convenire cum illa, quod *vanus est* omnis, *qui servit Deo* [1].

2. Item in Psalmo [2] dicitur: *Patientia pauperum non peribit in finem:* ergo aliquid etc.

3. Item Proverbiorum duodecimo [3]: *Qui operatur terram suam satiabitur panibus:* ergo bonum est operari et laborare.

Resp. Respondeo: sicut dicit Hugo [4], facienda est vis in hoc, quod dicit: *Quo laborat sub sole;* « idem enim est, ac si diceret: sub tempore ».

Distinctio triplex. Propter quod notandum, quod quaedam fiunt *cum tempore*, ut illa quorum ortum non praecessit tempus, sicut angelica natura et materia prima. Quaedam fiunt *in tempore*, quae inceperunt post temporis ortum, sed in tempore non habent occasum, ut anima Petri. Quaedam fiunt *in tempore* et *sub tempore*, quae post ortum temporis inchoant et in tempore terminantur, cuiusmodi sunt mutabilia. Et talia sunt duplicia: quaedam enim fiunt *pro tempore* et *sub tempore*, et talia transeunt actu et fructu; quaedam *pro aeternitate*, et talia transeunt actu, sed manent radice et fructu, quia manet bona voluntas in aeternum remuneranda.

Subdistinctio. Cum igitur dicit, quod *non habet homo nisi vanitatem de universo labore, quo laborat sub sole;* intelligitur, secundum quod labor est *sub tempore* quantum ad actum et intentionem; et tunc non habet locum in bonis.

II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Terra in aeternum stat.*

Contra: 1. Matthaei vigesimo quarto [5]: *Caelum et terra transibunt:* ergo non stat terra.

Ad oppositum. 2. Item, Apocalypsis vigesimo primo [6]: *Vidi caelum novum et terram novam*, ergo terra inveteratur: non ergo stat etc.

Resp. I. cum distinctione. Respondeo: dicendum, quod *terram stare* est dupliciter: vel quantum ad *substantiam*, vel quantum ad *figuram* sive dispositionem; dico, quod terra stat in aeternum quantum ad *substantiam*, sed praeterit quantum ad *figuram;* primae ad Corinthios septimo [7]: *Praeterit figura huius mundi.* Sed homines generantur et corrumpuntur quantum ad substantiam, ut non *homines*, sed *mortui* merito appellentur.

Resp. 2. Aeternum dicitur quinque modis. Vel *aeternum* dicitur multipliciter: uno modo, quod non habet finem in Scriptura praescriptum; sic data fuit filiis Israel terra promissionis in possessionem aeternam. Alio modo, quod habet finem, sed non in tempore; sic *tempus* dicitur esse aeternum. Tertio modo, cuius significatum nunquam finitur [8]. Quarto modo, cuius substantia nunquam finitur. Quinto modo, cuius substantia nec finitur nec incepit. — Hoc ultimo modo solus Deus; quarto modo convenit terrae quantum ad substantiam, tertio modo quantum ad significatum, primis duobus modis quantum ad figuram. — Et sic patet responsio ad illud dupliciter.

III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Oritur sol et occidit.*

Duplex difficultas. 1. Cum enim alia similiter luminaria oriantur, quaeritur, propter quid magis de sole dicit quam de aliis?

2. Item, videtur inordinate procedere, quia prius dicit, quod *occidit*, quam dicat, quod *gyrat per meridiem;* prius enim gyrat quam occidat.

Ad 1. Respondeo: ad hoc dicendum, quod determinata mutabilitate in sole, qui est nobilissimus et lucidissimus inter corpora caelestia, sufficienter datur intelligi in aliis.

Ad 2. 2. Ad illud secundum dicendum, quod non ordinat secundum progressum, sed secundum dimensiones sive terminos dimensionum; ideo, quia oppositi sunt oriens et occidens, ideo immediate ordinantur; item, quia meridies et septentrio [9], ideo similiter immediate ponuntur in modum crucis.

Duplex dubitatio. IV. Sed 1. de hoc est dubitatio, quod dicit: *Ad locum suum revertitur*, quia nullus est in firmamento magis unus locus solis quam alius. — *Si tu dicas*, quod ad locum, a quo incepit cursum; istud manifeste falsum est, quia semper sol movetur motu proprio vel ascendendo, vel descendendo: ergo nunquam redit in idem.

2. Item, quid est quod dicit: *Flectens ad aquilonem.* Si enim sol movetur motu diurno motu firmamenti; et firmamentum uniformiter similiter movetur: ergo non flectitur magis ad polum arcticum quam ad antarcticum, vel e contrario. — *Si dicas,*

---

[1] Malach. 3, 14.

[2] Psalm. 9, 19.

[3] Vers. 11.

[4] In Eccle. homil. 1. et 3, ubi etiam seqq. distinctiones insinuantur.

[5] Vers. 35.

[6] Vers. 1.

[7] Vers. 31. Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 1. ad 1. et d. 48. a. 2. q. 3.

[8] Vat. exemplum affert *sacerdotium Legis, quod figurabat sacerdotium Christi, de quo Ps. 109: Tu es sacerdos* etc. Pro quarto modo ab ipsa ut exemplum exhibentur Angeli et animae rationales nec non terra. Quinto modo subiungitur Ps. 101, 13: Tu autem, Domine, in aeternum permanes. Haec desunt in codd. Eadem Vat. in fine resp. *ad illud dubium* pro *ad illud dupliciter*. Cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 1.

[9] Vat. supplet *sunt oppositi termini*. Superius pro *Ad illud secundum* codd. *Quod quaeritur*, cui addit A *de ordine*.

quod intelligitur: motu proprio; sed sol secundum motum proprium ascendit et descendit in zodiaco, et quando ascendit, accedit ad aquilonem; quando descendit, appropinquat ad austrum: ergo non magis flectitur ad aquilonem quam ad austrum.

Respondeo: dicendum, quod est loqui de motu solis *diurno* et *annuo*. Si loquamur de *annuo*, verum est, quod sol in locum suum revertitur, quia inde coepit moveri. Si autem intelligamus de *diurno*, non redit in locum suum, a quo coepit moveri, secundum veritatem, sed secundum nostram aestimationem, quoniam non facit sphaeram, sed spiram. Resp. ad 1. cum distinctione.

2. Ad secundum dicendum similiter, quod si loquamur de motu *annuo*, veritatem habet secundum quatuor tempora, ut praedictum est [1], quia *oritur* in vere, *occidit* in autumno, *gyrat* per meridiem in hieme, *flectitur ad aquilonem* in aestate. — Si autem intelligas de motu *diurno*, hoc non habet veritatem nisi secundum nostram aestimationem. Nos enim videmus, firmamentum moveri, et imaginamur polos eius a dextris et a sinistris; sed non est sic, immo unus polus est quasi super capita nostra, ut aquilonaris; alter quasi sub pedibus. Quando ergo sol volvitur secundum polos firmamenti, non recte vadit super capita et sub pedibus, sed quasi transversaliter; et quia nos videmus [2] secundum aequalitatem, videtur nobis, quod de die vergat ad meridiem et de nocte ad aquilonem. Ad 2. similiter.

V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Flumina exeunt a mari.*

Contra: Mare est amarum, et flumina dulcia; sed contraria non habent ortum ab uno principio, nec unum ab alio [3]: ergo nec mare a fluminibus, nec flumina a mari. Ad oppositum.

Respondeo: dicendum, quod omnis aqua per naturam est dulcis vel insipida, ut dicit Philosophus [4]; sed amara fit ex accidenti, vel per exhalationem partium subtilium, remanentibus terrestribus, vel per commixtionem partium terrestrium. E contrario aqua illa, sicut accidentaliter facta est amara, potest redire in dulcedinem per subtiliationem; sicut est experimentum de vase terreo posito in mari. Quoniam igitur flumina, etsi redeant ad mare in magna abundantia, tamen exeunt latenter et sub terra et per quasdam excolationes; ideo aqua subtiliatur et in dulcedinem vertitur. Resp.

Quod ergo obiicitur, quod unum contrariorum non habet ortum ab alio; dicendum, quod aqua aquae non est contraria; et si habeat contrariam dispositionem, non habet per naturam, sed per accidens, sicut patet in aqua calida et frigida. Nec est ortus fluminum a mari ratione *proprietatis*, quia prior per naturam est dulcedo in aqua, sed quantum ad *defluxum*, sicut potus vini a dolio; quia ille locus continens est aquarum abundantiam, unde incessanter fit emanatio. Obiectio solvitur.

Secundo consideratur vanitas mutabilitatis rerum secundum esse, quod habent in intellectu humano, et haec probatur triplici ratione.

Cunctae res difficiles etc. Supra determinata est vanitas in rebus secundum *esse*, quod habent in *universo;* hic determinatur vanitas secundum *esse*, quod habent in *intellectu humano;* et ostenditur in eis vanitas tripliciter: primo, quia non *patent;* secundo, quia non *implent*, ibi: *Non satiatur oculus visu;* tertio, quia non *permanent*, ibi: *Non est priorum memoria.* Non patent ad interpretandum vel docendum; non implent ad discentem reficiendum et quietandum; non permanent ad memorandum. Et respiciunt isti tres actus triplicem vim in nobis: interpretativam, cognitivam et memorativam. Divisio. Triplex ratio.

(Vers. 8.). Primo igitur notatur, quod non *patent* ad explicandum; ideo dicit: *Cunctae res difficiles*, scilicet ad inveniendam earum rationem; unde Sapientiae nono [5]: « Difficile aestimamus quae in terra sunt; et quae in prospectu sunt invenimus cum labore »; infra octavo: « Intellexi, quod operum Dei nullam possit homo invenire rationem » etc.; et ideo, quia difficiles sunt, *non potest homo eas explicare sermone;* Iob trigesimo octavo: « Quis enarrabit caelorum rationem »? Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Multa dicemus, et deficiemus in verbis; consummatio sermonum ipse est ». Expositio litteralis. Ratio 1.

(Vers. 8. 9. 10.). *Non saturatur* etc. Hic secundo tangitur, quod non *implent* ad discentem reficiendum; et quia duobus sensibus maxime addiscimus, visu scilicet et auditu; ostendit, quod in neutro est satietas; et propterea dicit: *Non saturatur oculus visu;* Proverbiorum vigesimo septimo [6]: « Oculi enim hominum insatiabiles ». *Nec auris impletur auditu*, quoniam est ibi pruritus audiendi nova et curiosa; secundae ad Timotheum quarto: « Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus ». Et ratio huius est, quia illud, in quo est vera satietas, nec oculus vidit, nec auris percepit; primae ad Corinthios secundo: « Nec oculus vidit, nec auris audivit » etc. Ratio 2.

---

[1] Supra in expositione v. 6.

[2] Vat. addit *polos.*

[3] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 56. (c. 10.): Contrariorum enim contrariae causae.

[4] De Sensu et sens. c. 4. — Ex E adiecimus *vel insipida, ut dicit Philosophus.* Cfr. de his II. de Plantis, c. 1. (c. 3.) et II. Meteor. c. 3, ubi etiam exemplum inferius positum de vase occurrit: Si quis vas cereum (κήρινον) formans posuerit in mare circumligans os talibus, ut nihil illiquescat maris; quod enim ingreditur per parietes cereos fit potabilis aqua; tanquam enim percolatum quod terrestre est et quod facit salsedinem propter commixtionem secernitur. — Codd. habent *terreo.*

[5] Vers. 16. — Sequuntur Eccle. 8, 17, ubi Vulgata voci *operum* praemittit *omnium;* deinde Iob 38, 37; denique Eccli. 43, 29.

[6] Vers. 20. — Sequuntur II. Tim. 4, 3; I. Cor. 2, 9. — De duobus sensibus disciplinalibus cfr. Aristot., de Sensu et sens. c. 1. et I. Metaph. c. 1.

Et quod in his terrenis non possit refici, ostendit, quia oculus et auris vult nova percipere; sed nihil in novitate manet: ergo auris et oculus in nullo implentur. *Maiorem* supponit, et manifestatur Actuum decimo septimo [1]: « Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi »; sed hic proponit *minorem*, quia nihil habet novitatem, nec quantum ad *esse* nec quantum ad *fieri*. — Propterea dicit: *Quid est quod fuit?* Quaerit et ipse respondet: *Ipsum quod futurum est:* ergo a simplici conversa: quod futurum est fuit. Similiter sequitur: *Quid est quod factum est?* Respondet: *Ipsum quod faciendum est:* ergo a simplici conversa: quod faciendum est factum est. — Et ex hoc concludit: *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est:* ergo nec dicere nec audire aliquid novi. Et replicat probationem: *Iam enim praecesserunt in saeculis, quae fuerunt ante nos;* secundae Petri tertio [2]: « Ex quo patres nostri dormierunt, omnia sic perseverant ».

(Vers. 11.). *Non est priorum memoria.* Tertio hic
Ratio 3. tangitur, quod res non *permanent* ad memorandum, quia omnia traduntur oblivioni; unde dicit: *Non est priorum memoria*, scilicet apud nos posteriores; Sapientiae secundo [3]: « Nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum ». Et sic est in praeteritis et in futuris; unde subdit: *Sed nec eorum quidem, quae post futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo,* id est: posteriores non erunt memores priorum, et hoc propter tempus, quod inducit oblivionem; infra secundo: « Futura tempora oblivione cuncta operient ».

Quaestiones.

I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Cunctae res difficiles.*

Contra: 1. Multa sunt, quorum cognitio est
Ad oppositum. communis nobis et brutis: ergo non est difficile homini cognoscere quod cognoscit bestia.

2. Item, quaedam sunt, in quibus non contingit errare, sicut in cognitione sensibilium — quia sensus non fallitur circa proprium obiectum — et principiorum intelligibilium, sicut dignitatum [4]; et talia facile est cognoscere.

3. Item, quid est quod dicit: *Non potest homo eas explicare sermone?* Facilius est homini loqui, quam alicui creaturae facile operari: ergo si alicui creaturae facile est operari, ergo homini, eius operationem explicare.

Respondeo: dicendum, quod est cognoscere *se-* Resp. cum distinctione.
miplene, ut quando cognoscitur secundum accidentia, vel secundum aliquam operationem. Est iterum cognoscere *perfecte,* et ille perfecte cognoscit, qui plene novit substantiam, virtutem et operationem et causas et rationes horum. Et quia virtus est occulta, et substantia remota [5] a sensibus; ideo cunctae res nobis sunt difficiles.

1. Quod ergo obiicitur, quod aliqua cognoscimus cum brutis, verum est aliqualiter, ut quod hoc est amarum; sed plene brutum nihil cognoscit. Solutio oppositorum.

2. Similiter patet secundum: quia, secundum quod sensibile est, manifestum est.

3. Per hoc etiam patet sequens: quia differt *dicere* aliquid et *explicare; explicare* enim est latentes rationes intus et involutas extra depromere; et hoc non potest facere, nisi qui intelligit; et hoc arduum est et paucorum.

II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non saturatur oculus visu* etc.

1. Quaeritur, quare non inducit in aliis sensi- Duplex dubitatio.
bus, cum similiter per eos contingat cognoscere?

2. Item, quid est quod dicit: *Non saturatur?* Dicitur enim tunc *saturari,* quando non vult amplius de eo quod desiderabat; sed contingit aliquando, quod homo non vult plus videre nec audire, immo quiescere: ergo etc.

3. Item, si non saturatur, ergo desiderium eo- Obiectio.
rum nunquam quiescit: ergo cum desiderium, cuius non est quies, frustretur fine; et omne tale otiosum [6]: ergo desiderium visus est otiosum.

Respondeo: dicendum, quod ideo solum istos Resp. 1.
duos sensus commemorat, quia loquitur de sensibus, secundum quod sunt via in cognitionem et referuntur ad sensualem iucunditatem. Et duplex est verbum, Duplex verbum.
quo recognoscimus omnia: verbum scilicet *divinum* et verbum *humanum*. Verbum *divinum* est omnis creatura, quia Deum loquitur; hoc verbum percipit oculus. Verbum *humanum* est vox prolata, et hoc percipit auris [7]. — Vel quia duplex est cognitio: per *inven-* Resp. 2.

---

[1] Vers. 21: Athenienses autem omnes et advenae hospites ad nihil etc. — Conversio simplex propositionis est mutatio praedicati in subiectum, et e converso, manente eadem qualitate et quantitate, v. g. nullus homo est lapis; nullus lapis est homo.

[2] Vers. 4: Ex quo enim patres dormierunt etc.

[3] Vers. 4. — Sequitur Eccle. 2, 16, ubi Vulgata verbo *operient* praefigit *pariter*.

[4] Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 8. (III. c. 3.), qui etiam II. de Anima text. 63. et 161. (II. c. 6. et III. c. 3.) de proprio sensuum obiecto docet, quod circa ipsum non contingit decipi.

[5] Vat. addit *a nostris sensibus, et causae ulterius magis, et nostra cognitio incipit.* Pro *remota* B C D F *removenda.*

[6] Simili modo Aristot., I. Ethic. c. 2, de ultimo hominis fine, si non esset, arguit: In infinitum enim ita fieret progressus, *vanusque* et inanis appetitus noster esset.

[7] Hug. a S. Vict. in Eccle. homil. 2: Ceteri quidem omnes [sensus] corporeae necessitati vel etiam voluptati serviunt; hi vero duo sensus, id est, visus et auditus alimenta sua magis ad spiritualem iucunditatem trahunt... Tota ergo animae rationalis substantia his duobus regitur, id est cognitione et affectu, ut per sapientiam quidem veritatem inveniat, per amorem autem amplectatur virtutem. Ut igitur ob beatitudinem rationali animae etiam exteriora servirent, posita sunt in corpore humano haec duo instrumenta sensuum, ut per ea ad animam notiones ingrederentur atque in ipsa sapientiam sive virtutem, vel si omnino

tionem et *doctrinam;* nam prima respicit visum, secunda vero respicit auditum.

1. 2. Quod obiicitur de saturitate; dico, quod loquitur de horum saturitate, secundum quod sunt organa cordis et voluntatis sive appetitus; et quia cor non saturatur, nec hi duo sensus. Unde Hugo [1]: « Omnis pulcritudo, omnis iucunditas, omnis suavitas rerum conditarum afficere cor humanum potest, satiare non potest nisi illa dulcedo sola, ad quam factum est ».

3. Quod ergo obiicit [2]: *frustrari,* falsum, quia alibi terminatur.

2. Quod obiicit, quod non vult plus; hoc est, quia lassatur et fastidit, non quia saturatur.

III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Nihil sub sole novum.*

Contrarium videtur: 1. Ieremiae trigesimo primo [3]: *Novum* faciet *Dominus super terram.*

2. Item, Apocalypsis vigesimo primo [4]: *Vidi caelum novum et terram novam.*

3. Item, ex hoc verbo videtur error confirmari, quod in rebus sit circulatio secundum egressum, ut eadem sint quae fuerunt, et hoc per litteram sequentem: *Iam praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos;* et sic verificari videtur error ille, qui ponit, post magnum annum, qui continet quindecim millia annorum, omnia renovari [5].

Respondeo: dicendum, quod est operatio conditionis, conservationis, reparationis, glorificationis; quaelibet istarum operationum est supra naturam, et ideo non erit *sub sole* sive sub tempore, sed supra, praeter propagationem; unde de hac tantum intelligit. Resp.

Et sic patent alia. — De hac [6] notandum, quod ipse vocat *novum,* cuius simile non praecessit; et sic non est aliquid novum secundum *propagationem,* quia semper ibi simile ex simili; ipse autem obiicit, quasi dicat de eodem; et illud est sic impossibile intelligere, quia, si omnis forma corrupta et iterum generata differt numero, non potest intelligi de eodem numero [7]. Ad 3.

IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non est priorum memoria.*

Contra: Dicitur in Psalmo [8]: *Memor fui operum* tuorum, *Domine.*

Respondeo: ad hoc dicunt aliqui, quod illud intelligitur de malis, non de bonis. — Sed istud adhuc falsum, quia etiam multa mala sunt in memoria. — Et propterea dicendum, quod ista propositio non est intelligenda ut vera universaliter, sed ut in pluribus, quia plurium est oblivio quam memoria; plurima tamen eorum quae facta sunt, in nostra memoria sunt. Resp. 1. improbata. Resp. auctoris.

ART. 2. *Ex consideratione duplicis vanitatis rerum manifestat et reprehendit suam curiositatem.*

Ego Ecclesiastes fui rex etc. Supra ostendit in rebus vanitatem; hic ex consideratione mutabilitatis rerum suam reprehendit curiositatem. Et habet haec pars duas, quia primo suam *manifestat* curiositatem; secundo *reprehendit* curiositatem ob vanitatem, secundo capitulo [9]: *Cumque convertissem me ad universa opera.* Divisio secundi art.

Primo manifestat suam curiositatem, primo quidem in operibus prudentiae.

Prima habet duas partes, quia primo agitur de curiositate in operibus *prudentiae* sive philosophiae; secundo, de curiositate *opulentiae* sive artis mechanicae, ibi [10]: *Magnificavi opera mea.* — Prima habet duas: quia primo agit de curiositate quantum ad considerationem *naturalium* sive scientiae speculativae; secundo, quantum ad considerationem *moralium* sive scientiae practicae, ibi [11]: *Locutus sum in corde meo* etc. Divisio primae partis. Subdivisio.

Describitur curiositas philosophiae, primo quidem quoad considerationem rerum naturalium, et hoc quadruplici ratione.

Curiositatem igitur in operibus *naturae* sive in consideratione operum divinorum hoc ordine describit. Primo innuitur considerantis *idoneitas,* secundo vero ipsius *curiositas,* tertio divini *iudicii severitas,* quarto concluditur *vanitas.* Divisio.

(Vers. 12.). Primo igitur notatur considerantis *idoneitas,* cum dicit: *Ego Ecclesiastes;* quia in eo fuit *sapientia,* ideo se dicit *Ecclesiasten,* id est concionatorem; fuit etiam *potentia,* unde dicit: *fui rex;* fuit etiam *pax,* unde subdit: *in Ierusalem,* quae interpretatur visio pacis; Ecclesiastici quadragesimo Expositio litteralis. De primo. Ratio triplex.

---

non esset, efficerent, vel, si minus esset, augerent... Opus enim Dei quasi verbum illius est, per quod nobis loquitur, et ipsi oculi quasi instrumenta sunt, quibus per contemplationem verba Dei percipiuntur. Sicut ergo auris instrumentum est ad percipiendum verbum hominis, sic oculus instrumentum est ad percipiendum verbum Creatoris etc. — De seq. ratione cfr. Aristot., III. de Anima, text. 8. (c. 4.), ubi duplex modus cognitionis insinuatur, et de Sensu et sens. c. 1.

[1] In Eccle. homil. 2.

[2] Vat. prosequitur: *si non saturatur desiderium, est frustra; non sequitur, quia alibi terminatur, scil. in Deo, ut dicit Augustinus* [I. Confess. c. 1. n. 1.].

[3] Vers. 22: Creavit Dominus novum super terram.

[4] Vers. 1.

[5] August., de Gen. ad lit. imperfect. lib. c. 13. n. 38: Cum omnia sidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt. Cfr. Plato, Timaeus (ed. Serrani tom. III. pag. 39), et Macrob., II. in Somnium Scipion. c. 11, ubi etiam refert: « Hoc autem, ut Physici volunt, post annorum quindecim millia peracta contingit ». Hieron., Comment. in Eccle. 1, 10. allegat Epicurum, « qui asserit, per innumerabiles periodos eadem et eisdem in locis et per eosdem fieri ».

[6] Supple: propagatione.

[7] Cfr. II. Sent. d. 15. a. 2. q. 3. in fine et dub. 4. — Aristot., II. de Generat. et corrupt. in fine ait: Quorumcumque autem non [i. e. substantia non incorruptibilis], sed corruptibilis, necesse est specie, numero autem non reverti etc.

[8] Psalm. 76, 12.

[9] Vers. 11.

[10] Cap. 2, 4.

[11] Cap. 1, 16.

septimo[1]: « Salomon imperavit in diebus pacis »; primi Paralipomenon vigesimo secundo: « Filius, qui nascetur tibi, erit pacificus »; et quia hoc habebat, ideo nihil a consideratione retrahebat.

De secundo.

(Vers. 13.). *Et proposui in animo meo* etc. Tangitur hic secundum, scilicet ipsius *curiositas*, quia omnia voluit scire et subtiliter indagare. Propterea dicit: *Et proposui in animo meo quaerere*, scilicet ab alio, *et investigare sapienter*, per me ipsum; et hoc est curiositas; ad Romanos duodecimo[2]: « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem »; unde Proverbiorum vigesimo quinto: « Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud ». *De omnibus, quae fiunt sub sole.* Ecce, maior curiositas, quia de *omnibus;* Ecclesiastici tertio[3]: « In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus; plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi ».

De tertio.

Hanc occupationem pessimam etc. Tangitur hic tertium, scilicet divini *iudicii severitas;* quia divino iudicio propter peccatum primi parentis factum est, quod nostra vis rationalis ita libenter luxuriatur in cognitione terrenorum. Propter quod dicit: *Hanc occupationem*[4] *pessimam*, quia non tantum est culpabilis, sed etiam poenalis; *dedit Deus filiis hominum*, id est dari permisit; vel ratione poenalitatis dedit iusto modo; *ut occuparentur in ea*, ac per hoc immemores essent suae salutis.

Triplex occupatio.

Unde notandum est, quod est occupatio *mala*, quae est ex *infirmitate;* de hac Ecclesiastici quadragesimo[5]: « Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium ». — Est occupatio *peior*, quae est ex *ignorantia*, de qua Iob tertio: « Obscurent eum tenebrae et umbra mortis; occupet eum caligo et involvatur amaritudine ». — Tertia est ex *curiositate*, et haec est *pessima*, et de hac loquitur hic.

Quid sint occupatio et curiositas.

Et notandum, quod « *occupatio*, ut dicit Hugo[6], est distractio mentis, quae avertit et distrahit et illaqueat animam, ut non possit cogitare ea quae salutis sunt ». *Curiositas* vero est intellectus humani libidinosa prostitutio, passim quamlibet veritatem amplexans et cum ea adulterans, quia sola prima veritas est sponsa.

De quarto.

(Vers. 14. 15.). *Vidi cuncta, quae fiunt* etc. Tangitur hic quarto *inventa vanitas*, quia nihil amplius profecit, nisi quod in sua consideratione vanitatem invenit. Et propterea dicit: *Vidi cuncta, quae fiunt sub sole*, id est, omnia consideravi. *Et ecce, universa vanitas*, id est, aperte apparet in eis vanitas, quia, secundum quod dicit Apostolus ad Romanos octavo[7], « vanitati subiecta est omnis creatura non volens »; nec tantum vanitas, immo *et afflictio spiritus.* — Sed quia non vident hoc omnes, et quia ita laborant inaniter et non sentiunt suam afflictionem; huic quaestioni tacitae respondet dicens: *Perversi* etc. Quia plures inveniuntur mali quam boni, plures stulti quam sapientes; propterea dicit: *Perversi difficile corriguntur;* unde Proverbiorum decimo octavo[8]: « Non recipit stultus verba prudentiae, nisi ea dixeris, quae versantur in corde suo ». *Et stultorum infinitus est numerus*, scilicet prae multitudine; et hoc non solum est vanitas considerare, immo etiam afflictio; unde dicitur in Psalmo: « Vidi praevaricantes, et tabescebam »; et rursus: « Tabescere me fecit zelus meus ».

Perversio quadruplex.

Pervertitur homo per malam *cogitationem;* Sapientiae primo[9]: « Perversae cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes ». Per malam *affectionem;* Proverbiorum decimo septimo: « Qui perversi cordis est non inveniet bonum, et qui vertit linguam incidet in malum ». Per malam *locutionem;* Proverbiorum decimo: « Labia iusti considerant placita, et os impiorum perversa »; Proverbiorum secundo: « Ut eruaris ab homine, qui perversa loquitur ». Per iniquam *operationem;* Proverbiorum secundo: « Laetantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis »; Isaiae primo: « Quiescite agere perverse ».

Quaestiones.

I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Hanc occupationem pessimam* etc.

Contra: Hoc est peccatum: ergo dedit Deus peccatum. — *Si tu dicas: dedit*, id est permisit dari;

---

[1] Vers. 15. — Sequitur I. Paral. 22, 9, ubi Vulgata *vir quietissimus* pro *pacificus.* — Inferius post *retrahebat* Vat. addit: Solet defectus talium multos retrahere a consideratione rerum; non enim aptus est ad considerandum rerum naturas, qui habet harum ignorantiam; non potest etiam bene cogitare de huiusmodi, qui sustinet paupertatis inopiam, nec vacare etiam ad hoc potest qui non habet pacem et concordiam.

[2] Vers. 3. — Sequitur Prov. 25, 16.

[3] Vers. 24. et 25, ubi pro *ne fueris* Vulgata *non eris.*

[4] Vat. addit *id est curiositatem*, et inferius post *permisit* subiungit *in quantum est culpabilis.*

[5] Vers. 1. — Sequitur Iob 3, 5.

[6] In Eccle. homil. 5. in fine: Occupatio enim est distractio et illigatio mentium, quae avertit et dissipat et illaqueat animas, ne cogitare pervaleant ea quae salutis sunt. Ibid. tangitur etiam curiositas, quae in lib. de Similitud. (inter opera Anselmi) definitur: Curiositas est studium perscrutandi ea quae scire nulla est utilitas. — Inferius post *Curiositas vero* Vat. addit *secundum eundem*, et voci *prima* cum E praefiximus *sola.*

[7] Vers. 20. — Inferius post *spiritus* exhibemus lectionem E. Ceteri codd. cum Vat. omittunt: *Sed quia non* usque *respondet dicens: Perversi* etc.

[8] Vers. 2, ubi pro *suo* Vulgata *eius.* — Sequuntur Ps. 118, 158. et 139.

[9] Vers. 3. — Sequuntur Prov. 17, 20; 10, 32; 2, 12: Ut eruaris a via mala et ab homine etc., et 2, 14; denique Isai. 1, 16.

sed similiter permisit furari: ergo esset recte dicendum, quod Deus furatur.

Resp. cum distinctione. Respondeo: « peccata media inter primam apostasiam et ultimam poenam sunt poena et culpa [1] »; quaedam autem plus dicunt rationem culpae, quaedam plus rationem poenae; illa quae plus dicunt rationem poenae, attribuuntur iusto Dei iudicio, et talis est occupatio et excaecatio huiusmodi.

II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Perversi difficile corriguntur:* quia facile est, aliquem perverti; sed perversio est contra naturam [2]: ergo si facillimum est reverti ad naturam; cum vitium sit contra naturam, facillimum est corrigi.

Resp. Respondeo: ratio sumitur et ex parte *operis mali*, quia « bonum est uno modo, malum autem omnifarium [3] »; et ex parte *operantis potentiae*, quae redditur infirma per culpam, et ideo non potest in opus strenuum; et a parte *oppositionis boni* ad malum secundum privationem, quia facillimum est recedere ab habitu ad privationem, sed difficile, vel omnino impossibile est redire.

Ratio triplex.

Describitur curiositas philosophiae secundo quoad considerationem moralium, et hoc quadruplici ratione.

Locutus sum etc. Egit supra de consideratione naturalium; hic similiter ostendit suam curiositatem in consideratione *moralium;* et hoc quidem facit hoc ordine. Primo enim notatur ipsius a naturalibus ad moralia *translatio;* secundo vero, afflictionis *inventio;* tertio vero, *conversio* ad delectabilium fruitionem; quarto, *reditus* ad utilium considerationem.

Divisio.

Expositio litteralis. De primo. (Vers. 16. 17.). Primo igitur insinuatur ipsius ad moralia consideranda *translatio*, et hoc, postquam consideravit rerum naturas. Propter quod dicit: *Locutus sum in corde meo*, scilicet per cogitationem, *dicens: Ecce, magnus effectus sum*, in fama; *et praecessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem;* tertii Regum quarto [4]: « Et praecellebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus »; Ecclesiastici quadragesimo septimo: « Eruditus est in iuventute sua, et impletus est quasi flumen sapientia ». Et hanc cognitionem habuit partim *revelatione;* unde dicit: *Mens mea contemplata est multa sapienter*, divinitus scilicet illustrata; et partim etiam *sua sollicitudine;* unde et subdit: *Et didici;* Proverbiorum quarto [5]: « Ego fui filius tenellus patris mei et unigenitus coram matre mea, et docebat me »; Proverbiorum ultimo: « Visio, qua erudivit eum mater ». — Hanc igitur sapientiam considerans se habere in rerum naturalium investigatione, quia « disputavit a cedro Libani usque ad hyssopum », secundum quod dicitur tertii Regum quarto; voluit se transferre ad *moralia;* unde dicit: *Dedique cor meum, ut scirem prudentiam*, quantum ad facienda; *atque doctrinam*, quantum ad cognoscenda; *erroresque*, contra prudentiam; *et stultitiam*, contra doctrinam; quia non scitur aliquid perfecte, nisi cognoscatur eius oppositum. Et haec utile est scire, quando modo debito inquiruntur; unde Proverbiorum octavo [6]: « Accipite disciplinam et non pecuniam; doctrinam magis quam aurum eligite ».

De secundo. (Vers. 17. 18.). *Et agnovi* etc. Tangitur hic secundum, scilicet in huius consideratione spiritualis *afflictionis inventio;* quia, quanto homo melius cognoscit bona et mala, tanto magis affligitur, quando errat. Propter quod dicit: *Et agnovi, quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus*, hoc est in rerum utilium cognitione; *labor*, scilicet ad acquirendum; Psalmus [7]: « Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me »; *afflictio spiritus*, post acquisitionem vel propter culpae detestationem, vel quia est occasio superbiae et impatientiae, quoniam « scientia inflat ». — Utrique expositioni concordat littera sequens, cum subdit: *Eo quod in multa sapientia multa sit indignatio*, vel *contritionis*, contra culpam, vel *impatientiae* ex superbia, quia magni clerici, cum non habent quod volunt, facillime indignantur; unde dicitur Iob trigesimo secundo [8], quod Eliu erat indignatus, et hoc, quia se sapientem reputabat. Et ideo sequitur: *Qui addit scientiam addit et dolorem*, quia homo impatiens multos sustinet dolores, quia nemo est, cui cuncta ad votum perveniant. Et huic expositioni concordat alia translatio Hieronymi [9]: « Agnovi, quoniam in his esset pastio venti », et ideo

---

[1] Iis verbis complectitur Magister in II. Sent. d. XXXVI. c. 1. sententiam August., Enarrat. in Ps. 57, 9. n. 18.

[2] Damasc., IV. de Fide orthod. c. 20: Peccatum est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est praeter naturam aversio. Cfr. II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1. arg. 1. ad oppos., ubi eadem obiectio habetur.

[3] Secundum Aristot., I. Magnor. Moral. c. 22. (c. 25.); VII. Moral. Eudem. c. 6. (c. 5.) et II. Ethic. c. 6. (cfr. tom. II. pag. 655, nota 3.). Idem, Praedicam. c. *de Oppositis*, ait: Ex habitu enim in privationem mutatio fit, a privatione vero in habitum impossibile est. — Inferius post *redire* F supplet *a privatione in habitum.*

[4] Vers. 30. et 31: Et praecedebat sapientia etc. — Sequitur Eccli. 47, 15. seq.: Eruditus es in iuventute tua, et impletus es quasi etc.

[5] Vers. 3. et 4; deinde ibid. 31, 1. Subinde allegatur III. Reg. 4, 33: Et disputavit super lignis, a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum etc.

[6] Vers. 10. Vulgata post *disciplinam* addit *meam.*

[7] Psalm. 72, 16. Sequitur I. Cor. 8, 1. — Superius pro *utilium* Vat. *inutilium*, quae etiam inferius exhibet *contristationis* pro *contritionis* et *homines* pro *clerici* (sumitur pro *litteratis*).

[8] Vers. 2. seqq. — Prov. 19, 19: Qui impatiens est sustinebit damnum.

[9] Comment. in Eccle. 1, 17: Cognovi, quia et hoc est pastio venti (Vat. corrupte *passio mentis*, codd. *potestas venti*). — Verba Hugonis a S. Vict. habentur in homil. 7. in Eccle. — Aliquanto inferius post *peccatum* Vat. addit: Glossa [*interlinearis* apud Lyranum ex Hieron. in Eccle. 1, 18.]: Quanto quis magis sapientiam assequitur, tanto magis vitiis subiacere indignatur. Bernardus: Discite sapientiae superbiam, scilicet indignari vitiis et contemnere temporalia.

recte est ibi labor et afflictio spiritus. Unde Hugo: « Curiositas ad inquisitionem eum impellebat, superbia ad ostentationem; et ideo dignum erat, ut tumidum labor premeret, et curiosum occupatio dissiparet ». — Potest etiam intelligi de afflictione *contritionis*, quia etiam ubi multa sapientia est, multa est indignatio contra peccatum; Ieremiae trigesimo primo [1]: « Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum ». *Et qui addit scientiam addit et dolorem*, scilicet poenitentiae; Iob ultimo: « Nunc oculus meus videt te; idcirco me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere ».

Capitulum II.

(Vers. 1.). *Dixi ego in corde meo* etc. Tangi-
De tertio. tur hic tertium, scilicet propter considerationis taedium *conversio ad delectationem*. Quia enim in considerando erat labor et afflictio, ideo cogitavit hoc relinquere et convertere se ad delicias, in quibus est delectatio. Propter quod dicit: *Dixi ego in corde meo*, id est, in hanc considerationem deveni propter spiritualem in considerando afflictionem. Unde verbum est et consideratio non sapientiae, sed accidiae, quae, non inveniens quietem interius, quaerit exterius. *Dixi* igitur: *Vadam et affluam deliciis et fruar bonis. Vadam*, a bono vero recedendo; Psalmus [2]: Homo factus est « spiritus vadens et non rediens ». *Affluam deliciis*, quantum ad multitudinem deliciarum, scilicet carnalibus contra spirituales; Cantici septimo: « Quam pulcra es, carissima, in deliciis ». Ab his recessit ad carnales; Isaiae vigesimo secundo: « Vocavit Dominus ad fletum et planctum » etc., et post: « Ecce gaudium et laetitia iugulare arietes » etc. *Et fruar bonis*, quantum ad quietem; eo enim fruitur quis, in quo quiescit appetitus; Sapientiae secundo: « Venite, fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura tanquam in iuventute celeriter »; et Proverbiorum septimo: « Veni, fruamur cupitis amplexibus ». Sed quia haec consideratio erat culpabilis et reprehensibilis, ideo semetipsum redarguit, quia delectatio praesens non est vera delectatio, sed deceptio; ideo subdit: *Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas;* eo quod non *permanet* neque reficit, sed deficit et decipit.

(Vers. 2.). Propter quod dicit: *Risum reputavi errorem*, eo quod hominem seducat; *et gaudio dixi: quid frustra deciperis?* quia scilicet eo gaudens decipitur. *Risus* est exterius, et *gaudium* interius. *Risus* decipit, quia offert bonum et in fine malum; Proverbiorum decimo quarto [3]: « Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat »; et Iacobi quarto: « Risus vester in luctum convertatur », quia Lucae sexto: « Vae vobis, qui ridetis, quia flebitis ». Iste risus est risus phreneticorum, quia erroneus et momentaneus. Similiter etiam *gaudium* interius decipit; Iob vigesimo primo [4]: « Gaudent ad vocem organi; ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt »; et Iob vigesimo: « Gaudium hypocritae ad instar puncti ».

(Vers. 3.). *Cogitavi in corde meo* etc. Tangitur hic De quarto.
quartum, scilicet *reditus* ad utilium considerationem, et hoc redeundo a voluptate ad sobrietatem. Propter quod dicit: *Cogitavi in corde meo abstinere a vino carnem meam*, quia illud miro modo inclinat ad voluptatem; unde ad Ephesios quinto [5]: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria »; et Proverbiorum vigesimo: « Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur non erit sapiens ». Ideo cogitavit incitamentum relinquere voluptatis, *ut animum meum transferrem ad sapientiam*, id est ad considerationem sapientium, et relinquerem considerationem stultorum, qualis fuit consideratio praecedens; unde dicit: *Devitaremque stultitiam;* et hoc ad sapientiae exhortationem; Proverbiorum primo [6]: « Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quae sunt noxia, cupient »? Et hoc non tantum propter utilitatem propriam, sed communem; ideo dicit: *Ut viderem, quid esset utile filiis hominum;* et hoc in vita praesenti, unde et subdit: *Quo facto opus sit*, id est, quod opportunum est facere, *sub sole numero dierum vitae suae*. Hoc vidit et enarravit in fine libri [7]: « Deum time, mandata eius observa; hoc est omnis homo ».

Hoc est *utile: mandata Dei servare*, quia di-
Notantur quatuor utilia et quatuor inutilia.
citur infra octavo: « Qui custodit praeceptum non experietur quidquam mali »; et Proverbiorum decimo nono: « Qui custodit mandatum custodit animam suam; qui autem negligit viam suam morietur ». — *Dimissio iniquitatis;* secundae ad Timotheum secundo [8]: « Si quis emundaverit se ab istis, erit vas sanctificatum utile Domino, ad omne opus bonum ». — *Eruditio veritatis;* secundae ad Timotheum ter-

---

[1] Vers. 19. — Sequitur Iob 42, 5. et 6: Nunc autem oculus... idcirco ipse me etc. Cfr. August., in Ps. 98. n. 12.

[2] Psalm. 77, 39. — Sequuntur Cantic. 7, 6, ubi Vulgata post *es* addit *et quam decora;* Isai. 22, 12: Et vocabit Dominus... ad fletum etc.; v. 13: Et ecce... laetitia occidere vitulos et iugulare arietes etc.; Sap. 2, 6: Venite ergo, et fruamur etc; Prov. 7, 18: Veni... et fruamur etc.

[3] Vers. 13. — Sequitur Iac. 4, 9; deinde Luc. 6, 25: Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.

[4] Vers. 12. et 13: Gaudent ad sonitum organi etc.; deinde ibid. 20, 5.

[5] Vers. 18. — Sequitur Prov. 20, 1.

[6] Vers. 22; vocibus *quae sunt* Vulgata interserit *sibi*.

[7] Cap. 12, 13. Sequuntur ibid. 8, 5; Prov. 19, 16, ubi Vulgata *mortificabitur* pro *morietur*, et codd. *vitum* pro *viam*.

[8] Vers. 21: Si quis ergo emundaverit... erit vas in honorem sanctificatum et utile... bonum paratum. Sequitur ibid. 3, 16, in quo Vulgata plura interserit (v. 17: Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus); deinde I. Tim. 4, 7. et 8. — Superius post *morietur* Vat. intrudit propositionem a codd. omissam: *Hic notantur multa utilia et inutilia. Utilia.*

tio: « Omnis doctrina divinitus inspirata utilis est ad erudiendum in iustitia », ut sit homo iustus. — *Exercitatio pietatis;* primae ad Timotheum quarto: « Exerce temetipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est ».

Inutilia: legis Dei *transgressio superba;* secundi Paralipomenon vigesimo quarto [1]: « Quare transgredimini praeceptum Domini, quod vobis non proderit »? *Sapientia sine doctrina;* Ecclesiastici vigesimo: « Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque »? *Doctrina sine vita;* Lucae decimo quarto: « Bonum est sal; si autem sal evanuerit, in quo condietur » etc. *Disputatio contentiosa;* secundae ad Timotheum secundo: « Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est ».

Quaestiones.

Quaeritur de hoc, quod dicit: *Qui addit scientiam addit et dolorem.*

Contra: 1. « Omnes homines natura scire desiderant [2] »; sed desiderium, si compleatur, delectat animam: ergo etc.

2. Item, aut loquitur de *vera* sapientia, et hoc falsum, quia Sapientiae octavo [3]: « Non habet amaritudinem conversatio illius ». Si de *curiosa,* hoc falsum, quia magna est eis delectatio, quando possunt aliquid scire.

Respondeo: dicendum, quod de utraque potest
Resp. intelligi. De *curiosa* verum est, quia, sicut cum divitiis crescit avaritia et appetitus habendi, sic curioso appetitus addiscendi. Si vero de scientia *veritatis;* secundum quod dicit *saporem,* delectat; secundum quod *cognitionem,* occasionaliter contristat vel propter immunditiam conscientiae propriae, vel propter aspectum perversitatis alienae [4].

Secundo manifestat suam curiositatem in operibus opulentiae, eandemque primo describit quoad artificialia, quae ordinantur ad divitias, et hoc quidem quadruplici ratione.

Magnificavi opera mea etc. Determinavit supra curiositatem in consideratione *sapientiae;* hic intendit determinare curiositatem in *operibus mechanicae,* quae respiciunt ea quae corporis sunt, priora vero, quae spiritus. Prima sunt liberalia, secunda,
Divisio. artificialia. — Et habet haec pars duas: quia primo agitur de artificialibus, quae ordinantur ad *divitias;* secundo, de his quae ordinantur ad *delicias,* ibi: *Feci mihi cantores.*

Curiositatem igitur suam in his quae spectant ad possessionem *divitiarum,* describit hoc ordine: primo, Subdivisio quoad acquisitionem possessionum *stabilium;* secundo, quoad multiplicationem *servientium;* tertio, quoad amplificationem *pecorum et animalium;* quarto, quoad coacervationem *mineralium;* in quibus quatuor fere omnes consistunt deliciae mundanorum.

(Vers. 4. 5. 6.). Primo igitur suam exprimit curio- Expositio litteralis. De primo. sitatem quantum ad *possessionem stabilium,* scilicet domorum ad habitandum, vinearum et hortorum ad vescendum, piscinarum ad irrigandum. Propterea dicit: *Magnificavi opera mea,* id est magna feci; tertii Regum decimo [5]: « Magnificatus est rex Salomon super omnes reges universae terrae ». Et exprimit singillatim: *Aedificavi mihi domos,* quia plures aedificavit; unde tertii Regum nono: « Postquam aedificavit Salomon duas domus: domum Domini et domum regis », aedificavit domum filiae Pharaonis;. et id fuit curiositatis et reprehensibile; unde Isaiae quinto [6]: « Vae, qui coniungitis domum ad domum ». *Plantavi vineas,* ad potum scilicet; Genesis nono: « Noe plantavit vineam bibensque vinum inebriatus est ». — *Feci hortos et pomaria et consevi ea diversi generis arboribus,* ad cibum; Cantici sexto: « Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium et inspicerem, si floruisset vinea, et germinassent mala punica ». — Et quia haec indigebant irrigari, ideo subdit: *Et exstruxi mihi piscinas aquarum,* id est loca, in quibus est aquarum congeries; et hoc, *ut irrigarem silvam lignorum germinantium,* scilicet per irrigationem, quia dicitur Iob duodecimo [7]: « Si continuerit aquas, omnia siccabuntur ». Tales necessariae erant in terra promissionis propter aquae penuriam; Deuteronomii undecimo: « Terra, ad quam ingredieris possidendam, montuosa est et campestris, de caelo exspectans pluvias ».

(Vers. 7.). *Possedi servos.* Tangitur hic secundo De secundo. curiositas quoad *multitudinem servientium,* quia in utroque sexu; unde dicit: *Possedi servos et ancillas;* et etiam in omni aetate; unde: *Multamque familiam habui;* tertii Regum decimo [8]: « Videns regina Saba sapientiam Salomonis et cibos mensae eius, habitacula servorum et ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum ».

(Vers. 7.). *Armenta quoque.* Tangitur hic ter- De tertio. tio curiositas quantum ad *congregationem pecorum et animalium* tam magnorum quam parvorum, cum dicit: *Armenta quoque et magnos ovium greges,* supple: habui; *ultra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem.* Et quod multa habuerit, patet, quia multa consumebat; unde tertii Regum quarto [9]: « Erat cibus Salomoni per singulos dies decem boves

---

[1] Vers. 20. — Sequuntur Eccli. 20, 32; Luc. 14, 34; II. Tim. 2, 14.

[2] Aristot., I. Metaph. c. 1.

[3] Vers. 16.

[4] Cfr. infra q. III. pag. 23. — Vat. omittit *occasionaliter.*

[5] Vers. 23, ubi Vulgata omittit *universae.* Sequitur ibid. 9, 10. De domo filiae Pharaonis cfr. ibid. 7, 8.

[6] Vers. 8. — Sequuntur Gen. 9, 20. et 21; Cantic. 6, 10.

[7] Vers. 15. — Sequitur Deut. 11, 10. seq. Post *possidendam* in Vulgata plura adduntur.

[8] Vers. 4. et 5. Plura tamen a Vulgata interseruntur.

[9] Vers. 22. et 23. Post *singulos dies* in Vulgata additur *triginta cori similae et sexaginta cori farinae.*

pingues et viginti boves pascuales et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum » etc.

De quarto. (Vers. 8.). *Coacervavi mihi.* Tangitur hic quarto curiositas quoad *coacervationem mineralium*, cum dicit: *Coacervavi mihi aurum et argentum*, quantum ad metalla, *et substantias regum et provinciarum*, quantum ad lapides pretiosos et gemmas; tertii Regum decimo[1]: « Singuli deferebant munera Salomoni: vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica », et post: « Fecitque, ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum ».

Expositio spiritualis. *Spiritualiter* Salomon iste, qui *magnificavit opera sua*, Christus Dominus est, qui est *rex pacificus*, cuius opera magna; unde in Psalmo[2]: « Quam magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti » etc. Christus autem opera sua magnificat spiritualia, dum magnos et multos facit *servos* tum quoad vitam activam tum quoad contempla-

Vita contemplativa. tivam. — Contemplativi enim ad hoc, quod sint magni in statu suo, multa habent sibi collata a Christo Domino: *domos*, scilicet conscientias quietas; Proverbiorum vigesimo quarto[3]: « Ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti neque vastes requiem eius ». In hac domo quiescendum est, non in aliena; quoniam econtra, Ecclesiastici vigesimo primo: « Pes fatui facilis est in domum proximi ». — *Vineas*, id est affectiones devotionis, ex quibus vinum elicitur; Iudicum nono[4]: « Nunquid possum deserere vinum meum »? — *Hortos*, id est exteriores clausuras; Cantici quarto: « Hortus conclusus, fons signatus, soror mea, sponsa ». — *Silvas*, hoc est virtutes varias; Numerorum vigesimo quarto: « Quam pulcra tabernacula tua, Iacob, ut valles nemorosae ». — *Pomaria*, id est operationes honestas et famosas; Iob nono: « Dies mei transierunt velut naves poma portantes », quae scilicet relinquunt bonum odorem; secundae ad Corinthios secundo: « Christi bonus odor sumus Deo ». — *Piscinas*, id est lacrymas multas; Cantici septimo: « Oculi tui sicut piscinae in Hesebon »; Ieremiae nono: « Quis dabit capiti meo aquam et oculis

Vita activa. meis fontem lacrymarum »? — Sicut Christus opera sua magnificavit in *contemplativis*, sic et in *activis*, quibus plura necessaria sunt: *servi et ancillae*, per humilitatem; Lucae decimo septimo[5]: « Cum omnia feceritis, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus ». — *Armenta boum*, per operum strenuitatem, quia boum non est quiescere, sed arare; Iob primo: « Boves arabant »; Ecclesiastici septimo: « Ne oderis laboriosa opera ». — *Oves*, per intentionis simplicitatem; Matthaei decimo: « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum »; primae Petri secundo: « Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite ». — *Aurum*, per caritatem; Danielis secundo dicitur de statua illa, quod « caput eius erat ex auro optimo », quia caritas est caput virtutum. — *Argentum*, per eloquii suavitatem, quia dulcem habet sonum; unde in Psalmo[6]: « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum »; et Ecclesiastici sexto: « Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos ». — *Substantias regum*, per munificentiae largitatem; Ecclesiastici decimo tertio: « Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia ».

Suam curiositatem opulentiae secundo describit quoad artificialia, quae ordinantur ad delicias, et hoc quadrupliciter.

Divisio. *Feci mihi cantores.* Egit de curiositate sua quantum ad ea quae ordinantur ad divitias; hic agit quantum ad ea quae ad *delicias;* et hoc quidem facit per hunc modum. Quia enim talia non fiunt a quocumque, sed ab eo qui vult, potest et scit; ideo primo ostendit suam *diligentiam* ad huiusmodi delectabilia praeparandum; secundo vero, *potentiam* ad consummandum; tertio, *sapientiam* ad ordinandum; quarto vero, *voluptatem* ad perfruendum.

Expositio litteralis. De primo. (Vers. 8.). Primo ostendit superfluam *diligentiam* suam ad huiusmodi delectabilia praeparandum, quia quantum ad *auditum* et quantum ad *visum*. Ratione *auditus* dicit: *Feci mihi cantores et cantatrices*, scilicet in utroque sexu, et hoc propter delicias[7]; unde dicit: *Et delicias filiorum hominum*, et hoc quantum ad auditum. Quantum ad *visum* etiam fecit vasa pulcra; unde dicit: *cyphos et urceolos*, quantum *ad vina fundenda*, scilicet *feci*, et hoc propter delicias. Unde valde diligens fuit, et hoc reprehensibile; unde Amos sexto[8]: « Vae vobis, qui opulenti estis in Sion »; et post: « Qui canitis ad vocem psalterii, bibentes in phialis vinum ».

De secundo. (Vers. 9.). *Et supergressus sum opibus* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *potentia* ad perficiendum, quia pauper, etsi possit huiusmodi artificialia deliciosa inchoare, non tamen perficere; sed ipse poterat tanquam dives. Propterea dicit: *Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem.* Omnes enim excessit; tertii Regum tertio[9]: « Dedi tibi divitias et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus ».

De tertio. (Vers. 9.). *Sapientia quoque* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *prudentia* ad ordinandum, cum dicit: *Sapientia quoque perseveravit mecum*, per quam

---

[1] Vers. 25. et 27.

[2] Psalm. 103, 24.

[3] Vers. 15. — Sequitur Eccli. 21, 25.

[4] Vers. 13. — Sex seqq. loci sunt Cantic. 4, 12; Num. 24, 5. et 6, ubi Vulgata post *Iacob* addit *et tentoria tua Israel;* Iob 9, 26; II. Cor. 2, 15; Cantic. 7, 4. et Ier. 9, 1.

[5] Vers. 10. — Quinque seqq. loci sunt Iob 1, 14; Eccli. 7, 16: Non oderis etc.; Matth. 10, 16; I. Petr. 2, 2: Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite; Dan. 2, 32.

[6] Psalm. 11, 7. — Sequuntur Eccli. 6, 5; Eccli. 13, 30.

[7] Vat. addit: Glossa [*ordinaria*]: Ut uterque sexus me oblectaret.

[8] Vers. 1; sequitur ibid. 5. et 6, in quo post *psalterii* Vulgata plura addit.

[9] Vers. 13.

scilicet illà quae fecerat, ordinabat; tertii Regum decimo [1]: « Videns regina Saba Salomonis sapientiam et ordines ministrantium, vestes quoque eorum et pincernas etc., ultra spiritum non habebat »; et tertii Regum quarto: « Praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et Aegyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus ».

(Vers. 10.). *Et omnia, quae desideraverunt* etc.

De quarto. Tangitur hic quartum, scilicet *voluptas* eius ad perfruendum iis rebus delectabilibus, quas praeparaverat; et quia quaedam est voluptas, quae habet ortum *ab extrinseco*, quaedam *ab interiori conceptione*, utrumque notat in se. Quantum ad primum dicit: *Et omnia, quae desideraverunt oculi mei*, scilicet exterius videntes, *non negavi eis*, immo satisfecit ad suam culpam; unde Threnorum tertio [2]: « Oculus meus depraedatus est animam meam »; et Ieremiae nono: « Ascendit mors per fenestras meas ». — Quantum ad voluptatem interiorem dicit: *Nec prohibui cor meum*, id est cordis concupiscentiam, *quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his quae praeparaveram;* contrà illud Ecclesiastici decimo octavo: « Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere ». Et quia affectus pervertit saepe iudicium rationis, sequitur perversum iudicium; unde et subdit: *Et hanc ratus sum partem meam*, id est iudicavi, mihi esse melius, *si uterer labore meo*, scilicet in praesenti. Et hoc est iudicium Epicureorum, qui non exspectant aliud bonum nec aliam *partem;* econtra Sancti in praesenti non habent *partem*, sed in futuro; unde in Psalmo [3]: « Portio mea, Domine, sit in terra viventium »; et rursus: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei » etc.

Duplex voluptas.

Quaestiones.

I. Quaeritur, cum peccatum sit in his *cantilenis* sic delectari, ad quod genus peccati reducitur? — *Si tu dicas*, quod ad luxuriam; quaeritur: cum auditus sit unus sensus, sicut gustus et tactus; videtur, quod debeat esse capitale peccatum in auditu, sicut in tactu; aut si non, quaero causam.

2. Item quaero, utrum in huiusmodi cantilenis delectari sit peccatum? Quod *non*, videtur: quia Sancti instituerunt cantari ad gloriam Dei.

Quod autem peccatum sit; Augustinus in Confessionibus [4]; « Quoties cantus mihi magis placuit quam verba, graviter me peccasse confiteor ».

Respondeo: dicendum, quod delectari in huiusmodi cantilenis, aut hoc est propter internam *devotionem*, et haec non quaerit nisi cantum honestatis et verba; aut propter internam *voluptatem* et lasciviam; aut propter quandam *curiositatem*. Primo modo non est peccatum, sed meritum; secundo modo est peccatum annexum luxuriae de proximo; tertio modo est peccatum curiositatis annexum luxuriae de remoto. Resp. ad 2. cum distinctione.

Quod quaerit, quare non est peccatum capitale circa hunc sensum, sicut circa tactum et gustum; respondeo, quia non est tanta corruptio nec delectatio. Ad 1.

II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem.* Quid est hoc? Quod dicit nulla videtur eminentia, quia ante ipsum non regnavit nisi solum pater eius, quia ipse ascendit et cepit eam et expulit Iebusaeum [5].

Ad hoc dicunt quidam, quod non tantum loquitur quantum ad reges Israel, scilicet David et Saul, sed etiam quantum ad iudices [6]. — Sed hoc non fuit magnum. — Propter hoc dicitur, quod ante ipsum fuerunt reges in Ierusalem de Chanaan, et illi quidem divites et magni fuerunt, et quantum ad illos dicit. — Vel potest littera legi, ut ista determinatio *in Ierusalem* referatur ad opes, quas possedit in Ierusalem, non ad reges, ut sit sensus: *Supergressus sum opibus in Ierusalem omnes, qui ante me fuerunt*, quia nullus ante eum ei similis. Resp. 1. improbata. Resp. 2. Resp. 3.

III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sapientia quoque perseveravit mecum.*

Contra: « Sapientia doctrinae secundum nomen illius », Ecclesiastici sexto [7]: ergo nullus est sapiens, nisi cui sapiunt res, prout debent; sed Salomoni non sapuerunt, quia bona aeterna contempsit et temporalia adamavit: ergo non fuit sapiens, sed stultus.

Respondeo: dicendum, quod *sapientia* uno modo importat cognitionem solum, et sic dicitur « sapientia rerum divinarum humanarumque cognitio [8] »; alio modo importat gustum et affectus saporem et ordinem, et sic dicitur *sapientia* a sapore. Primo modo Resp. cum distinctione.

---

[1] Vers. 4. et 5, pluribus omissis; sequitur ibid. 4, 30. et 31.

[2] Vers. 51. — Sequuntur Ier. 9, 21: Quia ascendit... fenestras nostras; deinde Eccli. 18, 30. — Aristot., VI. Ethic. c. 12, ait, « quod distorquet pravitas [affectus] facitque, ut circa activa principia fallamur ».

[3] Psalm. 141, 6: Portio mea in terra etc.; deinde ibid. 15, 5.

[4] Libr. X. c. 33. n. 50: Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quae canitur, moveat, *poenaliter* me peccare confiteor etc.

[5] Cfr. II. Reg. 5, 6. seqq. Vide Hieron., Comment. in Eccle. 2, 7: Non ad grandem gloriam pertinet Salomonis, uno patre suo rege se ditiorem fuisse, quia sub Saule necdum regnabatur in Ierusalem, et a Iebusaeis, qui ipsi urbi insederant, tenebatur.

[6] Hieron., in hunc locum, ait. Quod autem ait: *Qui fuerunt ante me in Ierusalem*, de his dicit, qui ante adventum suum congregationem Sanctorum et Ecclesiam gubernarunt.

[7] Vers. 23, ubi Vulgata pro *illius* ponit *est eius*. — Bernard., in Cantic. serm. 50. n. 6; Est enim sapientia, per quam utique quaeque res sapiunt, prout sunt etc.

[8] Cicero, V. Tuscul. Disp. c. 3. et II. de Offic. c. 2. Cfr. tom. III. pag. 773, nota 2; ibid. nota 5. de seq. propositione.

sapere est in bonis et malis, qui habent intellectum illuminatum ad videndum multa vera de Deo et creaturis; secundo modo tantum est in bonis. Primo modo perseveravit, quia intelligentiam non amisit; secundo modo amisit, cum peccavit et stultus factus est.

IV. Quaeritur hic de hoc quod dicit: *Et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.*

1. Ergo videtur, quod Salomon fuerit de sententia Epicureorum, qui non ponunt, aliud gaudium esse nisi in praesenti; et hoc est haereticum.

2. Item, si ipse fuit sapiens et intelligens et hoc posuit: ergo praesumendum, quod hoc esset verum.

Resp. cum distinctione.

Respondeo: dicendum, quod duplex est iudicium in nobis: quoddam *rationis deliberantis et conferentis*, quoddam *aestimationis*. Dico, quod Salomon iudicio rationis *deliberantis et conferentis* nunquam hoc ratus est nec fuit istius sententiae, sed solius *aestimationis*, sicut omnis peccator aestimat, sibi esse bonum peccare; unde non est ibi error infidelitatis, sed potius error deviationis a bono. Epicurei autem non solum hoc aestimant, immo certitudinaliter asserunt, non esse aliud bonum; et ideo sunt haeretici et infideles.

Solutio oppositorum.

2. Quod obiicit, quod sapiens etc.; dicendum, quod, etsi sapiens fuerit, tamen in hoc insipienter egit; et ideo non est imitandus; sicut David bonus fuit, tamen non bene fecit, cum Uriam fecit occidi [1]; nec hoc dicit ad imitandum, sed ad reprehendendum.

Secundo reprehendit suam curiositatem ob inventam vanitatem, quae consistit in mutabilitate, et primo reprehendit eam generaliter.

Divisio.

Cumque me convertissem. Egit supra de sua curiositate; hic *reprehendit* eam ob inventam vanitatem, quae consistit in mutabilitate. Et haec pars habet duas: quia primo sua opera curiosa reprehendit *generaliter*, secundo *specialiter*, ibi: *Transivi ad contemplandam.*

Expositio litteralis quoad primum.

(Vers. 11.). Invenit igitur vanitatem et afflictionem in operibus, quae fecerat curiose, propter diligentem considerationem; ob quam causam dicit: *Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerant manus meae*, id est, diligenter considerassem, secundum illud Apostoli ad Galatas sexto [2]: « Opus autem suum probet unusquisque ». *Et ad labores, in quibus frustra sudaveram*, ideo frustra, quia non propter Deum fecerat, et ideo in vanum laboraverat; Sapientiae tertio: « Vacua est spes illorum, et labor sine fructu ». *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus, et nihil permanere sub sole;* ideo erant *vana* et *afflictiva*, quia instabilia. Eo enim quod non permanent, sunt *vana;* eo quod amittuntur et non permanent, sunt *afflictiva;* Ecclesiastici quadragesimo [3]: « Substantiae impiorum sicut fluvius siccabuntur, et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt »; unde primae Ioannis secundo: « Transit mundus et concupiscentia eius »; et ideo: « Fallax est eius gratia, et vana est pulcritudo ».

Secundo reprehendit suam curiositatem specialiter, et hoc dupliciter: primo, quoad studium ordinatum ad sapientiam quadruplici ratione.

Divisio.

Transivi ad contemplandam. Hic *in speciali* ostendit in suis operibus vanitatem; et dividitur: quia primo ostendit vanitatem in operibus sive in studio ordinato ad *sapientiam;* secundo, in studio ordinato ad *opulentiam*, secundum duplicia opera curiositatis praedeterminata [4], et hoc ibi: *Rursus detestatus sum omnem industriam.*

Circa studium sapientiae quadrupliciter.

Primo igitur redarguit suam curiositatem circa studium sapientiae hoc ordine: primo insinuat suae considerationis *diligentiam;* secundo innuit sapientis ad stultum compertam *praeeminentiam;* tertio, ulterius inventam *aequiparantiam;* quarto, ex hoc concludit *vanitatem* et *reprehensionem* secundum considerationem propriam [5].

Expositio litteralis. De primo.

(Vers. 12.) Primo igitur innuit suae considerationis *diligentiam* in pertractando ea, in quibus studerat. Propter hoc dicit: *Transivi ad contemplandam sapientiam*, quantum ad *eligenda; erroresque et stultitiam*, quantum ad *vitanda. Transivi*, inquam, a voluptate; unde Ecclesiastici vigesimo quarto [6]: « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me » etc.; sed licet esset in eo *diligentia*, non tamen erat *sufficientia;* unde subdit: *Quid est, inquam, homo, ut sequi possit Regem, factorem suum?* Quasi dicat: insufficiens est ad considerandum et videndum quae Dominus praevidet. *Quid est homo?* quasi dicat: parvum et insufficiens; Psalmus [7]: « Quid est homo, quod memor es eius »? *Ut sequi possit Regem, factorem suum*, id est Deum creatorem; Isaiae sexagesimo quarto: « Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos ». Hunc nemo potest sequi; Iob undecimo: « Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies »?

De secundo

(Vers. 13. 14.). *Et vidi, quod tantum* etc. Hic notatur secundum, scilicet sapientiae ad stultitiam inventa *praeeminentia*, quia quasi improportionabiliter antecellit. Propter quod dicit: *Et vidi, quod tantum praecederet sapientia stultitiam*, id est nobilior

---

[1] Cfr. II. Reg. 11, 15. seqq.

[2] Vers. 4. — Sequitur Sap. 3, 11. Pro *labor* Vulgata *labores*.

[3] Vers. 13: Substantiae iniustorum sicut etc. — Sequuntur I. Ioan. 2, 17. et Prov. 31, 30: Fallax gratia et vana etc.

[4] Cfr. supra expositionem c. 1, 12. et c. 2, 4.

[5] Ita E, alii et Vat. *vanitatem reprehensione sibi propria.*

[6] Vers. 26.

[7] Psalm. 8, 5. — Sequuntur Isai. 64, 8. et Iob 11, 7.

esset, *quantum differt lux a tenebris*. Et ista comparatio bona est, quoniam sapientia illuminat, et stultitia excaecat sive obtenebrat. Propterea subdit: *Sapientis oculi in capite eius*, scilicet ad dirigendum; *stultus in tenebris ambulat*, quasi non habeat oculos in capite. Quod autem sapientia illuminet, Sapientiae sexto [1]: « Diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis »; unde et Christus, Dei sapientia, dicit se lucem; Ioannis octavo: « Ego sum lux mundi ». Econtra stultitia est tenebra; Isaiae quinto: « Vae, qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem »; unde Ioannis primo: « Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt »; ideo, quia « nescierunt neque intellexerunt, ideo in tenebris ambulant »; Ioannis tertio: « Dilexerunt enim magis tenebras quam lucem ».

Quid lux et tenebrae.

(Vers. 14. 15. 16.). *Et didici, quod unus esset* etc. Tangitur hic tertium: sapientis ad stultum *aequiparantia* et *in morte* et *post mortem*. Quantum ad aequiparantiam in *moriendo* dicit: *Et didici, quod unus utriusque esset interitus; unus*, id est consimilis, quia nemo effugit mortis sententiam propter suam sapientiam; unde secundi Regum decimo quarto [2]: « Omnes morimur, et sicut aquae, quae dilabuntur in terram, quae non revertentur ». Sicut stultus nihil aufert, sic nec sapiens; Iob primo: « Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar ». — Et propter hanc aequiparantiam contempsit sapientiam; ideo dicit: *Et dixi in corde meo: si unus et stulti et meus occasus erit, quid mihi prodest, quod maiorem sapientiae dedi operam?* quasi dicat: nihil quantum ad *mortem;* Ecclesiastici quadragesimo: « Dies finitionis, id est mortis, a residente » etc. — Non tantum aequiparantia *in morte,* sed etiam *post mortem;* unde et subdit: *Locutusque* fui *cum mente mea*, id est interius consideravi, et *animadverti, quod hoc quoque esset vanitas*, scilicet dare sapientiae operam maiorem quam stultus, quia non est magis de ipso memoria quam de stulto. — Ideo dicit: *Non enim erit sapientis memoria similiter ut stulti in perpetuum;* et ratio subditur: *Et futura tempora oblivione cuncta pariter operient.* Unde supra primo [3] dictum est: « Non est priorum memoria, nec etiam eorum quae post futura sunt »; Sapientiae secundo: « Et oblivionem accipiet nomen nostrum per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum »; Iob decimo tertio: « Et memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestrae ».

De tertio.

(Vers. 16. 17.). Hic quarto ex huiusmodi aequiparantia inventa concludit *vanitatem* in suo studio et *reprehensionem* suam; unde repetit aequiparantiam dicens: *Moritur doctus similiter ut indoctus*, et ita pares sunt. — Et ex hoc concludit: *Idcirco taeduit me vitae meae*, quasi recusavit vivere prae taedio, sicut Iob decimo [4]: « Taedet animam meam vitae meae »: propter *peccatorum occasiones;* Genesis vigesimo septimo dixit Rebecca: « Taedet me vitae meae propter filias Heth ». Propter *labores;* Numerorum vigesimo primo: « Taedere coepit populum itineris et laboris et locutus est contra Dominum » etc. Propter *tribulationes;* secundae ad Corinthios primo: « Supra modum gravati sumus, ita ut taederet nos etiam vivere ». Propter futurae *gloriae dilationem;* Iob decimo: « Taedet animam meam vitae meae ». Propter *imminentem tentationem;* Psalmus: « Dormitavit anima mea prae taedio, confirma » etc. Propter *mortis imminentis horrorem;* Marci decimo quarto: « Coepit Iesus pavere et taedere ». — *Videntem, mala esse universa sub sole, et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus;* Sapientiae nono [5]: « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitantem »; ideo frequens meditatio carnis est afflictio.

De quarto.

Sex rationes taedii vitae.

Quaestiones.

I. Quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Quid est homo, ut sequi possit Deum?*

Contra: 1. Ecclesiastici vigesimo tertio [6]: « Magna gloria est sequi Dominum ».

2. Item, Iob vigesimo tertio [7]: « Vestigia eius secutus est pes meus ».

Respondeo: dicendum, quod est sequi per *aequiparantiam;* et hoc nulli datum est creaturae; et quia satanas hoc voluit, ideo corruit. Est iterum sequi per *subiectionem* et obedientiam; et hoc quidem potest homo, sed non quilibet, sed quibus datum est a Deo per gratiam, et quem ipse trahit [8]; et ideo nullus potest per se sine Dei auxilio.

Resp. cum distinctione.

II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Quid mihi prodest, quod maiorem sapientiae operam dedi?*

Quia secundum hoc videtur, quod dissuadeat studere, cuius contrarium saepe hortatur; et Proverbiorum vigesimo septimo [9]: « Stude sapientiae, fili mi » etc.

---

[1] Vers. 23. — Sequuntur Ioan. 8, 12; Isai. 5, 20; Ioan. 1, 5; Ps. 81, 5, ubi in Vulgata deest *ideo;* Ioan. 3, 19: Dilexerunt homines magis etc.

[2] Vers. 14: Omnes morimur et quasi aquae *dilabimur* in terram, quae non revertuntur (Septuaginta: Quoniam morte moriemur et tanquam aqua delabens super terram, quae non colligetur). — Seq. locus est Iob 1, 21; tertius Eccli. 40, 2. et 3.

[3] Vers. 11. — Sequuntur Sap. 2, 4. et Iob 13, 12: Memoria etc.

[4] Vers. 1. — Sequuntur Gen. 27, 46; Num. 21, 4. et 5: II. Cor. 1, 8, ubi post *sumus* in Vulgata additur *supra virtutem;* Iob 10, 1; Ps. 118, 28; Marc. 14, 33.

[5] Vers. 15.

[6] Vers. 38.

[7] Vers. 11.

[8] Respicitur Ioan. 6, 44: Nemo potest venire ad me, nisi Pater... traxerit eum. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 70. serm. 2. n. 6. seq., ubi de duplici Dei similitudine.

[9] Vers. 11. Cfr. Eccle. 2, 13; 7, 12. 20; 9, 16.

Respondeo: dicendum, quod dare operam sapientiae, hoc potest esse dupliciter: propter *commodum praesentis vitae*, vel propter *remunerationem gloriae aeternae*. Propter *commodum praesentis vitae* prodest sapientia ante mortem, quia dirigit hominem in suis operibus; sed in morte *nihil*, eo quod ita *moritur doctus ut indoctus*, nec protelatur ei vita. Si autem propter *commodum aeternae vitae*, sic non moritur, immo vivit.

Resp. cum distinctione.

Est utilis ad *operationem boni;* Ecclesiastici vigesimo primo [1]: *Ornamentum aureum prudenti doctrina* etc. — Est utilis ad *declinationem mali;* Ecclesiastici tertio: *Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis.* — Est utilis ad *augmentum gratiae;* Proverbiorum quarto: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum.* — Est utilis ad *augmentum gloriae;* Proverbiorum tertio: *Gloriam sapientes possidebunt.* — Sic igitur dehortatur, quod non est studendum in sapientia propter praesens commodum et curiositatem, sed propter aeternam salutem; et ideo se ipsum reprehendit, quia ipse laboraverat propter curiositatem et mundanam vanitatem.

Sapientiae utilitas quadruplex.

Notandum.

III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Non erit memoria sapientis ut stulti.*

Contra: 1. Proverbiorum decimo [2]: *Memoria iusti cum laudibus, et nomen impiorum putrescet.*

2. Item, Ecclesiastici trigesimo nono [3]: *Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur* etc.

Respondeo: ad hoc dicunt quidam, quod ipse loquitur in persona carnalis, unde falsum dicit simpliciter, sed verum secundum carnalium aestimationem. — Sed hoc non plene solvit, quia debet carnalium positionem non asserere, sed potius infirmare.

Resp. 1, insufficiens.

Propterea dicendum, quod est loqui de memoria *sapientis* et *stulti* aut quantum ad *Deum*, aut quantum ad *homines*. Si loquamur quantum ad *Deum*, memoria utique est *boni sapientis*, qui studet sapientiae ad gloriam Dei; sed quantum ad *homines* tam bonorum quam malorum transit memoria, ut in pluribus, quia homines pauca recolunt [4]. — Si autem de *malo sapiente* et vano, non est memoria, nec quantum ad *Deum* nec quantum ad *homines*, immo nomen eius transit ut nomen stulti; et ideo stultum est propter famam nominis in sapientia laborare. Ecclesiastes autem loquitur de *sapiente vano*, qui oculum habet ad terrena, et loquitur de memoria *humana*, non *divina*.

Resp. auctoris cum distinctione.

IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Taeduit me vitae meae videntem mala universa sub sole.*

Contra: Genesis primo [5]: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona;* ergo non sunt mala, immo hoc est haereticum.

Respondeo: dicendum, quod sicut dicit Apostolus ad Romanos septimo [6]: *Lex sancta, et mandatum sanctum*, tamen per occasionem mandatum fuit non habentibus gratiam mortiferum et operatum est mortem; sicut creaturae iustis et Deum diligentibus valde sunt bonae et *cooperantur in bonum* et de se sunt bonae, tamen impiis peccatoribus et insipientibus omnia convertuntur in mala per occasionem; unde Sapientiae decimo quarto: *Creaturae Dei sunt in tentationem et in muscipulam pedibus insipientium;* et Ecclesiastici trigesimo nono: *Haec omnia impiis et peccatoribus in mala convertentur.*

Resp.

Notandum.

Specialiter redarguit suam curiositatem secundo quoad studium ordinatum ad opulentiam, iterum quadruplici ratione.

Rursus detestatus sum etc. Redarguit supra suam curiositatem circa opera *sapientiae;* hic secundo redarguit suam curiositatem circa opera humanae industriae ad *opulentiam* ordinatae sive artificialia opera mechanicae. Et hoc quidem facit hoc ordine. Primo suam curiositatem redarguit propter *bonae successionis incertitudinem;* secundo, propter *laboriosam sollicitudinem;* tertio huic *praefert praesentem voluptatem;* quarto ipsam sollicitudinem damnat per *iudicii divini aequitatem.*

Divisio.

Membra 4.

(Vers. 18. 19. 20. 21.). Arguit igitur primo se curiosum circa terrena acquirenda propter *bonae prolis incertitudinem*, quia ipse non poterat illa semper possidere et timebat inutilem successorem habere. Propterea dicit: *Rursus detestatus sum omnem industriam meam*, id est curiosam diligentiam, *qua sub sole studiosissime laboravi*, ad haec scilicet bona augenda; Ieremiae sexto [7]: « A minori usque ad maiorem omnes avaritiae student ». — Et ratio detestationis infertur: *Habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit.* Ad litteram Salomon habuit heredem Roboam, stultum filium, qui secutus consilium iuvenum fecit dividi regnum, tertii Regum duodecimo [8]. *Et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi*, quantum ad corpus; *et sollicitus fui*, quantum ad animam. De hoc *sudore*, Genesis tertio: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo »; de *sollicitudine*, Matthaei sexto: « Nolite solliciti esse animae vestrae, quid manducetis, aut corpori vestro, quid induamini ». Et illud est valde vanum; unde dicit: *Et est quidquam tam vanum?* supple: sicut laborare sollicite pro stulto et otioso, quasi dicat: non. — Ex huius igitur vanitatis consideratione cessavit a curiositate, unde dicit: *Unde cessavi, renuntiavitque cor meum laborare sub sole*, id est pro bonis temporalibus. *Ces-*

De primo membro.

---

[1] Vers. 24. — Sequuntur Eccli. 3, 32; Prov. 4, 9. et 3, 35.
[2] Vers. 7.
[3] Vers. 13.
[4] Cfr. supra quaest. IV. de c. 1, 11.
[5] Vers. 31.
[6] Vers. 12; ibid. v. 11: Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me et per illud occidit; et 8, 28: Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. — Inferius allegantur Sap. 14, 11: Creaturae Dei in odium factae sunt et in tentationem animabus hominum et in etc., et Eccli. 39, 32: Haec omnia sanctis in bona, sic et impiis etc.
[7] Vers. 13.
[8] Vers. 6. seqq. — Inferius allegantur Gen. 3, 19. Vulgata omittit *tuo;* Matth. 6, 25, ubi Vulgata *neque* pro *aut.*

savi, in opere; *renuntiavitque cor meum*, in voluntate. Sed avarus propter hoc non cessat, infra quarto [1]: « Unus est et secundum non habet, et tamen laborare non cessat ». — Et repetit rationem, quare cessavit: *Nam cum alius laboret in sapientia*, in corde; *et in doctrina*, in ore; *et in sollicitudine*, in opere; *homini otioso quaesita dimittit.* Et ex hoc concludit vanitatem: *et hoc ergo vanitas et magnum malum; vanitas* quidem, quia divitiae relinquuntur homini inutili, sed *magnum malum;* unde Hugo [2]: « Magnum malum est, ut unde unus atteritur labore, alter otiose et illicite abutatur »: *malum*, quia dissipatori; Ieremiae quinquagesimo primo: « Vana sunt opera eorum » etc.; Deuteronomii vigesimo octavo: « Non sit fortitudo in manu tua; fructus terrae tuae et omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras ».

(Vers. 22. 23.). *Quid enim proderit* etc. Hic se- De secundo. cundo redarguit curiositatem acquirendi propter *laboriosam sollicitudinem;* propter quam dicit: *Quid proderit homini de universo labore suo*, in corpore, *et afflictione spiritus*, in animo, *qua sub sole cruciatus est*, quasi dicat: nihil; unde Proverbiorum vigesimo tertio [3]: « Noli laborare, ut diteris, sed prudentiae tuae pone modum ». Non prodest, scilicet ei qui laborat propter haec visibilia habenda. Unde Bernardus: « Apud alios sunt fructus divitiarum, divitibus vero nomen cedit et sollicitudo »; et ideo non prodest; unde infra quinto [4]: « Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis »? — Nec tantum non prodest, immo obest; unde subdit: *Cuncti dies eius laboribus et aerumnis pleni sunt*, exterius; *nec per noctem mente requiescit*, interius. Ideo dicitur Iob septimo: « Menses vacuos et noctes laboriosas enumeravi mihi »; et Proverbiorum decimo quinto: « Omnes diès pauperis, mali. Secura mens quasi iuge convivium ». Et ex hoc concludit, quod sic laborare est vanum, quia inutile; ideo dicit: *Et hoc nonne vanitas est?* quasi dicat: immo; infra quinto [5]: « Qui amat divitias fructum non capiet ex eis; et hoc ergo vanitas », quia obsunt. Unde ibidem: « Est alia infirmitas, quam vidi sub sole, divitiae congregatae » etc.

(Vers. 24. 25.). *Nonne melius est* etc. Hic tertio De tertio. praedictae sollicitudini curiositatis *praefert voluptatem carnis.* Et ideo dicit: *Nonne melius est comedere et bibere et ostendere animae suae bona de laboribus suis?* supple: quam continue semper laborare; quasi dicat: melius est, id est minus malum, quia illud est malum culpae et poenae, istud est malum culpae, sed habet iucunditatem; Isaiae vigesimo secundo [6]: « Ecce, gaudium et laetitia iugulare arietes » etc. Et quod sit *melius*, manifestat: quia hoc est donum Dei; unde dicit: *Et hoc de manu Dei est;* Ieremiae quinto: « Saturavi eos, et moechati sunt » etc. — Et proponit se in exemplum huius ad hoc confirmandum: *Quis ita vorabit*, quantum ad concupiscentiam; *et deliciis affluet*, quantum ad abundantiam; *ut ego?* quasi dicat: nullus; tertii Regum quarto: « Erat autem cibus Salomonis per singulos dies triginta cori similae et sexaginta cori farinae, decem boves pingues et viginti pascuales » etc.

(Vers. 26.). *Homini bono* etc. Hic quarto solli- De quarto. citudinem damnat per *divini iudicii aequitatem*, quoniam talis sollicitudo non est data bonis, sed malis, et hoc divino iudicio. Ideo dicit: *Homini bono* Misericordia erga bonos. *in conspectu suo*, scilicet, qui sibi placet, non hominibus, ut hypocrita; Psalmus [7]: « Iusti epulentur » etc. *Dedit Deus sapientiam*, quantum ad aeterna; *et scientiam*, quoad temporalia dispensanda; *et intelligentiam*, quoad intelligenda sive consideranda; Iob trigesimo octavo: « Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam »? Hoc secundum largitatem misericordiae. Sed secundum Iustitia in malos. aequitatem iustitiae subdit: *Peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam*, id est, dari permisit iusto iudicio; *ut addat et congreget et tradat ei qui placuit Deo;* Proverbiorum decimo tertio: « Custoditur iusto substantia peccatoris »; Proverbiorum vigesimo octavo: « Qui congregat divitias usuris, et fenore liberali in pauperes congregat eas ». Et ex hoc infert vanitatem: *Sed hoc vanitas et cassa sollicitudo mentis*, quia Proverbiorum undecimo: « Exspectatio sollicitudinis peribit ».

Nota, quod est studium ad *acquisitionem sa-* Studium quadruplex. *pientiae;* Proverbiorum vigesimo septimo [8]: *Stude sapientiae, fili mi, ut possis exprobranti respondere sermonem.* Ad *exercitationem iustitiae;* Ieremiae septimo: *Nunc bonas facite vias vestras et studia vestra.* Ad *expletionem concupiscentiae;* Proverbiorum vigesimo tertio: *Cui vae? cuius patri vae? nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis?* Ad *imperium avaritiae;* Ieremiae sexto: *A minori usque ad maiorem omnes avaritiae student.* — Prima duo studia sunt bona, duo sequentia mala, et in his discernitur bonitas hominis; unde Pro- Notandum.

---

[1] Vers. 8, post *habet* in Vulgata additur *non filium, non fratrem.*

[2] In Eccle. homil. 12. — Deinde allegantur Ier. 51, 18: Vana sunt opera et risu digna etc., et Deut. 28, 32. et 33.

[3] Vers. 4. — Bernard., in Serm. seu libro de conversione ad clericos, c. 8. n. 14: Postremo ubi *multae opes, multi etiam qui comedunt eas* [Eccle. 5, 10.], et usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit et sollicitudo.

[4] Vers. 10. — Subinde allegantur Iob 7, 3: Sic et ego habui menses etc.; Prov. 15, 15.

[5] Vers. 9. et 12: Est et alia infirmitas pessima, quam etc.

[6] Vers. 13. Cfr. supra pag. 20, nota 2. — Sequuntur Ier. 5, 7; III. Reg. 4, 22. et 23.

[7] Psalm. 67, 4. — Sequuntur Iob 38, 36; Prov. 13, 22; 28, 8: Qui coacervat divitias etc., et 11, 7: Exspectatio sollicitorum peribit.

[8] Vers. 11, ubi a Vulgata post *fili mi* additur *et laetifica cor meum.* — Sequuntur Ier. 7, 3; Prov. 23, 29. seq., pluribus tamen post *cuius patri vae* omissis; Ier. 6, 13. et Prov. 20, 11. Vulgata *sint* pro *sunt.*

verbiorum vigesimo: *Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sunt opera eius.* Quia igitur Ecclesiastes nondum studuerat his, sed ad avaritiam et gulam, ideo sua studia arguebat.

Capitulum III.

Partis primae membrum II. Ostenditur vanitas rerum quoad varietatem in tempore, et hoc tribus articulis.

Divisio membri II.

Omnia tempus habent etc. Supra egit de vanitate rerum ostendens, in iis esse variabilitatem ratione *motus;* hic secundo vult ostendere vanitatem quantum ad determinationem et varietatem *in tempore*[1]. Et quia ostendit mutabilitatem rerum et varietatem non ad ipsarum contemptum, secundum quod sunt opera Dei, sed secundum quod amantur a nobis; ideo in hac parte ostendit primo *temporum varietatem;* secundo reprehendit *nostram curiositatem*, ibi: *Quid habet amplius homo;* tertio ostendit *divinorum operum perpetuitatem*, ibi: *Et didici, quod opera Dei.*

Art. 1. *De varietate et mutabilitate rerum in tempore tum generaliter tum specialiter.*

Divisio articuli 1.

Prima pars habet duas, quia primo agit de varietate et mutabilitate rerum in tempore *generaliter*, secundo *specialiter*, inducendo et probando, ibi: *Tempus nascendi.*

Proponitur et probatur generaliter varietas et mutabilitas rerum in tempore.

Expositio litteralis.

(Vers. 1.). Proponit igitur *generaliter* dicens: *Omnia tempus habent*, id est temporis varietatem, quia ad Romanos octavo[2]: « Vanitati subiecta est creatura non volens ». *Et suis spatiis transeunt universa sub sole*, quantum ad praefixi temporis determinationem; Sapientiae undecimo: « Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti »; primae ad Corinthios septimo: « Praeterit figura huius mundi »; et maxime hoc temporis spatio sibi praefixo; Iob decimo quarto: « Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt ».

Quaestiones.

I. Hic est quaestio de hoc quod dicit: *Omnia tempus habent.*

Pro parte 1.

1. Instantia est: quoniam « substantiae spirituales, ut dicit Hieronymus[3], nec loco nec tempore continentur ».

Pro parte 2.

2. Item, omne, quod est in tempore et habet tempus, est corporale[4]; sed substantiae spirituales sunt incorporales: ergo non sunt in tempore nec habent tempus.

Quod autem sint in tempore, videtur: 1. Quia dicit Augustinus ad Dardanum[5]: « Substantia spiritualis increata non movetur per tempus nec per locum; substantia spiritualis creata movetur per tempus, sed non per locum; corporalis creata per tempus et locum ».

2. Item, quod est in loco est in tempore; sed « solus Deus est incircumscriptibilis », ut dicit Damascenus[6], ergo solus est intemporalis: ergo omnia alia tempus habent.

Resp. 1.

Respondeo: dicendum ad hoc, quod ista *distributio* est *accommoda*, sicut, quando dicitur: caelum tegit omnia, intelligitur de his quae sunt sub caelo[7]; et ideo non est ferenda instantia in substantia *spirituali.* — Si autem velimus distributionem extendere, dicemus, quod *tempus* dicitur tripliciter: *communiter* et *proprie* et *magis proprie. Communiter*, secundum quod dicit mensuram exitus de *non-esse* ad *esse;* et hoc modo est in omnibus, quia omnia initium habuerunt. Et hoc videtur littera innuere, quia ipse dicit, quod *omnia tempus habent*, sed non, quod omnia *transeant* nisi *sub sole.* — Alio modo *proprie*, prout importat variationem sive in substantia, sive in affectione; et sic adhuc substantia spiritualis habet tempus quantum ad mutationem affectuum. — Tertio modo *magis proprie*, prout est mensura excellens; et sic est corruptibilium, et non omnium.

Resp. 2.

Triplex tempus.

---

[1] Cfr. supra explicationem c. 1, 3. — Secundum membrum incipit 3, 9: *Quid habet amplius;* tertium, 3, 14.

[2] Vers. 20. — Subinde allegantur Sap. 11, 21; I. Cor. 7, 31. et Iob 14, 5.

[3] Comment. in Epist. ad Tit. 1, 3.: Quantas prius aeternitates... fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli... servierint Deo et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo iubente, subsliterint! (cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. II. c. 3.). Comment. in Eccle. 3, 1: Ceterae substantiae spirituales nec caelo nec tempore continentur.

[4] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 114. seqq. (c. 12.).

[5] Ita codd., in hac tamen epist. (187. alias 57.) agitur solum de omnipraesentia Dei; melius allegaretur Dialog. 65 Qq. Orosii (inter Opera August.) q. 40: Movet se ipsum sine tempore et loco; movet creatum spiritum sine loco temporaliter, movet creaturam corpoream temporaliter et localiter. Praecedit igitur substantia, quae temporaliter tantum movetur, illam quae temporaliter et localiter movetur. Praecedit itaque substantia, quae nec temporaliter nec localiter movetur, illam quae tantum temporaliter movetur. Cfr. VIII. de Gen. ad lit. c. 20. n. 39.

[6] Libr. I. de Fide orthod. c. 13.

[7] Petr. Hispan., Summul. tr. de Distribution., ait: Item solet poni distributio accommoda, ut: caelum tegit omnia praeter se ipsum, et Deus creavit omnia alia a se. — Vat. hic addit: *sic quando dicitur:* Omnia tempus habent, *intelligitur* de iis, quae sunt sub sole et mensurantur tempore.

Quod ergo quaeritur, utrum substantiae spirituales habeant tempus; solvendum, quod primo modo habeant quantum ad *substantiam;* secundo modo, quantum ad aliquas *affectiones;* tertio modo non habent[1]. — Et per hoc solvuntur contrarietates utriusque partis.

II. Quaeritur de secunda parte propositionis: *Et suis spatiis transeunt universa sub sole,* utrum transeant elementa. — Quod sic, videtur.

Pro parte 1. 1. Apocalypsis vigesimo primo[2]: *Vidi caelum novum et terram novam:* ergo vetus transierat.

2. Item, primae Ioannis secundo[3]: *Transit mundus et concupiscentia eius;* et Matthaei vigesimo quarto[4]: *Caelum et terra transibunt.*

Contra. Contra: Sunt de constitutione universi: ergo cum universum maneat, manifestum est, quod etiam elementa.

Resp. cum distinctione. Respondeo: dicendum, quod aliquid *transire* suo spatio est tripliciter: vel quantum ad corruptionem secundum *totam substantiam,* sicut corrumpuntur animalia bruta; vel quoad corruptionem sui secundum *partem,* sicut elementa generantur et corrumpuntur in suis terminis, in quibus se tangunt[5]; vel *transire,* hoc est a statu corruptibilitatis ad statum alium transmutari, et hoc modo mundus iste sensibilis innovabitur. — Quod ergo dicitur hic, quod *suis spatiis transeunt,* altero istorum trium modorum intelligitur.

2. Quod rursus obiicitur: *Transit mundus et concupiscentia eius,* determinatio solvit, scilicet mundus, prout est occasio voluptatis.

1. Quod dicitur: *Vidi caelum novum;* Glossa[6]: « id est innovatum ».

2. Quod dicitur in Matthaeo: *Caelum et terra transibunt;* Glossa exponit: transibunt, a forma mutabili ad immutabilem.

Idem probatur in speciali quoad ortum occasumque, quoad statum, usum et conversationis modum.

Divisio. *Tempus nascendi.* Supra proposuit propositionem generalem, hic probat eam inducendo in speciali, ostendens in rebus diversas temporum varietates. Et haec pars habet quatuor partes. Primo tangitur varietas temporum, quae respicit *ortum* et *occasum.* Secundo, quae respicit *statum,* ibi: *Tempus flendi et tempus ridendi.* Tertio, illa quae respicit *usum,* ibi: *Tempus amplexandi.* Quarto, illa quae respicit debitae conversationis *modum,* ibi: *Tempus tacendi.*

De varietate temporum quoad ortum et occasum quadrupliciter.

Divisio. Primo igitur introducitur illa varietas, quae respicit *ortum* rerum et *occasum* sub quadruplici differentia: primo *viventium,* secundo *vegetabilium,* tertio *sensibilium,* quarto *artificialium.*

Expositio litteralis. De viventibus. (Vers. 2.). Quantum ad ortum et occasum *viventium* dicit ibi esse varietatem, cum dicit: *Tempus nascendi et tempus moriendi,* et hoc in omnibus viventibus, quia de nativitate venitur ad mortem; Iob decimo quarto[7]: « Homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis »; Ecclesiastici quadragesimo: « Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium ». Et ideo Sapientiae quinto: « Nos nati continuo desinimus esse »; Ecclesiastici decimo quarto: « Alia generantur, et alia deiiciuntur; sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur ».

De vegetabilibus. Quantum ad ortum *vegetabilium* dicit: *Tempus plantandi;* quantum ad occasum, *tempus evellendi quod plantatum est;* Genesis secundo[8]: « Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio »; sed *tempus evellendi,* infructuosa; unde Lucae decimo tertio: « Ecce, tres anni sunt, ex quo venio quaerens fructum in hac ficu, et non invenio: succide ergo illam ».

De sensibilibus. (Vers. 3.). Quantum ad ortum et occasum *sensibilium* subdit: *Tempus occidendi,* et praemittitur: *tempus occidendi,* et sequitur: *tempus sanandi,* propter statum naturae corruptae, quae magis inolevit, ut sanitas non habeat locum. De hac variatione Deuteronomii trigesimo secundo[9]: « Ego occidam, et ego vivere faciam »; et rursus, secundi Regum octavo: « Mensus est duos funiculos, unum ad occidendum et unum ad vivificandum ».

De artificialibus. Quantum ad ortum et occasum *artificialium* subdit quarto: *Tempus destruendi,* ecce occasus; *et tempus aedificandi,* ecce reformatio destructi. Destruenda sunt ruinosa; Lucae decimo nono[10]: « Non relinquetur in te lapis super lapidem ». *Tempus ae-*

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. et 2.

[2] Vers. 1. [3] Vers. 17.

[4] Vers. 35.

[5] Cfr. Aristot., III. de Caelo, text. 52. seqq. (c. 6. seqq.) et II. de Generat. et corrupt. text. 7. seqq. (c. 2. seqq.).

[6] *Interlinearis* apud Lyranum: Id est aërem innovatum. Cfr. Beda in hunc locum. — Glossa seq. a Strabo sic exhibetur: *Caelum et terra* innovabuntur, deposita priori forma, permanente autem substantia; unde dicitur [Eccle. 1, 4.]: *Terra in aeternum stabit.* Cfr. Hieron., in Matth. 24, 35, et Beda tum in loc. cit. tum in Marc. 13, 31.

[7] Vers. 1. — Sequuntur Eccli. 40, 1; Sap. 5, 13: Nos... desivimus esse; Eccli. 14, 19.

[8] Vers. 8. — Sequitur Luc. 13, 7, ubi Vulgata *ficulnea* pro *ficu.*

[9] Vers. 39. — Deinde II. Reg. 8, 2. — Aristot., II. Ethic. c. 3: Adde, quod ab infantia ipsa voluptas in omnibus nobis *inolevit,* ut difficile sit affectum eiusmodi vitae nostrae pene incorporatum atque imbibitum extergere.

[10] Vers. 44: Non relinquent in te lapidem super lapidem. Ibid. 12, 18. est seq. locus, ubi Vulgata omittit *rursus;* tertius Aggaei 1, 8: Portate ligna et etc.

dificandi, cum adest rerum copia; Lucae duodecimo: « Destruam horrea mea, et rursus faciam maiora ». Aggaei primo: « Portate lignum, aedificate domum; et acceptabilis erit mihi ». Et sic non est status in rerum egressu.

De varietate temporum quoad statum, secundum triplicem differentiam.

Tempus flendi etc. Posita varietate temporum, quae respicit ortum rerum et occasum, ponitur hic varietas temporum, quae respicit *statum*, utpote prosperitatis et adversitatis. Et hoc attenditur secundum triplicem differentiam, scilicet *prosperitatis*, *iucunditatis* et *securitatis*, et suorum oppositorum. Divisio.

(Vers. 4.). Quantum igitur ad tempus *prosperitatis*, in qua ridendum, et *adversitatis*, in qua plorandum, dicit: *Tempus flendi*, in *adversitate;* primi Machabaeorum primo [1]: « Omnis maritus sumsit lamentum, et quae sedebant in toro maritali lugebant »; et Threnorum primo: « Plorans ploravit in nocte, et lacrymae eius in maxillis eius ». *Et tempus ridendi*, in *prosperitate;* Esther octavo: « Iudaeis nova lux oriri videbatur et gaudium atque tripudium ». Et praemittit fletum risui, vel quia praecedit secundum naturam lapsam; Sapientiae septimo: « Primam vocem similem omnibus emisi plorans »; vel quia primo dolendum, quia Lucae sexto: « Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis »; econtra de malis; Proverbiorum decimo quarto: « Risus dolore miscebitur ». Expositio litteralis. De primo.

Quantum ad *iucunditatis* statum et suum oppositum dicit: *Tempus plangendi et tempus saltandi.* Differt *planctus* et *fletus*, *risus* et *saltus*, quia *fletus* est in lacrymis, *planctus* in voce, *risus* in signo, *saltus* in corporis elevatione. De *planctu* Genesis ultimo [2]: « Planctus magnus est iste Aegyptiis », in loco isto, hoc est ad exsequias; sed *saltus* ad solemnitates praeclaras; Marci sexto dicitur, quod in die natalis Herodis intravit filia Herodiadis, ut saltaret. De secundo.

(Vers. 5.). Quantum ad tempus *securitatis* et sui oppositi dicit: *Tempus spargendi lapides*, scilicet quando est securitas; Michaeae quarto [3]: « Non sumet vir contra virum gladium ». *Tempus colligendi*, ad exstructionem munitionum, scilicet quando de hostibus est timiditas; secundi Paralipomenon trigesimo secundo: « Aedificavit omnem murum, qui fuerat dissipatus, et exstruxit turres ». De tertio.

De varietate temporum quoad usum, secundum quadruplicem differentiam.

Tempus amplexandi etc. Posita est varietas temporum, quae respicit ortum et occasum rerum et etiam statum; ponitur hic tertia, quae respicit *usum*, et hoc sub quadruplici differentia, scilicet quantum ad usum *uxorum*, *possessionum*, *thesaurorum* et *vestimentorum*. Divisio.

(Vers. 5.). Quantum igitur ad usum *uxorum*, qui consistit in copula carnali ad generationem prolis, dicit: *Tempus amplexandi et tempus longe fieri ab amplexibus;* primae ad Corinthios septimo [4]: « Reliquum est, ut qui habent uxores sint tanquam non habentes »; et iterum: « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in id ipsum ». Expositio litteralis. De primo.

(Vers. 6.). Quantum ad usum *possessionum* dicit: *Tempus acquirendi et tempus perdendi.* Acquirimus per industriam, sed perdimus per pigritiam; Proverbiorum decimo quarto [5]: « Sapiens mulier aedificat domum suam, insipiens exstructam quoque manibus destruet ». — Vel acquirendi in vita, perdendi in morte; Iob vigesimo: « Divitias, quas congregavit, evomet » etc. — Vel acquirendi, cum Deo coniungimur; perdendi, cum separamur; Psalmus: « Benedixit eis, et multiplicati sunt »; et post: « Et pauci facti sunt ». De secundo. Aliter. Aliter.

Quantum ad usum *thesaurorum* subdit: *Tempus custodiendi*, quando est abundantia; *et tempus abiiciendi*, quando est pauperum indigentia. Exemplum de Ioseph, Genesis quadragesimo primo [6], qui custodivit in fertilitate et dispersit in egestate. Ad hoc enim custodiendae sunt divitiae, ut dispergantur, unde in Psalmo: « Dispersit, dedit pauperibus ». De tertio.

(Vers. 7.). Quantum ad usum *vestimentorum* subdit: *Tempus scindendi*, cum devastantur; *et tempus consuendi*, quia vestimenta nostra quotidie devastantur et non renovantur, nisi forte divino miraculo, sicut Deuteronomii octavo [7]: « Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam est vetustate consumtum »; sed nostra cito consumuntur; ideo parum est curandum; primae ad Timotheum sexto: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus ». De quarto.

---

[1] Vers. 28. — Sequuntur Thren. 1, 2; Esth. 8, 16: Iudaeis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium; Sap. 7, 3; Luc. 6, 21. et Prov. 14, 13.

[2] Vers. 11. Ibid. v. 10: Celebrantes *exsequias* planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies. — Subinde respicitur Marc. 6, 21. seq. de Herodiade.

[3] Vers. 3: Non sumet gens adversus gentem gladium. — Sequitur II. Paral. 32, 5: Aedificavit quoque, agens industrie, omnem etc.

[4] Vers. 29. et 5.

[5] Vers. 1. Pro *suam* B C D F *sibi*. — Sequuntur Iob 20, 15, ubi Vulgata *devoravit* pro *congregavit* (Septuaginta: Divitiae inique congregatae evomentur); Ps. 106, 38. et 39. — Ultimum membrum: *Vel acquirendi, cum Deo... facti sunt* supplevimus ex codd.

[6] Vers. 47-49. et 53. seqq. — Sequitur Ps. 111, 9.

[7] Vers. 4: Vestimentum... nequaquam vetustate defecit. Deinde I. Tim. 6, 8.

De varietate temporum quoad conversandi modum, secundum triplicem actuum alternationem.

Tempus tacendi etc. Hic ponitur quarta varie- Divisio. tas temporis, quae respicit debitum *conversandi modum*, quae attenditur secundum triplicem actuum alternationem, scilicet quantum ad actum *rationabilis* virtutis, qui est loqui; *concupiscibilis*, qui est amare; *irascibilis*, cuius est bellare [1], et quantum ad sua opposita.

(Vers. 7.). Quantum igitur ad alternationem *lo-* Expositio litteralis. De primo. *cutionis* dicit: *Tempus tacendi et tempus loquendi*, quia non semper loquendum nec semper tacendum; Ecclesiastici vigesimo [2]: « Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem et imprudens non servabunt tempus ». Sapiens enim tacet et suo tempore loquitur; unde Proverbiorum vigesimo quinto: « Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo ». Et praemittit taciturnitatem locutioni, quia deliberate est loquendum; Proverbiorum decimo tertio: « Qui custodit os suum custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala ».

(Vers. 8.). Quantum ad alternationem actus *con-* De secundo. *cupiscibilis* dicit: *Tempus dilectionis*, cum res habet bonitatem; *et tempus odii*, quando convertitur ad malignitatem; Psalmus [3]: « Iniquitatem odio habui et abominatus sum »; et ad Romanos duodecimo: « Odientes malum, adhaerentes bono, dilectione fraternitatis invicem diligentes ».

Quantum ad alternationem actus *irascibilis* di- De tertio. cit: *Tempus belli*, contra adversarios infestantes; secundi Regum undecimo [4]: « Factum est autem, vertente anno, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, misit David Ioab » etc. *Et tempus pacis*, quando cessant insurgentes; primi Machabaeorum decimo quarto: « Siluit terra Iuda diebus Simonis » etc.; et Michaeae quarto: « Non levabit gens contra gentem gladium, et non discent ultra belligerare ».

Spiritualiter haec quadruplex variatio refertur Expositio spiritualis quoad 4 status. ad quatuor status hominum existentium in Ecclesia: prima quoad *renatos;* secunda quoad *poenitentes;* tertia quoad *iustos;* quarta quoad *praelatos.* — Primo igitur in baptizatis est *tempus nascendi et* Quoad renatos. *moriendi*, qui nascuntur Deo; Ioannis tertio [5]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto » etc., sicut moriuntur mundo; ad Romanos sexto: « Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem ». — Secundo est *tempus plantandi et tempus evellendi*, quia plantantur in eis virtutes; Psalmus [6]: « Filii tui sicut novellae olivarum »; sed evelluntur vitia; Sapientiae quarto: « Adulterinae plantationes non dabunt radices altas », quia, Matthaei decimo quinto, « omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur ». — Tertio est in baptizatis *tempus occidendi* motum concupiscentiae; ad Colossenses tertio [7]: « Mortificate membra vestra, quae sunt super terram »; et est *tempus sanandi* virtutem naturae; Ieremiae trigesimo: « Obducam cicatricem tuam et a vulneribus tuis sanabo te ». — Quarto est *tempus destruendi et aedificandi* in baptizatis, quia destruitur habitatio diaboli, et fit habitatio Christi; primae Petri secundo [8]: « Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi superaedificamini in domus spirituales »; Ieremiae primo: « Constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas et disperdas et aedifices et plantes ».

Secunda varietas temporum spectat ad *poeni-* Quoad poenitentes. *tentes* quantum ad tria: scilicet *contritionem, confessionem* et *satisfactionem. Tempus flendi et tempus ridendi*, in *contritione*, in qua gaudium et dolor; Proverbiorum decimo quarto [9]: « Cor, quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus ». — *Tempus plangendi et tempus saltandi*, in *confessione*, in quo debet confiteri cum planctu; Iob decimo: « Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum ». Debet confiteri nude et aperte; secundi Regum sexto: « David saltabat accinctus coram arca ». — *Est tempus spargendi lapides et tempus colligendi*, in *satisfactione*. Lapides offensionis sunt occasiones peccati; Ecclesiastici vigesimo primo [10]: « Via impiorum complanata est lapidibus, et in fine illorum inferi et tenebrae et poenae ». Hi colliguntur in consideratione et sparguntur

---

[1] Cfr. tom. III. pag. 579, nota 8. et 9.

[2] Vers. 7. — Sequitur Prov. 25, 11. et 13, 3.

[3] Psalm. 118, 163. — Sequitur Rom. 12, 9. et 10.

[4] Vers. 1. — Sequuntur I. Mach. 14, 4: Et siluit omnis terra Iuda omnibus etc.; Mich. 4, 3: Non sumet gens adversus gentem etc. Cfr. Isai. 2, 4: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium.

[5] Vers. 5. — Deinde Rom. 6, 4. — Superius post *moriendi* E addit *et moriuntur mundo vel peccato;* inferius post *mortem* subiungit *eius. Et post* [v. 6.]: *Hoc scientes, quia vetus homo noster* [*simul*] *crucifixus* etc. Etiam B C D addunt: *Et post:* Extra (?) etc.

[6] Psalm. 127, 3. Addit hic E: *Quorum filii sicut novellae plantationes* [Ps. 143, 12.]. — Sequitur Sap. 4, 3: Spuria vitulamina non dabunt radices altas. August., II. de Doctr. christian. c. 12. n. 18. ait: Hinc est etiam illud, quoniam μόσχος Graece *vitulus* dicitur, μοσχεύματα quidam non intellexerunt esse *plantationes*, et *vitulamina* interpretati sunt; qui error tam multos codices praeoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum; et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis; namque *adulterinae plantationes non dabunt radices altas* convenientius dicitur quam *vitulamina*, quae pedibus in terra gradiuntur et non haerent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cetera contexta custodiunt. — Seq. locus est Matth. 15, 13.

[7] Vers. 5. — Sequitur Ier. 30, 17, ubi Vulgata *tibi* pro *tuam.*

[8] Vers. 4. et 5: Ad quem accedentes lapidem vivum... et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis. — Sequitur Ier. 1, 10, ubi Vulgata adiicit pauca.

[9] Vers. 10. — Sequuntur Iob 10, 20; II. Reg. 6, 14, ubi in Vulgata plura interseruntur.

[10] Eccli. 21, 11: Via peccantium complanata etc. — Sequitur Ps. 90, 12.

in cauta evitatione et carnis maceratione. Ab his occasionibus pauci liberantur, nisi qui a Domino custodiuntur; Psalmus: « In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum ».

Quoad justos. Primo de contemplativis.

Tertia varietas respicit *iustos* quantum ad duplicem statum, scilicet *activorum* et *contemplativorum*. Quantum ad *contemplativos: Tempus amplexandi et tempus longe fieri ab amplexibus*, quia modo actioni, modo debent intendere contemplationi. De quo amplexu Proverbiorum quarto [1]: « Glorificaberis ab illa, cum illam fueris amplexatus ». Longe debent fieri ab amplexibus carnis, de quibus Proverbiorum septimo: « Veni, inebriemur cupitis amplexibus ». — Quantum ad *activos*, qui debent exerceri in operibus pietatis, subiungit: *Tempus acquirendi et tempus perdendi*, hoc est acquisita distribuendi per eleemosynam; Ecclesiastici vigesimo nono: « Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide ». — Hoc dictum est perfectae iustitiae; sed supererogationis est dare totum, et quantum ad hoc dicitur: *Tempus custodiendi et tempus abiiciendi*, quasi totum dimittendi; Matthaei decimo nono [2]: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus ». — Rursus, quantum ad activos: *Tempus scindendi et tempus consuendi*, et hoc quantum ad vestitum; Iob trigesimo primo: « Si absque operimento dimisi pauperem, et si non benedixerunt mihi latera eius ».

Secundo de activis.

Quoad praelatos.

Quarta varietas attenditur quantum ad *praelatos*, primo in docendo, cum dicit: *Tempus tacendi et tempus docendi*, quia prius discere et postea docere; Ecclesiastici decimo octavo [3]: « Antequam loquaris, disce »; Ecclesiastici trigesimo secundo: « Audi tacens ». — *Tempus dilectionis et tempus odii*, in correptione malorum, quae consistit in odiendo vitium et in diligendo naturam; secundae ad Thessalonicenses ultimo: « Nolite quasi inimicum aestimare illum, sed corripe ut fratrem »; et Psalmus: « Perfecto odio oderam illos ». — *Tempus belli et tempus pacis: belli*, ad incorrigibiles, qui sunt feriendi gladio excommunicationis; Ecclesiastici septimo: « Noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates ». *Pacis*, ad redeuntes; Lucae decimo: « Si fuerit in domo illa filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur ».

Quaestio.

Quaestio est de numero istorum temporum. Videtur enim, quod insufficienter posuerit diversitates variationum temporum, quia multae sunt, quae ad has non reducuntur, sicut tempus comedendi et ieiunandi et consimilia. — *Si dicas*, quod gratia exempli; tunc ergo superflua, quia multo pauciora suffecissent.

Resp.

Respondeo: dicendum, quod, sicut dicit Augustinus [4], etsi quaelibet mutatio in universo per se considerata sit imperfectionis, tamen in tota universitate resultat carmen perfectum. Quia ergo Salomon sic voluit varietatem narrare, ut imperfectum in singulis et perfectum in toto ostenderet; ideo in tali numero, qui comprehendit universitatem et perfectionem. Et ideo enumerat viginti octo tempora et quatuordecim variationes; quia *viginti octo* numerus est perfectus et comprehendit *septenarium*, qui est universitas temporis [5]. Licet autem *senarius* sit perfectus, non tamen comprehendit *septenarium;* ideo tot posuit, non pauciores, ne deficeret universitas; non plures, quia in perfectione standum et universitate.

Notandum.

Art. 2. *Reprehenditur nostra curiositas dupliciter.*

Divisio.

Quid habet amplius homo etc. Ostendit supra rerum secundum diversa tempora varietatem, hic secundo ex hoc redarguit humanam curiositatem; et hoc quidem facit hoc ordine. Primo insinuat *curiositatis inutilitatem;* secundo vero in eius detestationem commendat *praesentem voluptatem.*

Insinuatur curiositatis inutilitas, et commendatur praesens voluptas.

Expositio litteralis.

(Vers. 9. 10. 11.). Redarguit nostram *curiositatem* propter inutilitatem, unde dicit: *Quid habet amplius homo?* supple: nisi mutabilitatem et varietatem et per hoc afflictionem. — Et manifestat, quod habeat afflictionem: *Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea; dedit*, id est, dari permisit, iuxta illud ad Romanos primo [6]: « Tradidit illos Deus in reprobum sensum »; *filiis hominum*, id est peccatoribus; supra secundo: « Pec-

---

[1] Vers. 8; deinde ibid. 7, 18, ubi a Vulgata pauca adduntur; denique Eccli. 29, 13. Post *amicum* Vulgata subiungit *tuum*. — Aliquanto inferius pro *ad hoc* codd. *ad hos*, id est, qui totum dant.

[2] Vers. 21. — Subinde allegatur Iob 31, 19. et 20: Si despexi pereuntem... et absque operimento pauperem, si non etc.

[3] Vers. 19. — Sequuntur Eccli. 32, 9; II. Thess. 3, 15: Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem; Ps. 138, 22; Eccli. 7, 6. et Luc. 10, 6: Et si ibi fuerit filius pacis etc.

[4] Libr. VI. de Musica, c. 11. n. 30; de Vera Relig. c. 22. n. 42. seq.; Epist. 138. (alias 5.) c. 1. n. 5.

[5] August., Enarrat. in Ps. 118. serm. 31. n. 4: *Septies in die*, quod ait, significat *semper*. Solet esse quippe iste numerus universitatis indicium; propter quod sex diebus divinae operationis septimus adiectus est quietis; et per septem dies currentes et recurrentes tempora universa volvuntur. Cfr. tom. IV. pag. 853, nota 6. — August., IV. de Gen. ad lit. c. 2. n. 5: Perfecti [numeri] vocantur, eo quod suis simul ductis talibus partibus compleantur. Nam post senarium *duodetrigesimus* invenitur, qui similiter suis talibus partibus [scil. 1, 2, 4, 7, 14] constat etc. Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. scholion.

[6] Vers. 28. — Deinde Eccle. 2, 26; Eccli. 11, 10. et 39, 39. seq.

catori autem dedit Deus afflictionem et curam superfluam ». *Ut distendantur*, scilicet variis curis; quocirca Ecclesiastici undecimo: « Fili, ne in multis sint actus tui ». Et explanat, quae sit illa afflictio, scilicet considerationis; unde dicit: *Cuncta fecit bona in tempore suo;* unde Ecclesiastici trigesimo nono: « Omnia opera Domini bona, et hora sua omne opus subministrabit. Non est dicere, hoc est illo nequius; omnia enim in tempore suo comprobabuntur ». Et licet bona fecerit, tamen non dedit horum cognitionem, sed dedit ingenium ad inquisitionem; unde dicit: *Et mundum tradidit disputationi eorum*, scilicet ad *inquirendum;* Ecclesiastici decimo septimo [1]: « Consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi », non ad *perveniendum;* unde subdit: *Ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus*, id est, ut non veniat ad perfectam cognitionem; et hoc propter dubitationem. *Ab initio usque in finem*, scilicet vitae suae; Iob trigesimo sexto: « Memento, quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri »; et infra octavo: « Intellexi, quod operum Dei nullam possem invenire rationem ».

Secundo, commendatur praesens voluptas.

(Vers. 12. 13.). *Et cognovi* etc. Hic secundo commendat *praesentem voluptatem*, et hoc ad arguendum curiositatem; unde dicit: *Et cognovi, quod non esset melius*, supple: in his bonis transitoriis, *nisi laetari et facere bona in vita sua*, scilicet *laetari*, in corde, *facere bona*, in opere. — Vel: *laetari*, in fruendo; Sapientiae secundo [2]: « Ubique relinquamus signa laetitiae » nostrae; *facere bona*, in delectabilia praeparando; Lucae duodecimo: « Anima mea, habes multa bona, posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare ». — Et subdit rationem; unde dicit: *Omnis enim homo, qui comedit et bibit, videt bonum de labore suo*, et superabundat ibi, ut sit sensus: ille qui comedit et bibit, videt bonum de labore suo, quia statim habet remunerationem; unde dicit: *Et hoc donum Dei est;* infra quinto: « Omni homini, cui Deus dedit divitias et potestatem illi tribuit, ut comedat ex eis, donum Dei est ».

Aliter.

Expositio spiritualis.

Glossa [3] exponit *spiritualiter: Et cognovi, quod non esset melius*, id est, utilius, *nisi laetari*, scilicet laetitia mentis; Ecclesiastici trigesimo: « Iucunditas cordis haec est vita hominis et thesaurus sine defectione sanctitatis »; *et facere bona in vita sua*, scilicet opera meritoria; ad Galatas sexto: « Itaque, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes ». — *Omnis enim homo, qui comedit et bibit;* supple: de Scriptura, comedit difficilia et bibit facilia; Proverbiorum nono dicit Sapientia: « Venite et comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis ». *Et hoc donum Dei est*, quia Scripturarum intellectus a Deo donatur; secundae ad Corinthios tertio: « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ».

Art. 3. *Ostenditur divinorum operum immutabilitas.*

Didici, quod omnia opera etc. Ostendit supra operum mutabilitatem, et ex hoc reprehendit hominum curiositatem. Hic tertio ostendit *divinorum operum immutabilitatem*, quia supra ostenderat variabilitatem.

(Vers. 14. 15.). Dicit ergo: *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverant in aeternum.* Ecce perpetuitas, propter quam nostra consideratio nihil potest immutare; unde dicit: *Non possumus eis quidquam addere vel auferre, quae fecit Deus, ut timeatur*, et ita non sunt in potestate nostra; Proverbiorum trigesimo [4]: « Non addas quidquam verbis eius, ne arguaris inveniarisque mendax ». — Et hoc monstrat, quia etiam nec ipse Deus minuit nec addit; unde dicit: *Quod factum est, ipsum permanet.* Non etiam addit; unde infert: *Quae futura sunt iam fuerunt*, quia similia praecesserunt; unde et dicit: *Et Deus instaurat quod abiit*, quia « unius corruptio est alterius generatio »; supra primo [5]: « Nihil novum sub sole, nec valet quisquam dicere: hoc recens est »; Genesis secundo: « Requievit Deus die septimo ».

Quaestio.

Incidit hic quaestio, cum intendat determinare *mutabilitatis vanitatem*, ut quid determinat hic *perpetuitatem?*

Quaest. 1. 1. Videtur extra suum propositum.

Quaest. 2. 2. Item, de ipsa perpetuitate quaeritur, quia dicit: *Opera, quae fecit Deus, perseverant in aeternum;* sed nulla corporalia perseverant in aeternum: ergo nulla corporalia fecit Deus: ergo redit hoc ad haeresim Manichaei, qui dixit, corruptibilia non esse creata a bono Deo.

---

[1] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Iob 36, 24. et Eccle. 8, 17, ubi pro *possem* Vulgata *possit homo.*

[2] Vers. 9. — Sequuntur Luc. 12, 19. et Eccle. 5, 18, ubi Vulgata plura interserit. — Mox pro *in delectabilia praeparando* Vat. *delectabilia operando*, refragantibus codd.

[3] Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Hieron. in hunc loc.) et *interlinearis* apud Lyranum. Abbas Rupert. Tuitiens. exponit hunc locum, sicut Glossa, praesertim *interlinearis:* Nihil tamen melius esse docet, quam laetari in vita sua et exerceri in faciendis bonis... Porro, quia caro Domini verus est cibus... iuxta anagogen, hoc solum habemus in hoc saeculo bonum, si vescamur carne eius et cruore potamur non solum in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione; verus enim cibus et potus, qui ex verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est. — Inferius allegantur Eccli. 30, 23; Gal. 6, 10; Prov. 9, 5. et II. Cor. 3, 5.

[4] Vers. 6: Ne addas quidquam verbis illius et arguaris etc.

[5] Vers. 10. — Sequitur Gen. 2, 2. (Vat. hic addit *id est, cessavit, secundum Bernardum, facere novam creaturam*). Praecedens sententia: unius corruptio etc., est Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 17. (c. 3.) et II. Metaph. text. 7. (l. brevior, c. 2.).

3. Item videtur, quod ipse contradicat sibi, quia statim sequitur: *Deus instaurat quod abiit:* ergo aliquid de operibus Dei corrumpitur et instauratur; falsum igitur dicit, cum dicit, quod *omnia opera Dei perseverant in aeternum.* Difficultas.

Sed quod omnia opera Dei sint incorruptibilia, ut dicit in littera, videtur: Ad oppositum.

1. Eo quod causa et effectus sint proportionalia [1], ergo causae incorruptibilis debet esse effectus incorruptibilis; sed Deus permanet in aeternum et est incorruptibilis: ergo et opera Dei.

2. Item, cum opera Dei sint universa *bona valde,* sicut dicitur Genesis primo [2]; et meliora sint incorruptibilia quam corruptibilia: videtur, quod ista corruptibilia non sint a bono Deo creata.

Respondeo: ad primum, quare hic determinat perpetuitatem, dicendum, quod non ratione sui, sed occasione mutabilitatis; et hoc quidem facit triplici de causa. Prima est ad *removendum errorem;* quia enim supra [3] in creaturis ostenderat mutabilitatem; ne crederetur, quod opera Dei omnino essent defectibilia, addit, quod aliquo modo sunt perpetua. Rursus, alia ratio est ad *compescendam curiositatem,* quam compescuerat, quia rerum mutabilitatem et causam et originem non possumus indagare; vult etiam compescere, quia ipsam rerum substantiam nec mutare possumus nec augere [4]. Tertia ratio est ad *reprimendam elationem;* quia enim videtur opera Domini depressisse per mutabilitatem; ne quis ex hoc condemnaret Deum auctorem, rursus redit ad insinuandam perpetuitatem in eis. Resp. ad 1. quaest. Ratio triplex.

Quod quaeritur de permanentia, respondetur, quod triplex est *esse* rerum: scilicet in *proprio genere,* in *anima,* in *divina praescientia;* et supra [5] ostendit, quod mutabilia sunt in *proprio genere,* et secundum quod sunt in *anima;* hic tangit earum perpetuitatem in *divina praescientia.* Resp. prima ad 2. quaest.

Aliter responderi potest, quod est loqui de rebus secundum *esse* proprium dupliciter: aut secundum *esse commune,* aut *individuale.* Secundum *esse individuale* multa sunt corruptibilia; secundum *esse commune,* perpetua; quia Deus continue per generationem *esse* illarum salvat; « propter enim longe distare a principio reliquo modo complevit *esse* Deus, continuam in his faciens generationem [6] ». Resp. secunda cum distinctione.

1. Quod obiicitur, quod sunt incorruptibilia, quia proportionalia causae; dicendum, quod illud intelligitur, ubi est generatio *univoca,* ubi causa producit sibi simile. Sic autem non est de Creatore et creatura, immo per infinitam potentiam facit magna et parva, corruptibilia et incorruptibilia. Solutio oppositorum.

2. Quod obiicitur de bonitate, dicendum, quod omnia sunt bona *in se,* sed valde bona *in ordine;* et quia, ubi est ordo, ibi magis et minus bonum: ideo quaedam corruptibilia, quaedam incorruptibilia. Propterea bonitas est in rebus non tantum secundum plus et minus, sed secundum oppositionem et similitudinem; ideo comparatur mundus pulcherrimo carmini; ideo decet, quod quaedam corruptibilia, quaedam e contrario [7]. Notandum.

Pars II. Probatur vanitas culpae, deinde ponitur remedium contra eam.

Vidi sub sole etc. Egit supra de *vanitate naturae,* hic de *vanitate culpae;* et quia haec est periculosa, ideo remedio indiget. Primo igitur ponit vanitatem; secundo, remedium contra eam, infra quarto [8]: *Custodi pedem tuum.* Divisio generalis.

Partis secundae membrum I. Ostenditur vanitas culpae sub triplici differentia, et hoc tum quoad rectores tum quoad subditos.

Vanitas autem est sub triplici differentia: primo agit de vanitate *malitiae;* secundo *avaritiae,* ibi [9]: *Considerans reperi;* tertio *imprudentiae,* ibi: *Melior est puer.* Vanitas autem est in rectoribus et subditis. Primo igitur agit de vanitate malitiae in *regentibus* et iudicantibus; secundo in *subditis,* ibi [10]: *Verti me.* Divisio. Subdivisio.

Art. 1. *De vanitate malitiae, primo in rectoribus quadruplici ordine descripta.*

Primo igitur vanitas *malitiae,* quae est in *rectoribus,* hoc ordine describitur: primo insinuat huius vanitatis considerationem; secundo, quod ex hoc devenitur in futuri iudicii praemeditationem; tertio, in praesentis status considerationem; quarto, quomodo corruit in erroneam opinionem. Divisio in 4 partes.

(Vers. 16.). Primo igitur insinuat, se *malitiam iudicum considerasse,* dicens: *Vidi sub sole in loco iudicii impietatem,* quantum ad examinationem causae; *et in loco iustitiae iniquitatem,* quantum ad lationem sententiae; Isaiae primo [11]: « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii; iustitia olim habitavit in ea, nunc autem homicidae; principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, se- De parte 1.

---

[1] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 38. (c. 3.).

[2] Vers. 31.

[3] Cap. 1, 2. seqq.

[4] Cfr. explicatio v. 14.

[5] Cap. 1, 3-11.

[6] Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.).

[7] August., Enchirid. c. 10. n. 3: Ab hac... Trinitate creata sunt omnia... nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula, simul vero universa valde bona; quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo. In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis. Cfr. supra pag. 32, nota 4.

[8] Vers. 17. — Pars I. incipit supra pag. 11, col. 2.

[9] Cap. 4, 7; ibid. v. 13. est seq. locus.

[10] Cap. 4, 1.

[11] Vers. 21. et 23. In Vulgata deest *olim.* — Seq. locus est Ps. 25, 10.

quuntur retributiones, pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad eos»; quia dicitur in Psalmo: « In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus ».

(Vers. 17.). *Et dixi in corde meo: Iustum* De parte 2. *et impium iudicabit Deus.* Hic secundo ostendit, quomodo ex hoc devenit in *futuri iudicii praemeditationem.* Propter quod subdit: *Et dixi in corde meo: Iustum iudicabit,* ad praemium; *impium,* ad supplicium; Iob trigesimo quarto[1]: « Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei et iuxta vias singulorum restituet eis. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet iudicium ». Et ideo iudicabit Deus eos secundum opera, quae tunc erunt manifesta; unde subdit: *Et tempus omnis rei tunc erit,* id est tempus iudicii omnis hominis, qui *omnis res* videtur secundae ad Corinthios quinto[2]: « Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sive bonum Aliter. sit, sive malum ». — Vel: *tempus omnis rei,* id est manifestationis omnis rei; primae ad Corinthios quarto: « Nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et Aliter. manifestabit consilia cordium ». — Vel: *tempus omnis rei,* id est retributionis omnis rei; ad Romanos octavo: « Omnis creatura ingemiscit » etc. — Hoc tempus exspectabat Ecclesiastes esse futurum ex conspectu iniquitatis praesentis; Isaiae quinquagesimo nono: « Conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit, quia corruit in plateis veritas, et aequitas non potuit ingredi; et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est manifestum, et indutus est iustus lorica et galea salutis ».

Dixi in corde meo de filiis hominum etc. Hic De parte 3. tangitur tertio, quomodo ex hoc devenit in *praesentis status considerationem,* quare scilicet Dominus in praesenti homines miseros esse voluit; ad hoc, ut scilicet eos *probaret,* ideo vitam hominis bestiis similem fecit.

(Vers. 18. 19. 20. 21.). Propter quod dicit: *Dixi in corde meo,* id est cognovi; *de filiis hominum*[3], quantum ad naturam; *ut probaret eos Deus et ostenderet, similes esse bestiis,* id est, assimilando bestiis probaret, qui essent, utrum vere boni, vel mali; quia mali, videntes similitudinem suam ad bestias in vita, volunt assimilari in moribus et bestialiter vivunt; boni vero spiritualiter; ideo in Psalmo[4] dicitur: « Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis ». Et ostendit similitudinem hominum ad bestias in *morte* et *vita* et in *materia;* non est manifesta dissimilitudo in spirituali substantia. — Quantum ad *mortem* dicit: *Et idcirco unus est interitus hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio,* scilicet ad hominum probationem, quia, sicut iumentum non semper vivit, immo aliquando moritur, sic et homo; infra nono[5]: « Nemo est, qui semper vivat et qui huius rei habeat fiduciam »; et ideo manifestat, quod similitudo est in morte, unde: *Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur.* — Nec In actu vivendi. tantum similitudo est in termino vitae, immo etiam in *actu vivendi;* ideo subdit: *Similiter spirant omnia,* scilicet aspirantia; *nec habet homo amplius iumento,* scilicet quantum ad actum vitae; Sapientiae septimo[6]: « Unus est egressus hominum ad vitam et similis exitus ». Sic patet similitudo quantum ad vitam. — Et subiungit similitudinem quantum Quoad materiam. ad *materiam;* et propterea dicit: *Cuncta subiacent vanitati,* scilicet, quia ex nihilo facta sunt, ideo vana; ad Romanos octavo[7]: « Vanitati subiecta est creatura ». Non dicit, quod nihil sit materia, sed hoc vult dicere, quod non habent materiam increatam neque essentiam, sed habent materiam creatam, quam intelligit nomine *terrae.* — Ideo dicit: *Et omnia pergunt ad unum locum,* scilicet ad materiam, ex qua facta sunt. *De terra facta sunt et in terram pariter revertuntur,* pariter, id est conformiter. Et sic notatur similitudo in materia; Ecclesiastici quadragesimo: « Omnia, quae de terra facta sunt, ad terram convertentur; similiter et aquae omnes in mare convertentur ». — Sed tantum in Sed dissimilis in anima non aperte. his est *similitudo aperta,* sed non apparet *differentia in anima. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* ad caelum, scilicet ad remunerationem, an deorsum per corruptionem; sicut econtra, *spiritus iumentorum descendat deorsum?* per corruptionem, aut etiam sursum, sicut et hominis ad iudicii retributionem. Pauci hoc noverunt; multi erraverunt et posuerunt, quod uniformes spi-

Tripliciter homo similis bestiis.

In morte.

---

[1] Vers. 10-12.

[2] Vers. 10: Omnes... corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. — Sequitur I. Cor. 4, 5; Rom. 8, 22; Isai. 59, 14. 15. et 17. Vulgata plura interserit et in fine legit *quia non est iudicium... indutus est iustitia ut lorica et galea salutis in capite eius.* — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 2: Omnis creaturae nomine signatur homo etc. Cfr. VI. Moral. c. 16. n. 20, et August., Serm. 43. (alias 27. de Verbis Apostoli) c. 3. n. 4. — Vat. tertiam expositionem verborum *tempus omnis rei* omittit, quam codd. praebent.

[3] Secundum textum Hebraeum et Syrum (Peschittho) sensus est: Cogitavi more hominum etc.

[4] Psalm. 48, 13. — Aliquanto inferius pro *dissimilitudo,* quod exhibent E (a secunda manu) et C F, alii codd. corrupte *dissuadendo,* Vat. ibi legit *in materia, immanifestam dissuadendo, hoc est in spirituali substantia.*

[5] Vers. 4.

[6] Vers. 6: Unus ergo introitus est omnibus ad vitam etc. (Septuaginta: Unus enim est omnium ingressus in mundum et egressus aeque idem).

[7] Vers. 20. — Codd. et Vat. *Non dico,* et deinde *volo dicere,* excepto E, qui legit *ex hoc vult dicere.* Nostra lectio magis contextui respondet. — Inferius allegatur Eccli. 40, 11: Omnia, quae de terra sunt, in terram convertentur, et omnes aquae in mare revertentur.

ritus hominis et iumenti. Hoc fideles noverunt, in quorum persona dicitur infra duodecimo[1]: « Corpus revertatur in terram suam, unde erat; et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum ». Sed hoc nesciunt carnales, in quorum persona dicitur infra nono: « Mortui nihil noverunt amplius nec habent ultra mercedem ».

Et deprehendi etc. Quarto loco propter huius
De parte 4. assimilationem subiungit, quomodo incidit in *voluptatis erroneam commendationem*, quasi nihil illa sit melius.

(Vers. 22.). Propter quod dicit: *Deprehendi, nihil esse melius, quam laetari hominem in opere suo*, id est, praesentialiter delectari, sicut carnales faciunt, de quibus Isaiae quinquagesimo sexto[2]: « Venite, sumamus vinum et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras et multo amplius ». Et ista commendatio est erronea, quia non ponit aliam remunerationem nec aliam vitam; unde subdit: *Et hanc esse partem illius*, quasi nihil aliud exspectet; unde Isaiae vigesimo secundo in persona talium dicitur: « Comedamus et bibamus; cras enim moriemur »; et Sapientiae secundo: « Ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra, et haec est sors ». Et erronea opinio ista ortum suum habet a iudicii incertitudine; propter quod dicit: *Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?* id est, quis ostendet illi, quod futura sint aliqua bona, quae
Notandum. debeat exspectare? quasi dicat: nullus. Et certe nullus persuadebit, nisi elevetur ad spiritualia contemplanda; « non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna », secundae ad Corinthios quarto[3]. Quia vero carnalis homo non respicit nisi visibilia, ideo non exspectat aeterna; ideo primae ad Corinthios secundo: « Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt ». Ideo si vult futura bona cognoscere, necesse est carnalitatem deponere.

Quaestiones.

I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Nihil habet homo amplius iumento, et* quod *aequa est utriusque conditio*. Quod istud sit falsum, videtur:

1. Genesis secundo[4] dicitur: *Adae non inve-*
Fundamenta. *niebatur adiutor similis ei*, ergo nullum iumentum est homini simile: ergo habet aliquid amplius iumento.

2. Item, certum est, quod homo deliberat de futuris et praeterita discernit et conceptiones suas exprimit; hoc autem non iumentum[5]: ergo etc.

3. Praeterea, homo domat iumenta, sed nullum iumentum hominem: ergo homo aliquid plus habet iumento.

Quod autem non habeat, videtur: quia nascitur, Contra.
vivit et moritur et in terram vadit, sicut et iumentum.

Respondeo: quidam dicunt, quod hoc dicit in Resp. 1.
persona carnalis, qui nihil credit habere hominem plus iumento. — Aliter dici potest, quod in propria Resp. 2.
persona loquatur; et verum dicit secundum suum intellectum. Intendit enim ipse ostendere incertitudinem remunerationis animae per similitudinem ad iumentum. Illam autem similitudinem ponit et intelligit quantum ad *visibilia*, quae possunt sensu discerni; et per hoc non concludit similitudinem de *spiritualibus*, sed dubitationem; unde dicit: *Quis novit* etc. — Dicendum est igitur, quod secundum ve- Conclusio.
ritatem homo habet ultra bestias rationem, communicat autem in corruptibilitate, vita et respiratione; et quia ratio non est quid sensibile, sed intelligibile; et ipse de sensibilibus loquitur: ideo nulla est in hoc omnino instantia[6].

II. Dubitatur de hoc quod dicit: *Quis scit, utrum spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* Quod autem sic, videtur:

1. Primo per corporis dispositionem, cuius dis- Fundamenta.
positio et organizatio attenditur secundum congruentiam ad sursum. Si igitur « os homini sublime dedit caelumque tueri[7] », et respicit sursum: ergo spiritus fertur sursum.

2. Item, omnes naturaliter appetunt beatitudinem; sed constans est, nullum beatum esse posse in miseriis, maxime cui mors cedit invite: ergo si non potest habere beatitudinem in hac vita, natus est habere post hanc vitam spiritum separatum: ergo etc.

3. Praeterea, intellectus noster est impermixtus, unde omnia intelligit[8], ergo non dependet a corpore quantum ad actum, ergo multo minus quantum ad *esse*: ergo corpore descendente, possibile est, ascendere spiritum.

4. Item, per rationem ipsius Ecclesiastae: quia, si aliqui habent bona, et aliqui mala; et videmus, quod in praesenti mala bonis et bona malis contingunt: si ergo necesse est unum rectorem ponere, necesse est aliud tempus et remunerationem ponere, in quo *impium et iustum iudicet Deus*[9]. Cum igi-

---

[1] Vers. 7: Et revertatur pulvis in terram suam etc. Deinde ibid. 9, 5.

[2] Vers. 12. — Sequitur Isai. 22, 13; deinde Sap. 2, 9.

[3] Vers. 18. — Sequitur I. Cor. 2, 14, ubi Vulgata *sunt Spiritus Dei* pro *Dei sunt*. [4] Vers. 20.

[5] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 150. seqq. (III. c. 3.); III. text. 53. (c. 10.) et de Memoria et reminisc. c. 1.

[6] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. et IV. d. 45. dub. 2. in fine.

[7] Ovid., I. Metamorph. v. 85; v. 86: Iussit et erectos ad sidera tollere vultus. Cfr. tom. V. pag. 228, nota 6. — De seqq. argg. omnibus et solutione vide II. Sent. d. 19. a. 1. q. 1.

[8] Aristot., III. de Anima, text. 4. (c. 4.): Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit, immixtum esse [intellectum], sicut dicit Anaxagoras, ut dominetur; hoc autem est, ut cognoscat; nam alienum, iuxta apparens, prohibet et obstruit. Cfr. ibid. text. 6.

[9] Eccle. 3, 17.

tur hoc fides nostra dicat, Ecclesiastes videtur fuisse haereticus, qui de hoc dubitavit.

Quod autem *deorsum*, videtur:

Ad oppositum. 1. Per Scripturam: quia Sapientiae nono [1] dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam;* ergo si corporaliter corrumpatur anima, totaliter corrumpitur.

2. Item, quod compatitur patienti commoritur morienti; sed anima compatitur corpori: ergo etc.

3. Item, substantia nulla est otiosa [2], ergo quod aufert alicui omnem operationem aufert ei *esse* et durationem; sed anima amittit omnem operationem, corpore laeso; quod patet, quia intellectum, de quo minus videtur, ut in furiosis: ergo, corrupto corpore, amittit substantiam.

Resp. Respondeo: dicendum, quod ascendere sursum ad remunerationem animas bonas, et descendere deorsum in corruptionem animas iumentorum, dicit et supponit fides nostra; et huic concordat ratio et philosophia; tamen ratio illa et philosophia et occulta est et multas habet rationes dubitandi; ideo quasi nullus vel pauci potuerunt vere certificari de animae immortalitate et eius beatitudine, nisi adiuvasset fides. Unde et Plato [3], qui animam posuit immortalem, rursus erravit in beatitudine, qui posuit, animas brutorum corpora circuire. — Ecclesiastes igitur hoc non negat nec dubitat; sed dicit, hoc esse difficile demonstrare; et hoc quidem verum est infideli. Error Platonis.

Distinctio. 2. 3. Quod obiicitur de operatione et compassione, dicendum, quod aliquid *uniri alteri*, hoc est dupliciter: aut sicut *motor tantum*, et tunc potest separari, nulla in ipso facta immutatione; aut sicut *motor et perfectio;* et hoc dupliciter: aut non habet operationem propriam, sicut anima bruti, aut habet propriam, sicut anima hominis. Quoniam igitur anima hominis unitur corpori ut *perfectio et motor*, compatitur patienti corpori; ideo etiam impeditur, corpore impedito. Sed quoniam separabiliter coniuncta est, ideo non est necesse, quod ipsa corrumpatur; soluta omni harmonia, anima discedit.

Capitulum IV.

Secundo, de vanitate malitiae in subditis secundum triplicem differentiam.

Divisio. *Verti me ad alia* etc. Supra actum est de vanitate malitiae in praelatis; hic in *subditis*. Vanitas autem malitiae tangitur hic quantum ad triplicem differentiam: primo *calumniae* in malitiose nocendo; secundo *invidiae* in [4] malitiose dolendo, ibi: *Rursus contemplatus sum;* tertio *accidiae*, a bono opere discedendo; et hoc tangitur ibi: *Stultus complicat.*

Expositio literalis. (Vers. 1. 2. 3.). Describit igitur *calumniae* vanitatem; et quantum ad *considerationem calumniae* Primo, de vanitate calumniae. dicit: *Verti me ad alia,* supple: consideranda; *et vidi* Consideratio eiusdem. *calumnias, quae sub sole geruntur*, id est in hoc mundo; Ezechielis vigesimo secundo [5]: « Populi terrae calumniabantur calumniam et rapiebant violenter, egenum et pauperem affligebant et advenam opprimebant calumnia absque iudicio ». Et dicitur *calumnia* violenta bonorum extorsio, quasi per iustitiam, sed per malitiam. — Et subiungit *aggravationem miseriae*, propter oppressorum calamitatem, quia opprimuntur *iniuste, inconsolabiliter, irremediabiliter.* — Quia *iniuste*, dicit: *Et lacrymas innocentium,* scilicet pro huiusmodi calumniis; Iob trigesimo quinto [6]: « Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, et eiulabunt propter vim brachii tyrannorum ». — Quia *inconsolabiliter: et neminem consolatorem*, quod quidem aggravat crudelitatem; unde Threnorum primo: « Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius ». Econtra Ecclesiastici septimo: « Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula »; — Nec tantum consolatione caret, immo *remedio;* unde et subdit: *Nec posse resistere violentiae eorum, cunctorum auxilio destitutos,* supple: vidi. De hac malitia dicitur Proverbiorum vigesimo secundo [7]: « Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta ». Ideo secundi Paralipomenon vigesimo: « In nobis non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos ». — Quantum autem ad *detestationem culpae* subiungit: *Et laudavi magis mortuos quam viventes*, eo scilicet, quod ista mala et crudelitates non vident, quas nemo bonus potest videre et non dolere; tertii Regum decimo nono [8] dixit Elias: « Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam; non enim melior sum quam patres mei ». — *Et feliciorem utroque iudicavi,* scilicet mortuo et vivente, *qui necdum natus est nec vidit mala, quae sub sole sunt;* quasi videre ista mala vel vidisse magna sit miseria; primi Machabaeorum secundo: « Vae mihi, dixit Mathathias, utquid natus sum videre contritionem populi mei et contritionem

Quid calumnia. Aggravatio miseriae. Tripliciter opprimuntur. Detestatio culpae.

---

[1] Vers. 15.

[2] Cfr. tom. V. pag. 365, nota 3. Damasc., II. de Fide orthod. c. 23: Fieri quidem non potest, ut substantia ulla actu seu operatione naturali careat... Actus est vis motioque cuiusque substantiae, qua caret illud solum quod non est. — De *minori subsumta* cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 6.

[3] Cfr. eius Phaedon; X. de Republ.; Tim. Locri de anima mundi (in fine).

Pro *in* B substituit *de bono proximi et prosperitate eius,* ut infra in expositione.

[5] Vers. 29. — Inferius E secuti sumus, ponentes *sed per malitiam* pro *vel malitiam.*

[6] Vers. 9. — Sequuntur Thren. 1, 2. et Eccli. 7, 38.

[7] Vers. 22. — Deinde II. Paral. 20, 12.

[8] Vers. 4. — Sequitur I. Machab. 2, 7.

Tria de calumnia. civitatis sanctae, et sedere illic »? — Sic igitur notatur hic *consideratio calumniae, aggravatio miseriae,* quia illi sunt oppressi, desolati, auxilio destituti, et tunc *detestatio culpae.*

(Vers. 4.). *Rursus contemplatus sum* etc. Hic secundo tangitur vanitas *invidiae* in dolendo de bono et prosperitate proximi malitiose, quam etiam vidit; unde subdit: *Rursus contemplatus sum.* Haec contemplatio est liber ac perspicax et defixus intuitus [1]. *Contemplatus sum,* inquam, *omnes labores et industrias hominum; labores,* quantum ad corpus; *et industrias hominum,* quantum ad animam. — Vel: *labores et industrias,* id est virtutes; unde alia translatio [2]: *Omnem virtutem operis;* supra secundo: « Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi ». *Et animadverti,* id est, percepi in animo; *patere,* id est, exposita esse; *invidiae proximi,* quia videns bona invidus statim dolet; Ecclesiastici decimo quarto: « Nequam est oculus lividi et avertens faciem et despiciens animam suam ». *Et in hoc ergo vanitas,* scilicet malitiae; Proverbiorum vigesimo octavo: « Vir, qui festinat ditari et aliis invidet » etc. *Et cura superflua,* scilicet poenae, quia, cum deberet de bonis suis cogitare, cogitat semper de alienis; unde Proverbiorum vigesimo tertio: « Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos eius, quoniam in similitudinem arioli aestimat quod ignorat ».

Secundo, de vanitate invidiae.

Aliter.

(Vers. 5. 6.). *Stultus complicat* etc. Hic tertio tangitur vanitas *accidiae,* propter quam homo redditur taediosus et piger ad omne bonum et per hoc stultus. Ideo dicit: *Stultus complicat manus suas;* ideo *stultus,* quia *piger;* Proverbiorum duodecimo [3]: « Qui sectatur otium stultissimus est »; Proverbiorum sexto: « Vade ad formicam, o piger, et disce sapientiam ». Hic *stultus complicat manus,* quia renuit operari; Proverbiorum vigesimo sexto: « Abscondit piger manus suas sub ascella sua et laborat, si ad os suum eas converterit ». Et ex hoc, quod operari renuit, pauper efficitur et macer propter defectum inopiae; unde dicit: *Et comedit carnes suas, dicens;* hyperbolice dictum est, eo quod macer efficitur, non habens cibum; Proverbiorum vigesimo primo [4]: « Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari ». — Sed in hac pigritia accidiae habere sibi videtur excusationem sapientiae; unde et subdit dicens: *Melior est pugillus cum requie quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi.* Haec est sententia pigri, per quam se excusat; unde dicitur Proverbiorum vigesimo sexto: « Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias ». — Et sic insinuatur in pigro *torpor accidiae,* quia *complicat manus; sustinentia penuriae,* quia *comedit carnes; excusatio ignorantiae,* quia laudat requiem.

Tertio, de vanitate accidiae.

Tria de pigritia.

Quaestiones.

I. Quaeritur hic de hoc quod dicit: *Laudavi magis mortuos quam viventes.*

Contra: 1. Infra nono [5]: *Melior est canis vivus leone mortuo.* Contra.

2. Praeterea, hoc videtur *ratione:* quia melior est habitus quam privatio, ergo vita quam mors: ergo, *a coniugatis* [6], meliores sunt viventes quam mortui.

Respondeo: dicendum, quod laudare aliquid magis alio vel praeferre dupliciter potest esse: vel *simpliciter,* vel *quoad aliquam conditionem. Simpliciter* loquendo, praefertur vivens mortuo, nisi addatur conditio beatitudinis; sed *quoad aliquid* praefertur mortuus vivo: primo, quia non habet tot occasiones peccandi; unde dicebat Apostolus ad Romanos septimo [7]: *Infelix ego homo, quis me liberabit a servitute corporis huius?* Secundo, quia non habet tot occasiones tristandi, quia non videt tot mala; Ionae ultimo: *Melius est mihi mori quam vivere.* Et quantum ad istam conditionem praefertur mortuus vivo in exaggerationem praesentium malitiarum et miseriarum.

Resp. cum distinctione.

Ratio duplex.

II. Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est.*

Contra: 1. Ille nihil boni habet: ergo non est felicior. Contra.

2. Praeterea, omne, quod habet aliquo modo rationem felicitatis, est appetendum; sed nullus potest appetere *non-esse,* sicut dicit Augustinus [8]: ergo qui non est natus nullo modo felix est.

III. Item quaeritur, utrum aliquis possit hoc velle, scilicet magis *non-esse* quam poenam, ordinato

---

[1] Hug. a S. Vict., in Eccle. homil. 1: Tres sunt animae rationalis visiones: cogitatio, meditatio, contemplatio. *Cogitatio* est, cum mens notione rerum transitorie tangitur, cum ipsa res sua imagine animo subito praesentatur vel per sensum ingrediens, vel a memoria exsurgens. *Meditatio* est assidua et sagax retractatio cogitationis aliquid vel involutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum. *Contemplatio* est perspicax et liber animi contuitus, in res perspiciendas usquequaque diffusus.

[2] Scil. Septuaginta interpretum, quam etiam Hieron. exhibet. — Sequuntur Eccle. 2, 18; Eccli. 14, 8; Prov. 28, 22. et 23, 6. seq.

[3] Vers. 11; deinde ibid. 6, 6. et 26, 15; in ultimo loco pro *manus suas* et *eas* Vulgata *manum* et *eam.* — Inferius post *Hic stultus complicat manus* E addit *id est simul plicat, non aperit nec extendit ad operandum.*

[4] Vers. 25; ibid. 26, 16. est seq. locus.

[5] Vers. 4.

[6] Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 9.): *Coniugata* autem dicuntur secundum eandem coniugationem omnia, ut iustitia, iustus, iustum, iuste; manifestum igitur, quoniam unoquovis ostenso eorum, quae secundum eandem coniugationem dicuntur, ut bono vel laudabili, et reliqua omnia ostensa sunt, ut si iustitia ad laudabilium, et iuste, iustus, iustum laudabilium.

[7] Vers. 24. — Sequitur Ion. 4, 8. Cfr. ibid. v. 3. — Aliquanto superius pro *aliquid* B D *aliquem.*

[8] Libr. III. de Lib. Arb. c. 6-9. n. 18-24.

appetitu. — Quod *sic*: Matthaei vigesimo sexto [1]: « Melius erat ei, si natus non fuisset »: ergo si omne melius appetendum et praeeligendum, etiam et hoc.

Contra. Quod *non*, videtur, quia totum bonum tollit: ergo nihil illo peius.

Resp. ad II. quaest. Duplex felicitas. Respondeo: dicendum, quod felicitas duobus modis est in aliquo: *vere* et *aestimative*. *Vere* est in uno solo, *aestimative* in multis secundum opiniones et considerationes diversas et eius conditiones in diversis repertas. Quia enim est bonum iucundissimum, ideo Epicurus eam ponit in voluptatibus, et sic de aliis. Quia igitur *felix* nulla malitia vel miseria molestatur; et ista conditio reperitur in eo qui nondum natus est: ratione istius conditionis dicit: *Feliciorem aestimavi* etc. Dico etiam, quod ratione illius conditionis appetitur a multis afflictis.

Resp. ad III. quaest. Duplex poena. Quod quaeritur, utrum debeat appeti vel praeeligi; dicendum, quod duplex est poena: *temporalis* et *aeterna;* neutra poena *totum* adimit, sed tamen aeterna *semper* adimit; corruptio vero in *non-esse totum* adimit, sed *semel*. Si igitur talis corruptio in *non-esse* comparetur poenae *temporali*, simpliciter est peior; si autem *aeternae*, se habent sicut excedentia et excessa, quia haec in ademptione, illa in continuatione excedit. Et quia illa est infinita duratione, ista vero momentanea; in hoc excedit et potest magis rationabiliter fugi et sperni [2].

IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Animadverti, omnia patere invidiae proximi*. Quaero, utrum homo debeat cessare propter eius invidiam a bono opere. — Quod sic, videtur: quia magis diligendus est proximus quam quaelibet utilitas praesens: ergo si proximus perit invidendo, illud debet omitti.

Contra. Contra: Opus bonum bonum praestat exemplum et excitat ad bonum: ergo si bonum aperiendum est ad laudem, non debet homo occultare propter invidiam proximi.

Resp. cum distinctione. Respondeo: aut est opus illud de *necessitate*, aut de *utilitate*. Si de *necessitate*, nequaquam dimittitur; si de *utilitate* [3], aut *potest* aeque bonum fieri in eius absentia, ut in praesentia, aut *non;* si *sic*, debet homo opus illud ab eius oculis absentare, ut tollat occasionem, quando probabiliter coniicit, quod ille invidet; si autem *non potest*, facere debet nec dat occasionem, sed ille accipit.

Art. 2. *De vanitate avaritiae, et primo de ipsius consideratione.*

Divisio. *Considerans reperi* etc. Supra egit de vanitate malitiae; hic agit de vanitate *avaritiae;* et primo ponitur *consideratio avaritiae;* secundo vero, quia avarus non vult habere consortem, in ipsius detestationem ponitur *commendatio societatis alienae*, ibi: *Melius est ergo, duos esse* etc.

Expositio litteralis. De parte 1. (Vers. 7. 8.). In consideratione igitur vanitatis avaritiae dicit: *Considerans reperi aliam vanitatem sub sole*, scilicet *aliam*, quia supra dicta fuit malitiae, haec autem avaritiae. — Unde subiungit: *Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem*, et in modicis deberet esse contentus tanquam solus, quia etiam non vult habere socium; Ecclesiastici undecimo [4]: « Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus »; et tamen totus evanescit per avaritiam et in *effectu* et *affectu* et *intellectu*. In *effectu;* unde dicit: *Et tamen laborare non cessat;* Ecclesiastici trigesimo primo: « Laboravit dives in congregatione substantiae ». In *affectu: Non satiantur oculi eius divitiis;* Ecclesiastici decimo quarto: « Insatiabilis oculus cupidi in partem iniquitatis non satiabitur ». *In intellectu;* unde subdit: *Nec recogitat dicens, cui laboro, et fraudo animam meam bonis?* Psalmo trigesimo octavo: « Thesaurizat et ignorat, cui congregabit ea ». Ex his igitur infert vanitatem: *In hoc quoque vanitas est et afflictio pessima;* infra quinto: « Divitiae conservatae in malum domini sui; pereunt enim in afflictione pessima ».

Evanescit tripliciter.

Secundo, de commendatione societatis alienae.

De parte 2. (Vers. 9. 10. 11. 12.). *Melius est ergo, duos esse* etc. Tangitur hic secundo *commendatio societatis alienae*, et hoc in detestationem sollicitudinis avaritiae; propter quod dicit: *Melius est ergo, duos esse*, quamvis illud avarus praeeligat; et subiungit rationem: *Habent enim emolumentum societatis mutuae;* et ideo, Lucae decimo [5], Dominus « misit discipulos binos ante faciem suam ». — Et ostendit triplex emolumentum: scilicet in *relevando*, in *conservando*, in *defendendo*. Propter *relevationem* dicit: *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur;* Deuteronomii vigesimo secundo [6]: « Si videris, asinum fratris tui cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo ». Hoc beneficio caret solitarius; ideo subdit: *Vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se*, ideo miser; unde in Psalmo: « Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego ». — Quantum ad emolumentum in *conservando* subdit: *Et si dormierint duo, fovebuntur mutuo*, id est conservabuntur a frigore; ad Ephesios quinto [7]: « Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam ». Hoc beneficio caret solitarius; unde subdit: *Unus*, si dormierit, *quomodo calefiet?* Exem-

Triplex utilitas societatis. Prima. Secunda.

---

[1] Vers. 24: Bonum erat ei etc. — Inferius pro *etiam et hoc* E *melius erat ei non esse, quam sic esse* etc.

[2] Cfr. IV. Sent. d. 50. p. 1. a. 1. q. 2.

[3] Verba *nequaquam dimittitur; si de utilitate* perperam omissa supplevimus ex E.

[4] Vers. 19. — Sequuntur Eccli. 31, 3. et 14, 9, ubi Vulgata *in parte* pro *in partem;* Ps. 38, 7. et Eccle. 5, 12. seq.

[5] Vers. 1.

[6] Vers. 4. — Sequitur Ps. 24, 16.

[7] Vers. 29. — Sequitur III. Reg. 1, 1. seqq.

plum huius: tertii Regum primo dicitur, quod David senuerat et non calefiebat, et subditur, quod quaesierunt Abisag Sunamitem, quae dormiebat in sinu regis et calefaciebat eum; per se non poterat calefieri, cum esset solus. — Quantum ad emolumentum in *defendendo* subdit: *Et si quisquam praevaluerit contra unum, duo resistent ei*, et ita valet ad defensionem; secundi Regum decimo[1]: « Si praevaluerint adversum me Syri, eris mihi in adiutorium; si autem filii Ammon praevaluerint adversum te, auxiliabor tibi ». Et hoc quidem manifestat exemplo: *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Sicut chorda chordae coniuncta est fortior, sic et homo; Proverbiorum decimo octavo: « Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma ».

Tertia.

Exemplum.

Spiritualiter hic notatur triplex effectus caritatis, scilicet mutua *relevatio*, mutua *consolatio* et mutua *defensio*. Propter *relevationem* dicit: *Si unus ceciderit;* ad Galatas ultimo[2]: « Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis »; unde dicitur Ecclesiastici trigesimo septimo: « Cor boni consilii statue tecum ». — Propter *consolationem* dicit: *Fovebuntur mutuo;* primae ad Thessalonicenses quinto: « Consolamini pusillanimes »; et ibidem secundo: « Facti sumus parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos ». — Propter *defensionem* dicit: *Duo resistent;* Isaiae quinquagesimo: « Stemus simul; quis est adversarius meus »? — Propter hunc triplicem effectum caritatis dicitur *funiculus triplex;* Osee undecimo: « In funiculis Adam traham te, in vinculis caritatis ».

Expositio spiritualis.

Quaestiones.

I. Quaeritur hic de vita solitaria, utrum sit praeeligenda societati. Quod sic, videtur:

1. Quia dicitur Threnorum tertio[3] de bono adolescente: *Sedebit solitarius et tacebit:* ergo bonum est esse solum.

Pro parte affirmativa.

2. Praeterea, Bernardus[4] dicit: « Quoties fui inter homines, minus homo redii »: non est ergo bonum esse inter homines.

3. Item, qui est in societate, necesse est, quod sit sollicitus, quomodo se conformet societati; sed Apostolus dicit primae ad Corinthios septimo[5], quod bonum est non nubere propter vitandam sollicitudinem de placendo uxori: ergo similiter bonum est omnem societatem fugere.

Contra: 1. Genesis secundo[6]: *Non est bonum, hominem esse solum:* ergo solitudo est vituperabilis, et per oppositum societas laudabilis.

Pro parte negativa.

2. Item, Matthaei decimo octavo[7]: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum;* non dicit: ubi *unus*, sed ubi *duo* vel *tres:* ergo melior est vita in congregatione quam solitaria.

3. Item, hoc probatur per litteram istam[8], quia societas *fulcit, fovet* et *defendit*, quae sunt tria bona, quibus solitarii privantur.

Respondeo: dicendum, quod triplex est *solitarium:* unum per *inopiam dilectionis*, sicut avarus non vult habere consortem in divitiis, nec invidus in bonis, nec superbus in magnis; et solitudo haec mala omnino est. Alia solitudo per *defectum consolationis*, sicut dicitur in Psalmo[9]: *Unicus et pauper sum ego*, et haec misera est. Est et alia solitudo per *quietem contemplationis*, et haec laudabilis et honesta. — Similiter triplici modo est *societas:* quaedam scilicet *turbans et impediens*, sicut societas malorum; quaedam *subsidio et solatio indigens*, sicut societas uxorum et infirmorum; et quaedam *adiuvans et promovens*, sicut societas perfectorum. Prima est *fugienda*, secunda *toleranda*, sed tertia *appetenda;* et haec est in religione. Quando igitur Scriptura commendat societatem, intelligitur de hac; et haec non repugnat solitudini contemplationis, quia Bernardus in Canticis[10]: « Inter multos solus potest esse homo omnino, si curiositatem fugiat ». — Et sic patent obiecta.

Resp.

Triplex solitarium.

Triplex societas.

Art. 3. *De vanitate imprudentiae, quae primo detestanda propter malum praesens.*

Melior est puer etc. Egit supra de vanitate malitiae et avaritiae; hic agit de vanitate *imprudentiae;* et quia vanitas imprudentiae est culpabilis et detestanda; ideo contra ipsam invehitur dupliciter: primo, propter malum *praesens;* secundo, propter malum *succedens* sive consequens, ibi: *Vidi cunctos viventes*.

Divisio.

(Vers. 13. 14.). Malum *praesens* et concomitans imprudentiam est, quod regem divitem et senem subiicit puero pauperi, habenti prudentiam, et hoc qui-

Expositio litteralis. De parte 1.

---

[1] Vers. 11. — Sequitur Prov. 18, 19.

[2] Vers. 1. — Sequuntur Eccli. 37, 17; I. Thess. 5, 14. et 2, 7, ubi Vulgata *vestrum* pro *vestri;* Isai. 50, 8; Osee 11, 4, in quo pro *traham te* Vulgata *traham eos*.

[3] Vers. 28.

[4] Haec sententia, quae etiam apud Auctorem libri de Imitat. Christi (lib. I. c. 20. n. 2.) occurrit, insinuatur a Seneca, Epist. 7: « Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui ». Haec verba etiam in E ad marginem allegantur. Pro Bernardo allegat Vat. *in Cantic. serm. 40*, in quo (n. 4. et 5.) tantummodo adhortatio continetur ad solitudinem amandam et ad debitum modum conversationis inter homines. Cfr. finis respons.

[5] Vers. 32. seqq.

[6] Vers. 18.

[7] Vers. 20.

[8] Eccle. 4, 9-12.

[9] Psalm. 24, 16.

[10] Serm. 40. n. 5: Solus es in quantacumque hominum verseris frequentia, tantum cave alienae conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex.

dem magna vanitas. Et propterea dicit: *Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto*, quamvis iste excedat potentia, excedat pecunia, excedat etiam aetate; infra decimo[1]: « Pretiosior est sapientia parvaque gloria ad tempus stultitia »; et Proverbiorum duodecimo: « Melior est pauper et sufficiens sibi quam gloriosus et indigens pane ». Et explanat quod dixit: *stulto*, quia defectum habet providentiae de futuro, quae est una pars prudentiae; unde dicit: *Qui nescit praevidere in posterum*, scilicet rerum eventum; Deuteronomii trigesimo secundo[2]: « Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent ». — *Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum;* Sapientiae decimo: « Venditum iustum in vinculis non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit, donec afferret illi sceptrum regni ». *Et alius, natus in regnum, inopia consumatur*, et hoc propter suam superbiam; Ecclesiastici decimo: « Sedes ducum superborum destruxit Dominus, et sedere fecit mites pro eis ».

Secundo est detestanda propter malum succedens.

(Vers. 15. 16.). *Vidi cunctos viventes.* Hic tangitur secundo malum sibi *succedens* propter suam imprudentiam, quia ipse deprimitur, et alius exaltatur; unde dicit: *Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole*, id est multos vel innumerabiles, hyperbolice, *cum adolescente secundo*, id est, qui eum sequitur in regno; unde dicit: *qui consurget pro eo.* Et ita alii sequuntur adolescentem succedentem, contemnendo senem. Exemplum de David, qui consurgit in regnum Saul, quem consecuti sunt filii Israel, relicta domo Saul, sicut dicitur secundi Regum quinto[3], quod omnes venerunt ad David. — Et ratio, propter quam sequuntur adolescentem, relicto sene, est, quia nulli benefecit senex stultus; et hoc innuit littera sequens: *Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum*, id est, ante adventum adolescentis sub rege fuerunt stulto et adhaeserunt ei. *Et qui postea futuri sunt*, supple: cum sene illi adhaerentes, *non laetabuntur in eo*, hoc est in sene stulto, quia nulli benefecit nec faciet, quia nescit; Ecclesiastici vigesimo[4]: « Fatuo non erit amicus, nec erit gratia in bonis illius; neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit ». Et ex hoc concludit vanitatem; unde dicit: *Sed et hoc vanitas et afflictio spiritus*, alia scilicet vanitas a praedictis, supra primo: « Vidi cuncta, quae fiunt sub sole, et ecce, universa vanitas »; et subiungitur ratio: « Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus ». — Et sic terminatur pars de *vanitate culpae.*

Expositio litteralis. De parte 2.

Spiritualiter hoc etiam potest exponi de Christo. *Puer pauper et sapiens* Christus est, qui *puer* propter innocentiam; unde Isaiae quadragesimo secundo[5] secundum aliam litteram: « Ecce, puer meus, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea ». *Pauper*, quia pro nobis factus est inops; secundae ad Corinthios octavo: « Scitis, fratres, gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos factus est egenus, cum esset dives ». *Sapiens*, immo Sapientia; primae ad Corinthios primo: « Christum dicimus Dei virtutem et Dei sapientiam »; et infra nono: « Inventus est in ea vir pauper et sapiens ».

Expositio spiritualis. De Christo.

Senex rex et stultus diabolus est, qui est *senex;* Iob quadragesimo[6]: « Ipse est principium viarum Dei »; unde « inveteratus est dierum malorum » *Rex* est, quia regnat in malis; unde Iob quadragesimo primo: « Ipse est rex super omnes filios superbiae ». *Stultus*, quia aggressus est quod non potuit; unde Isaiae decimo quarto dixit: « Ascendam in caelum, super astra Dei exaltabo solium meum ». Hic etsi sit callidissimus ad decipiendum, *nescit* tamen *praevidere, quod de carcere quis egrediatur ad regnum*, ut Christus de carcere carnis et de vinculis passionis egrediatur ad regnum gloriae caelestis: ad Hebraeos primo[7]: « Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis ». Etiam diabolus, *natus in regnum*, id est ad percipiendum regnum, *inopia consumatur*, ut ad Colossenses secundo dicitur: « Spolians principatus et potestates traduxit confidenter ».

De diabolo.

Et hoc quod sequitur, est explanatio praecedentis. *Et vidi cunctos viventes sub sole cum adolescente secundo*, id est Christo; Ioannis duodecimo[8]: « Ecce, totus mundus post eum abiit ». Iste *consurgit*, pro eo quod diabolum eiecit de regno; Ioannis duodecimo: « Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras ». *Infinitus nume-*

Hoc magis explanatur.

---

[1] Vers. 1: Pretiosior est sapientia et gloria parva et ad tempus stultitia. — Seq. locus est Prov. 12, 9. De partibus prudentiae cfr. III. Sent. d. 33. dub. 2.

[2] Vers. 29. — Sequuntur Sap. 10, 13. et 14: Haec venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum descenditque cum illo in foveam et in vinculis non dereliquit illum, donec etc.; Eccli. 10, 17.

[3] Vers. 1: Et venerunt universae tribus Israel ad David etc.

[4] Vers. 17. et 19. Vulgata *et non erit gratia bonis* pro *nec erit gratia in bonis.* — Sequitur Eccle. 1, 14. et 15.

[5] Vers. 1: Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus etc. Septuaginta: « Iacob, puer meus, assumam eum; Israel, electus meus, suscepit eum anima mea ». Matth. 12, 18: Ecce, puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae. — Sequuntur II. Cor. 8, 9; I. Cor. 1, 24. et Eccle. 9, 15. — Hieron., Comment. in Eccle. 4, 13: Origenes et Victorinus non multum inter se diversa senserunt. Post generalem enim illam sententiam, quae omnibus patet, quod melior sit adolescentulus pauper et sapiens quam rex senex et insipiens... super Christo et diabolo hunc locum interpretati sunt, quod puerum pauperem et sapientem Christum velint... Iste natus est in regno senis [diaboli] etc. Cfr. tom. II. pag. 192. nota 1.

[6] Vers. 14. — Sequuntur Daniel 13, 52: Inveterate etc.; Iob 41, 25; Isai. 14, 13: In caelum conscendam, super etc.

[7] Vers. 3. — Sequitur Col. 2, 15: Et exspolians principatus etc.

[8] Vers. 19; sequuntur ibid. v. 31. deinde Phil. 4, 4.

rus virorum, qui fuerunt ante eum, id est adventum Christi; et fideles, *qui post futuri sunt, non laetabuntur in eo*, id est in rege stulto, id est diabolo, quia non laetati sunt nisi in Christo; unde Apostolus ad Philippenses ultimo: « Gaudete in Domino semper ». In Domino est laetandum, non in diabolo.

Partis secundae membrum II. De remedio triplici contra triplicem vanitatem culpae, id est, contra malum, quod consequitur malitiam.

Custodi pedem tuum. Actum est supra de *vanitate* culpae. Quoniam illa vanitas est mortalis et pestifera; ideo agitur hic de *remedio* contra illam vanitatem. Et quia triplex praecessit vanitas, scilicet malitiae, avaritiae, imprudentiae; ideo hic ponit tria remedia. Et primo dat remedium contra *malitiam;* secundo contra *avaritiam*, ibi [1]: *Avarus non implebitur;* tertio contra *imprudentiam*, ibi: *Quid habet amplius* etc. Sed quoniam malitiae morbus de se est irremediabilis et ulterius alios corrumpere potest; ideo ponitur hic remedium non contra *malitiam*, sed contra *corruptionem malitiae* sive malum, quod consequitur in aliis ex aspectu malitiae alienae.

Divisio.

Notandum.

ART. 1. *De remedio contra vanitatem malitiae, ex qua oritur triplex inordinatio.*

Oritur autem ex hoc triplex inordinatio, scilicet in *opere* per praevaricationis *inobedientiam;* in *ore* per locutionis *stultitiam;* in *corde* per *cogitationem erroneam.* Ad quae omnia ruit incautus considerator malitiae alienae. Dum enim quis malos considerat impunitos, *credit*, non esse providentiam; ecce, *cogitatio erronea;* et per hoc libere *dicit stulta*, quia credit, quod non sit qui reprehendat; et ulterius *transgreditur mandata*, quia non credit, quod sit qui puniat.

Subdivisio.

Primo igitur dat remedium contra *inobedientiam;* secundo, contra *loquelam stultam*, ibi [2]: *Ne temere quid loquaris* etc.; tertio, contra *cogitationem erroneam*, ibi: *Si videris calumnias egenorum* etc.

Primo datur remedium contra inobedientiam.

(Vers. 17.). In remedio contra *inobedientiam* inducitur *exhortatio*, et subiungitur *exhortationis ratio.* Exhortatur autem ad diligentem pedum custodiam, ne transgrediatur mandata divina; ideo dicit: *Custodi pedem tuum, ne forte declinet a via recta;* ad Hebraeos duodecimo [3]: « Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret ». *Ingrediens in domum Dei*, id est, in ecclesiam, vel in servitutem Dei, in quam cum timore debet homo ingredi; unde in Psalmo: « Introibo in domum tuam, et adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo ». Ita debet pedem suum servare ab inobedientia et promptum habere ad obedientiam; propter quod dicit: *Et appropinqua, ut audias*, id est obedias: *appropinqua*, quia Deuteronomii trigesimo tertio [4]: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius »; *audias*, obediendo; Ieremiae decimo septimo: « Audite verbum Domini, universi, qui ingredimini per portas has. Haec dicit Dominus: custodite animas vestras ». — Et subiungitur *exhortationis ratio: Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimae, qui nesciunt, quid faciunt mali*, qui non recognoscunt suas transgressiones nec curant obedire; Gregorius [5]: « Melior est obedientia quam victimae, quia in obedientia mactatur voluntas propria, in victima caro aliena ». *Abusiva* est comparatio, quia obedientia est bona, et ideo placet; unde Threnorum tertio [6]: « Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua »; sed victimae stultorum displicent; Proverbiorum decimo quinto: « Victimae impiorum abominabiles Domino »; unde Saul reprehensus fuit, quia amore oblationis transgressus est divinum imperium; primi Regum decimo quinto: « Nunquid vult Dominus holocausta, aut victimas, et non potius, ut obediatur ei? Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum ».

Expositio litteralis.

Primo fit exhortatio.

Secundo additur ratio.

CAPITULUM V.

Secundo datur remedium contra locutionem stultam, quae fit triplici modo.

Ne temere quid loquaris. Hic dat remedium contra *locutionem stultam* sive inordinatam. Inordinata autem est locutio, aut quia *inconsiderata;* aut quia *falsa*, et hanc prohibet, ibi: *Si quid vovisti* etc.; aut quia *erronea*, et hanc ibi prohibet: *Ne dederis os tuum, ut peccare facias* etc. — Circa locutionem *inconsideratam prohibet praecipitatio-*

Divisio.

De locutione inconsiderata.

---

[1] Cap. 5, 9. — Seq. locus *Quid habet amplius* est c. 6, 8. Vat. hoc tertium membrum, contradicentibus codd., omittit.

[2] Cap. 5, 1; sequitur ibid. v. 7.

[3] Vers. 13. — Sequitur Ps. 5, 8.

[4] Vers. 3. — Sequitur Ier. 17, 20. et 21: Audite verbum Domini, reges Iuda et omnis Iuda cunctique habitatores Ierusalem, qui ingredimini per portas istas. Haec etc.

[5] Libr. XXXV. Moral. c. 14 n. 28: Hinc Samuel [I. Reg. 15, 22.] ait: *Melior est obedientia quam victimae...* Obedientia quippe victimis iure praeponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.

[6] Vers. 27. — Inferius allegantur Prov. 15, 8. et I. Reg. 15, 22, ubi Vulgata pro *aut* substituit *et*, ac pro *ei* ponit *voci Domini.* — De conditionibus, quae requiruntur ad strictam comparationem (inter res eiusdem speciei), cfr. Aristot., VII. Phys. text. 21. seqq. (c. 4.).

nem et *subiungit rationem* et *adhibet exempli confirmationem.*

Expositio litteralis. Prohibetur praecipitatio.

(Vers. 1.). Prohibet igitur *praecipitationem;* unde dicit: *Ne temere quid loquaris,* id est inconsiderate; Ecclesiastici nono [1]: « Temerarius in verbo suo odibilis erit »; et rursus Ecclesiastici vigesimo octavo: « Verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo ». Et quia non potest homo velox deliberare, ideo subdit: *Neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem,* immo diu deliberare oportet; unde Proverbiorum vigesimo nono: « Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia speranda est magis quam illius correptio ». Unde distantia debet esse inter os et cor; quo contra Ecclesiastici vigesimo primo [2]: « In ore fatuorum cor illorum ». Unde dicitur Iacobi primo: « Sit omnis homo velox ad audiendum et tardus ad loquendum »; et Seneca: « Tardiloquum te esse volo ». — Et subditur *ratio* divinum iudicium, quod omnia videt; ideo dicit: *Deus enim in caelo,* supple: omnia videns; unde in Psalmo [3]: « Dominus de caelo in terram aspexit »; *et tu super terram,* in manifesto sibi positus, ita non lates eum; Ecclesiastici vigesimo tertio: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes in omnes vias hominum ». *Idcirco sint pauci sermones tui,* quia scilicet loqueris coram Deo, quia ipse exiget rationem de omnibus; Matthaei duodecimo: « De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii ». — Et vix potest esse, quod qui multa loquitur Deo non displiceat. Unde hoc manifestat exemplo et simili dicens: *Multas curas sequuntur somnia,* et ideo stultum est eis attendere; Ecclesiastici trigesimo quarto [4]: « Multos errare fecerunt somnia ». *Et in multis sermonibus invenitur stultitia;* Ecclesiastici vigesimo: « Qui multis utitur verbis laedit animam suam »; et Proverbiorum decimo: « In multiloquio non deerit peccatum »; sed econtra infra decimo: « Stultus verba multiplicat ».

Subditur ratio.

Tertio, exemplum et simile.

(Vers. 3. 4.). *Si quid vovisti* etc. Hic secundo prohibet locutionem *falsam,* qua scilicet promittitur quod non impletur. — Hortatur igitur implere quod promissum est; unde dicit: *Si quid vovisti Deo,* id est, per votum promisisti; *ne moreris reddere;* unde in Psalmo [5]: « Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu eius affertis munera »; et Glossa: « Vovere est voluntarium, sed reddere necessarium », quia alioquin est homo falsus in promisso; unde subdit: *Displicet enim Deo infidelis et stulta promissio: infidelis,* in qua non est veritas; *stulta,* in qua non est iudicium, quia stulta promissio non est facienda; unde Isidorus [6]: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum ». Ideo subdit, quod veritas est in promissione servanda, cum dicit: *Sed quaecumque voveris redde,* non variando; Levitici vigesimo septimo: « Animal mundum, quod immolari potest, si quis voverit, sanctum erit et mutari non poterit, nec in melius nec in peius ». — Alioquin melius fuerat non vovere; ideo dicit: *Multoque melius est non vovere,* id est minus malum, quia sine culpa; *quam post votum promissa non reddere;* secundae Petri secundo [7]: « Melius erat eis viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum converti »; quia Lucae nono: « Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei ».

De locutione falsa.

De locutione erronea.

(Vers. 5. 6.). *Ne dederis os tuum* etc. Hic tertio prohibet locutionem *erroneam;* et *dehortatur* locutionis *errorem,* et deinde *subdit rationem,* et post *manifestat erroris radicem.* — Locutionis *errorem* *dehortatur* dicens: *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam,* id est, non loquaris erroneam locutionem, ex qua praecipiteris in peccatis. Et exprimit, de qua locutione intelligit, subdens: *Neque dicas coram Angelo: Non est providentia,* id est, non dicas, neque in secreto neque in occulto, quia in occulto audiunt Angeli, qui sunt ad custodiam deputati; unde infra decimo [8]: « In cogitatione tua regi ne detrahas, et in secreto cubili tuo ne maledixeris diviti, quia aves caeli portabunt vocem tuam ». Et subditur *ratio* exhortationis: *Ne forte iratus Dominus dissipet opera tua,* id est, reddat inutilia; *iratus,* non per animi commotionem, sed per culpae rigidam punitionem. Sic iratus est super sermones

Dehortatio.

Ratio.

---

[1] Vers. 25; sequitur ibid. 28, 29. deinde Prov. 29, 20.

[2] Vers. 29. — Sequitur Iac. 1, 19: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. — Seneca, Epist. 40. in fine: Tardiloquum te esse iubeo.

[3] Psalm. 101, 20. — Sequuntur Eccli. 23, 28, ubi Vulgata omittit *in;* Matth. 12, 36: Omne verbum otiosum, quod etc.

[4] Vers. 7. — Sequuntur Eccli. 20, 8; Prov. 10, 19. et Eccle. 10, 14.

[5] Psalm. 75, 12. — Glossa apud Petr. Lombard., in hunc locum, secundum August. (in hunc Ps.; cfr. Glossa *interlinearis* apud Lyranum), dicit: *Vovere* enim consulitur voluntati, sed post voti promissionem necessario redditio exigitur. Ideo non ait simpliciter: vovete et nolite vovere, sed *vovete, et reddite,* id est, si vovetis, reddite; alioquin de voto rei tenentur et damnationem habent, *quia primam fidem irritam fecerunt,* ut ait Apostolus [I. Tim. 5, 12.].

[6] Libr. II. Synonym. n. 58. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIX. c. 9; ibid. c. 1. agitur etiam de tribus iurisiurandi comitibus, scil. veritate, iudicio et iustitia. — Sequitur Lev. 27, 9: Animal autem, quod immolari... poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono.

[7] Vers. 21. — Sequitur Luc. 9, 62. — In E ad marginem quoad verba *Si quid vovisti* ab eadem manu notatur: *Indiscretum,* sicut votum Iephte, Iudic. 11. [30. seqq.]; *turpe* et inhonestum, quod facit stulta pro amasio habendo, Prov. 7. [14.]: Victimas pro salute tua devovi; *impium,* Act. 23. [14.]: Devotione devovimus, nihil nos gustaturos etc.; *sacrilegum,* Ier. 44. [25.]: Faciamus vota nostra, quae vovimus, ut sacrificemus reginae caeli et libemus libamina etc.; *infidele,* ut hic. Ex his patet, quale debet esse votum per oppositum: discretum, honestum, pium, salutiferum et fidele.

[8] Vers. 20. Vulgata *cubiculi tui* pro *cubili tuo,* quae etiam in seq. loco pro *opera tua* substituit *cuncta opera manuum tuarum.*

Rabsacis et omnia opera regum Assyriorum per Angelum nocte destruxit; Isaiae trigesimo septimo [1]: « Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum ad blasphemandum Deum viventem »; Proverbiorum vigesimo: « Dissipat impios rex sapiens » etc. — Et subditur huius locutionis *origo:* quia non oritur a recta ratione, sed a somniorum illusione; propter quod dicit: *Ubi multa sunt somnia, plurimae sunt vanitates,* quia somnium vanitas; Isaiae vigesimo nono [2]: « Somniat esuriens et comedit, et postea, cum expergefactus fuerit, vacua est anima eius ». *Et sermones innumeri,* hi sequuntur ad somnia, quia nihil certum ex eis potest sciri; quia Ecclesiastici trigesimo quarto: « Divinatio erroris et auguria mendacia et somnia malefacientium vanitas est ». Et ideo de talibus non est curandum, sed de Deo; unde subdit: *Tu vero time Deum,* quia ipse solus est, qui potest nos perdere et salvare, non somnia, non auguria; Lucae duodecimo: « Ostendam vobis, quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam ».

Radix erroris.

Tertio datur remedium contra cogitationem erroneam.

(Vers. 7. 8.). *Si videris calumnias* etc. Hic tertio retrahit a *cogitatione erronea,* scilicet ut ex visa hominum malitia non credat, deesse providentiam; unde dicit: *Si videris calumnias egenorum;* supra quarto [3]: « Vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium ». *Et iudicia violenta,* quae vidit, supra tertio: « Vidi sub sole in loco iudicii impietatem ». *Et subverti iustitiam in provincia;* quod similiter supra tertio viderat: « Vidi in loco iustitiae iniquitatem ». Ex hac, inquam, consideratione mirari non debet, quasi non sit qui regat nec qui corrigat; unde dicit: *Non mireris super hoc negotio,* quasi non sit qui regat, quia unus est omnium ordinator; unde subdit: *Quia excelso excelsior est, et super hos quoque eminentiores sunt alii;* unde Matthaei octavo [4] dixit centurio: « Ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit ». — *Et insuper universae terrae rex imperat inservienti;* quamvis ergo non serviant sibi invicem et non ordinentur *per se,* ordinantur tamen a Deo, qui scit malis bene uti; Genesis quadragesimo primo significatum est: « Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti ». Unde dicitur Apocalypsis decimo nono: « Habebat in veste et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium ». Et ipse nihil pervertit; unde dicitur Deuteronomii decimo: « Dominus Deus noster, ipse est Deus deorum et Dominus dominantium, Dominus magnus, potens, terribilis, qui personam non accipit nec munera; facit iudicium pupillo et viduae »; et ideo, si imperat, non pervertitur de iustitia.

Expositio litteralis.

Quaestiones.

I. Incidit hic quaestio de hoc quod dicit: *Quaecumque vovisti redde;* utrum qui vovit indiscrete teneatur, supposito, quod se obligare intendat; quia, si *non*:

1. Tunc reportat commodum de indiscretione sua [5] Ad oppositum.

2. Item, ipse tenetur facere veritatem [6]; sed qui non facit quod promisit, non facit veritatem, immo mentitur: ergo talis tenetur facere quod vovit.

3. Item, Iephte indiscrete vovit et solvit, et ab Apostolo commendatur ad Hebraeos undecimo [7]: ergo debemus indiscreta vota persolvere et implere.

Contra: 1. Quod indiscretum est dicere indiscretum est facere: si ergo ille qui sic vovet, hoc ipso quod dicit, est indiscretus; si facit, est multo magis indiscretus et magis peccat: ergo omittendo bene facit. Fundamenta.

2. Item, malum praecedens non excusat sequens: ergo si vovit quis stultum et facit, non est minus reprehensibilis, quam si faceret sine voto; nec votum minus reprehensibile, quam si non faceret: ergo etc.

3. Item, Isidorus [8]: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum »: ergo etc.

Respondeo: dicendum, quod non tenetur; immo, si facit, addit peccatum super peccatum; unde et Iephte solvendo votum magis peccavit, quam si non solvisset; quia in vovendo fuit stultus et in solvendo impius, sicut dicit Augustinus [9]. Resp.

3. Quod obiicitur, quod commendatur; dicendum, quod non de *voto* nec de *voti solutione* commendatur, quia Apostolus commendat ibi [10] *fidem,* et Solutio oppositorum.

---

[1] Vers. 4. Post *Assyriorum* Vulgata addit *dominus suus;* ibid. v. 36. dicitur, quod Angelus Domini « percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia » etc. — Seq. locus est Prov. 20, 26.

[2] Vers. 8, ubi pro *et postea, cum* Vulgata *cum autem.* — Sequuntur Eccli. 34, 5. et Luc. 12, 5.

[3] Vers. 1. — Seqq. loci sunt 3, 16: Vidi sub sole in loco iudicii impietatem et in loco iustitiae iniquitatem.

[4] Vers. 9. — Sequuntur Gen. 41, 44; Apoc. 19, 16: Et habet in vestimento et in etc.; Deut. 10, 17. et 18: Quia Dominus Deus vester, ipse est... dominantium, Deus magnus et potens et terribilis etc.

[5] Cap. *Intelleximus* (7.) X. (Decret. Gregor. lib. II. tit. 1.) de Iudiciis dicitur: Ne videatur de sua malitia commodum reportare.

[6] Cfr. Ioan. 3, 20. 21.

[7] Vers. 32. De voto Iephte vide Iudic. 11, 30. seqq.

[8] Libr. II. Synonym. n. 58.

[9] Quaest. in Iudic. q. 49. n. 4. seqq. et I. Qq. ex veteri testam. (inter opera August.) q. 43. — Pro *Augustinus* Vat. *Hieronymus,* qui I. adversus Iovinian. n. 23. ait: A plerisque Hebraeorum reprehenditur pater [Iephte] voti temerarii etc.

[10] Vers. 33: Qui per fidem vicerunt regna etc. Cfr. IV. Sent. d. 38. a. 1. q. 2. ad 4.

commendat fidem Iephte, quod ipse credidit triumphare de inimicis Domini auxilio.

1. Quod obiicitur, quod reportat commodum; dico, quod falsum est; quia statim in ipso voto peccat et dignus est poena.

2. Quod obiicitur de veritate, dicendum, quod *veritas* substernit sibi *iudicium;* quia igitur sine *iudicio* vovit, ideo solvere non potest cum *veritate;* et propterea non potest in tali voto esse veritas, et ideo nulla est obligatio.

II. Quaeritur, utrum possit mutare. — Quod *non,* videtur per illud Levitici ultimo [1]: *Non poterit mutari, nec in peius nec in melius.*

Quod autem *sic,* videtur: quia licet partem Domini facere meliorem: ergo, etsi non liceat in peius, licet tamen in melius.

Respondeo: dicendum, quod est mutare votum in *peius omnino,* et est mutare in *melius,* quod istud *includit,* sicut qui vovit intrare religionem minus perfectam, intrat in perfectiorem, quae illam claudit intra. Mutare est ultra in *melius non includens,* sicut ire Romam [2] in iter ultramarinum. — Primum non licet omnino, sed est prohibitum; secundum licet *per se;* tertium licet [3], non tamen licet *sine auctoritate maioris.* Quia enim sum Domino obligatus, non possum mutare nisi pro eius arbitrio; et quia ipse non alloquitur me nisi per suum ministrum, qui tenet eius partes: non possum mutare sine auctoritate superioris, nisi Dominus ipse interius certissime inspiret. Et sic patet illud [4].

Resp. cum distinctione.

III. Quaeritur etiam de hoc quod dicit: *Ne dicas coram Angelo: Non est providentia.*

Contra: videtur, quod non sit providentia:

1. Primo, quia providentia dat debitum ordinem rebus; sed iste non est in mundo, infra decimo [5]: *Vidi servos in equis et principes ambulantes super terram quasi servos.*

Ad oppositam.

2. Item secundo: quia providentia dat debitam remunerationem, sed haec non est in mundo, infra nono [6]: *Eadem cunctis eveniunt.*

3. Item tertio: quia dat debitam durationem; sed haec simpliciter non est in mundo, infra septimo [7]: *Impius longo vivit tempore in impietate sua.*

Sed quod sit necessarium ponere, videtur:

1. Quia sapientis est providere domui: ergo summe sapientis multo magis. Fundamenta.

2. Item, sapientis artificis non tantum est facere; sed etiam conservare [8]; sic ergo Deus conservat et gubernat; sed ipse est sapiens, et sapiens omne, quod gubernat, per providentiam gubernat: ergo etc.

3. Item, quia Deus summe sapiens est, non potest facere, quin videat mala nostra: ergo cum sit summe iustus, non potest facere, quin vindicet mala et remuneret bona [9]: ergo omnium est remuneratio, ergo et providentia.

IV. Item quaeritur, quis magis peccet, utrum qui negat providentiam, an qui divinam providentiam reprehendit.

Videtur, quod magis qui negat; quia ille qui credit, providentiam esse, hoc ipso quod credit, bene facit: ergo aliquid habet de bono; sed qui simpliciter negat, nihil: ergo magis est reprehensibilis. Pro 1. parte.

Contra: Hieronymus [10] dicit, quod magis peccat qui providentiam ponit et Deum accusat, quam qui providentiam simpliciter negat. Pro 2. parte.

Respondeo ad primum, quod providentia est. Resp. ad III. quaest. Solutio oppositorum.

1. Quod obiicitur de debito ordine, respondetur, quod duplex est ordo, *particularis* scilicet et *universalis;* aliquid potest privari ordine *particulari,* sed non *universali,* ut dicit Boethius [11]. *Universalis* ordo cuncta complectitur; unde qui cadit ab ordine *naturae* incidit in ordinem *poenae;* sicut exemplum Augustini [12] est de nube, in qua est turbo et involu-

---

[1] Vers. 10: Et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec peius bono.

[2] Supple: mutare.

[3] Ex A supplevimus *tertium licet,* quo addito, lectio hucusque ab edd. recepta et corrupta reformatur; sic paulo superius legebatur: *quae illam claudit. Intramutare(?) est ultra* etc.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 38. a. 2. q. 2.

[5] Vers. 7. [6] Vers. 3.

[7] Vers. 16, ubi pro *impietate* Vulgata *malitia.*

[8] Aristot., IX. Ethic. c. 7: Unusquisque enim [artifex] opus proprium magis amat, quam ab opere amaretur, si animatum fieret. Philo, de Mundi opificio (circa initium): Nam opificium non negligi ab opifice suo parenteque docet ratio.

[9] Cfr. supra c. 3, 17.

[10] Haec sententia aperte exhibetur in Glossa *ordinaria* super Isai. 18, 1, quae secundum Alex. Hal., S. p. I. q. 26. m. 8. a. 2, *Hieronymo* tribuitur: Epicurus dicit, non esse providentiam... sed illi peiores, qui providentiam recipiunt, et auctorem accusant, quasi errando inutilia fecerit. Cfr. August., III. de Lib. Arb. c. 2. n. 5.

[11] Libr. IV. de Consol. prosa 6: Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno providentiae liceat temeritati. Cfr. tom. I. pag. 831, nota 7. — Inferius post *poenae* codd. legunt: *sicut de damnatis* (ita E, alii *baptizatis*) *exemplum Augustini* etc.

[12] Libr. III. de Gen. ad lit. c. 10. n. 14. ipse distinguit duplicem partem aëris, scil. *superiorem,* quae « propter puram tranquillitatem caelo, cui conlimitatur, communi pace coniungitur et eius vocabulo nuncupatur », et *inferiorem,* in qua aër « humore tenui contexatur, qui commotus ventos, et vehementius concitatus etiam ignes et tonitrua, et contractus nubila et conspissatus pluviam... facit, occultis imperiis et opere Dei, a summis ad infima universa, quae creavit, administrantis. Unde in illo Psalmo [148, 8.] cum commemorata essent *ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis,* ne talia sine divina providentia fieri moverique putarentur, continuo subiecit *quae faciunt verbum eius.* Cfr. ibid. V. c. 21. n. 42. seq. et eius Enarrat. in hunc Ps. n. 10-12, ubi inter alia (n. 11.) ait: *Ignis, grando...* quae omnia turbata videntur quibusdam stultis... addidit *quae faciunt verbum eius.* Non tibi ergo videantur casibus moveri, quae verbo Dei in omni motu suo deserviunt. Quo vult Deus, illuc ignis, illuc fertur nubes, sive pluviam, sive nivem, sive grandinem portet etc.

tio inordinata in se, sed ordinata ad fructum terrae; sic mali praesunt bonis ad bonorum exercitationem et malorum punitionem.

2. Similiter de remuneratione dicendum, quod in praesenti malis bona veniunt iusto modo, ut hic remunerentur et in futuro aeternaliter crucientur; et bonis mala, ut hic purgentur et aeternaliter praemientur.

3. Quod obiicitur de vita, dicendum, quod mali diu vivunt propter dictam causam, sed boni moriuntur; quia dicitur de Henoch, quod *raptus est, ne malitia mutaret eius intellectum* [1]. Quoniam igitur divina iudicia in praesenti occulta sunt propter hominum probationem; et quia simplices et rudes occulta non percipiunt: videtur, quod omnia sint inordinata; et ideo Ecclesiastes docet respicere ad eum, sub quo omnia ordinantur.

Quod quaeritur, quis magis peccet; respondeo: dicendum, quod *providentiam negare,* hoc potest esse dupliciter: uno modo, quia credamus Deum *ignorantem,* aut quia credamus, ipsum *non curare* de factis mortalium. Similiter et *accusare* dupliciter: aut quia *non curat,* aut quia *pervertit.* Utroque modo accusare providentiam peius est, quia non tantum errat, immo Deum vituperat et blasphemat; et ita simpliciter magis peccat, et cognitio ibi non excusat, immo aggravat.

Resp. ad IV. quaest. cum distinctione.

ART. 2. *De remedio contra vanitatem avaritiae, cum divitiae contemnendae sint triplici ratione.*

Avarus non implebitur pecunia. Supra posuit remedium contra vanitatem *malitiae;* hic subiungit secundo remedium contra vanitatem *avaritiae.* Remedium autem contra avaritiam est contemptus bonorum terrenorum; ideo hic persuadet contemptum divitiarum. Et hoc quidem facit per triplicem rationem: primo enim ostendit, divitias non esse appetendas, quia *non ditant* possessores suos; secundo, quia *non transmittuntur* frequenter ad posteros, ibi [2]: *Est alia infirmitas pessima;* tertio, quia frequenter *devolvuntur ad extraneos,* ibi: *Est et aliud malum, quod vidi sub sole* etc.

Divisio.

Primo contemnendae divitiae, quia non ditant possessores suos, et hoc ob triplicem rationem.

Primo igitur avaritiam detestatur, quia divitiae, quae appetuntur, non adiuvant nec *ditant* possessores, quia *non sufficiunt;* secundo, quia *non prosunt;* tertio, quia *affligunt.*

Divisio.

Ratio triplex.

(Vers. 9.). Detestandae sunt ergo divitiae et aspernandae, quia avaro *non sufficiunt,* et hoc avarus primo appetit, scilicet sufficientiam. Propterea dicit: *Avarus non implebitur pecunia;* Ecclesiastici decimo quarto [3]: « Insatiabilis oculus cupidi ». Unde Hieronymus: « Avaro deest tam quod habet, quam quod non habet »; et Seneca: « Si vis te divitem facere, non pecuniae est addendum, sed cupiditati subtrahendum ».

Expositio litteralis. Non sufficiunt.

(Vers. 9. 10.). *Et qui amat divitias* etc. Hic secundo dehortatur ab amore divitiarum, quia *non prosunt.* Ideo dicit: *Et qui amat divitias fructum non capiet ex eis,* et ita non prosunt; Ecclesiastici decimo [4]: « Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet »; et ita nihil prosunt avaro divitiae, quia animam dat pro pecunia; unde Matthaei decimo sexto: « Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur »? quasi dicat: nihil. Et ex hoc infert vanitatem in amando eas: *Et hoc ergo vanitas,* tam culpae quam poenae; de prima, Psalmus [5]: « Filii hominum, usquequo gravi corde » etc.; de secunda, Psalmus: « Defecerunt in vanitate dies eorum » etc. Psalmus: « Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et praevaluit in vanitate sua ». — Et quod nihil prosint divitiae possidenti, ostendit: quia consumuntur, et nihil plus habet dominus servo; ideo dicit: *Ubi multae sunt opes, multi et qui comedunt eas;* sic omnia consumuntur. Unde Seneca [6]: « Cadavera lupi, muscae mel; praedam, non hominem sequitur turba ista »; Iob trigesimo nono: « Pulli eius lambunt sanguinem, et ubi fuerit cadaver, statim adest »; quia, secundum quod dicitur Proverbiorum decimo nono, « multi colunt personam potentis et amici sunt dona tribuentis ». *Et quid prodest*

Non prosunt.

Duplex vanitas.

---

[1] Sap. 4, 11. Eccli. 44, 16: Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum. — Cfr. de duplici hac quaestione Alex. Hal., S. p. I. q. 26. m. 1. et m. 8. a. 2.

[2] Cap. 5, 12; seq. locus est 6, 1.

[3] Vers. 9. — Hieron., Epist. 100. (Epist. Theophili Alexandrini episc. ad totius Aegypti episcopos etc. Hieronymo interprete) n. 15: Eget semper qui avarus est, nescit mensuram, cui tantum deest quod habet, quantum quod non habet. — Seneca, Epist. 119. (alias 120.): Neminem pecunia divitem fecit, immo contra, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. Quaeris, quae sit huius rei causa? Plus incipit habere posse qui plus habet. Ad summam, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso Licinioque numerantur, in medium licet protrahas; afferat censum, et quidquid habet et quidquid sperat simul computet, iste, si mihi credis, pauper est, si tibi, potest esse. At hic qui se ad id quod natura exigit, composuit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed extra metum. Cfr. Epist. 16. et Consol. ad Helviam, c. 11.

[4] Vers. 10. — Sequitur Matth. 16, 26. — Inferius post *amando eas* Vat. addit: *Seneca: Quae est maxima egestas? avaritia; et ex opposito dicuntur maximae divitiae non desiderare divitias.*

[5] Psalm. 4, 3; deinde Ps. 77, 33. et 51, 9. — Verba *tam culpae... eorum* etc., supplevimus ex E.

[6] Excerpt. II. (e libris Senecae) de Remediis fortuitorum: Mel muscae sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicae, praedam sequitur ista turba, non hominem. Codd. legunt: Muscae cadavera, apes mel, praedam etc. — Sequuntur Iob 39, 30, ubi Vulgata *ubicumque* pro *ubi;* Prov. 19, 6. et Eccli. 11, 10.

possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? quasi dicat: nihil plus sibi quam aliis, quia tantum comedit quilibet aliorum, quantum ipse solus; et ita non habet fructum prae aliis, immo damnum, quia peccatum habet plus; unde Ecclesiastici undecimo: « Si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si secutus fueris, non apprehendes » etc.

Affligunt.

(Vers. 11.). *Dulcis est somnus.* Hic tertio ostendit divitias aspernandas, quia *affligunt* et hominem quiescere non permittunt; unde auferunt somnum quietis. Propterea dicit: *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat.* Et ita operans et laborans aliquando quiescit; Ecclesiastici trigesimo primo [1]: « Somnus sanitatis in homine parco; dormiet usque mane, et anima illius delectabitur cum illo ». Sed econtra de divite: non quiescit; unde subdit: *Saturitas autem divitis non sinit eum dormire;*

Ratio 1.

vel, quia multas habet divitias, multas habet curas, quae auferunt somnum; Iob decimo quinto [2]: « Sonitus terroris semper in auribus, et cum pax sit, ipse insidias suspicatur »; unde supra secundo: « Cuncti dies eius laboribus et aerumnis pleni sunt, nec

Ratio 2.

per noctem mente requiescit ». Vel etiam, quia multum comedit et bibit et non laborat, ideo non quiescit; unde Ecclesiastici trigesimo primo: « Vigilia et cholera et tortura viro infrunito », et sic prae satietate non quiescit.

Quaestiones.

Sed quaeritur de hoc quod dicit, quod *divitiae non prosunt possessori.*

Fundamenta.

1. Nam infra septimo [3]: *Utilior est sapientia cum divitiis et magis prodest videntibus solem.*

2. Item, Proverbiorum decimo tertio [4]: *Redemptio animae viri, divitiae eius:* ergo valent ad redimendum animam.

Ad oppositum.

Contra: 1. Omne illud, quod melius est simpliciter dimittere quam tenere, est simpliciter inutile, quia, si absentia alicuius est utilis, praesentia est damnosa; ergo si dimittere divitias est bonum, tenere eas est inutile.

2. Item, omnis utilitas attenditur secundum ordinationem ad finem ultimum: ergo quod praestat impedimentum deveniendi in finem non est utile, sed inutile; sed divitiae sunt huiusmodi, quia amantem divitias impossibile est introire in caelum [5], et difficile est habere eas et non amare; ergo divitiarum possessio impedit: ergo non prosunt, sed obsunt.

Resp. cum distinctione.

Respondeo ad hoc, quod, sicut dicit Bernardus [6], « temporalia ista de se nec bona sunt nec mala, quorum usus bonus, abusio mala, sollicitudo peior, quaestus turpior ». Si igitur quaeratur, utrum divitiae sint utiles, vel inutiles; dico, quod bene utenti utiles sunt, sed reservanti sunt inutiles, male utenti damnosae; unde dicitur infra eodem [7]: *Divitiae conservatae in malum domini sui;* bene vero utenti valent, cum scilicet distribuit in opera pietatis. — Sic enim valent ad *redemptionem culpae;* Danielis quarto: *Peccata tua eleemosynis redime.* Valent ad *augmentum gratiae;* primae ad Timotheum quarto: *Exerce temetipsum ad pietatem* etc. Valent ad *adeptionem gloriae;* Lucae decimo sexto: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Divitiae valent ad tria.

Solutio oppositorum.

1. Quod obiicit, quod inutiles, quia bonum est dimittere; dicendum, quod *dimittere* est Deo donare, et hoc est divitiis bene uti; unde utiles sunt ad dimittendum, ad dandum pauperibus, ad emendum regnum.

2. Quod obiicitur, quod difficile est habere et non amare; respondeo, quod ex hoc non sequitur, quod impediant, quia « omnis virtus est circa difficile [8] », et tamen virtus non impedit, sed adiuvat. Tamen utilior et securior usus est semel totum dimittere quam paulatim dare, propter vitanda pericula, quae accidunt.

Secundo contemnendae divitiae, quia frequenter non transmittuntur ad posteros.

Est et alia infirmitas etc. Supra ostendit, quod divitiae non ditant possessores suos; hic subiungit secundo, quod contemnendae sunt, quia frequenter *non transmittuntur ad posteros;* et hoc quidem facit hoc ordine. Primo notatur *consideratio egestatis futurae in prole.* Secundo ex hoc *detestatur sollicitudinem laboriosam* pecuniae acquirendae. Tertio in huius detestationem *commendat fruitionem praesentis laetitiae,* addens, hoc esse donum largitatis divinae.

Divisio.

Expositio literalis. De parte 1.

(Vers. 12. 13. 14. 15.). *Considerat* igitur primo *egestatem futuram in divitis prole,* quia, cum conservantur diu a patre, non remanent filio. Propterea dicit: *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole,* alia scilicet a praedicta, quae, inquam, est in possessione divitiarum; unde dicit: *Divitiae conservatae in malum domini sui,* quia non possunt

---

[1] Vers. 24. Vulgata *cum ipso* pro *cum illo.*

[2] Vers. 21: Sonitus... in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. — Sequuntur Eccle. 2, 23. et Eccli. 31, 23.

[3] Vers. 12.

[4] Vers. 8: Redemptio... divitiae suae.

[5] Cod. C *in regnum caelorum, Matth. 19.* [23.], *Marc. 10.* [23.], *Luc. 18.* [24.].

[6] Libr. II. de Considerat. c. 6. n. 10: Ipsa [argentum et aurum] quidem, quod ad animi bonum spectat, nec bona sunt nec mala, usus tamen horum bonus etc.

[7] Cap. 5, 12. — Sequuntur Dan. 4, 24; I. Tim. 4. 7. 8: Exerce autem te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est etc.; Luc. 16, 9.

[8] Aristot., II. Ethic. c. 3: At circa id quod difficilius est, semper et ars et virtus versatur. Cfr. Qq. disputat. q. de perfectione evang. (tom. V.) q. 2. a. 1.

congregari sine malo et *poenae* et *culpae;* Ecclesiastici trigesimo primo[1]: « Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit nec speravit in pecuniae thesauris. Quis est hic? et laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua ». Vel: Aliter. *in malum,* faciunt enim hominem venire in malum *poenae;* Iacobi quinto: « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis, quae advenient vobis ». *Domini sui,* immo secundum rem *servi,* quia avaritia facit avarum servum; unde ad Ephesios quinto[2]: « Avaritia, quae est idolorum servitus ». — Hae, inquam, *pereunt in afflictione pessima,* quia necesse est, quod ipse cum dolore eas relinquat; Iob vigesimo septimo: « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet ». Nec tantum *relinquuntur* a domino, sed etiam *amittuntur* a filio, unde subdit: *Generavit filium, qui in summa egestate erit.* Est egestas summa, et haec bonorum omnium, de qua Proverbiorum sexto: « Veniet tanquam viator egestas » etc. — Et sic divitiae conservatae non[3] *relinquuntur* heredi nec etiam asportari a possessore possunt; unde subdit: *Sicut egressus est nudus de utero matris suae, sic revertetur,* non in uterum, sed in terram. *Et nihil auferet secum de labore suo;* Iob primo[4]: « Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc ». — Et hoc valde dolendum; unde subdit: *Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur;* unde primae ad Timotheum ultimo: « Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus ».

(Vers. 15. 16.). *Quid ergo prodest?* Hic secundo De parte 2. *reprehendit sollicitudinem* augendae pecuniae consideratione egestatis superventurae; unde infert quasi ex praedictis, quod vanum est in tantis laboribus se affligere in rerum acquisitione. Ideo dicit: *Quid ergo prodest ei,* scilicet diviti avaro, *quod laboravit in ventum?* id est, in vanum, si ita est, quod « sicut nudus egressus de utero, nudus revertetur » et ipse et filius, quasi dicat: nihil. Propterea in Psalmo[5]: « Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium »? Divitiae vento comparantur propter vanitatem; unde Ecclesiastici trigesimo quarto: « Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia »; *laboravit* ergo *in ventum,* cum laboravit pro divitiis acquirendis. — Et subdit magnitudinem laboris: *Cunctis diebus vitae suae comedit in tenebris,* propter solitudinem; *et in curis multis,* propter sollicitudinem; *et in aerumna,* propter expensarum tenuitatem; *et tristitia,* propter expensarum necessitatem. Tristatur enim, quia oportet eum quid manducare; Ecclesiastici decimo quarto[6]: « Oculus nequam et invidus non satiabitur pane, et indigens in tristitia erit super mensam suam ». Divitiae faciunt, hominem esse in curis et aerumnis; quia Matthaei decimo tertio: « Sollicitudo huius saeculi et fallacia divitiarum suffocat verbum ».

(Vers. 17. 18. 19.). *Hoc itaque mihi visum* De parte 3. *est.* Hic tertio *commendat fruitionem laetitiae* in detestationem afflictionis avaritiae. Quia enim avarus se affligit, et nihil ei prodest; ideo bonum visum est sibi comedere; et propterea dicit: *Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat quis et bibat,* quantum ad iucunditatem exteriorem; *et fruatur laetitia ex labore suo, quo laboravit sub sole; laetitia,* quantum ad iucunditatem interiorem; et hoc, dum potest; unde et subdit: *Numero dierum vitae suae, quos dedit ei Deus,* quasi non exspectet aliud tempus. *Et haec est pars illius.* De his omnibus Isaiae vigesimo secundo[7]: « Ecce gaudium et laetitia iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum, comedamus et bibamus; cras enim moriemur », quasi illa sit pars. — Et hanc considerationem approbat, quasi placeat Deo; unde et subdit: *Et omni homini, cui dedit Deus substantiam et divitias;* haec enim a Deo sunt; unde Ecclesiastici undecimo[8]: « Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt ». *Potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis,* exterius delectando; *et fruatur parte sua,* in iis quiescendo; *et laetetur de labore,* gaudenter acquisita exponendo. *Hoc donum Dei est,* haec enim potestas a Deo; quia Ioannis decimo quinto: « Sine me nihil potestis facere ». Et quod sit magnum donum, ostendit, quia cruciatus curarum et sollicitudinum, quae sunt magnae poenae, per delicias temperantur. Ideo subdit: bene dico, quod *donum Dei est,* in quantum a cruciatibus avaritiae liberat. — *Non enim satis recordabitur dierum vitae suae,* id est, non multum affligetur curis, quae spectant ad vitam; *eo quod Deus occupet cor eius deliciis,* non spiritualibus, de quibus in Cantici septimo[9]: « Quam pulcra es et quam decora, carissima, in deliciis »! sed carnalibus, de quibus dictum est supra secundo: « Feci mihi cantores et cantatrices et delicias filiorum hominum ».

Quaestiones.

I. Sed incidit hic quaestio primo de hoc quod dicit: *Hoc visum est mihi bonum, ut comedat.*

---

[1] Vers. 8. 9: Beatus dives, qui... in pecunia et thesauris etc. — Sequitur Iac. 5, 1, ubi Vulgata post *miseriis* addit *vestris.*

[2] Vers. 5: Aut avarus, quod est etc. — Sequuntur Iob 27, 19. et Prov. 6, 11: Et veniet tibi quasi viator egestas etc. — Post *servum* E addit *diaboli.*

[3] Ex E supplevimus *non.* Sensus est: divitiae a patre conservatae et filio relictae ab hoc amittuntur nec heredi relinquuntur.

[4] Vers. 21. — Sequitur I. Tim. 6, 7.

[5] Psalm. 4, 3; deinde Eccli. 34, 2.

[6] Vers. 10. — Sequitur Matth. 13, 22: Sollicitudo saeculi istius etc. — Pro *expensarum necessitatem* E *necessitatem comedendi,* adiungens rationem: *quia videt cor suum comedi quolibet morsello* [i. e. frusto sive buccella] *cibi sui; tristatur enim* etc.

[7] Vers. 13.

[8] Vers. 14. — Seq. locus est Ioan. 15, 5.

[9] Vers. 6. — Sequitur Eccle. 2, 8.

Contra: 1. Infra decimo[1]: *Vae tibi terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt:* contradicit ergo sibi ipsi.

II. Praeterea dicit: *Et laetetur.*

Contra: 1. Infra septimo[2]: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii;* et iterum: *Cor sapientium, ubi tristitia.*

2. Item, ipsa Veritas dicit Lucae sexto[3]: *Vae vobis, qui nunc ridetis, quia flebitis:* ergo malum est laetari, et tota Scriptura reprehendit laetitiam carnis; quid est ergo, quod hic commendat eam?

Resp. 1. Ad hoc respondetur per modum procedendi in libro isto singularem inter omnes libros sacrae Scripturae. Ipse enim loquitur ut concionator disputationem suam contexens, in qua diversae sententiae adducuntur secundum diversas personas, secundum quas loquitur; unde aliter in persona carnalis, ut hic, aliter in persona sapientis, ut infra: *Melius est ire* etc. Sed postmodum loquitur in persona propria, ubi dicit[4]: *Finem loquendi pariter omnes audiamus,* ubi quasi fert sententiam eorum quorum prius ventilaverat causam: *Deum time,* et quod Deus omnia iudicabit. Unde quidquid in libro legitur, quod illi sententiae adversatur, irritatur per illam sententiam; et talia sunt omnia, quae dicuntur in commendationem voluptatis praesentis; et sic una solutione respondetur ad omnia.

Resp. 2. Aliter potest dici, quod ipse Ecclesiastes, quaecumque dicit, in persona propria dicit; sed tamen ad intelligenda ea quae dicit, duo sunt attendenda, scilicet

Primo, de modo dicendi duplici. Distinctio 1. *ratio* dicendi et *modus. Modus dicendi* duplex variatur: quaedam enim dicit *vere,* quaedam *ironice: vere,* ut illud: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas,* infra undecimo[5]; *ironice,* ut illud: *Laetare ergo, iuvenis, in adolescentia tua.* Et hoc patet per sequentia: *Et scito, quod pro his omnibus ad-*

Distinctio 2. *ducet te Deus in iudicium,* infra undecimo. — Alia variatio attenditur in modo, quia quaedam dicit *approbando*[6]*: Ne temere quid loquaris* etc.; quaedam *recitando,* quod ipse *ita fecit,* sicut dixit supra secundo: *Non prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur* etc.; hoc non approbat, sed recitat, se sic fecisse, sicut et Apostolus de se dicit, quod fuit blasphemus. Similiter quaedam dicit recitando, quod *ita cogitaverit,* sicut cum dixit supra secundo: *Nonne melius est comedere et bibere?* etc. Et tali genere locutionis multum utitur in hoc libello, quasi narrans suas tentationes; unde liber iste fuit quasi quaedam meditatio Salomonis. Et sicut homo ab una meditatione cadit in aliam[7] secundum diversas consideraciones, sicut quando quis cogitat, hoc esse bonum, et postmodum cadit in aliam aestimationem; sic narrat Salomon et in isto libro.

Secundo, de ratione dicendi multiplici. Quantum ad *rationem dicendi* attendendum, quod quaedam dicit simpliciter ad *sui approbationem,* quaedam vero non dicit in approbationem, sed in *aliorum comparationem* et *detestationem,* sicut qui vellet vituperare avaritiam laudaret prodigalitatem; sic et in hoc libro laudabat mortuos comparatione viventium[8], voluptatem respectu avaritiae; quia in avaritia est poena et culpa. Hoc autem facit, ut ab illa revocet, non ut ad hanc attrahat. — Ulterius quantum ad *rationem dicendi* attendendum, quod quaedam dicit ad *omnes,* quaedam ad *aliquos,* qui aliquid supponunt, et ex eorum suppositione arguit contra eos, ut supra[9] dixit, quod non est *memoria sapientis, ut stulti.* Hoc dixit illis sapientibus, qui totam suam remunerationem in laudibus hominum constituebant.

Regula generalis. Haec ergo regula est in verbis eius generaliter attendenda, quod quae dicit *vere* et *approbando* dicit per se commendando, dicit omnibus, id est vere et assertive, universaliter et absolute; haec quidem in auctoritatem sunt adducenda. Quae autem dicit *ironice* et quae dicit *recitatorie* dicit ad aliorum detestationem, vel ex aliqua suppositione, sive ad contrarium. Illud igitur verbum dictum est non *assertorie,* sed *recitatorie;* recitat enim suam tentationem, quam narrare intendit. — Vel dictum est non *absolute,* sed ad detestationem avaritiae.

Difficultates duae. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod hoc est *donum Dei, ut fruatur* divitiis; sed hoc est peccatum: ergo etc.

IV. Item dicit, quod *Deus occupat cor deliciis* in vita; sed hoc iterum est peccatum.

Resp. ad III. Respondeo: dicendum, quod tam bona *fortunae* quam *naturae* quam etiam *gratiae* sunt dona Dei; sed *fortunae* minima, *naturae* media, sed *gratiae* optima. Inter dona *naturae* computatur salus et fortitudo; inter bona *fortunae* prosperitas et quies. Deus enim aliquibus dat divitias, quibus non dat salutem nec quietem, et isti non fruuntur bonis; quibusdam superaddit quietem et salutem, et tales habent potestatem fruendi; et quia illa sunt dona Dei, ita et potestas; sed ulterius abusio potestatis mala, haec non est a Deo.

Dona Dei tria.

Resp. ad IV. III. Quod quaeritur, quod Deus *occupare* dicitur *deliciis cor illius;* est respondendum, quod quaedam facit Deus misericorditer, quaedam iusto iudicio deserendo, sicut dicitur[10] *tradere sapientes mundi in reprobum sensum;* sic et *occupare* dicitur *cor deliciis* permittendo iusto iudicio occupari et oblivisci aeternorum.

---

[1] Vers. 16.

[2] Vers. 3; deinde ibid. v. 5.

[3] Vers. 25: Vae... quia lugebitis et flebitis.

[4] Cap. 12, 13, ubi etiam: *Deum time,* v. 14: Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium etc.

[5] Vers. 1; deinde ibid. v. 9. sunt duo seqq. loci.

[6] Cap. 5, 1; sequuntur 2, 10; 1. Tim. 1, 13: Qui prius blasphemus fui; Eccle. 2, 24; pro quo loco Vat. citat Eccle. 3, 22: Et deprehendi nihil esse melius quam laetari.

[7] Ita A C D E; Vat. addit *aestimationem.*

[8] Cap. 4, 2. et de seq. c. 5, 17. [9] Cap. 2, 16.

[10] Rom. 1, 28: Tradidit illos Deus in reprobum sensum.

Capitulum VI.

Tertio detestatur avaritiam, quia divitiae frequenter devolvuntur ad extraneos.

Est et aliud malum etc. Supra ostendit, divi-
Divisio. tias esse contemnendas, et quia non ditant possessores suos, et quia frequenter non transmittuntur ad posteros. Hic tertio ostendit esse contemnendas, quia *frequenter devolvuntur ad extraneos;* hoc quidem facit hoc ordine. Primo quidem insinuatur *divitiarum conservatarum translatio;* secundo vero, *tenacitatis detestatio,* ibi: *Si genuerit quispiam* etc.; tertio subiungitur *detestationis ratio,* ibi: *Frustra igitur venit* etc.

(Vers. 1. 2.). Primo igitur Ecclesiastes conside-
Expositio literalis. De primo. Proponit. ravit *vanitatem* consequentem divites et *proponit* eam, *assumit* et *concludit. Proponit* dicens: *Est et aliud malum, quod vidi sub sole;* et aggravat ex circumstantia: *Et quod est frequens apud homines,* id est apud infirmos mundi dilectores et divites, de quibus Psalmus [1]: « Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis men-
Assumit. dacium » etc. — Et *assumit* vanitatem, quae attenditur in hoc, quod divitias conservat, et alius devorat; ideo dicit: *Vir, cui Deus dedit divitias,* quantum ad mobilia; *et substantiam,* quantum ad immobilia; *et honores,* quantum ad sublimia. Omnia enim a Deo: *divitiae* a Deo; Proverbiorum tertio [2]: « Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiae et gloria ». Et *substantia* a Deo, maxime illa, de qua Ecclesiastici decimo tertio: « Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia ». Similiter *honoratio* a Deo; unde Danielis quinto dixit Daniel Balthasar: « O rex! Deus altissimus regnum et magnificentiam et honorem dedit patri tuo ». Et ut consummet perfectam abundantiam bonorum fortunae, subiungit: *Et nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat,* quia sufficienter habet. *Animam* vocat hic vitam carnalem, de qua Ioannis duodecimo [3]: « Qui amat animam suam perdet eam ». Ita habet abundantiam ad possidendum, et tamen habet avaritiam ad retinendum, quae aufert ei potentiam ad fruendum; ideo subiungit: *Nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo,* quia illud continue conservat et frustra; unde Ecclesiastici decimo quarto [4]: « Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia; et homini livido ad quid aurum »? Nec ipse utitur nec posteri, sed alieni; unde addit: *Sed homo extraneus vorabit illud;* unde Ecclesiastici decimo quarto: « Qui acervat ex animo suo iniuste aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur »; et Proverbiorum decimo tertio: « Custoditur iusto substantia peccatoris ». — Et ex hoc *infert* vanitatem: *Et* Concludit. *hoc vanitas et miseria magna est: vanitas,* quia ipse non laetatur; *miseria,* quia, alio auferente, tristatur; Isaiae primo: « Regionem vestram coram vobis alieni devorant » etc.

(Vers. 3.). *Si genuerit quispiam* etc. Hic notatur De secundo. *tenacitatis detestatio* ratione praedictae translationis, et reprehendit ipsam tenacitatem, quantumcumque habeat successivam prosperitatem. Propterea subdit: De temporali prosperitate. *Si genuerit quispiam centum liberos,* hyperbolice dictum est, id est multos liberos; quia mali frequenter generant filios malos, de quibus non est gaudium, etiam si sint multi; Ecclesiastici decimo sexto [5]: « Non iucunderis in filiis impiis; si multiplicantur, non oblecteris super illos ». Abundare filiis prosperitas est temporalis; et sequitur alia prosperitas temporalis: *Et vixerit multos annos,* id est per multos annos; *et plures dies aetatis habuerit,* scilicet prae aliis hominibus; et haec quidem prosperitas est temporalis. Hanc prosperitatem frequenter habent impii; unde infra septimo [6]: « Longo tempore impius vivit in impietate sua », si his prosperitatibus abundaverit. *Et anima illius non utatur bonis substantiae suae,* id est, tenax fuerit et avarus in vita; *sepulturaque careat* in morte, secundum quod de Ioachim dicitur Ieremiae vigesimo secundo: « Sepultura asini sepelietur Ioachim, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem ». — His conditionibus prospe- Eiusdem detestatio. ritatis et tenacitatis praemissis, subiungit detestationem: *De hoc ego pronuntio,* tanquam iudex terrae; *quod melior illo sit abortivus,* propter miseriam et vanitatem multam, quibus abortivus caret; unde dicitur Iob tertio [7]: « Quare non in vulva mortuus sum? Quare egressus de utero non statim perii? Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus »? Et iterum decimo: « Quare de vulva eduxisti me »?

(Vers. 4. 5. 6. 7.). *Frustra enim venit* etc. Hic De tertio. subiungitur tertio *detestationis ratio,* scilicet quod isto modo tenaci melior sit abortivus, quia, sicut abortivus frustra venit et pergit ad tenebras, quia statim moritur, sic et iste; ideo dicitur: *Frustra enim venit et pergit ad tenebras,* scilicet ipse tenax; Iob tertio [8]: « Viro cuius abscondita est via,

---

[1] Psalm. 4, 3.

[2] Vers. 16. — Sequuntur Eccli. 43, 30. et Dan. 5, 18: O rex... dedit Nabuchodonosor patri tuo.

[3] Vers. 25. — Superius E substituit sine sufficiente ratione *consummet* pro *concludat.*

[4] Vers. 3. — Subinde allegantur Eccli. 14, 4; Prov. 13, 22. et Isai. 1, 7.

[5] Vers. 1: Ne... si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos.

[6] Vers. 16: Impius multo vivit tempore in malitia sua. — Sequitur Ier. 22, 19. — Inferius ex E addidimus *tanquam iudex terrae.*

[7] Vers. 11. 12, ubi pro *Quare egressus de utero* Vulgata *egressus ex utero.* Ibid. 10, 18. est seq. locus.

[8] Vers. 23.

et circumdedit eum Deus tenebris »? Et quod *frustra* veniat in hunc mundum talis avarus et tenax, ostendit, et propter *deletionem nominis* in morte et propter *inexperientiam boni* in vita et propter *inexpletionem desiderii* in utroque statu. Propter *deletionem nominis* dicit: *Et oblivione delebitur nomen eius*, id est, non permanebit nec re nec nomine, secundum quod comminatur Dominus Babyloni Isaiae decimo quarto [1]: « Perdam Babylonis nomen et reliquias et germen et progeniem, ait Dominus »; et Sapientiae secundo in persona malorum: « Nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo erit memor operum nostrorum ». — Propter *inexperientiam boni* subiungit: *non videt solem*, in quo scilicet est delectatio et experientia boni, secundum quod dicitur infra undecimo [2]: « Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem ». Hunc non vidit vir avarus, quia errat; Sapientiae quinto: « Erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis; et sol intelligentiae non est ortus nobis » etc. Et ita *non vidit solem*, hoc est, non habuit cognitionis lumen; *neque cognovit distantiam boni et mali*, quia scilicet non est expertus. — Ideo dicit: *Etiam si duobus millibus annis vixerit*, quia non habemus cognitionem per diuturnitatem, sed per experientiam; Ecclesiastici trigesimo quarto [3]: « Qui non est expertus pauca recognoscit », secundum quod dicit Philosophus: « Experientia fecit artem, inexperientia casum ». Propter *incompletionem desiderii* subdit: *Nonne ad unum locum properant omnia?* quasi dicat: ex parte corporis cedent in terram; Ecclesiastici quadragesimo primo [4]: « Omnia, quae de terra facta sunt, in terram convertentur »; et supra tertio: « Cuncta subiacent vanitati, et omnia pergunt ad locum unum ». Ex parte igitur *corporis* est incineratio, ex parte autem *animae* desiderii sui incompletio. — Propterea dicit: *Omnis labor hominis in ore illius; os* dicitur inhiatio desiderii; qui enim desiderat quasi os aperit; *laborem* igitur *esse in ore*, hoc est laborare ad desiderii completionem; unde Proverbiorum decimo sexto [5]: « Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum ». Et licet hoc ad desiderium complendum faciat, non tamen completur; ideo dicit: *Sed anima illius*, scilicet divitis tenacis, *non implebitur bonis*, sicut dictum est supra quinto: « Avarus non implebitur pecunia »; unde Habacuc secundo: « Dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors non adimplebitur ». Ita verum est de avaris, de pecunia; ita etiam de scientia; secundae ad Timotheum tertio: « Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes ».

Ratio triplex. Prima. Secunda. Tertia.

Quaestiones.

I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Non dedit ei Deus potestatem, ut fruatur bonis.* — *Contra:* Haec est liberum arbitrium; sed dedit liberum arbitrium: ergo et potestatem.

Respondeo: dicendum, quod potentiam habet ad fruendum, scilicet qua *potest* frui; sed iusto Dei iudicio impeditur aliqua poena, quia incurrit sollicitudinem superfluam et timorem et dolorem; et quia *potestas* dicit potentiam expeditam [6], et haec iusto iudicio impedita est: ideo etc. Resp.

II. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *nihil deest animae suae ex omnibus, quae desiderat.*

Contra: Supra quinto [7]: *Avarus non implebitur pecunia;* et rursus Hieronymus: « Avaro deest tam quod habet, quam quod non habet »: male ergo dicit, cum ait: *Et nihil deest.*

Respondeo: dicendum, quod *deesse aliquid*, hoc potest esse dupliciter: vel quantum ad sufficientiam secundum *rem* et naturam, vel secundum *opinionem*. Dico ergo, quod bene potest esse avarus ita dives, quod nihil desit ei secundum *rem* et naturam; sed tamen nunquam ita dives, quin aliquid ei desit secundum *suam aestimationem*, quia semper plus cupit habere; et ita sibi deest. Resp. Distinctio.

III. Item de hoc quaeritur, quod abortivum ei praefert. Videtur, quod male:

1. Quia abortivus nullarum rerum habuit cognitionem, iste autem habuit; item, avarus, cum peccat mortaliter, fruitur utendis [8]. Ad oppositum

2. Item, quomodo dicit, quod *non cognovit distantiam boni et mali*, nisi fuerit perfruitus bonis? Ergo videtur, quod abortivus sit melior omnibus, qui non delectantur in bonis praesentibus et qui non sunt carnales; hoc autem est haereticum.

Respondeo: dicendum, quod secundum illam viam, quodsi hoc dicatur in *persona carnalis*, facilis est responsio; sustinendo tamen, quod hoc dicat secundum *veritatem*, dico, quod tali diviti tenaci abortivum praeponit, quia ille, quamvis non sit expertus bona, tamen non sustinuit mala; hic autem susti- Resp. duplex.

---

[1] Vers. 22. — Sequitur Sap. 2, 4, ubi pro *erit memor* Vulgata *memoriam habebit.*

[2] Vers. 7. — Sequitur Sap. 5, 6.

[3] Vers. 10. — Sententia Aristot. est in I. Metaph. c. 1: Experientia enim, ut recte ait Polus, artem effecit, inexperientia vero fortunam.

[4] Vers. 13. Vulgata *sunt* pro *facta sunt.* — Sequitur Eccle. 3, 19. 20.

[5] Vers. 26. — Sequuntur Eccle. 5, 9; Habac. 2, 5. et II. Tim. 3, 7.

[6] B. Albert., in V. Metaph. tr. 2. c. 12: Oportet scire, quod differt *potestas* a *potentia* in hoc: *potestas* est *potentia* stans sub complemento actualis habitus, et ideo activa est *potestas; potentia* autem est interminata adhuc et incompleta, et ideo proprie materialis potentia *potentia* vocatur. — Superius pro *aliqua poena* C *aliena poena*, A D E F *alia poena.*

[7] Vers. 9. — Verba Hieron. vide supra pag. 46, nota 3.

[8] August., 83 Qq. q. 30: Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle atque utendis frui.

nuit mala et non gustavit bona; ideo ille potior, et quantum ad hoc intelligit [1].

Solutio oppositorum. Distinctio.

1. Quod obiicitur de ratione, quia non est perfruitus bonis; dicendum, quod *frui* uno modo dicit *dilectionem* alicuius *cum quietatione* in illo; alio modo *quietationem et delectationem*. Dico ergo, quod qui diligit Deum habet, sicut dicit Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum [2], et ideo qui Deum

Notandum.

diligit in eo delectatur. Sed pecunia vel res temporalis, cum diligitur et non habetur ad votum, parit tristitiam. Ideo potest esse fruitio harum rerum, id est *dilectio* summa, et tamen *delectatio* modica et *tristitia* magna. Ideo non sequitur, quod quamvis talis avarus peccet, quod delectatione requiescat, sed tamen quiescit amore, quia propter se diligit.

2. Quod obiicitur, quod non cognovit distantiam; dicendum, quod *simplici* notitia ille qui habet semper bona, cognoscit bona et mala; similiter et ille qui semper habet mala; sed tamen non notitia *experientiae*, nisi habeat bona et mala. Et quia talis semper habet mala, nunquam bona [3]; ideo etc. — Quod obiicitur de viro spirituali, dico, quod ipse non est sine delectatione spirituali, ideo *videt solem* et *cognoscit distantiam*. Sed avarus tenax, quia *peccator*, non habet delectationem spiritualem; quia *tenax*, non habet carnalem: et ideo non cognoscit distantiam boni et mali.

ART. 3. *De remedio contra vanitatem imprudentiae, quod est acquisitio sapientiae, quae explicatur duabus partibus.*

Divisio.

Quid habet amplius etc. Posuit supra remedium contra vanitatem *malitiae* et contra vanitatem *avaritiae;* hic tertio ponit remedium contra vanitatem *imprudentiae* [4]. Contra hanc autem remedium summum est acquisitio sapientiae; et quia nemo potest sapientiam acquirere, nisi habeat modum debitum addiscendi: ideo habet haec pars duas. In prima dat *modum*, in secunda explicat *sapientiae documenta*, ibi [5]: *Melius est nomen bonum* etc.

Primo explicatur modus acquirendi sapientiam triplici ratione.

Requiruntur tria.

Modus autem considerandi vel addiscendi ei qui vult esse sapiens, traditur hoc modo. Primo, ut *addiscat utilia;* secundo, ut *relinquat abscondita;* tertio, ut *non inquirat* [6] *sublimia.*

Expositio litteralis. Utilia quaerenda.

(Vers. 8.). Primo ergo docet *utilia quaerere* et considerare, et hoc est, quomodo possit ad vitam gloriae pervenire. Propterea quaerit: *Quid habet amplius sapiens stulto, et quid pauper?* Bene coniungit ista duo: *pauper* et *sapiens*. *Pauper* enim dicitur per contemptum praesentium; unde Matthaei quinto [7]: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum »; *sapiens*, per aeternorum saporem et rectam aestimationem; de quibus Proverbiorum tertio: « Gloriam sapientes possidebunt; stultorum exaltatio, ignominia ». *Stultus* vero dicitur homo mundanus, qui e contrario, contemptis aeternis, inhiat terrenis; de quo Iob quinto: « Vidi stultum firma radice, et maledixi pulcritudini eius statim ». *Quid stulto amplius habet sapiens et pauper* in hac vita? supple: modicum. *Nisi ut pergat illuc, ubi est vita*, scilicet aeterna, ad quam debet aspirare homo, non ad temporalia, quae teneri non possunt; propter quod hic parum habet in mortali vita, quia « moritur doctus pariter et indoctus », supra secundo [8]; sed in aeterna vita multo amplius habet, quia *esse* deliciosum, copiosum, securum, omnia obtinebit in visione aperta et fruitione summi boni; de qua vita Ioannis decimo septimo: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum » etc. Ad hanc vitam pergunt sapientes, quia ad hanc oculos dirigunt, sicut dicitur supra secundo: « Sapientis oculi in capite eius »; et ideo ipse sequitur Christum, lucem, qui, ut dicitur Ioannis decimo quarto, est « via, veritas et vita »; sed stultus non pergit; unde infra decimo: « Labor stultorum affliget eos, quia nesciunt in urbem pergere ».

Quid pauper, sapiens, stultus.

Requiritur cognitio.

(Vers. 9.). Ad hanc vitam non potest recte sine cognitione perveniri; ideo subdit: *Melius est videre*

---

[1] Cfr. supra c. 5, 17. quaest. 1.

[2] Quaest. 35, ubi dicit: Cuius ergo rei amor amandus est, nisi eius quae non potest deesse, dum amatur? Id autem est quod nihil est aliud *habere* quam *nosse*. Porro aurum et omne corpus non hoc est *habere* quod *nosse*, non itaque amandum est. Et quoniam potest aliquid amari, nec haberi... iure quaeritur, utrum possit quispiam id quod *habere* nihil est nisi *nosse*, non amare, cum habeat, id est noverit... Nemo igitur beatam vitam novit et miser est; quoniam si amanda est, sicuti est, hoc est eam *nosse* quod *habere*. Quae cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi aeternum aliquid cognoscendo habere? Aeternum est enim, de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest... Quid vero aeternum est, quod aeternitate animum afficiat, nisi Deus? *Amor* autem rerum amandarum *caritas* vel *dilectio* melius dicitur. Quare omnibus cogitationis viribus considerandum est saluberrimum illud praeceptum [Matth. 22, 37.]: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo* etc. Cfr. ibid. q. 54. Vide etiam I. Sent. lit. Magistri, d. XVII. per totam, ubi plures loci August. hac de re proferuntur, quorum explicatio ibid. in Comment. exhibetur.

[3] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 4, ubi eadem distinctio *notitiae* sive cognitionis insinuatur. — In Vat. desideratur secundum membrum huius distinctionis: *similiter... et mala.*

[4] Vide supra expositionem in c. 3, 16.

[5] Cap. 7, 2.

[6] Cod. B *non perscrutetur.*

[7] Vers. 3. — Sequuntur Prov. 3, 35. et Iob 5, 3.

[8] Vers. 16: Moritur doctus similiter ut indoctus. — Sequuntur Ioan. 17, 3; Eccle. 2, 14; Ioan. 14, 6: Ego sum via et veritas etc.; Eccle. 10, 15. — Superius ex E supplevimus *scilicet aeterna... propter quod;* subinde verba *habet, quia* esse *deliciosum, copiosum, securum, omnia obtinebit in visione aperta et fruitione summi boni;* et demum *quia ad hanc oculos dirigunt.*

quod cupias, id est cognoscere vitam, quam desideras; *quam desiderare quod nescias*, id est velle illuc pervenire ignoranter; et ideo oportet circa illam considerationem suam ponere; Proverbiorum quarto [1]: « Oculi tui recta videant, et palpebrae tuae praecedant gressus tuos ». Et hoc quidem est bonum scire, sed desiderare quod nescit, stultum. Ideo subiungit: *Sed et hoc vanitas et praesumtio spiritus*, scilicet desiderare quod homo nescit, sicut Iacobus et Ioannes desiderabant et petebant sedere ad dexteram, et praesumtuose quaerebant; ideo dicitur eis Matthaei vigesimo: « Nescitis, quid petatis ». — Potest etiam exponi ad commendationem cognitionis utilium, ut sit sensus, quod melius est cognoscere desiderabilia et utilia quam desiderare *scire abscondita*, quae scilicet prohibet considerare, quia hoc est praesumtio spiritus, velle scilicet cognoscere quae Deus in sua providentia disposuit.

Alitér.

(Vers. 10. 11.). Et hoc quidem prohibet perscrutari, consequenter dicens: *Qui futurus est* etc. Hic revocat a *perserutando abscondita*, ut est dispositio divina; ob quam dicit: *Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius*, quantum ad aeternam electionem; ad Romanos quarto [2]: « Qui vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt ». *Et scitur, quod homo sit*, quantum ad parvitatem durationis vitae; Genesis tertio: « Pulvis es, et in pulverem reverteris ». *Et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere*, quantum ad conditionem iustitiae; nemo enim est adeo iustus, qui possit se iustificare in iudicio cum Deo; Iob nono [3]: « Scio, quod non iustificatur homo comparatus Deo. Si voluerit cum Deo contendere, non poterit ei respondere unum pro mille »; ideo dicebat Iob: « Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei »; et ideo subditur: quia *fortior;* unde Iob nono: « Si fortitudo quaeritur, robustissimus est; si aequitas iudicii, nemo audet pro me testimonium dicere ». Hanc igitur absconditam dispositionem dicitur nobis non esse perscrutandam; quia in nostris verbis pauca invenitur veritas, maxime quando volumus ea disserere, quae nos latent. — Ideo subdit: *Verba sunt plurima*, id est, pauca sunt cognita; infra decimo [4]: « Stultus verba multiplicat ». *Multamque in disputando vanitatem habentia*, et paucam veritatem, supra tertio: « Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque in finem »; et propterea qui volunt de his perscrutari evanescunt, secundum illud Apostoli primae ad Corinthios tertio: « Deus novit cogitationes sapientium, quia vanae sunt ».

Abscondita relinquenda.

Capitulum VII.

(Vers. 1.). *Quid necesse est?* Hic revocat tertio a *perscrutando sublimia* et inquirendo, et hoc, cum habeat satis facere de cognoscendo sua propria mala, vel communia. Ideo dicit: *Quid necesse est homini maiora se quaerere?* quasi dicat, non est necesse; Ecclesiastici tertio [5]: « Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris »; et ad Romanos undecimo: « Noli altum sapere, sed time ». Et subiungit rationem, quare non debet quaerere maiora: *Cum ignoret, quid conducat sibi in vita sua*, id est, quid sibi sit utile; Sapientiae nono: « Difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore. Quae autem in caelis sunt, quis investigabit »? Ignorat utique, quid sit utile in hac vita momentanea; unde subiungit: *Numero dierum peregrinationis suae;* Genesis quadragesimo septimo [6]: « Dies peregrinationis vitae meae parvi et mali sunt »; secundae ad Corinthios quinto: « Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino ». *Et tempore, quod velut umbra praeteriit;* primi Paralipomenon ultimo: « Peregrini sumus coram te et advenae, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora ». Et ita per se non potest inquirere; nec etiam ab alio addiscere; propterea subiungit: *Aut quis ei poterit indicare, quid post eum venturum sit sub sole?* Non enim homo scit futura, nisi Domino revelante per gratiam. Ideo ad hoc non debet homo extendere cogitationem; Isaiae quadragesimo octavo [7]: « Ante diem non audisti ea, ne forte dicas: Ecce cognovi ea. Neque audisti neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua »; infra octavo: « Ignorat homo praeterita et futura nullo potest scire nuntio ». Unde solus Deus futura cognoscit et revelat.

Sublimia non inquirenda.

Ratio.

Quaestiones.

I. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias.* Ergo non implicat, quod aliquis potest desiderare quod nescit.

Pro 1. parte.

---

[1] Vers. 25. — Seq. locus est Matth. 20, 22.

[2] Vers. 17. — Sequitur Gen. 3, 19.

[3] Vers. 2. et 3, ubi pro *comparatus* Vulgata *compositus;* ibid. v. 14. et 19. sunt duo loci seqq. — Gregor., IX. Moral. c. 2. n. 2: Homo quippe Deo *suppositus* iustitiam percipit, *compositus* amittit, quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, privat etc.

[4] Vers. 14; ibid. 3, 11. seq. locus; tertius I. Cor. 3, 20: Dominus novit... quoniam vanae sunt (codd. *Deus sunt* [C: *Deus scit*] *cogitationes* etc.).

[5] Vers. 22. — Sequuntur Rom. 11, 20. et Sap. 9, 16.

[6] Vers. 9: Dies peregrinationis meae centum triginta annorum sunt, parvi et mali. — Subinde allegantur II. Cor. 5, 6: Dum sumus in corpore [B C D *mundo*] etc.; I. Paralip. 29, 15.

[7] Vers. 7. 8: Nunc creata sunt, et non ex tunc, et ante diem, et non audisti etc. — Sequitur Eccle. 8, 7.

Contra: 1. Augustinus [1] dicit, quod « invisa possumus diligere, incognita nequaquam »; sic igitur ad hoc, quod aliquid diligatur et desideretur, necesse est cognosci. Pro 2. parte.

2. Praeterea, affectus sequitur intellectum: ergo ubi intellectus non praecedit, non se extendit affectus; sed intellectus non extendit se ad ea quae nescit: ergo nec affectus illa desiderat.

Respondeo: dicendum, quod duplex est cognitio, *certitudinis* scilicet et *aestimationis;* sic et per oppositum duplex nescientia: una per privationem cuiuslibet *certitudinis*, et alia per privationem cuiuslibet *aestimationis*. Dico ergo, quod ad hoc, quod aliquid desideretur, non necesse est, quod praecedat cognitio *certitudinis;* desiderium enim sequitur solam aestimationem; sed oportet, quod aliqua cognitio *aestimationis* praecedat [2]. Hic autem loquitur de nescientia per privationem certitudinis. Resp. cum distinctione.

II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Quid necesse est homini maiora se quaerere?* Ex hoc videtur, quod homo non debeat aliquid perscrutari nec *labore* [3] cognoscere, quod sit supra se. — Hoc ipsum probatur per illud Ecclesiastici tertio [4]: *Altiora te ne quaesieris.* Hoc ipsum ad Romanos undecimo: *Noli altum sapere, sed time.* Pro 1. parte.

Sed contra: 1. Homo est in medio inter creaturas visibiles et Deum; sed dicit Augustinus [5], quod anima hominis obtenebratur, quando in his terrenis et infimis oculum figit; illuminatur autem, cum convertitur ad aeterna bona: ergo semper illa debet quaerere. Sed illa sunt altiora: ergo etc. Pro 2. parte.

2. Praeterea, nunquam anima perficitur perfectione completa, nisi in his quae sunt altiora ipsa [6]; sed unumquodque perfectibile debet tendere et quaerere id, in quo perficitur: ergo quaerere debet altiora. — *Si tu dicas,* quod non intelligit, quod non debet quaerere nec considerare altiora secundum substantiam, sed quod non debet considerare ea quae excedunt suae considerationis possibilitatem; *obiicitur* tunc: quia omnia, quae sunt fidei, sunt supra nostrum intellectum: ergo secundum hoc non debet intellectus noster erigere se ad credendum ea quae sunt fidei.

3. Item, tunc maxime erunt reprehensibiles qui articulos fidei volunt discutere: ergo omnes reprehensibiles, qui disputant de fide.

Respondeo: dicendum, quod facienda est vis in hoc, quod dicit: *maiora se;* et in hoc, quod dicit: *quaerere. Maiora se* vocat illa quae nostram considerationem excedunt, secundum hoc quod excedunt. *Quaerere* vocat inquirere et discutere, quasi dicat, quod stultum est velle indagare illa, ad quae nostra inquisitio non pertingit, quantum ad ea, ad quae non sufficit nostra consideratio. Nam aliqua sunt, quae nobis sunt manifesta de Deo; et illa non sunt maiora nobis; unde non dehortatur considerare Deum. Resp. cum distinctione.

2. 3. Quod obiicit de fide, dicendum, quod ipse non dissuadet *credere,* sed *quaerere.* — Praeterea, etsi ea quae sunt fidei, sint supra nostrum intellectum per se *nudum*, non tamen sunt supra intellectum fidei gratia *illustratum;* unde quaerere illa et credere et indagare usque ad illud, ad quod se extendit lumen fidei, non est se extendere ad maiora; et sic est omnis disputatio sobria ipsorum articulorum. Si autem excedat, nisi sit a Deo, sic est excessus reprehensibilis [7]. Ad 2. 3. pro 2. parte. Notandum.

III. Quaeritur etiam de hoc quod dicit: *Quis poterit ei indicare, quid post eum venturum sub sole sit?*

Contra: In anima nostra est potentia, quae est *omnia fieri* et *omnia facere* [8]; sed *possibilis* potest in se recipere omnia praesentia, omnia praeterita et omnia futura: ergo si *agens* potest reducere ipsum ad actum, ergo homo potest per se ipsum cognoscere ventura.

Respondeo: dicendum, quod si *agens* possit formare sive abstrahere cognitionem in *intellectu possibili*, tamen operatio eius dependet et a certitudine rei extra et interius a sensu; quia « deficiente re, perit scientia »; et « deficiente sensu, necesse est, unam scientiam deficere secundum illum sensum [9] ». Quia ergo futura contingentia non generant similitudinem sui in sensu, nec *per se* nec *per causam determinatam antecedentem;* et ipsa non habent in se stabilitatem, quae exigitur ad cognitionem: ideo intellectus noster, qui accipit a rebus, non potest per Resp. notanda.

---

[1] Libr. VIII. de Trin. c. 4. n. 6. seqq. et X. c. 1. n. 1. seqq. haec sententia fusius ostenditur.

[2] Cfr. August., locis in praeced. nota citt.

[3] Codd. A F *laborare.* Cfr. supra v. 7.

[4] Vers. 22. — Sequitur Rom. 11, 20.

[5] Enarrat. in Ps. 58. serm. 1. n. 18: Est quaedam rigo fonsque virtutis, est quaedam radix sapientiae, est quaedam, ut ita dicam, si et hoc dicendum est, *regio* incommutabilis veritatis; ab hac anima recedens tenebratur, accedens illuminatur. *Accedite ad eum et illuminamini* [Ps. 33, 6.], quia recedendo tenebramini. Cfr. Enarrat. in Ps. 63. n. 11. et in Ps. 98. n. 4.

[6] August., l. de Moribus Eccles. cath. c. 3. n. 5: Quisquis enim quod se ipso est deterius sequitur, fit et ipse deterior.

[7] Cfr. I. Sent. Prooem. q. 2.

[8] Aristot., III. de Anima, text. 18. (c. 5.): Et est quidam talis intellectus [possibilis], quia omnia fit, quidam vero [agens], quia omnia facit, ut habitus quidam, quale est lumen; quodam enim modo et lumen facit potentia existentes colores actu colores. — Mox post *possibilis* A supplet *intellectus*, F (C a secunda manu) *potentia*, et inferius pro *homo potest* Vat. perperam *non potest.*

[9] Aristot., de Praedicam. c. *de His quae ad aliquid:* Scibile enim scientia prius videbitur esse; namque in pluribus praeexistentibus rebus scientias accipimus, in paucis enim vel nullo quispiam hoc perspiciet, simul cum scibili scientiam esse factam. Amplius scibile sublatum simul aufert scientiam, scientia vero simul non aufert scibile; nam si scibile non sit, non erit scientia, nullius enim erit scientia etc. Idem, I. Poster. c. 14. (c. 18.): Manifestum est autem, et si aliquis sensus defecerit, necesse est, aliquam scientiam deficere, quam impossibile est accipere. Ibid. c. 26. (c. 33.) docet, scientiam non esse contingentium. Libr. I. Ethic. c. 10. ait: Futurum incertum nobis est.

se in eorum cognitionem venire, nisi per eum cuius cognitio non dependet a rebus [1].

Secundo proponuntur documenta sapientiae, per quae adhibetur remedium contra vanitatem stultitiae.

Melius est nomen bonum. Supra posuit modum addiscendi; hic secundo subiungit *documenta sapientiae*, per quae adhibetur remedium contra vanitatem stultitiae. Et quoniam, sicut dicitur Sapientiae octavo [2], « sapientia docet sobrietatem, prudentiam, iustitiam et virtutem » sive fortitudinem; ideo habet haec pars quatuor partes. In prima ponit documenta ad habendam *modestiam;* in secunda, ad habendam *constantiam*, ibi: *Calumnia* etc.; in tertia, ad habendam *prudentiam*, ibi: *Ne dicas, quid causae est quod* etc.; in quarta, ad habendam *iustitiam*, ibi: *Noli esse multum iustus* etc.

Divisio.

Primo ponuntur documenta quinque ad habendam modestiam.

Ad habendam autem *modestiam* quinque tribuit documenta. In primo docet praeferre *honestum* suavi; in secundo, *vitam futuram* praesenti; in tertio, *afflictionem* voluptati; in quarto, *tristitiam* iucunditati; in quinto, *severitatem* mollitiei sive adulationi.

Divisio.

(Vers. 2.). Ponit igitur documentum, in quo docet praeferre *honestum*, ut puta est nomen bonum, *suavi*, ut puta est unguentum; ideo dicit: *Melius est nomen bonum*, id est bona fama a bonis exhibita, de quo Ecclesiastici quadragesimo primo [3]: « Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni ». *Quam unguenta pretiosa*, quae scilicet multum redolent, secundum quod dicitur Ioannis duodecimo: « Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi et unxit pedes Iesu; et domus impleta est ex odore unguenti »; et licet unguenta redoleant, tamen bonum nomen magis, ideo melius; secundae ad Corinthios secundo: « Christi bonus odor sumus Deo in omni loco », scilicet quantum ad bonam famam.

Expositio litteralis. Documentum primum.

Et dies mortis. Hic notatur secundum documentum, in quo praefert *vitam futuram praesenti*, et ita ingressum in aliam vitam ingressui in hanc. Et propterea dicit: *Et dies mortis*, supple: melior est *die nativitatis*, quia *moritur ad quiescendum;* Apocalypsis decimo quarto [4]: « Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis ». Sed hic *nascitur ad laborandum;* Iob quinto: « Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum »; et ideo melior; unde Ecclesiastici trigesimo: « Melior est mors quam vita amara, et requies aeterna quam languor perseverans ».

Secundum.

(Vers. 3.). *Melius est ire ad domum luctus* etc. Hic tertium notatur documentum, in quo praefert *afflictionem voluptati*, ut puta luctum convivio. Propter quod dicit: *Melius est ire ad domum luctus*, ubi lugentur peccata, quia Matthaei quinto [5]: « Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur »; *quam ad domum convivii*, ubi inveniuntur oblectamenta; Proverbiorum vigesimo tertio: « Noli esse in conviviis potatorum » etc. Et ratio huius est: quia in conviviis obliviscitur homo sui, in domo luctus recordatur iudicii sui; et ideo subdit: *In illa enim*, scilicet in domo luctus, *finis cunctorum admonetur hominum;* Ecclesiastici trigesimo octavo [6]: « Memor esto iudicii mei; sic enim erit et tuum. Mihi est hodie, tibi erit cras ». *Et vivens cogitat, quid futurum sit.* Et istud est utilissimum; unde Ecclesiastici septimo: « Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis »; et ideo dicitur Ecclesiastici trigesimo octavo: « Memento novissimorum et noli oblivisci », quia, sicut dicit Hieronymus, « facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum ».

Tertium.

(Vers. 4. 5.). *Melior est ira risu.* Hic notatur quartum documentum, in quo praefert *tristitiam iucunditati;* quia illa, scilicet tristitia, corrigit, et iucunditas decipit. Et propterea dicit: *Melior est ira risu, ira* scilicet, qua peccatis quis irascitur alienis; ad Hebraeos duodecimo [7]: « Flagellat omnem filium, quem recipit »; et Apocalypsis tertio: « Ego quos amo arguo et castigo ». Haec ira melior est risu dissimulationis; Ecclesiastici trigesimo: « Lude cum filio tuo, et contristabit te » etc.; et ideo: *Melior est ira.* Et redditur ratio: *Quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis;* Proverbiorum vigesimo quinto: « Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem ». — Et hoc documentum confirmat iudicio sapientis; unde dicit: *Cor sapientium, ubi tristitia est;* sed econtra: *Cor stultorum, ubi laetitia;* illi requirunt tristia in praesenti, isti iucunda; Ioannis decimo sexto [8]: « Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit ». Et quod illi sapienter, hi stulte, patet ex eventu, quia dicitur tristibus Lucae sexto: « Beati, qui nunc fle-

Quartum.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 19. p. I. dub. 8. et II. d. 7. p. II. a. 1. q. 3. — Vat. legit: *venire, ut per eum cognitio non dependeat a rebus.*

[2] Vers. 7: Sobrietatem enim et prudentiam docet et iustitiam et virtutem.

[3] Vers. 15. — Sequuntur Ioan. 12, 3, ubi post *Iesu* Vulgata addit *et extersit pedes eius capillis suis;* et II. Cor. 2, 14, 15: Odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. — Ex E supplevimus *a bonis exhibita.*

[4] Vers. 13. — Sequuntur Iob 5, 7. (codd. *ad laborandum* et *ad volandum)* et Eccli. 30, 17.

[5] Vers 5. — Sequitur Prov. 23, 20.

[6] Vers. 23: Memor... Mihi heri et tibi hodie. — Sequuntur Eccli. 7, 40. et 38, 21. 22. Hieron., Epist. 140. ad Cyprian. n. 16: Qui enim se recordatur quotidie, se esse moriturum, contemnit praesentia et ad futura festinat.

[7] Vers. 6. — Sequuntur Apoc. 3, 19; Eccli. 30, 9. seq. et Prov. 25, 23.

[8] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Luc. 6, 21. et 25.

tis, quia ridebitis »; e contrario gaudentibus: « Vae vobis, qui ridetis, quia flebitis ».

Quintum. (Vers. 6. 7.). *Melius est a sapiente corripi.* Notatur hic quintum documentum, quo praefertur *severitas mollitiei*, ut puta dura correptio adulationi. Propter quod dicit: *Melius est a sapiente corripi quam stultorum adulatione decipi;* Proverbiorum vigesimo septimo [1]: « Melior est manifesta correptio quam amor absconditus », quia correptio dirigit, sed adulatio decipit; Proverbiorum decimo sexto: « Vir iniquus lactat amicum suum et ducit eum per viam non bonam »; et Isaiae tertio: « Populе meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt » etc. — Et reddit rationem per similitudinem: quia adulatio fatui parum durat et multum sonat, sicut spinae accensae sub olla; propterea dicit: *Quia sicut sonitus spinarum sub olla,* alte sonat, *sic risus stulti.* Ad litteram, stultus alte ridet; Ecclesiastici vigesimo primo [2]: « Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit ». Vel: risus altus, quando adulatio clamosa; Proverbiorum vigesimo septimo: « Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit ». *Sed et hoc vanitas,* scilicet talis adulatio; in Psalmo: « Vani filii hominum, mendaces filii hominum ».

Quaestiones.

I. Quaeritur de hoc quod dicitur: *Melior est dies mortis die nativitatis.*

Contra: 1. Mors est privatio, vita est habitus; Ad oppositum. sed habitus semper plus habet de entitate et bonitate quam privatio [3]: ergo vita quam mors melior: ergo dies nativitatis melior.

2. Praeterea, regula [4] est, quod « cuius corruptio bona, generatio mala »; sed mors est corruptio vitae: ergo cuius mors est bona, vita mala est. Sed nullius nisi peccatoris est vita mala: ergo nullius nisi peccatoris mors melior quam vita; sed hoc est falsum, quia peccator moriendo tendit ad infernum.

Respondeo: dicendum, quod aliquid praefertur Resp. cum distinctione. alii aliquando *ratione sui,* aliquando *ratione consequentis ad ipsum.* Illud praeferendum est alii *ratione sui,* quod de se dicit plus de bono, sicut homo est melior equo. Alio modo *ratione consequentis,* et sic mors praefertur vitae, et dissolutio illa, scilicet mors, ad quam consequitur quies *et esse cum Christo* [5]. Et de hac morte hic loquitur, quia in vita est homo in periculo, in labore et dolore; post mortem iustus est in gaudio, securitate et tranquillitate.

1. Et patet responsio ad primum, quia mors non Solutio oppositorum. praefertur *ratione sui.*

2. Quod obiicit secundo similiter solvi potest. Distinctio. Mors enim dupliciter dicitur mala: aut quia adimit bonum magnum, scilicet bonam vitam, ut boni veri et utilis; aut quia ad malum finem ducit. Primo modo mala est mors iustorum, id est damnosa, sed secundo modo valde bona; et quantum ad hoc praefertur.

II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Melior est ira risu.*

Contra: 1. Matthaei quinto [6]: *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio;* sed qui corridet non est Ad oppositum. reus alicuius poenae: ergo peius est irasci quam ridere.

2. Item, *ridere* potest esse sine culpa; sed *irasci,* cum dicat perturbationem rationis, vix est sine culpa veniali, nunquam autem est sine poena [7]: ergo multo peior est risu.

Respondeo: dicendum, quod est *irasci vitio* et Resp. cum distinctione. *irasci naturae;* primum est virtutis et bonum [8], secundum vitii et malum. Similiter est *arridere bono* et *corridere peccato;* primum, bonum; secundum, malum. Et loquitur de ira et risu, secundum quod respicitur malum.

Sed tunc similiter posset dare aliam regulam Obiectio solvitur. respectu boni: melior est risus quam ira. — Et dicendum, quod in praesenti plura sunt mala quam bona: ideo plures oportet tristari quam gaudere, ideo praefert iram risui [9].

Secundo, documenta quatuor ad habendam constantiam.

Calumnia conturbat sapientem. Supra posuit Divisio. documenta ad habendam modestiam; hic sequitur secunda pars, in qua ponit documenta ad *habendam constantiam;* et quoniam constantia perditur per calumniam et per iracundiam, et conservatur per patientiam et per perseverantiam: ideo hic quatuor documenta ponuntur. In primo ostenditur *vitanda calumnia;* in secundo, *amanda perseverantia;* in tertio, *servanda patientia;* in quarto, *fugienda iracundia.*

(Vers. 8.). In primo igitur documento ostenditur Expositio litteralis. Documentum primum. *vitanda calumnia,* quia perturbando hominem incon-

---

[1] Vers. 5. — Sequuntur Prov. 16, 29. et Isai. 3, 12.

[2] Vers. 23. — Subinde allegantur Prov. 27, 14. et Ps. 61, 10.

[3] Nam, ut docet Aristot., I. Phys. text. 75. (c. 8.), privatio « est per se non-ens ». Cfr. V. Metaph. text. 27. (IV. c. 22.).

[4] Aristot., II Topic. c. 3. (c. 9.): Quorum enim generationes bonae sunt, et ipsa bona sunt; et si ipsa bona sunt, et generationes bonae; si autem generationes malae, et ipsa mala; in corruptionibus autem e contrario; nam si corruptiones bonae, ipsa mala; si autem corruptiones malae, ipsa sunt bona. Cfr. ibid. III. c. 4. (c. 6.).

[5] Phil. 1, 23: Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius.

[6] Vers. 22. Pro *erit iudicio* codd. *est gehennae ignis.*

[7] Iac. 1, 20: Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.

[8] August., II. Retract. c. 19. n. 4: Non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur; qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.

[9] Vat. hic quaedam addit, quae aliquanto inferius in nota exhibemus.

stantem reddit. Propterea dicit: *Calumnia perturbat sapientem.* Calumnia est criminatio litigiosa, et ideo ab ea recedendum; Isaiae quinquagesimo quarto [1]: « Recede procul a calumnia, quia non timebis ». *Et perdet robur cordis illius*, id est fortitudinem caritatis; Matthaei vigesimo quarto: « Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum ».

(Vers. 9.). *Melior est finis* etc. Hic notatur secun- Secundum.
dum documentum, in quo *praefertur perseverantia* iustitiae inchoatae. Propter hoc dicit: *Melior est finis orationis quam principium;* melius est in bono perseverare quam tantum inchoare; Matthaei decimo [2]: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit »; unde Bernardus: « Perseverantia est omnium virtutum consummatio ».

Melior est patiens etc. Hic notatur tertium do- Tertium.
cumentum, in quo *commendatur patientia,* quia sine illa non potest esse constantia; ideo dicit: *Melior est patiens arrogante;* abusiva est comparatio, quia patiens est bonus, sed arrogans malus; Proverbiorum decimo sexto [3]: « Melior est patiens viro forti » etc.

(Vers. 10.). *Ne sis velox* etc. Tangitur hic quar- Quartum.
tum documentum, in quo docetur *fugienda iracundia,* quia non bene stat cum constantia; ideo dicit: *Ne sis velox ad irascendum;* Iacobi primo [4]: « Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum et tardus ad iram ». Et subiungitur ratio: *Quia ira in sinu stulti requiescit;* Iob quinto: « Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia ». Bene dicit *requiescit,* propter diuturnitatem; nam sapiens, etsi irascitur, non debet diu servare; ad Ephesios quarto: « Sol non occidat super iracundiam vestram »; sed non sic stultus; Proverbiorum vigesimo septimo: « Onerosa arena » *in sinu stulti.*

Quaestiones.

I. Sed dubitatio est de hoc quod dicit: *Calumnia conturbat sapientem.*

Contra: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit,* habetur Proverbiorum duodecimo [5]: ergo si sapiens iustus est, non conturbatur per calumniam. Contra.

Ad hoc respondetur uno modo, quod est *con-* Resp. 1. cum distinctione.
turbatio impatientiae, et hac non conturbatur iustus; et *compassionis,* et hac conturbatur, sicut dicebat Apostolus secundae ad Corinthios undecimo [6]: *Quis scandalizatur, et ego non uror?* quasi dicat: nullus. — Sed littera sequens tollit hanc expositionem Improbatur.
et subdit: *Et perdet robur cordis eius.*

Ideo solvendum est, sicut dicitur in Glossa [7], Resp. 2.
quod est sapiens et iustus *perfectus,* et de hoc intelligitur illud Proverbiorum; et *imperfectus,* et de hoc intelligitur hic.

II. Item, quid est quod dicit hic: *Ne sis velox ad irascendum?*

Contra: In Psalmo [8]: *Irascimini, et nolite peccare.*

Respondeo: dicendum, quod est ira multiplex [9]. Resp.

Tertio, documenta quatuor ad habendam prudentiam.

Ne dicas: Quid, putas, causae est etc. Positis Divisio.
documentis ad modestiam et constantiam, ponit hic documenta ad habendam *prudentiam.* Et quia prudentis est discernere, ubi contingit errare [10]; ideo ponit documenta quatuor ad habendam discretionem. Primum est ad discretionem *utilium;* secundum, ad Documenta quatuor.
discretionem *divinorum operum;* tertium, ad discretionem *temporum;* quartum, ad discretionem *meritorum* hominum.

(Vers. 11. 12. 13.). Primum igitur documentum Primum.
datum est ad *discretionem utilium;* in diversis enim temporibus diversae utilitates ex causis diversis. Propterea dicit: *Ne dicas: Quid, putas, causae est, quod priora tempora,* id est antiquorum, *meliora fuere?* quia scilicet in eis fuit inopia; *quam nunc sunt,* quando scilicet iam est rerum abundantia; quia ista quaestio venit ex inconsideratione; unde subdit: *Stulta enim est huiusmodi interrogatio.* Et

---

[1] Vers. 14. — Sequitur Matth. 24, 12. August., Qq. in Lev. q. 68: Calumnia non est, nisi quando falsi criminis obiectione proximus laeditur. Iustinian., Dig. lib. XLVIII. tit. 16. leg. 1: Calumniari est falsa crimina intendere.

[2] Vers. 22. — Bernard., Epist. 129. n. 2: Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est... soror est patientiae, constantiae filia... denique non qui coeperit, sed *qui perseveraverit usque in finem salvus erit* [Matth. 10, 22].

[3] Vers. 32. — De abusiva comparatione cfr. supra pag. 42, nota 6.

[4] Vers. 19. — Sequuntur Iob 5, 2: Vere stultum etc.; Eph. 4, 26. et Prov. 27, 3: Grave est saxum et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior. [5] Vers. 21.

[6] Vers. 29. Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. et dub. 4.

[7] Scilicet *ordinaria* in v. 6. (sumta ex Hieron. in v. 8.): Sapiens perfectus nulla argutione indiget, nulla calumnia turbatur. Ergo de sapiente in profectu posito est accipiendum, qui aliquando turbatur de iniquitate iudicii, cum Deus statim non punit.

[8] Psalm. 4, 5.

[9] Quae Vat., ut supra pag. 56, nota 9. insinuavimus, illo loco addidit, hic congruentius ponuntur; sed quia ea desunt in codd., ea posuimus ad calcem: Nota, quod est ira *permissione,* et haec culpae venialis: *Irascimini, et nolite peccare* [Ps. 4, 5.]; et haec necesse est, quod praecedat. *Prohibitione.* et haec culpae mortalis: *Ira non habet misericordiam nec erumpens furor* [Prov. 27, 4.]. *Praeceptione,* et haec iustitiae et zeli; et de hac supra [7, 4.] dictum est: *Melior est ira risu,* moderanda, ne excedat. — Cfr. III. Sent. d. 15. a. 2. q. 3. et Alex. Hal., S. p. II. q. 140. m. 2, ubi secundum Glossam *ordinariam* (ex Gregor., V. Moral. c. 45. n. 82.) in Iob 5, 2. distinguitur ira impatientiae et ira zeli: Alia ira est, quam impatientia, alia, quam zelus facit; illa ex vitio, haec ex virtute. Cfr. Aristot., IV. Ethic. c. 5, ubi dicit: Nam qui et ob quae oportet, et sicut oportet, et quando et in quos oportet, non irascuntur, hi profecto esse stolidi videntur etc.

[10] Cfr. Aristot., VI. Ethic. c. 5. et 8. seqq. — B *discernere, id est virtutem non ignorare, ideo* etc.

huius ratio est: quia non considerat utilitatem opulentiae, ideo docet eam discernere, inquiens: *Utilior est sapientia cum divitiis*, quia Proverbiorum decimo tertio[1]: « Redemptio animae viri divitiae eius ». *Et magis prodest videntibus solem*, id est habentibus rectam intentionem; quia Ecclesiastici decimo tertio: « Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, et nequissima paupertas in ore impii ». Et quod pecunia sit utilis, ostendit per effectum: *Sicut enim protegit sapientia*, scilicet a culpa; Proverbiorum secundo: « Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animae tuae placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te »; *sic protegit et pecunia*, scilicet bene expensa; Ecclesiastici vigesimo nono: « Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit ». Et licet utraque sit utilis, tamen sapientia utilior; ideo subiungit: *Hoc autem plus habet sapientia et eruditio, quod vitam tribuunt possessori;* unde Proverbiorum quarto[2]: « Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitae »; et Proverbiorum tertio: « Lignum vitae est sapientia his qui apprehenderint eam ». Sed pecunia sine sapientia tribuit mortem; Iacobi quinto: « Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris ». Et ideo praeferenda est sapientia pecuniae; Proverbiorum octavo: « Accipite sapientiam et non pecuniam; doctrinam magis quam aurum eligite ».

(Vers. 14.). *Considera opera Dei* etc. Hoc est Secundum. secundum documentum, in quo docet *discretam considerationem divinorum operum* sive iudiciorum, quia quem ipse despicit reprobationis iudicio nemo reducit. Propterea dicit: *Considera opera Dei*, id est divina iudicia, *quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*, id est, quem ipse suo iudicio visitare voluerit. Unde dicitur primi Regum secundo[3] de filiis Heli: « Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos ». Ista opera et iudicia consideranda sunt ad timorem; Habacuc tertio: « Consideravi opera tua et expavi ».

(Vers. 15.). *In die bona* etc. Hoc est tertium Tertium. documentum, in quo docet, *discretionem faciendam esse temporum;* quia Deus non omnia tempora fecit uniformiter, sed difformiter, et homo se disponere debet secundum diversa tempora. Ideo dicit: *In die bona fruere bonis*, id est, cum gaudio bonum operare; Ecclesiastici decimo quarto[4]: « Non defraudaris a die bono, et particula diei boni non te praetereat », quia in hac die est locus et tempus operandi. Unde Ioannis nono: « Me oportet operari, donec dies est »; similiter et nos, unde Apostolus ad Galatas ultimo: « Operemur bonum ad omnes, dum tempus habemus ». *Et malam diem praecave*, illam scilicet, de qua Sophoniae primo[5]: « Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae ». Qui vult hanc diem praecavere necesse habet recogitare illud Ecclesiastici undecimo: « In die bonorum ne immemor sis malorum ». Has dies fecit Dominus et ordinavit iusto modo; ideo dicit: *Sicut enim hanc*, id est bonam, *sic et illam*, scilicet malam, *fecit Deus;* et hoc iusto iudicio: *Ut non inveniat homo contra illum iustas querimonias.* Ideo bona facit propter bonos, mala contra malos, quia in Psalmo: « Iustus Dominus in omnibus viis suis ».

(Vers. 16.). *Haec quoque vidi in die nativita-* Quartum. *tis meae.* Hic notatur quartum documentum, quo docet, *discretionem diligentem faciendam esse meritorum*, eo quod multum lateant. Ideo dicit: *Hoc quoque vidi in die nativitatis meae*, id est, postquam natus sum, *vidi*, hoc evenire: *Iustus perit in iustitia sua*, quia quasi impius reputatur; Isaiae quinquagesimo septimo[6]: « Iustus perit, nemo est, qui recogitet ». *Et impius longo vivit tempore in impietate sua*, quasi esset iustus; ex quo indignabatur Ieremias duodecimo: « Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt »? Et infra octavo: « Sunt iusti, quibus mala eveniunt, ac si opera egerint impiorum; et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant ».

Quaestiones.

I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Utilior est sapientia cum divitiis.*

1. Ergo melius est, esse divitem sapientem quam Ad oppositum. pauperem sapientem: ergo esse pauperem non est status perfectior.

2. Praeterea, « ars et virtus circa difficilia[7] »; sed difficilius est diviti salvari quam pauperi: ergo maioris virtutis est: ergo laudabilior status.

---

[1] Vers. 8. — Sequuntur Eccli. 13, 30; Prov. 2, 10. et Eccli. 29, 16, ubi Vulgata hunc et seq. versum omittit; occurrunt enim iam c. 17, 18. et 19: Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso etc. Cfr. Raban. in hos locos; in primo (17, 18.) concordat cum Vulgata, in secundo (29, 16.) legit: Eleemosyna viri quasi *sacculus* cum ipso etc.; Card. Hugo a S. Charo et Lyranus in utroque loco habent *sacculus*.

[2] Vers. 10. — Subinde allegantur Prov. 3, 18; Iac. 5, 1. et Prov. 8, 10: Accipite disciplinam meam et non etc.

[3] Vers. 25. — Seq. locus est Habac. 3, 2, ubi Vulgata: Domine, audivi auditionem tuam et timui, Domine; opus tuum in medio annorum vivifica illud. Septuaginta: Domine, audivi auditum tuum et timui; consideravi opera tua et obstupui; in medio duorum animalium cognosceris.

[4] Vers. 14, ubi Vulgata *boni doni* pro *diei boni*, quod exhibet etiam Card. Hugo a S. Charo. — Sequuntur Ioan. 9, 4. (Vulgata plura interserit); Gal. 6, 10.

[5] Vers. 15. — Sequuntur Eccli. 11, 27. et Ps. 144, 17.

[6] Vers. 1. Pro *nemo est* Vulgata *non est*. — Sequuntur Ier. 12, 1. et Eccle. 8, 14. Vulgata *proveniunt quasi* pro *eveniunt ac si*.

[7] Aristot., II. Ethic. c. 3. Cfr. supra pag. 47, nota 8. — Inferius post *status* A addit *divitis*.

CONTRA hoc est: quia Dominus statum pauperis praeposuit et facto et verbo, Matthaei decimo nono [1]. Contra.

Respondeo: dicendum, quod triplex est paupertas: una *ex complacentia*, alia *ex tolerantia*, alia *cum impatientia*. Prima bona et perfecta, secunda est imperfecta, tertia est vituperanda; Ecclesiastici decimo tertio [2]: «Nequissima paupertas in ore impii»: — Quando dicitur, quod sapientia melior est cum divitiis quam sine, intelligitur de paupertate, quae est cum *tolerantia*, vel *impatientia*. Resp. Triplex paupertas.

2. Quod obiicitur de difficultate, dicendum, quod est difficultas ratione *generis operis*, et haec ad virtutem maiorem facit; et est difficultas ratione *inordinationis voluntatis*, sicut avarus difficilius dat donum quam largus, et ista nihil [3]; sic et dives difficilius salvatur. — Aliter solvitur: quia intelligitur de superfluitate et nimia egestate. Solutio ad 2. Aliter.

II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Quod nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.*

1. Sed Deus despicit omnem peccatorem, quia *Altissimus odio habet peccatores*, Ecclesiatici duodecimo [4]; et: *Similiter abominabilis est Deo impius et impietas eius.* Ad oppositum.

2. Item, si non potest corrigi, ergo nec salvari: ergo non debet sibi imputari.

Respondeo: dicendum, quod sicut duplex est *dilectio*, scilicet *aeterna* et *secundum praesentem iustitiam* [5]; ita duplex est *hominum despectio*; et loquitur hic de homine non quocumque, sed reprobato, nec de quacumque despectione, sed de despectione secundum reprobationem aeternam, cuius signum est obduratio in praesenti; et ita non habet locum de omni peccatore, sed de reprobis. Resp. cum distinctione.

2. Quod obiicitur, quod non debet sibi imputari; dicendum, quod immo, quia Deus neminem despicit sine causa. Unde et, quamvis non possit surgere, nisi Deus porrigat manum, tamen non excusatur, quia culpa sua est, quod manus non porrigitur ei. Unde dicit Augustinus in libro de Correctione et gratia [6], quod nemo corrigitur nisi volens. Solutio ad 2.

III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Iustus perit in iustitia sua, et impius vivit longo tempore in impietate.*

1. SED CONTRA: In Psalmo [7]: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

2. Item, de bonis, Exodi vigesimo [8]: *Honora patrem tuum, ut sis longaevus super terram*, et longo vivas tempore: ergo observanti mandata prolongatur vita.

Respondeo: dicendum, quod sicut dicitur Sapientiae quarto [9] de iusto: *Consummatus in brevi complevit tempora multa*, et pauci in multos computantur; sic e contrario in malis, sic etiam de numero salvandorum et damnandorum; et longiores sunt dies bonorum, quia meliores, non quia diutius vivant. Resp.

Notandum autem, quod *breviantur* anni hominibus aliquando, ne *mali* fiant; Sapientiae quarto [10]: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius* etc., aliquando, ne *peiores* fiant; in Psalmo: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. — Elongantur* autem ad *purgationem* bonis; Ecclesiastici secundo: *Quoniam in igne probatur aurum;* malis, ad suam *emendationem;* ad Romanos secundo: *An ignoras, quoniam Dei benignitas ad poenitentiam te adducit?* Duplex ratio, quare anni breviantur et prolongantur.

Quarto, documenta quatuor ad habendam iustitiam.

Noli esse iustus multum. Supra posuit documenta ad habendam modestiam, constantiam et prudentiam; hic quarto ponit documenta ad habendam *iustitiam;* et quia non est iustitia vera, quae excedit in rigore et crudelitate, nisi contemperetur pietate: ideo ponit hic quatuor documenta. In primo *prohibet rigorem severitatis* vel excessum iustitiae; in secundo, *praecipitium impietatis;* in tertio *commendat exhibitionem misericordiae;* in quarto, *dissimulationem propriae iniuriae.* Divisio. Documenta quatuor.

(Vers. 17.). In primo igitur documento *dissuadet excessum iustitiae in puniendo*, cum dicit: *Noli esse iustus multum*, id est, ne excedas in *rigore iustitiae*, quia culpa est totam culpam prosequi; unde Iacobi secundo [11]: «Iudicium sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam». Non debes etiam excedere in *perscrutando culpam;* ideo dicit: *Neque plus sapias, quam necesse est,* quia dicitur Proverbiorum trigesimo: «Qui vehementer emungit elicit sanguinem»; ideo ad Romanos duodecimo: «Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem». Primum.

(Vers. 17. 18.). *Ne obstupescas* etc. Notatur hic secundum documentum in quo *prohibet praecipitium impietatis;* impietas enim reddit hominem *stupidum in affectu* et durum. Ideo dicit: *Ne obstupescas;* Ieremiae trigesimo primo [12]: «Omnis, qui comederit uvam Secundum.

---

[1] Vers. 21.

[2] Vers. 30. — Vide Qq. disputat. de Perfectione evang. (tom. V.) q. 2. a. 1. ad 1; ibid. q. 3. ad 6. insinuatur solut. seq. obiectionis. — Mox fide A C posuimus *intelligitur* pro *non intelligitur*.

[3] Supple: ad maiorem virtutem facit.

[4] Vers. 3. — Sequitur Sap. 14, 9.

[5] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. ad 1. et 2. — Pro *dilectio* Vat. *electio* (cfr. loc. cit. a. 3. q. 1. seq.; ibid. a. 4. agitur de reprobatione et obduratione). Inferius verba *sed reprobato de quacumque despectione* supplevimus ex A.

[6] Cap. 5. n. 7. seqq. et c. 14. n. 43. seq. Secunda manus in E sententiam Augustini ita explicat: quia nemo corrigitur, nisi adiuvante gratia, et tamen non tollitur liberum arbitrium.

[7] Psalm. 54, 24.

[8] Vers. 12.

[9] Vers. 13. Vulgata *explerit.*

[10] Vers. 11. — Subinde allegantur Ps. 54, 24; Eccli. 2, 5. et Rom. 2, 4. — Inferius pro *Elongantur... bonis... malis* Vat. perperam *Obligantur... boni... mali.*

[11] Vers. 13, ubi pro *fiet ei* Vulgata *illi.* — Sequuntur Prov. 30, 33. et Rom. 12, 3.

[12] Vers. 30. — Subinde allegantur Ps. 74, 5; Eccli. 7, 3. et Prov. 24, 8.

acerbam, obstupescent dentes eius». Reddit *crudelem in actu;* ideo dicit: *Ne impie agas multum,* id est crudeliter; Psalmus: «Dixi iniquis: Nolite inique agere»; et Ecclesiastici septimo: «Non semines mala in sulcis iniustitiae, et non metes ea in septuplum». Reddit etiam *caecum intellectum;* ideo dicit: *Noli esse stultus;* Proverbiorum vigesimo quarto: «Qui cogitat mala facere stultus vocabitur. Cogitatio stulti, peccatum». Et quia peccatum et stultitia accelerant mortem; ideo sequitur ratio: *Ne moriaris in tempore non tuo,* id est, ne acceleretur mors tua, quia in Psalmo[1]: «Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos»; et rursus Lucae duodecimo: «Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te». Exemplum de Dathan et Abiron, qui «descenderunt viventes in infernum».

(Vers. 19. 20. 21.). *Bonum est, te sustentare* Tertium. *iustum.* Hic notatur tertium documentum, in quo *monet ad exhibitionem misericordiae;* et praemittit Exhortatio. *exhortationem* et subiungit *rationem. — Exhortatur,* cum dicit: *Bonum est, te sustentare iustum,* in iustitia scilicet; Proverbiorum vigesimo quarto[2]: «Ne insidieris et quaeras impietatem in domo iusti, et ne vastes requiem eius»; quia dicitur Proverbiorum decimo septimo: «Non est bonum damnum inferre iusto, nec percutere principem, qui recta iudicat». Non solum iustus est sustentandus in causa iusta, sed etiam porrigenda ei manus per eleemosynam; unde subiungit: *Sed et ab illo ne subtrahas manum tuam;* Ecclesiastici duodecimo[3]: «Benefac iusto, et invenies retributionem magnam; et si non ab illo, certe a Deo». Ratio triplex. Sic praemissa exhortatione, subiungit *rationem triplicem;* et prima est *divina voluntas,* ob quam dicit: *Qui timet Deum nihil negligit,* de illis scilicet, quae Deus vult fieri; Ecclesiastici septimo[4]: «In tota anima tua time Deum, et de negligentia tua purga te cum paucis». — Secunda ratio est *iusti dignitas,* ob quam dicit: *Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis;* et ita, Sapientiae sexto, «melior est sapientia quam vires, et vir prudens melior est quam fortis». — Tertia ratio est *humana fragilitas,* ob quam dicit: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet;* et ideo miserendum est peccanti; Proverbiorum vigesimo quarto[5]: «Septies in die cadit iustus et resurget»; immo quantumcumque perfectus aliquando peccat; primae Ioannis primo: «Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas non est in nobis».

(Vers. 22. 23.). *Sed et cunctis sermonibus* etc. Quartum. Tangitur hic quartum documentum, in quo *hortatur ad dissimulationem propriae iniuriae;* unde non debet inquirere nec omni referenti credere. Ideo dicit: *Sed et cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum,* id est, non praebeas fidem, quia parva fides est adhibenda verbis, quia multi multa loquuntur; quia, Ecclesiastici decimo nono[6], «qui cito credit levis est corde»; et quia difficile est audire et non credere; Ecclesiastici vigesimo octavo: «Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam»; unde non debet esse sollicitus ad audiendum, quae de se dicuntur. Et redditur ratio: *Ne forte audias servum maledicentem tibi;* sicuti Semei David, secundi Regum decimo sexto; unde dicit Abisai: «Quare maledicit canis hic pessimus domino meo regi? Vadam et amputabo caput eius». — Et hoc quidem saepe contingit, sicut potest homo nosse ex se ipso: *Scit enim conscientia tua, quia tu crebro maledixisti aliis,* et ita non debes diligenter *attendere nec punire;* Ecclesiastici trigesimo primo[7]: «Cognosce quae sunt proximi tui ex te ipso». Et iterum *indulge;* sicut enim dicitur Matthaei decimo octavo: «Nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum»?

Quaestiones.

I. Quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Noli esse iustus multum.*

Contra: 1. Haec est per se vera: iustus est bonus, Ad oppositum. ergo magis iustus magis bonus, ergo maxime iustus maxime bonus: ergo in iustitia non est superfluum.

2. Item, quidquid dicitur de Deo, in summo dicitur; sed *iustum* dicitur de Deo: ergo Deus summe iustus. Et constat, quod hoc non est malum: ergo si summitas in iustitia non est mala, ergo non est ibi superfluitas.

II. Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Neque plus sapias, quam necesse erit.*

1. Qui enim plus diligit plus sapit; sed nemo Ad oppositum. potest nimis diligere: ergo nec nimis sapere, secundum quod refertur dilectio in Deum.

2. Praeterea, nemo est nimis sapiens, ergo nec potest esse: ergo nemo potest plus sapere, quam necesse est.

Sed contra: Virtus consistit in medietate et Contra. corrumpitur per superfluum, sicut per diminutum[8]: ergo sicut potest esse peccatum in remittendo nimis, ita in nimis puniendo.

Respondeo: dicendum ad hoc, quod *iustus* uno Resp. ad I. quaest. Duplex iustitia. modo est idem quod habens *talem* virtutem; et sic attenditur excessus iustitiae per accessum ad medium,

---

[1] Psalm. 54, 24. — Sequuntur Luc. 12, 20. et Num. 16, 33: Descenderuntque vivi in infernum.

[2] Vers. 15. — Seq. locus est Prov. 17, 26.

[3] Vers. 2: Benefac iusto, et invenies... et si non ab ipso, certe a Domino.

[4] Vers. 31. et 34. — Sequitur Sap. 6, 1.

[5] Vers. 16, ubi pro *in die* Vulgata *enim.* — Sequitur I. Ioan. 1, 8, ubi B C D *mentimur* pro *ipsi nos seducimus.*

[6] Vers. 4; ibid. 28, 28. est seq. locus; tertius II. Reg. 16, 9, ubi pro *pessimus* Vulgata *mortuus.*

[7] Vers. 18: Intellige quae etc. — Sequitur Matth. 18, 33.

[8] Ut ostendit Aristot., II. Ethic. c. 6.

et ita non potest esse ibi superfluitas, quia nemo potest esse nimis virtuosus nec nimis accedere ad medium. Alio modo *iustus* dicitur, secundum quod nominat actum illius virtutis, qui est *punire;* et sic excessus eius non attenditur per accessum ad medium, immo ad superfluum; tunc dicitur *magis iustus* qui magis punit, et maxime punire non est bonum [1]. Et sic intelligitur in littera.

Solutio ad 2. 2. Quod obiicitur secundo, quod quidquid Deo convenit, summe dicitur; verum est de eo quod *absolute* dicitur, et quod nominat per modum *habitus;* sed quod dicit *effectum*, non summe, sicut Deus non summe punit nec summe parcit, sed quatenus convenit [2].

Resp. ad II. quaest. Distinctio. II. Quod quaeritur de sapientia, dicendum, quod *habitus* sapientiae nullo modo potest esse nimius; sed in *actu* notandum, quod est triplex, scilicet *gustare, cognoscere* et *scrutari; gustare* et *cognoscere* nemo potest nimis, sed *perscrutari* bene potest nimis. Et ratio huius est, quia perscrutatio nimia deducit ad insipientiam, sed dilectio non potest esse nimia in Deum, quia summe diligendus [3].

III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.*

Ad oppositum. CONTRA: Iob decimo quarto [4]: *Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt:* ergo videtur, quod propter bonitatem non possunt augeri: ergo nec propter malitiam minui.

Fundamenta. Si hoc verum est, quomodo Deus promittit annos longos in Scriptura [5]? — Item, de Ezechia, quarto Regum vigesimo, quomodo Deus auxit sibi annos quindecim? — Item, etiam abbreviat; in Psalmo [6]: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Resp. cum distinctione. Respondeo: dicendum, quod *mori in tempore suo* est tripliciter: uno modo in tempore *suae salutis*, ad quam unusquisque ordinatus est; sic moriuntur omnes boni in tempore suo, et nulli mali, quia nunquam ad hoc perveniunt, de finaliter malis dico. — Secundo modo *mori in tempore suo,* id est *morte naturali*, quae quidem est per consumtionem humidi radicalis [7], et sic moriuntur in tempore suo senes et decrepiti. — Tertio modo *mori in tempore suo* est mori tempore sibi *a Deo praefinito*, secundum praescientiam divinam, quae nunquam fallitur. Illud nemo praevenit, nemo pertransit. Primo modo *mali* moriuntur in tempore non suo; secundo modo *et boni et mali*, qui moriuntur morte accidentali; tertio modo *nullus.*

Ad argg. Loquitur ergo hic Ecclesiastes et Scriptura quantum ad primum modum; sed Iob intelligit quantum ad tertium. Similiter de Ezechia dicitur, quod Dominus mutavit consilium [8].

IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui timet Deum nihil negligit.*

Sed qui peccat aliquid negligit: ergo nullus, qui peccat, timet Deum. Sed *non est iustus qui non peccet* [9]: ergo non est iustus qui timeat Deum.

V. Item quaeritur, utrum aliquis iustus possit esse sine peccato. — Quod non, videtur per illud quod dicitur hic et primae Ioannis primo [10]: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Quod autem possit, videtur:

Ad oppositum. 1. Per illud Iob decimo septimo [11]: *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.*

2. Item, si non potest; et nullus peccat in eo quod vitare non potest [12]: ergo etc.

Resp. ad IV. quaest. Respondeo: dicendum, quod *negligentia* uno modo importat *contemptum,* et sic est peccatum mortale, et sic intelligitur hic; alio modo *qualemcumque omissionem circumstantiae,* et sic veniale, et nullus sine ea. — Similiter dicendum de peccato, quod sine *mortali* multi, sine *veniali* nullus utens libero arbitrio nisi Christus, et hoc de beatissima Virgine credimus. Ad V. quaest.

Solutio oppositorum. 1. Quod obiicitur de Iob, respondeo: non negat, se non peccasse, sed non peccasse, ut sic puniretur. Similiter cor reprehendit, quando peccatum complacuit; quando vero, quod noluit, hoc fecit, etsi peccavit, cor non reprehendit [13].

2. Quod dicitur de impossibilitate vitandi, dicendum, quod ex vitio intrusus ad hoc est homo; et ideo non excusatur, quin peccet aliquo modo. Praeterea, etsi non possit universaliter vitare, potest tamen quodlibet particulariter evitare: ideo [14] etc.

---

[1] Cicero, I. de Offic. c. 10: « Ex quo illud: *Summum ius summa iniuria,* factum est iam tritum sermone proverbium ». Hoc proverbium allegat Glossa *interlinearis* apud Lyranum, in hunc locum. Cfr. Bernard., I. de Considerat. c. 8. n. 10. — August., in Ioan. Evang. tr. 95. n. 2. haec verba ita explicat: Quoniam et in illo quod legimus divinitus dictum: *Noli effici iustus multum*, non est notata iustitia sapientis, sed superbia praesumentis. Qui ergo fit multum iustus, ipso nimio fit iniustus. Multum enim se facit iustum, qui dicit, se non habere peccatum etc.

[2] Cfr. IV. Sent. d. 46. a. 2. q. 1. ad 4. — Superius post *effectum, non summum* supple: dicitur.

[3] Vide III. Sent. d. 27. a. 2. q. 5.

[4] Vers. 5.

[5] Exod. 20, 12: Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram etc. — Sequitur VI. Reg. 20, 6: Et addam diebus tuis quindecim annos.

[6] Psalm. 54, 24.

[7] Cfr. tom. I. pag. 346, nota 12. et tom. II. pag. 736, nota 3.

[8] Vide IV. Reg. 20, 1-5. et Isai. 38, 1-5, ubi narratur, quod Ezechias, prece facta, a morte sibi per Isaiam comminata liberatur. — Post *consilium* E in margine, sed prima manu, ut videtur, addit *sententiam vero non* (cfr. Glossa in Isai. 38, 1, et Greg., XII. Moral. c. 2. n. 2.).

[9] Ut dicitur hic (pluribus additis) v. 21.

[10] Vers. 8.

[11] Vers. 2.

[12] August., III. de Lib. Arb. c. 18. n. 50: Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?

[13] Respicitur I. Ioan. 3, 20. 21: Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum... si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Cfr. Gregor., XIII. Moral. c. 30. n. 34. — E codd. sup plevimus *sed non peccasse.*

[14] Vide II. Sent. d. 41. a. 2. q. 1.

PARS III. Probatur vanitas poenalitatis duplicis, tam quae est peccati occasio, quam quae est pura afflictio.

Cuncta tentavi etc. Supra egit de vanitate mutabilitatis et iniquitatis; in hac parte intendit agere de vanitate *poenalitatis*. Et quia duplex est poena: quaedam, quae est *peccati occasio*, sicut concupiscentia; quaedam, quae est *pura afflictio*, sicut mors et infirmitas corporis: ideo primo agit de prima poenalitate, quae est *peccati occasio;* secundo, de ea quae est *pura afflictio*, infra duodecimo [1]: *Memento Creatoris tui* etc. Divisio primi.

Partis tertiae membrum I. Ostenditur duplex poena, quae est peccati occasio.

Et quoniam poena, quae est peccati occasio, duplex est, una scilicet ex defectu amoris, et haec est *pronitas;* alia ex defectu timoris, et haec est *securitas;* prima reddit pronum ad malum, et secunda securum, quia non timet, dum non credit puniri: ideo habet haec pars duas: in prima agit de vanitate *pronitatis*, in secunda, de vanitate *securitatis;* et incipit secunda pars infra octavo [2]: *Omnia haec consideravi et dedi cor meum* etc. Divisio secunda.

ART. 1. *De prima peccati occasione, quae est pronitas ad peccatum per concupiscentiam, agitur dupliciter.*

Et quia vanitas *pronitatis* concupiscentiae est periculosa, nec liberatur quis nisi auxilio divinae sapientiae; ideo primo notatur *inventio concupiscentiae.* Secundo subiungitur *remedium sapientiae*, ibi [3]: *Quis talis, ut sapiens est* etc. Subdivisio.

Primo notatur inventio concupiscentiae, et primo praemittitur eiusdem diligens inquisitio, quae secundum tria describitur.

Et quoniam, ubi est latentis inventio, praecedit diligens inquisitio; ideo primo describitur diligens ipsius *inquisitio;* secundo, concupiscentiae *inventio*, ibi [4]: *Et inveni amariorem morte* etc. Divisio.

Diligens igitur ipsius *inquisitio*, quae adeo diligens fuit, ut in curiositatem degeneraret, hoc ordine describitur primo quoad *praesumtionis* suae curiositatem, quoad *inquisitionis* sublimitatem, quoad *considerationis* studiositatem. Ordo descriptionis.

(Vers. 24. 25. 26.). Quantum igitur ad suae *praesumtionis curiositatem* dicit: *Cuncta tentavi in sapientia*, id est in inquisitione, ecce, curiositatis inquisitio; Ecclesiastici tertio [5]: « In pluribus operibus eius ne fueris curiosus ». *Dixi: Sapiens efficiar*, ecce, praesumtionis elatio; Isaiae quinto: « Vae, qui sapientes estis in oculis vestris » etc.; et primae ad Corinthios tertio: « Si quis vestrum videtur esse sapiens in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens ». — Quantum ad *inquisitionis sublimitatem* dicit: *Et ipsa longius recessit a me, quam erat prius*, quia visa est ei quaestio difficilior, dum magis inquireret, et hoc divini *iudicii severitate;* ad Romanos primo [6]: « Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt »; et *quaestionis altitudine;* ideo dicit: *Et alta profunditas, quis inveniet eam?* Alta est profunditas inquisitionis sapientiae; Ecclesiastici vigesimo quarto [7]: « Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis ». Et ideo quis potest invenire? Pauci sufficienter, sed nulli perfecte; Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Ne laboretis; non enim comprehendetis »; et ad Romanos undecimo: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei » etc. — Quantum ad *considerationis strenuitatem* subiungit: *Lustravi universa in animo meo*, id est, circuivi et diligenter undique consideravi; Ecclesiastici sexto [8]: « Quasi is qui arat et qui seminat, accede ad illam ». Et ratio movens tangitur: *Ut scirem*, in habitu; *et considerarem*, in actu; *sapientiam*, in appetitibus; *rationem*, in operationibus. Et e contrario: *Ut cognoscerem inpietatem stulti*, in operandis; *et errorem prudentiae*, in credendis; supra primo: « Dedi cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam erroresque et stultitiam ». Expositio litteralis. Primo. Secundo. Tertio.

Secundo describitur ipsa concupiscentiae inventio et ipsius triplex conditio.

Et inveni etc. Descripta est diligens inquisitio; describitur hic *concupiscentiae carnalis inventio*, et hoc quantum ad triplicem conditionem. Primo notatur ipsius concupiscentiae *pronitas*, secundo *generalitas*, tertio *causalitas*. Divisio. Triplex conditio.

(Vers. 27.). Primo igitur tangitur ipsius concupiscentiae vehemens *pronitas*, quia perducit ad maximam amaritudinem sub specie dulcedinis. Ideo dicit: *Inveni amariorem morte mulierem*, et hoc post nefarii operis perpetrationem, ad quod concupiscentia pertrahit; unde Proverbiorum quinto [9]: « Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius ». Ad hoc pertrahit concupiscentia illa, Expositio litteralis. Prima conditio.

---

[1] Vers. 1.
[2] Vers. 9.
[3] Cap. 7, 30.
[4] Cap. 7, 27.
[5] Vers. 22. — Sequuntur Isai. 5, 21. et I. Cor. 3, 18.
[6] Vers. 22.
[7] Vers. 7. — Sequuntur Eccli. 43, 34. et Rom. 11, 33.
[8] Vers. 19. — Subinde allegatur Eccle. 1, 17. — Superius pro *strenuitatem* A *studiositatem*. Inferius C *appetibilibus* pro *appetitibus*, deinde A *operabilibus* pro *operationibus*.
[9] Vers. 3.

quae a muliere habuit ortum et in muliere habet fomentum, quae sua pulcritudine *illaqueat* per *dilectionem;* ideo dicit: *Laqueus est venatorum,* id est daemonum, qui venantur animas hominum. Illaqueat *verbis* et *aspectibus;* Proverbiorum septimo [1]: « Irretivit eum multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum ». Illaqueat *pulcritudine* faciei; Ecclesiastici nono: « Propter speciem mulieris multi pereunt ». Illaqueat etiam *verbis;* unde ibidem: « Colloquium illius quasi ignis exardescit ». Non solum *illaqueat* in *dilectione,* sed etiam *deglutit* in nefario *opere;* unde dicit: *Et sagena cor eius,* cum iuxta votum eius consentitur operi nefario. Haec est sagena diaboli; Habacuc primo [2]: « Totum in hamo sublevavit; traxit illud in sagena sua ». Sed postmodum *ligat* per affectionem; et ideo dicit: *Et vincula manus illius;* Proverbiorum septimo: « Sequitur eam et ignorat, quod ad vincula stultus trahatur ». Ab hac *pronitate* nullus eripitur, nisi qui a Domino iuvatur, tanta est; ideo dicit: *Qui placet Deo effugiet illam,* secundum illud primae ad Corinthios sexto [3]: « Fugite fornicationem »; Sapientiae octavo: « Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det ». *Qui autem peccator est capietur ab illa;* Proverbiorum quinto: « Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur ».

Secunda.

(Vers. 28. 29.). *Ecce, hoc inveni* etc. Hic notatur secundum, scilicet concupiscentiae *generalitas,* cuius rationem videre fuit difficultas; ideo dicit: *Ecce, hoc inveni, dixit Ecclesiastes, unum,* scilicet ipsius concupiscentiae *pronitatem, et alterum,* scilicet ipsius *generalitatem.* — Et laboravi, supple, *ut invenirem rationem, quam adhuc quaerit anima mea;* haec est *ratio* generalitatis concupiscentiae, quare in omnibus est. *Et non inveni,* scilicet proprio ingenio; quia hoc philosophi scire non noverunt; sed tamen *fide* cognovit *rationem* [4] et *experientia* cognovit *effectum,* scilicet generalitatem. Ideo dicit: *Virum unum de mille reperi, et mulierem ex omnibus non inveni;* hyperbole est, et vult dicere, quod paucissimos invenit viros, in quibus concupiscentia non regnaret; sed ipse nullas invenit mulieres; nec mirum, quia Ecclesiastici vigesimo quinto [5]: « Brevis omnis malitia super malitiam mulieris ». — Possemus autem hoc exponere de Christo, qui solus evasit a corruptione concupiscentiae originalis, qui solus fuit « inter mortuos liber ».

Expositio de Christo.

(Vers. 30.). *Solummodo hoc inveni.* Hic notatur tertium, scilicet concupiscentiae *causalitas,* quae quidem non fuit a Deo, sed a primo peccato. Ideo dicit: *Solummodo hoc inveni, quod fecit Deus hominem rectum;* Ecclesiastici decimo septimo [6]: « Deus de terra creavit hominem, et secundum imaginem suam fecit illum ». Et huius signum est rectitudo staturae, quae adhuc manet in corpore. *Et ipse se,* propria scilicet libertate, *infinitis miscuit quaestionibus;* quia recedendo ab uno factus est pronus ad multa et infinita, quia in eis sua concupiscentia non finitur nec satiatur; Proverbiorum trigesimo [7]: « Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod nunquam dicit, sufficit: infernus et os vulvae et terra » etc.

Tertia.

Quaestiones.

I. Dubitari potest de hoc quod hic dicit: *Cuncta tentavi in sapientia;* utrum in hoc fuerit reprehensibilis. Quod sic, videtur:

Pro 1. parte.

1. Per ipsam litteram: *Dixi: Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me.*

2. Item, per illud quod dicitur Ecclesiastici tertio [8]: *In pluribus operibus eius ne fueris curiosus.*

Pro 2. parte.

Contra: 1. *Spiritualis homo iudicat omnia, et ipse a nemine iudicatur* [9]: ergo si Salomon habebat spiritum sapientiae, ergo eius erat de omnibus iudicare.

2. Praeterea, primae ad Thessalonicenses ultimo [10] ait Apostolus: *Omnia probate; quod bonum est tenete:* bonum est igitur tentare omnia.

Resp. cum distinctione.

Respondeo: dicendum, quod *tentare aliquid* est dupliciter: uno modo cognoscere per *experientiam,* sicut cognoscit et tentat quis vinum, quod gustat; alio modo per *examinationem* et *approbationem* et *reprobationem.* Primo modo non sunt tentanda nisi utilia tantum; si autem ampliora quis velit tentare, curiositas est. Secundum autem quod *tentare* idem est quod *examinare,* sic accipit Paulus *probare,* et sic omnia sunt examinanda, non tantum bona et utilia, sed etiam inutilia. Sic dicitur, quod *spiritualis homo omnia iudicat* [11]; sic etiam dicitur: *omnia probate,* id est: omnia examinate, utrum bona vel

---

[1] Vers. 21. — Sequuntur Eccli. 9, 9. et 11.

[2] Vers. 15. — Mox allegatur Prov. 7, 22: Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam et quasi agnus lasciviens et ignorans quod etc.

[3] Vers. 18. — Sequuntur Sap. 8, 21. et Prov. 5, 22, ubi verbo *constringitur* B C D praefigunt *quisque.*

[4] Ita E, B *sed tamen fides cognovit;* C D perperam *nec tamen* etc.; Vat. *non potuerunt, sed tamen fide cognoverunt.*

[5] Vers. 26. — Sequitur Ps. 87, 6: Inter mortuos liber. Cfr. Alcuin., in Eccle. 7, 28. et 29: Omnia diligenter tractando consideravi, ut rationem unius alteriusve rei, id est cuiuscumque rei invenirem, vel etiam inter homines eorumque mores discretionem, quis perfecte bonus esset. Sed ex omnibus viris unum inveni perfecte bonum, id est Christum, sicut Propheta dicit [Ps. 13, 1. 3.]: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Solus Christus sine omni labe peccati inventus est bonus. Millenarius vero numerus pro Sanctorum discretione a peccatoribus, qui mulieris nomine designantur, hoc in loco ponitur. Vir igitur a virtute dicitur, et mulier a mollitie.

[6] Vers. 1. Cfr. supra pag. 36, nota 7, et II. Sent. Prooemium.

[7] Vers. 15. et 16. [8] Vers. 22.

[9] Epist. I. Cor. 2, 15.

[10] Vers. 21.

[11] Glossa *ordinaria* apud Strabum in hunc locum: *Omnia,* non quidem universa, quae continet divina scientia, sed quae ad iustitiam et vitam sufficiunt, id est omnia iudicanda.

mala in *nostris* operibus, de quibus dubitare possumus; sed in operibus *Dei*, de quibus supponere debemus, quod bene sint facta, curiositas est probare vel examinare. Quoniam ergo Salomon extendit suum examen ultra ea quae salutis sunt; ideo curiositas
Ad argg. fuit. Et concedendum est illud. — Auctoritates illae duae intelliguntur de his quae ad salutem spectant et ad se pertinent, sed Salomon ultra processit.

II. Item dubitatur de hoc quod dicit: *Virum de mille unum reperi.* Secundum hoc videtur confirmare haeresim illam, quod nulla mulier salvatur; et hoc nituntur probare haeretici:

1. Quia, si solum salvatum est quod assumsit
Ad oppositum. Christus; et ipse assumsit solum sexum viri: ergo ille solus salvabitur.

2. Et hoc nituntur probare per illud quod dicitur Marci ultimo [1]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit;* non dicit: *quae baptizata* fuerit. Et id ipsum dicitur Ioannis tertio.

Contrarium huius ostenditur: 1. Per illud quod
Fundamenta. dicitur Matthaei vigesimo primo [2]: *Meretrices praecedent vos in regnum Dei.*

2. Item, hoc ostenditur, quia Dominus utrumque sexum recepit, utrumque sanavit corporaliter, utrumque vocavit per Apostolos. Ipse etiam Salomon utrumque laudavit, et de forti muliere Proverbiorum ultimo [3]: *Ridebit in die novissimo.* Quid est ergo quod dicit: *Mulierem ex omnibus non inveni* etc.

Respondeo: dicendum, quod ipse loquitur de
Resp. cum distinctione. generalitate concupiscentiae, et de hac est loqui dupliciter: uno modo quantum ad *propagationem carnalem*, quia ipsa transfunditur; alio modo quantum ad *prosecutionem per actuale peccatum.* Si primo modo, est sermo verus et proprius, quia solus Christus sine peccato conceptus et originale non contraxit. Si secundo modo, sermo est hyperbolicus; et hoc patet, quia non tantum est unus vir bonus et salvandus, immo multi; et dicitur illud quantum ad raritatem eorum qui tempore illo inveniebantur ab actu concupiscentiae immunes.

1. Quod obiiciunt haeretici, quod assumsit sexum
Solutio oppositorum. virilem; respondeo, quod etsi virilem assumsit, attendendum, quod assumsit *de muliere;* quod non fecisset, si ad salutem non pertineret. Praeterea, unius naturae est vir et mulier et unum corpus [4].

2. Quod obiiciunt de Evangelio, quia in *masculino;* dicendum, quod confusum est illud masculinum et stat ibi pro natura, non pro sexu; et frequenter masculinum genus concipit femininum secundum morem Scripturae [5].

Capitulum VIII.

Secundo, contra inventam concupiscentiam datur remedium sapientiae ex quadruplici consideratione.

Quis talis, ut sapiens [6]? Supra descripsit va-
Divisio. nitatem concupiscentiae. Hic contra illam vanitatem intendit dare *sapientiae remedium;* nullus enim eripitur a concupiscentia, nisi qui ambulat cum sapientia [7]. Hortatur igitur in hac parte sapientiae adhaerere ex quadruplici consideratione: primo ex consi-
Quadruplex consideratio. deratione suae *nobilitatis;* secundo, *potestatis;* tertio, *utilitatis;* quarto, *temporis opportunitatis.*

Hortatur igitur sapientiae adhaerere considera-
Consideratio 1. tione suae *nobilitatis*, quae perpenditur in hoc, quod hominem reddit nobilem et gloriosum et quantum ad *aspectum* et quantum ad *verbum.* Et hoc primo proponit *quaerendo*, deinde confirmat *respondendo.*

(Cap. 7. v. 30.). *Quis talis, ut sapiens est?* id
Expositio litteralis. Proponit quaerendo. est, quis ita spectabilis; Sapientiae octavo [8]: « Habebo propter hanc claritatem ad turbas et honorem ad seniores et iuvenes », loquitur de sapientia. Quis ita spectabilis in *verbo?* unde dicit: *Et quis novit solutionem verbi?* supple: nisi sapiens; Sapientiae octavo: « Scit versutias sermonum » etc.; et ideo in dubiis sapiens est reverenter audiendus; ideo Sapientiae octavo: « Facies principum mirabuntur me, tacentem me sustinebunt et loquentem me respicient et sermocinante me plura, manus ori suo imponent ».

(Vers. 1.). Proposuit *quaerendo*, nunc confir-
Confirmat respondendo. mat *respondendo;* ideo dicit: *Sapientia hominis lucet in vultu eius;* Proverbiorum decimo septimo [9]:
Aspectus sapientis. « In facie prudentis lucet sapientia », id est, appareret in operibus eius; Ecclesiastici decimo nono: « Ex

---

[1] Vers. 16. — Ioan. 3, 3: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. — Epiphan., I. adversus Haeres. haeres. 25. sive 45, de Severianis narrat: Mulierem praeterea satanae opus esse dicunt, id quod et Archonticis placuit etc.

[2] Vers. 34. [3] Vers. 25.

[4] Vide Eph. 5, 28. seqq. — Cfr. III. Sent. d. 12. a. 3. q. 1. et 2.

[5] Matth. 25, 34: Venite benedicti Patris mei etc., et v. 41: Discedite a me, maledicti in ignem etc. Cfr. C. *Maiores ecclesiae* (3.) X. de baptismo et eius effectu (lib. III. Decret. Gregor. tit. 42.), ubi dicitur: « Nunc indistincte vox intonat evangelica: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei*, ab hac generalitate nec sexum nec aetatem excludens ». Ad haec verba notat Glossa ibid.: Immo includit, quoniam sub nomine masculino, dum dixit: *Nisi quis renatus fuerit* etc., femina comprehenditur. ff. de verb. signif. lex 1. [Iustinian. lib. L. Dig. tit. 16. lex 1: Verbum hoc *si quis* tam masculos quam feminas complectitur] etc.

[6] Secundum Vulgatam verba *Quis talis... solutionem verbi* pertinent ad c. 7, 30; sed Hieron. in suo Comment. in Eccle. istis verbis incipit c. 8.

[7] Vat. hic addit: *Ideo dicit: Sapientia hominis lucet in vultu eius*, et paulo inferius pro *consideratione* substituit *commendatione.*

[8] Vers. 10: Habebo... et honorem apud seniores iuvenis; ibid. v. 8. et v. 11. (quem Vat. omittit, contradicentibus codd.) 12. sunt duo loci seqq.

[9] Vers. 24. — Sequitur Eccli. 19, 26.

visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus ». Nam sicut bonus cognoscitur in vultu, ita sapiens in operibus [1]. Nec mirum, si est spectabilis in *aspectu*, quia hoc Deus facit; unde dicit: *Et potentissimus faciem illius commutabit.* Potentissimus iste Deus est; Iob trigesimo sexto [2]: « Deus potentes non abiicit, cum ipse sit potens »; et post: « Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus ». Iste *commutat faciem* exteriorem prius commutando interiorem, id est ad se eam convertendo. Facies enim animae est superior portio rationis, qua nata est videre Deum. Hanc faciem commutat solus Deus; Proverbiorum vigesimo primo [3]: « Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud ».

Serba sapientis.

(Vers. 2.). Non tantum est spectabilis sapiens quantum ad *aspectum*, sed etiam quantum ad *verbum* per sapientiam; in cuius persona dicit: *Ego os regis observo*, dicit sapientia. *Rex* iste Deus est, de quo primae ad Timotheum ultimo [4]: « Beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium ».

ristus os regis.

Os istius Regis Filius Dei est, per quem nobis loquitur; ad Hebraeos primo: « Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio ». *Os* igitur *regis observare* est verbum Filii Dei diligenter intendere; Lucae undecimo: « Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud ». Sapientia igitur dicit: *Ego observo*, et observare facio, iuxta illud Deuteronomii sexto: « Observa, ut facias quae praecepit tibi Dominus, et bene sit tibi ». Et explanat, in quibus observat, quia in mandatis, ideo dicit: *Et praecepta iuramenti Dei*, quae scilicet ex ore eius procedunt. Et *observo*, scilicet *praecepta iuramenti Dei; praecepta iuramenti* dicuntur, quia firma et inviolabilia; Matthaei vigesimo quarto [5]: « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt ». Vel: ideo *praecepta iuramenti*, quia cum pacto et iureiurando data sunt; Exodi vigesimo quarto: « Moyses sanguinem sumtum respersit in populum, dicens: Iste est sanguis foederis Domini super cunctis sermonibus istis ».

Considera-tio 2.

(Vers. 3. 4.). *Ne festines* etc. Hic secundo hortatur adhaerere sapientiae consideratione *suae potestatis*, cum dicit: *Ne festines recedere a facie eius*, id est, noli declinare ab eius voluntate; et hoc propter peccatum cordis, quasi te abscondas ab eo. De hoc recessu Deuteronomii trigesimo secundo [6]: « Dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo ». Ne igitur recedas *a facie eius*, volens latere in malo; Ecclesiastici decimo sexto: « Non dicas: A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur »? Sicut Cain, qui dixit Domino: « Ecce, eiicis me hodie a facie tua, et a facie tua abscondar ». Et si contingat recedere, noli permanere in malo; ideo subdit: *Neque permaneas in opere malo;* Ecclesiastici quinto: « Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem ». Et ratio huius est consideratio divinae potestatis, quia facit *omnipotenter: Quia omne, quod voluerit, faciet;* Psalmus [7]: « Omnia, quaecumque voluit, fecit »; et Isaiae quadragesimo sexto: « Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet ». — Facit etiam *facile;* ideo dicit: *Et sermo illius potestate plenus est;* Psalmus: « Vox Domini in virtute, vox Domini confringentis cedros »; et Ieremiae trigesimo secundo: « Non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus ». Facit etiam *irreprehensibiliter: Nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?* Ad Romanos nono: « Tu quis es, qui respondeas Deo »?

Ratio.

Tria attribuuntur operibus Dei.

Considera-tio 3.

(Vers. 5.). *Qui custodit praeceptum* etc. Hic tertio hortatur adhaerere sapientiae consideratione *nostrae utilitatis.* Magna enim utilitas est ei adhaerere et ipsius mandata servare. Propter quod dicit: *Qui custodit praeceptum non experietur quidquam mali;* immo multa habebit bona; Matthaei decimo nono [8]: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata »; et Ioannis octavo: « Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos ».

Considera-tio 4.

(Vers. 5. 6. 7. 8.). *Tempus et responsionem* etc. Hic quarto hortatur ad servandum mandata divinae sapientiae consideratione *opportunitatis temporis*, quam sapiens homo considerat in suis operibus. Propter quod dicit: *Tempus et responsionem cor sapientis intelligit;* intelligit *tempus*, quo operari oportet; ad Ephesios quinto [9]: « Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt ». Non solum *tempus*, sed etiam *responsionem in tempore;* ad Colossenses quarto: « In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo vos oporteat unicuique respondere ». — Et bene facit sapiens, qui tempus opportunum conside-

---

[1] Hanc propositionem supplevimus ex E.

[2] Vers. 5. (ubi Vulgata voci *ipse* praefigit *et*) ac 22.

[3] Vers. 1. — De superiore portione rationis cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 4. seqq. Gregor., X. Moral. c. 15. n. 27: Interna quippe facies hominis mens est, in qua nimirum recognoscimur, ut ab auctore nostro diligamur.

[4] Vers. 15. — Sequuntur Hebr. 1, 1. 2; Luc. 11, 28. et Deut. 6, 3.

[5] Vers. 35. — Inferius allegatur Exod. 24, 8, ubi Vulgata habet *et ait* pro *dicens;* et deinde post *sanguis foederis* ita prosequitur: *quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.*

[6] Vers. 15. — Sequuntur Eccli. 16, 16; Gen. 4, 14. (de Cain); Eccli. 5, 8.

[7] Psalm. 113, 11. — Sequuntur Isai. 46, 10; Ps. 28, 4. et 5, ubi post *virtute* Vulgata addit *vox Domini in magnificentia;* Ier. 32, 17. 18. et Rom. 9, 20.

[8] Vers. 17. — Sequitur Ioan. 8, 31. et 32: *Si vos manseritis* etc.

[9] Vers. 15. et 16. — Seq. locus est Col. 4, 5. et 6.

rat; quod probat, cum infert: *Omni negotio,* hoc est in omni negotio, *tempus est et opportunitas et multa hominis afflictio,* supple: in diligenter haec considerando; supra tertio [1]: « Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub sole ». Est enim opportunitas temporis ad *studendum;* Ecclesiastici trigesimo octavo: « Sapientiam scribe in tempore vacuitatis ». Est etiam opportunitas ad *orandum;* Psalmus: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi ». Est etiam opportunitas temporis ad *bene faciendum;* ad Galatas sexto: « Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes ». — Et haec opportunitas est in praesenti tempore; et hanc ostendit esse in praesenti tempore, ostendens futurum tempus periculosum, quia non potest *praevideri;* unde dixit: *Qui* [2] *ignorat praeterita et futura nullo potest scire nuntio,* quia multo minus possunt sciri futura quam praeterita; supra septimo: « Quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sit »? — Non potest etiam *prohiberi,* unde dicit: *Nec est in hominis ditione,* id est potestate, *prohibere spiritum,* scilicet exeuntem, quia nemo potest prohibere, quin veniat tempus mortis. Et hoc explanat subdens: *Nec habet potestatem in die mortis;* Iob decimo quarto: « Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt ». Non potest *declinari;* unde dicit: *Nec sinitur quiescere, ingruente bello,* scilicet in die iudicii; Sapientiae quinto [3]: « Pugnabit pro eo orbis terrae contra insensatos ». Quod bellum non poterunt declinare mali; undé Apocalypsis sexto dicent montibus: « Cadite super nos » etc.; quia tunc « peribit fuga ». Non potest etiam *dissimulari,* ideo dicit: *Non salvabit impietas impium,* quasi possit simulare se bonum; Iob trigesimo sexto: « Non salvat impios, et iudicium pauperibus tribuit »; et Proverbiorum undecimo: « Non proderunt thesauri in die ultionis; iustitia liberabit a morte »; ideo Iob decimo: « Si impius fuero, vae mihi est ».

Opportunitas ad tria.

Rationes 4 periculi.

Quaestiones.

I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Observo praecepta iuramenti Dei:* ergo Deus iurat.

Contra: 1. Matthaei quinto [4]: *Sit sermo vester: est, est; non, non:* ergo *quod amplius est a malo est.* Ergo si perfectis non convenit iurare; et nihil convenit Deo, nisi quod est summae perfectionis: ergo iurare non *decet* Deum.

Ad oppositum.

2. Praeterea ostenditur, quod *superfluat:* quia Deus non potest mentiri [5], ergo aeque verum est simplex verbum Dei, ut iuramentum.

3. Item videtur, quod *non possit* iurare: quia *iurare* est aliquem in testem et robur adducere; sed Deus non habet alium, per quem possit confirmare: ergo nec iurare.

Respondeo: dicendum, quod *iuramentum finis est omnis controversiae* [6], et est assertio pura et firma, qua nulla firmior esse potest, et hoc ad faciendam certam fidem. Sic igitur, quando nos volumus certam facere fidem audienti, iuramus; sic Deus nostrae infirmitati condescendens iurat quidem, ut nostram fidem reddat solidam.

Resp.

1. Quod obiicitur ergo, quod a malo est; exponitur, quod est a malo *poenae,* non iurantis, sed eius cui fit iuramentum, id est propter dubietatem eius [7]. — Aliter tamen dicendum, quod Dominus non prohibet ibi iuramentum tanquam malum; sed quia homines sunt proni ad dicendum falsum, prohibet pronitatem ad iurandum passim, ne aliquando simul incidant in mendacium et iuramentum in Dei contemptum; et quia Deus mentiri non potest, non habet haec ratio locum in Deo.

Solutio oppositorum.

Melior solutio.

2. Quod obiicitur, quod non potest mentiri; dico, quod etsi iuramentum in Deo non [8] addat super assertionem simplicem secundum rem, addit tamen secundum nostram appretiationem, quia firmior fit nobis fides; et ostenditur ad nos mira dignatio.

3. Quod obiicitur, quod non potest alium adducere; dico, quod sicut ipse sibi testis est, quia sua veritas; ita ipse per semetipsum iurat [9]; et est optimum testimonium, quia lux se et alia manifestat.

II. De hoc etiam est dubitatio, quia dicit: *Qui custodit praeceptum non experietur quidquam mali.*

Contra: infra eodem [10]: *Sunt iusti, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum.*

---

[1] Vers. 1. — Sequuntur Eccli. 38, 25: Sapientia scribae in etc. (Card. Hugo a S. Charo et Lyranus: Sapientiam scribe in etc.); Ps. 118, 62. et Gal. 6, 10.

[2] Vulgata *Quia.* — Sequuntur Eccle. 7, 1. et Iob 14, 5.

[3] Vers. 21: Et pugnabit cum illo orbis etc. Dein respicitur Amos 2, 14; sequuntur Apoc. 6, 16; Iob 36, 6; Prov. 11, 4, ubi Vulgata *divitiae* pro *thesauri;* Iob 10, 15.

[4] Vers. 37. Vulgata *his abundantius* pro *amplius.*

[5] Hebr. 6, 18: Impossibile est, mentiri Deum.

[6] Hebr. 6, 16: Homines enim per maiorem sui iurant, et omnis controversiae eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum; ibid. v. 17: In quo abundantius volens Deus pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui ostendere, interposuit iusiurandum.

[7] August., I. de Serm. Domini in monte, c. 17. n. 51: Itaque non dixit: Quod autem amplius est, *malum est;* tu enim non malum facis, qui bene uteris iuratione... sed *a malo est,* illius cuius infirmitate iurare cogeris. Ibid. etiam seq. solutio insinuatur; cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIX. c. 4. et ibid. Comment. a. 2. q. 1.

[8] Supplevimus, contextu exigente, *in Deo non,* quod codd. omittunt; Vat. legit: *quod etsi iuramentum addat super assertionem simplicem, secundum rem addit, non tamen* etc. Inferius pro *appretiationem* [Vat. et codd. *approximationem*] A *acceptionem.*

[9] Hebr. 6, 13: Quoniam [Deus] neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum. — Cfr. de hac quaestione Alex. Hal., S. p. III. q. 31. m. 2. a. 5.

[10] Vers. 14.

Respondeo: est experiri malum, quod *permanet*, et malum, quod *transit;* et loquitur de experientia mali hic, quod semper *manet*, non eius quod *transit*[1]. Resp. cum distinctione.

III. Quaestio etiam est de hoc quod dicit: *Qui custodit praeceptum* etc.

1. Cum multa sint praecepta custodienda, quare dicit praeceptum singulariter? Ad oppositum.

2. Praeterea, possibile est, aliquem servare praecepta divina timore, sicut servabant Iudaei; et tamen tales non salvantur.

Respondeo: dicendum, quod etsi praecepta multa sint per diversitatem operis; tamen unitatem habent et in comparatione ad *mandantem* et in comparatione ad *observantem* et in comparatione ad *finem*. Ad *mandantem*, quia unus est, qui praecipit; et ideo qui transgreditur unum mandatum non potest esse obediens mandanti, quia unus est qui mandat. — In comparatione ad *observantem* est unitas, quia uno principio et regulante omnia observat, scilicet caritate, quae omnia vincit. Unde sicut caritas aut omnes diligit, aut nullum; sic omnia mandata observat, aut nullum. — In comparatione ad *finem* est unitas, quia praemium unum debetur, et pro uno praemio sunt observanda. Quia ergo ista triplex concurrit unitas in debita observantia mandatorum, ideo recte dicit: *Qui custodit praeceptum*[2] etc. Resp. Triplex unitas praeceptorum.

Art. 2. *De secunda peccati occasione, quae est vanitas securitatis, agitur dupliciter.*

Omnia haec consideravi. Egit supra de vanitate *pronitatis;* hic agit de vanitate *securitatis;* et quoniam haec vanitas periculosa est, quia impellit hominem ad culpam, sive ipsum impulsum detinet; ideo primo ponitur *vanitas;* secundo, *vanitatis remedium*, ibi: *Qui fodit foveam incidet in eam*, infra decimo[3]. Divisio.

Primo ostenditur vanitas securitatis secundum duplicem eius ortum.

Securitas oritur dupliciter: primo scilicet ex apparentia defectus *retributionis iustae;* secundo, ex apparentia defectus *regiminis providentiae*, et hoc secundum tangitur ibi: *Verti me ad alia et vidi nec velocium* etc., infra nono[4]. Divisio.

Primo securitas oritur ex apparentia defectus retributionis iustae; quae apparentia triplici ratione producitur.

Retributio autem iustitiae apparet *deficere* propter *malorum exaltationem*, propter *bonorum depressionem*, propter *utrorumque indistinctionem;* sunt igitur hic tres partes. Primo ostenditur, quomodo securitatis vanitas oritur ex *promotione malorum;* secundo, quomodo ex *depressione bonorum*, ibi[5]: *Est et alia vanitas, quae fit super terram* etc.; tertio, quomodo oritur ex *indistinctione istorum et illorum*, ibi: *Et apposui cor meum, ut scirem sapientiam* etc. Divisio.

Primo, de malorum exaltatione.

Ortus igitur securitatis ex *malorum exaltatione* hoc ordine describitur. Primo insinuatur *malorum sublimitas;* secundo vero, quomodo ex hoc oritur impiis *securitatis vanitas;* tertio, quomodo ex hoc elicitur *bonorum utilitas.* Divisio.

(Vers. 9. 10.). Primo igitur insinuatur *malorum sublimitas*, quam consideravit Ecclesiastes sua diligenti consideratione. Propter quod dicit: *Omnia haec consideravi*, supple: quae praedixi prius. *Et dedi cor meum in cunctis operibus, quae fiunt sub sole*, ut omnia considerarem; supra primo[6]: « Dedi cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam erroresque et stultitiam ». Et in hac consideratione vidit ipse malorum sublimationem et in *potentia* et in *fama*. Quantum ad sublimationem in *potentia* dicit: *Interdum dominatur homo homini in malum suum*, videlicet quando malus praeest, quia bonus in bonum suum, cum bene praeest; unde primae ad Timotheum tertio[7]: « Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat »; sed malus in malum suum; unde Ecclesiastici septimo: « Non alliges tibi peccata duplicia; nec enim in uno eris immunis ». Malus praelatus alligat sibi peccata duplicia. — Quantum ad sublimationem in *fama* dicit: *Vidi impios sepultos*, scilicet *profunditate desperationis;* Proverbiorum decimo octavo[8]: « Impius cum in profun- Expositio litteralis. De primo. Duplex sublimatio. Prima. Secunda.

---

[1] Salonius (Viennensis episc. claruit an. 453), in Eccle. exposit. mystica (Migne, Patrol. Lat. tom. LIII. col. 993 seqq.) hunc locum ita explicat: « Verum est, quia qui praecepta Dei custodit... non experietur quidquam mali in *futuro*, hoc est, nullum malum patietur, nullum malum sustinebit in die iudicii. Quamvis enim aliqua mala patiatur in hac vita, levia sunt et transitoria, in futura autem vita nihil mali patietur qui pervenerit ad aeternae beatitudinis gloriam ». Idem docet Rupertus, abbas Tuitiensis, in hunc locum: Non dixit: Non patietur, sed *non experietur* etc.

[2] Cfr. infra 9, 18. et 10, 1. quaest. I. Vide etiam III. Sent. d. 36. q. 4. ad 1. et 2, ubi in notis adiectis testimonia auctorum hac de re loquentium allegata sunt.

[3] Vers. 8.

[4] Vers. 11: Verti me ad aliud et vidi sub sole nec velocium etc.

[5] Cap. 8, 14; ibid. v. 16. est seq. locus.

[6] Vers. 17.

[7] Vers. 1. — Sequitur Eccli. 7, 8: Neque alliges duplicia peccata etc. — E codd. supplevimus *quia bonus in bonum suum, cum bene praeest.*

[8] Vers. 3. — Seq locus est Matth. 8; 22: Sequere me et dimitte mortuos etc. (Luc. 9, 60: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos). Gregor., IV. Moral. c. 27. n. 52: Mortui enim mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt. Quid enim aliud est peccare quam occumbere, et sepelire quam abscondere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur exstinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.

dum venerit peccatorum, contemnit». Vel: *sepultos, aggere adulationis;* Matthaei octavo: « Sine, mortuos sepelire mortuos suos »; Gregorius: « Mortuus mortuum sepelit, cum aggere adulationis premit ». Vel: *sepultos, continuatione transgressionis* usque ad mortem, quasi dicat: qui in malitia sepulti et in malitia mortui fuerunt, secundum quod dicitur frequenter; tertii Regum decimo sexto [1]: « Mortuus est in peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Israel »; et secundum quod Dominus dicit Iudaeis Ioannis octavo: « Vos in peccato vestro moriemini ». Tales impios vidit exaltatos in fama; ideo dicit: *Qui etiam, cum adhuc viverent,* supple: in sua malitia, *in loco sancto erant,* id est in dignitate quasi sancti, sicut et antichristus, de quo Matthaei vigesimo quarto: « Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto » etc. *Et laudabantur in civitate quasi iustorum operum.* Et sic erant magni in fama; Psalmus [2]: « Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae »; et Proverbiorum vigesimo octavo: « Qui derelinquunt legem laudabant impium; qui autem custodiunt » etc.

(Vers. 10. 11.). *Sed et hoc vanitas.* Tangitur
De secundo. hic secundum, scilicet *securitatis vanitas;* quia ex hoc, quod mali non puniuntur, alii securi redduntur; ideo dicit: *Sed et hoc vanitas,* id est causa vanitatis. — Et hoc ostendit: *Etenim, quia non profertur cito contra malos sententia,* sed benigne exspectantur, secundum quod dicitur secundae Petri tertio [3]: « Non tardat Dominus promissionem, sed patienter agit propter vos, nolens, aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti ». Et *absque timore ullo filii hominum perpetrant mala,* et ita securi sunt, quia nihil cogitant nec timent de futuris; Proverbiorum vigesimo octavo [4]: « Viri mali non cogitant iudicium », quia scilicet nunc non puniuntur; Isaiae vigesimo sexto: « Misereamur impio, et non discet iustitiam » etc.

(Vers. 12. 13.). *Attamen peccator* etc. Tangitur
De tertio. hic tertium, quomodo ex hoc elicitur *bonorum utilitas,* quia ex hoc cognoscunt boni divinam misericordiam et exercitantur in iustitia. Propterea dicit: *Attamen peccator,* et debet construi sic littera: *Attamen ex eo, quod peccator centies facit malum,* id est multoties, secundum illud Ieremiae secundo [5]: « Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas ». *Et per patientiam sustentatur,* scilicet Dei, secundum illud ad Romanos secundo: « An ignoras, quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit » ? Unde Threnorum tertio: « Misericordia Domini, quia non sumus consumti ». *Ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum,* id est a malo declinantibus; Proverbiorum decimo sexto [6]: « In timore Domini declinatur a malo ». *Qui verentur faciem eius,* et ob eius reverentiam peccare non audent, secundum quod Iob trigesimo primo dicit de se: « Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui ». Sed ista utilitas divinae misericordiae et patientiae non se extendit ad malos; et ideo utilius est eis mori quam vivere. — Ideo dicit: *Non sit bonum impio;* hoc non dicit optando, sed praedicendo, sicut illud Psalmi [7]: « Convertantur peccatores in infernum ». *Non sit bonum,* scilicet gloriae; Isaiae vigesimo sexto: « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei ». Non sit etiam bonum praesentis vitae; ideo addit: *Nec prolongentur dies eius,* id est, non prolongabuntur; Proverbiorum decimo [8]: « Anni impiorum breviabuntur »: et in Psalmo: « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos ». *Sed quasi umbra transeant qui non timent faciem Domini.* Et revera tanquam umbra transeunt; unde in Psalmo: « Vidi impium superexaltatum », et post: « Transivi, et ecce, non erat »; unde in persona impiorum, Sapientiae quinto: « Transierunt haec omnia velut umbra et tanquam nuntius praecurrens et tanquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam ».

Quaestiones.

I. Quaeritur hic de hoc quod dicit: *Interdum dominatur homo homini;* utrum homo possit iuste homini dominari. Quod sic, videtur:

1. Quia ad Romanos decimo tertio [9]: « *Non est* Fundamenta.
potestas nisi a Deo; et Apostolus dicit, quod serviendum est dominis, non tantum propter timorem, *sed etiam propter conscientiam;* ergo si omne, quod est a Deo, est iustum, ergo hominem habere potestatem super hominem, est iustum.

2. Praeterea, si conscientia non dictat homini nisi iustum, cum est recta; et hoc dictat, ut dicit Apostolus [10]: ergo iustum est, hominem homini esse subditum.

3. Item Apostolus dicit ad Ephesios sexto [11]: *Servi, obedite dominis carnalibus;* sed Apostolus non hortatur nec praecipit nisi iustum: ergo etc.

---

[1] Vers. 18. et 19. Vulgata plura interserit. — Sequuntur Ioan. 8, 21. et Matth. 24, 15, ubi post *desolationis* Vulgata addit *quae dicta est a Daniele propheta.*

[2] Psalm. 10, 3. (sive 9, 24.). — Sequitur Prov. 28, 4. Vulgata *laudant* pro *laudabant* et omittit *autem.*

[3] Vers. 9. Vulgata post *promissionem* addit *suam, sicut quidam existimant,* et pro *aliquem* substituit *aliquos.*

[4] Vers. 5. — Seq. locus est Isai. 26, 10.

[5] Vers. 36. — Sequuntur Rom. 2, 4. et Thren. 3, 22.

[6] Vers. 6. D E F citant: *Psalmus: In timore Domini omnis declinat* [F declina] *a malo.* — Seq. locus est Iob 31, 23.

[7] Psalm. 9, 18. — Sequitur Isai. 26, 10: Misereamur impio... iniqua gessit et non videbit gloriam Domini.

[8] Vers. 27. — Sequuntur Ps. 54, 24; Ps. 36, 35. et 36; Sap. 5, 9. et 10.

[9] Vers. 1; ibid. v. 5: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

[10] In praecedente nota allegatus.

[11] Vers. 5. Aliter legunt B C D F: *Servite et obedite per omnia dominis vestris carnalibus.* Unitus est citato loco alter, Col. 3, 22: Servi, obedite per omnia etc.

CONTRA: 1. Homines sunt aequales natura [1], ergo quod unus alteri praesit, hoc est contra naturam; sed omne, quod est contra naturam, est peccatum: ergo etc. — Ad oppositum.

2. Item, omnes homines sunt liberi per naturam, ergo quando homo efficitur servus, hoc est per usurpationem [2]; sed omne usurpatum est peccatum: ergo peccatum est homini dominari.

Respondeo: dicendum, quod homo potest homini iuste dominari; quod patet, quia Noe divina auctoritate filium suum Chanaan fecit servum fratrum [3]; similiter Isaac fecit de Esau et Iacob. — Resp.

1. 2. Quod ergo obiicitur de hoc, quod est contra naturam, et quod omnis homo est liber; intelligendum, quod duplex est status, scilicet naturae *destitutae* et naturae *institutae*. Quantum ad statum naturae *institutae* etsi omnes essent liberi et aequales, et non esset dictum hominibus, quod praeessent nisi solis brutis [4]; tamen quantum ad statum naturae *corruptae* aliter est. — Quia enim alii aliis sunt peiores et mali, ideo iusto Dei iudicio in se et posteris servi fiunt. — Alia etiam ratio est dominandi, scilicet propter cohibitionem malorum; si enim non esset potestas temporalis, quilibet faceret quod sibi rectum videretur, et ita esset scissio iniquitatis, et quilibet ad votum peccaret. Et sic iuste potest esse dominium et servitus in hominibus. — Utrum autem mali iuste possint praeesse bonis, quaeretur infra [5]. — Solutio oppositorum. Duplex status. Ratio 1. Ratio 2. Nota.

II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Impius centies peccat et sustentatur;* utrum sit *benignitatis*, vel *severitatis*. Quod *benignitatis*, videtur:

Threnorum tertio [6]: *Misericordia Domini, quia non sumus consumti.* — Praeterea, Apostolus ad Romanos secundo [7]: *Ignoras, quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* — Pro parte 1.

SED CONTRA: Impius, quanto plus vivit, tanto plura mala facit, et quanto plura mala facit, tanto cruciabitur acrius: ergo si citius moreretur, melius esset ei: ergo quod dies elongantur sibi, potius est in malum quam bonum: ergo severitatis. — Pro parte 2.

Respondeo: dicendum, quod quidam sunt impii, quos praevidit Deus ad se reversuros; talibus vitae dilatio est effectus magnae misericordiae, apertae et occultae. Alii sunt, quos praevidit peccata multiplicaturos et in eis morituros; et talibus prolongare *iustitiae* est et *misericordiae: misericordiae*, quia differtur eis poena crudelis; sed *occultae iustitiae*, quia permittitur ei *qui in sordibus est, quod sordescat adhuc* [8]; meruit enim ideo prolongationem vitae, quantum ad hoc severitatis occultae. — Resp. cum distinctione.

Secundo, de bonorum adversitate.

Est et alia vanitas etc. Supra ostendit, quomodo oritur securitas ex aspectu sublimitatis malorum; hic secundo ostendit, quomodo oritur ex *aspectu adversitatis bonorum*. Et hoc quidem facit hoc ordine. Primo proponitur *bonorum adversitas;* secundo, ex hoc *malorum securitas;* tertio concluditur *vanitas;* quarto commendatur *voluptas*. — Divisio.

(Vers. 14.). Proponitur igitur *bonorum adversitas*, ex qua oritur vanitas; propter quod dicit: *Est et alia vanitas, quae fit super terram*, alia scilicet a praedicta, quia aliam habet causam; praedicta enim veniebat ex *malorum sublimitate*, haec ex *bonorum adversitate*. Ideo dicit: *Sunt iusti, quibus mala proveniunt*, id est adversitates; *quasi opera egerint impiorum*, secundum quod habetur ad Hebraeos undecimo [9]: « Sancti ludibria et verbera experti sunt, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt ». Exemplum de Tobia, qui fuit factus caecus, Tobiae secundo; exemplum de Iob, qui fuit ita afflictus, Iob primo. Et ratio huius redditur Iudith octavo: « Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles ». — De primo.

Et sunt impii. Hic notatur secundum, scilicet *malorum securitas*. Quia enim impii vident, bonis mala succedere et sibi bona; ideo securi redduntur. Ideo dicit: *Et sunt impii, qui ita securi fiunt, quasi iustorum facta habeant;* et hoc, quia sunt a tribulatione immunes. Exemplum est de illo divite epulone, Lucae decimo sexto [10], cui dictum est: « Memento, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ». Et ideo mali assecurantur, quia prosperantur; unde Ieremiae duodecimo: « Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui praevaricantur » etc. — De secundo.

Sed et hoc vanissimum. Hic tertio *concluditur vanitas* ex hac malorum securitate. Ideo dicit: *Sed et hoc vanissimum iudico.* Vanum est enim, quando bonis et malis proveniunt *bona*, quia indignum pro- — De tertio.

---

[1] Gregor., XXI. Moral. c. 15. n. 22: Omnes homines natura aequales genuit. Cfr. ibid. XXVI. c. 26. n. 46.

[2] Iustinian., I. Institut. imper. tit. 3. lege 1: Et libertas quidem... est naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur. Servitus autem est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur.

[3] Gen. 9, 25: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Ibid. 27. 29: Et serviant tibi [Iacob] populi etc. — Verba: *Respondeo... dominari* Vat., contradicentibus codd., transposuit inferius post *Iacob*.

[4] Gen. 1, 26: Et ait: Faciamus hominem... et praesit piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis etc. — Vat. legit: *et non esset dominium hominibus, quo praeessent* etc. Inferius ex E substituimus *cohibitionem* pro *cohabitationem*.

[5] Cap. 10, 1-5. quaestio I. — De praecedente quaestione cfr. II. Sent. d. 44. a. 2. q. 1. et 2.

[6] Vers. 22.

[7] Vers. 4.

[8] Apoc. 22, 11. Cfr. I. Sent. d. 40. a. 4. q. 2. et d. 46. q. 3. ad 4.

[9] Vers. 36. et 37. — Inferius respiciuntur Tob. 2, 11; Iob 1, 13. seqq. et Iudith 8, 23.

[10] Vers. 25. — Seq. locus est Ier. 12, 1.

pter malos; vanius, quando bonis et malis *mala*, quia iniustum propter bonos; sed vanissimum, quando *bonis* mala et *malis* bona, quia iniustum pariter et indignum. Unde ita indignanter fert, ut quasi ex hoc velit Deum arguere; Habacuc primo [1]: « Quare non respicis super iniqua agentes et taces, devorante impio iustiorem se » ?

(Vers. 15.). *Laudavi igitur laetitiam.* Hic quarto ex hoc *commendatur voluptas* in detestationem tantae vanitatis, ex quo malis bona, et bonis mala proveniunt; et est laus et verbum hominis perturbati. Ideo dicit: *Laudavi igitur laetitiam*, scilicet carnis, quasi haec sola sit bona; ideo dicit: *Quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet et biberet*, secundum illud Isaiae vigesimo secundo [2]: « Ecce, gaudium et laetitia iugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum », quasi non sit alia vita nec aliud praemium. Ideo subiungit: *Et hoc solum aufert secum de labore suo*, quasi non sit aliud exspectandum, sed laetandum *in diebus vitae suae, quos dedit ei Deus sub sole;* Sapientiae secundo: « Ubique relinquamus signa laetitiae nostrae, quoniam haec est pars nostra ».

De quarto.

Quaestiones.

Potest hic quaeri, quis status sit melior et utilior; utrum scilicet status prosperitatis, an adversitatis. Quod *adversitatis*, videtur:

1. Quia dicitur Apocalypsis tertio [3]: *Ego quos amo arguo et castigo:* ergo tribulatio est signum divini amoris.

De parte 1.

2. Item dicitur ad Hebraeos duodecimo [4]: *Flagellat autem omnem filium, quem recipit:* ergo *flagellari* est signum divinae filiationis.

3. Item, Tobiae duodecimo [5]: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te:* ergo etc.

4. Item, Iudith octavo [6]: *Omnes, quotquot placuere Deo, per multas tribulationes transierunt fideles:* ergo status ille melior.

Contra: 1. Ecclesia petit pacem [7]: « Da pacem, Domine, in diebus nostris »: ergo si Ecclesia petit quod melius est, status prosperitatis est melior.

De parte 2.

2. Item, Apostolus, primae ad Timotheum secundo [8], facit orari pro his *qui sunt in sublimitate constituti, ut quietam et tranquillam vitam agamus:* ergo status tranquillitatis est melior.

3. Item, si non esset peccatum, nulla esset adversitas, sed omnimoda tranquillitas et prosperitas: ergo status prosperitatis magis consonat statui innocentiae et gloriae; sed « quod similius est meliori est melius [9] »: ergo etc.

Respondeo: dicendum, quod status prosperitatis et adversitatis possunt comparari ad *bonos*, vel ad *malos*. Si ad *malos*, qui elevantur in prosperis et deiiciuntur in adversis, neuter est utilis, nisi divina gratia interius adiuvet, ut, quando flagellat exterius, illuminet interius; sic [10], inspiratione concomitante flagellum, quod saepe contingit, status adversitatis est malis utilior. — Si autem loquimur per comparationem ad *bonos;* sic dicendum, quod boni quidam sunt *perfecti*, de quibus dicitur illud Proverbiorum duodecimo [11]: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit;* sic perfectis melior et utilior est status adversitatis, quia in eo examinantur, sicut aurum probatur in igne. Status autem prosperitatis non est eis utilis, aut quia non proficiunt, aut quia tepescunt, aut quia animi eorum decidunt, sicut David in bellis fortis in aspectu mulieris cecidit. — Sunt et alii, qui sunt *imperfecti*, qui diligunt Deum et inducuntur per temporalia beneficia; et cum non habeant caritatem perfectam, de facili cadunt; talibus prosperitas est utilior. Et quia Ecclesia multos habet tenellos et infirmos plures quam fortes, ideo cogitur orare pro pace. Quod ergo *bonis* mala eveniunt in praesenti, donum Dei est, iuxta illud ad Philippenses primo [12]: *Datum est vobis non solum, ut in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini.*

Resp. cum distinctione.

Quoad malos.

Quoad bonos perfectos.

Quoad bonos imperfectos.

Tertio, de indistinctione bonorum et malorum, de qua agitur dupliciter.

Et apposui cor meum etc. Ostensum est, quomodo vanitas securitatis oritur ex *sublimatione malorum* et etiam ex *depressione bonorum*. Hic tertio ostenditur, quomodo oritur ex *indistinctione horum et illorum*. Quia enim mali non possunt distingui a bonis, ideo sunt securi; et quoniam haec securitas ortum habet ex huiusmodi indistinctione, et ipsa etiam est principium voluptatis; ideo habet pars ista duas partes. Primo ostenditur, quomodo ex indistinctione oritur *securitas;* secundo, quomodo ex securitate *voluptas*, ibi [13]: *Nemo est, qui semper vivat* etc.

Divisio.

---

[1] Vers. 13: Quare respicis etc. (Card. Hugo a S. Charo: Quare *non* respicis etc.).

[2] Vers. 13. Verbo *iugulare* Vulgata praemittit *occidere vitulos et.* — Sequitur Sap. 2, 9.

[3] Vers. 19. — Superius pro *Potest hic quaeri* E *Praeterea* [*propterea?*] *hic quaeritur.*

[4] Vers. 6.

[5] Vers. 13.

[6] Vers. 23: Omnes, qui placuerunt Deo etc.

[7] In antiphona Breviarii Rom. pro pace.

[8] Vers. 1. et 2.

[9] Aristot., III. Topic. c. 2.

[10] In B additur *divina.*

[11] Vers. 21. — I. Petr. 1, 6. seq.: Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem etc. — De David cfr. II. Reg. 11, 1. seqq.

[12] Vers. 29: Quia vobis donatum est pro Christo non solum... sed ut etiam etc. — Superius post *Sunt et alii* A prosequitur *qui ad diligendum Deum inducuntur per* etc.

[13] Cap. 9, 4.

Primo ostenditur, quomodo inde nascitur securitas.

Primum ergo hoc ordine describitur: primo ergo notatur discernendi *cassa sollicitudo;* secundo vero, *discretionis incertitudo;* tertio, *incertitudinis ratio;* quarto notatur ex hoc *vanae securitatis origo.*

Notantur tria.

(Vers. 16. 17.). Insinuatur igitur primo discernendi *cassa sollicitudo*, quae sollicitudo fuit *diligens;* unde dicit: *Et apposui cor meum*, id est, intellectum applicui; *ut scirem sapientiam*, quantum ad invisibilia, *et intelligerem distinctionem eorum quae versantur in terra*, quantum ad visibilia, quia ad Romanos primo [1]: « Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur ». Et ista sollicitudo *cassa* est, quia, quantumcumque homo laboret, non potest invenire; ideo subdit: *Est homo, qui diebus et noctibus somnum non capit oculis*, immo laborat continue ad inquirendum; supra tertio: « Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea »; et subdit: « Cuncta fecit bona et mundum tradidit disputationi eorum »; et licet tantum laboret, nihil proficit. — Ideo subdit: *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum*, scilicet operum, *quae fiunt sub sole;* Ecclesiastici quadragesimo tertio [2]: « Ne laboretis, non enim comprehendetis ». *Et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniet;* unde in Psalmo: « Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus », id est elongabitur; Augustinus: « Altus est Deus; elevas te, et fugit a te; humilias te, et venit ad te ». *Etiam si dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire*, id est, si se credat scire, minus intelligit, quia dicitur ad Romanos primo [3]: « Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt »; supra septimo: « Dixi: sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me ». Et repetit sollicitudinem, addens, quod fuit *curiosa;* adhibere enim sollicitudinem, ubi non est utilitas, est curiositas [4].

Primum.

Ideo dicit: *Omnia haec tractavi in corde meo, ut intelligerem curiose* [5]; et hoc reprehenditur Ecclesiastici tertio [6]: « In supervacuis rebus noli scrutari multum, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus ». Et sic patet distinguendi sollicitudo, quae fuit *diligens* et *cassa*, et ideo *curiosa.*

Capitulum IX.

(Vers. 1.). *Sunt iusti atque sapientes* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *discretionis incertitudo.* Homo enim de se ipso nescit, utrum sit homo bonus, vel malus, etiam ipse bonus. Propterea dicit: *Sunt iusti atque sapientes*, et ita boni; *et opera eorum in manu Dei*, id est, in potestate cognoscendi, acceptandi et retribuendi. In eius manu sunt *merita* et *praemia.* Sunt merita bonarum *cogitationum;* Proverbiorum vigesimo primo [7]: « Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini ». Sunt merita bonarum *affectionum;* Psalmus: « In manu eius sunt omnes fines terrae ». Sunt etiam bonarum *locutionum;* Sapientiae septimo: « In manu *illius et* nos et sermones nostri ». Sunt etiam *operationum*, sicut in proposito. Sunt etiam *praemia* in manu eius; Sapientiae tertio: « Iustorum animae in manu Dei sunt »; et cum sint in manu Dei, debent nosci. *Et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*, et ita nescit discernere; primae ad Corinthios quarto: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum » etc.

Secundum.

Merita quatuor.

Praemia.

(Vers. 2.). *Sed omnia in futurum servantur.* Notatur hic tertium, scilicet *incertitudinis ratio*, quae provenit ex hoc, quod in praesenti non fit remuneratio secundum merita, sed reservatur in futurum. Et propterea dicit ita: *Nescit homo... Sed omnia in futurum servantur incerta*, ut scilicet certificentur; primae ad Corinthios quarto [8]: « Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium »; quod quidem modo non facit, sed reservat, secundum illud Iob decimo quarto: « Signasti quasi in sacculo delicta »; et ita in praesenti omnia sunt in occulto. Et subditur: *Eo quod universa aeque eveniant iusto et impio* etc.; *universa*, bona et mala, *aeque eveniant* iusto et peccatori, quos sub sex differentiis describit. *Iusto et impio*, quoad *fidei credulitatem*, quae scilicet iustificat impium; Habacuc secundo [9]: « Iustus in fide sua vivit ». *Bono et malo*, quantum ad *dilectionis puritatem*, quia sancta dilectio bonum facit; Matthaei septimo: « Bona arbor non potest malos fructus facere ». *Mundo et immundo*, quoad *conversationis honestatem;* illa enim attenditur circa exteriora, Tobiae quarto [10]. *Immolanti hostias et victimas et sacrificia contemnenti*, quoad

Tertium.

Sex differentiae.

Prima.

Secunda.

Tertia.

---

[1] Vers. 20. — Sequuntur Eccle. 3, 10: Vidi afflictionem etc., et 11: Cuncta etc.

[2] Vers. 34. — Seq. locus est Ps. 63, 7. et 8. August., Serm. 177. in Appendice (alias 175. de Tempore) n. 2: « Altus est Deus, erigis te, et fugit a te; humilias te, et descendit ad te ». Eadem sententia exhibetur in Enarrat. in Ps. 33. enarrat. 2. n. 23; in Ps. 50. n. 21; in Ps. 74. n. 2; in Ps. 85. n. 2. et in Ps. 137. n. 11.

[3] Vers. 22. — Sequitur Eccle. 7, 24.

[4] Cfr. supra pag. 18, nota 6.

[5] Cum omnibus codd., Hugone a S. Charo et Lyrano attribuimus verba: *Omnia haec* etc. cap. VIII, v. 17; sed Vulgata eisdem incipit cap. IX.

[6] Vers. 24. Pro *multum* et *ne fueris* Vulgata *multipliciter* et *non eris*.

[7] Vers. 1. — Sequuntur Ps. 94, 4; Sap. 7, 16. et 3, 1; I. Cor. 4, 4.

[8] Vers. 5. — Seq. locus est Iob 14, 17.

[9] Vers. 4. — Sequitur Matth. 7, 18.

[10] In hoc capitulo dantur de hoc plura documenta.

Quarta. *cultus religiositatem;* Exodi duodecimo [1]: « Haec est religio Phase; omnis alienigena non comedet ex eo ».

Quinta. *Sicut bonus, sic et peccator,* quantum ad *mandatorum observationem,* quorum observatio bonos, et transgressio peccatores facit; Danielis nono: « Peccavimus, iniquitatem fecimus et recessimus et declinavimus a mandatis tuis ac iudiciis ». *Ut periurus, ita et ille qui verum deierat,* quoad *veritatis locutionem; deierat,* ibi *de* auget, non minuit; *deierat,* id est vere iurat, secundum quam significationem accipitur primi Regum vigesimo [2]: « Et addidit Ionathas deierare David, eo quod diligeret illum ».

Sexta.

Triplex aequalitas. Omnibus istis eveniunt aequa et quantum ad conditionem *naturae,* iuxta illud Sapientiae septimo: « Unus ergo est ingressus omnium ad vitam, et similis exitus »; et quantum ad conditionem *culpae;* ad Romanos tertio: « Omnes peccaverunt et egent gloria Dei »; et quantum ad conditionem *poenae;* Ecclesiastici octavo: « Memento, quoniam omnes in corruptione sumus ».

(Vers. 3.). *Hoc est pessimum* etc. Tangitur hic

Quartum. quartum, scilicet *vanae securitatis origo,* quoniam oritur magna securitas ex hac indistinctione, quae multorum peccatorum est occasio. Ideo dicit: *Et hoc est pessimum inter omnia, quae sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.* Ideo *pessimum,* quia multorum occasio peccatorum; non enim videtur Deus curare de nobis. Unde oritur illa sententia Iob vigesimo secundo [3]: « Nubes latibulum eius, nec nostra considerat ». Et quod ex hoc oriantur mala, ostendit, quia oritur securitas, per quam homo cadit in malitiam et contemptum. Ideo dicit: *Unde et corda filiorum hominum,* id est malorum et carnalium, *implentur malitia et contemptu.* In *impletione* multitudo vitiorum designatur, ut *malitia* sit in concupiscibili, et *contemptus* in irascibili, quae sunt duae radices peccatorum; Genesis sexto [4]: « Corrupta est terra coram Deo et repleta iniquitate »; et hoc *in vita sua,* id est, quamdiu habent locum merendi; primae ad Thessalonicenses secundo: « Ut impleant peccata sua semper ». Et quia tales praecipitantur in poena, ideo subdit: *Et post haec ad inferos deducentur;* Psalmus: « Tu vero Deus, deduces eos in puteum interitus »; et Iob vigesimo primo: « Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt ».

Quaestiones.

I. Incidit hic quaestio de hoc quod dixit [5]: *Intellexi, quod operum Dei nullam possit homo invenire rationem.*

1. Ergo si quod intelligimus debemus scire rationem [6]; et nullius possumus invenire rationem: ergo nihil intelligimus. Ad oppositum.

2. Item, rationalis natura est ad intelligendam et videndam rationem: ergo si rationem non possumus invenire, frustra habemus potentiam rationalem.

Respondeo: dicendum, quod « sermones accipiendi sunt secundum materiam [7] »; ipse autem non loquitur de operibus Dei generaliter, sed de divinis iudiciis, quae sunt opera Dei, secundum illud Psalmi [8]: *Magna opera Domini* etc. « Haec iudicia, ut dicit Gregorius, non sunt discutienda, sed formidoloso silentio veneranda »; quia, etsi habeant rationem, habent tamen rationem latentem, et quam per nos non possumus indagare, quia supra nos est; et si intelligimus, hoc est per Spiritus sancti illustrationem, qui *scrutatur profunda Dei* [9], non per humanam inventionem. Aliorum operum, ut creaturarum, multae rationes inveniuntur, et multae scientiae habentur; sed de illis operibus non loquitur hic. Resp.

II. Item, dubitatur de hoc quod dicit: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.*

Quod videtur falsum: 1. Quia ad Romanos octavo [10]: *Quis nos separabit a caritate Christi? certus sum* etc.: ergo instantiam habet ibi. — *Dices,* quod sciebat revelatione; *obiicitur,* quod homo possit per se scire; quia dignitas divini amoris ponit in nobis gratiam gratum facientem; sed Augustinus [11] dicit, quod quae sunt *essentialiter* in anima melius cognoscuntur, quam quae *secundum speciem:* ergo si certi sumus de his quae cognoscimus *secundum speciem,* ut si ponatur dulce super linguam, multo magis de gratia. Ad oppositum.

2. Item, Augustinus [12] dicit, quod qui habet fidem certus est, se habere fidem. Ergo qui habet dilectionem sive caritatem certus est se habere: ergo qui habet gratiam certus est: ergo certus est, utrum Deo placeat.

3. Item, de odio potest quis esse certus, ut ille qui peccavit et vult peccare, certus est, quod est dignus odio.

---

[1] Vers. 43. — Subinde allegatur Dan. 9, 5.

[2] Vers. 17. — Sequuntur Sap. 7, 6. (de hac lectione vide supra pag. 35, nota 6.); Rom. 3, 23. et Eccli. 8, 6, ubi Vulgata *correptione* pro *corruptione,* quod tamen exhibet Card. Hugo a S. Charo et etiam Lyranus.

[3] Vers. 14.

[4] Vers. 11. — Sequuntur I. Thess. 2, 16; Ps. 54, 24; Iob 21, 13.

[5] Cap. 8, 17: Intellexi, quod omnium operum etc.

[6] Ita E; supple *eius* ante *quod.* Vat. *debemus rationi,* quo respicitur illud August., de Utilit. credendi, c. 11. n. 25: Quod intelligimus igitur, debemus rationi, quod credimus, auctoritati.

[7] Aristot., II. Ethic. c. 2. secundum antiquam versionem; cfr. tom. I. pag. 10, nota 2.

[8] Psalm. 110, 2. — Gregor., XXXII. Moral. c. 1. n. 1: Divina enim iudicia, cum nesciuntur, non audaci sermone discutienda sunt, sed formidoloso silentio veneranda.

[9] Epist. I. Cor. 2, 10: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. — Cfr. supra pag. 63, nota 11.

[10] Vers. 35. seqq.

[11] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 15. seqq.; IX. de Trin. c. 3. n. 3. seqq.; X. c. 3. n. 5. seqq.; XIII. c. 1. n. 3. et c. 2. n. 5.

[12] Libr. XIII. de Trin. c. 1. n. 3: Sed eam [fidem] tenet certissima scientia clamatque conscientia.

CONTRA: 1. Primae ad Corinthios quarto [1]: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum* etc.

2. Item, Iob nono [2]: *Si venerit ad me, non videbo eum; et si abierit, non intelligam;* et ibidem: *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

3. Item, Ecclesiastici quinto [3]: *De propitiato peccato noli esse sine metu:* ergo nullus est certus.

Ad hoc respondent quidam, quod illud intelli-
Resp. 1. gitur de odio praedestinationis et reprobationis, de quo nullus est certus; et sic non habet instantiam, quia praedestinatio non ponit in nobis aliquem effe-
Improbatur. ctum, per quem possit sciri. — Aliter respondendum, eo quod haec responsio non satisfacit litterae; dicit enim littera: *Nescit, utrum amore dignus sit;* sed nullus dignus est nec meretur praedestinari: ideo intelligitur secundum praesentem iustitiam [4].

Propter hoc respondent alii, quod duplex est
Resp. 2. cognitio, scilicet *necessaria* et infallibilis; et hanc habere non possumus, quia nemo certitudinaliter potest cognoscere, utrum habeat gratiam, nisi per revelationem, sicut Apostolus. Est alia *probabilis* et per signa; et haec quidem haberi potest et habetur; quia multi per signa probabilia cognoscunt, se esse in gratia.

1. 2. Quod ergo obiicitur, quod *essentialiter* vi-
Solutio oppositorum. det; dico, quod habitus in anima non cognoscuntur nisi per hoc, quod anima videt se habilem ad aliquem actum; et quia actus fidei *informis* et *formatae* et dilectionis *gratuitae* et *naturalis* adeo sunt similes, ut vix aut nunquam possit homo discernere: ideo, etsi cognoscat habitum, nescit tamen, utrum gratuitus.

3. Quod obiicitur de odio, dico, quod ipse loquitur de *iustis*, quia ipsi nesciunt, utrum amore, an odio digni sint; non de *aperte malis*.

Quidquid tamen sit de caritate et fide, utrum
Confirmatur. homo sciat, se habere, vel non; tamen nescit, utrum amore, an odio Dei dignus sit; quia credere possumus, sed quomodo scimus, quod Dominus odiat malos et diligat bonos, cum tot et tanta bona faciat malis sicut et bonis? Unde Ecclesiastes non dixit, quod nesciant, se esse *iustos*, sed nesciunt, se *dilectos* a Deo [5].

III. Potest etiam dubitari de hoc quod dicit: *Hoc est pessimum sub sole, quod eadem cunctis eveniant.*

CONTRA: 1. Peius est, quando malis eveniunt
Ad oppositum. bona, et bonis mala, quam quando istis et illis eadem eveniunt, quia, sicut dictum fuit supra [6], illud est indebitum et indignum.

2. Item, supra [7] dictum est: *Hoc vanissimum iudico* de hoc, quod mali sunt securi, et iustis mala proveniunt; sed « quod per superabundantiam dicitur uni soli convenit »: ergo etc.

Respondeo: dicendum, quod intensio et remissio Resp.
in vanitate vel malitia potest accipi *proprie;* et sic dicitur *intensive*, secundùm quod dicitur: margarita est albior equo; et sic *intensive* maior est vanitas, cum mali exaltantur, et deprimuntur boni. Potest ulterius magis et minus accipi *extensive*, quia in pluribus vel plurium est causa vel occasio; et hoc modo indistinctio bonorum a malis est maior vanitas, quia plurium malitiarum origo. Si enim bonis evenirent mala, et malis bona; possent discerni boni a malis; sed dum eveniunt eadem, discerni non possunt.

Secundo ostenditur, quomodo inde nascatur voluptas.

Nemo est, qui semper vivat. Iam monstravit, Divisio.
quomodo ex indistinctione nascitur securitatis vanitas; hic secundo monstrat, quomodo ex securitate nascitur *voluptas;* et hoc quidem facit hoc ordine. Primo notatur *mortis certitudo;* secundo, per mor- Notantur quatuor.
tem *status peioratio;* tertio, *voluptatis commendatio;* quarto, *commendationis confirmatio.*

(Vers. 4.). Primo igitur notatur *mortis certitudo* Expositio litteralis.
per hoc, quod nullus evadit eius iudicium. Propterea De primo.
dicit: *Nemo est, qui semper vivat;* propterea in Psalmo [8]: « Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem »? Et in hanc damnationem cecidit Adam cum sua posteritate, cum dictum est ei Genesis tertio: « Pulvis es, et in pulverem reverteris ». *Et qui huius rei habeat fiduciam*, supple: nemo est; *huius rei*, scilicet spem de semper vivendo; Iob septimo: « Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, et consumti sunt sine ulla spe, quia ventus est vita mea, et non revertetur » etc.

Melior est canis vivus etc. Hic secundo ostenditur, De secundo.
quod per mortem est *status deterioratio;* et hoc proponit sub metaphora: *Melior est canis vivus leone mortuo.* Licet leo excedat canem, tamen mors reddit inferiorem, quia canis vivus aliquid potest, leo mortuus nihil potest, et tamen vivens potentior est cane; Proverbiorum trigesimo [9]: « Leo, fortissimus animalium, ad nullius pavebit occursum ». Sic metaphorice vult dicere, quod quilibet vivens, quantumcumque vilis, melior est mortuo, quantumcumque bono.

(Vers. 5. 6.). Et probat primo quoad actum Quoad actum cognitionis.
cognitionis. Viventes enim sciunt, se esse morituros; saltem de hoc certi sunt; secundi Regum decimo

---

[1] Vers. 4.
[2] Vers. 11; ibid. v. 21. est seq. locus: Etiam si simplex etc.
[3] Vers. 5.
[4] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. et d. 41. a. 1. q. 1. seq.
[5] Vide I. Sent. d. 17. p. I. q. 3.
[6] In explicatione c. 8, 14.
[7] Cap. 8, 14. — *Minor* est ex Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.). Cfr. ibid. VII. c. 1.
[8] Psalm. 88, 49. — Sequuntur Gen. 3, 19. et Iob 7, 6. seq., ubi voci *quia* Vulgata praefigit *memento*.
[9] Vers. 30. Pro *animalium* Vulgata *bestiarum*.

quarto [1]: « Omnes morimur, et quasi aquae, quae dilabuntur in terram, quae non revertuntur ». *Vel: morituros*, id est necessitati mortis deditos; ad Romanos octavo: « Corpus mortuum est propter peccatum ». *Mortui enim nihil noverunt amplius*, quia cognitio supponit vitam; et ita praecellunt in actu cognitionis viventes mortuos; non enim habent nec motum nec sensum. Quoad actum *recordationis* dicit: *Nec habent ultra mercedem*, scilicet famae in memoria aliorum; *quia oblivioni tradita est memoria eorum;* supra secundo [2]: « Non erit memoria sapientis, sicut nec stulti, in perpetuum et futura tempora » etc. *Vel:* quia eorum memoria non habet actum recordationis; Iob septimo: « Qui descendet ad inferos non ascendet nec revertetur ultra ad domum suam, nec cognoscet eum amplius locus eius ». — Quoad actum *affectionis* dicit: *Amor quoque et odium et invidiae simul perierunt*, quia non afficiuntur, ut prius in vita. Quoad actum *exterioris operationis* dicit: *Nec habent partem in hoc saeculo*, et exponit quantum ad quid: *et in opere, quod sub sole geritur*, quia non possunt operari, iuxta illud Ioannis nono [3]: « Venit nox, quando nemo potest operari ».

Item, recordationis.

Item, affectionis.

Item, exterioris operationis.

(Vers. 7. 8. 9.). *Vade ergo et comede* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *praesentis delectationis commendatio*, ad quam amplectendam exhortatur primo secundum *gustum*; unde dicit: *Vade ergo et comede cum laetitia panem* [4]; per *panem* intelligitur omne, quod pertinet ad cibum. *Et bibe cum gaudio vinum tuum;* per *vinum*, omne, quod spectat ad potum. *Quia Deo placent opera tua;* quasi dicat: non es certus, utrum displiceant; ideo praesume, quod placeant, et ideo secure comede et bibe, secundum illud Isaiae vigesimo secundo [5]: « Ecce, gaudium et laetitia comedere carnes et bibere vinum; comedamus et bibamus, cras enim moriemur ». — Deinde secundum *visum* dicit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, ut homo decorus appareas in vestitu; *et oleum de capite tuo non deficiat*, ut decorus appareas in aspectu. Hoc modo ornant se qui placere volunt in conspectu hominum. Exemplum de Iudith, quae cum vellet placere oculis Holofernis, ornavit se, secundum quod dicitur Iudith decimo [6]; sed ipsa faciebat pro bono, quia alias est reprehensibile; Ecclesiastici undecimo: « In vestitu ne glorieris unquam ». — Deinde secundum *tactum* dicit: *Perfruere vita cum uxore, quam diligis.* Haec perfruitio describitur in Proverbiorum septimo [7]: « Veni, inebriemur uberibus et perfruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies ». Et hoc non tantum semel, sed *cunctis diebus vitae instabilitatis tuae, qui dati sunt tibi sub sole.* Vere vita nostra est instabilis, secundum illud Iob decimo quarto: « Nunquam in eodem statu permanet ». Et ad maiorem expressionem dicit: *Omni tempore vanitatis tuae.* Vita nostra tempus est vanitatis; unde in Psalmo: « Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut umbra praetereunt ».

De tertio.

Quoad gustum.

Quoad visum.

Quoad tactum.

(Vers. 9. 10.). *Haec est enim pars* etc. Hic tangitur quartum, scilicet *commendationis confirmatio*, et est confirmatio in hoc, quod homo nullam aliam exspectat mercedem nec alium habet fructum, ideo debet accipere quod potest; ideo dicit: *Haec est enim pars in vita tua et in labore, quo laboras sub sole*, scilicet praesentialiter delectari; Sapientiae secundo [8]: « Ubique relinquamus signa laetitiae nostrae, quoniam haec est pars nostra, et haec est sors ». — Et quia nulla alia est exspectanda, debet homo de hac accipere, quantum potest; ideo dicit: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare*, id est, dum tempus habes, non exspectes futurum; et ideo subditur: *Quia nec opus*, in agendis; *nec ratio*, in deliberandis; *nec scientia*, in cognoscendis; *nec sapientia*, in diligendis, *erunt apud inferos, quo tu properas;* ibi non sunt haec, quia, sicut dicitur Iob decimo [9], « terra illa est tenebrosa et operta mortis caligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat ». Illuc *properant* peccatores, et omnes ante adventum Christi quantum ad limbum; Iob decimo septimo: « In profundissimum infernum descendent omnia mea ». Illuc *properant* peccatores, per dies et dies appropinquantes; Deuteronomii trigesimo secundo: « Iuxta est dies perditionis ».

De quarto.

Potest autem istud exponi *spiritualiter*, ut primo hortetur ad *iucunditatem contemplationis;* secundo vero, ad *instantiam actionis.* Viris autem *contemplativis* necessaria est *meditatio sacrae Scripturae, puritas conscientiae, amplexus devotionis internae.* — Quantum ad *meditationem sacrae Scripturae* dicit: *Comede panem et bibe vinum: panem* quantum ad difficilia, et *vinum* quantum ad facilia; Proverbiorum nono [10] dicit Sapientia: « Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod

Expositio spiritualis.

Ad vitam contemplativam serviunt tria.

Primum.

---

[1] Vers. 14. Cfr. supra pag. 25, nota 2. — Seq. locus est Rom. 8, 10.

[2] Vers. 16. — Sequitur Iob 7, 9. et 10: Qui descenderit ad inferos etc.

[3] Vers. 4.

[4] Praecedentia verba *Tangitur... panem* e codd. supplevimus.

[5] Vers. 13, ubi Vulgata post *laetitia* plura interserit.

[6] Vers. 2. seqq. — Seq. locus est Eccli. 11, 4.

[7] Vers. 18. — Subinde allegantur Iob 14, 2. et Ps. 143, 4.

[8] Vers. 9. In Vulgata omittitur *nostrae*.

[9] Vers. 21. et 22: Antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo etc. — Sequuntur Iob 17, 16. et Deut. 32, 35.

[10] Vers. 5. Gregor., I. Moral. c. 21. n. 29: Scriptura enim sacra aliquando nobis est cibus, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur et mandendo glutitur. Potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur, sicut invenitur. Cfr. I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 3.

Secundum. miscui vobis ». — Quantum ad *puritatem conscientiae* dicit: *Omni tempore vestimenta tua sint candida*, id est conscientia munda; Apocalypsis tertio [1]: « Non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis ». Quocontra dicitur Isaiae nono: « Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis ». Et quia ad munditiam conscientiae sequitur interna laetitia, ideo dicit: *Et oleum de capite tuo non deficiat;* unde in Psalmo [2]: « Ut exhilaret faciem in oleo »; Matthaei sexto: « Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum » etc. —

Tertium. Quantum ad *amplexus devotionis internae* dicit: *Perfruere vita cum uxore, quam diligis.* Haec *uxor* est religio, in qua vacandum est contemplationi; Proverbiorum quinto [3]: « Laetare cum muliere adolescentiae tuae, cerva carissima » etc. Haec uxor dilecta figurata est per Rachel, pro qua « servivit Iacob septem annis », Genesis vigesimo nono.

Deinde quantum ad *activos* dicit: *Quodcumque*

Vitae activae quatuor operandi conditiones. *potest manus tua, instanter operare. Instanter operari* est operari *celeriter*, contra negligentiam; Ecclesiastici trigesimo primo [4]: « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi »; *ferventer*, Proverbiorum decimo octavo: « Qui mollis est et dissolutus in opere suo frater est sua opera dissipantis »; *continue*, ut non tepescat; Ecclesiastici vigesimo septimo: « Si non in timore Domini te tenueris instanter, cito subvertetur domus tua »; *perseveranter;* secundae ad Timotheum secundo: « Qui certat in agone non coronabitur, nisi legitime cer-

Ratio. taverit », id est perseveranter. Et subiungitur ratio, quare oportet instanter bene operari in praesenti: quia breve est tempus meriti; unde: *Apud inferos non est opus*, ad se exercendum ad pietatem; Ioannis nono [5]: « Me oportet operari, donec dies est ». Et ideo dicitur ad Galatas ultimo: « Operemur bonum, dum tempus habemus, ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei ». *Non est ratio*, ad inquirendum et discernendum, quid bonum, quid malum; Iob duodecimo [6]: « Palpabunt quasi in tenebris et non in lumine, et errare eos faciet quasi ebrios »; Isaiae decimo nono: « Et Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis ». *Non est sapientia et scientia: scientia*, scilicet ad contemplandum Deum in operibus suis, *nec sapientia*, ad contemplandum in se; de his Isaiae trigesimo tertio: « Divitiae salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus ».

Quaestiones.

I. Potest quaeri de hoc quod dicit: *Mortui nihil noverunt amplius.*

Videtur esse falsum: quia anima separata a corpore est liberior; sed substantia quanto liberior a corpore, tanto magis idonea cognitioni: ergo mortui sunt magis apti ad cognoscendum: aut igitur anima perit, aut cognoscit [7].

II. Item de hoc est dubitatio, quod *non habent ultra mercedem.* — Hoc est haereticum manifeste, quia hoc tollit divinam iustitiam.

III. Item de hoc quod dicit, quod *amor et odium simul perierunt.* — *Contra*: Mala voluntas semper remanet: ergo si mala voluntas est per amorem et odium [8]: ergo etc.

IV. Item de illa exhortatione: *Vade ergo et comede panem tuum et bibe vinum* etc.

Si velimus ad haec respondere, quod illud dici- Resp. ad I. II. III.
tur in persona Epicuri, tunc patet responsio; sed si volumus sustinere, quod in persona sua; dicendum, quod cum dicit, quod *mortui non noverunt*, intelligitur quantum ad ea quae sunt in hoc mundo; quia haec mundana non noverunt, nec sunt in memoria mundanorum nec habent affectionem ad mundana. Et hoc patet per litteram, quia dicit: *Nec habent partem in hoc saeculo* [9].

Quod obiicitur de illa exhortatione, dico, quod Resp. ad IV.
illa exhortatio non est absolute dicta, sed conclusio ex praedicta vanitate illata. Unde dicit: *Vade ergo*, hoc est dicere: si homo non potest distinguere, utrum in praesenti debeat Deo placere et in futuro praemiari; si hoc, inquam, scire non potest, nec potest semper vivere: ergo secure potest gaudere. Sed illud non tenet, nisi hoc supposito, quod Dominus non remuneret aliter in futuro quam in praesenti; quae est praedicta vanitas, quam destruet infra undecimo [10].

Secundo oritur securitas ex apparentia defectus regiminis providentiae; quae apparentia dupliciter ostenditur.

Verti me ad aliud etc. Sicut supra dictum est, Divisio.
securitas est in malis, primo, quia videtur deficere retributio iustitiae; secundo, quia videtur deficere regimen providentiae. Actum est de defectu, qui apparet esse in retributione iustitiae; agitur hic secundo de defectu, qui apparet esse circa *regimen*

---

[1] Vers. 4. — Seq. locus est Isai. 9, 5. — Pro *id est* A C D *quando.*

[2] Psalm. 103, 15. — Sequitur Matth. 6, 17.

[3] Vers. 18. seq. — Seq. locus est Gen. 29, 20. Cfr. tom. V. pag. 114, nota 3. (et pag. 446, nota 1.) verba August., secundum quae *Rachel* vitam contemplativam, *Lia* activam significat.

[4] Vers. 27. — Sequuntur Prov. 18, 9; Eccli. 27, 4. et II. Tim. 2, 5.

[5] Vers. 4. Post *operari* Vulgata addit *opera eius, qui misit me.* — Sequitur Gal. 6, 10.

[6] Vers. 25. Pro *non in lumine* Vulgata *non in luce.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 19, 14. et 33, 6, ubi post *thesaurus* Vulgata addit *eius.*

[7] Cfr. supra pag. 37, nota 2.

[8] Vide August., XIV. de Civ. Dei, c. 6.

[9] Cfr. IV. Sent. d. 50. p. II. a. 1. q. 2.

[10] Vers. 1. seqq.

providentiae, non enim videntur haec regi ordinate, sed casualiter. Et habet haec pars duas, quia primo ostenditur defectus ordinis communiter; secundo specialiter, ibi: *Hanc quoque vidi sapientiam* etc., circa praelationis inordinationem.

Primo ostenditur defectus ordinis in generali.

Dirisio. Circa primum sic procedit. Primo ostendit inordinationem et casum, quod videtur esse quantum ad *vitae conversationem;* secundo, quod videtur esse quantum ad *mortis terminationem*, ibi: *Nescit homo finem suum.*

Expositio literalis. De primo (Vers. 11.). Quantum igitur ad *vitae conversationem* ostendit inordinationem, quia res non aptantur ad ea, ad quae habent idoneitatem. Propter quod dicit: *Verti me ad aliud*, quia supra consideravit *retributionem*, hic vertit se ad considerandum *ordinem. Vidique sub sole*, et enumerat quinque dona gratis data, quae a suis actibus defraudantur; *nec velocium esse cursum*, cum tamen sint idonei ad currendum; Amos secundo [1]: « Peribit fuga a velocе ». *Nec fortium bellum*, cum tamen sint idonei ad pugnandum; secundi Regum primo: « Ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica ». *Nec sapientium panem*, cum tamen idonei sint ad cibaria distribuendum; Isaiae tertio: « Non sum medicus, et in domo mea non est panis ». *Nec doctorum divitias*, cum sint idonei ad omnia dona possidendum; infra eodem [2]: « Inventus est in ea vir pauper ». *Nec artificum gratiam*, cum tamen sint idonei ad grata opera faciendum; Isaiae vigesimo: « Confusi sunt omnes, qui operabantur bene ». *Sed tempus casumque in omnibus*, quasi omnia a casu veniant, et temporalia varientur; supra tertio: « Omnia tempus habent et suis spatiis transeunt ». Et distinguuntur praedicta dona, quia duo prima respiciunt *corpus:* agilitas, ad assequendum desideratum, fortitudo ad resistendum malo illato; tria sequentia *animam*, scilicet sapientia in corde, doctrina in ore, ars in opere.

Defectus in 5 donis

Notandum.

De secundo. (Vers. 12.). *Nescit homo finem suum* etc. Tangitur hic secundum, scilicet defectus regiminis quoad *mortis terminationem*, quia nulli determinatum est, nec quando nec quomodo debeat mori. Et videtur, quod mors talis vel talis casu eveniat. Et propterea dicit: *Nescit homo finem suum*, id est diem mortis; Matthaei vigesimo quarto [3]: « Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit ». Et ponit exemplum, quomodo est inordinatio et incertitudo, dicens: *Sed sicut pisces capiuntur hamo*, scilicet ignoranter, *et sicut aves comprehenduntur laqueo*, scilicet per fraudem; Ecclesiastici undecimo: « Sicut perdix induritur in caveam, et sicut caprea in laqueum; sic et cor superborum ». *Sic capiuntur homines in tempore malo;* primae ad Thessalonicenses quinto: « Cum dixerint: Pax et securitas, repentinus superveniet interitus ». *Cum eis supervenerit extemplo*, id est repente; Isaiae trigesimo: « Subito, dum non speratur, veniet contritio eius, et conteritur velut lagena figuli ».

Expositio spiritualis. *Spiritualiter* hic insinuatur *bonorum superna electio*, et postmodum *malorum occulta damnatio.* Ut igitur totam bonorum operationem Deo attribuat, dicit primo: *Non esse velocium cursum;* quia non est a se, quod currunt, sed a Deo; ad Romanos nono [4]: « Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis ». *Nec fortium bellum*, quia in Psalmo: « Non salvatur rex per multam virtutem ». *Nec sapientium panem*, a se, sed a Deo; Ioannis sexto: « Pater meus dat vobis panem de caelo verum ». *Nec doctorum divitias*, sapientiae scilicet et scientiae, a se, sed a Deo; primae ad Corinthios primo: « In omnibus divites facti estis in illo », scilicet in Christo. *Nec artificum gratiam*, a se, sed a Deo; Psalmus: « Misericordiam et veritatem diligit Deus; gratiam et gloriam dabit Dominus ».

Primo, quoad bonorum electionem.

Secundo, quoad malorum damnationem. Quantum autem ad *malorum damnationem occultam* dicit: *Nescit homo finem suum;* quia « via impiorum tenebrosa [5] » etc. *Sicut pisces hamo*, id est voluptuosi, qui capiuntur hamo voluptatis; Habacuc primo: « Totum in hamo sublevavit ». *Et sicut aves laqueo*, id est ambitiosi laqueo honoris; primae ad Timotheum tertio: « Non neophytum, ne, in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli ». *Sic capiuntur homines*, id est avari, *in tempore malo;* Iob vigesimo septimo: « Dives, cum dormierit, nihil secum auferet ».

Quaestiones.

I. Potest dubitari de hoc quod dicit, quod *vidit tempus et casum in omnibus.* — Ergo secundum hoc videtur, quod omnia casu eveniant.

Contra. Sed contra. Videtur, quod non omnia casu eveniant:

---

[1] Vers. 14. — Sequuntur II. Reg. 1, 27: Quomodo ceciderunt .. bellica? Isai. 3, 7.

[2] Vers. 15. — Subinde a codd. et Vat. allegatur Isai. 20, in quo praedicitur Aegyptiorum et Aethiopum captivitas ab Assyriis, Isaia nudo et discalceato incedente, et Iudaeis de illorum afflictione stupentibus; v. 5: Et timebunt et confundentur ab Aethiopia spe sua et ab Aegypto gloria sua etc. Sed ipsa verba a S. Bonav. allegata ibi non invenimus. Cap. 19, 9: Confundentur qui operabantur linum (alias *byssum*) etc. Seq. locus est Eccle. 3, 1.

[3] Vers. 42. — Sequuntur Eccli. 11, 32; I. Thess. 5, 3, ubi voci *repentinus* Vulgata praefigit *tunc;* Isai. 30, 13. 14, ubi Vulgata in fine legit *et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli.*

[4] Vers. 16. — Sequuntur Ps. 32, 16; Ioan. 6, 32; I. Cor. 1, 5. et Ps. 83, 12.

[5] Prov. 4, 19. — Sequuntur Habac. 1, 15; I. Tim. 3, 6. (C addit *id est novum in fide);* Iob 27, 19. — Vide Hieron., Comment. in Ecclesiast. 9, 11. et 12.

1. Quia quae eveniunt secundum propositum non eveniunt casu; sed multa fiunt ex proposito: ergo non omnia casu.

2. Praeterea videtur, quod in nullis sit casus, quia, ut dicit Plato [1], « nihil est praeter primam causam, cuius ortum legitima causa non praecesserit »: ergo secundum hoc nihil fit casu, sed omnia a causa determinata proveniunt.

3. Item, in omni operatione Deus est agens principaliter [2]; sed quidquid Deus agit principaliter, agit et scienter et ex proposito, et nihil tale fit casu: ergo nihil omnino casu fit.

Respondeo: dicendum, quod *casus* et *fortuna* Resp. sunt causae *per accidens* [3], non quia aliae causae a causis *per se*, sed quia, quando natura et intellectus aliquid faciunt, ad quod directe ordinantur, hoc per se faciunt, et non est ibi casus; quando vero ex eorum operatione aliquid evenit, ad quod directe non ordinantur, propter concursum alterius causae; ibi est casus; ut patet de creditore invento in foro et Comparatio ad duplicem causam. lapide cadente super caput. Dico ergo, quod si eventus rerum comparentur ad *causam primam*, quae Deus est; cum Deus omnia praevideat, nihil est casuale secundum divinae praescientiae ordinationem. Si autem loquimur per comparationem ad *causas creatas*, aut circa *immutabiles*, sicut est circa motum superiorum corporum, aut circa *mutabiles*, sicut sunt causae inferiores, quae sunt sub sole; in dispositione causarum istarum *mutabilium* vix est, quin concurrat aliquis effectus non intentus, immo praeter intentionem; et ideo invenitur casus in omnibus, non quod omnia casu eveniant, sed quia circa omnem mutabilem creaturam aliquid evenit casuale.

3. Quod obiicitur de divina praescientia, iam Solutio argg. patet. Non enim dicitur casus in comparatione ad divinam praescientiam.

2. Quod obiicitur secundo, quod omnia habent causam; dicendum, quod verum est, quod omnia habent legitimam causam, scilicet *naturam*, vel *intellectum* [4]; sed tamen per hoc non excluditur, quin aliquid possint facere vel faciant praeter ordinem, Deo excepto.

II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Sicut pisces capiuntur hamo;* utrum comprehensio piscium sit a casu, vel non. Quod sic, videtur:

1. Quia, quod iste piscis magis veniat quam alius, hoc non est per naturam nec per rationem: ergo per casum. Pro parte 1.

2. Item, quod unus homo capiat, alter non, hoc non est per rationem naturae, vel artis: ergo a casu.

Sed contra: Si quis intendens invenire aurum foderet, non esset casus [5]: ergo cum qui piscatur intendat capere, non est ibi casus. Pro parte 2.

Respondeo: dicendum, quod est loqui de captione per comparationem ad *capientes*, et sic non est a casu; est etiam loqui per comparationem ad *pisces*, qui vadunt ad hamum; et quia vadunt propter cibum, et aliud evenit, quantum ad illos est ibi casus.

Secundo ostenditur defectus ordinis in regimine providentiae in speciali, et hoc tripliciter.

Hanc quoque vidi sub sole sapientiam. Determinavit supra defectum regiminis providentiae in generali; hic intendit ostendere in *speciali*, scilicet circa praelationem, quia sapientes contemnuntur, et stulti promoventur. Sunt igitur in hac parte tres partes. Partes 3. In prima ostendit *sapientis depressionem;* in secunda subiungit *depressi commendationem*, ibi: *Et dicebam ego meliorem* etc.; in tertia vero subinfert *stulti promotionem*, ibi [6]: *Si spiritus potestatem habentis* etc. Divisio.

Sapientis igitur *depressio* hoc ordine describitur. Primo praemittitur *sapientiae laus;* secundo exprimitur casus, in quo est *potentiae defectus;* tertio notatur *sapientiae succursus;* quarto vero, *sapientis contemptus.* De 1. parte.

(Vers. 13.). Praemittitur ergo *sapientiae laus*, cum dicit: *Hanc vidi sub sole sapientiam*, id est, in rebus mundanis per effectum cognovi; *et probavi maximam*, id est, approbavi et laudavi tanquam magnam valde. Magna enim sapientia est in vincendo inimicum inferiorem; maior, in vincendo aequipollentem; maxima, in vincendo fortissimum; unde dicitur Iob vigesimo sexto [7] de summe sapiente: « Prudentia eius percussit superbum ». Expositio litteralis. Primo, sapientiae laus.

(Vers. 14.). *Civitas parva* etc. Notatur hic secundo *potentiae defectus*, et hoc ad resistendum insurgenti; ideo dicit: *Civitas parva, et pauci in ea* Secundo, potentiae defectus.

---

[1] In Timaeo: Omne autem, quod gignitur ex aliqua causa, necessario gignitur; nihil enim fit, cuius ortum non legitima causa et ratio praecedat (Platonis Timaeus, interprete Chalcidio etc., ed. Dr. Ioh. Wrobel, Lipsiae 1876, pag. 23. Cfr. ed. Serrani tom. III. pag. 28).

[2] Cfr. II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. — De *minori*, in qua Vat. et plures codd. male transponunt *principaliter* ante *et scienter*, vide tom. I. pag. 600, nota 2. et pag. 714, nota 3.

[3] Vide Aristot., II. Phys. text. 39. seqq. (c. 4. seq.), ubi etiam duo exempla inferius posita exhibentur, et XI. Metaph. c. 7. (X. c. 8.). — Paulo inferius e codd. supplevimus *hoc per se faciunt... non ordinantur.*

[4] Aristot., II. Phys. text. 49. (c. 5.): Sunt autem *propter aliquid* et quaecumque ab intellectu utique aguntur, et quaecumque a natura. Libr. XI. Metaph. c. 7. (X. c. 8.): Ipsum vero *alicuius gratia* in eis est, quae a natura aut a mente fiunt; fortuna vero est, cum aliquid horum secundum accidens fiat; quemadmodum enim et ens quoddam *per se*, quoddam *secundum accidens* est, ita et causa etc. Cfr. II. Sent. d. 37. a. 2. q. 2.

[5] Secundum Boeth., V. de Consol. prosa 1: Quoties aliquid cuiuspiam rei gratia geritur, aliudque quibusdam de causis, quam quod intendebatur, obtingit, *casus* vocatur, ut si quis colendi agri causa fodiens humum defossi auri pondus inveniat.

[6] Cap. 10, 4.

[7] Vers. 12.

viri, et debet suppleri hoc verbum: erat, vel construi cum verbo sequenti. *Perfecta est obsidio* [1]. Et quia parva et paucos habens viros, ideo debilis est ad se defendendum; unde dicebat Iosaphat secundi Paralipomenon vigesimo: « In nobis non est tanta fortitudo, ut possimus resistere huic multitudini » magnae, quia scilicet erant pauci. Maxime tunc non possunt, quando est fortis oppugnator; propter quod dicit: *Venit contra eam rex magnus*, scilicet per potentiam; *et vallavit eam*, per multam malitiam; *exstruxitque munitiones per gyrum*, ad pugnam; *et perfecta est obsidio*, per resistendi impotentiam. Exemplum huius habetur Iudith septimo de Bethulia, quae fuit ab Holoferne obsessa. Hoc etiam praedixit Dominus Ierusalem Lucae decimo nono: « Circumdabunt te inimici tui vallo et coangustabunt te undique ».

(Vers. 15.). *Inventusque est in ea* etc. Notatur
De tertio. hic tertium, scilicet *sapientiae succursus*, ubi erat potentiae defectus. Propterea dicit: *Inventusque est in ea vir pauper*, et ita impotens; *et sapiens et liberavit urbem per sapientiam suam.* Exemplum huius, quomodo sapiens liberavit, habetur de Iudith in libro suo [2], quomodo liberavit Bethuliam ab Holoferne sapientia sua, cum esset infirma. Exemplum aliud habetur secundi Regum vigesimo, ubi dicitur, quod sapiens in Abela liberavit urbem ab impetu Ioab. Quocontra dicitur Baruch tertio: « Et quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam »; dicitur de fortibus.

Et nullus deinceps etc. Tangitur hic quartum,
De quarto. scilicet *sapientis liberantis contemptus*, cuius signum est oblivio. Ideo dicit: *Nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Ecce, contemptus et ingratitudo; quocontra dicitur Ecclesiastici vigesimo nono [3]: « Gratiam fideiussoris tui ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam » etc.

Spiritualiter sunt quatuor hic consideranda:
Expositio spiritualis. Quatuor considerandа. quae *civitas*, quis *rex magnus*, quis *pauper sapiens*, quomodo *nullus eius recordatur.* — *Civitas*
Primum. est Ecclesia; Psalmus [4]: « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ». Haec civitas *parva* per humilitatem, quia in his solus Dominus habitat; Isaiae ultimo: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos »? *Pauci in ea viri*, comparatione malorum; Matthaei vigesimo: « Multi sunt vocati, pauci vero electi ». — *Rex magnus* est diabolus, de quo dicitur Iob pen- Secundum.
ultimo [5]: « Ipse est rex super omnes filios superbiae »; est etiam *magnus*, secundum quod dicitur ibidem: « Non est potestas super terram, quae possit ei comparari ». Hic rex *contra civitatem venit*, per suggestiones; *vallat*, offerendo multipliciter delectationes; *exstruxit munitiones*, procurando peccatorum occasiones; et *perfecte obsidet*, cum implicat in mandatorum transgressiones. De his Lucae decimo nono: « Circumdabunt te inimici tui vallo et coangustabunt te et ad terram prosternent et non relinquent lapidem supra lapidem ». — *Vir pauper* Tertium.
et sapiens, qui est Christus, qui est *vir* a virtutis robore; Ieremiae trigesimo primo [6]: « Mulier circumdabit virum ». Ipse etiam *pauper;* secundae ad Corinthios octavo: « Cum esset dives in omnibus, propter vos egenus factus est »; *sapiens*, immo ipsa Sapientia; primae ad Corinthios primo: « Christum dicimus Dei virtutem et sapientiam ». Iste est a quaerentibus *inventus;* Matthaei septimo: « Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit ». Ipse *liberavit* populum, Isaiae decimo nono: « Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet ei salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos »; *liberavit per suam sapientiam*, cum tamen posset per potentiam; Iob vigesimo sexto: « Prudentia eius percussit superbum ». — *Et nullus eius deinceps* Quartum.
recordatus est, quia paupertas contemnitur; Proverbiorum decimo nono [7]: « Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici procul recesserunt ab eo ». Nullus recordatus est *compatiendo*, secun- Recordationis 4 modi.
dum quod dicitur Threnorum tertio: « Recordare paupertatis et transgressionis meae, absynthii et fellis »; sed econtra, Amos sexto: « Nihil patiebantur super contritione Ioseph ». *Gratias agendo;* Lucae decimo septimo: « Et non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo nisi hic alienigena ». In *opere imitando;* Isaiae decimo septimo: « Eris deserta, quia oblita es Dei salutaris tui, et fortis adiutoris tui non es recordata ». In *ore confitendo;* Genesis quadragesimo: « Succedentibus prosperis, pincerna est oblitus interpretis sui ».

Et dicebam ego etc. Ostensa est sapientis de- De 2. parte.
spectio et oblivio; ostenditur hic secundo *despecti* Triplex praeeminentia.
commendatio. Commendat autem sapientiam triplici

---

[1] Codd. hic *obsessio*, sed infra cum Vulgata *obsidio*. — Sequuntur II. Paral. 20, 12; Iudith 7, 1. seqq.; Luc. 19, 43, ubi Vulgata post *vallo* addit *et circumdabunt te.*

[2] Cap. 8. seqq. — Sequuntur II. Reg. 20, 16. seqq.: Et exclamavit mulier sapiens de civitate etc.; Baruch 3, 28.

[3] Vers. 20.

[4] Psalm. 86, 3. — Sequuntur Isai. 66, 2; Matth. 20, 16.

[5] Vers. 25; ibid. v. 24. est seq. locus, in quo pro *possit ei comparari* Vulgata *comparetur ei;* tertius locus est Luc. 19, 43. et 44, ubi Vulgata plura interserit.

[6] Vers. 22; Vulgata: Femina circumdabit virum. Cfr. tom. III. pag. 380, nota 1. Isidor., XI. Etymolog. c. 2. n. 17. ait: *Vir* nuncupatus, quod maior in eo vis est, quam in femina; unde et *virtus* nomen accepit etc. (vide supra pag. 63, nota 5.) — Sequuntur II. Cor. 8, 9. et I. Cor. 1, 24; Matth. 7, 8; Isai. 19, 20. et Iob 26, 12

[7] Vers. 7. — Sequuntur Thren. 3, 19; Amos 6, 6; Luc. 17, 18; Isai. 17, 9. seq. et Gen. 40, 23, ubi pro *pincerna* Vulgata *praepositus pincernarum.*

praeeminentia: primo praemittendo eam *fortitudini potentiae;* secundo, *munimini armaturae;* tertio, *altitudini mundanae gloriae.*

(Vers. 16. 17.). Praemittit ergo primo sapientiam Prima. *fortitudini* suo iudicio. Propterea dicit: *Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine;* Sapientiae sexto [1]: « Melior est sapientia quam vires, et vir prudens melior quam fortis ». Et quia est melior, ideo non deberet despici; et tamen nihilominus est despecta. Propterea dicit: *Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est?* quasi non deberet esse contempta; sed propter paupertatem vilipenditur; unde Ecclesiastici decimo tertio dicitur de paupere: « Locutus est sensate, et non est datus ei locus; dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducunt ». Et signum contemptus sapientiae subditur: *Et verba eius non sunt audita;* et tamen sunt multum audienda; Proverbiorum octavo [2]: « Nunc ergo, filii, audite me: Beati, qui custodiunt vias meas ». Et quod verba sapientis sint audienda, subiungit: *Verba sapientium audiuntur in silentio,* id est, digna sunt audiri in silentio; Ecclesiastici trigesimo secundo: « Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia »; unde et subditur: « Et loqui in medio magnatorum ne praesumas ». *Plus quam clamor principis inter stultos,* et plus clamosa eius oratio, quia, quantumcumque homo clamet, stultus non attendit; Ecclesiastici vigesimo secundo [3]: « Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam, et in fine narrationis dicit: Quis est hic »? Quod ergo sapientia sit contempta, hoc est propter audientium stultitiam; ideo Matthaei septimo: « Nolite sanctum dare canibus ». Et ratio huius redditur ab Apostolo primae ad Corinthios secundo: « Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei ».

(Vers. 18.). *Melior est sapientia* etc. Hic se- Secunda. cundo praemittit sapientiam *munimini armaturae,* dicens: *Melior est sapientia quam arma bellica,* quia bellica arma sunt ad protectionem; similiter sapientia *protegit;* Proverbiorum secundo [4]: « Consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala et ab homine, qui perversa loquitur ». Et quod *melius* protegat, patet: quia qui amittit sapientiam per culpam non potest se defendere per armaturam, quin amittat multa bona; unde dicit: *Et qui in uno peccaverit,* recedendo a sapientia, secundum quod dictum est supra octavo [5]: « Ne festines recedere a facie eius, neque permaneas in opere malo ». *Multa bona perdet;* peccando enim in uno, perdit sapientiam; et illam amittendo, perdit multa bona; Sapientiae septimo: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa »; et ideo, illa perdita, perduntur multa bona. Vel: *qui peccaverit in uno,* contra caritatem, *perdet multa bona,* secundum illud Iacobi secundo: « Qui in uno peccaverit factus est omnium reus ». — Et illud manifestat per metaphoram, quia peccati cognitio comparatur muscae morienti, quia reddit et facit abominationem affectui et conscientiae.

Capitulum X.

(Vers. 1.). Ideo subdit: *muscae morientes,* id est cogitationes peccatorum sibi succedentes et ad peccatum mortale inclinantes, *perdunt suavitatem unguenti,* id est, perdunt unctionem, et ita multa bona, quia primae Ioannis secundo [6]: « Unctio docet vos de omnibus ». Vel: *suavitatem unguenti,* id est internam devotionem et dulcorem sapientiae; Proverbiorum vigesimo septimo: « Unguento et variis odoribus delectatur ».

(Vers. 1. 2.). *Pretiosior est sapientia.* Hic ter- Tertia. tio praemittitur sapientia *altitudini mundanae gloriae,* vel etiam stultitiae, quam stulti appetunt. Propterea dicit: *Pretiosior est sapientia parvaque gloria,* id est cum parva gloria, *ad tempus,* id est temporaliter; melior, inquam, *stultitia,* etiam cum magna gloria; supra quarto [7]: « Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto ». Vel potest esse sensus, ut sapientia melior sit stultitia; et etiam parva gloria, *ad tempus,* id est in debito tempore collata, melior est stultitia. — Et subditur ratio: *Cor sapientis in dextera eius, et cor stulti in sinistra illius,* per *dexteram* bona, per *sinistram* mala; Matthaei vigesimo quinto [8]: « Statuet oves a dexteris suis, haedos autem a sinistris ». Vult ergo dicere, quod sapientes cogitant bona, et stulti cogitant mala; Proverbiorum decimo: « Labia iusti considerant placita, os impiorum perversa ». *Dextera* dat intelligere bona aeterna, *sinistra* temporalia; unde

---

[1] Vers. 1. — Seq. locus est Eccli. 13, 27. et 28, in cuius fine Vulgata legit *perducent.*

[2] Vers. 32. — Sequitur Eccli. 32, 9. et 13: In medio magnatorum non praesumas, et ubi sunt senes, non multum loquaris.

[3] Vers. 9. Vulgata *enarrat* pro *narrat.* — Sequuntur Matth. 7, 6. et I. Cor. 2, 14.

[4] Vers. 11. et 12. — Inferius post *patet* Vat. omittit *quia,* et deinde *se.*

[5] Vers. 3. — Duo loci seqq. sunt Sap. 7, 11. et Iac. 2, 10: Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.

[6] Vers. 27: Unctio eius docet etc. — Sequitur Prov. 27, 9. — Superius post *sibi succedentes* ex E supplevimus *et ad peccatum mortale inclinantes,* subinde substituimus ex A *unctionem* pro *intentionem,* et ex E supplevimus *et dulcorem.*

[7] Vers. 13.

[8] Vers. 33. Pro *oves* C D E *agnos.* — Sequuntur Prov. 10, 32. et 3, 16; Cant. 2, 6.

Proverbiorum tertio: « Longitudo dierum in dextera eius, in sinistra illius divitiae et gloria ». Vult ergo dicere, quod sapientes cogitant bona aeterna et cupiunt, et stulti temporalia; Cantici secundo: « Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me ». Cogitat igitur stultus vana et nescit aliquo modo considerare [1] discreta, nec in se nec in aliis, quod est maius inconveniens. Ideo subdit: *Sed et in via stultus ambulans,* in via scilicet illa, quae videtur sibi bona; Proverbiorum duodecimo [2]: « Via stulti recta in oculis eius ». *Cum sit ipse insipiens,* id est, cum insipienter ambulet, quia in tenebris; supra secundo: « Stultus in tenebris ambulat ». *Omnes stultos aestimat,* unde Proverbiorum vigesimo sexto: « Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias ».

Quaestio.

Incidit hic quaestio de hoc quod dicit [3]: *Qui in uno peccaverit* etc.

Ad oppositum.

1. Si enim Deus semper punit citra condignum [4], ergo qui peccat in uno non debet puniri nisi in uno: ergo non debet perdere multa, sed unum.

2. Item, ex hoc videtur, quod sit connexio in vitiis, sicut in virtutibus [5]; quia, si vitium est privatio boni, ergo si uno peccato privantur multa bona, ergo uno peccato incurrit homo multa vitia; sed hoc non est nisi per connexionem: ergo connexio est in vitiis.

3. Item, quod sit connexio in vitiis quantum ad omnia, videtur; dicitur Iacobi secundo [6]: *Qui in uno peccaverit factus est omnium reus:* ergo videtur, quod qui perpetrat unum vitium sit ita reus, ac si omnia perpetraret.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Quia aliqua vitia sunt contraria: ergo si in vitiis esset connexio, tunc duo contraria simul in eodem, quod nefas est dicere [7].

2. Item, vitia non sunt a Deo, sed acquisita ex opere nostro; sed certum est, quod non eodem actu acquiritur in nobis temperantia et iustitia, quando sunt consuetudinales [8]: ergo similiter et in vitiis.

Resp. cum distinctione. Membrum 1.

Respondeo: dicendum, quod est loqui de peccato ratione *deformitatis* et ratione *obligationis ad poenam.* Si ratione *deformitatis,* illa quidem respicit tria, scilicet *privationem boni gratuiti, privationem boni naturalis* sive naturalis habilitatis et ulterius *inclinationem ad actum inordinatum,* quae dicitur habilitatio quaedam. Ratione primi boni est bene connexio in vitiis, quia qui peccat in uno peccato amittit gratiam et omnes virtutes, quatenus sunt gratuitae. Ratione vero *privationis habilitatis* non est connexio, sed eorum distinctio, quia unumquodque vitium propriam privat habilitatem. Ratione tertii, scilicet *inclinationis ad actum,* non est omnimoda distinctio nec omnimoda connexio, nec in quibusdam unum inclinat ad alterum, in quibusdam inclinat aliquando, sicut peccatum gulae ad peccatum luxuriae, similiter in spiritualibus superbia ad invidiam.

Subdistinctio.

Membrum 2.

Est iterum loqui de peccatis quantum ad *obligationem poenae,* et sic obligant ad duplicem poenam, scilicet carentiae visionis et acerbitatis ignis. Quantum ad *primam* est connexio, quia qui in uno peccato peccat amittit gloriam debitam omnibus virtutibus. Quantum autem ad *secundam* non est connexio, sed distinctio, quia unicuique respondet propria acerbitas. — Istud ergo verbum Ecclesiastae et beati Iacobi intelligitur quantum ad amissionem gratiae et gloriae [9].

Ad 1. oppos.

1. Quod igitur obiicitur, quod punitur supra condignum; dico, quod falsum est, quia qui peccat in uno actu peccat contra gratiam omnium virtutum, et ideo totum meretur amittere.

De 3. parte.

Si spiritus potestatem habentis. Praemissa est supra sapientis despectio et econtra ipsius iusta commendatio; subiungitur hic tertio *stultorum promotio.* Et quia praelatio stultorum est onerosa, ideo praemittitur *patientiae armatura,* et subiungitur *stultorum praelatio inordinata,* ibi: *Est malum, quod vidi* etc.

Notantur duo.

Expositio litteralis. De primo.

(Vers. 4.). Praemittitur ergo *patientiae armatura,* propter quam habendam dicit: *Si spiritus potestatem habentis,* id est furor praelati; *spiritus* enim furor dicitur Isaiae secundo [10]: « Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius »; tertii Regum decimo nono: « Spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens » etc. *Ascenderit super te,* ad opprimendum scilicet; Ieremiae quarto: « Ecce, quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius; vae nobis, quoniam vastati sumus ». *Locum tuum ne dimiseris,* id est locum patientiae et constantiae, in quo anima conquiescit, secundum illud Lucae vigesimo primo [11]: « In patientia vestra posside-

---

[1] Refragantibus aliis codd. et Vat., C *cogitare.*

[2] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 2, 14. et Prov. 26, 16, ubi B C D *decem* pro *septem.*

[3] Cap. 9, 18.

[4] Pro hac propositione S. Bonav. in expositione Thren. 2, 5. allegat Sap. 11, 27: Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. Cfr. IV. Sent. d. 46. a. 2. q. 2.

[5] De connexione virtutum cfr. III. Sent. d. 36. q. 1. et 3.

[6] Vers. 10. Cfr. supra pag. 79, nota 5.

[7] Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.): Simul autem non contingit eidem inesse contraria. — E codd. supplevimus *quod nefas est dicere.*

[8] Aristot., II. Ethic. c. 1, agens de virtute morali, quae « ex more, id est assuetudine acquiritur », ostendit, ipsam non a natura nobis esse insitam, neque esse praeter naturam, sed a consuetudine et actionibus nostris oriri. De virtutibus *gratuitis* tenendum, quod ipsae cum gratia simul infunduntur; cfr. III. Sent. d. 36. q. 1.

[9] Vide III. Sent. d. 36. q. 4.

[10] Vers. 22. — Sequuntur III. Reg. 19, 11. et Ier. 4, 13. Post *currus eius* Vulgata addit *velociores aquilis equi illius.*

[11] Vers. 19. — Seq. locus est I. Petr. 2, 18. et 19: Servi... dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis etc.

bitis animas vestras »; primae Petri secundo: « Servi, subditi estote in omni timore dominis vestris, non tantum modestis, sed et discolis; haec est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis » etc. Et redditur ratio utilitatis: *Quia curatio faciet cessare peccata maxima.* Vocatur hic *curatio* flagellorum afflictio, in quibus homo curatur; Sapientiae sexto [1]: « Cura disciplinae est dilectio, et dilectio est custoditio legum ». *Causalis* est utrobique praedicatio, quia, si per multa flagella pervenitur ad dilectionem, et per hanc custoditur lex; ergo cessare facit peccata.

Notandum.

Aliter exponitur: *Si spiritus potestatem habentis*, id est, si spiritus *ambitionis*, id est malitia ambitiosi, *ascenderit super te*, id est, si venerit tibi in mentem, ut velis esse praelatus; *locum tuum ne dimiseris, locum* scilicet subiectionis et servitutis, de quo Lucae decimo quarto [2]: « Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco »; et Ecclesiastici undecimo: « Confide autem in Deo, et mane in loco tuo ». Et ratio redditur: *Quia curatio faciet cessare peccata maxima.* Translatio Symmachi habet [3]: *Quia pudicitia;* unde primae ad Corinthios nono: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar ».

Alia expositio.

Aliter exponitur de *diabolo: Si spiritus potestatem habentis*, id est diaboli; Iob penultimo [4]: « Non est potestas super terram, quae possit ei comparari »; *ascenderit super te*, et hoc tentando; Lucae undecimo: « Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem, et non invenit ». *Locum tuum ne dimiseris, locum* scilicet poenitentiae; ad Ephesios quarto: « Nolite locum dare diabolo ». *Quia curatio cessare faciet peccata maxima;* littera Origenis [5] habet: *salvatio*, quae quidem est per medicinam poenitentiae; Ecclesiastici undecimo: « Malitia unius horae oblivionem facit luxuriae maximae », id est brevis poenitentia magni peccati.

Tertia expositio.

(Vers. 5.). *Est malum, quod vidi* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *stultorum praelatio inordinata*, tum propter defectum *scientiae*, tum propter defectum *vitae*, quia stulti et mali praeficiuntur, sed sapientes et divites bonis moribus deprimuntur. Propter quod dicit: *Est malum, quod vidi sub sole*, id est in praesenti statu hominum, *quasi per errorem egrediens*, non per errorem secundum veritatem, sed apparenter per errorem, sed tamen secundum iustam discussionem; *a facie principis*, illius scilicet, a quo est omnis potestas, qui iusto iudicio dat aliquando malos praelatos; Osee decimo tertio [6]: « Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea ».

De secundo.

(Vers. 6.). Et exprimit, quod est illud malum quantum ad defectum *scientiae: Positum stultum in dignitate sublimi; positum*, bene dicit, quia non est ibi nisi falsa positio; Psalmus [7]: « Posuisti eis, deiecisti eos, dum allevarentur ». Vel: *positum* tanquam lapidem inutilem; unde Zachariae undecimo dicitur stulto praelato: « O pastor et idolum! derelinquens gregem, gladius super brachium eius et super oculum dexterum eius; brachium eius ariditate siccabitur, et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur »; et ideo Proverbiorum vigesimo sexto: « Sicut qui mittit lapidem in acervum mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem ». Econtra: *Divites sedere deorsum; divites*, scilicet bonis moribus et scientia et gratia, de quibus primae ad Corinthios primo [8]: « In omnibus divites facti estis in illo, ut nihil vobis desit in ulla gratia »; et Isaiae trigesimo tertio: « Divitiae salutis sapientia et scientia ».

Quoad defectum scientiae.

(Vers. 7.). Quantum ad *vitae* defectum dicit: *Vidi servos in equis; servos* dicit peccatores, de quibus Ioannis octavo [9]: « Qui facit peccatum servus est peccati »; *in equis*, pluraliter dicit ad expressionem pompae; Deuteronomii decimo septimo: « Cum fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos ». E contra: *Principes ambulantes quasi servos*, illos scilicet principes, qui sibi per bonam vitam principantur; Seneca: « Si bene te rexeris, princeps eris »; istos vidit *quasi servos*, sed in futuro erit e contrario; Lucae decimo quarto: « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur ».

Quoad defectum vitae.

Quaestio.

Quaeritur hic, utrum iustum sit, quod mali praesint bonis. Quod *sic*, videtur:

---

[1] Vers. 19. Pro *custoditio* Vulgata *custodia*. — De *causali* praedicatione cfr. tom. III. pag. 528, nota 5.

[2] Vers. 8. et 10, ubi verba *recumbe in novissimo loco*. — Sequitur Eccli. 11, 22.

[3] Hieron., Comment. in hunc locum: Symmachus verbum Hebraicum *marphe*, quod omnes ἴαμα, hoc est *sanitatem* vel *curationem*, similiter transtulerunt, interpretatus est ad sensum et ait: *Si spiritus principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas; quia pudicitia comprimit peccata magna.* — Subinde allegatur I. Cor. 9, 27, ubi pro *praedicavero* Vulgata *praedicaverim*.

[4] Vers. 24. Vulgata *quae comparetur ei*. — Sequuntur Luc. 11, 24: *Cum... de homine... et non inveniens dicit: Revertar* etc.; Eph. 4, 27.

[5] In sua Hexapla pro hoc loco affert ipse (praeter textum Hebraicum, Vulgatam et Symmachum) versionem, quam tribuit Septuaginta interpretibus: Quia *medela* sedabit peccata magna (ita ed. Migne, Patrol. Graeca tom. XVI. col. 1553), cum qua convenit Theodotion. Hieron. autem cum nostris editionibus versionem Septuaginta interpretum (quae apud Origenem ut textus Hebraicus refertur) ita exhibet: Quia *sanitas* requiescere facit peccata magna. — Seq. locus est Eccli. 11, 29. Vulgata omittit *unius* et ponit *magnae* pro *maximae*. — Haec expositio est ex Hieron. in hunc locum.

[6] Vers. 11.

[7] Psalm. 72, 18. — Sequuntur Zach. 11, 17. et Prov. 26, 8.

[8] Vers. 5. et 7: ita ut nihil vobis etc. — Seq. locus est Isai. 33, 6.

[9] Vers. 34. — Sequuntur Deut. 17, 16. (pro *non* C D E *rex*) et Luc. 14, 11. — Seneca, Epist. 37: Si vis omnia tibi subiicere, te subiice rationi; multos reges, si ratio te rexerit. Epist. 113. (alias 114.) circa finem: Imperare sibi maximum imperium est. — Aliquanto inferius pro *vitam* Vat. perperam *viam*.

1. Quia dicitur ad Romanos decimo tertio[1]: Fundamenta. *Non est potestas nisi a Deo:* ergo mali principes non habent potestatem nisi a Deo.

2. Item, Ioannis decimo nono[2]: *Non haberes*, ait Christus Pilato, *potestatem adversus me ullam, nisi desuper tibi datum esset.* Et exponit Augustinus *desuper:* id est a Deo: ergo si Pilatus malus erat et male utebatur potestate, ergo quod mali praesint, hoc est a Deo.

3. Item, primae Petri secundo[3]: *Subditi estote non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis;* et reddit rationem: *propter conscientiam:* ergo si iustum est eis subesse, cum omne iustum sit a Deo, hoc etiam ab ipso erit.

4. Item, Iob trigesimo quarto[4]: *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi* etc.: ergo etc.

Contra: 1. Osee octavo[5]: *Ipsi regnaverunt et non* Ad oppositum. *ex me; principes exstiterunt, et ego non cognovi:* ergo videtur, quod praelatio malorum non sit a Deo.

2. Item, servitus est poena inflicta pro peccato[6], ergo nulli recte et iuste infligitur nisi peccatori: ergo *ab oppositis,* nec dominium iuste datur nisi iusto. Ergo si dominium datur peccatori, et servitus iusto; est ibi defectus ordinis et iustitiae: ergo non est a Deo.

3. Praeterea, si potestas malorum est iusta et a Deo, quia a Deo nihil est nisi iustum; cum nullus debeat alicui auferre ius suum[7]: ergo nullus debet laborare ad depositionem mali praelati: ergo quicumque laborat, contra hoc peccat.

Respondeo: dicendum, quod malus vel iniustus Resp. praelatus est sub triplici differentia. Quidam est iniu- Triplex differentia. stus in se, tamen iuste ingreditur et iuste exsequitur; et talis iuste[8] praeesse potest nec in hoc peccat, et iustum est tali subesse. Est et alius, qui iniuste ingreditur et exsequitur; et talis non potest iuste praeesse, nec tali debet homo subesse. Est et alius, qui iniustus est, sed tamen iuste ingreditur, sed iniuste exsequitur, quia affligit bonos et promovet malos; tali iustum est subesse in his quae spectant ad iustitiam; sed in his quae contra Deum sunt, non debet homo subesse; et « quia privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate[9] », etsi iuste ingressus fuerit; tamen iustum est, eum amoveri.

Quod ergo obiicitur ad primam partem, utrum malos praeesse sit iustum; dicendum, quod malos, qui *bene* regunt, praeesse, non est malum reipublicae; sed qui *male* regunt iustum est praeesse, non sua iustitia, sed divina, quia *facit* eum *regnare propter peccata populi*[10]. — Et sic patet responsio ad prima obiecta, quod malorum hominum potestas a Deo est.

1. Quod obiicit in contrarium primo, dico, quod Solutio oppositorum. intelligit quantum ad eos qui intrant illegitime et propria auctoritate, non divina.

2. Quod obiicit de ordine, dico, quod poena peccati manet etiam sine peccato ad exercitationem; sic etiam dico de servitute in bonis.

3. Quod obiicit: si a Deo, ergo iustum est, Notandum. istum habere talem potestatem; dicendum, quod per comparationem ad *merita sua* non est iustum, immo iniquum; comparatione ad *merita malorum* subditorum est iustum. Et quia ex diversis causis licitum est nobis velle contraria, ubi non patet divina voluntas; et nescimus, quid horum de futuro magis placeat Deo: iuste potest homo laborare, ut iniustus praelatus amoveatur. — Praeterea, talem potestatem habuit a Deo, sed exsecutionem a se; potestatem Confirmatur. habuit iuste, sed exsequitur iniuste: et ideo quamdiu a Deo habet potestatem, est obediendum; sed quia iniuste exsequitur, ut non habeat, est laborandum. Sic patet illud[11].

Secundo datur remedium contra vanitatem securitatis.

Qui fodit foveam etc. Posuit supra vanitatem securitatis; hic secundo intendit *dare remedium* contra vanitatem illam; et quia securitas oriebatur ex defectu retributionis iustae et regiminis providentiae, qui apparebant esse: ideo sunt hic duae partes. Primo dat remedium contra defectum *ordinis providentiae;* secundo, contra defectum *iustae retributionis,* infra undecimo[12]: *Mitte panem tuum* etc.

Primo datur remedium contra securitatem ortam ex defectu ordinis providentiae.

Inordinatio autem *regiminis* venit ex triplici causa: aut quia praeficitur *malus,* aut quia *stultus,*

---

[1] Vers. 1.

[2] Vers. 11. Expositio huius loci datur ab August., Enarrat. in Ps. 32. enarrat. 3. n. 12; in Ps. 103. serm. 3. n. 22. et lib. II. de Diversis Qq. ad Simplician. q. 1. n. 4. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XLIV. c. 1.

[3] Vers. 18: Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum etc. Ratio redditur ibid, v. 19: Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste.

[4] Vers. 30. Voci *hypocritam* Vulgata praefigit *hominem.*

[5] Vers. 4.

[6] Ambros., II. de Abraham c. 11. n. 79: Servitus peccato contrahitur. Cfr. tom. II. pag. 168, nota 3. et pag. 1008, nota 3, ubi loci ex August. allegati sunt.

[7] Iustinian., I. Dig. tit. 6. De iis qui sui etc. leg. 2. dicit, quod non licet, « cuiquam hominum ius suum detrahi ».

[8] Vat. *iusto,* et deinde *subiectos esse* pro *subesse.*

[9] Ut ait Innocent. III. in C. *Tuarum* (11.) et C. *Ut privilegia* (24.), X. de Privileg. et excess. privileg. (lib. V. Decret. Gregor. IX. tit 33.).

[10] Cfr. de hoc verbo Iob 34, 30. Gregor., XXV. Moral. c. 16. n. 34. seqq.

[11] Vide II. Sent. d. 44. a. 2. et 3, et Alan. ab Insulis, II. contra Haereticos, c. 2-6; ubi sententiam Waldensium et posteriorum haereticorum, qui malorum superiorum nullam esse auctoritatem docebant, impugnat. — Superius pro *quamdiu* Vat. non bene *quoniam.*

[12] Vers. 1.

aut quia *inutilis et remissus.* Primo ergo dat remedium contra praelatum *malum;* secundo, contra praelatum *stultum,* ibi: *Verba oris sapientis gratia;* tertio, contra praelatum *carnalem et remissum,* ibi: *Vae terra tibi, cuius rex puer est.*

Primo, quoad defectum regiminis, quando praeficitur praelatus malus.

Quantum igitur ad primum sic procedit. Primo
Divisio. dicit, bonum praelatum non esse, *amovendum;* secundo, malum non esse *sustinendum* sive promovendum; tertio dicit, ipsum promotum esse *corrigendum;* quarto, quod non est ei occulte *detrahendum.*

(Vers. 8.). Primo igitur dicit, *bonum* praelatum
Expositio literalis. non esse amovendum, nec per *fraudulentiam* nec
De primo. per *violentiam.* Non per *fraudulentiam;* unde com-
Non per fraudolentiam. minatur: *Qui fodit foveam,* scilicet parando laqueum bono praelato, *incidet in eam;* Psalmus [1]: « Lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam,
Nec per potentiam. quam fecit ». Non est etiam amovendus per *potentiam;* unde comminatur facienti contrarium: *Qui dissipat sepem,* id est bonum praelatum, qui custodit subditos sicut sepes; Ecclesiastici trigesimo sexto: « Ubi non est sepes, diripietur possessio ». *Mordebit eum coluber,* id est diabolus cum daemonibus, qui sunt colubri mordentes; Ieremiae octavo: « Ecce, ego mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos ».

(Vers. 9.). *Qui transfert lapides* etc. Hic secundo
De secundo. ostendit, *durum et inutilem* praelatum non esse promo-
Quoad durum. vendum; et comminatur promoventibus *durum;* unde dicit: *Qui transfert lapides,* id est, duros et malos ad maiorem promovet dignitatem; *affligetur in eis,* id est per eos, vel propter eos; Proverbiorum vigesimo sexto [2]: « Sicut qui mittit lapidem in acervum mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem »; et post: « Qui volvit lapidem, ad eum revertetur »; et Ecclesiastici vigesimo septimo: « Qui in altum mittit lapidem, cadet super caput eius ». Non est etiam
Quoad inutilem. promovendus *vanus et inutilis;* ideo dicit: *Qui scindit ligna,* alia translatio: *Qui dolat;* ille dolat, qui supponere vult aedificationi praelatum inutilem [3]. Praelatus inutilis ligno comparatur, quia, sicut lignum infructuosum scissum igni traditur, sic et praelatus; Matthaei septimo [4]: « Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur ». Ille *vulnerabitur ab eis,* quia scilicet conscientia vulneratur; Ecclesiastici vigesimo septimo: « Plaga dolosa dolosi dividet vulnera ». De his vulneribus Isaiae primo: « Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata neque fota oleo ».

(Vers. 10.). *Si retusum fuerit ferrum* etc. Hic
De tertio. subiungit tertio, eum praelatum, qui aliquo modo declinavit in malum, esse *corrigendum,* quia potest valere, quamvis oporteat multum laborare. Ideo dicit: *Si retusum fuerit ferrum,* id est, acumen bonitatis et sapientiae fuerit immutatum per culpam in praelato; *et hoc non ut prius,* acutum supple, *sed hebetatum fuerit,* per culpam; *multo labore,* scilicet correptionis, *exacuetur,* id est, reducetur ad pristinam rectitudinem; Proverbiorum vigesimo septimo [5]: « Ferrum ferro acuitur, et homo exacuit faciem amici sui ». Et per hanc similitudinem corporalium infert in spiritualibus: *Et post industriam,* id est laborem industriae, *sequetur sapientia,* sicut post acuitionem ferri sequitur rectitudo et subtilitas aciei ad incidendum; Proverbiorum decimo quinto: « Auris, quae audit increpationes vitae, in medio sapientium commorabitur »; et Proverbiorum secundo: « Si quaesieris eam quasi pecuniam et sicut thesaurum effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini et scientiam invenies ».

(Vers. 11.). *Si mordeat* etc. Hic quarto osten-
De quarto. dit, non esse tali praelato occulte *detrahendum;* et ostendit magnitudinem culpae detractionis per simile in corporalibus. Ideo dicit: *Si mordeat serpens in*
Simile. *silentio,* quod est ipsius serpentis, quia occulte venenum infundit; *nihil eo minus habet qui occulte detrahit,* quia, sicut illud est fraudulentum, ita et hoc, quia hoc est *maledicere surdo;* Levitici decimo nono [6]: « Non maledices surdo, nec coram caeco ponas offendiculum ». Sicut est illud mortiferum, ita et hoc; ad Galatas quinto: « Si invicem mordetis et comeditis, videte, ne ab invicem consumamini »; Proverbiorum vigesimo sexto: « Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris ». Sicut et olim liberabantur aspiciendo in Christum, secundum quod dicitur Sapientiae decimo sexto [7]: « Qui conversus erat, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te Dominum, omnium Salvatorem »; ita et nunc. Unde ipse dicebat, Ioannis decimo quinto: « Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt ».

---

[1] Psalm. 7, 16. — Sequuntur Eccli. 36, 27. et Ier. 8, 17.

[2] Vers. 8. Ibid. v. 27. est seq. locus; tertius Eccli. 27, 28.

[3] Verba *praelatum inutilem,* omissa in Vat. et plerisque codd. (ut videtur, propter repetitionem sequentem) supplevimus ex E (in marg.); C post *supponere* habet *praelatum malum.* — Cuius sit *alia translatio: Qui dolat,* paulo superius allegata, nescimus; neque Origenes neque Hieron. eam exhibent.

[4] Vers. 19. — Sequuntur Eccli. 27, 28. et Isai. 1, 6: *Vulnus... circumligata nec curata medicamine neque fota oleo.*

[5] Vers. 17. — Sequuntur Prov. 15, 31. et 2, 4. seq. Post *scientiam* Vulgata addit *Dei.*

[6] Vers. 14. — Sequuntur Gal. 5, 15; Prov. 26, 22, ubi pro *usque ad interiora* Vulgata *ad intima.* — Superius ex E substituimus *fraudulentum* pro *fraudulenter.*

[7] Vers. 7. Vulgata *conversus est* pro *conversus erat;* deinde omittit *Dominum.* — Sequitur Ioan. 15, 20. — Superius post *Sicut* Vat. corrupte *etiam liberantur aspiciendo in ipsum.*

Quaestio.

Quaeritur, utrum occulte dicere malum de aliquo sit detractio et peccatum, ubi constat esse verum dicenti. Quod *non*, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia, sicut bonus est dignus laude, ita malus est dignus vituperio: ergo sicut iustum est laudare bonum, ita iustum est vituperare malum: ergo sicut non peccat qui laudat bonum, ita nec qui dicit malum de malo.

2. Item, sicut congaudendum est bono, ita compatiendum est malo: ergo sicut potest aliquis recitare alicui bonum alterius congaudendo sine peccato, ita malum compatiendo: ergo qui dicit malum de altero occulte, si compatitur, non peccat.

3. Praeterea, Dominus dicit Matthaei decimo octavo [1], quod quando peccat proximus, est corrigendus coram uno vel coram duobus; quod si non audit, dicendum est Ecclesiae: ergo saltem de incorrigibili videtur quod homo possit malum dicere cuilibet.

Fundamenta. Contra: 1. *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* [2]: ergo quod non vis de te dici, non debes dicere de alio; sed non debes velle, quod aliquis diceret de te malum, te absente, quia nihil tibi proderit: ergo etc.

2. Item, qui dicit malum de alio aufert ei bonum nomen: ergo cum *nomen bonum* sit *melius quam multi thesauri* [3], ergo cum homo non possit alii auferre thesauros sine peccato, similiter etc.

3. Item, dicitur Levitici decimo nono [4]: *Non maledices surdo;* sed qui male dicit retro maledicit surdo: ergo facit contra illud praeceptum.

4. Praeterea, peccatum factum in publico scandalizat: ergo qui peccatum aliquod, quod non est publicum, publicat, scandalizat; sed ille qui obloquitur, facit peccatum innotescere, quod latet: ergo scandalizat eum, cum quo loquitur.

Resp. Respondeo: dicendum, quod qui dicit malum de alio, aut dicit *necessitate compulsus*, aut *inductus*
Triplex casus. *utilitate*, aut *exagitatus detrahendi libidine.* Tunc
Primus. *compellitur necessitate*, quando astringitur praecepto vel *humano*, vel *divino*: *humano*, quando dicit ei qui potest praecipere et praecipit, ut dicat; *divino*, quando conscientia dictat homini, quod ipse tenetur accusare proximum, ut corrigatur, secundum illud
Secundus. praeceptum Domini de correctione fraterna. — Tunc *inducitur utilitate*, quando narrat malum eius alicui, qui potest prodesse et non obesse, et cui prodest audire illud malum et non obest [5], sicut quando quis narrat homini, qui diligit et qui compatitur et habet voluntatem corrigendi ipsum. — Quando vero
Tertius. non consideratur necessitas, nec consideratur utilitas, etiam si sit veritas, non excusatur a *detrahendi libidine*, immo peccato detractionis peccat, etiam si verum dicat.

Rationes igitur, quae probant, quod peccatum sit dicere malum de alio in absentia, concedendae sunt, nisi interveniat necessitas vel utilitas; tunc enim patet, quod non valent.

Solutio oppositorum. 1. Quod obiicitur in contrarium, quod iustum est vituperare etc.; dicendum, quod quamvis digni sint vituperio, non tamen homo debet vituperare. Nec est simile de laude, quia fama bona excitat ad bonum, sed mala ad malum, et ideo non est publicandum malum, sicut bonum. — Praeterea, non est meum iudicare.

2. Quod obiicitur de compassione, dicendum, quod vera compassio est, in qua vulneratur compatiens, non in qua damnificatur miser. Et quia iste in hac oblocutione damnificat peccatorem [6] in fama, ideo non debet accusare.

3. Quod obiicitur de Domini mandato, dicendum, quod Dominus intelligit, quod vocandi sunt qui possunt et volunt prodesse; et per *Ecclesiam* non intelligit multitudinem, sed intelligit eum qui prodesse potest et debet corrigere, et tali est dicendum [7].

Secundo, quoad defectum regiminis, quando praeficitur praelatus stultus.

Divisio. *Verba oris sapientis* etc. Dedit supra remedium contra praelati malitiam; hic dat remedium contra praelati *stultitiam*, ostendens, praelatum stultum non esse promovendum, sed magis praecipitio dignum: primo propter defectum *locutionis discretae;*
Defectus triplex. secundo propter defectum *considerationis providae;* tertio propter defectum *operationis fructuosae.*

Expositio litteralis. (Vers. 12. 13. 14.). Propter defectum *locutionis*
De primo. *discretae* stultus se ipsum praecipitat, sicut per antithesim sapiens exaltat. Ideo dicit: *Verba oris sapientis gratia*, quia in ipsis propter discretionem acquirit gratiam; Ecclesiastici vigesimo [8]: « Sapiens verbis se ipsum amabilem facit »; sed econtra: *Labia insipientis praecipitabunt eum,* id est verba, quae procedunt ex labiis insipientis; Proverbiorum decimo octavo: « Os stulti contritio eius, et labia illius ruina animae eius ». — Et ratio praecipitationis est in-

---

[1] Vers. 15-17.

[2] Tob. 4, 16: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. Cfr. Matth. 7, 12; Luc. 6, 31. — Inferius verba *dicere de alio, sed non debes* Vat. transponit post *proderit*, mutato *sed* in *si*.

[3] Prov. 22, 1, ubi pro *multi thesauri* Vulgata *divitiae multae*. Cfr. Eccle. 7, 2.

[4] Vers. 14. — Pro *male dicit retro* C *detrahit*.

[5] Verba *et cui... obest* supplevimus ex codd. Infra post *non excusatur* A addit *sed peccat*. Videtur in codd. ante *detrahendi* perperam excidisse particula *a*.

[6] Vat. *peccator est* pro *peccatorem*. Cum codd. varie dissentiant inter se, haec correctio nobis probabilior visa est.

[7] Cfr. Alex. Hal. S. p. II. q. 130. per totam.

[8] Vers. 13: Sapiens in verbis etc. — Sequuntur Prov. 18, 7. et 29, 20.

discretio, quia indiscrete *inchoat;* unde dicit: *Initium verborum eius stultitia.* Et ratio huius est, quia non considerat; unde Proverbiorum vigesimo nono: « Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est quam illius correptio ». Indiscrete etiam *consummat;* unde dicit: *Et novissimum oris illius error pessimus,* quia stultitia in fine perducit ad sententiam erroneam; Proverbiorum decimo quarto [1]: « Imprudentia stultorum errat »; quia, sicut dictum est supra secundo « oculi sapientis in capite eius, stultus in tenebris ambulat ». — Ulterius in stultitia *perseverat;* ideo subdit: *Stultus verba multiplicat,* ita multiplicando verba stulta pertinax efficitur in malitia; contra quod in Psalmo: « Non declines cor meum in verba malitiae » etc.; et hoc inutile et vanum, unde dicitur Proverbiorum decimo nono: « Qui autem verba sectatur, nihil habebit »; et Proverbiorum decimo quarto: « Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas ».

De secundo. (Vers. 14.). *Ignorat homo* etc. Hic secundo ostendit in stulto defectum *considerationis providae;* quia, cum ignoret praeterita, non potest praevidere futura. Ideo dicit: *Ignorat homo, quid ante se fuerit,* tanquam stultus et inconsideratus; Iacobi primo [2]: « Consideravit se et abiit et statim oblitus est, qualis fuerit ». *Et quid post eum futurum est, quis ei poterit indicare?* quasi dicat: nullus; supra octavo: « Qui ignorat praeterita futura nullo potest scire nuntio », et hoc quidem est valde damnosum; unde Deuteronomii trigesimo secundo: « Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent ».

De tertio. (Vers. 15.). *Labor stultorum* etc. Hic tertio ostendit, in stulto esse defectum *operationis fructuosae,* quia in labore suo multum affligitur et parum proficit. Ideo dicit: *Labor stultorum affliget eos,* quia non laborant in bonis; Ieremiae nono [3]: « Ut inique agerent, laboraverunt »; unde Sapientiae quinto: « Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus ». Et huius rationem reddit: *Qui nesciunt in urbem pergere,* id est, nesciunt viam rectam ad eundum in urbem illam, de qua Isaiae vigesimo sexto: « Urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale ». In hanc urbem nesciunt stulti pergere; unde supra sexto: « Quid habet amplius stulto sapiens? et quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita »?

Expositio spiritualis. *Spiritualiter* hic per *sapientem* intelligimus Christum, per *insipientem* antichristum. *Verba oris sapientis gratia,* quia verba Christi gratiosa; Psalmus [4]: « Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum; et Lucae secundo: « Stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius »; et alii dicebant Ioannis septimo: « Nunquam sic homo locutus est ». — Econtra *insipiens* est antichristus, de quo in Psalmo [5]: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus ». *Labia eius praecipitabunt eum,* quia propter suae doctrinae malitiam demergetur in profundum, Iob decimo octavo: « Arctabuntur gressus virtutis eius, et praecipitabit eum consilium suum ». Verba enim eius erunt verba blasphemiae et superbiae; ideo stulta et erronea. Unde dicitur Danielis undecimo: « Adversus Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec compleatur iracundia »; et secundae ad Thessalonicenses secundo: « Revelabitur homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et exaltabitur super omne, quod dicitur Deus » etc. — Iste insipiens non tantum indiscretus erit in loquendo, sed etiam *improvidens,* quia non considerabit ruinam, quae secutura est eum, secundum quod dicit Apostolus secundae ad Thessalonicenses secundo [6]: « Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui ». Istum insipientem stulti sequentur et affligentur: *Qui nesciunt in urbem pergere,* per veram fidem et dilectionem; secundae ad Thessalonicenses secundo: « Mittet illis Deus operationem erroris, qui veritati non crediderunt, sed consenserunt iniquitati »; eo quod caritatem veritatis non receperunt; ideo nescientes decipientur; unde in Psalmo: « Nescierunt neque intellexerunt, ideo in tenebris ambulant ».

Tertio, quoad defectum regiminis, quando praeficitur praelatus inutilis et remissus.

Divisio. *Vae tibi terra* etc. Dedit remedium contra inordinationem, quae provenit ex praelato malo et stulto; hic tertio dat remedium contra inordinationem, quae provenit ex praelato *inutili et remisso.* Ostendit igitur, talem pigrum et carnalem non esse praeficiendum nec etiam sustinendum. Et habet haec pars Partes duae. duas: quia primo detestatur eum, ostendens ipsum *praelatione indignum;* secundo dicit, non esse ei *occulte detrahendum,* ibi: *In cogitatione tua* etc.

De 1. parte. Ostendit ergo, carnalem et pigrum esse praelatione indignum, primo propter *deordinationem gulae;* secundo propter infirmitatem vel *otiositatem pi-*

---

[1] Vers. 8: Imprudentia stultorum [est] errans. — Sequuntur Eccle. 2, 14; Ps. 140, 4; Prov. 19, 7. (Vulgata: *Qui tantum)* et 14, 23.

[2] Vers. 24. — Sequuntur Eccle. 8, 7, ubi Vulgata voci *futura* praefigit *et;* Deut. 32, 29.

[3] Vers. 5. — Sequuntur Sap. 5, 7; Isai. 26, 1. et Eccle. 6, 8.

[4] Psalm. 44, 3. — Subinde allegantur Luc. 2, 47; Ioan. 7, 46.

[5] Psalm. 13, 1. — Sequuntur Iob 18, 7; Dan. 11, 36; II. Thess. 2, 3. et 4. (Vulgata: Revelatus fuerit... adversatur et extollitur super etc.).

[6] Vers. 8; ibid. v. 10. et 11. (post *erroris* in Vulgata plura adduntur) est seq. locus; tertius est Ps. 81, 5. — Cfr. de praenotata expositione Glossa *interlinearis* in Eccle. 10, 12. seqq. apud Lyranum.

gritiae; tertio propter *ineptitudinem laetitiae;* quarto propter *subversionem iustitiae,* ob amorem pecuniae.

(Vers. 16. 17.). Propter *deordinationem gulae* praelatus carnalis et remissus est praelatione indignus, et vae eis qui eum sibi praeficiunt. Ideo dicit: *Vae tibi terra, cuius rex puer est,* id est insecutor passionum; pueri enim passionum sunt insecutores; Isaiae penultimo [1]: « Puer centum annorum morietur ». Ideo *vae,* quia occasio damnationis aeternae et signum indignationis divinae; Isaiae tertio: « Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis ». Et quia principes sequuntur ducem, ideo dicit: *Et cuius principes mane comedent,* cito quaerentes delectabilia; et ideo semper sunt *insipientes,* quia dicitur Proverbiorum vigesimo [2]: « Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur, non erit sapiens ». — Et quia « opposita iuxta se posita magis elucescunt », commendat contrarium, in eius detestationem dicens: *Beata terra, cuius rex est nobilis,* nobilitate scilicet morum, quia *nobilitas* sola est quae animum moribus ornat; de quo Proverbiorum ultimo [3]: « Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae ». Et quia principes sequuntur ducem, ideo subdit: *Et cuius principes vescuntur tempore suo,* id est hora debita post negotia expedita, et hoc *ad reficiendum, non ad luxuriam; interlinearis:* « Tantum comedunt, ut vivant; non vivunt, ut comedant », sicut illi, de quibus secundae Petri secundo: « Coinquinationes et maculae deliciis affluentes, in conviviis luxuriantes ».

Expositio litteralis. De primo.

(Vers. 18.). *In pigritiis humiliabitur* etc. Hic secundo ostenditur, ipsum praelatum remissum indignum esse propter *otiositatem pigritiae,* ad quam consequitur destructio domus constructae. Propter quod dicit: *In pigritiis humiliabitur contignatio. Contignatio* dicitur coniunctio lignorum ad cooperiendam domum [4]. Ista *humiliatur in pigritiis,* quia, dum negligitur reparari, corruit; sic etiam destruitur aedificium spirituale per pigritiam; Proverbiorum decimo octavo [5]: « Qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est opera sua dissipantis ». Et quia, ubi non est timor Domini pungens, regnat pigritia; ideo dicitur Ecclesiastici vigesimo septimo: « Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua ». *Et in infirmitate manuum perstillabit domus.* Idem dicit, sed magis explanat; *domus perstillat,* quando est pluviosa et non defendit ab imbribus in qua non est bonum; nec securum esse; unde Proverbiorum vigesimo septimo [6]: « Tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur ». Ista domus perstillat, quando manus sunt infirmae et remissae; ideo ad Hebraeos duodecimo: « Remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris ».

De secundo.

(Vers. 19.). *In risu faciunt panem* etc. Hic tertio ostendit ipsius pigri et carnalis indignitatem propter *ineptitudinem laetitiae,* in qua semper volunt esse carnales, et propter quam faciunt omne, quod faciunt. Ideo dicit: *In risu faciunt panem et vinum;* Glossa [7]: Praelati in risu, id est in laetitia inepta; Lucae duodecimo: « Anima mea, habes multa bona in annos plurimos, comede, bibe, epulare ». Et ideo subiungit: *Ut epulentur bibentes;* faciunt enim, ut comedant, non ut esurienti frangant; Iacobi quinto: « Epulati estis super terram et in luxuriis enutristis corda vestra ». Et de hoc reprehenduntur Isaiae quinto: « Cithara et lyra et vinum in conviviis vestris, et opus Dei non respicitis ».

De tertio.

(Vers. 19.). *Et pecuniae obediunt omnia* etc. Tangitur hic quarto, quod indigni sunt propter *subversionem iustitiae,* quam subvertunt ob amorem pecuniae. Ideo dicit: *Et pecuniae omnia obediunt,* quia omnes pecuniam super omnia diligunt; Isaiae primo [8]: « Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones »; et inde sequitur subversio iustitiae: « Pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad eos »; et Ieremiae sexto: « A minore usque ad maiorem omnes avaritiae student ».

De quarto.

In cogitatione tua etc. Supra ostendit carnalem et pigrum indignum praelatione; hic *compescit subditos in occulta detractione,* si contingat, talem praefici; et primo ponit *exhortationem;* secundo reddit *rationem.*

De 2. parte.

(Vers. 20.). *Exhortatur* igitur, ut nec malum dicat minuendo famam, nec malum imprecetur optando eius miseriam. Ideo dicit: *In cogitatione tua regi ne detrahas,* id est in occulto; Exodi vigesimo secundo [9]: « Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices ». *Et in secreto cubiculi tui,* id est conscientiae, *ne maledixeris diviti,* et hoc imprecando malum; ad Romanos duodecimo: « Benedicite persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere »;

Expositio litteralis. Exhortatio.

---

[1] Vers. 20; ibid. 3, 4. est seq. locus.

[2] Vers. 1. — Aristot., I. Elench. c. 14. (c. 15.): « Appositis enim iuxta se contrariis, minora et maiora apparent et peiora et meliora hominibus ». Et II. de Caelo et mundo, text. 40. (c. 6.): Sensibiliora enim sunt iuxta se invicem posita.

[3] Vers. 23. — Sequitur II. Petr. 2, 13: Coinquinationes... in conviviis suis luxuriantes vobiscum. Glossam *interlinearem* exhibet Lyranus in Eccle. 10, 17.

[4] Glossa *interlinearis* in hunc locum apud Lyranum: *Tigna* congeries lapidum vel domorum [Card. Hugo a S. Charo in hunc locum: *contignatio,* id est tignorum constructio; tigna sunt ligna aedificii, quae in gallico caprones (chevrons) dicuntur, quia se invicem mutua colligatione capiunt]. Vide Hieron., Comment. in hunc locum.

[5] Vers. 9. — Sequitur Eccli. 27, 4.

[6] Vers. 15. — Seq. locus est Hebr. 12, 12. et 13.

[7] Glossa *interlinearis* apud Lyranum: Quia praelati vel quilibet deliciis et risui dediti. Cfr. Hieron. in hunc locum (Vulgata *In risum*). — Subinde allegantur Luc. 12, 19: Anima... bona posita in annos plurimos, requiesce, comede etc.; Iac. 5, 5. et Isai. 5, 12, ubi Vulgata post *lyra* addit *et tympanum et tibia.* — Superius e codd. supplevimus *Hic tertio ostendit... Ideo dicit.*

[8] Vers. 23, ubi etiam est seq. locus; tertius est Ier. 6, 13.

[9] Vers. 28. — Sequuntur Rom. 12, 14. et I. Petr. 3, 9.

et primae Petri tertio: « Non maledictum pro maledicto ».

Quia aves caeli etc. Hic redditur exhortationis
Ratio. *ratio:* quia publicabitur ab Angelis quod dixisti in occulto, quia *aves caeli portabunt vocem tuam.* Aves caeli vocat daemones propter suam velocitatem, quia veloces sunt, vel propter rapacitatem; unde Genesis decimo quinto [1]: « Descenderunt volucres caeli super cadavera, et abigebat eas Abraham »; et Matthaei decimo tertio: « Aliud cecidit secus viam, et venerunt volucres et comederunt illud ». Et appellatur hic *caelum* aër caliginosus, in quo daemones habitant. Isti portant vocem, quia publicant frequenter occulta; Matthaei decimo [2]: « Nihil occultum, quod non scietur ». *Et qui habet pennas annuntiabit sententiam,* id est, diabolus annuntiabit malam tuam locutionem, quia ipse est accusator; sed ipse proiicietur tandem, unde Apocalypsis duodecimo: « Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos die ac nocte ».

Quaestiones.

I. Sed incidit hic dubitatio, quia dicit, quod *aves caeli,* id est daemones, denuntiant detractionem cogitationis: ergo videtur, quod diabolo sit nota voluntas nostra et cogitatio.

Sed contra hoc est: 1. Quia de solo Deo dici-
Fundamenta. tur [3], quia ipse est *scrutans corda et renes:* ergo solus cognoscit cogitationes et affectiones.

2. Item dicit Augustinus [4], quod si diabolus cognovisset patientiam Iob, nunquam eum tentasset, quia non tentat aliquem, nisi ut vincat, non ut vincatur.

Respondeo: dicendum, quod nec daemones, nec
Resp. etiam boni Angeli nisi in Verbo, possunt cognoscere cogitationes nostras et affectiones occultas; et voco *occultas,* quae non manifestantur per signa; eas autem, quae per signa manifestantur, daemones deprehendunt et illas cognoscunt; et quia paucae sunt, quarum non appareant aliqua signa vel in opere, vel in facie, vel in verbo, sive alio modo: ideo dicit, quod *audiunt* [5].

II. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *aves caeli portabunt* vel annuntiabunt.

Ego quaero: quomodo portabunt? Si dicatur, quod ad eum, de quo dicitur; istud falsum est, quia tunc quilibet sciret omnia mala occulta, quae de se dicuntur: intelligit ergo, quod portabunt ad Deum.

Sed contra: 1. Deus est nobis immediatior et Ad oppositum.
praesentior quam daemones, cum *non longe sit ab unoquoque nostrum* [6]. Si igitur *portare* vel *annuntiare* fit ei qui distat, patet, quod non sit idem.

2. Item, illud *portare* per quos fit? Aut per Angelos *bonos,* aut per *malos;* non per *bonos,* quia boni nostram salutem procurant, non ergo damnationem: non ergo offerunt mala. Si per *daemones; contra:* Daemones Deum non vident nec magis Deo loquuntur quam mali homines: ergo si mali homines non ferunt ad Deum, ergo nec daemones.

Respondeo: dicendum, quod *aves* dicuntur hic Resp.
mali spiritus sive daemones; isti dicuntur Deo portare merita mala et occulta, Angeli autem boni merita bona. *Portare* autem, hoc non est Deo voce tenus referre, vel ei tanquam ignoranti notificare, sed malitiam nostram cognoscere et cognoscendo memorari et testis esse. Boni autem addunt supra cognitionem, memoriam et testimonium intercessionem, mali vero accusandi voluntatem [7].

1. 2. Et sic patet responsio, quia non referunt s io oppp orum.
tanquam distanti, sed tanquam iudici. Et ad secundum, quia mali ex officio mala observant et damnationem procurant; ideo eis competit.

Capitulum XI.

Secundo datur remedium contra vanitatem securitatis ortam ex defectu retributionis iustitiae.

Mitte panem tuum etc. Posuit supra remedium
Divisio. contra hoc, quod videbatur deficere regimen providentiae ex inordinatione praelationis; hic secundo ponit remedium contra hoc, quod videbatur deficere *retributio iustitiae,* propter quam assecurabatur homo in malo et torpebat ad bonum. Remedium autem hoc consistit in consideratione retributionis futurae; et quoniam Deus tribuit bene facientibus bona et male facientibus retribuit mala: ideo primo ex considera-

---

[1] Vers. 11. — Sequitur Matth. 13, 4: Quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres caeli et comederunt ea. Cfr. Marc. 4, 4. et Luc. 8, 5. — De loco daemonum cfr. II. Sent. d. 6. a. 2. q. 1. 2. et dub. 1. seq.

[2] Vers. 26: Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur. — Sequitur Apoc. 12, 10, ubi Vulgata post *accusabat* prosequitur *illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.*

[3] Psalm. 7, 10. et Apoc. 2, 23.

[4] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 17. n. 34: Certissimis tamen indiciis apud nos consistit, enuntiatas a daemonibus cogitationes hominum, qui tamen, si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent; sicut illam in Iob nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio si posset diabolus cernere, nollet a tentato utique superari.

[5] Cfr. II. Sent. d. 7. p. II. q. 3. fundam. 4. et d. 8. p. II. q. 6.

[6] Act. 17, 27.

[7] Tob. 12, 12. seqq.: Quando orabas... ego obtuli orationem tuam Domino etc. Apoc. 12, 10: Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Cfr. supra nota 2, et Gregor., II. Moral. c. 8. n. 14. seq.

tione praemii *invitat ad bonum;* secundo ex consideratione supplicii *revocat a malo,* ibi: *Si annis multis vixerit homo.*

Primo invitat ad bonum consideratione praemii.

Bonum autem, ad quod invitat, est bonum pietatis, quae « valet ad omnia », et propter quam maxime iusti salvantur, sicut patet apud Matthaeum vigesimo quinto [1], ubi sola opera misericordiae numerantur. Ideo hortatur hic ad opera misericordiae et eleemosynae faciendae propter retributionem.

Et primo hortatur, ut fiant *libenter;* secundo, Tria observanda. ut fiant *abundanter,* ibi: *Da partes septem;* tertio, ut fiant *incessanter,* ibi: *Qui observat ventum nunquam* etc. — Cum ergo hortatur, ut fiant voluntarie et *libenter,* praemittit *exhortationem* et subiungit *rationem.*

(Vers. 1.). *Exhortatur* igitur ad *libenter* eleemo- Expositio litteralis. synam faciendam; ideo dicit: *Mitte panem tuum,* id De primo, exhortatio. est, libenter et liberaliter da, non per extorsionem et quasi coactus; secundae ad Corinthios nono [2]: « Unusquisque, prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus ». *Panem tuum,* non alienum; Ecclesiastici trigesimo quarto: « Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris ». *Super transeuntes aquas. Aquae* multae sunt populi multi, Apocalypsis decimo septimo; *transcuntes aquae* sunt qui transeunt de gente in gentem et de regno ad populum alterum; tales sunt peregrini et advenae; istis facienda est eleemosyna; Isaiae quinquagesimo octavo [3]: « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam ». Vel: *aquae* sunt tribulationes praesentes, iuxta illud Psalmi: « Intraverunt aquae usque ad animam meam »; *transeuntes aquae* sunt pauperes et afflicti, quia per tribulationes transeunt ad requiem; talibus est eleemosyna facienda; Lucae decimo quarto: « Cum facis eleemosynam, voca pauperes ac debiles, caecos etc. Et redditur ratio: *Quia* Ratio. *post tempora multa invenies illum,* id est retributionem pro illo; non ergo deficit retributio, sed differtur; Ecclesiastici duodecimo [4]: « Benefac iusto, et invenies retributionem magnam; et si non ab illo, certe a Domino »; item Lucae decimo sexto: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis » etc.

(Vers. 2. 3.). *Da partes septem* etc. Hic secundo De secundo. hortatur ad dandum *abundanter;* et praemittit *exhortationem* et subiungit *rationem. Exhortatur* ergo Exhortatio. ad abundantiam dicens: *Da partes septem nec non et octo,* id est secundum possibilitatem tuarum virium da eleemosynam, ut, sive pauper fueris, sive dives, des bonorum tuorum septimam et octavam, id est, partem pauperum facias bonam; secundae ad Corinthios octavo [5]: « Ut vestra abundantia illorum inopiam suppleat »; et Lucae undecimo: « Date eleemosynam de eo quod superest ». Ideo dicit: *Da partes septem;* per septenarium enim intelligimus quantum sufficit ad supplendam necessitatem propriam; quidquid ultra illud est dicitur *septem et octo;* et hoc pauperibus est distribuendum, non est congregandum in thesauros terrenos, sed caelestes; unde Matthaei sexto [6]: « Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur »; et Tobiae quarto: « Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si parum, etiam illud libenter impertiri stude ». Et *ratio* huius largitatis redditur, Rationes. cum infertur: *Quia ignoras, quid mali* etc. Et multiplex redditur ratio, scilicet propter *cautelam mali;* Prima. unde dicit: *Ignoras, quid mali futurum sit super terram.* Quia ergo non es certus, necesse habes tibi providere, ne incidas in periculum; et remedium optimum est abundans eleemosyna; Ecclesiastici vigesimo nono [7]: « Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et haec pro te exorabit et liberabit ab omni malo ». — Propter *amplificationem meriti* dicit: *Si* Secunda. *repletae fuerint nubes,* a Deo supple, *imbrem super terram effundent,* propter quem imbrem terra fructificat; Osee sexto [8]: « Veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terrae »; et hoc ad fructificandum et multiplicandum bona terrae merito eleemosynae. Sicut enim nubes plenae inebriant terram pluvia, sic eleemosynae multiplicatae inebriant animam gratia; secundae ad Corinthios nono: « Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit et multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae ». Pro- Tertia. pter *stabilitatem praemii,* quod non poterit variari nec perdi; propter quod dicit: *Si ceciderit lignum ad austrum; lignum* istud, homo; de quo Iob decimo quarto [9]: « Lignum habet spem, si praecisum fuerit, rursum virescet ». Et *auster* dat intelligere calorem caritatis et statum gloriae; Cantici quarto:

---

[1] Vers. 34. seqq. — Paulo superius respicitur I. Tim. 4, 8: Pietas autem ad omnia utilis est etc.

[2] Vers. 7. — Sequuntur Eccli. 34, 24. et Apoc. 17, 15: Aquas, quas vidisti... populi sunt et gentes et linguae. — Superius post *non alienum* a prima manu, ut videtur, in E additum est in margine: *quia de alieno non est facienda eleemosyna.*

[3] Vers. 7. — Subinde allegantur Ps. 68, 2. et Luc. 14, 13, ubi pro *eleemosynam* Vulgata *convivium.*

[4] Vers. 2. — Sequitur Luc. 16, 9.

[5] Vers. 14. — Sequitur Luc. 11, 41: Verumtamen quod superest date eleemosynam.

[6] Vers. 20. — Deinde allegatur Tob. 4, 9, ubi pro *si parum, etiam illud* Vulgata *si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum.*

[7] Vers. 15. Vulgata omittit *et liberabit.*

[8] Vers. 3. — Sequitur II. Cor. 9, 10.

[9] Vers. 7, ubi pro *virescet* Vulgata *virescit.* — Sequuntur Cant. 4, 16. et Apoc. 3, 12. — Inferius pro *demoveri* A *amoveri,* Vat. et aliqui codd. *demereri.*

« Surge, aquilo, et veni, auster; perfla hortum meum » etc. Lignum igitur cadere ad *austrum* est hominem in morte introduci in gloriam; et tunc *ibi erit*, id est, nunquam poterit demoveri; Apocalypsis tertio: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius ». *Si ceciderit ad aquilonem, ibi erit*, id est, si ad poenam infernalem; Ieremiae primo[1]: « Ab aquilone pandetur omne malum »; qui cadit in infernum *ibi erit*, quia inde nunquam liberabitur. Iusto enim dicitur Isaiae ultimo: « Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur ». *In quocumque loco ceciderit, ibi erit*, sive bono, sive malo; ad Galatas sexto: « Quae seminaverit homo, haec et metet ».

Qui observat ventum etc. Hic hortatur ad dan- De tertio. dum *incessanter;* et primo docet, *tempora* non esse Docet tria. observanda; secundo, *opera divina* non esse perscrutanda; tertio, *opera misericordiae* continuanda.

(Vers. 4.). Quantum ad primum dicit: *Qui ob-* Primum. *servat ventum non seminat*, quia frequenter venit ventus, quem non vult, et non venit ventus, qui placeat. *Et qui considerat nubes nunquam metet;* et ideo oportet, quod quando est tempus metendi, metat, et serendi, seminet, non exspectet. Sic etiam in proposito, dum tempus habet, bonum faciat; Ecclesiastici quarto[2]: « Cor inopis ne afflixeris, et ne protrahas datum angustianti »; et Proverbiorum tertio: « Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare »; et ita non debet tardare.

(Vers. 5.). *Quomodo ignoras, quae sit via* etc. Secundum. Supra dixit, tempora non esse observanda, hic secundo docet, *divina opera non esse consideranda* vel perscrutanda, quia non possumus; ideo dicit: *Quomodo ignoras, quae sit via spiritus.* Spiritus, qui est *Deus*, quia hanc ignoramus; unde Ioannis tertio[3]: « Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem eius audis, sed nescis » etc.; et Iob nono: « Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam ». *Spiritus*, qui est *animus* sive spiritualis creatura, cuius *via*, id est ortus, nescitur, nec etiam occasus; supra tertio[4]: « Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum »? *Spiritus*, qui est *ventus*, cuius *via* nescitur, id est origo; unde in Psalmo: « Qui profert ventos de thesauris suis »; Exodi decimo quinto: « Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare ». Dicit ergo: *Quomodo ignoras, quae sit via spiritus, et qua ratione compingantur ossa in ventre praegnantis*, id est, quomodo compaginentur et distinguantur; quia etiam ipse Avicenna dicit, quod vis formativa membrorum est vis divina; secundi Machabaeorum septimo[5]: « Nescio, qualiter in utero meo apparuistis; neque enim spiritum et animam donavi vobis, et singulorum membra non ego compegi »; sed ille compegit, ad quem Iob decimo: « Ossibus et nervis compegisti me ». Quomodo haec ignoras, quae sunt carnalia; *sic ignoras opera Domini, qui fabricator est omnium; opera*, id est occulta iudicia, de quibus in Psalmo[6]: « Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius ». Haec opera ignoramus; ad Romanos undecimo: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius »!

Mane semina etc. Hic tertio hortatur ad *bene* Tertium. *faciendum incessanter;* et praemittitur *exhortatio;* secundo subiungitur *exhortationis ratio*, et tertio *remuneratio.*

(Vers. 6.). *Exhortatur* ergo ad faciendum opera Exhortatio. misericordiae *incessanter*, cum dicit: *Mane semina semen tuum*, hoc est in tempore iuventutis, quia, Threnorum tertio[7], « bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua ». *Et vespere ne cesset manus tua*, id est in senectute, quasi dicat, quod in omni tempore et aetate sine cessatione sunt bona opera facienda; ad Galatas ultimo: « Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim accepto metemus, non deficientes ». Ideo continue serendum, quia, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios nono, « qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet ».

Quia nescis etc. Hic notatur secundum, scilicet Ratio. *exhortationis ratio:* quia nescit homo, quando et quae opera acceptat Deus, sicut qui seminat nescit, quod semen fructum facit. Ideo dicit: *Quia nescis, quid magis oriatur; hoc*, id est serotinum, *an illud*, id est matutinum; supra nono[8]: « Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit ». *Et si utrumque simul, melius erit*, quia « plura bona paucioribus magis eligenda »; Isaiae trigesimo secundo: « Beati, qui seminatis super omnes aquas ».

(Vers. 7.). *Dulce lumen* etc. Hic notatur tertium, Remuneratio. scilicet *remuneratio;* et haec est aspectus luminis et

---

[1] Vers. 14: Ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae. — Duo seqq. loci sunt Isai. 66, 24. (Vulgata partes propositionis transponit) et Gal. 6, 8.

[2] Vers. 3. — Sequitur Prov. 3, 28. — Superius pro *bonum faciat* B D E *donum faciat.*

[3] Vers. 8. — Deinde allegatur Iob 9, 11. — Paulo superius ex E supplevimus *tempora... docet.*

[4] Vers. 21. — Sequuntur Ps. 134, 7. et Exod. 15, 10.

[5] Vers. 22. Vulgata post *non ego* addit *ipsa.* — Sequitur Iob 10, 11. — Avicenna, I. Canon. Fen 1. doctr. 6. c. 2: Virtus vero informativa imprimens est illa, ex qua *praecepto sui Creatoris* procedit membrorum lineatio et ipsorum figuratio etc. Lib. III. Canon. Fen 21. tr. 1. c. 2. in fine docet, operationem huius virtutis esse « de secretis Dei ». Cfr. de Anima (Sexto Naturalium) p. II. c. 1. et XVI. de Natura animal. c. 1.

[6] Psalm. 110, 2. — Seq. locus est Rom. 11, 33.

[7] Vers. 27. — Sequuntur Gal. 6, 9, ubi pro *tempore enim accepto* Vulgata *tempore enim suo;* II. Cor. 9, 6.

[8] Vers. 1. — Deinde allegatur Isai. 32, 20. Sententia: « plura bona paucioribus magis eligenda » est Aristot, III. Topic. c. 2.

solis aeterni, in quo est summa dulcedo, et ita magna remuneratio est. Et propterea dicit: *Dulce lumen*, ad aspiciendum. De hac dulcedine in Psalmo [1]: « Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine » etc. *Et delectabile est oculis videre solem*, illum solem, de quo Malachiae quarto: « Orietur vobis timentibus Deum sol iustitiae ». Hunc *solem delectabile est videre;* ideo primae Petri primo: « In quem desiderant Angeli prospicere ». Et quia hi soli videbunt illud lumen, qui erunt a dextris; ideo in Psalmo: « Delectationes in dextera tua usque in finem ».

Alia expositio de eleemosyna spirituali.

Possunt etiam breviter haec exponi de *eleemosyna spirituali*, quae consistit in instructione proximi; ad quam similiter exhortatur, ad dandum *libenter* sive liberaliter, *abundanter* et *incessanter*:

Dispensanda libenter.

libenter sive liberaliter, cum dicit: *Mitte panem tuum* etc., id est, gratis da; Matthaei decimo [2]: « Gratis accepistis, gratis date »; *panem*, scilicet doctrinae, de quo dicitur Threnorum quarto: « Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis ». *Super transeuntes aquas*, id est contemnentes bona temporalia, quibus solis dandus est; Matthaei septimo: « Nolite dare sanctum canibus ». Vel: *super* illos, de quibus in Psalmo: « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos » etc.

Abundanter.

Abundanter etiam dispensanda; ideo dicit: *Da partes septem; partes septem* intelligimus doctrinam Christi veteris testamenti, quia ibi praecipiebatur septimus dies servari. Per *octo* intelligimus doctrinam novi testamenti, quia octavus dies observari praecipitur [3]. Et quia non potest homo abundanter doctrinam communicare, nisi desuper impleatur, dicit: *Si impletae fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Nubes* sunt praedicatores boni, qui volant ad alta per contemplationem; Isaiae sexagesimo [4]: « Qui sunt hi qui ut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas »? Isti replentur a Domino scientia; Isaiae undecimo: « Repleta est terra scientia tua, sicut aqua maris operientis »; et hoc per Spiritum sanctum; Sapientiae primo: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum ». Istae nubes repletae *effundent imbrem*, id est divini verbi doctrinam; Ecclesiastici trigesimo nono [5]: « Ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiae suae »; Isaiae quinquagesimo quinto: « Quomodo descendit imber et nix de caelo et inebriat terram et infundit eam; sic erit verbum meum », super terram cordis ad fructificandum; ad Hebraeos sexto: « Terra super se venientem bibens imbrem, et proferens herbam opportunam » etc.

Incessanter.

Incessanter etiam est dispensanda; ideo dicit: *Qui considerat ventum non seminat. Seminare* est verbum Dei praedicare; Matthaei decimo tertio [6]: « Exiit qui seminat seminare semen suum »; et post exponit: « Semen est verbum Dei ». *Ventus* iste est ventus detractionis, de quo Iob primo: « Ventus venit a regione deserti et concussit quatuor angulos domus ». Qui observat hunc ventum detractionis nunquam seminat, quia qui timet verba hominum detrahentium non praedicat ad fructum, immo agitatur ut arundo; Matthaei undecimo: « Quid existis videre? Arundinem vento agitatam »? *Et qui considerat nubes nunquam metet. Nubes*, ut dicit Glossa [7], est blandimentum adulationis, quam qui cupit habere nunquam metit vitam aeternam, quia « recepit mercedem suam », Matthaei sexto; et seminat in carne, et ideo metet corruptionem ad Galatas ultimo: « Qui seminat in carne » etc. Et ideo haec contemnenda, sed mane et vespere praedicandum; secundae ad Timotheum quarto: « Praedica verbum, insta opportune, importune »; Actuum vigesimo: « Per triennium non cessavi die ac nocte, cum lacrymis monens unumquemque vestrum ».

Secundo revocat a malo consideratione futuri supplicii.

Divisio.

Si annis multis vixerit homo etc. Supra hortatus est ad bonum consideratione praemii; hic intendit *revocare a malo* consideratione *futuri supplicii;* et id quidem facit hoc ordine. Primo dicit,

Notantur tria.

futuri temporis habendam esse memoriam; secundo reprehendit *praesentem laetitiam;* tertio hortatur *abiicere omnem nequitiam* et malitiae abundantiam.

Primum.

(Vers. 8.). Ad *futuri temporis memoriam habendam* hortatur et monet, quantumcumque homo

---

[1] Psalm. 30, 20. — Sequuntur Malach. 4, 2, ubi pro *Deum* Vulgata *nomen meum;* I. Petr. 4, 12. et Ps. 15, 10.

[2] Vers. 8. — Deinde allegantur Thren. 4, 4; Matth. 7, 6; Ps. 65, 11. — Verba *Vel* [codd. *sed*]: *super... eduxisti* etc. desunt in Vat.; habentur in omnibus codd.

[3] Vide Hieron., Comment. in hunc locum, ubi inter alia dicit: « Praecipitur ergo, ut in utrumque instrumentum, tam vetus scilicet quam novum, pari veneratione credamus. Iudaei dederunt *partes septem*, credentes sabbato, sed non dederunt *octo*, resurrectionem diei dominicae denegantes » etc. Eodem modo explicatur ab August., Epist. 55. (alias 119.) c. 13. n. 23.

[4] Vers. 8; ibid. 11, 9. est seq. locus: « Repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes »; tertius est Sap. 1, 7.

[5] Vers. 9. — Sequuntur Isai. 55, 10. seq., ubi Vulgata plura hinc inde interserit; Hebr. 6, 7: Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis etc. — Hieron., Comment. in hunc locum Eccle.: « *Nubes* igitur sunt prophetae et omnis vir sanctus, qui, cum plures in corde suo congregaverit disciplinas, tunc valebit praecepta pluere doctrinarum » etc. Per *nubes* intelligi praedicatores, docet August., Enarrat. in Ps. 10. n. 10; in Ps. 35. n. 8; in Ps. 103. serm. 1. n. 11. Cfr. Gregor., XVII. Moral. c. 31. n. 36. et XXVII. c. 30. n. 54. seq.

[6] Vers. 3. et 11, non iisdem verbis, quae tamen habentur Luc. 8, 5. et 11. — Sequuntur Iob 1, 19: Repente ventus vehemens irruit a regione etc.; Matth. 11, 7: Quid existis in desertum videre etc.

[7] Glossa *interlinearis* apud Lyranum: *Nubes*, blandientium adulationes. Cfr. Hieron., Comment. in hunc locum. — Sequuntur Matth. 6, 5: Receperunt etc.; Gal. 6, 8; II. Tim. 4, 2. et Act. 20, 31: Per triennium nocte et die non cessavi, cum etc.

abundet praesenti prosperitate. Propter quod dicit: *Si annis multis vixerit homo,* quia revera, etsi videantur multi, multi tamen esse non possunt, secundum illud Ecclesiastici decimo octavo [1]: « Numerus dierum hominis, ut multum centum anni ». *Et in his omnibus laetatus fuerit,* secundum quod illi, de quibus dicitur Iob vigesimo primo, « tenent tympanum et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos » etc. *Meminisse debet tenebrosi temporis,* id est diei iudicii, quae erit tempus tenebrosum; Sophoniae primo [2]: « Dies illa, dies irae, dies tenebrarum et caliginis »; *et dierum multorum.* Isti sunt dies sive anni aeternitatis; in Psalmo: « Melior est dies una in atriis tuis super millia ». Memorari debet diei *iudicii,* ut timeat; memorari debet *gloriae,* ut speret et gaudeat, et hoc secundum vicissitudinem operum; unde Ecclesiastici undecimo: « In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum ». *Dierum,* inquam, *multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita,* id est, manifeste ostendentur fuisse vana; unde Hieronymus [3]: Cum regnum Christi venerit, cetera regna evanescent. *Arguentur praeterita,* scilicet de vanitate *mutabilitatis;* Sapientiae quinto [4]: « Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt haec omnia velut umbra ». Arguentur de vanitate *iniquitatis;* Ecclesiastici decimo septimo: « Quid nequius, quam quod excogitavit caro et sanguis »? Et haec arguentur; ad Ephesios quinto: « Quae enim arguuntur a lumine manifestantur ».

Dupliciter arguentur.

(Vers. 9.). *Laetare ergo iuvenis* etc. Hic secundo *reprehendit praesentem laetitiam,* asserens, hominem pro illa iudicandum esse; unde ironice loquens dicit: *Laetare ergo, in iuvenis, adolescentia tua,* quia illa aetas est laetitiae apta; unde Sapientiae secundo [5]: « Venite, fruamur creatura tanquam in iuventute celeriter »; quasi dicat: ne laeteris in iuventute, ne doleas in senectute; unde Ecclesiastici quinto: « Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui ». Et explicat laetitiam, ut sit completa et in *animo* et in *opere* et in *signo.* Quantum ad laetitiam delectationis in *animo* dicit: *Et in bono sit cor tuum,* quasi dicat: non laeteris corde, quia supra septimo [6]: « Cor stulti, ubi laetitia ». Quantum ad delectationem in *opere: Et ambula in viis cordis tui,* id est, exterius comple opere quod desideras corde, quasi dicat: non ambules; Ecclesiastici decimo octavo: « Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere ». Quantum ad laetitiam in *signo* dicit: *Et in intuitu oculorum tuorum,* ut ea intueatur oculus, quae desiderat cor, et operatur manus tua, secundum quod de illis dicitur, de quibus secundae Petri secundo [7]: « Habentes oculos plenos adulterii et incessabilis delicti », quasi dicat: non sic ambules; Isaiae tertio: « Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion et ambulaverunt extento collo et nutibus oculorum » etc. Et quod istud sit ironice dictum, patet, quia comminatur malum sic laetantibus; unde subdit: *Et scito, quod pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.* Et ideo omnia sunt fugienda; Iob decimo nono: « Fugite a facie gladii, quia ultor iniquitatis est gladius, et scitote, esse iudicium ».

Secundum.

Laetitia in animo.

In opere.

In signo.

(Vers. 10.). *Aufer iram* etc. Hic tertio *hortatur abiicere omnem nequitiam,* videlicet *malitiam cordis* et *immunditiam carnis.* Quantum ad *malitiam cordis* dicit: *Aufer iram a corde tuo,* ut non irascaris, quia ira reddit hominem nequam; Matthaei quinto [8]: « Ego autem dico vobis, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio »; et si irascitur, non perdurare debet; unde ad Ephesios quarto: « Sol non occidat super iracundiam vestram ». Quantum ad *immunditiam carnis* dicit: *Et amove malitiam a carne tua,* et sic excludit omnem immunditiam carnis; Iacobi primo [9]: « Abiicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum ». Ille aufert malitiam a carne, qui eam mortificat; ad Colossenses tertio: « Mortificate membra vestra, quae sunt super terram ». Et redditur ratio huius: *Adolescentia enim et voluptas vana sunt,* quia cito transeunt; pri-

Tertium.

Malitia cordis.

Immunditia carnis.

Ratio.

---

[1] Vers. 8. — Sequitur Iob 21, 12. Post *tympanum* Vulgata addit *et citharam.*

[2] Vers. 15: Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum etc. — Sequuntur Ps. 83, 11. et Eccli. 11, 27.

[3] Hieron., Comment. in hunc locum, dat duplicem explicationem; prima est: « Porro si et multis annis vixeris et omnia bona habueris vel bona opera perpetraris, et scieris, te semper esse moriturum... praesentia quasi fluxa, fragilia et caduca contemnes » (cfr. supra pag. 55, nota 6, ubi similia verba allegavimus ex Epist. 140. n. 16.). Secunda est: « Quod qui fuerit consecutus [scil. scientiam salutarem utriusque testamenti], videbit lucem, videbit Christum, solem iustitiae » etc. Verba a S. Bonav. hic allegata in expositione huius loci non habentur, insinuantur tamen in Comment. in Dan. 7, 3-27, ubi secundum ipsum per quatuor bestias significantur quatuor regna Assyriorum, Persarum, Macedonum et Romanorum; regnum Romanorum superatur a quodam rege, qui antichristus agnoscitur; et post haec erit regnum Christi aeternum. Ibid. c. 12, 7. dicit: Et manifeste de adventu Christi atque Sanctorum dicit: Regnum autem et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne caelum, detur populo Sanctorum Altissimi, cuius regnum regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient. Cfr. ibid. 2, 38-40, et August., XX. de Civ. Dei, c. 23.

[4] Vers. 8. et 9. — Sequuntur Eccli. 17, 30. et Eph. 5, 13, ubi Vulgata omittit *enim.*

[5] Vers. 6: Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt, et utamur creatura etc. — Sequitur Eccli. 5, 2.

[6] Vers. 5: Cor stultorum, ubi laetitia. — Subinde allegatur Eccli. 18, 30.

[7] Vers. 14. — Sequuntur Isai. 3, 16. et Iob 19, 29, ubi pro *quia ultor iniquitatis* Vulgata *quoniam ultor iniquitatum.*

[8] Vers. 22. Vulgata *quia* pro *quod.* — Seq. locus est Eph. 4, 26.

[9] Vers. 21. — Sequitur Col. 3, 5.

mae Ioannis secundo [1]: « Transit mundus et concupiscentia eius », et ideo Sapientiae quinto: « Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt haec omnia velut umbra » etc.

Capitulum XII.

Partis tertiae membrum II. De poena, quae est pura afflictio, agitur tum generaliter tum specialiter.

Memento Creatoris tui etc. Egit supra de va-
Divisio. nitate poenalitatis, quae est poena et peccati occasio; hic agit de illa quae est *pura afflictio*, quae revocat a malo et sollicitat in bono. Et habet haec pars duas: quia primo tangit poenalitates et miserias *in generali;* secundo, *in speciali*, ibi: *Quando commovebuntur* etc.

Art. 1. *Poena, quae est pura afflictio, describitur generaliter.*

Poenalitatem igitur *in communi* describit quan-
Describitur quoad tria. tum ad tria: primo, quantum ad *praesentiam nocivi;* secundo, quantum ad *absentiam iucundi;* tertio, quantum ad *defectum remedii;* ex quorum consideratione hortatur meminisse Dei.

(Vers. 1.). Quantum igitur ad *praesentiam no-*
De primo. *civi* dicit: *Memento Creatoris tui*, laudem et confessionem sibi dando; *in diebus iuventutis tuae*, id est, quamdiu iuvenis es et sanus; Ecclesiastici decimo septimo [2]: « Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis et laudabis Dominum, et gloriaberis in
Ratio. miserationibus illius ». Et ratio huius est, ut non exspectetur tempus senectutis, in quo est praesentia nocivi; propter quod dicit: *Antequam veniat tempus afflictionis;* Ecclesiastici decimo octavo: « Ante languorem adhibe medicinam, et ante iudicium interroga te ipsum ». *Et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.* Isti sunt anni, in quibus natura humana inquietatur per multas molestias; et isti sunt in senectute et appropinquant, quia in Psalmo [3]: « Anni nostri sicut aranea meditabuntur » etc.

(Vers. 2.). Quantum ad *absentiam iucundi* di-
De secundo. cit: *Antequam tenebrescat sol*, in cuius aspectu est magna iucunditas; supra undecimo [4]: « Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem »; unde Tobiae quinto: « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video »? Et ut significet omnimodam absentiam, excludit omne lumen caeleste; unde dicit: *Antequam tenebrescat sol*, ut scilicet non videatur in sua rota, *et lumen*, ut non videatur eius influentia, et hoc de die; *et luna et stellae*, de nocte; Isaiae decimo tertio [5]: « Stellae caeli et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo ».

Quantum ad *defectum remedii* dicit: *Et rever-* De tertio.
tantur nubes post pluviam. Post pluviam consuevit caelum serenari; quando ergo post pluviam revertitur turbatio nubium, signum est, quod non est reditus ad exsultationem et laetitiam; Tobiae tertio [6]: « Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis ». Sed dies illi convertentur in tenebras nec revertentur ad lucem; Iob tertio: « Exspectet lucem et non videat, nec ortum surgentis aurorae ».

Spiritualiter hortatur hic, unumquemque recor- Hortatio spiritualis, ut recordemur beneficiorum Dei.
dari *beneficiorum* Dei et ipsius *benefactoris*, antequam tradatur homo *in reprobum sensum* [7] et incidat in caecitatem erroris. Propterea debent recordari Ratio 1.
Dei, quia *creator*. Primum quidem dedit *essentiam;* Isaiae quadragesimo quinto [8]: « Ego feci terram et hominem super eam creavi », ideo Dei recordandum; contra quod Deuteronomii trigesimo secundo: « Oblitus es Dei, Creatoris tui ». Dedit *potentiam*; Deuteronomii octavo: « Domini Dei tui recordaberis, eo quod ipse tribuit tibi vires, ut impleret pactum suum ». Dedit *operationem bonam;* ad Philippenses secundo [9]: « Deus operatur in nobis velle et perficere »; et Isaiae vigesimo sexto: « Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine »; et ideo recordandum; Psalmus: « Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum ». — Quia Ratio 2.
pro nobis incarnatus est; Canticorum primo [10]: « Exsultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum ». — Quia *redemptor*, qui pro Ratio 3.
nobis passus; Threnorum tertio: « Recordare paupertatis meae et transgressionis » etc.; qui nobis cibus de caelo datus est; Psalmus: « Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se ». — Quia *remunerator* secundum Ratio 4.
meritum; Psalmus [11]: « Reddes unicuique secundum

---

[1] Vers. 17. — Subinde allegatur Sap. 5, 8. et 9.

[2] Vers. 27. (pro *Dominum* Vulgata *Deum.*); ibid. 18, 20. est seq. locus.

[3] Psalm. 89, 9. et 10.

[4] Vers. 7. — Sequitur Tob. 5, 12.

[5] Vers. 10.

[6] Vers. 22. — Sequitur Iob 3, 9.

[7] Respicitur Rom. 1, 28: Tradidit illos Deus in reprobum sensum.

[8] Vers. 12. — Sequuntur Deut. 32, 18. et 8, 18: Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi praebuerit, ut etc.

[9] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Isai. 26, 12: Omnia enim opera nostra operatus es nobis; Ps. 76, 12.

[10] Vers. 3. — Sequuntur Thren. 3, 19. et Ps. 110, 4.

[11] Psalm. 61, 13. ubi Vulgata *iuxta* pro *secundum*. — Subinde allegantur Ps. 118, 52; Isai. 26, 8. seq. et 63, 7: Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus etc.

opera sua »; propter hoc dicitur alibi in Psalmo: « Memor fui iudiciorum tuorum » etc. Ad *votum;* Isaiae vigesimo sexto: « Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae » etc.; et ideo subditur: « Anima mea desideravit te in nocte ». Retribuens supra *desiderium;* Isaiae sexagesimo tertio: « Miserationum Domini recordabor super omnibus, quae reddidit nobis Dominus » etc.

Modus recordationis. Huius igitur Creatoris debemus recordari et *gratias agendo* et *ad ipsum convertendo; antequam tenebrescat sol*, scilicet iustitiae, Christus, cum homo cadit a fide; Amos octavo[1]: « Occidet eis sol in meridie »; *et lumen*, gratiae, cum homo cadit a caritate, tunc enim perdit gratiam; Sapientiae quinto: « Erravimus a via veritatis, et lumen iustitiae non luxit nobis »; *et luna*, intelligentia sacrae Scripturae, quae scilicet lumen recipit a Christo; Apocalypsis duodecimo: « Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius ». *Mulier amicta sole* est gentium Ecclesia, cui data est sacrae Scripturae plena intelligentia. *Et stellae*, exempla perfectorum; Baruch tertio[2]: « Stellae lumen dederunt in custodiis suis », nocte scilicet, « et dixerunt: Adsumus ». *Et nubes revertantur* etc., id est, cesset doctrina praedicatorum; Ezechielis tertio: « Fili hominis, adhaerere faciam linguam tuam palato tuo ».

Art. 2. *De poenis pure afflictivis in speciali, secundum triplicem earum differentiam.*

Divisio. *Quando commovebuntur* etc. Supra egit de poenalitate, quae venit et consequitur iuventutem in generali; hic agit *in speciali*. Et primo agit de miseriis *antecedentibus* mortem; secundo, de *concomitantibus*, ibi: *Quoniam ibit homo;* tertio, de *consequentibus*, ibi: *Antequam rumpatur funis*[3] *argenteus.*

De miseriis mortem antecedentibus.

Divisio. Prima pars habet duas: quia primo agitur de poenalitate, quae attenditur in *membrorum debilitate;* secundo vero, de *signo debilitatis*, ibi: *Excelsa quoque timebunt.*

Expositio literalis. Primo, de debilitate sex membrorum. Primo. (Vers. 3.). Primo igitur ostendit *debilitationem* futuram in senectute quantum ad sex genera membrorum: primo scilicet quantum ad *commotionem ossium*, quae ordinata sunt ad corpus protegendum, cum dicit: *Quando commovebuntur custodes domus. Domus* est machina corporis; haec fragilis est, et ideo custode indiget; et ideo dicit Philosophus[4], quod natura fecit ossa dura ad custodienda membra mollia, sicut costae ad ventrem, et testa ad caput. Haec *commoventur*, quando eorum iuncturae laxantur.

Secundo. Item, quantum ad *debilitationem crurium* ad pondus corporis sustinendum; unde dicit: *Et nutabunt viri fortissimi; viri fortissimi* sunt crura, quia, sicut fortes portant pondus belli, sic crura pondus corporis[5]. Hi viri fortissimi *nutant*, quando crura tremulant et vacillant et non secure sustentant.

Tertio. Tertio, quantum ad *imminutionem dentium* ad cibaria masticandum; unde dicit: *Et otiosae erunt molentes, imminuto*[6] *numero; molentes* sunt duae maxillae, quae ad modum duarum molarum conterunt cibum. Hae, imminuto numero dentium, sunt otiosae, quia cibum ad manducandum non possunt conterere.

Quarto. Quarto, quantum ad *obscurationem oculorum* ad videndum; ideo dicit: *Et tenebrescent videntes per foramina; videntes per foramina* oculi sunt, qui sunt quasi duo foramina ad videndum. Isti tenebrescunt, quando senes lumen videre non possunt, sicut Heli; primi Regum tertio[7], qui « non poterat videre. Lucerna Dei, antequam exstingueretur » etc. Sicut etiam Isaac, de quo Genesis vigesimo septimo: « Senuit Isaac, et caligaverunt oculi eius » etc.

Quinto. (Vers. 4.). Quinto, quantum ad *immobilitationem labiorum* ad pronuntiandum, cum dicit: *Et claudent ostia in platea; ostia* sunt labia, per quae clauditur porta oris. Ista ostia *clauduntur in platea*, quando homo prae senectute non potest alte loqui, ut audiatur a multis; ideo dicit: *In humilitate vocis molentes*, id est plane loquentes; *molere* dicit *loqui*, quia, sicut homo movet maxillas ad cibaria conterendum, sic movet maxillas et labia ad verba formata pronuntiandum.

Sexto. Sexto, quantum ad *surditatem aurium* ad audiendum dicit: *Consurgent ad vocem volucris*, id est galli, quia senes non possunt audire *alta*, quia de facili laeduntur et facillime excitantur. Non possunt etiam audire *sonora et consonantia;* unde dicit: *Et obsurdescent omnes filiae carminis. Filiae carminis*, quae audiunt consonantia, sunt aures; hae in senibus obsurdescunt, quia voces sonoras audire non possunt; secundi Regum decimo nono[8] dixit Berzellai ad David: « Octogenarius sum; nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum, vel audire possum ultra voces cantatorum et cantatricum »? — Isti igitur sunt sex defectus, qui consequuntur vel concomitantur senectutem: quia senes non possunt *nociva repellere*, non possunt *se*

---

[1] Vers. 9. — Sequuntur Sap. 5, 6. et Apoc. 12, 1.

[2] Vers. 34. — Seq. locus est Ezech. 3, 26.

[3] Vulgata *funiculus.*

[4] Libr. II. de Partib. animal. c. 9: Ut enim qui ex limo aut alia massa humida animal effingunt firmo aliquo subdito corpore obducunt atque afformant, sic natura ex carnibus animal condidit; ceteris igitur partibus, scilicet carnosis, ossa omnibus subiacent aut flectendi gratia, si moventur, aut conservandi causa, si immobilia sunt, ut costae, quae pectus salutis viscerum gratia claudunt etc. — Iam ab Hieronymo (in hunc locum) praeter alias expositiones etiam haec de sex membris humanis interpretatio quorundam refertur.

[5] Cfr. Aristot., IV. de Partib. animal. c. 10.

[6] Vulgata *in minuto.*

[7] Vers. 2. et 3: Oculi eius caligaverant, nec poterat videre. Lucerna Dei, antequam exstingueretur etc. — Sequitur Gen. 27, 1.

[8] Vers. 35. Post *amarum* Vulgata plura addit.

sustentare, non possunt *comedere*, non possunt *videre*, non possunt *loqui*, non possunt *audire*.

Excelsa quoque timebunt etc. Supra posuit debilitationem corporis in sene; hic subiungit *signa debilitationis*, quae sunt quatuor: *tremor* corporis, *canities* capitis, *tumor* ventris et *infrigidatio* libidinis. De signis quatuor debilitatis.

(Vers. 5.). Primum igitur signum infirmitatis in sene est *tremor corporis*; propter quod dicit: *Excelsa quoque timebunt et formidabunt in via*, id est, omnia membra corporis efficientur tremulosa; et illud est signum resolutionis et debilitationis virtutis contentivae membrorum, quae membra non valet continere; et ideo compellitur continue agitare; unde miser senex potest dicere illud Psalmi [1]: « Timor et tremor venerunt super me » etc. — Secundum signum est *canities capitis*, quantum ad quod dicit: *Florebit amygdalus*, id est, canescet caput et barba; amygdalus enim, dum floret, dealbatur, et istud est signum debilitatis virtutis; quia enim in sene debilitatur virtus contentiva humorum, ideo putrescunt humores et etiam refrigescunt, in cuius signum superfluitates de corpore senis albae procedunt; et ideo canescunt. — Tertium signum senilis infirmitatis est *tumor ventris* vel aliorum membrorum corporis; quantum ad quod dicit: *Impinguabitur locusta*. Impinguatio locustae etiam circa suum senium est potius tumor quam vera pinguedo, per quem modum est in senibus impinguatio, et hoc est signum debilitatis caloris digerentis. Quia enim calor digerens deficit, abundat humor phlegmaticus, aquosus et indigestus, qui corpus senis implet et impinguare videtur. — Quartum signum est *remissio libidinis*; propter quod dicit: *Dissipabitur capparis*. Capparis est herba quaedam, quae « valet renibus », ut dicit Glossa [2], et confortat actum virtutis generativae; et secundum Hieronymum in Hebraeo commune nomen habet ad herbam et ad amorem libidinosum. In quacumque igitur significatione accipiatur, rectus est sensus: *dissipabitur capparis*, id est, remittetur fervor libidinis; et istud est signum debilitationis in sene. In actu enim generationis movet calor, et materiam subministrat digestus humor. Quia igitur senectus est frigida et sicca, deficit calor et humor, et ideo libidinis minuitur fervor. De primo. De secundo. De tertio. De quarto.

De miseriis mortem concomitantibus in moriente et compatientibus.

(Vers. 5.). *Quoniam ibit homo in domum* etc. Descriptae sunt miseriae antecedentes mortem. Hic describitur ipsa *miseria mortis* et in *moriente* et in *compatientibus*. In *moriente*, cum dicit: *Quoniam ibit homo in domum aeternitatis suae*, id est, morietur. Domus enim post mortem aeterna est, quia, supra undecimo [3], « si ceciderit lignum ad austrum, ibi erit; si ad aquilonem, ibi erit »; et ita domus post mortem recte dicitur domus aeternitatis. Quantum ad miseriam in *compatientibus* dicit: *Et circuibunt in platea plangentes; circumeunt*, quia prae dolore quiescere nesciunt; Psalmus [4]: « Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos ». Et *plangent* super mortuo quasi nolentes consolari, sed non sic debent; Ecclesiastici vigesimo secundo: « Luctus mortui septem dies ».

De miseriis mortem consequentibus.

Antequam rumpatur funis etc. Supra tetigit miserias antecedentes et concomitantes mortem; hic tangit *consequentes*, quae sunt *corporis resolutio* et *spiritus ad Deum migratio*; quae isto ordine describuntur.

(Vers. 6. 7.). Primo notatur *dissolutio nervorum*, cum dicit: *Antequam rumpatur funis argenteus*, et debet repeti verbum [5]: « Memento Creatoris tui » etc. Nervorum involutio recte dicitur *funis*, quia totum corpus cingit et ligat, et *argenteus*, propter ipsorum albedinem et pervietatem. Funis ergo argenteus *rumpitur*, quando nervorum ligatura dissolvitur. — Secundo, *resolutio venarum* sive arteriarum, cum dicit: *Et recurrat vitta aurea*; venarum involutio recte dicitur *vitta* [6], quia, sicut vitta circumvolvitur, et ea totum ligatum salvatur; sic venis et arteriis tota corporis machina circumdatur et salvatur. Ista venarum involutio et arteriarum recte dicitur *aurea*, quia aurum rubrum et huiusmodi venae rubeae propter contenti sanguinis rubicunditatem. Tunc ergo *recurrit vitta aurea*, quando venarum et arteriarum involutio non perdurat. — Tertio notatur *confractio vasis urinae*, cum dicit: *Et conteratur hydria super fontem. Hydria* est receptaculum aquae exhaustae a fonte, et *vesica* est receptaculum urinae procedentis ab hepate tanquam a fonte. Urina enim est colamentum sanguinis et aliorum humorum, qui ab hepate in totum corpus procedunt tanquam a fonte. *Hydria* ergo *conteritur super fontem*, quando vesica rumpitur et colamentum humorum non potest recipere, quod procedit ab hepate. — Quarto notatur *destructio meatus* superfluitatis impurae, cum dicit: *Et confringatur rota super cisternam. Rota* est instrumentum, per quod fit De corporis resolutione. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

---

[1] Psalm. 54, 6.

[2] Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. — Hieron., Comment. in hunc locum, ait: In eo vero, ubi nos habemus *capparim*, in Hebraeo habet *abiona*, quod et ipsum ambiguum est interpretaturque *amor*, *desiderium*, *concupiscentia*, vel *capparis*.

[3] Vers. 3.

[4] Psalm. 139, 10. — Sequitur Eccli. 22, 13. Ier. 31, 15. dicitur de luctu Rachel: Plorantis filios suos et *nolentis consolari* super eis, quia non sunt.

[5] Vers. 1. Idem monet Hieron. in hunc locum. — Vulgata *funiculus* pro *funis*, quod hic habent B C D, et infra pluries etiam Vat.

[6] Vat. legit: *Et recurrat vitta aurea, id est venarum involutio. Recte dicitur involutio.* Subinde E *solvatur* pro *salvatur*.

eductio aquae foetidae et lutosae de cisterna; *cisterna* continet ut plurimum aquam lutulentam; et talis est venter noster. *Rotam* igitur *confringi super cisternam* est meatum impurae superfluitatis a ventre exeuntis in morte dissipari. — Quinto notatur *totius corporis incineratio*, cum dicitur: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat*, id est, corpus incineretur, secundum illud Genesis tertio[1]: « Pulvis es, et in pulverem reverteris ». *In terram suam*, quia de illa est; Ecclesiastici quadragesimo: « Omnia, quae de terra facta sunt, in terram convertentur ». — Sexto tangitur *spiritus* sive animae *ad Deum reversio*; unde dicit: *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Ipse Dominus *dat spiritum*, unde dicitur in Psalmo[2]: « Qui finxit singillatim corda eorum » etc.; et ad eum *redit omnis spiritus* tanquam ad retributorem; ad Romanos decimo quarto: « Omnes stabimus ante tribunal Christi » etc.

Quinto.

De spiritus ad Deum migratione.

Spiritualiter ab illo loco: *Quando commovebuntur* etc., describitur hic status Ecclesiae finalis: primo, quoad *antecedentia* iudicium; secundo, quantum ad *concomitantia*, ibi: *Quoniam ibit homo in domum*; tertio, ad *consequentia*, ibi: *Antequam rumpatur funis argenteus.* — Status *ante iudicium*, qui erit in adventu antichristi, describitur quantum ad tria: primo, quantum ad *diminutionem fidei*; secundo, quantum ad *dilatationem erroris*, ibi: *Et consurgent ad vocem volucris* etc.; tertio, quoad *modum dilatandi*, ibi: *Florebit amygdalus* etc.

Expositio spiritualis de Ecclesia finali.

Primo, status eius ante iudicium.

Primo ergo praedicit, futuram esse *diminutionem fidei* quantum ad quatuor genera personarum: primo, quantum ad *praelatos*; secundo, quantum ad *perfectos*; tertio, quantum ad *simplices*; quarto, quantum ad *sapientes.* Primo igitur praedicit *commotionem praelatorum*, cum dicit: *Quando commovebuntur custodes domus. Domus* ista est Ecclesia, de qua in Psalmo[3]: « Domum tuam decet sanctitudo » etc. *Custodes* sunt praelati, quibus cura dominici gregis est commissa; Isaiae sexagesimo secundo: « Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes ». *Custodes* igitur *commovebuntur*, quando praelati in fide concutientur; et hoc quidem erit in antichristi adventu; unde Iudith ultimo: « Montes a fundamentis commovebuntur ». — Secundo praedicit *dubitationem perfectorum*, cum ait: *Et nutabunt viri fortissimi. Viri fortissimi* sunt perfecti in caritate et spe, secundum illud Isaiae quadragesimo[4]: « Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem ». Isti nutabunt; Matthaei vigesimo quarto: « Surgent pseudoprophetae et dabunt signa, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi »; et ibidem: « Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur ». — Tertio praedicit *lapsum simplicium*, cum subiungit: *Et otiosae erunt molentes imminuto numero*, id est, simplices a bono opere cessabunt, affecti taedio propter multam eorum deceptionem; unde dicit: *imminuto numero*, quia multum minuentur; Matthaei vigesimo quarto[5]: « Duo ad molam, unus assumetur, et alter relinquetur ». — Quarto praedicit *errorem sapientium*, cum dicit: *Et tenebrescent videntes per foramina*, id est, sapientes, qui subtiliter vident, erroris tenebris involventur; Iob duodecimo[6]: « Palpabunt quasi in tenebris et non in lumine, et errare faciet eos quasi ebrios ». Et quia cadentes a fide cadunt a confessione fidei, ideo dicit: *Et claudent ostia in platea*, id est in publico; *in humilitate vocis molentes*, id est mussitantes. Sed vera confessio est in publico; unde Matthaei decimo: « Quod in aure auditis praedicate super tecta ».

Primo de fidei diminutione.

Quoad praelatos.

Quoad perfectos.

Quoad simplices.

Quoad sapientes.

Et consurgent ad vocem etc. Hic secundo notatur *dilatatio erroris* post diminutionem fidei quantum ad tria. Primo dicit, quod praedicabitur et audietur falsitas; secundo, quod tacebitur veritas; tertio, quod sublimabitur et timebitur antichristi potestas. — Primum quidem *praedicabitur falsitas* ab antichristo, cum dicit: *Consurgent ad vocem volucris.* Vox volucris nocte canentis est praedicatio antichristi praedicantis in nocte obscuritatis et infidelitatis. *Ad vocem* ergo eius *consurgent* qui praedicationi eius credent. Propterea dicitur Matthaei vigesimo quarto[7], ut fidem non adhibeant: « Si ergo dixerint vobis: Ecce, in deserto est; nolite credere ». Tamen multi audient et credent; Ioannis quinto dicitur Iudaeis: « Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis ». — Secundo praedicit, quod *tacebitur veritas*, quia non erit qui audiat; ideo dicit: *Obsurdescent omnes filiae carminis.* Tunc *filiae carminis obsurdescunt*, quando sonum veritatis, quae est velut quaedam consonantia, audire non possunt. Illud erit tempore antichristi, sicut praedictum est; Isaiae trigesimo[8] praedicitur de illo populo, qui adhaerebit antichristo: « Populus ad iracundiam provocans est, filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei ». — Tertio praedicit, quod *formidabitur antichristi potestas*, cum ait: *Excelsa quoque timebunt et formida-*

Secundo, de erroris dilatatione.

Falsitas praedicabitur.

Veritas tacebitur.

Antichristi potestas formidabitur.

---

[1] Vers. 19. — Sequitur Eccli. 40, 11. B D subiungunt: *similiter* [Vulgata omittit *similiter*] *et aquae omnes in mare revertentur.*

[2] Psalm. 32, 15. — Seq. locus est Rom. 14, 10. (codd. perperam II. Cor. 5, 10, ubi: *Omnes enim nos manifestari oportet* etc.).

[3] Psalm. 92, 5. — Sequuntur Isai. 62, 6. et Iudith 16, 18, ubi Vulgata *movebuntur* pro *commovebuntur.*

[4] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt Matth. 24, 24. (Vulgata hinc inde plura interserit) et 22. — Inferius de lectione *imminuto numero* vide supra pag. 93, nota 6.

[5] Vers. 41: Duae molentes in mola, una assumetur, et una relinquetur.

[6] Vers. 25. — Sequitur Matth. 10, 27.

[7] Vers. 26: Ecce, in deserto est, nolite exire; ecce, in penetralibus, nolite credere. — Sequitur Ioan. 5, 43. — Superius post *Vox volucris* A addit *id est galli.*

[8] Vers. 9. Post *est* Vulgata addit *et.*

bunt etc., id est, omnes, tam parvi quam magni, verebuntur potentiam antichristi et prae timore adorabunt; unde Apocalypsis decimo tertio [1]: « Admirata est omnis terra post bestiam, dicentes: Quis similis bestiae huic, et quis poterit pugnare cum ea »? Et post: « Et data est illi potestas in omnem tribum et populum et linguam, et adorabunt eam omnes, qui habitant in terra, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae ».

Tertio, de triplici modo multiplicandi errorem.

Florebit amygdalus. Descripta est supra debilitatio fidei et dilatatio erroris; hic tertio describitur *modus multiplicandi errorem.* Et iste modus erit triplici via, scilicet per *miracula*, per *donaria*, per *tormenta.* — Primo igitur praedicitur modus trahendi

Per miracula.

ad errorem per *miracula*, cum dicit: *Florebit amygdalus*, ut sicut virga Aaron mirabiliter floruit et amygdalas produxit, secundum quod dicitur Numerorum decimo septimo [2]; ita in aemulationem antichristus faciet florere virgam et deflorere et alia multa miracula, per quae stulti convertentur ad ipsum; Apocalypsis decimo tertio: « Et fecit bestia signa magna et seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu hominum ».

Per donaria.

Secundo praedicit modum trahendi per *donaria*, cum subiungit: *Et impinguabitur locusta. Locusta impinguatur*, quando homo avidus pecunia repletur et per illam a Deo avertitur; Deuteronomii trigesimo secundo [3]: « Incrassatus est dilectus et recalcitravit incrassatus, impinguatus, dilatatus » etc. Hoc modo multos avertet antichristus a fide, quod significatum est secundi Machabaeorum septimo: « Antiochus, cum adhuc adolescentior superesset, hortabatur non tantum verbis, sed etiam iuramento promittebat, divitem se et beatum eum facturum et

Per tormenta.

translatum a legibus carum habiturum ». — Tertio praedicit, aliquos trahendos per *tormenta*, cum dicit: *Et dissipabitur capparis. Capparis*, ut dictum fuit, est herba libidinem provocans. Per hanc intelliguntur *carnales*, qui *curam carnis gerunt in desideriis* [4]. Isti *dissipantur*, cum timore tormentorum a fide recedunt; sunt enim de illis, de quibus dicitur Lucae octavo: « Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt ». *Tempus tentationis* erit in adventu antichristi; unde Matthaei vigesimo quarto: « Erit talis tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi usque modo ».

Secundo, de ipso iudicio.

Quoniam ibit homo in domum etc. Egit supra de antecedentibus ad iudicium; hic agit secundo de *ipso iudicio*, in quo *praemiabuntur boni*, et *punientur mali.* — Quantum ad *praemiationem bonorum* dicit: *Ibit homo in domum aeternitatis suae*, quando scilicet dicetur eis: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi », Matthaei vigesimo quinto [5]. Et tunc ibunt in domum aeternae laetitiae; Isaiae trigesimo quinto: « Venient in Sion cum laude, et laetitia sempiterna super capita eorum; gaudium et laetitiam obtinebunt ». — Quantum ad *malos* dicit: *Et circuibunt in platea plangentes*, scilicet mali; unde Sapientiae quinto [6]: « Dicent intra se, poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes »; et Matthaei vigesimo quarto: « Videbunt signum filii hominis in caelo; et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt filium hominis » etc.

Praemiabuntur boni.

Ponientur mali.

Tertio, de sex consequentibus iudicium.

Antequam rumpatur funis etc. Egit supra de antecedentibus ad iudicium et concomitantibus; hic agit de *consequentibus*. Describit autem sex consequentia post iudicii statum. Primo notatur evacuatio

Primum.

eloquentiae, cum dicitur: *Antequam rumpatur funis argenteus.* Argentum est sonorum et significat eloquentiam; *funis argenteus* est verborum pulcra coniunctio et colligatio, quae ad modum funis hominem ligat, dum persuadet, secundum illud quod dicitur Proverbiorum septimo [7]: « Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum ». Tunc ergo *rumpetur funis argenteus*, quando post diem iudicii mundana eloquentia obmutescet; Matthaei vigesimo secundo: « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit ». — Secundo notatur evacuatio *praelationis* sive

Secundum.

potentiae, cum dicit: *Recurrat vitta aurea.* Per *vittam*, quae ponebatur in capite sacerdotis [8], intelligitur ordo potentiae et praelationis, in quo colligatur Ecclesia. Ista vitta recurrit ad suum principium, scilicet quando solus Christus dominabitur, et omnis alia potestas auferetur; et hoc erit post iudicium; primae ad Corinthios decimo quinto: « Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et dominationem et virtutem ». — Tertio notatur evacuatio *mundanae sa-*

Tertium.

pientiae, cum dicit: *Et conteratur hydria super fontem.* Ista *hydria* est cordis curiositas, quae af-

---

[1] Vers. 3. et 4. Post *bestiam* Vulgata plura addit, et subinde omittit *huic.* Ibid. v. 7. et 8. est seq. locus, in quo post *linguam* Vulgata prosequitur *et gentem, et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum* etc.

[2] Vers. 8. — Sequitur Apoc. 13, 13. et 14. Post *magna* in Vulgata plura adduntur, et pro *hominum* substituitur *bestiae, dicens habitantibus in terra* etc.

[3] Vers. 15. — Seq. locus est II. Mach. 7, 24. Vulgata quaedam hinc inde interserit, et pro *promittebat* substituit *affirmabat*, ac post *translatum* legit *a patriis legibus amicum habiturum.*

[4] Respicitur Rom. 13, 14: Et carnis curam ne feceritis in desideriis. — Sequuntur Luc. 8, 13. et Matth. 24, 21: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis etc.

[5] Vers. 34: Venite... possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. — Seq. locus est Isai. 35, 10.

[6] Vers. 3: Dicentes intra se etc. — Sequitur Matth. 24, 30: Et tunc parebit signum etc.

[7] Vers. 21. — Sequitur Matth. 22, 12.

[8] Exod. 28, 37: Ligabisque eam (laminam auream) vitta hyacinthina et erit super tiaram etc. — Subinde allegatur I. Cor. 15, 24. Cfr. supra pag. 91, nota 3.

fertur ad hauriendam sapientiam; de qua in figura Ioannis quarto[1]: « Venit mulier de Samaria cum hydria haurire aquam ». *Mulier de Samaria* gentilitas est, quae venit *cum hydria*, id est curiositate, ad sapientiam hauriendam; unde dicitur Actuum decimo septimo[2]: « Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi ». *Fons* autem est mundana sapientia; unde in Psalmo: « Dirupisti fontes et torrentes » etc. *Hydria* ergo *super fontem frangitur*, quando non restat locus, ut mundanae sapientiae curiose vacetur; Isaiae trigesimo: « Et comminuetur velut lagena figuli contritione per-
Quartum. valida » etc. — Quarto notatur ablatio *mundanae opulentiae*, cum subiungit: *Et confringatur rota super cisternam.* Per *cisternam*, quae recipit aquas, intelligitur congregatio opulentiae mundanae, secundum illud Ieremiae secundo[3]: « Me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas » etc. *Rota* dicitur volubilitas et variabilitas in possidendo; unde ista dicuntur *bona fortunae.* Tunc ergo *rota confringitur super cisternam*, quando omnis spes habendi bona temporalia aufertur; quod significatum est Exodi decimo quarto[4]: « Respiciens Dominus super castra Aegyptiorum, subvertit rotas curruum », quia, Ecclesiastici quadragesimo, « substantiae im-
Quintum. piorum sicut fluvius siccabuntur ». — Quinto notatur, quomodo malis fiet *inflictio poenae*, cum dicit: *Et revertatur pulvis in terram. Pulvis* recte dicitur impius et peccator, secundum illud Psalmi[5]: « Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terrae ». *Terra* est obscuritatis profunditas, secundum illud Proverbiorum vigesimo quinto: « Caelum sursum, et terra deorsum ». Tunc ergo *pulvis ad terram revertitur*, quando peccator in infimum infernalis tenebrositatis recluditur; Apocalypsis vigesimo: « Qui non est inventus in libro vitae scriptus missus est in stagnum
Sextum. ignis ». — Sexto vero notatur, quomodo iustis et spiritualibus fiet *collatio gloriae*, cum dicit: *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Spiritus est homo spiritualis et bonus, qui Deo est coniunctus per gratiam; primae ad Corinthios sexto[6]: « Qui adhaeret Domino unus spiritus est ». Iste *spiritus redit ad Deum*, non quia prius fuerit cum eo et post recesserit, cum venit ad corpus et in morte iterum revertitur, quemadmodum voluit Origenes; sed ideo *redire* dicitur, quia ab illo est et per illum et ad illum finaliter ordinatur; et hoc quidem erit in gloria post iudicium, secundum quod dicitur ad Colossenses tertio: « Cum autem apparuerit Christus, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria ».

Triplicis probationis conclusio.

(Vers. 8.). *Vanitas vanitatum* etc. Sicut dictum fuit a principio libri, totus liber iste ad probandum unam propositionem ordinem habet, quam in principio libri proposuit, hanc scilicet: *Vanitas vanitatum* etc. Hanc per totum librum probavit et modo in fine concludit dicens: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes.* Supra[7] similiter *dixit*, id est *proposuit;* sed nunc: *dixit Ecclesiastes*, id est *conclusit. Dixit,* Duplex dictum. inquam: *Vanitas vanitatum.* Sermo iste materialiter tenetur, et transit actus dicendi super ipsum, ut sit sensus: Ecclesiastes dixit hunc sermonem: *Vanitas vanitatum;* et in hoc sermone genitivus ille designat originem, ut sit sensus: *Vanitas vanitatum*, id est, a vanitatibus oritur vanitas. Dixit etiam Ecclesiastes *hoc*, scilicet: *Omnia vanitas*, et intelligitur verbum substantivum ex usu loquendi, ut sit sensus: *Omnia sunt vanitas.* — Ex hoc duplici dicto Conclusio syllogistica. elicitur talis ratio: Si a vanitatibus oritur vanitas; et omnia vanitas: ergo omnia creata dilectorem suum beatum non faciunt, sed faciunt vanum, secundum illud Ieremiae secundo[8]: « Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ». Si ergo omnes debent appetere beatitudinem et refugere vanitatem: ergo omnes debent terrena bona despicere. Et haec est conclusio huius libri.

Epilogus.

Cumque esset sapientissimus etc. Dictum est su- Divisio. pra[9], quod liber iste habet tres partes principales, scilicet prologum, tractatum et epilogum. Duabus primis partibus terminatis, hic incipit tertia pars. In hoc autem epilogo hoc ordine procedit. Primo *notatur* Notantur quatuor. *scribentis studiositas;* secundo, *sermonum eius auctoritas;* tertio *reprimitur curiositas auditorum;* quarto *aperitur summa dictorum.*

(Vers. 9. 10.). Insinuatur ergo primo *scriben-* Expositio litteralis. *tis studiositas:* quia, cum esset sapiens, sapientiam Primum. suam non abscondit, sed aliis enarravit. Ideo dicit: *Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes;* tertii Regum quarto[10]: « Praecedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium; et erat sapientior cunctis hominibus ». Cum ita esset sapiens, non fuit negligens, sed diligens. Unde *docuit populum;* Eccle-

---

[1] Vers. 7. Vulgata omittit *cum hydria*, de qua ibid. v. 28: Reliquit ergo hydriam suam mulier.

[2] Vers. 21. Cfr. supra pag. 16, nota 1. — Sequuntur Ps. 73, 15. et Isai. 30, 14: Et comminuetur, sicut conteritur lagena etc.

[3] Vers. 13, ubi Vulgata post *cisternas* repetit *cisternas.*

[4] Vers. 24. et 25. Post *Aegyptiorum* Vulgata plura addit. — Sequitur Eccli. 40, 13: Substantiae iniustorum sicut etc.

[5] Psalm. 1, 4. — Sequuntur Prov. 25, 3. et Apoc. 20, 15.

[6] Vers. 17. — Seq. locus est Col. 3, 4. — De opinione Origenis cfr. tom. II. pag. 448, nota 6. et pag. 449, nota 8.

[7] Cap. 1, 2.

[8] Vers. 5.

[9] In explicatione cap. 1, 1.

[10] Vers. 30. et 31. Post *Orientalium* Vulgata addit *et Aegyptiorum.* — Duo seqq. loci sunt Eccli. 24, 46. et 47: Videte, quoniam non... sed omnibus exquirentibus veritatem (cfr. ibid. 33, 18.).

siastici vigesimo quarto: « Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, et relinquam illam quaerentibus sapientiam »; et post: « Respicite, quia non mihi soli laboravi, sed omnibus quaerentibus veritatem ». Explicat diligentiam, scilicet per multitudinem scriptorum et documentorum; et tanguntur hic tres libri, quos composuit. Primo Ecclesiastes, cum dicit: *Et enarravit quae fecerat*, supple: in hoc libro Ecclesiastae; supra primo [1] et secundo capitulo narravit opera spiritualia et carnalia, ut in malis daret exemplum detestandi, in bonis exemplum imitandi.

De Ecclesiaste.

Secundo tangitur liber Proverbiorum, cum dicit: *Et investigans composuit parabolas, quae sunt verba utilia*, id est in Proverbiis; in principio Proverbiorum [2]: « Parabolae Salomonis, filii David, regis Israel, ad sciendam sapientiam et disciplinam, ad intelligenda verba prudentiae ». Tertio tangitur liber Canticorum, cum dicit: *Et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos.* Hoc dicit, quia illa verba, quae dicuntur in Canticis, videntur verba *luxuriae et libidinis;* ideo dicit: *Sermones rectissimos,* id est iustos et bonos; Proverbiorum octavo [3]: « Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum ». Videntur etiam verba Canticorum esse *falsa et iocosa,* cum dicit: « Nasus tuus sicut turris »; ideo dicit: *Ac veritate plenos;* plenum enim est illud quod intra continet aliquid et capit; sic et verba Canticorum intus celant et ambiunt veritatem; et hoc est necessarium omni doctrinae; Ecclesiastici trigesimo septimo: « Ante omnia opera verbum verax praecedat te ».

De Proverbiis.

De Cantico Canticorum.

(Vers. 11.). *Verba sapientium* etc. Hic secundo notatur *sermonum* sive documentorum eius *auctoritas,* quia non sunt leviter prolata, immo cum consilio prolata et a Deo inspirata, et ideo sunt firma et stabilia. Et propterea dicit: *Verba sapientium quasi stimuli,* ad interiora scilicet penetrantes; *et quasi clavi in altum defixi*, id est in profundum, qui sunt immobiles, et ideo non de facili repelluntur a corde, sed manent et ad bonum inducunt. Unde verbum Dei gladio comparatur ad Ephesios sexto [4]: « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei ». Et ideo pungit cor, secundum quod dicitur Actuum secundo: « His auditis, compuncti sunt corde ». Sunt ergo verba sapientium penetrantia, quia non sunt leviter dicta; ideo dicit: *Quae per magistrorum consilium,* id est deliberatam discussionem et sententiam, *data sunt a pastore uno,* id est a Christo, qui est pastor, secundum quod dicitur Ioannis decimo [5]: « Ego sum pastor bonus ». Ab isto pastore verba sapientium sunt data, quia, secundum quod dicit Augustinus, « cathedram habet in caelo qui intus docet »; unde Matthaei vigesimo tertio: « Unus est magister vester, Christus ». Sunt tamen data *per consilium magistrorum,* id est ministrorum istius summi magistri, quos ipse misit et docuit; unde dicitur primae Petri quinto [6]: « Seniores, pascite qui in vobis est gregem Dei, ut, cum venerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriae coronam ». Hos misit ipse; Matthaei ultimo: « Euntes ergo docete omnes gentes ».

Secundum.

(Vers. 12.). *His amplius* etc. Hic tertio *reprimitur curiositas auditorum,* quos alloquitur sub persona filii dicens: *His amplius, fili mi, ne requiras,* ut semper velis audire nova; sufficit enim scire necessaria; Ecclesiastici tertio [7]: « Quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus ». — Et redditur *ratio* duplex huius admonitionis, quia inquisitio huius curiositatis est *interminata* et *laboriosa.* Est *interminata;* ideo dicit: *Faciendi plures libros nullus est finis;* quia curiosi nunquam tot habent, quin velint audire plures, quia nunquam volunt audire vetera, sed semper nova; unde Actuum decimo septimo [8]: « Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi », Ideo dicitur Danielis duodecimo: « Pertransibunt plurima tempora, et multiplex erit scientia », eo quod scientia semper quodam modo renovatur. Non tantum est *interminata,* sed etiam *laboriosa* curiosa inquisitio; ideo subdit: *Frequensque meditatio carnis est afflictio;* Ecclesiastici trigesimo primo [9]: « Vigilia honestatis tabefaciet carnem ». Est, inquam, afflictio magna, et e contrario utilitas modica, secundum quod dictum est supra octavo: « Est homo, qui diebus et noctibus non capit somnum oculis. Et intellexi, quod operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quae fiunt sub sole ».

Tertium.

Ratio duplex.

(Vers. 13.). *Finem loquendi pariter* etc. Hic quarto tangitur *sententia* dictorum per quandam epilogationem, ad quam audiendam, et memorandam excitat discipulorum audientiam cum dicit: *Finem loquendi,* id est terminum et consummationem locutionis, *pariter omnes audiamus,* tanquam omnibus utilem et necessariam. — Et consistit in hoc sententia omnium dictorum, scilicet in *declinatione mali,* vel in *operatione boni;* ad quod ordinatur omnis doctrina et locutio Salomonis, immo tota Scriptura. Ideo primitus quantum ad *declinationem mali* dicit: *Deum time;* Proverbiorum decimo sexto [10]: « In timore Do-

Quartum.

Summa omnium dictorum.

---

[1] Vers. 12. seqq.

[2] Cap. 1, 1. et 2.

[3] Vers. 8. — Sequuntur Cant. 7, 4: Nasus tuus etc., et Eccli. 37, 20. — Cfr. supra cap. 1, 1. Quaestiones.

[4] Vers. 17. — Seq. locus est Act. 2, 37.

[5] Vers. 11. — Subinde allegatur Matth. 23, 8. — Sententia August. est ex expositione Epist. I. Ioan. tr. 3. n. 13. Cfr. tom. V. pag. 324, nota 2.

[6] Vers. 1-4, ubi Vulgata multa interserit. — Sequitur Matth. 28, 19.

[7] Vers. 22.

[8] Vers. 21. Cfr. supra pag. 16, nota 1. — Sequitur Dan. 12, 4: Tu autem, Daniel, claude sermones et signa librum usque ad tempus statutum; plurimi pertransibunt et etc.

[9] Vers. 1. Pro *carnem* Vulgata *carnes.* — Seq. locus est Eccle. 8, 16. et 17. Voci *operum* Vulgata praefigit *omnium.*

[10] Vers. 6: In timore Domini declinatur a malo. Cfr. supra pag. 68, nota 6. — Sequitur Deut. 6, 3. Post *praecepit* Vulgata addit *tibi.*

mini declinat omnis a malo ». Quantum ad *operationem boni* dicit: *Et mandata eius observa;* Deuteronomii sexto: « Audi, Israel, et observa, ut facias quae praecepit Dominus ». *Hoc est omnis homo,* id est totus et perfectus homo. Si enim facit bonum et non declinat a malo, non est integer homo, sed dimidius; rursus, si declinat a malo et non facit bonum, non est nisi dimidius; si autem declinat a malo per timorem et facit bonum per mandatorum observationem, iam *est omnis homo,* id est completus iustus. Dominus ab homine nil amplius requirit; Deuteronomii decimo [1]: « Et nunc Israel, quid Dominus requirit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius, et servias Domino in toto corde tuo et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini Dei tui » ?

Notandum.

Ratio, quare Deus timendus.

(Vers. 14.). Et ratio est, quare Deus timendus sit, et mandata eius sint observanda: quia de omnibus exiget rationem, sive de bonis, sive de malis. Ideo subdit: *Et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato,* quia nihil remanebit indiscussum, nec gestum per malitiam nec gestum per errorem; Matthaei duodecimo [2]: « De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem ». Et non tantum discutientur mala, immo etiam bona; ideo subiungit: *Sive bonum, sive malum sit,* adducetur in iudicio; unde in Psalmo: « Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo »; et rursus, secundae ad Corinthios quinto: « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi »; ideo cuncta iudicabit, quia omnia respicit. Et hoc est quod multum debet hortari ad timorem et mandatorum observationem; et ideo in hoc consummat, sicut et Boethius in fine de Consolationibus [3]: « Magna est nobis indicta necessitas probitatis, dum cuncta agimus in conspectu iudicis cuncta cernentis ».

Explicit Ecclesiastes [4].

SCHOLION.

I. In hoc Commentario componendo S. Bonaventura praeter Glossam *interlinearem* et *ordinariam* (quae plerumque derivata est ex Commentario S. Hieronymi in Ecclesiasten) usus est tum ipsa memorata *Hieronymi* expositione tum altera *Hugonis* a S. Victore, quae, saltem in editionibus, non se extendit nisi usque ad cap. 4, 7. Ecclesiastae. Ab Hugone ipse mutuatus est praecipuam illam divisionem triplicis vanitatis, scilicet *mutabilitatis, iniquitatis, poenalitatis.* Quod autem cognoverit etiam *Expositionem mysticam* in Ecclesiasten *Salonii,* episcopi Viennensis (vide Migne., Patrol. Latina tom. LIII. col. 993 seqq.), qui floruit circa 453, quidam locus a nobis citatus insinuare videtur, nisi forte illam sententiam ab aliis auctoribus relatam acceperit. Nec invenimus certum vestigium, quod adhibuerit Commentarios Alcuini et Ruperti, abbatis Tuitiensis, qui in exponendo Ecclesiaste presse sequuntur Hieronymum. — Ceterum haec expositio est opus seraphico Doctori prorsus proprium eiusque indolem nativam referens. Ipse, adhibitis nonnunquam aliis versionibus, praesertim Hieronymi et Septuaginta, textum Vulgatae exponit secundum sensum *litteralem,* ita ut plurimis locis Scripturae parallelis, quasi ipsa Scriptura explicans Scripturam, sensum illustret. Exposita secundum sensum litteralem parte non exigua textus, subiungitur plerumque brevis expositio sensus *mystici* sive spiritualis eiusdem partis. Adduntur porro suis locis ultra octoginta *quaestiones* more scholastico compositae, quibus speciales difficultates, circa doctrinam vel sensum obscuriorum locorum occurrentes breviter et dilucide solvuntur.

II. In sententiis gravibus ex verbis S. Scripturae eruendis, dividendis et ordinandis S. Commentator comprobat ingeniosissimam subtilitatem. Plurimi quidem huius libri expositores recentiores negant, determinatum ordinem et logicum progressum in ipso inveniri. Quidquid de hoc sentiendum sit, pro vera nostri auctoris circa ordinem ab ipso dispositum sententia intelligenda servire potest id quod in Collationibus in Hexaëm., collat. 14. n. 5, respectu *omnium* librorum Scripturae profert de ordine, ut ita dicam, organico S. Scripturae, sive de diversitate, quae est inter ordinem illius et ordinem humanorum librorum, quod scilicet in Scriptura non ponatur sic sententia post sententiam: « Non est, inquit, ita; quia ordinatissima est, et ordo eius est consimilis ordini naturae in germinatione terrae » etc. — Difficile quidem est praegrandem numerum divisionum et subdivisionum mente retinere. Ne igitur lector confundatur, iam in textu ordinando pro viribus providimus, tum titulis, quos maioribus partibus superscripsimus, tum notis marginalibus et typis, quos cursivos vocant. Non autem superfluum esse nec lectori ingratum putamus, quod multitudinem divisionum et principalium sententiarum, quae sunt in expositione *litterali,* his quatuor schematibus adumbratam in uno conspectu ponamus. Similia schemata in codicibus Commentariorum S. Scripturae passim inveniuntur ad marginem scripta.

---


[1] Vers. 12. et 13. Vulgata *petit* pro *requirit;* subinde post *eius* addit *et diligas eum,* ac post *Domino* subiungit *Deo tuo,* omisso in fine *Dei tui.*

[2] Vers. 36. Vulgata: Quoniam omne verbum otiosum... reddent de eo etc. — Sequuntur Ps. 74, 3. et II. Cor. 5, 10, pro quo loco codd. afferunt verba: *Omnes stabimus ante tribunal Christi,* quae habentur Rom. 14, 10. Cfr. supra pag. 95, nota 2.

[3] Libr. V. prosa 6: Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. — Superius pro *debet hortari* C *debet hominem inducere.*


[4] E in fine: Explicit supra Ecclesiasten secundum fratrem Bonaventuram, et sunt peroptima scripta.

Schema I.




[1] Harum trium partium divisiones exhibentur in schematibus II. III. IV.


Schema II.


Pars I. Probatur vanitas mutabilitatis (1,3-3,15.)
primo ratione transmutationis rerum
primo haec ostenditur in existentia creaturarum
primo quoad esse rerum in universo
in creatura naturali
» » caelesti
» » elementari
secundo quoad esse in intellectu humano, quod est vanum
quia res non patent
» » » implent
» » » permanent
secundo manifestatur et reprehenditur curiositas humana
primo ipse manifestat suam curiositatem
in operibus prudentiae sive philosophiae
quoad scientiam naturalium; quae describitur
secundum idoneitatem considerantis
» ipsam curiositatem
» divini iudicii severitatem
» quod concluditur curiositatis vanitas
quoad considerationem moralem, ubi notatur
a naturalibus ad moralia translatio
afflictionis inventio
ad delectabilium fruitionem conversio
ad utilium considerationem reditus.
in operibus opulentiae sive artis mechanicae
quoad artificialia, quae ordinantur ad divitias
quoad acquisitionem possessionum stabilium
» multiplicationem servientium
» amplificationem animalium
» conservationem mineralium
quoad artificialia, quae ordinantur ad delicias, ubi notatur
diligentia ad praeparandum
potentia ad consummandum
sapientia ad ordinandum
voluptas ad perfruendum
secundo reprehendit eandem
primo, generaliter
primo, quoad studium ordinatum ad sapientiam, insinuans
suam diligentiam
sapientis praeeminentiam
inventam aequiparantiam
propriae vanitatis reprehensionem
secundo, specialiter
secundo, quoad studium ordinatum ad opulentiam
redarguens eam propter bonae successionis incertitudinem
» » propter laboriosam sollicitudinem
praeferens praesentem voluptatem
damnans eam per iudicii divini aequitatem
secundo ratione varietatis in tempore.
primo ostenditur temporum varietas
generaliter
specialiter
quoad ortum et occasum
viventium
vegetabilium
sensibilium
artificialium
quoad statum
prosperitatis
iucunditatis
securitatis
quoad usum
uxorum
possessionum
thesaurorum
vestimentorum
quoad conversandi modum
quoad actum virtutis rationalis
» » » concupiscibilis
» » » irascibilis
secundo reprehenditur nostra curiositas
insinuando curiositatis inutilitatem
commendando in eius detestationem praesentem voluptatem
tertio ostenditur divinorum operum perpetuitas.

Schema III.


Pars II. Probatur vanitas culpae (3,16-7,23.)
ostenditur vanitas triplicis culpae
vanitas malitiae
in rectoribus, insinuans
malitiae considerationem
futuri iudicii praemeditationem
praesentis status considerationem
praecipitationem in erroneam opinionem
in subditis notatur
malitia calumniae
notatur calumniae consideratio
miseriae aggravatio
culpae detestatio.
malitia invidiae
eius consideratio
» malitia
» poena
malitia accidiae
torpor accidiae
sustinentia penuriae
excusatio ignorantiae
vanitas avaritiae
consideratio avaritiae commendatio societatis alienae secundum triplex emolumentum
in relevando
conservando
defendendo
vanitas imprudentiae, quae reprobatur
propter malum praesens et concomitans
propter malum succedens
Ponitur triplex remedium contra triplicis culpae vanitatem
contra vanitatem malitiae et eius triplicem inordinationem
contra inordinationem in opere
afferendo exhortationem
» exhortationis rationem
contra inordinationem loquelae stultae in ore
per locutionem inconsideratam
prohibendo praecipitationem
subdendo rationem
addendo exemplum
per locutionem falsam
per locutionem erroneam
dehortando
subdendo rationem
manifestando erroris radicem
contra inordinationem cogitationis malae in corde, manifestando divinae providentiae aequitatem
contra vanitatem avaritiae persuadendo contemptum divitiarum
quia non ditant possessores
quia non sufficiunt
» » prosunt
sed quia affligunt
quia non transmittuntur ad posteros, ubi
consideratur egestas futura in prole divitis
reprobatur sollicitudo laboriosa pecuniae acquirendae
commendatur fruitio praesentis laetitiae
quia frequenter devolvuntur ad extraneos, ubi
probatur ex divitiarum conservatarum translatione avaritiae vanitas
urgetur tenacitatis detestatio
subiungitur detestationis ratio triplex
contra vanitatem imprudentiae per acquisitionem sapientiae
docetur modus triplex acquirendae sapientiae et
monetur, ut addiscantur utilia
» ut relinquantur abscondita
» neve inquirantur sublimia
explicantur sapientiae documenta
documenta quinque ad habendam modestiam ostendendo
praeferendum honestum suavi
» vitam futuram praesenti
» afflictionem voluptati
» tristitiam iucunditati
» severitatem mollitiae et adulationi
documenta quatuor ad habendam constantiam
vitanda calumnia
amanda perseverantia
servanda patientia
fugienda iracundia
documenta quatuor ad habendam prudentiam
ad discretionem utilium
» » divinorum operum
» » temporum
» » meritorum
documenta quatuor ad habendam iustitiam
prohibetur rigor severitatis
» praecipitium impietatis
commendatur exhibitio misericordiae
» dissimulatio propriae iniuriae

Schema IV.



(Post tertiam partem sequitur conclusio trium partium tractatus et totius libri epilogus, ut in schemate I.).

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COMMENTARIUS

IN LIBRUM SAPIENTIAE

PROOEMIUM

COMMENTARII IN SAPIENTIAM

Introductio generalis.

Duplex ratio, quare anima per sapientiam sit reformanda.

1. *Diligite lumen sapientiae, omnes, qui praeestis populis,* Sapientiae sexto [1]. Quoniam eodem habet res formari, et deformata reformari; et omnia leguntur per sapientiam esse facta, secundum illud Psalmi: *Omnia in sapientia fecisti;* necesse est, omnia per sapientiam reformari. Imago ergo rationalis animae, quae « ad totius sapientiae similitudinem legitur esse facta » in libro de Spiritu et anima, per peccatum vero postmodum deformata in tantum, ut merito possit quaeri: *Cuius est imago et superscriptio haec* [2]? per sapientiam est necessario reformanda. Item [3], quia ad eius reformationem duo sunt necessaria, scilicet *malitiae expulsio* et perfecti *boni introductio,* ut eo informetur et ei cuius est imago, expresse conformetur; sapientia autem est *malitiae expulsiva,* unde Sapientiae septimo [4]: *Sapientia vincit malitiam;* item perfecti *boni introductiva,* quia « sapientia est, in qua perfecti boni forma consistit », ut dicit Hugo in libro de Origine artium [5]. Et quoniam imago divina, per peccatum in anima deformata, reformatione indiget secundum omnes tres suas partes, quae secundum Augustinum [6] sunt intelligentia, memoria et voluntas; idcirco Sapiens ad sapientiam tripliciter allicit et invitat, scilicet ad sapientiae *studiosam acquisitionem,* et hoc quantum ad intelligentiam; ad acquisitae sapientiae *firmam retentionem,* et hoc quantum ad memoriam; ad acquisitae sapientiae et memoriter retentae *dilectionem,* et hoc quantum ad voluntatem.

Et hoc secundum tres potentias.

Triplex invitatio.

Invitatio ad sapientiae acquisitionem.

2. Ad sapientiae *studiosam acquisitionem;* Proverbiorum vigesimo septimo [7]: *Stude sapientiae, fili mi. Filium* vocat, quemcumque paterna affectione informat, sive sit iuvenis, sive senex; Augustinus: « Ad discendum quod opus est nulla mihi aetas sera videri potest; quia, etsi senes magis docere deceat quam doceri, magis tamen decet eos discere, quam quid doceant ignorare ». *Stude,* inquit, et hoc innuit vehementem diligentiam circa acquisitionem sapientiae adhibendam. « Studium enim, ut dicit Tullius [8], est vehemens applicatio animi cum summa voluptate ad aliquid agendum ». Haec autem vehemens animi applicatio requirit vacationem ab exterioribus occupationibus. « Impar enim efficitur ad singula qui confusa mente dividitur ad multa », ut dicit Gregorius. Propter quod Ecclesiastici trigesimo octavo [9]: *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis,* id est vacationis ab opere exteriori; *qui* enim *minoratur actu,* scilicet exteriori, *percipiet sapientiam,* ut dicitur in eodem.

Ad eius retentionem.

3. Ad sapientiae *firmam retentionem;* Ecclesiastici decimo quarto [10], ubi dicit: *Beatus vir, qui in sapientia morabitur;* item Proverbiorum tertio: *De-*

---

[1] Vers. 23. — Sequitur Ps. 103, 24.

[2] Matth. 22, 20. — Auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 6: « Anima ad similitudinem totius sapientiae facta omnium in se gerit similitudinem » etc. Respicitur Gen. 1, 26: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.

[3] Supple: per sapientiam est necessario reformanda.

[4] Vers. 30: Sapientiam autem non vincit malitia.

[5] Libr. I. Eruditionis didascalicae, c. 2, quod inscribitur de *origine artium* et animae perfectione: Omnium expetendorum prima est sapientia, in qua etc.

[6] Libr. X. de Trin. c. 11. n. 17. seqq. et XIV. c. 8. n. 11; de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 35. Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 2, et ibid. Comment. p. II. a. 1. q. 1.

[7] Vers. 11. — Sententia August. habetur in Epist. 166. (alias 28.) c. 1. n. 1: Ad discendum... quia, etsi senes magis decet docere quam discere, magis tamen discere, quam quid doceant ignorare.

[8] Libr. I. Rhetor. c. 25: Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum *voluntate* occupatio, ut philosophiae etc. — Superius post *inquit* Vat. *in hoc innuens, vehementem debere esse diligentiam* etc.

[9] Vers. 25, ubi etiam seq. locus. Verba Vulgatae vide supra pag. 66, nota 1. — Gregor., Regulae pastoralis, p. I. c. 1: Impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente etc. — Vat. et codd. *Imperitus* pro *Impar*.

[10] Vers. 22. — Duo seqq. loci sunt Prov. 3, 3, ubi Vulgata omittit *eam*, et 22, 20.

scribe eam in tabulis cordis tui, id est in tribus partibus divinae imaginis, et specialiter in memoria, eam firmiter retinendo. Propter quod dicit: *Describe*, quod enim scribitur firmius et diutius retinetur; Proverbiorum vigesimo secundo: *Ecce, descripsi eam tibi tripliciter*, id est in *intelligentia* per studiosam acquisitionem, in *memoria* per firmam retentionem, in *voluntate* per *dilectionem;* ad quod monet in verbis propositis dicens: *Diligite lumen sapientiae* etc.

Ad eius dilectionem.

De quadruplici causa huius libri.

4. In quibus verbis nobis quatuor causae huius operis innuuntur, scilicet causa *efficiens* ex persona, quae loquitur dicens: *Diligite; formalis*, id est modus agendi, per *lumen* innuitur; *materialis* nomine *sapientiae* exprimitur; *finalis* ex ordine seu *comparatione loquentis ad personam*, ad quam sermo dirigitur, intelligi potest, cum dicitur: *Omnes, qui praeestis populis.*

5. De primo notandum, quod triplex est *causa efficiens* huius libri: prima per modum *inspirantis*, scilicet Deus; unde Iob trigesimo secundo [1]: *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam;* item Ecclesiastici primo: *Omnis sapientia a Domino Deo est*, sicut omnis *essentia* ab eius essentia, et ab eius veritate omnis *veritas*, et ab eius bonitate omnis *bonitas*. « Primum enim in unoquoque genere eorum quae post ipsum sunt, causa est [2] »; et omne perfectum a perfecto causatur, secundum Boethium.

Causa efficiens triplex. Per modum inspirantis.

6. Secunda causa efficiens per modum *invenientis* est ipse Salomon; unde in ecclesiastica historia [3] « omnis antiquorum chorus librum, qui Sapientia intitulatur, Salomonis esse dixerunt ». Unde liber ipse *Sapientia Salomonis* inscribitur, et more ecclesiastico lectionibus de hoc libro sumtis praemittitur: « Dixit Salomon filiis Israel », quia scilicet de eius sententiis liber iste compilatus fuit. — Proxima causa efficiens per modum *compilantis* fuit Philo, sapientissimus Iudaeorum, qui temporibus Apostolorum fuit, ut refert ecclesiastica historia [4]; qui ab amore sapientiae *Philo* non immerito est appellatus. Rabanus etiam librum istum potius asserit non a Salomone, ut putatur, sed a Philone, sapientissimo Iudaeo, fuisse conscriptum, id est compilatum.

Invenientis.

Compilantis.

7. Causa autem *formalis*, id est modus agendi, ut dictum est, per *lumen* innuitur, quia, sicut lumen habet radicalis suae originis occultationem, in egressu claram manifestationem, in fluxu continuationem; sic et iste liber Sapientiae habet in sententiis profundam difficultatem et originis *occultationem*, secundum illud Iob vigesimo octavo [5]: *Trahitur sapientia de occultis;* in sermonibus claram *manifestationem*, Sapientiae sexto: *Clara est et quae nunquam marcescit sapientia, clara*, inquam, per eloquentiae venustatem; « stilus enim huius libri, secundum Hieronymum, Graecam redolet eloquentiam »; in processu vero rationum *consequentiam et ordinatam continuationem*, Ecclesiastici vigesimo primo [6]: *Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit*, continue fluendo, non stillando; *et consilium illius sicut fons vitae permanet.*

Causa formalis, de qua notantur tria.

8. Causa vero *materialis* nomine *sapientiae* exprimitur. « Sapientia autem, secundum Augustinum [7], est divinarum rerum cognitio »; res autem divinae sunt Dei *potentia, sapientia* et *bonitas;* de quibus agitur in hoc libro, quamvis principalius de *sapientia* intendatur. *Potentiam* Dei notificat in punitione re-

Causa materialis quoad tria.

De potentia.

---

[1] Vers. 8. — Sequitur Eccli. 1, 1.

[2] Secundum Aristot., II. Metaph. text. 4. (I. brevior c. 1.), in cuius expositione Averroes ait: Manifestum est per se, quod unumquodque principiorum in unoquoque genere est proprie causa eorum quae dicuntur de aliis rebus collocatis in illo genere etc. Cfr. V. Metaph. text. 12. (IV. c. 6.) et X. text. 3. seqq. (IX. c. 1. seq.), de quo vide tom. II. pag. 94, nota 4. — De sententia Boethii cfr. III. de Consol. prosa 10, ubi ostendit, imperfecta et minus perfecta supponere perfectum, immo perfectissimum, quod sit origo et fons omnis boni et perfecti. Tamen Vat. et codd. habent *omne perfectum.*

[3] Eusebii, libr. IV. c. 22, secundum versionem Rufini (Aquileiensis presbyteri), quae tamen cum textu originali non concordat. Eusebius enim ait: Non solum autem ipse [Hegesippus], sed et Irenaeus et omnis antiquorum chorus, omni virtute refertam sapientiam Salomonis Proverbia nuncuparunt [πανάρετον Σοφίαν τὰς Σολομῶνος Παροιμίας ἐκάλουν] Cfr. Cornel. a Lapide, Prolegom. in lib. Sap., ubi etiam, perpensis tribus opinionibus de auctore huius libri (prima tenet, Salomonem esse auctorem, altera ab Hieron. allata, Philoni librum attribuit; tertia ab Augustino primitus posita sed postmodum improbata ipsum tribuit Iesu, filio Sirach); quartam ponit, secundum quam incertum est, quis fuerit auctor secundarius, qui, dictante Spiritu sancto, librum conscripserit.

[4] Eusebii, lib. II. c. 5, ubi ex XVIII. *Antiquitatum* Iosephi narratur, quod Philo legationem pro Iudaeis susceperit ad imperatorem Caium Caligulam. Cfr. Nicephor., II. Eccles. Histor. c. 9. — Rabanus, Prolog. Comment. in lib. Sap.: Quem [lib. Sap.] tamen beatus Hieronymus asserit non a Salomone, ut usus habet, sed a Philone, doctissimo Iudaeo, fuisse conscriptum etc — Cornel. a Lapide, loc. in praeced. nota cit., ait: Causa erroris, cur scilicet nonnulli *Sapientiam* tribuunt Philoni, est, quod Salomon a Deo, II. Reg. 12, 25, nuncupatus sit Hebraice *Iedidia* [cfr. supra pag. 10, nota 3.], id est *amabilis Domino*, qui Graece dicitur φίλων; φιλέω enim est *amo*, φιλία *amor*, φίλος *amicus*. Unde et Philon Iudaeus a Rabbinis... Hebraice vocatur *Iedidia* etc. — Opinionem, quam hoc loco S. Bonav. proponit, insinuavit etiam in Collation. in Hexaëm. collat. 6. n. 7. seqq. (tom. V. pag. 361 col. II.). In nota ibid. adiecta neque S. Hieron. neque S. Bonav. Prologum in librum Sapientiae allegavimus; qua allegatione, si eam fecissemus, res clarior apparuisset. Allegavimus autem plura opuscula Philonis, in quibus ipse eamdem rem tantum tangit. Plura de convenientia libri Sapientiae et opusculorum Philonis exhibet P. Aug. Calmet, Comment. in libr. Sap., Dissertat. de auctore libri Sapientiae.

[5] Vers. 18. — Sequitur Sap. 6, 13. — Sententia Hieron. habetur in Prologo in lib. Sap. paulo inferius allegato.

[6] Vers. 16.

[7] Libr. XIV. de Trin. c. 1. n. 3: Sapientia est rerum humanarum divinarumque scientia... Verum secundum hanc distinctionem, qua dixit Apostolus [I. Cor. 12, 8.]: *Alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae*, ista definitio dividenda est, ut rerum divinarum scientia proprie sapientia nuncupetur, humanarum autem proprie scientiae nomen obtineat.

bellium, ut patet primo, secundo, tertio, quarto, De sapientia. quinto capitulis; *sapientiam* in illuminatione humilium, ut patet sexto, septimo, octavo, nono capitu- De bonitate. lis; *bonitatem* in collatione beneficiorum, quantum ad utrosque, ut patet a decimo capitulo et inde. Agi- Notandum. tur autem hic non tantum de sapientia *increata*, eius laudibus insistendo, sed etiam de *creata*, eius utilitates ostendendo; unde infra sexto [1]: *Quid autem*, id est qualis sit, *sapientia*, scilicet increata; *et quemadmodum facta sit*, scilicet creata, *referam* etc.; quamvis illud totum possit intelligi de sapientia *increata* tanquam de subiecto. Merito ergo *liber Sapientiae* intitulatur, quia in eo de sapientia tanquam de subiecto vel de materia principaliter tractatur, sicut *liber de Anima*, quia in eo principaliter de anima determinatur.

9. Causa vero *finalis* intelligi potest ex ordine Causa finalis. personae loquentis ad illos, ad quos dirigitur sermo; qui tanguntur ibi [2]: *Omnes, qui praeestis populis*. Simile duplex. Sicut enim est in illuminationibus *angelicis*, quod divinae lucis radium, secundum beatum Dionysium, primo recipiunt Angeli de prima hierarchia, secundo illi de media, ultimo illi de postrema — « lex enim, ut ipse dicit [3], divinitus promulgata est, per prima media et per media postrema reducere », unde in Psalmo: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis*, id est superioribus Angelis inferiores — sicut etiam videmus in illuminationibus *corporeis*, quia primo derivatur solis illuminatio ad loca superiora et caelo viciniora, deinde in media, ultimo in postrema, Ecclesiastici quadragesimo tertio: *Sol enim, tripliciter exurens montes, radios exsufflat*, scilicet in valles: sic etiam debet esse in illuminationibus *humanis*, ut primo in supremos, id est in praelatos, deinde in medios, id est in eorum ministros, tertio in postremos, id est eorum subditos, lumen sapientiae diffundatur, secundum illud Psalmi [4]: *Suscipiant montes pacem populo* etc. Hic enim est processus sapientiae. *Attingit enim a fine*, scilicet supremo, *usque ad finem* ultimum, *et disponit omnia*, scilicet media, *suaviter*, infra capitulo octavo. Propter hoc dicebat Plato, « beatas vel bonas fore respublicas, si eas sapientes regerent, aut earum rectores sapientiae studerent », sicut ait Boethius libro de Consolatione [5]. *Secundum* enim *iudicem populi, sic ministri eius; et qualis rector civitatis, tales et inhabitantes in ea;* ubi tangit tres ordines, scilicet iudicum, ministrorum et subditorum. Propter praedicta auctor iste primo et principaliter intendit diffundere lumen sapientiae in loca excelsa, id est in superiores et per eos in inferiores. Unde patet, cau- Conclusio. sam finalem huius doctrinae esse exhortationem seu provocationem principum et praelatorum, et per consequens omnium, ad studium et amorem sapientiae. Confirmatur.

Prologus S. Hieronymi in librum Sapientiae.

Liber Sapientiae apud Hebraeos nusquam est. Unde et ipse stilus Graecam magis eloquentiam redolet. Hunc Iudaei Philonis esse affirmant; qui proinde Sapientiae nominatur, quia in eo Christi adventus, qui est Sapientia Patris, et passio eius evidenter exprimitur [6].

Expositio Prologi.

Liber Sapientiae etc. Hic est prologus, quem praemittit Hieronymus libro Sapientiae; et primo ostendit huius libri *originem*, dicens: *Liber Sapientiae apud Hebraeos nusquam est. Unde et ipse stilus*, id est ipsum dictamen [7], scilicet, quia tam elegans est, *magis Graecam eloquentiam redolet*, id est sapit, quam Hebraeam. Graeci enim sunt magis eloquentes et in sententiis profundiores quam Hebraei. Unde cum liber iste habeat elegantissimum stilum et maximam profunditatem sententiarum, patet, eum potius in lingua Graeca quam Hebraea fuisse traditum. — Secundo nominat eius *auctorem* dicens: *Hunc*, scilicet librum Sapientiae, *Iudaei Philonis esse affirmant*, scilicet tanquam compilatoris, sed Salomonis esse tanquam inventoris, ut dictum est [8]. Hic Philo, licet es-

---

[1] Vers. 24. — Inferius e codd. supplevimus: *Merito... determinatur.* [2] Cap. 6, 23.

[3] De Caelesti Hierarch. c. 4. § 3, c. 8. § 2. et c. 10. § 1; de Ecclesiast. Hierarch. c. 5. § 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 75, 5. et Eccli. 43, 4: Tripliciter sol... radios igneos exsufflans etc.

[4] Psalm. 71, 3. — Sequitur Sap. 8, 1, ubi pro *ultimum* Vulgata *fortiter*.

[5] Libr. I. prosa 4: « Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore respublicas, si eas vel studiosi sapientiae regerent, vel earum rectores studere sapientiae contigisset ». De hac Platonis sententia cfr. V. de Republica (ed. Serrani tom. II. pag. 473 seqq.), ubi docet, beatam fore rempublicam, in qua philosophi essent reges, vel reges philosophi. Cfr. etiam Alcibiades primus sive de Natura humana, circa finem (ed. Serrani tom. II. pag. 134). — Sequitur Eccli. 10, 2, ubi Vulgata voci *sic* addit *et*.

[6] Hieron. specialem Prologum in librum Sapientiae non composuit; in aliis vero duobus Prologis, scil. in Prologo in libros Regum, qui *Prologus galeatus* dicitur, et in Prologo in Proverbia (Epist. ad Chromatium et Heliodorum episcopos, de libris Salomonis) sententiam suam de libro Sapientiae exhibet. In primo ait: « Igitur Sapientia, quae vulgo Salomonis inscribitur, et Iesu, filii Sirach, liber... non sunt in canone ». In secundo dicit: « Fertur et panaeretos Iesu, filii Sirach, liber, et alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi... Secundus *apud Hebraeos nusquam est; quin et ipse stilus Graecam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum veterum hunc esse Iudaei Philonis affirmant.* Sicut ergo Iudith » etc. Ex his patet, primam partem huius Prologi in Sapientiam sumtam esse quasi ad verbum ex hoc loco Hieronymi; secundam vero partem apud ipsum non invenimus; insinuatur autem ab Isidoro, in Lib. vet. et novi testam. prooem. n. 40. Totus hic Prologus verbotenus exhibetur ab Isidoro, VI. Etymolog. c. 2. n. 30.

[7] B *dictatum;* sed Ducange, Glossarium etc., probat, hoc vocabulum illa aetate sumi pro stilo orationis solutae.

[8] Supra n. 5. 6.

set Iudaeus, fuit tamen in Graeca lingua valde peritus. De ipso dicit Hieronymus in libro de Viris illustribus[1], quod « fuit Iudaeus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum ». — Tertio assignat *tituli rationem* dicens: *Qui liber,* scilicet Sapientiae, *proinde Sapientia nominatur, quia in eo adventus Christi, qui est Sapientia Patris, et passio eius evidenter,* id est diligenter, *exprimitur.*

COMMENTARIUS

IN LIBRUM SAPIENTIAE.

Divisio generalis.

Quoniam, sicut dictum est[2], principes et praelati, et per consequens omnes, provocantur in hoc libro ad studium et amorem sapientiae; sed quia non potest haberi sapientia sine iustitiae observantia; *in malevolam enim animam non introibit sapientia* etc., infra capitulo primo[3]; item Ecclesiastici primo: *Fili, concupiscens sapientiam, serva iustitiam:* ideo secundum Glossam primo hortatur ad *iustitiam,* scilicet usque ad sextum capitulum; secundo, ad *sapientiam,* scilicet a capitulo sexto usque in finem.

Pars I. Exhortatio ad iustitiam.

In parte prima facit tria secundum tres partes iustitiae generalis[4]. Primo enim agit de iustitia hominis quoad *Deum,* capitulo primo; secundo, de iustitia quoad *proximum,* capitulo secundo et tertio; tertio, de iustitia hominis quoad *se ipsum,* capitulo quarto et quinto.

Primo, de triplici iustitia hominis quoad Deum.

In prima primo excitat ad iustitiam *cordis;* secundo, *oris: Benignus est;* tertio, *operis: Nolite zelare.*

De iustitia cordis agitur tripliciter.

In prima primo ponit *exhortationem ad iustitiae bonum;* secundo, *utilitatem acquiescentium: Quoniam invenitur;* tertio, *detrimentum contemnentium: Perversae enim cogitationes* etc. — In prima primo quantum ad rectam *affectionem,* dicens: *Diligite iustitiam;* secundo quantum ad rectam *aestimationem: Sentite de Domino;* tertio quantum ad rectam *intentionem: Et in simplicitate.* Divisio. Subdivisio.

Capitulum I.

Expositio litteralis. Commendatur primo iustitiae bonum, primo quoad rectam affectionem.

(Vers. 1.). Dicit ergo: *Diligite* etc.; Glossa[5]: « Non solum facite ». Non enim est meritorium opus iustitiae, nisi fiat ex amore iustitiae; Gregorius: « Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice caritatis ». *Iustitiam,* scilicet *increatam,* quae est rectitudo divinae voluntatis; et *creatam,* quae est rectitudo humanae, secundum Anselmum[6]. Fructus tres. *Diligite,* inquam, *iustitiam,* ut *Deo conformemini,* quia « iustus Dominus et iustitias dilexit[7] »; item, ut spirituali *laetitia impleamini,* secundum illud Psalmi: « Dilexisti iustitiam etc., propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis »; item, ut *beatificemini,* secundum illud Matthaei quinto: « Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam ».

Qui iudicatis terram; specialiter quidem vos, praelati, qui *iudicatis terram* iudicio *publico; ter-* Ad praelatos.

---

[1] Cap. 11.

[2] In Prolog. n. 9. in fine. — In seqq. secuti sumus lectionem codd. substituendo *sed quia non potest* pro *cumque non possit.*

[3] Vers. 4. — Sequitur Eccli. 1, 33, ubi pro *serva* Vulgata *conserva.* — Glossa *ordinaria* in 1, 1: « Ut ad veram iustitiam nos reduceret et invitaret, primo commendat nobis *iustitiam,* per quam venitur ad *sapientiam,* dicens: *Diligite iustitiam* » etc. — Notamus, quod si *Glossa ordinaria* allegatur, nisi aliter notetur, ipsam exhibemus secundum Strabum et Lyranum; *Glossam interlinearem* vero secundum Lyranum. Glossa tum *ordinaria* tum *interlinearis* in librum Sapientiae ut plurimum formata est ex iis quae Rabanus in Comment. super hunc librum proponit. — Quod autem observatio iustitiae sit dispositio necessaria ad sapientiam, urgetur Collat. in Hexaëm., collat. 2. n. 2. seqq.

[4] Glossa *ordinaria* in Matth. 5, 6: Iustitia est sua cuique tribuere, sibi et proximis et Deo.

[5] Nempe *interlinearis.* — Sententia Gregorii habetur in II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1.

[6] Dialog. de Veritate, c. 12: Iustitia igitur est rectitudo voluntatis propter se servata.

[7] Psalm. 10, 8. — Sequuntur Ps. 44, 8. et Matth. 5, 6.

ram, subiectae plebis; Glossa [1]: « Quibus data est potestas iudicandi »; *subiectae,* inquam, merito peccati. Dicit enim Gregorius: « Ubi non delinquimus, ibi pares sumus ». Et ideo bene dicit: *terram,* id est terrena diligentes; non *caelestes,* quia opus non est; « Spiritualis enim homo diiudicat omnia », scilicet in spe, « et a nemine iudicatur », id est, iudicari debet, primae ad Corinthios secundo [2]; sed *bestiales,* secundum Glossam super illud Genesis primo: « Praesit bestiis » terrae, id est bestialiter viventibus. — Item,

Ad omnes. vos omnes *generaliter, qui iudicatis,* iudicio *privato, terram,* proprii corporis; Glossa [3]: id est, qui « corpus discrete reprimitis », ita quod « rationabile sit obsequium vestrum », ad Romanos duodecimo.

Notandum autem, quod legitur esse quadruplex

Quadruplex terra. *terra,* scilicet terra *superior,* terra, inquam, *viventium,* de qua in Psalmo [4]: « Credo videre bona Domini in terra viventium ». *Inferior* terra, scilicet *mortuorum;* Ezechielis trigesimo primo: « Ecce, deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam ». *Exterior* terra, scilicet *morientium,* scilicet praesens mundus; Apocalypsis octavo: « Vae, vae, vae habitantibus in terra »! id est in mundo. *Interior* terra, scilicet *mortis,* id est corpus mortale et terrenum; Ecclesiastici decimo: « Quid superbis, terra et cinis »?

Prima terra non subiacet iudicio nostro, quia

De prima terra. non est in nostra potestate; et ideo bene dictum est Petro Matthaei decimo sexto [5]: « Quodcumque ligaveris super terram », non super caelum. — Se-

De secunda. cunda iam iudicata est nec potest poenitere; Ioannis tertio: « Qui non credit iam iudicatus est ». — Ter-

De tertia. tia iudicanda est iudicio iustitiae, secundum illud

De quarta. Psalmi: « Recte iudicate, filii hominum ». — Quarta iudicanda est iudicio disciplinae discretae, secundum illud Ecclesiastici trigesimo tertio: « Cibaria et virga et onus asino; panis et disciplina et opus servo », id est corpori, quod spiritui servire cogendum est, exemplo beati Martini, qui « artus febre fatiscentes spiritui servire cogebat »; item exemplo Pauli dicentis [6]: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo », in qua scilicet erat in statu innocentiae; *redigo,* per virtutem et opera poenitentiae. Praedicto servo debetur sustentatio panis, ne *deficiat;* virga disciplinae, ne *lasciviat;* et occupatio sancti operis, ne *torpeat.*

(Vers. 1.). *Sentite,* id est, recte aestimate, *de Domino in bonitate,* id est bene, non male, ut haeretici. Monet autem ad bene sentiendum et sensu exteriori pie divinas Scripturas legendo, et sensu interiori pie intelligendo. Unde Glossa [7]: « Scripturam pie legite et intelligite », *pie,* scilicet devote approbando et exsequendo quod intelligitis, et non redarguendo et contemnendo quod non intelligitis. — *Et in* Tertio, quoad rectam intentionem. *simplicitate cordis quaerite illum,* ad ipsum scilicet totam cordis intentionem dirigendo. Unde Glossa [8]: « Voluntati eius vos subiicite »; quod non faciunt hypocritae, et ideo inconstantes sunt, secundum illud Iacobi primo: « Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis »; et propter hoc dicitur eis Ecclesiastici secundo: « Vae duplici corde »! Cor *du-* Cor duplex. *plex* est, quando partes eius ad diversa feruntur principaliter, quod est occasio mortis spirituàlis, secundum illud Osee decimo [9]: « Divisum est cor eorum, nunc interibunt ». *Simplex* autem est cor, Cor simplex. quando omnes partes eius ad unum simplicissimum feruntur, scilicet ad Deum, secundum illud Ecclesiastici trigesimo: « Congrega cor tuum in sanctitate ». *In simplicitate cordis,* id est in simplici unitate cordis. Hanc unitatem faciunt *fides* in rationali, secundum illud ad Ephesios quarto [10]: « Unus Dominus, una fides » etc.; *caritas* in concupiscibili; primae ad Corinthios sexto: « Qui adhaeret Domino unus spiritus est »; *pax* in irascibili; ad Ephesios quarto: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis ». Prima unitas prohibet divisionem *errorum* in Notandum. intellectu; secunda, *desideriorum* in affectu; tertia, *schismatum* in effectu.

(Vers. 2.). Et bene dixi: *In simplicitate* etc. Notatur utilitas acquiescentium dupliciter. *Quoniam invenitur,* per *gratiam* in praesenti, secundum illud Canticorum tertio [11]: « Inveni quem diligit anima mea »; *ab his qui non tentant illum,* aliud exterius praetendendo, aliud interius intendendo, sicut Scribae et Pharisaei Christum tentantes; et hoc dicit contra hypocrisim et duplicitatem; Matthaei vi-

---

[1] Scilicet *interlinearis,* sumta ex Rabano. — Gregor., Regulae pastoralis, p. II. c. 6: Omnes homines natura aequales genuit, sed varietate meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Cfr. XXI. Moral. c. 15. n. 22. seqq.; XXVI. c. 26. n. 46. et IX. Epist. epist. 59. (alias 65.).

[2] Vers. 15: Spiritualis autem iudicat omnia, et ipse a nemine etc. — Seq. locus est Gen. 1, 26: Praesit piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae etc. — Glossa *interlinearis* in hunc locum: *Praesit piscibus,* irrationali creaturae dominus omnium inferiorum. Glossa *ordinaria* in v. 27: Hic [homo] accipit potestatem super omnia, quia *spiritualis* quisque effectus et Deo similis *omnia iudicat et ipse a nemine iudicatur.* Glossa *ordinaria* in v. 24: « Producit terra *bestias,* id est homines ferocitate superbientes ». Duplex haec Glossa *ordinaria* est sumta ex Isidor., Qq. in Gen. c. 1. n. 13. et 14., et ex Beda, Comment. in locos citt.

[3] Scil. *ordinaria* ex Rabano. — Sequitur Rom. 12, 1.

[4] Psalm. 26, 13. — Sequuntur Ezech. 31, 18; Apoc. 8, 13. et Eccli. 10, 9: Quid superbit terra etc.

[5] Vers. 19. — Sequuntur Ioan. 3, 18; Ps. 57, 2: Recta iudicate etc; Eccli. 33, 25.

[6] Epist. I. Cor. 9, 27. — Sulpic. Sever. Epist. 3. ad Bassulam, socrum suam (quae habetur etiam apud Surium, Vitae Sanct. die 11. Nov. De S. Martini transitu et obitu): Itaque cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen a Dei opere cessabat; pernox in orationibus et vigiliis, fatiscentes artus servire spiritui cogebat, nobili illo strato suo in cinere et cilicio recubans.

[7] Nempe *interlinearis,* quae est secundum Rabanum.

[8] Scilicet *ordinaria,* ex Rabano. — Sequuntur Iac. 1, 8. (cfr. Beda in hunc locum, ubi de duplici corde) et Eccli. 2, 14.

[9] Vers. 2. — Seq. locus est Eccli. 30. 24.

[10] Vers. 5. — Sequuntur I. Cor. 6, 17; Eph. 4, 3.

[11] Vers. 4. — Sequitur Matth. 22, 18.

gesimo secundo: « Quid me tentatis, hypocritae »? — *Apparet autem*, scilicet in futuro per *gloriam;* primae Ioannis tertio [1]: « Cum apparuerit, similes ei erimus »; et ad Colossenses tertio: « Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria ». *His qui fidem habent in illum;* hoc dicit contra haeresim et infidelitatem. — Et nota, quod dicit: *In illum*, quia non sufficit credere *illi* vel *illum*, sed credere *in illum*, quod est actus fidei formatae, secundum Augustinum [2]. — Vel: *Invenitur*, propter devotionem affectus; *apparet*, per contemplationem intellectus; Psalmus: « Gustate », affectu; « videte », intellectu.

Quadruplex modus Deum tentandi.

Notandum autem, quod secundum Gregorium [3] « *tentare* est idem quod callide experiri »; et secundum hoc contingit tentare Deum quadrupliciter, scilicet vel indebite volendo experiri eius *potentiam*, sicut illi, qui, tentantes Christum, de caelo signum quaerebant, Matthaei decimo sexto; vel eius *sapientiam*, ut Sadducaei, proponentes ei quaestionem de resurrectione, secundum iudicium eorum insolubilem ponentibus resurrectionem, Matthaei vigesimo secundo; vel eius *iustitiam*, ut Pharisaei de solutione tributi quaerendo [4]: « Scimus, quia verax es » etc.; vel eius *misericordiam*, ut Iudaei de iudicio mulieris in adulterio deprehensae interrogando, Ioannis octavo. Et quia omnis talis tentatio ex diffidentia venit, et de Deo nullatenus est diffidendum; ideo prohibetur omnis talis tentatio; unde Deuteronomii sexto: « Non tentabis Dominum Deum tuum »; item Ecclesiastici decimo octavo: « Noli esse quasi homo, qui tentat Deum ».

Tertio tangitur triplex detrimentum contemnentium exhortationem.

Perversae enim cogitationes etc. Hic tangit multiplex detrimentum contemnentium exhortationem ad bonum iustitiae; quorum primum est exclusio a *consortio Dei: Perversae enim cogitationes;* secundum, exclusio a *consortio sapientiae: Quoniam in malevolam animam;* tertium, exclusio a *consortio Spiritus sancti: Spiritus enim sanctus.* Primum pertinet ad Patrem, secundum ad Filium, tertium ad Spiritum sanctum; quorum praesentia per dilectionem iustitiae habetur; unde Ioannis decimo quarto [5]: « Si quis diligit me etc., et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus »; absentia vero vel carentia, per odium iustitiae.

De primo detrimento.

(Vers. 3.). *Perversae enim* etc. Bene dixi, quod apparet his qui fidem habent in illum, et non aliis; *perversae enim cogitationes*, scilicet perversitate fidei, vel morum, *separant a Deo*, quoad poenam *damni;* secundae ad Corinthios sexto [6]: « Quae societas luci ad tenebras »? Proverbiorum decimo septimo: « Qui perversi cordis est non inveniet bonum »; item Isaiae quinquagesimo nono: « Iniquitates vestrae diviserunt » etc. — *Probata autem* etc., quasi dicat: nec hoc sufficit ad poenam; *autem* pro sed. *Probata virtus*, id est « vera virtus », secundum Glossam [7], scilicet divina virtus; *corripit*, puniendo; Psalmus: « Domine, ne in ira tua corripias me ». *Insipientes;* Glossa « id est omnem insipientiam »; hoc dicit quantum ad poenam *sensus.*

De secundo.

(Vers. 4.). *Quoniam in malevolam animam* etc. Bene dixi, quod separant etc., *quoniam in malevolam animam*, quoad spiritualia peccata, *non introibit sapientia*, se illi infundendo; *sapientia*, inquam, « quae desursum est, quae primum quidem pudica est » etc.; quamvis introeat illa, quae de deorsum est, « terrena scilicet, animalis, diabolica », Iacobi tertio [8]. *Nec habitabit*, permanendo, *in corpore subdito peccatis;* hoc dicit quantum ad *peccata carnalia*, quae, licet sint minoris culpae, sunt tamen maioris infamiae, ut dicit Gregorius.

Quaestio 1.

Obiicitur, quod bonum omnia exoptant [9]: ergo nulla anima est malevola, id est malum volens.

Resp.

Dicendum, quod nullus vult malum *per se*, sed *per accidens*, quia scilicet vult illud quod est malum, scilicet actionem malam, non in eo quod mala, sed in eo quod delectabile et apparens bonum [10].

Quaestio 2.

Rursus *dubitatur:* corpus non potest esse habitaculum sapientiae nec subiectum peccati vel insipientiae vel gratiae: ergo falsum supponit, cum dicit: *Nec habitabit* etc.

Resp.

Ad hoc dicendum, quod *corpus* ibi non appellatur pars hominis corporea tantum; sed per synecdochen, secundum quam solet poni pars pro toto,

---

[1] Vers. 2. — Sequitur Col. 3, 4.

[2] In Ioan. Evang. tr. 29. n. 6: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* [Ioan. 6, 29.]. Ut *credatis in eum*, non ut credatis *ei*. Sed si creditis *in eum*, creditis *ei;* non autem continuo qui credit *ei* credit *in eum*. Nam et daemones credebant *ei*, et non credebant *in eum*... Quid est ergo credere *in eum?* Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et eius membris incorporari etc. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXIII. c. 4, et ibid. Comment. dub. 3. — Subinde allegatur Ps. 33, 9.

[3] Haec tentationis definitio sumta est ex Hug. de S. Vict., II. Allegor. in nov. test. c. 13. Cfr. tom. II. pag. 498, nota 2. *Sententialiter* insinuat eam Gregor., III. Moral. c. 8. n. 12-14, ubi de calliditate diaboli tentantis homines. — Subinde respicitur Matth. 16, 1. et Matth. 22, 23. seqq. de resurrectione.

[4] Matth. 22, 16. — Subinde respicitur Ioan. 8, 4. seqq. et allegantur Deut. 6, 16; Eccli. 18, 23.

[5] Vers. 23.

[6] Vers. 6, 14. — Sequuntur Prov. 17, 20. et Isai 59, 2.

[7] Nempe *interlinearis*, sicut et sequens. — Sequitur Ps. 6, 2: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira etc.

[8] Vers. 17; ibid. v. 15: Non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. — Sententia Gregorii inferius posita insinuatur XXXIII. Moral. c. 12. n. 25: Scimus autem, quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare; sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem noverunt etc.

[9] Secundum Aristot., Dionys. et Boeth.; cfr. supra pag. 6, nota 12.

[10] Vide Aristot., II. Magnor. Moral. c. 7. (c. 6.); Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 19. et § 31. seq. Cfr. tom. I. pag. 823, nota 7. et tom. V. pag. 333, nota 9. — Ex A substituimus *delectabile et apparens bonum* pro *delectabilis et apparens bona.*

sumitur hic *corpus* pro toto homine, in quantum sequitur passiones corporis. Unde Glossa [1]: « Qui peccatis subiacet *corpus*, non *spiritus* est ». In tali non habitat sapientia; unde Glossa: « Frustra sibi blandiuntur haeretici, Pharisaei, falsi Christiani; soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt accipere ».

(Vers. 5.). Et bene dixi, quod *non habitabit* etc. *Spiritus enim sanctus disciplinae;* Glossa [2]: « Qui docet omnem disciplinam », secundum illud Ioannis decimo sexto: « Docebit vos omnem veritatem », scilicet rationalem, naturalem et moralem; Psalmus: « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me ». *Spiritus* dicitur, in quantum vitam inspirat; Ioannis sexto [3]: « Spiritus est qui vivificat »; *sanctus*, in quantum purgat et renovat, secundum illud Psalmi: « Emittes spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terrae »; *disciplinae*, in quantum ignorantiam tollit et sapientiam donat, secundum illud Isaiae undecimo: « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae » etc. *Effugiet*, id est, in praesenti longe fugiet, *fictum*, id est peccatorem, secundum illud Psalmi [4]: « Longe a peccatoribus salus », et praecipue hypocritam, qui proprie fictus est; Iob decimo tertio: « Non veniet in conspectum eius omnis hypocrita ». *Et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu*, id est falsis et erroneis; intellectus enim verorum tantum est. *Auferet se* etc.; ecce, poena *damni; et corripietur* etc.; ecce, poena *sensus*. — Item, notandum, quod *auferre se* dicitur, quia naturaliter commissio culpae praecedit subtractionem gratiae; Deus enim primus est in accessu et ultimus in recessu [5]. Et licet se auferat ab eis, non tamen remanebunt immunes; unde subdit: *Et corripietur* etc.; *correctio* fit verbis, *correptio* fit flagellis. *Corripietur*, inquam, scilicet fictus in futuro, id est punietur, *a superveniente iniquitate*, id est propter supervenientem iniquitatem; unde Glossa [6]: « Fictus, cum dies retributionis venerit, pro iniquitate punietur ». *Superveniente*, id est « opprimente », propter quod *superveniens* dicitur, sicut qui opprimit supervenit. — Vel: *Corripietur*, id est, simul in anima et corpore rapietur ad supplicium.

Duplex poena.

Aliter.

De iustitia locutionis agitur tripliciter.

Benignus enim etc. Hic monet ad iustitiam *locutionis*, retrahendo a sermonibus malis. Et primo *removet* ab ipsis male dictis *impunitatis confidentiam;* secundo *praedicit eorum poenam: Propter hoc qui loquitur* etc.; tertio *monet ad pravarum locutionum cautelam: Custodite* etc. Divisio.

In prima primo *removet impunitatis confidentiam*, quae possit oriri ex *iudicis misericordia: Benignus;* secundo, ex *eius ignorantia: Quoniam renum* etc.; tertio, ex *eius impotentia: Quoniam spiritus Domini.* Primo notatur triplex ortus falsae confidentiae

(Vers. 6.). Dicit ergo: *Benignus enim est spiritus* etc. Bene dixi, quod *corripietur* fictus etc.; *benignus enim est spiritus sapientiae*, scilicet *increatae*, scilicet Filii, a qua datur Spiritus sanctus; vel *creatae*, quam ipse dat; infra duodecimo [7]: « O quam bonus et quam suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus »! Psalmus: « Spiritus tuus bonus » etc. *Et tamen non liberabit maledictum* etc., quamvis sit benignus; quia, sicut dicit Gregorius, « disciplina et misericordia multum destituitur, si una sine alia teneatur ». Vel sic: et quia *benignus, non liberabit maledictum* etc., quia benignitas malitiae contraria est; ut dicit Glossa [8]: « *Non liberabit*, inquam, *maledictum*, id est maledicentem », qui *maledictus* est, quia facit contra Dei mandatum, qui prohibet maledicere; Psalmus [9]: « Maledicti, qui declinant a mandatis tuis »; ecce, maledictio in *praesenti*. Item, Matthaei vigesimo quinto: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum » etc.; ecce, maledictio in *futuro*. *A labiis suis*, id est a peccato labiorum suorum, vel a poena, quam meruit peccato labiorum suorum; Matthaei duodecimo [10]: « Ex verbis tuis condemnaberis »; item in Psalmo: « Labor labiorum suorum operiet eos ». Et notandum, quod ponitur *consequens* pro *antecedente*, cum dicit *maledictum* pro *maledicente*. Expositio literalis. De primo

Aliter.

Quoniam renum etc., quasi dicat: re vera punietur pro peccatis suis, licet occultis; *quoniam renum illius*, id est affectionum sive « delectationum carnalium, quarum sedes est in renibus [11] », *testis* De secundo.

---

[1] Scilicet *interlinearis*. Glossa, quae mox allegatur, est *ordinaria*, sumta ex Rabano. — Superius ex A posuimus *sequitur* pro *sentit*.

[2] Nempe *interlinearis*. — Sequuntur Ioan. 16, 13. et Ps. 118, 66.

[3] Vers. 64. — Sequuntur Ps. 103, 30. et Isai. 11, 2. — Superius ex A B supplevimus verba: *Spiritus dicitur... qui vivificat*.

[4] Psalm. 118, 155. — Sequitur Iob 13, 16, ubi pro *in conspectum* Vulgata *in conspectu*. — De *intellectu*, quoniam est principiorum, Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.), III. de Anima, text. 51. (c. 10.) et VI. Ethic. c. 6, docet, ipsum esse verorum et verum rectumque.

[5] Cfr. August., IV. Confess. c. 9. n. 14. c. 11. n. 16. V. c. 2. n. 2, et de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 17, ubi dicit, quod Deus neminem deserat, nisi prius deseratur. — Vat. et codd. *Et quod* pro *Et licet*.

[6] Scilicet *interlinearis*, quae est secundum Rabanum. Eadem Glossa dicit: *superveniente*, opprimente.

[7] Vers. 1. — Sequitur Ps. 142, 10. Sententia Gregorii habetur XX. Moral. c. 5. n. 14; Regulae pastoralis, p. II. c. 6. et I. Epist. epist. 25. Allegatur etiam a Gratiano, C. *Disciplina* (9.), dist. 45.

[8] Glossa *interlinearis: Non liberabit maledictum*, omnem detrahentem. — Pro *qui maledictus* edd. *quando maledictus*.

[9] Psalm. 118, 21. — Sequitur Matth. 25, 41.

[10] Vers. 37. — Seq. locus est Ps. 139, 10.

[11] Ut dicit Glossa *interlinearis*. — Sequuntur Ier. 29, 23; Matth. 15, 19: De corde enim exeunt cogitationes malae; I. Cor. 2, 10: Spiritus enim omnia etc.; Ier. 17, 10. et Ps. 7, 10.

est Deus, id est cognitor certus, sicut testis de re, pro qua fert testimonium; Ieremiae vigesimo nono: « Ego sum testis et iudex, dicit Dominus ». *Et cordis illius*, id est cogitationum de corde exeuntium, Matthaei decimo quinto; *scrutator est verus*, id est inquisitor infallibilis; unde primae ad Corinthios secundo: « Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei »; item Ieremiae decimo septimo: « Ego Dominus scrutans corda et probans renes »; Psalmus: « Scrutans corda et renes Deus ». *Et linguae eius*, id est locutionum, quae lingua formantur, *auditor*, id est cognitor immediatus sine narratione alterius; Psalmus [1]: « Qui plantavit aurem, non audiet »? quasi dicat: sic. Et notandum, quod ponit instrumenta pro operationibus ab ipsis procedentibus, eo quod, sicut instrumenta immediatius se habent ad animam quam eorum operationes, sic Deus immediatius, quam aliquis alius, cognoscit omnes hominis actus, tam interiores quam exteriores.

Notandum.

(Vers. 7.). *Quoniam spiritus Domini* etc., quasi inferret: bene dixi, quod hoc potest spiritus; *quoniam spiritus Domini, intransitive*, id est, qui est Dominus, secundum illud Athanasii [2]: « Dominus Pater, dominus Filius, dominus Spiritus sanctus »; vel *transitive*, id est spiritus, qui est a Domino, secundum illud Isaiae sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me » etc.; item, Ioannes: « Spiritum veritatis, qui a Patre procedit ». *Replevit orbem terrarum*, sua praesentia rebus omnibus assistendo et ea continendo; Ieremiae vigesimo tertio [3]: « Nunquid non caelum et terram ego impleo »? quia, secundum Gregorium, « ubique est Deus, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus, infra omnia non depressus ». *Et hoc quod continet omnia*, scilicet Spiritus sanctus omnia continens sua potentia conservando. Sicut enim probat Boethius in libro de Consolatione [4], « mundus ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam non convenisset, et coniuncta discors diversitas dissociaret, nisi esset unus, qui coniungeret et quod contexuit contineret ». *Scientiam habet vocis*, id est omnium locutionum et linguarum, omnia cognoscendo.

De tertio.

Ex hoc patet, quod potest cognoscere et punire omnia, tam facta propter universalem praesentiam, quam dicta propter universalem notitiam.

Alia expositio vel secundum Glossam [5]: *Hoc quod continet omnia*, « id est Spiritus sanctus, qui continet omnia, id est Ecclesiam », extra quam quod est nihil est, sicut extra arcam Noe. *Scientiam habet vocis, causaliter* loquendo, « id est, intelligentiam Scripturae praestat hominibus »; vel *formaliter: Scientiam habet vocis*, « id est, eiusdem scientiae est cum voce, id est cum Verbo », id est Filio, de quo Ioannis primo: « In principio erat Verbum » etc.

Alia expositio.

Allegorice secundum Glossam potest exponi de *temporali adventu Spiritus sancti*. Et primo tangitur *persona missi*, cum dicitur: *Spiritus;* secundo, eius *aeterna origo: Domini;* tertio, *temporalis missio: Replevit;* quarto, *missionis manifestatio: Et hoc quod continet omnia.*

Expositio allegorica.

Dicit ergo: *Spiritus Domini replevit;* Glossa [6]: « donis »; *orbem terrarum*, « id est Ecclesiam per omnes terras dilatatam », ut dicit Glossa. *Et hoc quod continet omnia;* « id est homo, qui convenientiam habet cum omni creatura », propter quod Marci ultimo *omnis creatura* appellatur, secundum Gregorium. *Scientiam habet vocis;* Glossa: « Diversarum linguarum a Spiritu sancto », ut patet Actuum secundo. — *Orbi* vero *terrarum* comparatur Ecclesia primitiva primo propter *sui dilatationem*, secundum illud Psalmi [7]: « In omnem terram exivit sonus eorum ». — Secundo, propter *sui perfectionem*, quae per orbis rotunditatem intelligitur; Canticorum sexto: « Una est columba mea, perfecta mea ». — Tertio, propter *sui stabilitatem;* Ecclesiastae primo: « Terra enim in aeternum stat ». — Quarto, propter *sui compressionem et attritionem;* primae ad Corinthios quarto: « Puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos » etc.; sicut terra novissimum est corporum, unde ab omnibus teritur et conculcatur. — Quinto, propter *humani generis sustentationem et vivificationem*, quia de terra vivit et a terra sustentatur, sicut ab Ecclesia primitiva; Iob nono [8]: « Sub quo curvantur qui portant orbem »,

Ecclesia comparatur orbi terrarum ob 7 rationes.

---

[1] Psalm. 93, 9.

[2] In Symbolo *Quicumque*, quod Vigilii Tapsensis, non Athanasii, esse dicitur. — Sequuntur Isai. 61, 1. et Ioan. 15, 26.

[3] Vers. 24. — Quae paulo inferius Gregorii esse dicuntur ipse *sententialiter* exhibet II. Moral. c. 12. n. 20. (cfr. tom. V. pag. 81, nota 3.). In opusculo de Essentia Divinitatis (inter opera August.), cuius primum capitulum sumtum est ex Eucherii (Lugdunensis episc. † 450) libro Formularum spiritualis intelligentiae, leguntur verba: *Extra omnia est, sed non exclusus, intra omnia est, sed non inclusus.* Eadem occurrunt apud Isidor., I. Sent. c. 2. n. 3, et Alcuin., II. de Fide S. Trin. c. 4.

[4] Libr. III. prosa 12: Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa coniungeret; coniuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi unus esset, qui quod nexuit contineret. — Glossa *ordinaria* in haec verba *Et hoc quod continet omnia*, dicit: id est Spiritus, qui omnia gubernat et regit; vel: qui *attingit a fine usque ad finem* [Sap. 8, 1.]... vel *quod continet omnia*, id est Spiritus sanctus, qui omnia replet sua essentia.

[5] Scilicet *ordinariam*, ex qua etiam est duplex explicatio verborum *scientiam habet vocis.* — Subinde allegatur Ioan. 1, 1.

[6] Haec et seq. Glossa est *interlinearis*, duae Glossae subinde allegatae sunt *ordinariae*, in quarum ultima respicitur Act. 2, 4: Et repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis etc. — Inferius respicitur Marc. 16, 15: Euntes... praedicate etc. Sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 2: *Omnis creaturae* nomine signatur homo.

[7] Psalm. 18, 5. — Sequuntur Cant. 6, 8; Eccle. 1, 4: Terra autem in etc.; I. Cor. 4, 9.

[8] Vers. 13; cfr. Gregor., in hunc locum. — Sequuntur Ps. 74, 4; Gen. 1, 11. et 2, 6, ubi pro *de terra* Vulgata *e terra*.

scilicet Apostoli et eorum sequaces; nec tamen franguntur, quia in Psalmo: « Ego confirmavi columnas eius ». — Sexto, propter *ornatum omnium virtutum et productionem*, secundum illud Genesis primo: « Germinet terra herbam virentem » etc. — Septimo, propter *aquarum*, id est sapientiae doctrinae salutaris *originem*, secundum illud Genesis secundo: « Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terrae ».

Secundo, praedicitur triplex poena malae locutionis.

Propter hoc qui loquitur etc. Remota impunitatis stulta confidentia, hic *praedicit malae locutionis poenam;* et primo, quia *in iudicium deducetur;* secundo, quia *a iudice discutietur: In cogitationibus impii;* tertio, quia *omnibus publicabitur: Quoniam auris zeli.*

De prima.

(Vers. 8. 9.). Dicit ergo: *Propter hoc*, quia scilicet Spiritus sanctus habet scientiam vocis, id est omnis locutionis; *qui loquitur iniqua*, sicut illi de quibus in Psalmo[1]: « Obstructum est os loquentium iniqua »; *non potest latere*, scilicet Spiritum sanctum in praesenti; unde ad Hebraeos quarto: « Omnia nuda et aperta sunt oculis eius »; item Proverbiorum decimo sexto: « Omnes viae hominum patent oculis eius ». *Nec praeteriet*, scilicet dissimulando, *eum*, scilicet iniqua loquentem, *corripiens*, id est puniens; vel *corripiens*, id est simul rapiens corpus eius et animam, vel cuncta eius opera mala et dicta et cogitata; *iudicium*, scilicet futurum; « cuncta enim, quae fiunt, adducet Deus in iudicium », ut habetur

De secunda.

Ecclesiastae ultimo. — *In cogitationibus enim impii*, id est de cogitationibus impii, in quibus minus peccatum est quam in pravis sermonibus; *erit interrogatio*, id est *discussio iudicis* et examinatio, secundum illud Psalmi[2]: « Dominus interrogat iustum et impium »; Iob ultimo: « Scio, quod nulla te latet cogitatio ». Et si erit discussio de cogitationibus, multo fortius de locutionibus; propter hoc subdit: *Sermonum autem* etc.; quasi dicat: non solum de cogitationibus. *Autem*, pro sed; *sermonum illius auditio*, id est examinatio, *ad Deum*, tanquam ad examinatorem et iudicem, *veniet*, et *ad correptionem*, id est punitionem; *iniquitatum illius*, quas commisit, iniqua loquendo; Genesis decimo octavo[3]: « Clamor Sodomorum et Gomorrhaeorum multiplicatus est » etc.

De tertia.

(Vers. 10.). Et bene dixi, quod *veniet* etc.; *quoniam auris zeli*, zeli, inquam, Dei animas tanquam sponsas zelantis[4], *audit omnia*, id est novit, sicut ille qui audit omnia, scilicet verba tam mala quam bona quam indifferentia, sicut zelotypus homo diligenter audit et notat verba sponsae et loquentium cum ea; Exodi vigesimo[5]: « Ego sum Deus fortis zelotes » etc. *Et tumultus murmurationum*, quibus homines murmurant contra Deum; Ecclesiastici trigesimo tertio: « Praecordia fatui quasi rota plaustri ». Et dicitur *tumultus*, quia homo murmurans quasi intra dentes suos tumultuat, non clare enuntiat. *Non abscondetur*, sed toti mundo propalabitur; Lucae duodecimo: « Nihil opertum, quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur »; Exodi decimo sexto: « Audivi murmurationes filiorum Israel ».

Tertio, monetur ad praevae locutionis cautelam.

Custodite etc. Hic monet ad *pravae locutionis cautelam*, et primo ponit *suam exhortationem;* secundo, *exhortationis necessitatem: Quoniam sermo* etc.

Exhortatio.

(Vers. 11.). Construendum autem sive continuandum sic: ex quo *non abscondetur tumultus* etc., *custodite ergo vos a murmuratione*, scilicet contra Deum, *quae nihil prodest*, immo multum nocet; unde primae ad Corinthios decimo[6]: « Quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore ». *Et a detractione*, scilicet contra proximum; Iob sexto: « Quare detraxistis sermonibus veritatis »? *Parcite linguae;* non dicitur: *parcite proximo*, sed *linguae*, scilicet vestrae, quia detrahens alteri primo se ipsum laedit. Unde peior est detractio serpentino veneno; Seneca[7]: « Illud venenum, quod serpentes in aliorum perniciem proferunt, sine sua continent malitia; ipsa detractio partem sui veneni bibit ». Glossa: « Perniciosae sunt murmurationes et detractiones »; ad Romanos primo: « Detractores Deo odibiles ». *Detractores*, dicit pluraliter, quia detractio fit pluribus modis, scilicet vel cum occultum bonum negatur, vel cum apertum diminuitur, vel cum occultum malum propalatur, vel quando apertum amplius divulgatur. — Et bene dixi: *Parcite linguae, quoniam sermo obscurus;* Glossa[8]: « Occultus », ut est verbum murmuris; *in vacuum non ibit*, id est, sine poena non remanebit, quia nec sermo *otiosus;* Matthaei duodecimo: « De omni verbo otioso » etc.: ergo multo magis de verbo malitioso. « Verbum otiosum,

Necessitas exhortationis.

---

[1] Psalm. 62, 12. — Subinde allegantur Hebr. 4, 13; Prov. 16, 2: Omnes viae hominis etc. et Eccle. 12, 14: Et cuncta, quae etc.

[2] Psalm. 10, 6. — Seq. locus est Iob 42, 2: Scio, quia omnia potes, et nulla etc.

[3] Vers. 20. Pro *Gomorrhaeorum* Vulgata *Gomorrhae.*

[4] Glossa *interlinearis:* Id est Dei zelantis propter amorem, quem habet ad animam.

[5] Vers. 5: Ego sum Dominus Deus tuus fortis etc. — Sequuntur Eccli. 33, 5, ubi pro *plaustri* Vulgata *carri;* Luc. 12, 2. et Exod. 16, 12.

[6] Vers. 10. — Sequitur Iob 6, 2.

[7] Epist. 81. n. 21: Attalus noster dicere solebat: « Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit ». Illud venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est huic simile; hoc habentibus pessimum est. — Sequuntur Glossa *ordinaria* sumta ex Rabano; Rom. 1, 30. — De speciebus detractionis cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 130. m. 1. in fine, ubi sex differentiae proponuntur.

[8] Scilicet *interlinearis*, quae subinde allegat (sicut etiam a S. Bonav. paulo inferius fit) Matth. 12, 36: *Omne verbum otiosum* etc. Glossa in hunc Matthaei locum est *interlinearis* apud Lyranum; Strabo exhibet *ordinariam* sumtam ex Gregorio, de quo vide tom. II. pag. 942, nota 4. Hieron., Comment. in Matth. 12, 36. ait: Si otiosum verbum, quod nequaquam aedificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur... quanto magis vos, qui opera Spiritus sancti calumniamini... reddituri estis rationem etc.

ut dicit ibi Glossa, est quod dicitur sine utilitate loquentis, vel audientis »; Hieronymus: « Omne, quod non aedificat audientes, in periculum vertitur loquentium ». *Os autem, quod mentitur,* scilicet detrahendo, *occidit animam;* Glossa [1]: « Mucrone peccati animam mentientis »; Psalmus: « Perdes omnes, qui loquuntur mendacium ». — Et notandum, quod loquitur hic de mendacio *pernicioso,* quod est mortale, non de *iocoso,* vel *officioso;* unde Glossa [2]: « Est mendacium levioris culpae, cum quis praestando beneficium mentitur ».

Quaestio 1. Sed videtur, quod aliquod mendacium sit bonum et meritorium, quia obstetrices mentientes meruerunt praemium apud iustum iudicem, scilicet Deum, qui falli non potest, ut patet Exodi primo [3].

Resp. Sed dicendum secundum Glossam [4], quod « non est remunerata mendacii, sed pietatis earum benevolentia ».

Quaestio 2. Sed nunquid unum et idem factum fuit peccatum, et tamen habuit benevolentiae meritum? Et videtur, quod sic; dicit enim Glossa [5]: « Deus unum idemque factum propter bonum malum condonat et ipsum bonum remunerat ».

Resp. Dicendum, quod unum fuit *connexione,* non *indivisibilitate;* quia aliud fuit intentio liberandi, aliud voluntas mentiendi, licet coordinata.

De iustitia operis agitur dupliciter.

Divisio. *Nolite zelare* etc. Hic hortatur ad iustitiam *operis,* et primo per rationes sumtas ex parte *creationis;* secundo, ex parte *retributionis,* ibi: *Iustitia*

Ex parte creationis rationes tres. *enim* etc. — Ex parte *creationis* primo per rationem sumtam ex *bonitate Creatoris: Quoniam Deus;* secundo per rationem sumtam ex parte *finis creationis: Creavit;* tertio per rationem sumtam ex parte *conditionis creaturae: Non est in illis.*

Expositio litteralis. (Vers. 12.). *Nolite zelare* etc., quasi dicat: quia mendacium occidit, *nolite zelare,* id est diligere vel appetere affectu, *mortem,* scilicet animae, quam per culpam incurrit, secundum illud Augustini [6]: « Vera mors est, quam homines non timent; separatio videlicet animae a Deo, qui est beata vita animarum, sicut mors corporalis est separatio corporis ab anima ». *Mortem,* dico, *in errorem vitae vestrae,* causaliter constitutam, secundum illud Proverbiorum decimo quarto [7]: « Errant qui operantur malum »; omnis enim malus errans, secundum Philosophum. *Neque acquiratis,* in effectu, *perditionem,* poenae aeternae; quod est in nostra potestate, secundum illud Osee decimo tertio: « Perditio tua Israel; tantummodo auxilium tuum ex me ». *In operibus manuum vestrarum,* causaliter, id est merito operum vestrorum.

Quaestio. Sed *obiicitur,* quod, secundum Augustinum [8], omnes appetunt vitam et beatitudinem: ergo nullus mortem vel perditionem.

Resp. Dicendum, quod verum est *per se;* sed *per accidens* et *ex consequenti* dicuntur eam appetere qui appetunt actum, qui est causa mortis et perditionis [9]. Unde ponit *consequens* pro *antecedente,* subdens: Bene dixi, errorem causam mortis esse, et opera mala causam perditionis.

Ratio 1. ex bonitate Creatoris. (Vers. 13.). *Quoniam Deus,* qui auctor est omnium, secundum illud Ioannis primo [10]: « Omnia per ipsum facta sunt »; *mortem non fecit,* scilicet praesentem.

Quaestio 1. Sed contra: Ecclesiastici undecimo [11]: « Vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt ».

Resp. Dicendum, quod hic loquitur de morte *culpae;* vel si de morte *naturae,* loquitur quantum ad *privationem,* non quantum ad *sensum doloris.* De morte etiam *gehennae* quantum ad poenam *damni* verum est quod hic dicitur: *Deus mortem non fecit.*

Quaestio 2. Sed contra: Omnis poena iusta [12], et omne iustum bonum, et omne bonum est a Deo.

Resp. Dicendum, quod cum dicitur: omnis poena iusta, intelligitur *per se,* scilicet secundum quod est *poena,* non secundum id quod *est;* unde non potest concludi, quod *simpliciter* sit a Deo, sed secundum quod *poena est* [13].

Nec laetatur in perditione vivorum, scilicet futura.

Quaestio 3. Contra: Proverbiorum primo [14]: « Ego quoque in interitu vestro ridebo » etc.

---

[1] Nempe *interlinearis* secundum Rabanum. — Seq. locus est Ps. 5, 7.

[2] Scilicet *ordinaria,* sumta ex Rabano, qui sequitur August. Cfr. III. Sent. d. 38. q. 5. et 6.

[3] Vers. 15. seqq.

[4] Nempe *ordinariam,* quae est ex Rabano.

[5] Scilicet *ordinaria,* secundum Rabanum.

[6] Enarrat. in Ps. 48. serm. 2. n. 2: Mors nempe aut separatio est animae a corpore. Et ea quidem, quam timent homines, separatio est animae a corpore; mors autem vera, quam non timent homines, separatio est animae a Deo. Et plerumque, cum timent homines istam, quae separat animam a corpore, incidunt in illam, ubi anima separatur a Deo.

[7] Vers. 22. — Subinde allegatur Osee 13, 9. Aristot., III. Ethic. c. 1: Unusquisque igitur pravus, quid agendum, a quibusque abstinendum sit, ignorat; obque huiuscemodi errorem iniusti et omnino mali homines efficiuntur. Ibid. c. 4. docet, bonum videri « probo quidem, quod re vera etiam [bonum] est, videri improbo, quodcumque inciderit; quemadmodum etiam in corporibus evenit; bene enim affectis salubria ea sunt, quae re vera sunt eiusmodi, morbo correptis, diversa; simili modo amara et dulcia etc. Cfr. etiam ibid. VI. c. 12, ex quo supra pag. 23, nota 2. quaedam allegavimus.

[8] Libr. I. de Moribus Eccles. cath. c. 3. n. 4. seqq.; Serm. 306. (alias 112. de Diversis) c. 2. n. 3. seqq. et XIII. de Trin. c. 4. n. 7. seqq.

[9] Cfr. supra pag. 112, nota 10.

[10] Vers. 3. [11] Vers. 14.

[12] Vide August., III. de Lib. Arb. c. 18. n. 51, qui etiam in Enchirid. c. 96. n. 24. ait: Profecto bonum est omne, quod iustum est.

[13] Cfr. August., XIII. de Civ. Dei, c. 3. seqq. Vide etiam II. Sent. d. 36. a. 3. q. 1. et 2.

[14] Vers. 26.

Dicendum, quod non delectatur in poena, in
Resp. quantum est *perditio naturae*, sed in quantum est *effectus iustitiae;* unde Isaiae primo [1]: « Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis ». Et bene dixi, quod non delectatur vel *laetatur in perditione*, quae est via ad *non-esse*.

(Vers. 14.). *Creavit enim*, Genesis primo [2], *ut*
Ratio 2. ex parte finis creationis. *essent omnia;* Glossa: « Non, ut perirent »; unde et naturalem appetitum existendi omnibus indidit, id est, intus dedit. Et quia « communis conceptio animi est, secundum Boethium [3], omne, quod est, ad bonum tendere », et omnia tendunt ad *esse;* probat, quod *esse* omnium est bonum. *Et sanabiles*, id est in spirituali sanitate creatas per innocentiam et ad sanitatem reducibiles per poenitentiam, ne perirent; non enim « vult mortem peccatoris [4] » etc. *Sanabiles*, inquam, *fecit nationes orbis terrarum*, id est omnes, quotquot nascuntur in orbe terrarum. Insanabilitas ergo earum ex ipsis est, non ex Deo; Ieremiae trigesimo [5]: « Insanabilis fractura tua, pes-
Ratio 3. ex parte conditionis creaturae. sima plaga tua ». — *Non enim est in illis;* Glossa: « In natura illarum », scilicet nationum, *medicamentum exterminii*, « id est poculum peccati », secundum Glossam, quod est causa exterminii in praesenti morte; Baruch tertio: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt ». *Exterminium* dicitur *peccatum*, quia extra terminos gratiae ponit; item, *mors temporalis*, quia extra terminum vitae naturae ponit; item, *mors gehennalis*, quia ponit extra terminos gloriae; et loquitur per antiphrasim, sicut si *venenum* appellaretur medicamentum, et sicut *piscina* vocatur aqua carens piscibus.

Sed *obiicitur* de hoc quod dicit: *Non est in*
Quaestio. *illis* etc., quia ad Ephesios secundo [6]: « Eramus natura filii irae ».

Sed dicendum, quod hic loquitur de *actuali* pec-
Resp. cato, vel de *natura instituta*, id est ante lapsum, non *destituta* per peccatum, de qua loquitur Apostolus.

Nec infernorum regnum, id est perditio aeterna, *in terra*, id est in homine facto de terra; Genesis secundo [7]: « Formavit Deus hominem de limo terrae ». Intendit ergo ostendere, quod *mors peccati* et *perditio supplicii* aeterni non sunt a natura, sed a voluntate perversa. De *morte peccati* patet per Glossam [8], quae dicit: « Non peccamus necessitate, sed voluntate perversa »; de *perditione supplicii* patet per aliam Glossam, quae dicit: « Nihil diabolus homini nocuisset, nisi homo acquievisset ».

Iustitia enim perpetua est etc. Hic monet ad
Ex parte retributionis rationes tres. iustitiam operis ex *retributionis consideratione;* et primo tangit *praemium iustitiae;* secundo, *supplicium iniustitiae: Iniustitia autem* etc.; tertio, *aequitatem supplicii* seu poenae inflictae: *Impii autem* etc.

(Vers. 15.). *Iustitia enim perpetua est* etc.;
Primo, de praemio iustitiae. quasi dicat: bene dixi, quod mors non est a Deo nec a natura, sed ab iniustitia perversae voluntatis. Iustitia enim perpetua est, vitam aeternam tribuendo, secundum illud Proverbiorum duodecimo [9]: « In semitis iustitiae vita ». *Et immortalis*, a perpetua morte liberando; unde infra tertio: « Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis ».

Iniustitia autem mortis est acquisitio, scilicet
Secundo, de supplicio iniustitiae. et mortis temporalis et aeternae; unde ad Romanos sexto [10]: « Stipendia peccati, mors »; item Proverbiorum duodecimo: « Iter devium ducit ad mortem ».

Impii autem etc. Hic ostendit *retributionis ae-*
Tertio, de aequitate supplicii ob 4 rationes. *quitatem*, quia scilicet impii hoc meruerunt, primo, iniustitiam *faciendo*, propter quod dicit: *Impii autem manibus* etc.; secundo, *familiariter amando*, ibi: *Et aestimantes* etc.; tertio, *inseparabiliter adhaerendo: Et sponsiones* etc.; quarto, *fortiter defendendo: Quoniam morte digni sunt* etc.

(Vers. 16.). *Impii autem* etc. Bene dixi, quod
Ratio 1. mors non est a Deo, vel a natura; *autem*, pro sed; *impii*, in Deum et proximum; *manibus et verbis*, Glossa [11]: « Factis et dictis »; *accersierunt*, quasi dicat: non se ingessit, sed ipsi advocaverunt *illam*, scilicet impietatem et mortem, ut patet in primis parentibus, Genesis tertio. — *Et aestimantes illam*
Ratio 2. *amicam*, id est utilem nec damnosam; Glossa [12]: « Quia putant, se impune peccare »; *defluxerunt*,

---

[1] Vers. 24.

[2] Vers. 1. seqq. — Glossa seq. est *interlinearis* in Sap. 1, 14.

[3] Libr. Quomodo substantiae in eo quod sint, bonae sint etc. (libr. de Hebdomadibus): « Ea quae sunt, bona sunt; tenet enim communis sententia doctorum, omne quod est ad bonum tendere; omne autem tendit ad simile: quae igitur ad bonum tendunt bona ipsa sunt... *Esse* igitur ipsorum bonum est; omnium igitur rerum ipsum *esse* bonum est ». Ibid. dicit: Communis animi conceptio est enuntiatio, quam quisque probat auditam. Harum duplex modus est; nam ita una communis est, ut omnium hominum sit... alia vero est doctorum tantum, quae tamen ex talibus communis animi conceptionibus venit etc. Cfr. III. de Consol. prosa 11.

[4] Ezech. 33, 11: Nolo mortem impii etc.

[5] Vers. 12. — Subinde pro *Non enim est in illis* Vulgata *et non est in illis*. Glossa allegata in haec verba est *interlinearis*, sicut et illa quae paulo inferius ponitur, *id est poculum peccati* (Glossa: Per antiphrasim, *id est peccatum*, quod non sanat, sed a Deo exterminat). Sequitur Baruch 3, 19. — Vocibus *Non enim est in illis* B praemittit: Bene dixi, quod mors et perditio non sunt a Deo, quia non sunt a natura, sed ex culpa.

[6] Vers. 3.

[7] Vers. 7.

[8] Scilicet *ordinariam*, sumtam ex Rabano; seq. Glossa est *interlinearis*.

[9] Vers. 28: In semita iustitiae vita. — Sequitur Sap. 3, 1. — Rabanus: *Iustitia* ergo bene *perpetua et immortalis* esse dicitur, quia a perpetua morte se obsequentes liberat. *Iniustitia autem mortis est acquisitio* [haec verba, quae etiam paulo inferius ut textus Scripturae exhibentur, desunt in Vulgata], quia inferni cruciatus peccatorum certa est remuneratio.

[10] Vers. 23. — Seq. locus est Prov. 12, 28.

[11] Nempe *interlinearis*, ex Rabano. — Inferius respicitur Gen. 3, 3. et 19.

[12] Scilicet *interlinearis*, secundum Rabanum: Quia putabant, se etc. — Sequuntur Glossa *interlinearis* et Hebr. 2, 1.

id est, deorsum fluxerunt, Glossa: « in mortem aeternam »; sed primo, in mortem culpae, secundo, in mortem temporalis poenae, tertio, in mortem aeternae poenae; ad Hebraeos secundo: « Oportet nos observare quae audivimus, ne forte pereffluamus ».

Ratio 3. — *Et sponsiones posuerunt ad illam,* id est foedus inseparabile quasi desponsationis per obstinationis impoenitentiam; Glossa [1]: « Ne separentur »; Isaiae vigesimo octavo: « Percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum ».

Ratio 4. Et merito defluxerunt in mortem, *quoniam morte digni sunt qui sunt ex parte illius,* scilicet iniustitiae, eam tenendo et defendendo, sicut homo defendit partem, de qua est; ad Romanos primo [2]: « Qui talia agunt digni sunt morte ».

Gradus 7 in peccatis. Potest autem hic notari *processio* in peccatis, de qua Ecclesiastici vigesimo [3]: « Est processio in malum viro indisciplinato »; quia primo est *impietas* in *corde* per consensum iniquitatis; deinde in *manu* per consummationem operis; deinde *verbum* defensionis vel gloriationis; deinde *amicitia* et spes impunitatis; postea *defluxus* per iterationem pravae consuetudinis; deinceps *sponsio* per obdurationem mentis; postremo *mors* impoenitentiae finalis.

Capitulum II.

Secundo, de iustitia hominis ad proximum agitur dupliciter.

Divisio. *Dixerunt enim* etc. Supra egit de iustitia hominis ad Deum; hic principaliter de *iustitia hominis ad proximum;* et primo, ab *iniustorum similitudine retrahendo,* scilicet capitulo isto; secundo, ad *iustorum similitudinem provocando,* scilicet tertio capitulo.

Primo retrahit ab iniustorum similitudine notando tria.

Subdivisio. In prima parte primo a parte iniustorum proponit iniuste vivendi causam motivam; secundo describit vitam iniustam, ibi: *Venite ergo* etc.; tertio vero ostendit, eam non esse imitandam, ibi: *Haec cogitaverunt* etc.

Primo, de triplici causa motiva. In prima tangitur triplex causa motiva: prima ex parte *status;* secunda ex parte *naturae*: *Quia ex nihilo nati sumus;* tertia ex parte *nominis* sive famae: *Et nomen nostrum oblivionem* etc. — Ex

Prima ratio ex parte triplicis status. parte *status* triplex: primo, quoad statum *mundi,* ibi: *Exiguum et cum taedio* etc.; secundo, quoad statum *paradisi: Non est refrigerium* etc.; tertio, quoad statum *inferni: Et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.*

(Vers. 1.). *Dixerunt enim impii, cogitantes apud se non recte* etc. Bene dixi [4], quod « impii manibus et verbis accersierunt » iniustitiam et mortem. Nam *dixerunt impii,* id est carentes pietate in Deum et proximum; Glossa: « Vox est perditorum, qui tanquam bruta animalia quae praesentia sunt amant et futura despiciunt nec post hanc vitam requiem aeternam sperant ». *Apud se,* quia « aperte non audent », secundum illud Psalmi: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus »; si enim aperte dicerent, poenam incurrere timerent. *Non recte cogitantes,* immo male. *Exiguum est* etc., propter brevitatem, secundum illud Iob decimo quarto [5]: « Breves dies hominis sunt ». *Et cum taedio,* propter poenalitatem; Iob decimo quarto: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis ». *Tempus vitae nostrae;* Glossa [6]: « Praesentis », qua scilicet vivunt sibi, non Deo; ideo addit: *nostrae,* contra quod secundae ad Corinthios quinto: « Qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ». *Et non est refrigerium in fine hominis;* Glossa [7]: « Id est quies post mortem ». Hoc tamen est falsum, quia dicitur in Psalmo in persona Sanctorum: « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium »; item Ieremiae sexto: « Interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea; et invenietis refrigerium animabus vestris »; item Apocalypsis decimo quarto: « Beati mortui, qui in Domino moriuntur etc., ut requiescant a laboribus suis ». — *Et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Per hoc intendunt excludere, infernum esse; sed eadem ratione possunt dicere, mortem non esse, quia nullus mortuus revertitur ad vitam. Unde ratio eorum non valet, quia a privatione ad habitum non est regressus secundum naturam [8]; et ideo de inferno *inferiori* nullus revertitur secundum legem communem; unde Iob septimo: « Qui descenderit ad inferos non ascendet ». Aliqui tamen leguntur reversi

Primo, quoad statum mundi.

Secundo, quoad statum paradisi.

Tertio, quoad statum inferni.

---

[1] Nempe *interlinearis.* — Seq. locus est Isai. 28, 15.

[2] Vers. 32.

[3] Vers. 9, ubi pro *in malum* Vulgata *in malis.*

[4] Supra c. 1, 16. — In textu praecedente Vulgata omittit *impii,* quod tamen iam exhibet Rabanus. Sequuntur Glossa *ordinaria:* Vox etc. (ex Rabano) et *interlinearis:* « Aperte non audent »; Ps. 13, 1.

[5] Vers. 5; ibid. v. 1. est seq. locus.

[6] Nempe *interlinearis.* — Sequitur II. Cor. 5, 15.

[7] Scilicet *interlinearis* (Rabanus: Haec vox perditorum est, qui... neque post huius vitae terminum spem habent ullam aeternae quietis). — Sequuntur Ps. 65, 12; Ier. 6, 16; Apoc. 14, 13.

[8] Ut insinuat Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis.* — Sequitur Iob 7, 9.

privilegio gratiae, ut iuvenis, quem resuscitavit Ioannes Evangelista, et Traianus, quem Gregorius [1]. De inferno vero *superiori* reversus est Christus et multi alii per ipsum vel per eius discipulos suscitati.

Secunda ratio triplex ex parte naturae.

Quia ex nihilo nati sumus etc. Hic ponitur causa motiva ex parte *naturae;* et primo, ex consideratione humanae *originis;* secundo, ex consideratione *compositionis,* ibi: *Quoniam fumus;* tertio, ex consideratione *resolutionis: Qua exstincta.*

Prima.

(Vers. 2.). Bene dixi, quod non erit refrigerium nec supplicium, quia nec subiectum susceptibile talium; *quia ex nihilo nati sumus,* origine immediata quantum ad animam et mediata quantum ad corpus; unde secundi Machabaeorum septimo [2]: « Intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus ». — *Et post hoc,* id est post hanc vitam, *erimus, tanquam non fuerimus,* quasi dicat: in nihilum revertemur, secundum illud Damasceni [3]: « Omne, quod a versione incepit, versioni subiectum est »; item Augustinus: « Naturale est, quod ex nihilo est in nihilum posse resolvi »; quod intelligendum est de possibilitate primae aptitudinis, non necessitatis; quia manu Creatoris tenentur, ne in nihilum cadant, sicut

Secunda.

dicit Gregorius. — *Quoniam fumus,* scilicet quantum ad spiritum vitalem *corporeum intrinsecum; fumus* enim est vapor igneus, et spiritus vitalis est corpus subtile igneum; *et flatus* [4], id est ventus, quoad spiritum *exteriorem corporeum,* qui spiratur; Iacobi quarto: « Quae est vita vestra? Vapor est ad modicum parens »; Iob septimo: « Ventus est vita mea »; Psalmus: « Defecerunt sicut fumus dies mei ». — *In naribus nostris,* hoc dicit specialiter, a parte totum corpus dans intelligere, propter *facilem exitum,* quasi esset in naribus; item, propter *manifestationem,* quia ibi inspirando et respirando magis manifestatur. *Et sermo scintillae ad commovendum cor nostrum,* « id est, anima scintillae comparabilis », ut dicit Glossa [5]; unde secundi Regum decimo quarto: « Quaerunt exstinguere scintillam meam ». Anima autem *sermo* dicitur secundum reputationem infidelium, quia secundum eos nihil est in re, sed tantum secundum *nomen* vel *sermonem; scintillae* autem comparatur, quia secundum aliquos philosophos anima dicta fuit esse igneae naturae. Vel melius: potest dici anima *sermo* ab effectu, quia scilicet habet vim sermocinandi; *scintillae* autem comparatur propter *naturae subtilitatem* et propter *motus agilitatem;* unde infra tertio [6]: « Et tanquam scintillae in arundineto discurrent »; item, propter *durationis brevitatem,* secundum infideles; unde Glossa: « Scintillae comparabilis, quae statim fit nihil ». *Ad commovendum cor nostrum,* « id est vivificandum vel vegetandum », secundum Glossam; respiratio est *in naribus nostris,* id est in corporibus nostris, ita prompta ad exeundum de corpore, sicut flatus de nare.

Aliter et melius.

Sequitur: *Quia exstinctus* etc. Bene dixi, quod anima comparatur scintillae, quia cito exstinguitur, quia corpus nostrum erit *cinis exstinctus,* scilicet post animae exstinctionem, quae secundum infideles in morte exstinguitur. Sed verior littera est: *Qua exstincta* etc. Hic tangit causam motivam ex consideratione *resolutionis,* et primo, ex consideratione resolutionis quantum ad *corpus;* secundo, quantum ad *spiritum,* ibi: *Et spiritus diffundetur;* tertio, quantum ad *vitam: Et transibit vita nostra* etc.

Duplex lectio.

Nota.

Tertia.

(Vers. 3.). Dicit ergo: *Qua,* scilicet anima, *exstincta,* secundum eos, *cinis erit corpus nostrum;* Ecclesiastici decimo septimo [7]: « Omnes homines terra et cinis »; item Genesis decimo octavo: « Loquar ad

---

[1] Ita narratur in Legenda seu vita S. Gregorii a Ioanne Diacono conscripta, lib. II. c. 44; cfr. tom. I. pag. 778, nota 5. et tom. IV. pag. 528, nota 2. Euseb., V. Histor. eccles. c. 18: Mortuumque Ephesi ab eodem Ioanne per divinam potentiam suscitatum esse narrat [Apollonius]. Idem affert Sozomen., VII. Histor. eccles. c. 27. (alias 26.). Cfr. Baronius, Annal. in annum Christi 98. n. 19. — Verba *iuvenis... Evangelista, et* supplevimus e codd.

[2] Vers. 28. — E codd. supplevimus *quantum ad animam et mediata.*

[3] Libr. I. de Fide orthod. c. 3. et II. c. 27. — Sententia August. innuitur in lib. de Unitate Trinitatis (inter opera August. estque Vigilii Tapsensis), c. 7: « Ista [creatura] corruptibilis per naturam, nisi fuerit servata per gratiam... ex eo quod non est [producta], in id quod est, et propterea... quantum ad se attinet, ex eo quod est, in id quod non est, sui ortus conditione revertitur ». Vat. allegat lib. de Fide ad Petrum (inter opera August. estque Fulgentii), c. 3. n. 25, ubi dicitur, quod creaturae possunt « ideo deficere, quia ex nihilo factae sunt; ad defectum eas conditio ducit originis » (similia docet August., praesertim in operibus contra Manichaeos scriptis). Cfr. IV. de Gen. ad lit. c. 12. n. 22. seq.; XII. de Civ. Dei, c. 25. et XXII. c. 24. n. 2, ubi eadem sententia insinuatur, quae paulo inferius ponitur ex Gregor., XVI. Moral. c. 37. n. 45: Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret etc. Vide I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. q. 1. in corp. et II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2.

[4] Vulgata *flatus est* pro *et flatus,* quod tamen habet Rabanus. — Sequuntur Iac. 4, 15; Iob 7, 7. et Ps. 101, 4. — Glossa *ordinaria:* Vere nihil erimus, quia *fumus et flatus est in naribus nostris,* id est in corpore nostro, id est corpus nostrum fumo et flatui comparatur, qui simul oriuntur et deficiunt. — Pro *qui spiratur* B *quo spiratur et inspiratur.*

[5] Nempe *ordinaria:* Id est anima comparabilis scintillae, quae statim fit nihil; *sermo* dico, id est anima. — Sequitur II. Reg. 14, 7. — Aristot., I. de Anima, text. 20. (c. 2.) narrat, quod « Democritus quidem ignem quendam et calorem dicit esse ipsam » [animam], et text. 29. seq. (c. 2.): Unde quibusdam visum est, [animam] ignem esse; etenim hic partibus subtilissimus est et maxime elementorum incorporeus; adhuc autem movetur et movet alia primo. Democritus autem elegantius dixit enuntians *propter quid* utrumque horum etc.

[6] Vers. 7. — De prima Glossa, quae sequitur, vide notam praecedentem; altera est *ordinaria: Ad commovendum cor nostrum,* id est vegetat corpus; et quod ita sit exponendum, probat subdens: *quia exstinctus* [Vulgata: *qua exstincta*] *cinis,* et post: *spiritus diffundetur.*

[7] Vers. 31. — Sequitur Gen. 18, 27. — De humido naturali cfr. tom. I. pag. 316, nota 12. et tom. II. pag. 736, nota 3.

Dominum meum, cum sim pulvis et cinis »? Per consumtionem enim humidi naturalis a calore consumitur corpus et in cinerem vertitur; *et spiritus, corporeus* vitalis, *diffundetur*, scilicet redeundo in sua principia componentia; *tanquam aër mollis*, id est faciliter et invisibiliter; *mollis* autem dicitur aër,

Aliter. quia non resistit tactui. Vel: *spiritus, incorporeus*, id est anima, *diffundetur*, id est evanescet et dissolvetur, secundum eos, iuxta illud Psalmi [1]: « Spiritus pertransibit in illo et non subsistet » etc. *Et transibit vita nostra*, id est, per annihilationem suorum principiorum totaliter desinet. *Et sicut vestigium nubis*, quod non apparet post nubis resolutionem; Iob trigesimo: « Velut nubes pertransiit salus mea », scilicet temporalis; item capitulo septimo: « Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendet ». *Et sicut nebula dissolvetur*, quae scilicet est reliquia nubis; *nubes* enim ex vapore grossiori et depressiori consistit, *nebula* vero ex rariori. *Quae*, scilicet nebula, *fugata est a radiis solis*, calore continentis aëris adunante et fugante partes frigidi vaporis; *et a calore illius aggravata*, eodem calore frigus nubis ad interiora fugante et sic per accidens partes illius materiae condensante et sic aggravante et in aquam postea resolvente; Iob trigesimo septimo [2]: « Subito aër cogetur in nubes, et ventus transiens fugabit eas ».

Et nomen nostrum etc. Hic ostenditur causa

Tertia ratio ex parte famae notatur duplicíter. motiva ex parte *famae* vel nominis; primo tangitur famae *abolitio;* secundo, abolitionis *ratio*, ibi: *Umbrae enim transitus.*

(Vers. 4.). Dicit ergo: *Et nomen*, quasi dicat:

Primo. non tantum essentia vel substantia nostra transibit in nihilum, sed *et nomen nostrum*, id est fama quoad personam, *oblivionem accipiet per tempus*, id est temporis diuturnitatem; Proverbiorum decimo [3]: « Nomen impiorum putrescet ». *Et nemo habebit memoriam operum nostrorum*, quoad *vitam;* Iob decimo octavo: « Memoria eius pereat de terra »; item in Psalmo: « Periit memoria eorum cum sonitu »; et econtra: « In memoria aeterna erit iustus ».

Sed *obiicitur*, quod opera multorum reproboQuaestio 1. rum, scilicet Cain, Pharaonis, Neronis etc., adhuc memorantur.

Dicendum, quod verbum istud est verbum reResp. proborum; et ideo non est inconveniens dicere, illud esse falsum. Vel dicendum, quod non memorantur memoria *laudabili* vel eis utili; de hac autem loquitur hic.

Sed *obiicitur*, quod multorum reproborum facta Quaestio 2. celebria et laudabilia memorantur.

Ad hoc dicendum, quod ipsorum non fuerunt, Resp. sed Dei in ipsis, secundum illud Isaiae vigesimo sexto [4]: « Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine ».

(Vers. 5.). Ad memorandum autem duo requi- Secundo. runtur, scilicet fortis impressio et frequens reiteratio, et utrumque excludit, cum subdit: *Umbrae enim* etc.; *umbrae transitus*, propter transeundi velocitatem; primi Paralipomenon vigesimo nono [5]: « Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora »; *umbrae*, inquam, *transitus est tempus nostrum*, id est, quod ad voluntatem nostram faciendam, non Dei, expendimus; sed Dominus quandoque sibi accipiet ipsum tempus; Psalmus [6]: « Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo ». *Et non est reversio finis nostri*, propter redeundi impossibilitatem; Iob decimo: « Antequam vadam et non revertar » etc. *Quoniam consignata est*, scilicet reversio nostra, id est sub sigillo clausa; Glossa: « Consignata, quasi non apparens, quia non est ». *Et nemo revertitur* ad vitam, scilicet secundum communem legem; Psalmus [7]: « Sepulcra eorum domus eorum in aeternum », scilicet secundum opinionem ipsorum, sed secundum veritatem omnes quandoque resurgent per virtutem divinam; unde primae ad Corinthios decimo quinto: « Omnes quidem resurgemus » etc.

Notandum autem, quod vita et status impiorum Notandum. dicitur esse *fumus* propter rationalis obcaecationem, infra eodem capitulo [8]: « Excaecavit eos malitia eorum »; item ad Romanos primo: « Obscuratum est insipiens cor eorum ». Assimilatur *flatui* propter inquietam irascibilis perturbationem, Isaiae quinquagesimo septimo: « Impii quasi mare fervens »; *scintillae*, propter concupiscibilis inflammationem, Ecclesiastici vigesimo tertio: « Anima calida quasi ignis ardens non exstinguetur »; *aëri*, propter intentionis vacuitatem; *cineri*, propter operum infructuositatem, infra tertio: « Opera eorum inutilia »; *nubi densiori*, propter gratiae oppositionem; *nebulae leviori*, propter mentis elevationem sive elationem; *umbrae*, propter exteriorem simulationem.

Venite ergo etc. Hic describit vitam iniustam [9]; Secundo, describitur vita iniusta dupliciter. et primo tangitur *iniustorum concordia* et mutua cohortatio ad propriae vitae dissolutionem; secundo, *iustorum oppressio*, ibi: *Opprimamus* etc.

Primo ergo cohortantur se ad *vacandum dis-* Primo, mutua cohortatio ad vacandum dissolutioni quinque modis. *solutioni*, primo, *celeriter*, secundo, *abundanter*, ibi: *Vino pretioso* etc.; tertio, *evidenter*, ibi: *Coronc-*

---

[1] Psalm. 102, 16. — Duo seqq. loci sunt Iob 30, 15. et 7, 9. — Inferius vocibus *totaliter desinet* B interserit *esse.*

[2] Vers. 21. — De generatione vaporis, nubis etc. cfr. Aristot., I. Meteor. Sum. tertia c. 1. (c. 9. seqq.).

[3] Vers. 7. — Sequuntur Iob 18, 17; Ps. 9, 7. et 111, 7.

[4] Vers. 12. Lectionem Vulgatae vide supra pag. 92, nota 9.

[5] Vers. 15. — De requisitis ad memorandum cfr. Aristot., de Memoria et reminisc. c. 1. seqq.

[6] Psalm. 74, 3. Explicationem vide tom. IV. pag. 482, nota 9. et pag. 922, nota 9. — Sequitur Iob 10, 21. Glossam, quae subinde allegatur, et in qua pro *apparens* A *comparens*, neque Strabus neque Lyranus exhibent.

[7] Psalm. 48, 12. — Seq. locus est I. Cor. 15, 51.

[8] Vers. 21. — Sequuntur Rom. 1, 21; Isai. 57, 20; Eccli. 23, 22. et Sap. 3, 11.

[9] Vide pag. 118 col. 1. ad *Subdivisio.*

mus; quarto, *communiter* vel universaliter, ibi: *Nemo nostrum;* quinto, *hilariter,* ibi: *Ubique relinquamus.*

(Vers. 6.). *Venite ergo,* quasi dicant: ex quo praesens vita transit, et futuram non speramus; *venite ergo* etc. *Venite,* dicunt, quia inquit Seneca [1], quod « nullius rei possessio iucunda est sine socio »; et ideo mutuo se hortantur. Hoc enim est invitatorium in matutinis diaboli. Notandum enim, quod sicut Ecclesia iustorum secundum diversa festa diversa habet invitatoria et *Venite;* sic et synagoga peccantium. Unum est *vanitatis;* Genesis undecimo [2]: « Venite, et faciamus nobis civitatem et turrim ». Aliud, *iniquitatis;* Genesis trigesimo septimo: « Venite, et occidamus eum et mittamus in cisternam veterem ». Tertium, *avaritiae* et cupiditatis; Proverbiorum primo: « Veni nobiscum » etc. Quartum, *voluptatis,* de quo hic, scilicet: *Venite, et fruamur bonis, quae sunt* etc. His respondet illud Matthaei vigesimo quinto [3]: « Discedite a me, maledicti, in ignem » etc. *Fruamur,* inquam, *amando affectu,* nihil ultra desiderando; « frui enim est alicui rei amore inhaerere propter se »; *bonis, quae sunt,* id est bonis praesentibus, *et utamur, delectando in effectu;* Augustinus: « Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis »; Augustinus: « Totum malum hominis est frui utendis et uti fruendis ». *Utamur,* inquam, *creatura,* scilicet contempto Creatore; aliter namque non esset peccatum uti creatura. *Tanquam in iuventute,* id est, quamdiu sumus iuvenes; quia sensus iuvenum magis percipit delectationem quam senum; unde secundi Regum decimo nono [4]: « Octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei » etc.; ideo Ecclesiastae undecimo: « Laetare, iuvenis, in adolescentia tua ». *Celeriter;* Glossa: « Ne nos et illa ante transeamus, quam ea fruamur », secundum illud Isaiae vigesimo secundo: « Comedamus et bibamus; cras enim moriemur ».

(Vers. 7. 8. 9.). *Vino pretioso,* interius quoad *gustum,* excitando calorem ab interiori; *et unguentis,* exterius quoad *tactum,* excitando calorem ab exteriori; *impleamus nos,* per usum superfluum et immoderatum; Amos sexto [5]: « Bibentes in phialis vinum et optimo unguento delibuti » etc. *Et non praetereat nos flos temporis,* id est amoenitas quoad *aspectum;* Ieremiae quadragesimo octavo: « Date florem Moab » etc. Tales non curant de fructu autumni caelestis, sed tantum de flore veris praesentis. — *Coronemus nos rosis, antequam marcescant;* Isaiae quadragesimo [6]: « Cecidit flos »; et capitulo vigesimo octavo: « Vae flori decidenti »! *Coronemus nos rosis,* ad delectandum quoad *odoratum;* sed « vae coronae superbiae, ebriis Ephraim »! Isaiae vigesimo octavo. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra,* id est nullus locus amoenus; hoc dicit quantum ad *universalitatem loci;* Ieremiae secundo: « In omni colle sublimi et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris, meretrix ». *Nemo nostrum,* hoc dicitur quantum ad *universalitatem personarum.* Talis erat Sodoma, in qua nec decem iusti poterant inveniri, ut patet Genesis decimo octavo [7]. — *Nemo,* inquam, *nostrum exsors sit luxuriae nostrae,* id est sine sorte, hoc est expers vel immunis. *Ubique relinquamus signa laetitiae* nostrae; hoc dicitur quantum ad *universalitatem in facto;* Ezechielis decimo sexto: « Ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae ». *Quoniam haec,* scilicet talis vita dissoluta, *est pars nostra,* scilicet ex parte animae; *et haec est sors* nostra, scilicet ex parte corporis. Vel: idem sunt in re pars et sors, sed differunt ratione, quia pars nominatur ex parte accipientis, sors ex parte dantis; Isaiae quinquagesimo septimo [8]: « In partibus torrentis pars tua, haec est sors tua ». Econtra dicit vir iustus: « Dominus pars hereditatis meae »; item: « Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum ».

Opprimamus pauperem iustum etc. Hic describit vitam iniustam quantum ad *bonorum oppressionem,* primo, quia opprimunt sine *reverentia personae;* secundo, quia sine *timore iustitiae,* ibi: *Sit autem fortitudo* etc.

(Vers. 10. 11.). *Opprimamus;* Glossa [9]: « Vox perditorum est »; *pauperem iustum,* quemcumque scilicet; Iob vigesimo quarto: « Oppresserunt pariter mansuetos terrae ». *Et non parcamus viduae;* Psalmus: « Viduam et advenam interfecerunt » etc.; *nec veterani revereamur canos multi temporis,* id est quemcumque senem; Baruch quarto: « Non sunt reveriti senem ». — *Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiae,* id est, totum reputemus licitum, quidquid possumus facere; Habacuc primo [10]: « Factum est iudicium et contradictio potentior ». Vel: *iustitiae;* unde *interlinearis:* « Quasi fortitudinem pro iustitia habeamus », id est, quod non poterimus facere per iusti-

Diaboli invitatorium quadruplex.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Secundo describitur bonorum oppressio.

Primo.

Secundo.

---

[1] Epist. 6. n. 4.

[2] Vers. 4; ibid. 37, 20. est seq. locus; tertius est Prov. 1, 11.

[3] Vers. 41. — Sequuntur tres loci August.; primus est ex I. de Doctr. christ. c. 3. n. 4: Frui enim est etc.; secundus ex X. de Trin. c. 11. n. 17: Uti est etc.; tertius ex 83 Qq. q. 30, de quo vide supra pag. 51, nota 8.

[4] Vers. 35. — Sequuntur Eccle. 11, 9. et Isai. 22, 13. Glossa inferius allegata neque a Strabo neque a Lyrano exhibetur. Card. Hugo a S. Charo: *Celeriter,* quia tempus breve est, et nos vel illa transeamus.

[5] Vers. 6. — Seq. locus est Ier. 48, 9.

[6] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Isai. 28, 1: Vae coronae superbiae, ebriis Ephraim, et flori decidenti! tertius est Ier. 2, 20.

[7] Vers. 32. — Seq. locus est Ezech. 16, 25.

[8] Vers. 6. — Sequuntur Ps. 15, 5. et 72, 26.

[9] Nempe *interlinearis:* Haec quoque perditorum vox. — Subinde allegantur Iob 24, 4; Ps. 93, 6; Baruch 4, 16.

[10] Vers. 3. — Notandum, duplicem illa aetate lectionem huius textus fuisse, scilicet praeter lectionem Vulgatae *lex iustitiae* aliam *lex iniustitiae,* ut notatur a card. Hugone et Lyrano in margine.

tiam faciamus per violentiam. *Quod enim infirmum est* etc., quasi dicat: non opprimamus tantummodo pauperes et debiles, ut viduas et senes, sed quoscumque poterimus; *quod enim infirmum est,* scilicet in se, ut vidua, pauper et senex; *inutile invenitur,* scilicet aliis; unde de talibus parum, vel nihil est curandum. Non sic Dominus sentiebat, qui « infirma mundi elegit, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia [1] » etc. Non sic Paulus, qui dicebat, quod « virtus in infirmitate perficitur », secundae ad Corinthios duodecimo.

Expositio allegorica.

Allegorice exponitur hoc de haereticis, qui non parcunt *pauperi iusto,* id est populo christiano; nec *viduae,* id est Ecclesiae; nec *veteranis,* id est Apostolis et Prophetis [2].

Specialiter describitur persecutio Christi, primo quoad causam triplicem.

Divisio.

Circumveniamus ergo iustum etc. Hic specialiter describit *Christi persecutionem,* et primo tangit *causam;* secundo *finem,* ibi: *Videamus ergo, si sermones* etc.; tertio *modum,* ibi: *Contumelia et tormento* etc. — *Causam,* propter quam Iudaei persecuti sunt Christum, tangit tripliciter: primo, ex parte suarum *operationum;* secundo, ex parte suarum *cogitationum,* ibi: *Factus est nobis;* tertio, ex parte suarum *locutionum,* ibi: *Tanquam nugaces.*

Causa triplex.

Primo, ex parte operum tria tanguntur.

In prima parte ex parte *operum* tangit triplicem causam, quarum prima est operum Iudaeorum *detestatio;* secunda, transgressionum illarum *improperatio* et diffamatio, ibi: *Et improperat nobis* [3] etc.; tertia, Christi *commendatio,* ibi: *Promittit se* etc.

Expositio literalis. Primum.

(Vers. 12.). *Circumveniamus ergo* etc. Quia dixi: *Fortitudo nostra sit lex iniustitiae,* et hoc non possumus, nisi iustum circumveniamus; *circumveniamus ergo iustum* etc., ut scilicet fortitudinis nostrae legem libere exercere possimus. *Circumveniamus,* inquam, per fraudulentiam, *iustum,* id est Christum, qui per antonomasiam *iustus* appellatur; Ieremiae vigesimo tertio [4]: « Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster »; « quia peccatum » actuale « non fecit », primae Petri secundo; nec originale contraxit in conceptione; unde Ieremiae vigesimo tertio: « Suscitabo David germen iustum », id est Christum in germine, id est in conceptione; Isaiae quadragesimo quinto: « Iustitia oriatur simul » etc. Vel: *Circumveniamus* etc., potest esse

Aliter.

vox quorumlibet malorum contra *quemlibet iustum,* contra quod monet Apostolus primae ad Thessalonicenses quarto [5]: « Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum »; sicut nec ipse fecerat; unde secundae ad Corinthios septimo: Nos « neminem laesimus », scilicet facto; « neminem corrupimus », scilicet exemplo pravo; « neminem circumvenimus », scilicet verbo. *Quoniam inutilis est nobis;* Glossa [6]: « Cum tamen utilitatem eius in omnibus viderent », secundum illud Actuum decimo: « Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo ». Sed inutilem sibi reputabant in temporalibus; unde Ioannis undecimo: « Venient Romani et tollent locum nostrum et gentem ». *Et contrarius est operibus nostris,* scilicet sicut bonum est contrarium malo, secundum illud Ecclesiastici trigesimo tertio [7]: « Contra malum stat bonum, et contra virum iustum peccator ». *Et improperat nobis peccata Legis,* id est, quia peccamus, transgrediendo Legem; unde Ioannis septimo: « Nonne Moyses dedit vobis Legem, et nemo ex vobis facit Legem »? *Et diffamat in nos,* id est contra nos, vel in nos retorquendo, *peccata disciplinae nostrae,* id est dicendo, quod peccamus, traditiones nostras docendo, vel tenendo, vel teneri faciendo; unde Matthaei decimo quinto: « Quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras »?

Secundum.

Tertium.

(Vers. 13.). *Promittit, se scientiam Dei habere;* Glossa [8]: « Id est omnia scire tanquam Deus », et hoc quantum ad *essentiam. Et Filium Dei se nominat,* « id est Deo consubstantialem et coaeternum », quoad *personam;* Ioannis quinto: « Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo ». Sic quilibet iustus *scientiam Dei* habet in intellectu, *filius Dei* est per gratiam in affectu; unde in Psalmo: « Ego dixi: Dii estis », scilicet scientes bonum et malum, « et filii Excelsi omnes ».

Secundo, ex parte cogitationum duo tanguntur.

Factus est nobis in traductionem. Hic ponitur causa movens ex parte *cogitationum,* et primo tangitur cogitationum Iudaeorum per Christum *manifestatio;* secundo, *manifestationis effectus,* non ex parte Christi causatus, sed ex parte Iudaeorum, scilicet invidia eorum, ibi: *Gravis est* etc.

Primum.

(Vers. 14.). *Factus est nobis in traductionem,* id est in propalationem, *cogitationum nostrarum;* Glossa [9]: « Cogitationes nostras traducit in lucem », id est, extra ducit in notitiam; unde Matthaei nono: « Ut quid cogitatis mala in cordibus

---

[1] Epist. I. Cor. 1, 27. et 28. — Sequitur II. Cor. 12, 9.

[2] Haec expositio est secundum Glossam *ordinariam,* sumtam ex Rabano.

[3] Edd., contradicentibus codd., hoc secundum membrum omittit.

[4] Vers. 6. — Sequuntur I. Petr. 2, 22; Ier. 23, 5. (hic locus cum explicatione omittitur ab edd.) et Isai. 45, 8.

[5] Vers. 6. — Seq. locus est II. Cor. 7, 2.

[6] Scilicet *interlinearis.* — Sequuntur Act. 10, 38. et Ioan. 11, 48.

[7] Vers. 15: Contra malum bonum est, et contra mortem vita, sic et contra virum etc. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 7, 19. et Matth. 15, 3.

[8] Nempe *interlinearis:* « Omnia scilicet se scire tanquam Deum ». Eadem Glossa: *Filium Dei,* substantialem Deo et coaeternum. — Sequuntur Ioan. 5, 18. et Ps. 81, 6. Gen. 3, 5: Et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.

[9] Scilicet *interlinearis.* — Subinde allegantur Matth. 9, 4. et 1, 19.

vestris »? Sic accipitur *traducere* Matthaei primo, scilicet pro *manifestare*, ubi dicitur: « Noluit eam traducere ».

(Vers. 15.). *Gravis est etiam nobis ad viden-* Secundum. *dum*, scilicet propter *manifestationem* peccatorum ipsorum; Augustinus [1]: « Oculis aegris odiosa est lux »; Ioannis tertio: « Qui male agit odit lucem ». Hoc autem, quod ipsum videre non poterant, signum erat invidiae; unde primi Regum decimo octavo: « Non rectis oculis Saul aspiciebat David », scilicet quia invidebat ei. *Quoniam dissimilis est aliis vita illius*, scilicet vita tota exterior seu conversatio.

Contra: ad Hebraeos secundo [2]: « Debuit per Quaestio. omnia fratribus similari ».

Dicendum, quod Apostolus loquitur de simili- Resp. tudine passibilis naturae; hic de similitudine culpae.

Notandum autem, quod dissimilis fuit vita vel Dissimilitudo vitae triplex. conversatio eius aliis et quantum ad *initium*, quia sine peccato conceptus et natus; Isaiae sexto [3]: « Semen sanctum erit id quod steterit in ea », id est in Maria; Matthaei primo: « Quod in ea natum est de Spiritu sancto est ». Et quantum ad *medium*, quia sine peccato conversatus; primae Petri secundo: « Peccatum non fecit, nec inventus est dolus » etc. Et quoad *terminum*, quia mortuus est sine mortis debito; Psalmus: « Quae non rapui, tunc exsolvebam ».

Et immutatae sunt viae illius; Glossa [4]: « Dissimiles factae sunt », scilicet facta et disciplina eius; Isaiae quinquagesimo quinto: « Non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae meae viae vestrae, dicit Dominus ».

Tanquam nugaces etc. Hic tangitur causa mo- Tertio, ex parte locutionum tria tanguntur. vens ex parte *locutionum*, et primo ponitur *ipsorum reprobatio;* secundo, *aliorum approbatio*, ibi: *Et praefert novissima* etc.; tertio, *sui commendatio*, ibi: *Et gloriatur, patrem se habere Deum.*

(Vers. 16.). *Tanquam* igitur *nugaces aestimati* Primum. *sumus ab illo*, id est inania facientes et dicentes; Sophoniae tertio [5]: « Nugas, qui a lege recesserant, congregabo ». *Et abstinet se a viis nostris;* Glossa: « Id est actionibus et traditionibus nostris »; *tanquam ab immunditiis*, et quidem iuste, quia vere immunditiae erant; unde Ezechielis trigesimo sexto: « Iuxta immunditiam menstruatae facta est via eorum coram Secundum. me ». *Et praefert novissima iustorum*, id est finem, et merito quidem, quia « mors peccatorum pessima [6] », sed mors iustorum pretiosa, secundum illud Psalmi: « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius »; ideo Numerorum vigesimo tertio dicebat Balaam: « Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia ». Vel secundum Glossam [7]: *Praefert novissima iustorum*, « id est vitam aeternam voluptati ». *Et gloriatur, patrem se* Tertium. *habere Deum;* Ioannis octavo: « Est Pater meus, qui glorificat me ».

Secundo, persecutio Christi describitur quoad finem.

Videamus ergo, si sermones etc. Hic in persona Divisio. Iudaeorum primo tangit *finem persecutionis* Christi, qui erat, quod de Christo veritatem scire volebant; secundo subditur, *qualiter hoc scire poterant*, ibi: *Si enim est verus Filius Dei* etc.

(Vers. 17. 18.). *Videamus* etc., quasi dicant: Primo. ex quo ita gloriatur, videamus, quasi *a remotis*, de morte eius tractando; Ioannis undecimo [8]: « Collegerunt Pontifices et Pharisaei concilium » adversus Iesum. *Videamus*, inquam, *si sermones illius veri sint*, scilicet, quod sit vere Filius Dei. Hoc vidit et cognovit ille centurio, qui, videns eum clamando exspirare et motum terrae aliaque signa, ait Matthaei vigesimo septimo [9]: « Vere Filius Dei erat iste ». *Et tentemus*, de *prope*, eum scilicet crucifigendo et morti exponendo; *quae ventura sunt illi*, scilicet si poterit se liberare; Matthaei vigesimo septimo: « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere ». *Et sciemus*, vel: ut sciamus, *quae erunt novissima illius*, scilicet si resurget. Et hoc sciemus eius sepulcrum custodiendo; unde Matthaei vigesimo septimo: « Domine, recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam ». — *Si enim* Secundo. *verus est Filius Dei*, ut praedixit, non per gratiam adoptionis, ut nos, sed per naturalem proprietatem aeternae generationis; *suscipiet illum*, scilicet in gloria; Isaiae quadragesimo secundo [10]: « Ecce, servus meus, suscipiam eum ». *Et liberabit eum*, scilicet a poena; et hoc est quod sequitur: *De manibus contrariorum*, id est crucifixorum, qui ei erant contrarii. Utrumque fecit ei Deus; ipsum enim *liberavit* Notandum. *a poena*, secundum illud Psalmi [11]: « Liberator meus de inimicis meis iracundis », scilicet ipsa die passionis, postquam temporalem mortem sustinuit; et ipsum suscitavit, sed non statim, at tertia die, secundum illud Sophoniae tertio: « Exspecta me in

---

[1] Libr. VII. Confess. c. 16. n. 22. — Sequuntur Ioan. 3, 20. et I. Reg. 18, 9. [2] Vers. 17.

[3] Vers. 13. — Sequuntur Matth. 1, 20; 1. Petr. 2, 22; Ps. 68, 5.

[4] Nempe *interlinearis*, quae exponit verba *viae eius* ita: Sancta disciplina. — Seq. locus est Isai. 55, 8.

[5] Vers. 18. — Sequuntur Glossa *interlinearis*, et Ezech. 36, 17.

[6] Psalm. 33, 22; ibid. 115, 15. est seq. locus; tertius est Num. 23, 10.

[7] Scilicet *interlinearem:* De futura vita non cogitant, spem futurae vitae praeferri suae voluptati dolent, unde ei mortem machinantur (secundum Rabanum). A alteram hanc explicationem omittit. — Sequitur Ioan. 8, 54.

[8] Vers. 47.

[9] Vers. 54; duo seqq. loci sunt ibid. 27, 42. et 63.

[10] Vers. 1.

[11] Psalm. 17, 48. — Sequuntur Soph. 3, 8. et Ps. 72, 24. — Inferius e codd. supplevimus *et ipsum suscitavit.*

die resurrectionis meae »; et ipsum *cum gloria suscepit* in die ascensionis; unde in Psalmo: « Cum gloria suscepisti me ».

Tertio, persecutio Christi describitur quoad specialem modum oppressionis.

Contumelia et tormento interrogemus etc. Hic Divisio. tangit specialem *modum oppressionis*, et primo, quantum ad ipsa *disponentia ad mortem;* secundo, quantum ad *ipsam mortem: Morte turpissima* etc.

(Vers. 19. 20.). Dicit ergo: *Contumelia*, scilicet Primum. verborum; *et tormento*, scilicet verberum; ad Hebraeos undecimo [1]: « Sancti ludibria et verbera experti »; *interrogemus eum*, id est, examinemus. Sic factum est, ut patet Matthaei vigesimo septimo et Ioannis decimo nono, quia illusus est verbis contumeliosis et caesus flagellis et tandem affixus clavis in patibulo crucis. *Ut sciamus reverentiam eius*, id est humilitatem, qua Deum reveretur; ad Hebraeos quinto: « Exauditus est pro sua reverentia ». *Et probemus patientiam eius*, scilicet per *tormenta;* id est, si vere humilis et patiens est. Et vere sic, quia « cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur », primae Petri secundo [2]; Gregorius: « Qualis unusquisque apud se lateat, con- Secundum. tumelia illata probat ». — *Morte turpissima;* Glossa [3]: « Id est morte crucis, quae usque ad passionem Christi poena fuit reorum, nunc autem est victoriae trophaeum et gloria Ecclesiae »; Augustinus: « Crux de poenis latronum transiit ad frontes imperatorum ». Et quia turpissima erat mors crucis, ideo ad ostendendum utilitatem mortis Christi dicit Apostolus ad Philippenses secundo: « Humiliavit semetipsum etc., mortem autem crucis ».

Fuit autem mors Christi turpissima ratione *loci*, Mors turpissima ob 5 rationes. quia extra civitatem in loco Calvariae, id est loco, ubi proiiciebantur capita decollatorum, Matthaei vigesimo septimo [4]. Ratione *temporis*, quia die solemni et hora maiori, scilicet « hora sexta », Ioannis decimo nono. Ratione *instrumenti*, quia in ligno crucis; primae Petri secundo: « Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum ». Ratione *consortii*, quia inter latrones, Lucae vigesimo tertio. Ratione *opprobrii*, quia multa opprobria pendenti illata sunt, ut patet Matthaei vigesimo septimo.

Condemnemus eum. Notandum, quod ipsum Notandum. condemnavit Pilatus auctoritate; Iudaei, persuasione. *Erit enim ei respectus ex sermonibus illius*, id est cognitio veritatis sermonum illius; Glossa [5]: « Videbimus, si post mortem valeat resuscitare carnem; dixit enim: Solvite templum hoc, et in triduo reaedificabo illud », Ioannis secundo.

Haec cogitaverunt et erraverunt. Hic ostendit [6], Tertio, ostenditur, vitam iniustorum non esse imitandam. talium *vitam esse fugiendam* tanquam erroneam; et primo tangit *causam* erroris eorum meritoriam; secundo, erroris *materiam: Et nescierunt* etc.; tertio, erroris *auctorem: Invidia autem diaboli* etc.

(Vers. 21. 22. 23. 24. 25.). *Haec*, scilicet prae- Primo, de erroris causa. dicta, *cogitaverunt*, scilicet impii et perfecerunt; *et erraverunt;* unde infra quinto [7]: « Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis »; item Proverbiorum decimo quarto: « Errant qui operantur malum ». *Excaecavit enim eos*, scilicet oculum eorum interiorem, *malitia eorum;* unde in oratione Ieremiae: « Vae nobis, quia peccavimus; propterea obtenebrati sunt oculi nostri »; item secundae ad Corinthios quarto: « Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium ». — *Et nescierunt sacramenta* Secundo, de ipsius materia. *Dei*, id est sacra et secreta consilia et dispositiones de passione et resurrectione Christi; ad Ephesios tertio [8]: « Notum mihi factum est sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum ». *Neque mercedem speraverunt iustitiae;* Glossa: « Id est mortis Christi », scilicet exaltationem eius per mortem, de qua ad Philippenses secundo: « Propter quod et Deus exaltavit illum ». *Nec iudicaverunt;* Glossa: « Id est, intellexerunt », *honorem animarum sanctarum*, id est salutem sanctarum animarum per mortem Christi et resurrectionem obtinendam; unde Glossa [9]: « Non intellexerunt, quia mors Christi honor est et salus animarum »; Psalmus: « Nimis honorati sunt » etc.; item primae Petri secundo: « Vobis igitur honor credentibus » etc. — Et bene dixi: *Honorem*, quia *Deus creavit hominem inexterminabilem*, id est potentem non mori, ex parte corporis; *et ad imaginem*, scilicet ex parte animae; Genesis primo [10]: « Faciamus hominem ad imaginem et simi-

---

[1] Vers. 36: Alii vero ludibria etc. — Subinde allegantur Matth. 27, 29. seqq.; Ioan. 19, 1. seqq. et Hebr. 5, 7.

[2] Vers. 23. — Sententia Gregorii habetur I. Dialog. c. 5. circa finem: Qualis enim quisque etc.

[3] Nempe *ordinaria*, sumta ex Rabano. — August., Enarrat. in Ps. 36. serm. 2. n. 4: Cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur... A locis suppliciorum [crux] fecit transitum ad frontes imperatorum. — Sequitur Phil. 2, 8.

[4] Vers. 31-33. — Sequuntur Ioan. 19, 14; I. Petr. 2, 24; Luc. 23, 33; Matth. 27, 39. seqq.

[5] Scilicet *interlinearis*, sumta ex Rabano; in ipsa post *carnem* textus originalis addit *suam*, et pro *enim* substituit *autem*. Allegatur Ioan. 2, 19: Solvite... et in tribus diebus excitabo illud. Cfr. Matth. 26, 61.

[6] De hoc tertio membro vide supra pag. 118, col. 1.

[7] Vers. 6. — Sequuntur Prov. 14, 22; Thren. 3, 16. et 17, ubi post *propterea* Vulgata addit *moestum factum est cor nostrum, ideo contenebrati;* II. Cor. 4, 4.

[8] Vers. 3. et 5. — Glossae, quae sequuntur, sunt *interlineares*, et secunda paulo inferius integra ponitur. Eadem Glossa ad verba *sacramenta Dei* notat: « Consilia Dei [Rabanus: Sacramentum consilii Dei], *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia* [Sap. 1, 4.]. — Sequitur Phil. 2, 9.

[9] Nempe *interlinearis*, sumta ex Rabano. Pro *animarum* textus originalis apud Lyranum *Sanctorum*, apud Rabanum *animarum sanctarum*. — Duo seqq. loci sunt Ps. 138, 17: *Nimis honorificati* etc., et I. Petr. 2, 7.

[10] Vers. 26. — De diversa acceptione *imaginis* et *similitudinis* cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

litudinem nostram »; *ad imaginem*, scilicet in naturalibus; *similitudinis suae*, scilicet in gratuitis; vel: *ad imaginem*, in potentia *cognitiva; ad similitudinem*, in potentia *affectiva; imago* enim est principium cognoscendi, *similitudo* ratio diligendi; « omne » enim « animal diligit sibi simile », Ecclesiastici decimo tertio [1]; *fecit illum. — Invidia autem diaboli*, qui scilicet invidit felicitati primorum parentum, *mors introivit in orbem terrarum.*

Tertio, de erroris auctore.

Contra: ad Romanos quinto [2]: « Per unum hominem peccatum intravit, et per peccatum mors ». Quaestio.

Dicendum, quod intravit per diabolum suggerentem et per hominem consentientem. Resp.

Imitantur autem illum, scilicet diabolum, invidendo iustis, *qui sunt ex parte illius*, scilicet impii, qui sunt de parte diaboli. « Ipse enim est caput omnium iniquorum », ut dicit Gregorius [3].

Capitulum III.

Secundo, provocat ad iustorum similitudinem dupliciter.

In praecedentibus retraxit a malorum imitatione; hic provocat *ad bonorum imitationem*, et primo per *status eorum commendationem; secundo*, per *status oppositi reprobationem*, ibi: *Impii autem, secundum quae cogitaverunt* etc.

Divisio.

Primo provocat per status eorum commendationem dupliciter.

In parte prima ex parte retributionis iustorum tangitur primo eorum *liberatio a malo; secundo* eorum *praemiatio in bono: Fulgebunt iusti* etc.

Subdivisio.

In prima primo tangitur eorum liberatio a malo *aeternae damnationis; secundo*, a malo *mortis temporalis*, ibi: *Visi sunt oculis* etc.; tertio, a malo *praesentis vexationis* vel tribulationis: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt.*

Primo, de liberatione a quadruplici malo.

(Vers. 1.). *Iustorum autem animae in manu Dei sunt* etc. Rabanus [4] sic continuat: « In priori capitulo iniquorum sententia expressa est, quam contra Christum protulerunt; nunc condemnantur stultitiae, quia Sanctos interire putant, quos pro eius confessione trucidant ». Sed potest continuari hoc modo: Bene dixi, quod « imitantur » diabolum « qui sunt ex parte illius [5] ». *Autem*, pro sed; *iustorum animae* etc., « id est Martyrum », secundum Glossam; quod etiam verum est de aliis iustis, sed Martyres dicuntur specialiter iusti, quia « iustus est qui negligit damnum propter amicum », ut habetur Proverbiorum duodecimo [6]; et hoc praecipue faciunt Martyres, quia pro Christo negligunt damnum rerum et amicorum carnalium et etiam propriorum corporum, ut patet ad Hebraeos undecimo. *Iustorum*, inquam, *animae;* non dicit *corpora*, quia « terra », id est corpus de terra factum, « tradita est in manus impii », Iob nono [7]. Non dicit *temporalia;* Iob primo: « Ecce, omnia, quae habet, in manu tua sunt » etc. Sed *animae in manu Dei sunt*, id est in protectione, et ideo sunt securae; Psalmus: « Qui habitat in adiutorio Altissimi » etc.; Ioannis decimo: « Non rapiet eas quisquam de manu mea ». *Et non tanget illos tormentum mortis*, scilicet « aeternae », ut dicit Glossa [8]; unde Iob quinto: « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum », id est tormentum gehennae. Hoc tormentum describitur Iob vigesimo quarto: « Ab aquis nivium transiet ad calorem nimium »; item in Psalmo: « Pluet super peccatores laqueos, ignis » etc. Nomine autem *mortis* in sua communitate sumto intelligitur hic mors *aeterna*, quia illa est vera mors; *temporalis* autem est quasi umbra mortis; est enim quidam transitus ad vitam, secundum illud Ioannis quinto [9]: « In iudicium », scilicet condemnationis, « non venit, sed transiit a morte in vitam ».

Expositio literalis. De malo 1.

(Vers. 2.). *Visi sunt oculis* etc. Notandum, quod mali et increduli mortem Sanctorum reputant *mortem* in separatione coniunctionis animae ad corpus, *afflictionem* in dolore coniuncti, *exterminium* in perditione animae, quam reputant cum corpore perire; *iter exterminii* quantum ad sequentem incinerationem corporis. Secundum hoc legitur sic: *Visi sunt*, id est iusti, *oculis insipientium mori*, scilicet morte aeterna, cum tamen transeant ad vitam meliorem. Unde Augustinus [10]: « Tantam praestitit Deus gratiam fidei christianae, ut mors, quam vitae constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam ». *Oculis*, inquit, *insipientium*, qui « oculos suos statuerunt declinare in terram [11] », id est, qui solum considerant praesentia nec futura; et

De malo 2. Notandum.

---

[1] Vers. 19.

[2] Vers. 12, ubi post *peccatum* Vulgata addit *in hunc mundum.* — Rabanus: Per assensum autem serpentinae suggestionis mortis sententiae subiiciebamur.

[3] Libr. XIV. Moral. c. 21. n. 25: Caput quippe iniquorum diabolus est.

[4] Prout sententia eius in Glossa *ordinaria* ponitur.

[5] Supra 2, 25. — Seq. Glossa est *interlinearis.*

[6] Vers. 26. — Subinde respicitur Hebr. 11, 35. seqq.: Alii autem distenti sunt etc.

[7] Vers. 24, ubi Vulgata *data* pro *tradita.* — Sequuntur Iob 1, 12: Ecce, universa quae etc.; Ps. 90, 1; Ioan. 10, 28.

[8] Nempe *interlinearis* (Rabanus: *perpetuae mortis*). — Sequuntur Iob 5, 19. et 24, 19; Ps. 10, 7.

[9] Vers. 24, ubi pro *transiit* Vulgata *transit;* Augustinus in Ioan. Evang. tr. 22. n. 3: In iudicium non *veniet*, sed *transiit* a morte ad vitam.

[10] Libr. XIII. de Civ. Dei. c. 4. in fine.

[11] Psalm. 16, 11. — Seq. locus est Iob 11, 17.

ideo talibus videntur prorsus mori, sed oculis *sapientium* videntur nasci, propter quod obitus Sanctorum vocatur *natale*, secundum illud Iob undecimo: « Cum te consumtum putaveris, orieris ut lucifer ». *Et aestimata est*, scilicet ab impiis, *afflictio*, scilicet sola sine aliqua utilitate, *exitus illorum*, de corpore, cum tamen sit eis consolatio, secundum illud ad Philippenses primo [1]: « Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo »; Bernardus: « Sancti habent mortem in desiderio, vitam in patientia ». Reprobis autem est *afflictio exitus* suae mortis, et hoc, quia, ut dicit idem Bernardus, « est eis dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu ».

(Vers. 3.). *Et ab itinere iusto*, id est a via iustitiae, *abierunt in exterminium* [2]; Glossa: « Id est reputatione malorum », quia « palmam martyrii afflictionem putant et exterminium », id est secessum in nihilum quoad animam, quam putant in nihilum redigi; et repete: *abierunt iusti*, reputatione impiorum, *in iter exterminii*, id est incinerationem, quantum ad corpus; quod exterminium sive iter exterminii, *est a nobis*, id est a primis parentibus; ad Romanos quinto [3]: « Per unum hominem mors intravit in mundum ». Vel: *exterminium* vocat mortem temporalem, quia excludit a vita praesenti; *iter* autem *exterminii* vocat mortem aeternam, quia excludit a vita aeterna; Baruch tertio [4]: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt ». Et cum hoc ibi transitur vel itur a poena mortifera in poenam mortiferam, secundum illud Iob vigesimo quarto: « Ab aquis nivium transiet ad calorem nimium ». Tales errant sic aestimando; unde infra quinto: « Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore ». *Illi autem sunt in pace*; Glossa [5]: « Perpetuae quietis, nunc in spe, tandem in re »; Apocalypsis decimo quarto: « Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis ». Terminus enim iustorum est pax; unde Isaiae trigesimo secundo: « Erit opus iustitiae pax ».

Aliter.

Et si coram hominibus etc. Hic tangitur liberatio a malo *praesentis vexationis*, et primo liberatio *in spe*; secundo *in re*, ibi: *In paucis vexati* etc.; tertio *causa* utriusque, ibi: *Quoniam Deus tentavit eos* etc. De malo 3 tripliciter.

(Vers. 4. 5.). Dicitur ergo: *Etsi*, pro quamvis, *coram hominibus*; Glossa [6]: « Quia coram Deo corona gloriae »; *tormenta passi sunt*, scilicet varia et gravia, ut patet in Martyribus, de quibus ad Hebraeos undecimo: « Lapidati sunt, secti sunt » etc. *Spes illorum*, scilicet iustorum, secundum illud Proverbiorum decimo quarto: « Iustus sperat in morte sua »; *immortalitate plena est*, immortalitate, inquam, non qualis fuit immortalitas *primorum parentum*, scilicet cum possibilitate moriendi; non qualis *damnatorum* in inferno, scilicet cum moriendi perpetuo desiderio; Apocalypsis nono [7]: « Desiderabunt mori, et fugiet ab eis mors »; non qualis *parvulorum* in limbo, scilicet cum defectu vitae gloriosae, sed qualis *Beatorum* in caelo; ad Romanos quinto: « Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei ». — Et merito sperant, quia, *in paucis vexati*, Glossa [8]: « Corporaliter »; *in multis bene disponentur*; Matthaei vigesimo quinto: « Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam »; Lucae vigesimo secundo: « Ego dispono vobis regnum » etc. Quae autem sint ista multa, dicitur Isaiae sexagesimo quarto: « Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti exspectantibus te ». De liberatione in spe. Notandum. De ipsa in re.

Sed dubitatur de hoc quod dicit: *In paucis vexati* etc., quia dicitur ad Hebraeos undecimo [9]: « Lapidati sunt, secti sunt » etc. Quaestio.

Dicendum, quod multa fuerunt eorum tormenta in se, sed pauca in comparatione: primo in compa- Resp.

---

[1] Vers. 23. — Sententia prima, quae Bernardo tribuitur, et quam in ipsius operibus invenire non potuimus (cfr. tamen Serm. 3. in Vigil. Nat. Domini, n. 2. seqq.; Serm. 21. in Cantic. n. 1. seqq. et Serm. 72. n. 6. seqq.), iam exhibetur ab August., in I. Epist. Ioan. tr. 9. n. 2: De ipso desiderio dicebat quidam in Psalmo [6, 4.]: *Et tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, et erue animam meam.* Gemebat se diferri. Sunt enim homines, qui cum patientia moriuntur; sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem... Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus [Phil. 1, 23.], *dissolvi et esse cum Christo*, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est, cum patientia hic non amare vitam, sed tolerare. *Dissolvi*, inquit, *et esse cum Christo multo magis optimum; manere autem in carne necessarium propter vos.* — Secunda Bernardi sententia habetur in Serm. de Diversis, sermo 28, ubi exponens illud Iob 24, 19: *In sex tribulationibus* etc. (cfr. supra explicatio v. 1.) sub n. 5. ait: Veniet quidem mors, ipsa enim est septima tribulatio; sed somnus erit dilectis Domini, et ecce, hereditas eius; erit ianua vitae, erit initium refrigerii, erit sancti illius montis scala et ingressus in locum tabernaculi admirabilis... *In septima* itaque *non tanget te malum*; malum utique triplex, quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulant perfecte interim liberari... Manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriae magni Dei.

[2] Ita legunt etiam Card. Hugo a S. Charo et Lyranus et addunt *et quod a nobis est iter exterminii*; Vulgata tantum habet: *Et quod a nobis est iter, exterminium.* — Duae Glossae seqq. sunt *interlineares*; secunda (palmam etc.) est ex Rabano et exhibetur a Lyrano ad v. 2: *Visi sunt oculis insipientium* etc. — Paulo inferius e codd. supplevimus *quoad animam... redigi.*

[3] Vers. 12: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors etc.

[4] Vers. 19. — Sequuntur Iob 24, 19. [Vulgata *transeat; transiet* pro *transibit* interdum usurpatur] et Sap. 5, 4.

[5] Scilicet *interlinearis* (secundum Rabanum). — Sequuntur Apoc. 14, 13. et Isai. 32, 17.

[6] Nempe *interlinearis*. — Sequuntur Hebr. 11, 37. et Prov. 14, 32.

[7] Vers. 6. — Seq. locus est Rom. 5, 2.

[8] Scilicet *interlinearis*. — Subinde allegantur Matth. 25, 23; Luc. 22, 29: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; Isai. 64, 4.

[9] Vers. 37.

Comparatio quintuplex.

ratione *suae reputationis*, secundum illud Genesis vigesimo nono [1]: « Videbantur ei », scilicet Iacob, « dies pauci prae amoris magnitudine ». Secundo, *passionis Christi;* Threnorum primo: « O vos omnes, qui transitis per viam »! item in Psalmo: « Absorpti sunt iuncti petrae », scilicet Christo, « iudices eorum », id est ipsi Apostoli et alii Martyres. Tertio, in comparatione *futurae mercedis;* ad Romanos octavo [2]: « Non sunt condignae passiones » etc.; item, secundae ad Corinthios quarto: « Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis ». Quarto, in compáratione *aeternae afflictionis;* Iob sexto: « Qui timet pruinam, irruet super eum nix ». Quinto, in comparatione *debiti* et *obligationis*, id est poenae debitae propter *omissa* et obligationis propter *commissa;* Psalmus [3]: « Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi »?

Quoniam Deus tentavit eos etc. Hic tangitur

De causa utriusque triplici.

causa praedictorum, et primo eorum *castigatio;* secundo, eorum *purgatio*, ibi: *Tanquam aurum in fornace* etc.; tertio, *futura remuneratio*, ibi: *Et in tempore erit* etc.

Bene dixi, quod *in multis bene disponentur,*

De prima.

quoniam Deus tentavit eos; Glossa [4]: « Id est, castigavit variis tribulationibus »; secundae ad Corinthios sexto: « Ut castigati et non mortificati ».

Sed contra: « Deus neminem tentat », ut ha-

Quaestio.

betur Iacobi primo [5].

Dicendum. quod non tentat ad *addiscendum,*

Resp.

ut homo; Danielis primo [6]: « Tenta nos, obsecro » etc.; nec ad *decipiendum*, ut diabolus; Matthaei quarto: « Accedens tentator dixit ei » etc.; item primae ad Corinthios septimo: « Ne tentet vos satanas »; sed ad *erudiendum*, ut magister discipulum; Psalmus: « Proba me, Domine, et tenta me » etc.

Et invenit eos dignos se, scilicet « participatione beatitudinis suae [7] », quae per tribulationes acquiritur; unde Actuum decimo quarto: « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum »; item Tobiae tertio: « Si in probatione fuerit, coronabitur ».

(Vers. 6.). *Tanquam aurum in fornace proba-*

De secunda.

vit illos, scilicet ex parte animae, eos per ignem tribulationum purgando, sed non consumendo; Glossa [8]: « Sicut aurum in fornace non uritur, sed probatur, ita Martyres non deficiunt, sed ad gloriam praeparantur »; Ecclesiastici secundo: « In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis », quae scilicet est per tribulationes praesentes; Iob vigesimo tertio: « Probavit me quasi aurum, quod per ignem transiit ». *Et quasi holocausti hostiam*, quae tota incenditur in sacrificio dominici corporis; *accepit eos,* scilicet ex parte corporis, eorum devotionem approbando vel acceptando; ad Romanos duodecimo [9]: « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem ». *Et in* De tertia.

tempore, scilicet retributionis; Glossa: « Non est perpetua mors Sanctorum, sed in die iudicii copiosa remuneratio »; *erit respectus illorum*, id est, respicientur a Deo, scilicet oculo misericordiae, quod petebat Psalmista [10] dicens: « Respice in me et miserere mei ». *Respectus*, inquam, *eorum*, id est iustorum, qui modo videntur *derelinqui* a Deo, secundum illud Psalmi: « Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti »? item, *contemni*, secundum illud Psalmi: « Quare faciem tuam avertis »?

Fulgebunt iusti etc. Postquam egit de libera- Secundo, de praemiatione in triplici bono.

tione a malo, hic subdit de *praemiatione in bono*, primo, quantum ad *stolam corporis;* secundo, quantum ad *honorem iudiciariae potestatis*, ibi: *Iudicabunt nationes* etc.; tertio, quantum ad *gloriam divinae fruitionis*, ibi: *Qui confidunt in illo* etc.

(Vers. 7.). Bene dixi, quod *erit in tempore re-* Primo, quoad stolam corporis.

spectus illorum, quia *fulgebunt iusti*, scilicet dote *claritatis* in iudicio quoad substantiam corporis, secundum illud Matthaei decimo tertio [11]: « Tunc iusti fulgebunt sicut sol »; sol autem fulgebit septempliciter quam modo; unde Isaiae trigesimo: « Erit lux lunae ut lux solis, et lux solis erit septempliciter ». *Et tanquam scintillae discurrent*, id est ad discurrendum habiles per dotem *agilitatis*, et hoc quoad operationem vel motum corporis, secundum illud Isaiae quadragesimo: « Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae »; Augustinus [12]: « Ubi voluerit spiritus, protinus erit et corpus ». *Tanquam scintillae*, inquam, *in arundineto*, quod incendunt et consumunt. *Arundinetum* vocat

---

[1] Vers. 20. — Sequuntur Thren. 1, 12. et Ps. 140, 6. Substituimus *Martyres* pro *maiores*.

[2] Vers. 18. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 4, 17; Iob 6, 16.

[3] Psalm. 115, 12. — Paulo superius pro *omissa* edd. *dimissa*.

[4] Nempe *interlinearis*. — Seq. locus est II. Cor. 6, 9.

[5] Vers. 13.

[6] Vers. 12. — Sequuntur Matth. 4, 3; I. Cor. 7, 5; Ps. 25, 2. — De his cfr. II. Sent. d. 21. a. 2. q. 1. et dub. 3.

[7] Ita Glossa *interlinearis*. — Sequuntur Act. 14, 21. et Tob. 3, 21, ubi pro *probatione* A et 1 *tentatione*.

[8] Nempe *interlinearis*, sumta ex Rabano. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 2, 5. et Iob 23, 10, ubi Vulgata *transit*.

[9] Vers. 1. — Rabanus: Sicut holocaustum, quod totum per ignem offertur Deo, est sacrificium acceptissimum, ita et passio Martyrum per calorem fidei et fervorem caritatis Domino oblata munus illi exstat gratissimum et donum pretiosissimum. Unde per Psalmistam [Ps. 115, 15.] dicitur: *Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. Ibid. Rabanus exhibet Glossam, quae paulo inferius ponitur et apud Lyranum est *interlinearis*. Superius pro *corporis* edd. *animae*.

[10] Psalm. 85, 16. — Sequuntur Ps. 21, 2. et 43, 24.

[11] Vers. 43. — Duo seqq. loci sunt Isai. 30, 26. et 40, 31.

[12] Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 1: Certe, ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus. — Glossa *ordinaria:* « Scintilla duo facit, scilicet mutat cito arundinetum et vindicat ». *Interlinearis:* Ignis, qui arundinetum cito consumit, subitam Sanctorum mutationem et vindictam celerem reproborum demonstrat. Cfr. Rabanus in hunc locum. — Inferius pro *simulationem* edd. *similitudinem*.

hic collegium reproborum, quia est exterius per simulationem splendidum, interius veritate vacuum, nullo fructu boni operis onustum, palude carnalis concupiscentiae assidue irrigatum, a vento superbiae agitatum, aeternae combustioni aptum. In hoc *arundineto* dicuntur Sancti *discurrere*, eos conculcando; Malachiae ultimo [1]: « Calcabitis impios ». In *scintilla* vero quatuor dotes corporis notari possunt, scilicet propter igneam *claritatem*, *subtilitatem*, *agilitatem*, et *virtutem activam*, per quam impassibilitas potest intelligi.

(Vers. 8.). *Iudicabunt nationes.* Hoc specialiter dicitur de Sanctis perfectis, qui *iudicabunt* et non iudicabuntur. Quatuor enim ordines erunt in iudicio, ut dicit Glossa super illud Psalmi [2]: « Non resurgent impii in iudicio ».

Secundo, quoad iudiciariam potestatem.

Sed quomodo iudicabunt Sancti, cum scriptum sit Ioannis quinto [3]: « Pater omne iudicium dedit Filio »?

Quaestio.

Dicendum, quod est iudicium *auctoritatis*, quo iudicabit tota Trinitas; *disceptationis*, quo solus Christus homo; *assessoriae dignitatis*, quo soli Sancti perfectiores; *approbationis*, quo omnes boni; *comparationis*, quo boni, id est minus mali; Matthaei duodecimo [4]: « Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam ».

Resp.

Et dominabuntur populis, scilicet post iudicium; Apocalypsis quinto [5]: « Regnabimus super terram », id est terrenos. Vel: *dominabuntur populis*, post mortem; Matthaei decimo quinto: « Catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum », id est nos de beneficiis Beatorum. *Et regnabit*, cum eis, vel in eis, *Dominus illorum*, scilicet Christus; Apocalypsis decimo nono: « Rex regum » etc.; *in perpetuum;* Lucae primo: « Regni eius non erit finis »; Psalmus: « Regnum tuum, regnum omnium saeculorum ».

Qui confidunt in illum. Hic tangit *gloriam fruitionis;* et hanc tangit in tribus, scilicet in *cognitione veritatis*, in *inhaesione bonitatis*, ibi: *Et fideles in dilectione;* in *perfectione comprehensionis*, ibi: *Quoniam donum et pax est* etc.

Tertio, quoad gloriae fruitionem tripliciter.

(Vers. 9.). Dicit ergo: *Qui confidunt* etc., quasi dicat, non solum iudicabunt, sed etiam *qui confidunt in illum*, scilicet Deum, in praesenti, secundum illud Psalmi [6]: « Qui confidunt in Domino sicut mons Sion »; *intelligent veritatem*, aperta visione; primae Ioannis tertio: « Videbimus eum, sicuti est »; Glossa: « Secundum confidentiam veram datur intellectus veritatis ». *Et fideles in dilectione*, id est fideliter illum diligentes et inseparabiliter, sicut Apostolus, qui dicebat: « Quis nos separabit a caritate Christi » etc., ad Romanos octavo [7]; Ecclesiastici sexto: « Amico fideli nulla est comparatio »; *acquiescent illi;* Glossa: « Quia in futuro ab eius societate non poterunt avelli, quem hic fide et spe iam tenebant ». Succedet ergo intelligentiae fidei quies in Deo per dilectionem. *Quoniam donum;* Glossa [8]: « Aeternae satietatis »; Psalmus: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua »; item: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae ». *Et pax*, « aeterna », secundum Glossam; Isaiae trigesimo secundo: « Sedebit populus meus in pulcritudine pacis »; item ad Philippenses quarto: « Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum »; *est electis eius*, Sanctis, quos Deus elegit de hoc mundo; Ioannis decimo quinto: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos de mundo ». — Potest etiam hoc exponi de *merito praesenti*, quod consistit in cognitione veritatis per fidem, in conformitate humanae et divinae voluntatis per amorem, ita quod *donum* referatur ad fidei cognitionem, et *pax* ad amoris tranquillitatem.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Aliter.

Secundo provocat ad iustorum similitudinem per status oppositi reprobationem tripliciter.

Impii autem, secundum quae cogitaverunt etc. Hic ponit *oppositi status reprobationem;* et primo ostendit, falsum esse impiorum errorem de *sua impunitate;* secundo, erroneam esse eorum opinionem de *praemio continentis vitae*, ibi: *Quoniam felix est sterilis;* tertio, de *supplicio incontinentiae*, ibi: *Filii autem adulterorum* etc.

Divisio.

In prima parte tangit primo eorum *punitionem in se ipsis;* secundo, *aequitatem punitionis*, ibi: *Sapientiam enim et disciplinam* etc.; tertio, *punitionem exuberantem etiam in suis*, ibi: *Mulieres eorum insensatae* etc.

Primo, error de sua impunitate. Tanguntur tria.

(Vers. 10.). Sequitur igitur: *Impii autem* etc. Bene dixi, quod iusti sic praemiabuntur; *autem*, pro sed; *impii, secundum quae cogitaverunt*, id est merito malarum cogitationum, locutionum et opera-

Expositio litteralis. De ipsorum punitione in se.

---

[1] Vers. 3. — De seq. propositione cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. sect. I. a. 2. q. 1. in corp.

[2] Psalm. 1, 5. — Glossa *ordinaria* in hunc locum: In iudicio quatuor erunt ordines: alii iudicabunt et non iudicabuntur, ut perfectissimi; alii nec iudicabunt nec iudicabuntur, ut damnati infideles; alii iudicabuntur et salvabuntur, ut mediocriter boni; alii iudicabuntur et peribunt, ut fideles mali. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XLVII. c. 3, ubi ex Gregorio similis distinctio affertur.

[3] Vers. 22.

[4] Vers. 41. — Cfr. de his IV. Sent. d. 47. a. 1. q. 1. seq. et d. 48. a. 1. q. 1.

[5] Vers. 10. — Sequuntur Matth. 15, 27; Apoc. 19, 16; Luc. 1, 33. [A et 1 allegant Isai. 9, ubi v. 7: Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis etc.] et Ps. 144, 13.

[6] Psalm. 124, 1. — Sequuntur I. Ioan. 3, 2, et Glossa *interlinearis* (secundum Rabanum).

[7] Vers. 35. — Sequuntur Eccli. 6, 15, et Glossa *interlinearis* (secundum Rabanum).

[8] Nempe *interlinearis*, quae cum nostris edd. et codd. habet *aeternae societatis;* sed ex Rabano substituimus meliorem lectionem *aeternae satietatis*. Seq. Glossa etiam est *interlinearis*, quae tamen pro *aeterna* substituit secundum Rabanum *perpetua*. — Subinde allegantur Ps. 16, 15. et 35, 9; Isai. 32, 18. seq.; Phil. 4, 7. et Ioan. 15, 16. (v. 19. habentur verba *de mundo*).

tionum ex malis eorum cogitationibus procedentium; *habebunt correptionem*, « id est poenam », ut dicit Glossa [1]; unde dicit: « Cum iusti intrabunt in requiem, impii ibunt in supplicium aeternum ». *Qui neglexerunt iustum*, neutraliter, « id est iustitiam »; vel masculine, *iustum*, « id est ipsum Deum », secundum Glossam, et hoc bonum omittendo; Ieremiae quadragesimo octavo [2], secundum aliam litteram: « Maledictus, qui facit opus Domini negligenter »; Seneca: « Gravis iactura est, quae per negligentiam fit ». *Et a Domino recesserunt*, malum aperte committendo; Ieremiae secundo: « Scito et vide, quia malum et amarum est, te dereliquisse Deum tuum »; *malum*, propter poenam damni; *amarum*, propter poenam sensus; Glossa dicit: « A Domino recedunt qui disciplinam et sapientiam abiiciunt »; hoc autem valde malum.

De aequitate punitionis.

(Vers. 11.). *Sapientiam enim* etc. *Enim*, id est quia; *qui abiicit*, Glossa [3]: « Male operando », *sapientiam*, de aeternis, *disciplinam*, de temporalibus; vel potius: *sapientiam*, fidei, *disciplinam*, morum; *infelix est*, scilicet persona eius, id est felicitate indignus. Sed econtra « beatus homo, qui invenit sapientiam », Proverbiorum tertio; et ideo ibidem: « Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias »; item ad Hebraeos duodecimo: « Noli negligere disciplinam Domini ». *Et vacua est*, scilicet effectu, *spes illorum*, praesens; Glossa [4]: « Qua putabant, temporalia fore aeterna, et peccata fore impunita »; Ecclesiastici trigesimo quarto: « Vana spes et mendacium homini insensato ». *Et labores*, in sustinendo, *sine fructu*; Glossa: « Mercedis aeternae »; Ecclesiastae decimo: « Labor stultorum affliget eos ». Econtra iusto dicitur [5]: « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit ». Ex hoc patet, quod vita impiorum laboriosa est; unde infra quinto: « Ambulavimus vias difficiles », sed infructuosas; unde Habacuc secundo: « Laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum et deficient ». *Et inutilia opera eorum*, in agendo; *inutilia*, « quia caelestem habitationem non merentur », ut dicit Glossa [6]; ad Galatas quinto: « Qui talia agunt regnum Dei non consequentur ».

Notandum.

— Ex praedictis patet, quod tales consequentur quatuor mala, quae sunt: personae infelicitas, spei vacuitas, laboris infructuositas, operis inutilitas sive opus demeritorium.

De punitione exuberante.

(Vers. 12. 13.). *Mulieres* etc., quasi dicat: non solum ipsi, sed et *mulieres*, id est uxores, *eorum insensatae sunt*, id est sapientia carentes; *et nequissimi filii eorum*, quia paterni sceleris imitatores, sceleris, inquam, in se et in proximum et in Deum, et ideo nequissimi. — *Maledicta creatura eorum*, « id est factura, secundum Glossam [7]; sapientia enim quae Deus benedicendo creavit non maledicit, sed operationem reproborum maledictione aeterna dignam esse ostendit ».

Expositio allegorica.

Secundum Glossam [8] haec *allegorice* de haereticis exponi possunt, ut dicamus: *Mulieres*, « id est carnales voluptates, vel pravae interpretationes vel dogmata »; et *filii*, « id est opera prava »; et *creatura eorum*, id est discipuli. — Vel: *maledicta creatura*, non simpliciter, sed *eorum*, in quantum venit in abusum eorum.

Alia expositio litteralis.

Secundo, error de praemio continentis vitae.

Quoniam felix est sterilis etc. Hic ostendit *praemium continentis vitae*, quod reprobi putabant nullum esse; et primo illud ostendit ex parte sexus *feminei;* secundo, ex parte sexus *virilis: Et spado* etc.

Expositio litteralis. Primo.

Dicit igitur: *Quoniam* etc., quasi: bene dixi, quod mulieres eorum et filii ex eorum luxuria procreati sunt maledicti, quoniam e contrario *felix sterilis*, id est casta corpore; et ponit *consequens* pro *antecedente; et incoinquinata*, mente; Lucae vigesimo tertio [9]: « Beatae steriles et ventres, qui non genuerunt »; *quae nescivit*, scientia experientiae, *torum in delicto*, « adulterii », dicit Glossa. Quantum autem sit peccatum adulterii, tangitur in Ecclesiastico versus finem quasi per totum, et Proverbiorum sexto: « Non grandis culpa est, cum quis furatus fuerit » etc.; et infra: « Qui autem adulter est propter cordis inopiam perdet animam suam ». — Glossa [10] etiam hoc exponit de *adulterio spirituali*, dicens: « *Felix* anima casta et continens, quae nec haeresi nec idololatria polluitur ». *Habebit fructum;* Glossa: « Aeternae beatitudinis fructum », scilicet vel trigesimum, qui debetur coniugatis, vel sexagesimum, qui viduis, vel centesimum, qui virginibus. De hoc multiplici fructu dicitur in parabola

Expositio Glossae.

---

[1] Scilicet *interlinearis* (ex Rabano), quae post *requiem* addit *cum populo Sanctorum Altissimi*. Eadem Glossa verba *qui neglexerunt iustum* duplici modo exponit, scil. *iustitiam, vel ipsum Deum*.

[2] Vers. 10. Pro *negligenter*, quod exhibent septuaginta interpretes (qui etiam pro *opus* substituunt *opera*), Vulgata *fraudulenter*. — Seneca, Epist. 1: Turpissima tamen est iactura, quae etc. Subinde allegantur Ier. 2, 19, ubi Vulgata vocibus *Deum tuum* praefigit *Dominum;* Glossa *interlinearis* ex Rabano ad v. 11.

[3] Nempe *interlinearis*. — De differentia inter *sapientiam* et *disciplinam* cfr. supra pag. 108, nota 7. Tres seqq. loci sunt Prov. 3, 13. et 11; Hebr. 12, 5.

[4] Scilicet *interlinearis* (secundum Rabanum): Qui putant temporalia etc.; etiam seq. Glossa est *interlinearis* (Rabanus: *sine fructu futurae mercedis*). — Sequuntur Eccli. 34, 1, ubi pro *homini* Vulgata *viro;* Eccle. 10, 15.

[5] Psalm. 127, 2. — Duo seqq. loci sunt Sap. 5, 7. et Habac. 2, 13. — Fide codd. supplevimus *Ex hoc patet, quod vita impiorum laboriosa est*.

[6] Nempe *interlinearis* (secundum Rabanum, qui pro *inutilia opera* legit *inhabitabilia opera*). — Sequitur Gal. 5, 21.

[7] Scilicet *ordinariam*, quae sumta est ex Rabano.

[8] Nempe *interlinearem* (secundum Rabanum).

[9] Vers. 29. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis;* subinde allegantur Eccli. 42, 9. seqq.; Prov. 6, 30. et 32.

[10] Scilicet *interlinearis* (sumta ex Rabano); eadem est Glossa seq.

de semine Lucae octavo [1]: « Et ortum fecit fructum, aliud centuplum » etc. *In respectione animarum sanctarum;* Glossa: « In die iudicii, quando Deus respiciet animas sanctas eas remunerando, et ipsae respicient eum contemplando ».

Secundo.

(Vers. 14.). *Et spado* etc. Hic ex parte sexus *virilis* primo tangitur continentiae *meritum;* secundo *praemium,* ibi: *Dabitur* etc.; tertio, *ratio praemii: Bonorum enim* etc.

Continentiae meritum.

(Vers. 14.). Sequitur igitur: *Et spado,* « qui scilicet castravit se propter regnum caelorum », Matthaei decimo nono [2]. *Qui non operatus est per manus suas iniquitatem,* id est, peccatum incontinentiae non perpetravit opere, sed mundus est *corpore. Nec cogitavit adversus Deum nequissima,* id est, nec peccavit consensu vel voluntate, sed est mundus *corde;* utraque enim munditia requiritur; unde Augustinus [3]: « Ubi Dominus iudicans mentis corruptionem invenerit, simul et corporis incorruptionem damnabit ». *Spado,* inquam, talis, repete: *felix est,* modo in spe, sed tandem in re. *Dabitur enim illi,* in praesenti scilicet, *fidei donum electum; fidei,* inquam, quae in spe beatificat, secundum illud Ioannis vigesimo [4]: « Beati, qui non viderunt et crediderunt ». *Donum electum* vocat donum fidei, quia ex divina electione datur et homines electos facit; ad Philippenses primo: « Vobis donatum est, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini ». *Et sors,* id est portio in futuro, *in templo Dei;* Glossa [5]: « In caelo »; Psalmus: « Dominus in templo sancto suo; Dominus in caelo sedes eius ».

Ipsius praemium.

Sed contra: Quia Apocalypsis vigesimo primo [6]: « Templum non vidi in ea », scilicet in civitate superna.

Quaestio.

Dicendum, quod non est ibi templum materiale, sed spirituale.

Resp.

Acceptissima. Notandum, quod sors *accepta* est in bonis naturae, *acceptior* in bonis gratiae, *acceptissima* in bonis gloriae. Hoc est « datum optimum », de quo Iacobi primo [7].

(Vers. 15.). *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus;* Glossa [8]: « Id est aeternum gaudium »; primae ad Corinthios tertio: « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem ». *Et quae non concidat radix sapientiae,* intransitive; « sapientia enim est radix huius fructus ». Haec radix non concidit, quia « perpetuae salutis fructum affert », secundum Glossam [9]; Ecclesiastici primo: « Radix sapientiae timere Dominum ». Haec radix paucis est nota; Psalmus: « Non est timor Domini ante oculos eorum »; Ecclesiastici primo: « Radix sapientiae cui revelata est »?

Praemii ratio.

Filii autem adulterorum etc. Hic determinat *poenam incontinentiae,* quam putabant reprobi nullam esse, et primo tangitur poena eis infligenda *in futuro;* secundo, inflicta *in hoc mundo,* ibi: *Et si quidem;* tertio, *poenae ratio,* ibi: *Nationes* etc.

Tertio, error de poena incontinentiae.

(Vers. 16.). Dicit igitur: *Filii* etc. Bene dixi, quod continentes remunerabuntur; *autem,* pro sed; *filii adulterorum,* imitatores scilicet paternae incontinentiae; *in consummatione* [10] *erunt,* « id est aeterna consumtione », secundum Glossam; Exodi vigesimo: « Vindicans peccata patrum in filios », scilicet imitatores paterni sceleris. *Et ab iniquo toro,* scilicet adulterii, *semen,* supple: productum, *exterminabitur;* Glossa: « In futuro », quando scilicet extra terminos terrae viventium proiicientur; unde Baruch tertio: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt ». Glossa [11] vero aliter exponit de *filiis* et *semine,* id est de discipulis haereticorum, quibus comminatur hic poenam sensus et poenam damni, quia adulterant verbum Dei. De talibus dicitur secundae ad Corinthios secundo: « Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei ».

Primo, de poena futura.

Alia expositio.

(Vers. 17.). *Et si quidem longae vitae erunt,* scilicet in hoc mundo, *in nihilum computabuntur,* scilicet sine ullo valore in se; Augustinus [12]: « Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant ». Vel: *in nihilum computabuntur,* secundum Glossam: « Id est, memoria eorum in aeternum benedictione carebit ». *Et sine honore,* scilicet ab aliis

Secundo, de ipsa infligenda in mundo.

---

[1] Vers. 8. — De triplici hoc fructu cfr. tom. IV. pag. 754, nota 6. — Seq. Glossa est *interlinearis* (secundum Rabanum).

[2] Vers. 12: Et sunt eunuchi [spadones], qui se ipsos castraverunt propter etc.

[3] August. pluribus in locis (quos affert Gratian., Causa 32. q. 5. c. 3. seqq.) docet, pudicitiam corporis, mente inviolate servata, violari non posse; ex his locis per oppositionem elici potest sententia, quae hic proponitur (cfr. etiam IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. in fine). Verba autem exhibentur ab Isidor., II. Sent. c. 40. n. 7: Ubi enim iudicans mentem corruptam invenerit, carnis procul dubio incorruptionem damnabit. Cfr. Gregor., VI. in I. Reg. 15, 3. c. 1. n. 10. — Pro *incorruptionem* edd. *corruptionem.*

[4] Vers. 29. — Seq. locus est Phil. 1, 29.

[5] Nempe *interlinearis.* — Sequitur Ps. 10, 5.

[6] Vers. 22. [7] Vers. 17.

[8] Scilicet *interlinearis,* sumta ex Rabano. — Sequitur I. Cor. 3, 8.

[9] Rabanus: « *Gloriosus* nimirum *bonorum laborum est fructus,* quia aeternum gaudium et requies certa illos sequitur, nec ea germina doctrinarum seu actionum, quae ex radice verae processerunt sapientiae, unquam habent casum, sed perpetuae salutis afferent fructum ». Ex his formata est haec Glossa *interlinearis:* Vere *gloriosus est fructus,* quia sapientia est radix huius fructus, id est vitae aeternae, quae sapientia non aufert, sed confert vitam. — Sequuntur Eccli. 1, 25; Ps. 13, 3. et Eccli. 1, 6.

[10] Ita etiam card. Hugo a S. Charo et Lyranus; Vulgata: *in inconsummatione;* Rabanus: *in consummationem* (ed. Migne). — Duae seqq. Glossae sunt *interlineares* et allegantur Exod. 20, 5: Visitans iniquitatem patrum etc., et Baruch 3, 19.

[11] Scilicet *interlinearis* (ex Rabano): Discipuli haereticorum, qui verbum Dei adulterant. — Sequitur II. Cor. 2, 17.

[12] In Ioan. Evang. tr. 1. n. 13. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis* (ex Rabano).

exhibito; primi Regum secundo [1]: « Qui contemnunt me erunt ignobiles ». *Sine honore*, inquam, *erit novissima senectus illorum*, quae tamen deberet esse reverenda; unde Levitici decimo nono: « Honora personam senis »; item hic infra capitulo quarto: « Senectus venerabilis est, non diuturna neque annorum numero computata ».

(Vers. 18. 19.). *Et si celerius defuncti fuerint*, scilicet morte praeoccupati, secundum illud Psalmi [2]: « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos ». *Non habebunt spem*, id est rem speratam post mortem, scilicet vitam aeternam, quia « spes impiorum peribit », Proverbiorum decimo. *Nec in die agnitionis*, scilicet universalis, quae erit in iudicio, secundum Glossam [3]. Dies autem iudicii dicitur *dies agnitionis* quoad *bonos*, quia tunc a Deo agnoscentur, sicut fratres Ioseph ab ipso, Genesis quadragesimo quinto. Item, quoad *malos*, quia occulta eorum cognoscentur; primae ad Corinthios quarto: « Illuminabit abscondita tenebrarum » etc. Item, quoad *ipsum Deum*, quia a Sanctis cognoscetur; primae ad Corinthios decimo tertio: « Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum ». Item, quoad *Christum hominem*, quia tunc a cunctis aperte videbitur; Isaiae quadragesimo [4]: « Videbit omnis caro, quod os Domini locutum est »; item eiusdem quinquagesimo secundo: « Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri »; item Apocalypsis primo: « Videbit eum omnis oculus ». Item, quoad *ipsum mundum*, in quo tunc nihil latebit vel abscondetur, secundum illud Psalmi: « Revelata sunt fundamenta orbis terrarum ». *Nec in die*, inquam, *agnitionis*, repete: *habebunt, allocutionem*, id est blandam vel consolatoriam, sed asperrimam licentiam; unde Matthaei vigesimo quinto [5]: « Discedite a me, maledicti » etc. — *Nationes* [6] *enim iniquae*, id est iniquitatis actores vel imitatores, *dirae sunt consummationis*, id est finis, scilicet asperitatem poenae habent in *fine*, quidquid sit de *principio*, vel de *medio*, quia [7]:

Dies agnitionis quinque modis.

Tertio, de poenae ratione.

Non eodem cursu respondent ultima primis;

Ecclesiastici quadragesimo primo [8]: « Filiorum peccatorum periet hereditas, et cum semine illorum assiduitas opprobrii ».

Capitulum IV.

Tertio, de iustitia hominis ad se ipsum agitur duplici comparatione.

O quam pulcra est etc. Hic agit de iustitia hominis *ad se ipsum*. Commendat autem iustitiam, reprobat iniustitiam, comparando statum iustorum statui iniustorum primo *ante iudicium*, scilicet in hoc capitulo; secundo, *in iudicio*, capitulo sequenti.

Primo comparatur status iustorum statui iniustorum ante iudicium tripliciter.

Ante iudicium tripliciter: primo, quantum ad statum *vitae praesentis;* secundo, quantum ad statum *mortis: Iustus si morte;* tertio, quantum ad statum *post mortem: Condemnat* etc.

Primo, quoad statum vitae praesentis dupliciter.

In prima parte primo ostenditur status iustorum commendabilis *ex se;* secundo, *ex status oppositi*, scilicet iniustorum, *reprobatione: Multigena* etc. — Statum iustorum primo commendat a *decore;* secundo, ab *immortalitate: Immortalis est* etc.; tertio, ab *aedificatione: Cum praesens* etc.; quarto, a *remuneratione: Et in perpetuum* etc.

Primo, status commendabilis ex se.

(Vers. 1.). *O quam pulcra* etc., quasi dicat: ita dixi [9], « quod nationes impiorum sunt dirae consummationis »; sed *o quam pulcra* etc., admirando hoc dicit; *pulcra*, « quantum ad opera »; *casta generatio*, « quantum ad innocentiam mentis »; *cum claritate*, « quantum ad virtutum nitorem », secundum Glossam [10]. Canticorum quarto: « Tota pulcra es, amica mea » etc.; item Lucae duodecimo: « Sint lumbi vestri praecincti », per innocentiam, « et lucernae ardentes », per virtutum nitorem; « et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum », per bonorum operum sollicitudinem. Et bene dixi, quod *pulcra est*, scilicet pulcritudine spirituali. *Immortalis enim est memoria illius*, per felicem recordationem; Proverbiorum decimo [11]: « Memoria iusti cum laudibus ». *Quoniam et apud Deum nota est*, per approbationem; secundae ad Timotheum secundo: « Novit Dominus, qui sunt eius ». *Et apud homines*, scilicet

Expositio litteralis. Primo, a decore.

Secundo, ab immortalitate.

---

[1] Vers. 30. — Sequuntur Levit. 19, 32. et Sap. 4, 8.

[2] Psalm. 54, 24. — Sequitur Prov. 10, 28.

[3] Nempe *ordinariam: In die agnitionis*, id est iudicii [Rabanus: *hora videlicet universalis iudicii*], quando electi a iudice suo agniti ad regnum possidendum invitabuntur; mali autem nulla spe restaurationis consolabuntur, sed in aeternum cruciandi a conspectu summi regis expellentur. — Sequuntur Gen. 45, 1; I. Cor. 4, 5. et 13, 12.

[4] Vers. 5; ibid. 52, 10. est seq. locus; duo seqq. loci sunt Apoc. 1, 7. et Ps. 17, 16.

[5] Vers. 41. — *Licentia*, id est *dimissio* (Ducange).

[6] Ita Rabanus, Card. Hugo et Lyranus, qui etiam paulo inferius exhibent *consummationis;* Vulgata vero: *Nationis enim iniquae dirae sunt consummationes.*

[7] Ut habetur in Dionys. Catonis I. Distich. 18.

[8] Vers. 9.

[9] In fine cap. praecedentis (v. 19.).

[10] Nempe *ordinariam.* — Sequuntur Cant. 4, 7; Luc. 12, 35. et 36.

[11] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt II. Tim. 2, 19: Cognovit Dominus qui etc., et Eccli. 44, 15.

ratione utentes et sapientes per laudem seu laudis continuationem; Ecclesiastici quadragesimo quarto: « Sapientiam », scilicet Sanctorum, « ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia ».

(Vers. 2.). Et bene dixi, quod *immortalis est* etc. Tertio, ab aedificatione. *Cum* enim *praesens est*, « scilicet in vita praesenti [1] », *illam imitantur*, quasi exemplar pulcherrimum; ad Philippenses tertio: « Imitatores mei estote ». *Et desiderant eam*, scilicet iustorum pulcram et castam generationem videre, scilicet ad imitandum; *cum se eduxerit*, de vita ista per mortem; Iob nono: « Transierunt quasi naves poma portantes », quae scilicet post suum transitum relinquunt odorem; Canticorum primo: « Curremus in odorem unguentorum tuorum ».

Notandum, quod iustos educit Deus de vita praesenti Notandum. *effective*, secundum illud Psalmi [2]: « Educ de custodia », scilicet de carcere, « animam meam ». Ipsi autem educunt se ipsos *consentiendo*, vel hoc *desiderando* et *petendo;* in Psalmo: « Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei »?

Et in perpetuum coronata, scilicet corona vi- Quarto, a remuneratione. tae perpetuae; Apocalypsis secundo [3]: « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae ». *Triumphat*, id est triumphando acquirit, *praemium incoinquinatorum certaminum*, id est, quod debetur certaminibus incoinquinatis, id est non inquinatis per defectum perseverantiae; *praemium*, inquam, *vincens*, praemium datum pro certamine certatorio, ut dicit Glossa [4]; unde primae ad Corinthios nono: « Illi, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam ». Vel: *praemium vincens*, id est superans magnitudinem persecutionum, secundum illud ad Romanos octavo: « Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis »; unde Glossa: « Praemium, quod maius est illis certaminibus et persecutionibus, quas sustinuerunt in praesenti ».

Multigena etc. Hic tangit *statum iniustorum* Secundo, commendabilis ex iniustorum reprobatione. reproborum, ipsum [5] vituperando, primo *in se ipsis;* secundo *in ramis: Et si in ramis;* tertio *in fructibus: Et fructus;* quarto *in posteris: Ex iniquis* etc.

(Vers. 3.). *Multigena autem* etc., quasi dicat: Primo, vituperatur in ipsis. talis *est pulcra et casta* iustorum *generatio. Autem*, pro sed; *multigena multitudo impiorum* etc.; Ecclesiastae primo [6]: « Stultorum infinitus est numerus ». Tangit autem hic triplicem pluralitatem seu Quoad tria. multitudinem impiorum in tribus verbis, scilicet quia spargitur per diversos errores quoad *rationalem*, contra quod Iacobi tertio [7]: « Nolite plures magistri fieri »; item, per diversos appetitus quoad *concupiscibilem;* Osee decimo: « Divisum est cor eorum, nunc interibunt »; item, per diversa odia quantum ad *irascibilem;* Michaeae tertio: « Ierusalem in acervum lapidum erit », id est sine cemento caritatis. Primam tangit vel innuit per hoc quod dicit: *Multigena*, id est multos generans errores; secundam, per hoc quod dicit: *Multitudo*, quasi sine caritatis unitate vel vinculo; tertiam, per hoc quod dicit: *Impiorum*, pluraliter, id est sine pietate, sed cum multa crudelitate. *Multigena*, inquam, *multitudo impiorum non erit utilis*, « immo nociva », ut dicit Glossa [8]; Isaiae trigesimo: « Non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium ».

Sed contra: « Quia, sicut dicit Augustinus [9], si Quaestio. pauciores essent mali quam boni, non auderent exercere bonos »; hoc autem exercitium est bonis utile, quia dicit Gregorius, quod « Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet ». Item in Psalmo [10]: « Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores », scilicet coronam perpetuam mihi.

Sed dicendum, quod hanc utilitatem non con- Resp. sequentur iusti ex impiorum intentione, quia non intendent eis prodesse; sed ex sua bonitate, vel ex sua bona voluntate, malis eorum bene utente.

Et spuria vitulamina non dabunt radices al- Lectio Rabani et Vulgatae. *tas* etc. Ita habet littera Rabani et omnium antiquorum; item Ambrosius in quadam epistola [11] dicit quibusdam: « Vos estis nobilia vitulamina », id est nobiles plantationes. Sed Augustinus dicit, quod melius diceretur *adulterinae plantationes;* et propter hoc remansit in textu *adulterinae plantationes* in novis Bibliis.

---

[1] Ut exponit Glossa *interlinearis*. Rabanus: Haec [generatio] in praesenti vita per sacra exempla bonorum operum fructum gignit et ad regnum caeleste translata dignam sui recordationem posteris relinquit etc. — Sequuntur Phil. 3, 17; Iob 9, 26: Pertransierunt etc.; Cant. 1, 3.

[2] Psalm. 141, 8; ibid. 41, 3. est seq. locus, in quo pro *fontem* Vulgata *fortem*.

[3] Vers. 10.

[4] Nempe *interlinearis* (ex Rabano): Non erit scilicet dolor de peracto certamine, quia persecutionum magnitudinem praemium vincet (his ultimis verbis insinuantur verba Glossae paulo inferius allegatae). — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 9, 25. et Rom. 8, 18.

[5] Cod. A *reprobationem ipsam*.

[6] Vers. 15.

[7] Vers. 1. — Sequuntur Osee 10, 2. et Mich. 3, 12: Ierusalem quasi acervus lapidum erit; cfr. Ier. 26, 18: Ierusalem in acervum etc.

[8] Scilicet *interlinearis* (ex Rabano): *Non erit utilis*, sed nociva. — Sequitur Isai. 30, 5.

[9] Serm. 15. (alias 254. de Tempore) c. 9. n. 9: Nec mihi volo dicas: Saltem, si necesse esset propter exercitationem nostram, ut essent mali, pauci essent mali, et boni multi essent. Non attendis, quia, si pauci essent, multis non nocerent? Utique considera, vir prudens, quia, si multi boni essent, et pauci mali essent; pauci mali multis bonis nocere non auderent. Si non auderent, non exercerent. — Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 9. n. 22: Tolerandi ergo ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia etc. Cfr. XX. Moral. c. 39. n. 75. et II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 7.

[10] Psalm. 128, 3.

[11] Epist. 37. n. 36: Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquar, quae tanquam nobilia vitulamina pullulantes ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt? — Verba August. vide supra pag. 31, nota 6.

Notandum. Notandum autem, quod *vitulamina* sunt plantae infructuosae, quae nascuntur iuxta truncum vitis, unde dicitur *vitulamen* a *vite*[1]; vel secundum quosdam dicitur a *vitulo*, quia talis planta nascitur in terra *vitulis* sive bobus arata. *Spurius* autem dicitur idem quod ignobilis vel degenerans; unde *spuria vitulamina*, id est plantationes degenerantes vel innaturales, et *adulterinae plantationes*, id est generationes impiae, de spirituali adulterio natae, scilicet per propagationem impietatis multiplicatae; Matthaei duodecimo[2]: « Generatio mala et adultera signum quaerit ».

Non dabunt radices altas; in se, id est cogitationes et affectiones in caelum tendentes, sed in terra defixas. Homo enim secundum Philosophum[3] est arbor eversa; unde radices suas debet mittere et figere sursum, scilicet suum intellectum et affectum; unde in Psalmo[4]: « Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper »; item: « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem »; item: « Domine, ante te omne desiderium meum »; item ad Colossenses tertio: « Quae sursum sunt quaerite », scilicet investigando intellectu; « quae sursum sunt sapite », saporando affectu; Psalmus: « Gustate et videte ». *Nec stabile firmamentum*, vel fundamentum, scilicet rectae fidei ad Deum, *collocabunt;* fides enim est velut fundamentum spiritualis aedificii; unde ad Hebraeos undecimo[5]: « Fides est substantia rerum sperandarum » etc.; primae ad Corinthios tertio: « Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus », id est fides de Christo Iesu. — Aliter secundum Glossam[6] exponitur de haereticis et eorum discipulis.

Alia expositio.

Secundo, in ramis. (Vers. 4.). Sequitur: *Et si in ramis*, id est exterioribus bonis etc. Tales erant rami illius Babylonicae arboris, scilicet Nabuchodonosor, Danielis quarto[7]. *In tempore germinaverunt*, id est, ad tempus modicum aliquod boni principium ostenderunt, secundum illud Isaiae decimo octavo: « Immatura perfectio germinabit ». *Infirmiter posita*, « id est ad horam », ut dicit Glossa[8]; vel: *infirmiter posita*, id est debiliter in bono radicata, *a vento commovebuntur*, id est a tentatione leviori, secundum illud Ezechielis decimo septimo: « Nonne, cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur »? *Et a nimietate ventorum*, id est persecutione graviori, *eradicabuntur;* Glossa[9]: « Penitus evellentur »; Matthaei decimo quinto: « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur ».

(Vers. 5.). *Confringentur enim rami inconsummati*, scilicet sine spe reparationis a persecutione gravissima; Iob decimo quinto[10]: « Ramos eius arefaciet flamma »; vel: *confringentur enim rami inconsummati*, id est doctrinae eorum vel operationes carentes caritatis perfectione; ad Colossenses tertio: « Super omnia caritatem habete, quae est vinculum perfectionis ». *Et fructus illorum*, scilicet proprii, id est opera eorum mala, secundum illud Matthaei septimo[11]: « Arbor mala fructus malos facit »; *inutiles*, ut non reficiant; Isaiae quinquagesimo nono: « Opera eorum opera inutilia ». *Et acerbi ad manducandum*, ut non delectent, sed torqueant; Deuteronomii trigesimo secundo: « Uva eorum, uva fellis et botrus amarissimus »; Ezechielis decimo octavo: « Patres comederunt uvam acerbam » etc. *Et ad nihilum apti*, ut in nullo de se proficiant; Ezechielis decimo quinto: « Cum esset integrum, non erat aptum ad opus; quanto magis, cum ignis illud devoraverit ».

Tertio, in fructibus.

Quarto, in posteris. (Vers. 6.). *Ex iniquis* etc., quasi diceret: vere *multigena multitudo impiorum non erit utilis* etc. *Ex iniquis enim omnes*[12] *filii, qui nascuntur*, non solum nativitate propagationis, sed etiam imitationis, de qua Ioannis octavo[13]: « Vos ex patre diabolo estis ». *Testes sunt nequitiae adversus pa-*

---

[1] Du Cange, Glossarium etc., haec affert: Necesse est ergo spirituali cultro succidere spuria vitulamina. Vitulamen planta illa infructuosa, quae nascitur a radice vitis.

[2] Vers. 39.

[3] Libr. II. de Anima, text. 38. (c. 4.), ubi Empedoclem impugnans dicit: « Neque enim *sursum* et *deorsum* bene accipit; non enim idem *sursum* et *deorsum* omnibus et ipsi universo, sed ut caput animalium, sic radices plantarum sunt, si congruit instrumenta dicere diversa et eadem operibus ». Averroes, in hunc locum: Natura enim *capitis* in animalibus est natura *radicis* in plantis, cum habeant easdem actiones; et secundum actiones est dicendum, quod partes animalium et plantarum et instrumenta [organa] eorum sunt convenientia aut diversa in natura. Cfr. tom. V. pag. 503, nota 6, ubi eadem sententia ex quadam Glossa derivatur. — B *est arbor inversa;* A *est anthropos, id est arbor transversa* (!). Isidor., XI. Etymolog. c. 1. n. 5: Nam proprie *homo* ab *humo*. Graeci autem hominem ἄνθρωπον appellaverunt, eo quod sursum spectet [ἀναθρεῖν et ὤψ], sublevatus ab humo ad contemplationem artificis sui etc. (secundum Lactant., II. de Div. Instit. c. 1; cfr. Ambros., VI. Hexaëm. c. 8. n. 46.).

[4] Psalm. 18, 15; ibid. sunt duo seqq. loci Ps. 121, 2. et 37, 10; tertius est Col. 3, 1. seq.; quartus Ps. 33, 9.

[5] Vers. 1. — Sequitur I. Cor. 3, 11.

[6] Tam *ordinariam*, quam *interlinearem*, quae ex Rabano sumta est et ab ipso ita ponitur: *Multigena* quippe et multiplex haereticorum doctrina *non erit utilis*, sed nociva; nec superflua illorum argumenta, quae signant *spuria vitulamina*, habent radicem veritatis, ideo stabilimentum non habent fortitudinis, sed a vento persecutionum sive examine districti iudicii attacti, cito a sua firmitate decidunt; unde et sequitur: *Et si in ramis... Ramos* nominat sententias scripturarum perversarum; et *fructus* sensus ipsarum sententiarum... *Filios* iniquorum autem discipulos etc.

[7] Vers. 7. seqq., ubi narratur somnium regis Nabuchodonosor de excelsa arbore praecisa (Succidite arborem et praecidite ramos eius etc.). — Sequitur Isai. 18, 5.

[8] Scilicet *interlinearis*. — Seq. locus est Ezech. 17, 10.

[9] Nempe *interlinearis*. — Sequitur Matth. 15; 13

[10] Vers. 30. — Seq. locus est Col. 3, 14. — E codd. supplevimus: *scilicet sine spe... inconsummati.*

[11] Vers. 17. — Sequuntur Isai. 59, 6; Deut. 32, 32; Ezech. 18, 2. et 15, 5.

[12] Vulgata nunc recte *somnis* cum textu Graeco.

[13] Vers. 44. — Sequuntur Sap. 6, 4: Virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur; Matth. 12, 36: Omne verbum otiosum... reddent rationem de eo in die iudicii; Sap. 1, 9.

rentes, per pravitatis similitudinem, *in interrogatione sua*, id est in iudicii divini examinatione, quoniam Deus iustus iudex « interrogabit *opera* » eorum, infra capitulo sexto; item eorum *verba;* Matthaei duodecimo: « De omni verbo otioso » etc.; item eorum *cogitationes;* supra capitulo primo: « In cogitationibus impii interrogatio erit » etc.

Expositio allegorica.

Allegorice exponit hoc Glossa [1] de haereticis, qui sunt *multigena multitudo*, quia per diversas sectas diversorum haeresiarcharum dividuntur; qui *inutiles* sunt Ecclesiae, immo nocivi, quia eam persequuntur. *Adulterinae plantationes* sunt eorum discipuli, qui ex eorum doctrina erronea generantur. *Radices altas non dant*, quia in Christo Deo et homine non collocantur. Eorum *rami* sunt instabiles, quia, si quid boni habere videntur, tempore persecutionis ab Ecclesia evelluntur. *Fructus eorum inutiles*, quia doctrinis eorum et expositionibus homines simplices invenenantur. *Filii* eorum *sunt testes nequitiae adversus parentes*, quia ex multiplicatione discipulorum errores magistri gravius damnabuntur.

Secundo, quoad statum mortis tripliciter.

Divisio.

Iustus autem etc. Hic ponit comparativam commendationem iustorum quoad *statum mortis;* et primo ostenditur hic, non esse Sanctis damnosa temporalis mortis *acceleratio;* secundo subditur *accelerationis ratio*, ibi: *Placens Deo;* tertio populi aspicientis *stulta opinio: Populi autem videntes.*

Expositio literalis. Primo, de mortis acceleratione.

(Vers. 7.). *Iustus autem* etc., quasi dicat: sic est de iniquis; *autem*, pro sed; *iustus si morte praeoccupatus fuerit*, id est accelerata ante tempus morte praeventus, secundum illud Isaiae trigesimo octavo [2]: « Dum adhuc ordirer, succidit me ». Bene dixit: *praeoccupatus*, quia subita morte, id est improvisa, non potest mori iustus, quia dicitur in Psalmo de persona iusti: « Providebam Dominum in conspectu meo semper » etc.; item: « Anima mea in manibus meis semper », quasi dicat: paratus sum reddere eam, quandocumque Deo placuerit, quod ego moriar. *Iustus*, inquam, *si praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, scilicet aeternae quietis; Psalmus: « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium ».

(Vers. 8. 9.). *Senectus enim* etc., quasi dicat: nec obest praeoccupatio aetatis; *senectus enim venerabilis* etc.; Glossa [3]: « Non aetas corporis, sed vitae maturitas et morum probitas laudatur »; *venerabilis*, inquam, id est digna veneratione apud Deum et Angelos et homines iustos; *est non diuturna*, multitudine dierum; Iob trigesimo secundo: « Non sunt longaevi sapientes »; *nec numero annorum computata*, id est nec multitudine annorum. « Puer enim centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit », Isaiae sexagesimo quinto. *Cani enim sunt sensus hominis*, id est loco canorum; Glossa [4]: « Quasi: bene est canus qui bene est sensatus », secundum illud Danielis decimo tertio: « Tibi dedit Deus honorem senectutis », id est discretionem et sapientiam, quae solet esse in senibus, secundum illud Iob duodecimo: « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia »; item Ecclesiastici vigesimo quinto: « Corona senum multa peritia ». — *Et aetas senectutis*, id est aetatis vicem supplens, *vita immaculata*, « quasi dicat: bene est senex mundus et simplex [5] »; Proverbiorum decimo sexto: « Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperietur ».

Secundo, eiusdem rationes.

Placens Deo etc. Hic ponitur multiplex ratio accelerandae mortis, quarum prima est *iustorum dignitas;* secunda, *mortis utilitas: Raptus est* etc.; tertia, *vitae periculositas: Fascinatio* etc.; quarta, *temporis opportunitas: Consummatus* etc.; quinta, beneplacita *Dei voluntas: Placita* etc.

Ratio prima.

(Vers. 10.). *Placens Deo*, scilicet per veram fidem, secundum illud ad Hebraeos undecimo [6]: « Sine fide impossibile est placere Deo »; *factus dilectus*, propter perfectam dilectionem, secundum illud Proverbiorum octavo: « Ego diligentes me diligo »; *et vivens*, scilicet per gratiam, non moriens per culpam; *inter peccatores*, scilicet impollutus, quod valde magnum est, cum scriptum sit in Psalmo [7]: « Cum perverso perverteris »; sed iustus quasi lilium inter spinas, quia nec amittit suae puritatis candorem nec suae famae odorem; Canticorum secundo: « Sicut lilium inter spinas » etc. *Translatus est*, de exilio huius mundi ad patriam caelestem, de morte ad vitam, de certamine ad coronam.

Translatio triplex.

Notandum, quod multiplex est *translatio:* prima, de culpa in *gratiam;* primae Ioannis tertio [8]: « Nos scimus, quia translati sumus de morte », scilicet culpae, « ad vitam », gratiae, « quoniam diligimus fratres ». Secunda, de gratia imperfecta ad *perfectam gratium;* secundae ad Corinthios tertio: « Transformamur in eandem imaginem a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu ». Tertia, de gratia perfecta ad *gloriam;* de qua hic: *Translatus est.*

Secunda.

(Vers. 11.). *Raptus est*, quasi dicat: non solum *translatus* est, sed *raptus*, quia cito mortuus et

---

[1] Cfr. supra pag. 133, nota 6.

[2] Vers. 12. — Sequuntur Ps. 15, 8; 118, 109. et 65, 12.

[3] Nempe *interlinearis*, ex Rabano, ubi pro *vitae* ponitur *mentis*. — Duo seqq. loci sunt Iob 32, 9. et Isai. 65, 20: Quoniam puer centum etc.

[4] Scilicet *interlinearis*. — Post *cani* Vulgata *autem* pro *enim*. Sequuntur Dan. 13, 50; Iob 12, 12. et Eccli. 25, 8.

[5] Glossa *interlinearis:* Quasi: bene est senex qui mundus est [et?] simplex. — Sequitur Prov. 16, 31.

[6] Vers. 6. — Subinde post *factus* Vulgata interserit *est*, quod deest in card. Hugone. Seq. locus est Prov. 8, 17.

[7] Psalm. 17, 27. — Sequitur Cant. 2, 2.

[8] Vers. 14. — Subinde allegatur II. Cor. 3, 18.

quasi praeter naturae debitum per violentiam sublatus. Est autem *raptus* Sanctorum *in vita* sua; unde secundae ad Corinthios duodecimo [1]: « Scio hominem ante annos quatuordecim raptum » etc.; et *in morte*, de quo hic: *Raptus est* etc.; et *post mortem*, de quo primae ad Thessalonicenses quarto: « Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra ». *Raptus est*, inquam, *ne malitia*, id est aperta iniquitas, *mutaret intellectum eius*, ipsum a veritate et sinceritate fidei avertendo; *aut ne fictio*, id est simulata aequitas, de qua Augustinus [2]: « Simulata aequitas non est aequitas, sed duplex iniquitas, quia est iniquitas et simulatio ». *Ne fictio*, inquam, *deciperet*, id est corrumperet, *animam illius*, scilicet affectum eius a dilectione Dei avertendo; secundae ad Corinthios undecimo: « Timeo, ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri ».

Triplex raptus.

(Vers. 12.). *Fascinatio enim* etc., quasi dicat: bene erat ei necesse, ut sic raptus esset etc.; *fascinatio enim nugacitatis*, ab *exteriori*, id est nugax et adulatoria laudatio, secundum quod homines maligni dicuntur laudando pueros fascinare ipsos; *obscurat bona*, scilicet iustorum, etsi non destruat illa; *obscurat*, inquam, quia facit, non videri defectus et imperfectiones ipsorum bonorum, et per hoc superbire de ipsis; ad Galatas tertio [3]: « O insensati Galatae! quis vos fascinavit » etc.; primae ad Corinthios decimo quinto: « Corrumpunt bonos mores colloquia prava ». *Et inconstantia concupiscentiae*, ab *interiori*, scilicet concupiscibilis, quae facit hominem inconstantem; Iacobi primo: « Vir duplex animo », scilicet qui partim sequitur rationem, partim sensualitatem, « inconstans est in omnibus viis ». *Inconstantia*, inquam, *concupiscentiae*, id est concupiscibilis, *transvertit*, scilicet de bono in malum, *sensum sine malitia*, id est prius bonum et simplicem; Iacobi primo: « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ».

Tertia.

(Vers. 13.). *Consummatus in brevi*, id est perfectus in gratia modico tempore; Isaiae decimo [4]: « Consummatio abbreviata inundabit iustitiam »; *explevit tempora multa*, scilicet expletione *meriti*, quia acquisivit tempore parvo meritum, quod alii acquirunt per multa tempora; vel: expletione *praemii*, quia adeptus est aeternitatem, quae perfectione superat tempora multa.

Quarta.

(Vers. 14. 15.). *Placita enim erat Deo anima eius*; ecce, causa consummationis, scilicet gratia et dilectio divina. *Placita*, inquam, per fidem cordis intus et mansuetudinem morum exterius; Ecclesiastici primo [5]: « Beneplacita est Deo fides et mansuetudo ». *Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, id est de mundo, qui plenus est iniquitate; primae Ioannis quinto: « Totus mundus in maligno positus est ».

Quinta.

Populi autem; Glossa [6]: « Persecutores »; *videntes*, « poenam », *et non intelligentes*, « futuram gloriam », *nec ponentes in praecordiis*, id est intus in corde, quamvis aliquando audiant praedicari; Isaiae quinquagesimo septimo [7]: « Iustus perit, et non est qui recogitet »; *talia*, scilicet, quae consequuntur; supra capitulo tertio: « Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace ». — *Quoniam gratia Dei*, scilicet ad bene operandum; primae ad Corinthios decimo quinto [8]: « Non ego, sed gratia Dei mecum »; *et misericordia est in Sanctos eius*, ad liberandum de malis; Ecclesiastici ultimo: « Liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui »; *et respectus in electos illius*, scilicet ad praemium consequendum; Glossa: « Id est condigna retributio ». Et nota, quod *sancti* dicuntur per praesentem iustitiam; *electi*, per aeternam praedestinationem, secundum illud ad Ephesios primo [9]: « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate ».

Tertio, de populi stulta opinione.

Notandum.

Tertio, quoad statum post mortem quadrupliciter.

Condemnat autem etc. Hic ponitur comparativa commendatio iustorum quantum ad *statum post mortem*; et primo, in comparatione impiorum [10] adhuc *viventium*; secundo, in comparatione *morientium*: *Et erunt post haec* etc.; tertio, *mortuorum*: *Quoniam disrumpet* etc.; quarto, *resurgentium*: *Venient in cogitationibus peccatorum* etc.

In prima parte tangitur primo impiorum a iustis *condemnatio*; secundo, *condemnationis ratio*: *Videbunt enim finem sapientis.*

Commendatio prima respectu viventium.

(Vers. 16.). *Condemnat autem iustus mortuus vivos impios*; Glossa [11]: « Martyr persecutores suos », scilicet comparatione melioris facti, sicut Ninivitae, Matthaei duodecimo. *Et iuventus celerius consum-*

Expositio litteralis. Primo, condemnatio.

---

[1] Vers. 2. — Sequitur I. Thess. 4, 17.

[2] Enarrat. in Ps. 63. n. 11. — Seq. locus est II. Cor. 11. 3.

[3] Vers. 1. — Sequuntur I. Cor. 15, 33, ubi pro *prava* Vulgata *mala*; Iac. 1, 8. et 14: Unusquisque vero tentatur etc. — Rabanus: *Fascinat* enim, hoc est gravat, qui adulando impedit, vel laudando decipit.

[4] Vers. 22. — Inferius edd. omittunt perperam *tempore parvo*, quod codd. praebent. Rabanus: Licet in brevi... laudabilem expenderunt [Martyres] vitam, tamen ipsa mors pro annosa aetate eis deputatur, quia aeternam illis peperit vitam.

[5] Vers. 34. et 35: Et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo. — Sequitur I. Ioan. 5, 19.

[6] Nempe *interlinearis*. Rabanus: Nequaquam ergo *persecutores* Martyrum potuerunt agnoscere *futuram gloriam*, quae illis successit, sed putaverunt, eos cum *poenis* corporum simul deficere etc.

[7] Vers. 1. — Sequitur Sap. 3, 2. — Superius ex A substituimus *aliquando audiant* pro *aliunde audiant*.

[8] Vers. 10. — Sequuntur Eccli. 51, 4, et Glossa *interlinearis*.

[9] Vers. 4.

[10] Edd. perperam *iustorum*.

[11] Nempe *interlinearis*. — Subinde respicitur Matth. 12, 41: Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam etc.

mata, scilicet hominis iusti, *longam vitam iniusti;* Glossa [1]: « Id est persecutoris », quia plus boni fecit tempore modico quam ille multo, unde districtius iudicabitur; Apocalypsis secundo: « Dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret, et non vult poenitere ». etc.

(Vers. 17.). *Videbunt* etc. Hic ponitur duplex *ratio* praedictae *condemnationis*, scilicet *ignorantia* et *contemptus. Primam* ponit dicens: *Videbunt enim*, scilicet impii, *finem*, « id est mortem », ut dicit Glossa [2]; *sapientis;* Glossa: « Id est Martyris »; unde de Martyre legitur illud Ecclesiastici decimo quarto: « Beatus vir, qui in sapientia morabitur ». *Et non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus*, « id est, quod ei cogitaverit dare in futuro, secundum Glossam [3], vitam aeternam »; Proverbiorum vigesimo octavo: « Viri mali non cogitant iudicium ». *Et quare munierit illum Dominus*, scilicet in praesenti; Glossa: « Armis fidei », secundum illud ad Ephesios sexto: « In omnibus sumentes scutum fidei »; item: « Induite vos armaturam Dei ».

Secundo, ipsius ratio prima.

(Vers. 18.). Deinde ponit *secundam rationem* dicens: *Videbunt* eum, quasi dicat: et quia haec non intelligunt, *videbunt* eum, Glossa [4]: « Mori »; *et contemnent illum*, unde infra capitulo quinto: « Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum » etc.; item Iob duodecimo: « Deridetur iusti simplicitas ». Sic contempserunt Iudaei Christum morientem.

Secundo.

Illos autem, scilicet impios, *Dominus irridebit;* Glossa [5]: « In iudicio », id est, dignos irrisione iudicabit ut fatuos; Psalmus: « Qui habitat in caelis irridebit eos » etc. Nec solum in iudicio generali, sed etiam in particulari, id est *in morte;* unde Proverbiorum primo: « Ego quoque in interitu vestro ridebo » etc.

(Vers. 19.). *Et erunt post haec*, scilicet post bonorum persecutionem et Domini irrisionem, id est, postquam bonos in praesenti afflixerint, et ipsi a Deo in morte derisi fuerint; *erunt decidentes*, id est deorsum per casum mortis in infernum cadentes; Psalmus [6]: « Quemadmodum olera herbarum cito decident ». *Sine honore*, id est societatis beatorum; *et in contumelia*, scilicet confusionis reproborum; *inter mortuos;* Glossa: « Damnatos »; *in perpetuum*, id est sine fine; Ieremiae vigesimo tertio: « Dabo vos in opprobrium sempiternum et in contumeliam sempiternam, quae nunquam oblivione delebitur ».

Commendatio secunda respectu morientium.

Quoniam disrumpet etc. Hic tangitur commendatio iustorum in comparatione impiorum *mortuorum;* et primo tangitur *separatio a corpore;* secundo, *evulsio a mundo: Et commovebit;* tertio, *exclusio a gloria: Et usque ad summum*, vel *supremum;* quarto, *detrusio in poenam: Et erunt gementes;* quinto, *deletio ab hominum memoria: Et memoria eorum peribit*, vel *periet.*

Item tertia respectu mortuorum.

(Vers. 19.). Sequitur igitur: *Quoniam disrumpet* etc. Bene dixi, quod *erunt decidentes* etc., *quoniam disrumpet illos*, « scilicet Dominus », secundum Glossam [7]; Osee decimo tertio: « Dirumpam interiora iecoris eorum ». *Illos*, inquam, *inflatos*, vento superbiae; primae ad Corinthios quinto: « Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis ». *Sine voce*, « excusationis »; Matthaei vigesimo secundo: « At ille obmutuit ». *Et commovebit illos a fundamentis;* Glossa [8]: « Evertet vitam illorum, quam stabilem esse putabant »; Iob vigesimo secundo: « Qui sublati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamentum eorum ». *Et usque ad supremum desolabuntur*, id est in tantum, quod locum supremum amittent, id est usque ad hoc, quod a celsitudine gloriae excludentur, sicut fatuae virgines, quibus legitur quod « clausa est ianua », Matthaei vigesimo quinto [9]. *Et usque ad summum desolabuntur*, id est, punientur, quousque reddant quadrantem novissimum, id est poenam pro omni peccato, tam magno quam minimo; Matthaei quinto: « Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem ». Prima tamen expositio magis concordat cum divisione praedicta. *Et erunt gementes;* Glossa [10]: « In poenis; quia nulla consolatione relevabuntur ». *Et memoria eorum*, non quaecumque, sed felicis recordationis; *periet*, apud Deum et homines, secundum illud Psalmi: « Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum ».

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

(Vers. 20.). *Venient* tandem, scilicet in fine mundi; unde Glossa [11]: « Ad iudicium »; tunc enim de inferno exibunt. *Venient*, inquam, *in cogitatione peccatorum suorum*, remordente eos conscientia, *timidi*, de poena inferenda; infra capitulo quinto: « Videntes turbabuntur timore horribili ». *Et traducent illos;* Glossa [12]: « In ignem aeternum »; *ex adverso;* Glossa: « Accusantes eos », sicut adversarius accusat adversarium suum; *iniquitates ipsorum*, id

Item quarta respectu resurgentium.

---

[1] Scilicet *interlinearis*. — Sequitur Apoc. 2, 21.

[2] Haec et seq. Glossa est *interlinearis*. — Sequitur Eccli. 14, 22.

[3] Nempe *interlinearem:* « Quod scilicet sit daturus ei vitam aeternam »; seq. Glossa etiam est *interlinearis*. — Subinde allegantur Prov. 28, 5; Eph. 6, 16. et 11.

[4] Scilicet *interlinearis*. — Duo seqq. loci sunt Sap. 5, 3. et Iob 12, 4.

[5] Nempe *interlinearis*. — Sequuntur Ps. 2, 4. et Prov. 1, 26. — E codd. supplevimus *Nec solum... ridebo.*

[6] Psalm. 36, 2. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis*, et Ier. 23, 40, ubi pro *contumeliam sempiternam* Vulgata *ignominiam aeternam.*

[7] Scilicet *interlinearem*. Rabanus: *Disrumpet* enim illos Dominus superbia *inflatos, sine voce* excusationis, ita ut sint tunc per omnia inexcusabiles etc. — Sequuntur Osee 13, 8; I. Cor. 5, 2. et Matth. 22, 12.

[8] Nempe *interlinearis*. — Seq. locus est Iob 22, 16.

[9] Vers. 10; ibid. 5, 26. est seq. locus.

[10] Nempe *interlinearis*, ex Rabano. — Sequitur Ps. 33, 17.

[11] Scilicet *interlinearis*. Rabanus: In iudicium ergo *venient* impii conscientia *peccatorum suorum timidi*, quia cogitatus eorum accusant eos etc. — Subinde allegatur Sap. 5, 2.

[12] Haec et seq. Glossa est *interlinearis*. — Duo seqq. loci sunt Ier. 2, 19. et Rom. 2, 15. seq., ubi de gentibus, qui legem naturalem habent: Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus etc.

est peccata ab eis perpetrata corde, ore, vel opere; Ieremiae secundo: « Arguet te malitia tua ». Peccata autem dicuntur *accusare* reprobos, quia erunt materia accusationis et damnationis eorum; ad Romanos secundo: « Cogitationum inter se accusantium, aut etiam defendentium » etc.

Capitulum V.

Secundo comparatur status iustorum statui iniustorum in ipso iudicio quoad tria.

Divisio. *Tunc stabunt* etc. Hic comparat statum iustorum statui iniustorum *in ipso iudicio*. Et primo tangit iustorum constantem *accusationem;* secundo, reproborum coactam *confessionem: Videntes turbabuntur;* tertio, utrorumque iustam *retributionem: Iusti autem in perpetuum vivent.*

Primo, de iustorum accusatione.

Expositio literalis. (Vers. 1.). *Tunc stabunt* etc., quasi sic: Venient impii ad iudicium timidi; *tunc;* Glossa [1]: « Cum iudicabuntur populi », scilicet in die novissimo; et dicit *tunc*, indeterminate, quia « de die illa nemo scit », Matthaei vigesimo quarto; item Actuum primo: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate ». *Stabunt*, scilicet qui in praesenti visi fuerant cadere vel iacere; Lucae decimo sexto: « Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ». Econtra mali, qui nunc videntur stare, tunc iacebunt; Proverbiorum decimo quarto: « Iacebunt mali ante bonos ». *Stabunt*, inquam, *iusti in magna constantia*, id est constanter et audacter propter confidentiam, quam habebunt.

Rationes confidentiae 7. Ex septem confidentia Sanctorum in iudicio surget. Ex *iustitia* causae suae; Iob decimo tertio [2]: « Si fuero iudicatus, scio, quod iustus inveniar »; item in Psalmo: « Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam ». — Secundo, ex *sufficientia* seu copia probationum; habebunt enim paratam probationem per *scriptum instrumentum;* Iob trigesimo primo [3]: « Librum scribat ipse, qui iudicat » etc.; item Apocalypsis vigesimo: « Iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris »; item per *testes;* Iob decimo sexto: « Ecce, testis meus in caelo », scilicet ipse Deus; unde Ieremiae vigesimo nono: « Ego sum iudex et testis, dicit Dominus ». — Tertio, ex *fidelitate* advocatorum; primae Ioannis secundo [4]: « Advocatum habemus in caelo *Iesum Christum* »; item *Spiritum sanctum;* ad Romanos octavo: « Spiritus postulat » etc.; item *beatam Virginem;* unde clamamus: « Advocata nostra » etc. — Quarto, ex *impotentia* adversariorum, secundum illud Psalmi [5]: « Non resurgent impii in iudicio », scilicet ad accusandos iustos; Apocalypsis duodecimo: « Proiectus est accusator » etc. — Quinto, ex *amicitia* et affinitate iudicis ipsorum; Genesis trigesimo septimo [6]: « Caro nostra et frater noster est »; Bernardus: « Puto, spernere me non poterit, os ex ossibus meis et caro de carne mea ». — Sexto, ex *benevolentia* assessorum, id est Apostolorum; Matthaei decimo nono [7]: « Sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes » etc.; item Iob trigesimo sexto: « Pauperibus iudicium tribuit ». — Septimo, ex *familiaritate* officialium iudicis, scilicet Angelorum; Matthaei decimo tertio: « Exibunt Angeli et separabunt malos de medio iustorum ».

Adversus eos; Glossa [8]: « Persecutores suos », *qui se angustiaverunt;* Glossa: « In martyrio », eos personaliter affligendo; ad Hebraeos undecimo: « Angustiati, afflicti » etc. *Et qui abstulerunt labores illorum, corporales*, scilicet eos per violentiam spoliando, cum tamen Sancti gaudenter haec sustinuerint; unde ad Hebraeos decimo: « Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis ». Vel: *labores, spirituales*, eorum fructum auferre conando, scilicet provocando eos ad peccatum; de hoc fructu supra tertio [9]: « Bonorum laborum gloriosus est fructus ». Vel: *utrosque simul*, secundum Glossam: « Eorum scilicet labores corporales et spirituales vanos et stultos iudicando ».

Secundo, de reproborum confessione tripliciter.

Divisio. *Videntes turbabuntur* etc. Hic tangit reproborum coactam *confessionem;* et primo tangit *motivum* ad confessionem talem; secundo, confessionis *materiam: Hi sunt, quos aliquando;* tertio, confessionis suae *approbationem: Talia dixerunt* etc. —

---

[1] Nempe *interlinearis.* — Sequuntur Matth. 24, 36: De die autem illa et hora nemo scit; Act. 1, 7; Luc. 16, 20. et Prov. 14, 19.

[2] Vers. 18. — Seq. locus est Ps. 7, 9.

[3] Vers. 35. — Sequuntur Apoc. 20, 12; Iob 16, 20. et Ier. 29, 23.

[4] Vers. 1. — Subinde allegantur Rom. 8, 26; verba inferius posita *Advocata nostra* sumta sunt ex antiphona *Salve Regina* (Hermanni Contracti).

[5] Psalm. 1, 5. — Seq. locus est Apoc. 12, 10.

[6] Vers. 27. — Verba Bernardi habentur in Serm. in Cantic. serm. 2. n. 6; in ipsis allegatur Gen. 2, 23: Hoc nunc os ex ossibus etc.

[7] Vers. 28. — Sequuntur Iob 36, 6. et Matth. 13, 49.

[8] Haec et seq. Glossa est *interlinearis.* Rabanus: *Tunc* utique *stabunt iusti in magna constantia adversus* persecutores suos, qui eos poenis indebitis hic affecerunt et *labores* illorum quasi stultos vituperaverunt etc. — Sequuntur Hebr. 11, 37. et 10, 34.

[9] Vers. 15. — Glossa, quae est *interlinearis: Qui abstulerunt labores illorum*, stultos scilicet et vanos iudicaverunt. Cfr. nota praecedens.

Primo, de duplici confessionis motivo.

Motivum confessionis tangitur duplex, scilicet *afflictio* de vera bonorum felicitate, et *anxietas* de propria infelicitate· *Dicentes intra se* etc.

(Vers. 2.). Sequitur igitur: *Videntes;* Glossa [1]:

Primum.

« Se de gloria ad poenam perductos, et adversarios suos de poena ad coronam translatos »; *turbabuntur timore horribili;* Exodi decimo quinto: « Tunc conturbati sunt principes Edom »; item Ezechielis septimo: « Conturbatio super conturbationem veniet », scilicet conturbatio de afflictione reassumti corporis super conturbationem prius habitam de afflictione animae prius cruciatae in gehennalibus flammis. *Timore horribili,* scilicet propter constantiam suorum *accusatorum,* de quibus supra eodem [2]. Secundo, propter severitatem divinorum *iudiciorum,* iuxta illud ad Hebraeos decimo: « Horrendum est incidere in manus Dei viventis »; item infra sexto: « Horrende et cito apparebit vobis ». Tertio, propter praesentiam horribilium *tortorum;* Iob vigesimo:

Timor triplex.

Aliter.

« Vadent et venient super eum horribiles ». Vel sic: *Turbabuntur,* propter remordentem conscientiam; *timore,* propter iudicis irrevocabilem sententiam; *horribili,* propter suppliciorum praeparatorum et tortorum horribilium visam praesentiam. *Et mirabuntur in subitatione,* id est subita adeptione, *salutis,* scilicet iustorum, *insperatae,* id est non aestimatae ab ipsis impiis, speratae tamen a iustis, secundum illud Psalmi [3]: « In te speraverunt patres nostri » etc. *Gementes,* interius, *prae angustia spiritus,* ex consideratione gloriae et salutis illius, quam perdiderunt; primi Regum quarto: « Ingemuerunt Philisthiim, dicentes: Vae nobis » etc.

(Vers. 3.). *Dicentes intra se,* dictione interiori,

Secundum.

et non vacant exteriori [4] forte propter vehementiam doloris. *Poenitentiam agentes,* de malo, quod fecerunt; *poenitentiam,* sed tardam, sicut poenitentia divitis, de quo Lucae decimo sexto: « Pater Abraham, miserere mei » etc.; *agentes,* immo potius patientes. Haec est poenitentia desperationis, sicut poenitentia Iudae, de quo Matthaei vigesimo septimo [5] legitur, quod « poenitentia ductus retulit triginta argenteos ». *Et prae angustia spiritus gementes,* de malo poenae, quam incurrerunt; Isaiae sexagesimo quinto: « Prae contritione spiritus ululabitis » etc.

Secundo, de ipsius materia duplici.

Hi sunt, quos aliquando etc. Hic ponit *materiam* confessionis impiorum confitentium errorem proprium, primo circa *iustorum vitam;* secundo, circa *vitam propriam: Lassati* etc.

Primo, confessio quadruplicis erroris circa vitam iustorum.

In prima primo confitentur Sanctorum *contemptum* praeteritum et irrisionem; secundo, status illorum *reprobationem: Nos insensati* etc.; tertio, eorum tunc *praesentem exaltationem:* Ecce, *quomodo computati sunt;* quarto, *suum errorem: Ergo erravimus.*

De primo.

(Vers. 3.). *Hi,* scilicet irrisoria demonstratione digni secundum iudicium impiorum, *sunt, quos aliquando habuimus in derisum,* factis et signis; Iob duodecimo [6]: « Deridetur iusti simplicitas »; item in Psalmo: « Omnes videntes me deriserunt me » etc. *Et in similitudinem improperii,* improperando verbis; in Psalmo: « Improperia exprobrantium tibi ceciderunt super me ». Sed cum improperatur homini opus bonum, quod potius est materia laudis, non est verum improperium, sed similitudo improperii; propter quod dicitur hic: *in similitudinem improperii;* secundae ad Corinthios sexto [7]: « Per infamiam et bonam famam » etc.; Actuum quinto: « Ibant Apostoli gaudentes » etc.

De secundo.

(Vers. 4.). *Nos insensati* etc., insensatorum infantium more viventes; *insensati,* inquam, quia non sentiebamus de rebus, sicut erant; Ecclesiastici decimo sexto [8]: « In his omnibus insensatum est cor »; primae ad Corinthios decimo quarto: « Nolite esse pueri sensibus ». *Vitam illorum,* id est conversationem, quae erat in paupertate, labore, vilitate, ieiuniis etc.; *aestimabamus insaniam.* Sic David ab Achis reputatus est insanus, primi Regum vigesimo primo [9]; sic et Christus; Ioannis octavo: « Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemonium habes »? item Ioannis decimo: « Daemonium habet et insanit »; sic nuntius Elisei, quarti Regum nono: « Quid venit insanus iste ad te »? Osee nono: « Scitote, Israel, stultum prophetam et insanum virum spiritualem »; *stultum,* scilicet in temporalibus, et *insanum,* secundum iudicium mundanorum. *Et finem illorum,* id est mortem, *sine honore,* alicuius scilicet remunerationis; contra quod dicitur in Psalmo [10]: « Nimis honorati sunt amici tui, Deus »; item Ioannis duodecimo [11]: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus », qui in caelis est.

De tertio.

(Vers. 5.). *Quomodo* ergo *computati sunt inter filios Dei?* per gratiam; ad Romanos octavo [12]: « Non

---

[1] Scilicet *interlinearis* ex Rabano. — Duo seqq. loci sunt Exod. 15, 15. et Ezech. 7, 26.

[2] Vers. 1. — Sequuntur Hebr. 10, 31; Sap. 6, 6. et Iob 20, 25. — Inferius pro *tortorum* A *tormentorum.*

[3] Psalm. 21, 5. — Seq. locus est I. Reg. 4, 7. et 8. — Card. Hugo a S. Charo et Lyranus hunc et seq. versum sic exhibent: Videntes... insperatae salutis, *gementes prae angustia spiritus,* dicentes intra se [alias: dicent inter se], poenitentiam agentes et *prae angustia spiritus gementes.* Vulgata et Rabanus verba *gementes prae angustia spiritus* primo loco posita omittunt.

[4] Ita A; edd. legunt: *Dicentes intra se; inter se* [cfr. nota praecedens] *verior littera, scilicet dictione interiori,* omissis verbis *et non vacant exteriori.* — Subinde allegatur Luc. 16, 24.

[5] Vers. 3. — Seq. locus est Isai. 65, 14, post quem edd. addunt: *Et prae angustia etc. Haec non habet Rabanus, quia idem est supra.* Cfr. supra nota 3.

[6] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 21, 8. et 68, 10: Opprobria exprobrantium etc.

[7] Vers. 8. — Sequitur Act. 5, 41.

[8] Vers. 20. — Seq. locus est I. Cor. 14, 20.

[9] Vers. 14: Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum etc. — Sequuntur Ioan. 8, 48. et 10, 20; IV. Reg. 9, 11. et Osee 9, 7.

[10] Psalm. 138, 17: Nimis honorificati sunt etc.

[11] Vers. 26.

[12] Vers. 15. — Sequitur Ioan. 1, 12.

accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum » etc.; item Ioannis primo: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri » etc. *Et inter Sanctos sors illorum est*, id est portio gloriae, de qua in Psalmo [1]: « Portio mea, Domine, sit in terra viventium »; item ad Colossenses primo: « Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine ». Et haec sunt contra duo, quae dixerant; dixerant enim vitam Sanctorum insensatam et finem contumeliosum.

De quarto.

(Vers. 6.). *Ergo erravimus* etc. Concludunt sibi ipsis; unde verificatum est illud Psalmi [2]: « Infirmatae sunt contra eos linguae eorum ». *Erravimus*, inquiunt; falsa enim pro veris approbaverunt; Augustinus [3] autem dicit, quod « falsa pro veris approbare erroris proprium est »; Isaiae decimo nono: « Errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens ». *A via veritatis;* Glossa: « Evangelii divinae legis », ad *credendum;* Isaiae quinquagesimo tertio: « Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit ». *Et iustitiae lumen*, ad *operandum; iustitiae lumen*, intransitive, id est iustitia, quae lux est, secundum illud Psalmi [4]: « Lux orta est iusto »; item Proverbiorum quarto: « Iustorum semita quasi lux splendens » etc. *Non luxit nobis;* Isaiae quinquagesimo nono: « Exspectavimus lucem, et ecce tenebrae »! Haec fuit causa erroris eorum, sicut defectus luminis est causa deviationis. *Et sol intelligentiae*, scilicet ad *inflammandum;* Glossa [5]: « Christus, sol iustitiae, qui oritur timentibus Deum », ut habetur Malachiae ultimo; *non est ortus nobis*. Notandum, quod non est defectus ex parte solis, sed ex parte ipsorum in tenebris iacentium nec surgere volentium nec oculos aperire quaerentium; Psalmus [6]: « Supercecidit ignis », invidiae, « et non viderunt solem », iustitiae. Sol quidem materialis oritur bonis et malis, ut patet Matthaei quinto: « Qui solem suum oriri facit super bonos et malos », sed sol intelligentiae solis bonis oritur, ut patet hic.

Christus est sol. Ratio 1.

Christus autem dicitur *sol*, quia sol dicitur quasi solus lucens [7]; Christus autem *singulariter lucet*, id est prae omnibus aliis tanquam lux *mundi* et oculus; Ioannis primo: « Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », etiam illuminatione *cognitionis naturalis*. « Ipse enim est magister, qui cathedram habens in caelis, corda hominum docet in terris », ut dicit Augustinus [8]. Item Ioannis octavo: « Ego sum lux mundi ». — Item, quia illuminatione *lunae*, id est Ecclesiae; Ecclesiastici quinquagesimo: « Sicut luna plena in diebus suis lucet », scilicet ex irradiatione solis. — Item, quia est *fons totius caloris*, id est amoris spiritualis; Psalmus [9]: « In sole posuit tabernaculum suum »; et post: « Non est qui se abscondat a calore eius »; secundo Machabaeorum primo: « Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo; et accensus est ignis magnus » etc.; item Lucae duodecimo: « Ignem veni mittere in terram », id est calorem. — Item, quia ipse est *pater plantarum spiritualium*, id est totius pullulationis spiritualis; Ioannis decimo quinto: « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere ». — *Sol* autem *intelligentiae* dicitur, quia solo oculo intelligentiae lux eius apprehenditur, quia per eius radium, scilicet per spiritum intellectus, intelligentia illuminatur [10].

Notandum. Ratio 2. Ratio 3. Ratio 4. Sol intelligentiae.

Secundo, item quadruplicis erroris circa propriam vitam.

Lassati sumus etc. Hic tangit confessionem erroris impiorum circa *propriam vitam;* et primo confitentur propriae vitae *laboriositatem;* secundo, *caecitatem: Viam autem Domini;* tertio, *inutilitatem: Quid profuit nobis* etc.; quarto, *instabilitatem: Transierunt.*

De primo.

(Vers. 7.). *Lassati* igitur *sumus*, virtute nostra, *in via iniquitatis*, quoad *culpam* in praesenti; Ieremiae nono [11]: « Ut inique agerent, laboraverunt »; *et perditionis*, quoad *poenam* in futuro; Proverbiorum secundo: « Impii de terra perdentur, et qui inique agunt auferentur ex ea ». Nec mirum, si lassati sumus virtute nostra, quia *ambulavimus vias difficiles*, de sui natura, scilicet vias peccatorum, quae multum affligunt animam in praesenti per conscientiae remorsum. Non enim patitur ordo divinae iustitiae, ut vel ad momentum sit culpa sine poena.

---

[1] Psalm. 141, 6. — Seq. locus est Col. 1, 12.

[2] Psalm. 63, 9.

[3] Enchirid. c. 17. n. 5, ubi docet, quod errat qui « se existimat scire quod nescit; pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium ». — Sequuntur Isai. 19, 14. et 53, 6. Glossa inferius allegata est *interlinearis*. Rabanus: Via veritatis Evangelium Christi est et lex divina, de qua erraverunt impii, quoniam illi credere et obedire noluerunt.

[4] Psalm. 96, 11. — Sequuntur Prov. 4, 18. et Isai. 59, 9.

[5] Nempe *interlinearis*. Rabanus: Quibus [impiis] et iustitiae lumen non luxit, et *sol intelligentiae* non est ortus; quia cum eis Christus non est *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [Ioan. 1, 9.], et *sol iustitiae*, qui *oritur timentibus eum*. — Malach. 4, 2: Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 3. n. 19. seqq.

[6] Psalm. 57, 9. — Sequitur Matth. 5, 45.

[7] Isidor., III. Etymolog. c. 71. n. 1: *Sol* appellatus, eo quod *solus* appareat, obscuratis fulgore suo cunctis sideribus. Cfr. tom. V. pag. 426, nota 1. — Seq. locus est Ioan. 1, 9.

[8] In I. Epist. Ioan. tr. 3. n. 13. et de Disciplina christ. c. 8. n. 9. et c. 14. n. 15. Cfr. tom. V. pag. 324, nota 2. Vide etiam Qq. disput. de Scientia Christi, q. 4. — Sequuntur Ioan. 8, 12. et Eccli. 50, 6.

[9] Psalm. 18, 6. et 7. — Subinde allegantur II. Machab. 1, 22; Luc. 12, 49. et Ioan. 15, 5.

[10] August., Enarrat. in Ps. 25. enarrat. 2. n. 3: Est noster sol iustitiae Veritas Christus; non iste sol, qui adoratur a paganis et Manichaeis et videtur etiam a peccatoribus, sed ille alius, cuius veritate humana natura illustratur, ad quem gaudent Angeli; hominum autem infirmatae acies cordis, etsi trepidant sub radiis eius, ad eum tamen contemplandum per mandata purgantur.

[11] Vers. 5. — Seq. locus est Prov. 2, 22.

Unde Augustinus[1]: « Iussisti, Domine, et sic est, ut poena sibi sit inordinatus animus »; Ecclesiastici vigesimo primo: « Via peccantium complanata lapidibus ».

Sed contra: Matthaei septimo[2]: « Lata porta et Quaestio. spatiosa est via, quae ducit ad perditionem ».

Dicendum, quod facilis est *in ingressu*, quasi Resp. strata floribus, scilicet praesentis delectationis dulcore et temporali iucunditate; sed difficilis *in progressu* propter remorsum conscientiae; difficilior *in egressu* propter separationem a praesenti voluptate; sed difficillima *post egressum* propter tormentum gehennae.

Viam autem Domini, scilicet qua Dominus ve- De secundo. nit ad nos, qua nos imus ad eum, scilicet caritatem, secundum illud Apostoli primae ad Corinthios duodecimo[3]: « Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro »; *ignoravimus*, scilicet ignorantia crassa et affectata; unde Iob vigesimo primo: « Qui dicunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus ». Ignorans tali ignorantia « ignorabitur », ut dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo quarto.

(Vers. 8.). *Quid nobis profuit superbia?* scili- De tertio. cet in honorum excellentia, quasi dicat: nihil; immo potius nocuit, quia dicitur in Psalmo[4]: « Retribuet abundanter facientibus superbiam »; Proverbiorum decimo sexto: « Contritionem praecedit superbia »; Lucae primo: « Dispersit superbos mente cordis sui ». *Aut divitiarum iactantia*, scilicet de exteriorum bonorum abundantia, *quid contulit nobis?* quasi dicat: nihil; Ecclesiastae quinto: « Qui amat divitias fructum non capiet ex eis »; item Lucae sexto: « Vae! vobis divitibus » etc.

Transierunt etc. Hic tangit confessionem *in-* De quarto. *stabilitatis* status reproborum sub multiplici meta- Metaphorae 5. phora[5]: primo sub metaphora *umbrae;* secundo, *nuntii: Tanquam nuntius;* tertio, *navis: Et tanquam navis;* quarto, *avis: Aut avis;* quinto, *sagittae: Aut tanquam sagitta.*

(Vers. 9. 10.). *Transierunt omnia illa*, scilicet divitiae, deliciae et honores saecularis potentiae; unde primae Ioannis secundo[6]: « Omne, quod est in mundo » etc., et ibidem infra: « Transit mundus et concupiscentia eius »; id est concupiscibilia, quae in eo sunt, scilicet quantum ad exteriorem figuram, non quoad substantiam; unde primae ad Corinthios septimo: « Praeterit figura huius mundi ». *Velut* Metaphora prima. *umbra*, scilicet mentem obscurando; Ecclesiastici trigesimo quarto: « Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia », quia anima ex conversione sui ad terrena obscuratur et eclipsatur per interpositionem terrae inter eam et verum solem[7]. — *Et tanquam nuntius* Secunda. *praecurrens*, suo transitu mentem amovendo; Iob nono[8]: « Dies mei velociores fuerunt cursore ». — *Et tanquam navis, quae pertransit fluctuantem* Tertia. *aquam*, tribulationes multas sustinendo; Lucae decimo[9]: « Turbaris erga plurima ». *Cuius cum praeterierit, non est vestigium invenire*, scilicet in aqua; Proverbiorum trigesimo: « Tria sunt mihi difficilia etc., via navis in medio mari ». *Neque semitam carinae illius in fluctibus*, id est parvae navis, quae maiorem navem solet comitari ad evasionem periculi. Vel: *carina* potest dici media pars vel medius locus navis, secundum illos versus:

> Prora prior pars est navis, pars ultima puppis.
> Dic latus esse ratem, ventrem dic esse carinam.

(Vers. 11. 12.). *Aut avis*, scilicet cor in su- Quarta. perbiam et lasciviam exaltando; Proverbiorum decimo[10]: « Qui innititur mendaciis, hic pascit ventos; idem autem sequitur aves volantes ». *Quae transvolat in aëre*, scilicet veloci ter, *cuius nullum invenitur argumentum*, scilicet certum signum, *itineris* illius; *sed tantum sonitus*, auditur, *sonitus*, inquam, *alarum verberans levem ventum*, id est aërem motum, secundum illud Damasceni[11]: « Ventus est aër motus »; *et scindens*, id est dividens, *per vim itineris aërem*, scilicet quietum. Sic sonus levis famae impios comitatur, secundum illud Psalmi[12]: « Vocaverunt nomina sua in terris suis »; Isaiae decimo octavo: « Vae! terrae cymbalo alarum » etc. *Commotisque alis transvolavit*, scilicet ad locum alterum; Osee nono: « Ephraim quasi avis avolavit ». *Et post hoc nullum signum*, id est certum indicium, *invenitur itineris illius;* Proverbiorum trigesimo: « Tria mihi sunt difficilia etc., via aquilae in caelo »; item Iob vigesimo octavo: « Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis ». — *Aut tanquam sagitta*, scilicet cor letaliter vulne- Quinta.

---

[1] Libr. I. Confess. c. 12. n. 19, ubi voci *inordinatus* textus originalis praefigit *omnis*. Libr. III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44. ait: Nullo autem temporis intervallo ista [peccatum et poena] dividuntur... ne vel puncto temporis universalis pulcritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictae. — Sequitur Eccli. 21, 11.

[2] Vers. 13.

[3] Vers. 30. — Sequuntur Iob 21, 14: Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam etc.; I. Cor. 14, 38: Si quis autem ignorat, ignorabitur.

[4] Psalm. 30, 24. — Subinde allegantur Prov. 16, 18; Luc. 1, 51; Eccle. 5, 9. et Luc. 6, 24.

[5] Rabanus: Per *quinque* species similitudinum, quas proferendo iniquorum infructuosa poenitentia labores suos defluere conqueritur, fugacis vitae ac terrenarum rerum defectus nobis demonstratur.

[6] Vers. 16. et 17. — Sequuntur I. Cor. 7, 31. (cfr. supra pag. 29, nota 6.) et Eccli. 34, 2. — De innovatione mundi cfr. IV. Sent. d. 48. a. 2. q. 3.

[7] Cfr. tom. V. pag. 443, nota 11.

[8] Vers. 25.

[9] Vers. 41. — Seq. locus est Prov. 30, 18. et 19.

[10] Vers. 4.

[11] Libr. II. de Fide orthod. c. 8: Ventus autem est motus [κίνησις] aëris; vel: ventus est fluxus [ῥεῦμα] aëris. Cfr. supra pag. 12, nota 8.

[12] Psalm. 48, 12. — Sequuntur Isai. 18, 1; Osee 9, 11; Prov. 30, 18. seq. et Iob 28, 7.

rando; *emissa in locum destinatum,* a sagittario; Proverbiorum septimo[1]: « Donec transfigat sagitta iecur ». *Divisus aër,* scilicet per motum sagittae, *continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius;* Glossa: « Quia nulla sui reliquit vestigia ».

(Vers. 13.). *Sic et nos nati continuo desivimus esse,* id est cito post nativitatem; vel: statim *desivimus,* id est desinere incipimus, secundum illud Augustini[2]: « Quid est vita nostra nisi continuus cursus ad mortem »? Glossa: « Sic etiam vitae huius incertus et instabilis est cursus »; Iob decimo quarto: « Homo natus de muliere etc., et fugit velut umbra ». Vel: *desinimus esse continuo,* per peccandi accelerationem[3]. *Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere,* scilicet in vita nostra per bonam conversationem; Marci ultimo[4]: « Signa eos qui crediderint, haec sequentur »; ad Galatas ultimo: « Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto ». *In malignitate* enim *nostra consumti sumus,* per impoenitentiam finalem; Iob decimo tertio: « Qui quasi putredo consumendus sum »; Ioannis octavo: « In peccato vestro moriemini ».

Talia dixerunt etc. Ecce, *confirmatio confessionis* eorum per exempla convenientia, primo per exemplum *lanuginis;* secundo, *spumae: Et tanquam spuma;* tertio, *fumi: Et tanquam fumus;* quarto, *hospitis: Et tanquam memoria hospitis.*

Confirmatio confessionis per 4 exempla.

(Vers. 14.). *Talia* ergo *dixerunt in inferno hi qui peccaverunt; dixerunt,* inquam, dictione interiori per conscientiae remorsum, etsi non forte dictione exteriori, cum sint in inferno sine corporibus usque in diem iudicii et sine organis corporeis, licet non sine potentiis organorum; Lucae decimo sexto[5]: « Elevans oculos », id est potentiam visivam, quae organis oculorum usa fuerat in praesenti.

In inferno etc. Quomodo sciebat auctor iste, quod ita *dixerunt in inferno?* cum nunquam ibi fuisset, nec alius inde venisset, qui ei retulisset; unde supra capitulo secundo[6]: « Non est agnitus qui reversus sit ab inferis ».

Quaestio.

Potest dici, quod hoc sciebat per revelationem Spiritus sancti, quia, secundum Ambrosium[7], omne verum, a quocumque dicatur, Spiritu sancto dictante, profertur; item secundae Petri primo: « Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines ». Vel: *Dixerunt,* id est, dicere potuerunt.

Resp.

(Vers. 15.). *Quoniam* etc., quasi dicat: et verum *dixerunt, quoniam spes impii,* id est, temporalis prosperitas, in qua spem ponunt impii; Isaiae vigesimo octavo[8]: « Posuimus mendacium spem nostram »; *tanquam lanugo,* id est flos cardui, quoad *carnis fragilitatem; quae a vento tollitur,* id est modico flatu; Glossa: « Lanugo carnis fragilitatem exprimit, quae a vento aegritudinis vel molestia cito tollitur »; Isaiae quadragesimo: « Omnis caro foenum ». Et bene comparatur carnis fragilitas flori cardui, quia caro spinas et tribulos tentationum generat; unde Genesis tertio[9]: « Spinas et tribulos germinabit tibi ». *Et tanquam spuma gracilis,* ex agitatione aquarum generata, *quae a procella dispergitur. Tanquam spuma* etc., dicit quantum ad *iactantiae vanitatem;* unde Glossa[10]: « Hic est appetitus humani favoris et iactantiae vulgaris, quae a procella dispergitur tribulationis et adversitatis alicuius praesentis, vel aeternae »; Osee decimo: « Transire fecit Samaria regem suum, sicut transit spuma super faciem aquae »; item Ieremiae vigesimo tertio: « Ecce, turbo dominicae indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet ». *Et tanquam fumus, qui a vento diffusus est,* quantum ad *vitae brevitatem;* Iacobi quarto[11]: « Quae est vita vestra? Vapor est ad modicum parens »; *a vento diffusus est;* quia enim in altum tollitur, evanescere cogitur, iuxta illud Psalmi: « Mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient »; Glossa: « Sicut fumus vento dissolvitur, sic humana vita temporum mutatione ». *Et tanquam memoria hospitis unius diei praetereuntis,* quantum ad *famae modicam durationem;* Iob decimo tertio[12]: « Memoria vestra comparabitur cineri ». *Ho-*

Exemplum primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

---

[1] Vers. 23. — Glossa inferius allegata est *interlinearis,* eamque edd., contradicentibus codd., omittunt.

[2] Libr. XIII. de Civ. Dei, c. 10: Quoniam quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur, et quotidie fit minus minusque quod restat, ut omnino nihil sit aliud tempus vitae huius quam cursus ad mortem etc. — Sequuntur Glossa *interlinearis* (ex Rabano) et Iob 14, 1. seq.

[3] Cfr. supra pag. 130, nota 12.

[4] Vers. 17. — Subinde allegantur Gal. 6, 17; Iob 13, 28. et Ioan. 8, 21.

[5] Vers. 23. Cfr. IV. Sent. d. 50. p. II. a. 1. q. 1.

[6] Vers. 1. — Superius pro *nec alius inde venisset* A *vel alium invenisset.*

[7] In Epist. I. ad Cor. (inter opera Ambros.) c. 12, 3: Quidquid enim verum a quocumque dicitur, a sancto dicitur Spiritu. August., Epist. 166. (alias 28.) c. 4. n. 9: A quocumque enim verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa Veritas. — Seq. locus est II. Petr. 1, 21.

[8] Vers. 15. — Seq. Glossa est *ordinaria* (ex Rabano): *Lanugo,* quae ex flore herbarum marcido [Rabanus: *marcescente*] oriens, carnis... vel molestia corporis cito [Rabanus omittit *cito*] tollitur [Rabanus addit: *nec diuturna manere permittitur*], quia *omnis caro foenum* etc. [Isai. 40, 6.].

[9] Vers. 18.

[10] Nempe *ordinaria* (ex Rabano): Spuma ex aquis edita super aquam enatat. Hic est appetitus... quae procella [Rabanus: *quae a procella*] tentationis vel discussione iudicii [Rabanus addit *futuri*] dissolvitur vel dispergitur, id est, quam vana fuit, probatur [Rabanus: *quia quam vana fuerint, eorum attactu probatur*]. — Sequuntur Osee 10, 7, ubi pro *sicut transit spuma* Vulgata *quasi spumam;* Ier. 23, 19.

[11] Vers. 15. — Subinde allegantur Ps. 36, 20, et Glossa *interlinearis.* Rabanus: Sic et *fumus* vanitatem caducae vitae demonstrat, quoniam, sicut fumus vento diffunditur, sic humana vita temporum mutatione dissolvitur. Unde et per similitudinem *transeunti hospiti* comparatur; quia omnes hic hospites et peregrini sumus, de quo Ecclesiastes [1, 4.] ait: *Generatio praeterit* etc.

[12] Vers. 12. — Sequuntur Ps. 38, 13. et Hebr. 11, 13.

spiti comparat hominem in hac vita existentem, quia peregrini et hospites quasi in aliena domo sumus, secundum illud Psalmi: « Advena sum ego apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei »; item ad Hebraeos undecimo: « Confitentes, quia peregrini » etc. *Praetereunti,* quia de vita ad mortem transimus; Threnorum primo [1]: « O vos omnes, qui transitis per viam » etc.; item, Ecclesiastae primo: « Generatio praeterit » etc. *Unius diei,* quia parum hic stamus; unde ad Hebraeos decimo tertio: « Non habemus hic manentem civitatem » etc.

Tertio, de iustorum et reproborum retributione dupliciter.

Iusti autem in perpetuum. Hic ponit iustorum et reproborum condignam *retributionem,* et primo, *praemium iustorum;* secundo, *supplicium reproborum: Et accipiet armaturam.* — Iustorum praemium duplex tangit: primo, pro *operatione boni;* et secundo, pro *victoria mali: Ideo accipient* etc. Iustorum praemium duplex.

(Vers. 16.). *Iusti autem* etc., quasi dicat: talis est vita et mors impiorum; *autem,* pro sed. *Iusti,* e contrario, *in perpetuum vivent;* Glossa [2]: « Vivent vita aeterna », de qua Ioannis decimo septimo: « Haec est vita aeterna » etc. *Et apud Dominum,* id est in ipso Domino per *spem,* secundum Glossam; in Psalmo: « Mihi autem adhaerere Deo », scilicet per *caritatem,* « bonum est, ponere in Domino Deo spem meam »; *est merces eorum;* Glossa [3]: « Laboris praemium »; ipse enim est merces Sanctorum; Genesis decimo quinto: « Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis »; item Numerorum decimo octavo: « Ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel ». *Et cogitatio eorum* etc., quasi dicat: et merito apud Dominum est merces eorum, quia *cogitatio eorum,* id est tota sollicitudo et intentio eorum per fidem, *apud Altissimum,* secundum illud Psalmi [4]: « Iacta cogitatum tuum in Domino » etc. Vel: *cogitatio,* id est agnitio intellectus eorum, *apud Altissimum,* solum; iusti enim solum de Deo, vel de iis quae ad ipsum habendum conferunt, cogitant, iuxta illud primae ad Corinthios septimo: « Quae sine viro est mulier cogitat quae Domini sunt ». De primo.

(Vers. 17.). Et quia tales sunt in praesenti, *ideo accipient regnum decoris,* id est regnum decorum quantum ad *auream* sive essentiale praemium; Matthaei quinto [5]: « Beati pauperes » etc. *Et diadema speciei,* id est speciosum; Glossa: « Devicto hoste »; et hoc quantum ad *aureolam* sive quantum ad praemium accidentale; secundae ad Timotheum quarto: « Reposita est mihi corona iustitiae ». De utroque Exodi vigesimo quinto. *De manu Dei,* vel *Domini;* Glossa [6]: « Id est a Christo, qui dicitur *manus* et *brachium* et *dextera* Dei Patris ». Est enim *manus* operando: « Omnia namque per ipsum facta sunt », Ioannis primo; *brachium* protegendo, secundum illud Psalmi: « Brachium meum confortabit eum »; *dextera* praemiando; Matthaei vigesimo quinto: « Statuet oves a dextris ». *Quoniam dextera sua teget eos;* Glossa [7]: « Hic et in futuro », ab ira superni iudicis; Isaiae quadragesimo nono: « In umbra manus suae protexit me »; Ecclesiastici trigesimo quarto: « Tegimen ardoris et umbraculum meridiani ». *Et brachio sancto suo,* id est suae sanctae potentiae, *defendet illos,* scilicet ab omni impugnatione adversarii, secundum illud Psalmi: « Dominus defensor vitae meae, a quo trepidabo »? Aurea. Aureola. Manus Dei. Brachium. Dextera.

Et accipiet armaturam etc. Hic tangit *supplicium reproborum* sub metaphora regis arma moventis contra suos adversarios. Et primo describit regis *propositum;* secundo, eius *apparatum: Induet* etc.; tertio, *bellum: Ibunt directe;* quarto, *belli effectum: Et ad eremum perducet;* quinto, *belli remedium: Melior est sapientia.* Reproborum supplicium. Describuntur quinque.

(Vers. 18.). *Et accipiet armaturam,* scilicet contra adversarios, *zelus illius;* Proverbiorum sexto [8]: « Zelus et furor viri non parcet in die vindictae ». « Arma autem eius sunt veritas, iustitia et iudicium », secundum Glossam. *Et armabit creaturam,* scilicet tanquam exercitum suum, secundum illud infra decimo sexto: « Creatura tibi Factori deserviens exardescit adversus iniustos »; *ad ultionem inimicorum;* Psalmus: « Deus ultionum » etc. Primum.

(Vers. 19. 20. 21.). *Induet pro thorace iustitiam;* loricae comparatur iustitia sive thoraci, quia, sicut lorica totum corpus protegit, sic iustitia undique animam; unde secundae ad Corinthios sexto [9]: « Per arma iustitiae a dextris et a sinistris »; Isaiae quinquagesimo nono: « Iustitia indutus est pro lorica ». *Et accipiet pro galea iudicium rectum,* vel *certum; iudicium rectum,* id est discretio, et comparatur *galeae,* quae munimentum est capitis, id est Secundum.

---

[1] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 1, 4. et Hebr. 13, 14.

[2] Scilicet *interlinearis;* seq. Glossa, quae etiam est *interlinearis,* ait: *Et apud Dominum,* in quo speraverunt. — Subinde allegantur Ioan. 17, 3. et Ps. 72, 28.

[3] Nempe *interlinearis.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 15, 1. et Num. 18, 20.

[4] Psalm. 54, 23, ubi Vulgata: Iacta super Dominum curam tuam, et ipse etc.; Glossa *interlinearis* in Sap. 5, 16: Iacta cogitatum tuum in Dominum et etc. — Sequitur I. Cor. 7, 34: Et mulier innupta et virgo cogitat etc.

[5] Vers. 3. — Sequuntur Glossa *interlinearis;* II. Tim. 4, 8. et Exod. 25, 25. [Vat. hunc locum omittit], ubi duplex corona [maior et minor] insinuatur: Et ipsi labio [mensae] *coronam* interrasilem... et super illam alteram coronam *aureolam.* Cfr. IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. fundam. 1.

[6] Nempe *interlinearis.* Rabanus: *Manus* enim Dei et *dextera* ac *brachium* propter effectivam potentiam unigenitus Filius Dei nominatur; per quem omnia facta sunt etc. — Sequuntur Ioan. 1, 3; Ps. 88, 22. et Matth. 25, 33.

[7] Scilicet *interlinearis.* — Subinde allegantur Isai. 49, 2; Eccli. 34, 19. et Ps. 26, 1: Dominus protector vitae etc.

[8] Vers. 34. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* (ex Rabano); deinde allegantur Sap. 16, 24, ubi post *exardescit* Vulgata addit *in tormentum;* Ps. 93, 1.

[9] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Isai. 59, 17: Indutus est iustitia ut lorica; Prov. 16, 10.

rationis; Proverbiorum decimo sexto: « Divinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os suum ». — *Sumet scutum inexpugnabile aequitatem; scuto*, quod defendit loricam, comparatur aequitas, quia iustitiam facit irreprehensibilem; Isaiae undecimo [1]: « Arguet in aequitate pro mansuetis terrae ». — *Acuet autem diram iram; diram* dicit ad differentiam irae levis, qua modo irascitur; *in lanceam;* ira Dei lanceae comparatur, quia attinget etiam quaecumque remota et penetrabit; Ezechielis vigesimo primo: « Gladius exacutus » etc.; item Exodi decimo quinto: « Misisti iram tuam, quae devoravit eos sicut stipulam ». *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos;* Gregorius [2]: « Offenso Creatore, omnis creatura offenditur »; Glossa: « Creator per creaturam sibi subiectam corripit delinquentes ». Horribile bellum erit illud, de quo Iob quadragesimo: « Memento belli, nec ultra addas loqui ».

Tertium, quoad quatuor.

Ibunt directe etc. Hic describit *bellum* novissimum secundum diversas acies creaturarum. Et primo introducit *ignem* impios debellantem et expugnantem; secundo, *aërem: Et a petrosa;* tertio, *aquam: Et candescet* [3]; quarto, *ventum* seu turbinem de terra procedentem: *Contra illos stabit spiritus virtutis.*

Introducitur primo ignis.

(Vers. 22.). *Ibunt* ergo, scilicet contra illos, *directe emissiones fulgurum;* Glossa [4]: « Pro voto, id est pro voluntate ductoris »; Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Accelerat coruscationes emittere iudicii sui »; item in Psalmo: « Fulgura coruscationem, et dissipabis eos ». *Et tanquam a bene curvato arcu nubium,* id est tanquam iridis lineae depressae, sole superveniente, *exterminabuntur* impii; quasi dicat: sicut cito et faciliter dissolvitur arcus caelestis, sic impii cito et faciliter exterminabuntur, id est, extra terminos vitae praesentis et aeternae ponentur; Baruch tertio [5]: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt »; in Psalmo: « Arcum suum tetendit » etc. *Et ad certum locum insilient,* scilicet ad malos tantum, ita quod bonos non tangent; supra tertio [6]: « Non tanget eos tormentum mortis ». *Ad certum locum;* Glossa: « Quocumque necesse sit; non enim potest esse confusum quod divina sapientia est ordinatum »; unde Exodi nono: « In Aegypto terra Gessen nihil mali patiebatur a plagis Aegypto inflictis ».

Secundo, aer.

(Vers. 23.). *Et a petrosa ira; petrosa* dicitur ira illa propter effectum, quia petris se manifestabit, vel quia infrangibilis et dura sicut petra, vel quia inferetur a Christo, qui *petra* dicitur primae ad Corinthios decimo [7]: « Petra autem erat Christus ». *Plenae mittentur grandines,* id est grossae et magnae; vel: *plene,* id est plenarie sive abundanter; Psalmus: « Ignis, grando, nix, glacies » etc.; Iob trigesimo octavo: « Nunquid ingressus es thesauros nivis »? Apocalypsis decimo sexto: « Grando magna sicut talentum descendit de caelo in homines ».

Lectio Graecorum.

Graeci [8] autem sic habent: *Et tanquam a bene curvato arcu nubium ad certum locum insilient, et a petra iacente ira plenae.* Haec littera planior est et videtur verior, cum in Graeco videatur compilatus fuisse liber iste.

Tertio, aqua

Et candescet, id est fervebit, *in illos,* id est contra illos, *aqua maris;* fiet enim fervidum, turbidum et spumosum; Lucae vigesimo primo [9]: « In terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum ». Erit enim unum de quindecim signis, secundum Hieronymum, quod mare se eriget super altitudinem montium. *Et flumina,* id est aquarum dulcium, *concurrent duriter,* id est fortiter; Exodi decimo quinto [10]: « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus ».

Spiritualiter

Vel: *Aqua maris,* id est amaritudo infernalis, *candescet in illos,* id est, stridebit et fervescet sicut aqua per iniectionem ferri calidi; Isaiae decimo quarto: « Infernus subter conturbatus est ». *Et flumina,* scilicet angustiarum, *concurrent duriter,* quia ibi erit *dolor* de bonis amissis, *pudor* de malis commissis, *timor* de praesentibus suppliciis [11].

Quarto, ventus.

(Vers. 24.). *Contra illos stabit spiritus virtutis,* id est fortis ventus, secundum illud Exodi decimo quinto [12]: « Flavit spiritus tuus » etc., procedens de cavernis terrae, secundum illud Psalmi: « Qui pro-

---

[1] Vers. 4. — Subinde allegantur Ezech. 21, 9. et Exod. 15, 7.

[2] Communiter allegatur II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1: Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, ut impleatur quod dicitur [Sap. 5, 21.]: *Et pugnabit pro eo orbis terrarum* etc. Cfr. VI. Moral. c. 12. n. 14. Cyrill. Alex., II. in Isai. 13, 13: Ac semper irato Deo, simul etiam ad iram excuitur serva creatura. Hieron., III. Comment. in Ier. 15, 3: Neque enim fieri poterat, ut, Creatore neglecto, non universa creatura consurgeret in peccatores. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* ex Rabano. Dein allegatur Iob 40, 27.

[3] Ita Rabanus, card. Hugo a S. Charo et Lyranus; Vulgata autem *Excandescet,* quae etiam paulo inferius pro *stabit* exhibet *flabit.* Superius post *debellantem* ex A subiunximus *et expugnantem.*

[4] Nempe *interlinearis* secundum Rabanum: Pro voto auctoris vel ductoris. — Sequuntur Eccli. 43, 14. et Ps. 143, 6.

[5] Vers. 19. — Sequitur Ps. 7, 13. — Superius A, verbis transpositis, legit: *Et tanquam habenae,* id est tanquam iridis lineae, *exterminantur,* supple: *curvato arcu nubium,* id est depresso sole superveniente. *Exterminabuntur* impii etc. Card. Hugo: Quidam dicunt *habenae* et exponunt pro dativo singulari, vel nominativo plurali. Alii dicunt, quod non debet esse *habenae,* sed *habena,* ablativi casus; sed quasi omnes libri habent *habenae* numeri pluralis. Et legitur sic: *Ibunt emissiones fulgurum directe et tanquam habenae,* id est, ac si regerentur habenis, et est ibi punctus.

[6] Vers. 1. — Sequuntur Glossa *ordinaria* (secundum Rabanum) et Exod. 9, 26: Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit.

[7] Vers. 4. — Tres seqq. loci sunt Ps. 148, 8; Iob 38, 22. et Apoc. 16, 21.

[8] Secundum translationem septuaginta interpretum, qui tamen pro *ad certum locum* substituunt *ad scopum.*

[9] Vers. 25. — De sententia Hieronymi cfr. IV. Sent. d. 48. dub. 3, ubi 15 signa recensentur.

[10] Vers. 10. — Seq. locus est Isai. 14, 9.

[11] Cfr. supra pag. 126, nota 1. in fine.

[12] Vers. 10. — Sequuntur Ps. 134, 7. et 47, 8; Iob 1, 19. et Ps. 148, 8.

ducit ventos de thesauris suis »; item in Psalmo: « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis »; item Iob primo: « Ventus vehemens irruit a regione deserti ». Hic est « spiritus procellarum », de quo in Psalmo. *Et tanquam; tanquam* est expressivum *veritatis*, non nota similitudinis; *turbo venti*, id est impulsus compositus ex contrariis ventis pulvere
Aliter. mixtis, *dividet eos* etc. Vel: *spiritus* potest dici sententia iudicis, secundum illud Isaiae undecimo[1]: « Spiritu oris sui interficiet impium ». Et tunc ly *tanquam* nota est *similitudinis*, non expressivum veritatis, cum dicitur: *Et tanquam turbo venti dividet eos*, scilicet a bonis; Iob vigésimo septimo: « Tollet eum ventus urens, et velut turbo rapiet de loco suo »; Isaiae ultimo: « Ecce, Dominus in igne
Quartum. veniet, et quasi turbo quadrigae eius ». *Et ad eremum*, id est locum horribilem et sterilem et omni bono carentem; de tali loco Deuteronomii trigesimo secundo[2]: « In loco horroris et vastae solitudinis ». *Omnem terram*, id est terrenos, *perducet iniquitas illorum*, id est, propria iniquitas, non aliena erit causa, quare illuc perducentur, secundum illud Isaiae quinquagesimo: « Ambulate in flammis, quas succendistis vobis ». Vel secundum aliam litteram[3]: *Ter-* Alia lectio.
ram iniquitatis eorum dicit, quia secundum Psalmum: « Ignis ante ipsum iudicem praecedet », qui superficiem terrae, in qua factae sunt iniquitates eorum, exuret et aridam reddet. *Et malignitas*, quam exercuerunt, quae sonat in deterius; *evertet*, id est, causa erit evertendi, *sedes potentium*, id est regna, civitates et castra, turres et tribunalia; Ecclesiastici decimo[4]: « Sedes ducum superborum destruxit Deus ».

Aliter exponit Glossa[5] praecedentia, scilicet de Expositio allegorica.
praesenti expugnatione impiorum infidelium et haereticorum per Christum et Ecclesiam: coruscatione *miraculorum*, grandine *increpationum*, mundatione *tribulationum*, turbine *persecutionum*, subversione et ablatione *possessorum*, depressione *potentium*.

Capitulum VI.

(Vers. 1.). *Melior est sapientia*[6] etc., quasi di-
Quintum. cat: ex quo sic tractantur potentes insensati, *melior est*, id est utilior, *sapientia*, de divinis, quae, secundum Glossam[7], « semper animam bene regit »; *quam vires* corporis, quae saepe in peccata praecipitant; Ecclesiastae nono: « Dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine ». *Et vir prudens*, in rebus humanis, secundum Glossam[8], non tantum eloquio; *magis quam fortis;* Glossa: « Corpore ». Unde in tali fortitudine non est gloriandum, secundum illud Ieremiae nono: « Non glorietur fortis in fortitudine sua ».

Pars II. Exhortatio ad sapientiam.

Audite ergo, reges etc. Postquam monuit prin-
Divisio principalis in 3 membra. cipes et potentes ad iustitiam, hic incipit eos monere ad *sapientiam* inquirendam et amandam, et primo ratione sumta ex *periculo officii* ipsorum, quos monet; secundo, ratione sumta ab *exemplo eius* qui monet, scilicet capitulo septimo; tertio, ratione sumta a *multis beneficiis sapientiae*, ad quam monet, scilicet a decimo capitulo usque in finem.

Primo sumit rationem ex periculo officii superiorum.

In prima primo tangit *insipientium rectorum* Subdivisio in 4 membra.
poenam et supplicium; secundo econtra, *sapientium rectorum praemium: Ad vos ergo;* tertio monet utrosque *concupiscere sapientiam: Concupiscite* etc.; quarto promittit, *se docere eam: Quid est autem sapientia.*

Primo, de poena insipientium rectorum.

In prima primo petit a rectoribus *audientiam;* secundo subdit *audiendi causam*: *Quoniam data est* etc.

(Vers. 2. 3.). *Audite ergo* etc., quasi dicat: ex Expositio literalis. Primo.
quo ita est utilis sapientia, *audite ergo*, auditu exteriori, *reges;* Glossa[9]: « Praelati »; *et intelligite*, auditu interiori; Proverbiorum primo: « Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit »; Matthaei decimo tertio: « Qui habet aures audiendi audiat ». *Discite, iudices finium terrae*, id est terrarum distinctarum seu provinciarum. *Reges*

---

[1] Vers. 4: Spiritu labiorum suorum interficiet etc. Cfr. II. Thess. 2, 8: Interficiet spiritu oris sui. — Sequuntur Iob 27, 21, ubi Vulgata post *urens* addit *et auferet*, et post *rapiet* repetit *eum;* Isai. 66, 15. — In lingua Gallica antiqua pro articulo *le* in usu erat *ly* vel *li;* usurpatur pro τό. Cfr. Alex. Hal., S. p. I. 9. 49. m. 3.

[2] Vers. 10. — Seq. locus est Isai. 50, 11: Ambulate in lumine ignis vestri et in flammis, quas succendistis.

[3] Quae exhibetur etiam a card. Hugone a S. Charo et a Lyrano in margine. — Sequitur Ps. 96, 3, ubi Vulgata omittit *iudicem*.

[4] Vers. 17.

[5] Scilicet tam *ordinaria* quam *interlinearis* ex Rabano.

[6] Hic versus, qui est initium capituli VI. secundum Vulgatam, deest in versione septuaginta interpretum, in textu Syriaco et Arabo; ponitur autem in Vat. ut ultimus versiculus capituli V.

[7] Nempe *interlinearem*, ex Rabano. Cfr. supra pag. 108, nota 7. — Sequitur Eccle. 9, 16.

[8] Scilicet *interlinearem: Et vir prudens*, animo, *melior quam fortis*, corpore; prudentia dirigit gressus hominis (Rabanus). — Sequitur Ier. 9, 23.

[9] Nempe *interlinearis*. — Sequuntur Prov. 1, 5. et Matth. 13, 9.

dicuntur praelati ad bonum dirigendo; *iudices*, inter bonum et malum discernendo. *Discite*, inquam, *sapientiam*, quia iudicibus necessaria est; unde Deuteronomii primo [1]: « Date ex vobis viros sapientes et gnaros ». — *Praebete aures vestras*, scilicet exteriorem et interiorem, *qui continetis* [2], a malo cohibendo, *multitudines*, populorum vobis commissas; Proverbiorum decimo quarto: « In multitudine populi dignitas regis ». *Et placetis vobis in turbis nationum*, id est, in praelaturis vestris gloriamini; contra quod dicit Gregorius in Pastorali [3]: « Toties praelatus in apostasiae crimen labitur, quoties praeesse hominibus delectatur ».

Secundo, de audiendi causa quatuor tanguntur.

Quoniam data est etc. Hic subdit *audiendi causam*, scilicet ut possint evadere poenam pro abusu potestatis infligendam. Et primo tangit *collationem* potestatis; secundo, *abusum* collatae: *Quoniam, cum essetis;* tertio, *iudicium* pro abusu: *Horrende* etc.; quarto, *iudicis aequitatem: Non enim subtrahet.*

Primum.

(Vers. 4.). *Quoniam* etc. Et audire debetis, *quoniam data est vobis a Domino potestas;* unde ad Romanos decimo tertio [4]: « Non est potestas nisi a Deo »; *potestas;* Glossa: « Iudiciaria in terra », scilicet quoad *sententiae definitionem;* Ioannis decimo nono: « Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper ». *Et virtus;* Glossa [5]: « Puniendi », quoad *sententiae exsecutionem.* Vel: *potestas* in causis civilibus, *virtus* in causis criminalibus. *Ab Altissimo*, scilicet Deo supra nos constituto; Psalmus: « Tu Dominus altissimus super omnem terram ». *Qui interrogabit;* Glossa [6]: « In iudicio »; Lucae decimo sexto: « Redde rationem villicationis tuae ». *Opera vestra*, scilicet exteriora; Ecclesiastae ultimo: « Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in iudicium » etc. Non enim ita dedit potestatem, quin exigat rationem; ideo Ecclesiastici decimo octavo: « Ante iudicium interroga te ipsum, et ante Deum invenies propitiationem ». *Et cogitationes scrutabitur*, id est opera interiora; Glossa [7]: « Tanquam de omnibus iudicaturus »; supra primo: « In cogitationibus impii interrogatio erit ». *Scrutabitur;* Sophoniae primo: « Scrutabor Ierusalem in lucernis »; nec solum scrutabitur, sed etiam manifestabit; unde primae ad Corinthios quarto: « Illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium ».

Triplex interrogatio praelati.

Notandum autem, quod triplex fiet praelato interrogatio: prima, qualiter *intravit;* Matthaei vigesimo secundo [8]: « Amice, quomodo huc intrasti » etc. Secunda, qualiter *vixit;* Isaiae vigesimo secundo: « Quid tu hic? Aut quasi quis hic »? Tertia, qualiter *rexit* et custodivit gregem sibi commissum; Ieremiae decimo tertio: « Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum »?

Secundum.

(Vers. 5.). *Quoniam, cum essetis* etc. Bene dixi, quod *interrogabit* etc.; et merito, *quoniam, cum essetis ministri*, non domini, *regni illius*, id est Ecclesiae militantis; primae Petri quinto [9]: « Non ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo »; item primae ad Corinthios quarto: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi » etc. *Non recte iudicastis*, scilicet alios; unde Isaiae primo: « Pupillo non iudicant, et causa viduae non ingreditur ad illos »; item Ieremiae quinto: « Causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt ». *Neque custodistis legem iustitiae*, scilicet in vobis ipsis; in Psalmo [10]: « Non custodierunt testamentum Dei, et in lege eius noluerunt ambulare »; Isaiae quinquagesimo nono: « Conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit »; item Ieremiae quinto: « Hi magis confregerunt iugum, ruperunt vincula ». *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis*, peccando contra Deum; Ieremiae septimo: « Abierunt in voluptatibus et pravitate cordis sui mali ».

Alia expositio.

Vel potest dici, quod tangit triplicem modum, quo dicitur sententia iniusta [11]: primo ex *causa*, quando scilicet non subest causa iusta; secundo, ex *ordine*, ut quando non servatur ordo iuris; tertio, ex *animo*, ut quando corrupta intentione proceditur contra aliquem; contra quod dicitur Deuteronomii decimo sexto: « Iuste quod iustum est persequeris ».

Tertium.

(Vers. 6.). *Horrende*, id est terribiliter; ad Hebraeos decimo [12]: « Horrendum est incidere in manus Dei viventis »; *et cito apparebit vobis;* unde Sophoniae primo: « Iuxta est dies Domini magnus et velox nimis ». Et licet dies iudicii generalis longe sit,

---

[1] Vers. 13.

[2] Vulgata: *Praebete aures vos, qui continetis.* — Sequitur Prov. 14, 28.

[3] Part. II. c. 6: Miro ergo iudicio intus foveam deiectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatae quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Libr. XXIV. Moral. c. 25. n. 52: Unusquisque enim superbus rector toties ad culpam apostasiae dilabitur, quoties, praeesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate laetatur.

[4] Vers. 1. — Sequuntur Glossa *interlinearis: Potestas,* iudicandi in terra; Ioan. 19, 11. Cfr. supra pag. 82, nota 2.

[5] Scilicet *interlinearis.* — Seq. locus est Ps. 82, 19: Tu solus Altissimus in omni terra.

[6] Nempe *interlinearis.* — Sequuntur Luc. 16, 2; Eccle. 12, 14. et Eccli. 18, 20, ubi pro *et ante Deum* Vulgata *et in conspectu Dei.*

[7] Scilicet *interlinearis.* — Tres seqq. loci sunt Sap. 1, 9; Soph. 1, 12. et I. Cor. 4, 5.

[8] Vers. 12. — Sequuntur Isai. 22, 16. et Ier. 13, 20.

[9] Vers. 3. — Subinde allegantur I. Cor. 4, 1; Isai. 1, 23. et Ier. 5, 28.

[10] Psalm. 77, 10. — Tres seqq. loci sunt Isai. 59, 14; Ier. 5, 5. et 7, 24, ubi pro *voluptatibus* Vulgata *voluntatibus,* sed illud exhibet card. Hugo a S. Charo.

[11] Prout insinuatur a Gratiano super C. *Episcopus, presbyter* (65.), Causa 11. q. 3. — Inferius allegatur Deut. 16, 20.

[12] Vers. 31. — Sequuntur Soph. 1, 14: Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est et velox nimis; Eccli. 38, 23.

tamen dies particularis iudicii, id est mortis, prope est; unde Ecclesiastici trigesimo octavo: « Memor esto iudicii mei; sic enim erit et tuum: mihi heri et tibi hodie ». Et vere horrende apparebit vobis praelatis, *quoniam iudicium durissimum in*[1] *his qui praesunt, fiet.* Durum quidem, quia male *intraverunt;* durius, quia male *vixerunt;* durissimum, quia male *rexerunt.* Vel: durum propter peccata *subditorum;* durius propter peccata *ministrorum;* durissimum propter multitudinem et enormitatem *propriorum peccatorum.*

Ratio triplex.

Durius punientur praelati quam ceteri, primo ratione *commissi,* secundum illud Lucae duodecimo[2]: « Cui plus commodaverint, plus petent ab eo ». Ratione *peccati,* quia ceteris paribus gravius est peccatum praelati quam subditi; Ieremiae quinto: « Hi magis fregerunt iugum » etc. Ratione *damni,* quia scilicet alios suo exemplo corrumpunt; Gregorius[3]: « Cum pastor per abrupta graditur, necesse est, ut in praecipitium grex sequatur ». Ratione *scandali,* quia Ecclesiam scandalizant; unde Malachiae secundo: « Scandalizastis plurimos in lege ». Ratione *iudicii,* quia scilicet hic non iudicantur, secundum illud Psalmi[4]: « Tibi soli peccavi » etc.; et ideo in futuro simul et totaliter durius iudicabuntur, secundum illud secundi Machabaeorum sexto: « Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter exspectat, ut, cum iudicii dies advenerit, eas in plenitudine peccatorum puniat ». Ratione *officii,* quia etiam officium suum indigne exercendo peccant; ad Romanos secundo: « In quo alium iudicas, te ipsum condemnas ».

Iudicium durissimum ob 6 rationes.

(Vers. 7.). *Exiguo enim,* id est infirmo et humili; unde Glossa[5]: « Iis qui per ignorantiam, vel fragilitatem, vel necessitatem peccaverunt et humili poenitentia deleverunt »; *conceditur misericordia;* Glossa: « Remissio peccatorum », quoad poenam, sive ex toto, sive ex parte, hic, vel in futuro; Isaiae ultimo: « Ad quem respiciam nisi ad pauperculum » etc. *Potentes autem,* id est potestate abusi in peccatum, *potenter,* id est fortiter illata, *tormenta patientur,* propter peccata, quia pro peccatis suis et subditorum suorum; unde Numerorum vigesimo quinto[6]: « Tolle cunctos principes et suspende eos contra solem in patibulis »; item tertio Regum vigesimo: « Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius »; item Ezechielis trigesimo secundo: « Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni ».

(Vers. 8. 9.). *Non enim subtrahet Dominus,* scilicet a punitione et tormento, *personam cuiusquam,* scilicet parvi vel magni, privato amore; Ezechielis decimo octavo[7]: « Unumquemque iuxta vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus ». « Non est personarum acceptor Deus », Actuum decimo. Deinde reddit causam dicens: *Qui est,* id est, quia ille est, *omnium dominator*[8]; Apocalypsis decimo nono: « Rex regum et Dominus dominantium ». *Nec verebitur magnitudinem cuiusquam,* scilicet ex timore, quoniam ipse est « magnus Dominus et rex magnus super omnes deos », ut dicitur in Psalmo, et iterum: « Magnitudinis eius non est finis »; unde improportionabiliter superat omnem aliam magnitudinem. *Quoniam pusillum et magnum ipse fecit;* Malachiae secundo[9]: « Nunquid non unus est pater omnium nostrum? Nunquid non unus Deus creavit nos »? Et quia omnes creavit, ideo omnes, tam parvos quam magnos, sicut creaturas suas iudicabit; Apocalypsis vigesimo: « Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni ». *Et aequaliter est illi cura de omnibus.*

Quartum.

CONTRA: Primae ad Corinthios nono[10]: « Nunquid de bobus cura est Deo »? quasi dicat: non.

Quaestio 1.

Dicendum, quod cura disciplinae solum est Deo de rationalibus; sed cura providentiae est illi de omnibus[11]

Resp.

Sed si sequalis est illi cura providentiae de bonis et malis: ergo non differt apud illum bonum esse, vel malum.

Quaestio 2.

Respondeo: dicendum, quod loquitur de providentia naturali, non de gratuita. Vel: *aequaliter,* id est similiter.

Resp.

Et quamvis aequaliter sit ei *cura* de omnibus, non tamen omnes *puniet* aequaliter[12]. — *Autem,* pro sed. *Fortioribus,* in malo, *fortior instat cruciatio,* in supplicio, ut patet in lucifero et aliis daemonibus.

---

[1] Vulgata omittit *in,* quod exhibent etiam card. Hugo a S. Charo et Lyranus.

[2] Vers. 48: Cui commendaverunt multum, plus etc. Glossa *interlinearis: Iudicium durissimum,* potentes scilicet magis punientur, quibus plus committitur. — Sequitur Ier. 5, 5: Et ecce, magis hi simul confregerunt iugum etc.

[3] Libr. XXIV. Moral. c. 25. n. 53: Dux autem est impius, qui a tramite veritatis exorbitat, et dum ipse in praeceps ruit, ad abrupta sequentes invitat. Dux est impius, qui per tumoris exempla viam ostendit erroris... Timebat [Apostolus Paulus] nimirum, ne, dum ipse sibi potestatem pastoralis potentiae quaereret, grex subditus per abrupta sequeretur, et ad impietatem sequentes duceret qui pietatis officium suscepisset. — Sequitur Malach. 2, 8.

[4] Psalm. 50, 6. — Sequuntur II. Mach. 6, 14. et Rom. 2, 1, ubi pro *alium* Vulgata *alterum.*

[5] Nempe *ordinaria,* quae, sicut etiam seq. Glossa *interlinearis,* est ex Rabano. — Allegatur subinde Isai. 66, 2.

[6] Vers. 4. — Sequuntur III. Reg. 20, 39. et Ezech. 32, 21. Glossa *ordinaria* (ex Rabano): *Potentes,* qui scilicet mandata Dei contemnendo gravia peccata commiserunt nec poenituerunt. Sicut enim potentiores fuerunt in impietate, fortiora sustinebunt tormenta gehennae.

[7] Vers. 20. — Sequitur Act. 10, 34.

[8] Verba *Qui est omnium dominator* omittuntur a Vulgata; card. Hugo a S. Charo et Lyranus exhibent ipsa. — Sequuntur Apoc. 19, 16. et Ps. 94, 3. et 144, 3.

[9] Vers. 10. — Seq. locus est Apoc. 20, 12.

[10] Vers. 9.

[11] Cfr. I. Sent. lit. Magistri, d. XXXIX. c. 4, et ibid. Comment. dub. 6; Alex. Hal., S. p. I. q. 26. m. 4. a. 4.

[12] Vide IV. Sent. d. 46. a. 1. q. 3. et 4.

Secundo, de praemio sapientium rectorum.

Divisio. *Ad vos ergo* etc. Hic determinat et ostendit *sapientium rectorum praemium;* et primo *excitat ad sapientiam;* secundo sapientium *subdit mercedem* vel mercedis declarationem.

Expositio litteralis. Excitatio ad sapientiam. (Vers. 10.). *Ad vos ergo* etc. Quia *fortioribus fortior instat cruciatio, ad vos ergo, reges* etc.; Glossa [1]: « Finito sermone ad potentes, ad rectores Ecclesiae exhortationem convertit »; Glossa: « *O reges,* id est Ecclesiae rectores, vel omnes, quibus animarum suarum regimen commissum est ». *Ad vos sunt hi sermones mei,* scilicet de studio et amore sapientiae; unde sequitur: *ut discatis sapientiam;* Glossa [2]: « Divinam », non mundanam; de utraque primae ad Corinthios tertio: « Si quis videtur inter vos esse sapiens in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens ». *Hi sermones,* audiendi et retinendi et opere implendi, secundum illud Ieremiae decimo quinto: « Inventi sunt sermones tui, et comedi eos ». *Et non excidatis,* scilicet a iustitia « per praevaricationem mandatorum Dei », secundum Glossam [3]. Sapientia enim est sal custodiens a putrefactione peccati; negligentia autem sapientiae facit ruere in peccatum; unde Proverbiorum decimo septimo: « Qui evitat discere incidet in mala », quia in malum culpae et in malum poenae.

Merces declaratur. (Vers. 11.). Et bene dixi: *ut discatis sapientiam, ne excidatis* a iustitia; *qui enim custodierint iustitiam,* quae est via ad sapientiam, secundum illud Ecclesiastici primo [4]: « Fili, concupiscens sapientiam serva iustitiam »; *iuste iudicabuntur,* Glossa: « Iustitiae suae praemium accipient », scilicet in bono; unde Isaiae tertio: « Dicite iusto, quoniam bene; quoniam fructum adinventionum suarum comedet »; item Ezechielis decimo octavo: « Iustitia iusti super eum erit »; Lucae sexto: « In qua mensura mensi fueritis » etc. *Et qui didicerint* [5], scilicet per sapientiam, *iusta;* Glossa [6]: « Rectam fidem et opera »; *invenient, quid respondeant,* in iudicio scilicet de peccatis sibi obiectis; Habacuc secundo: « Super custodiam meam stabo etc., et contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me ».

Tertio, monitio sapientium et insipientium rectorum ad sapientium concupiscendam.

Divisio in 4 membra. *Concupiscite* etc. Hic monet rectores, tam bonos quam malos, *concupiscere sapientiam;* et primo ponit *exhortationem* ad concupiscendum eam; secundo, *facilitatem* acquirendi ipsam: *Clara est* etc.; tertio, *utilitatem* acquirendi ipsam: *Cogitare* etc.; quarto *monet diligere eam,* ibi: *Si ergo delectamini.*

Expositio litteralis. De primo. (Vers. 12.). *Concupiscite ergo* etc. Ex quo tam utilis est sapientia, quod facit non excidere a iustitia etc.; *concupiscite ergo sermones meos,* audiendos de sapientia; Ecclesiastici vigesimo quarto [7]: « Transite ad me omnes, qui concupiscitis me ». *Et diligite illos,* scilicet iam auditos, secundum illud Psalmi: « Dilexi mandata tua super aurum et topazion » etc. *Et habebitis disciplinam,* scilicet per ipsos sermones meos; Glossa: « Qui diligit sapientiam servat in moribus disciplinam », secundum illud Ioannis decimo quarto: « Si diligitis me, mandata mea servate ».

De secundo tripliciter. *Clara est.* Hic ostendit *facilitatem* acquirendi sapientiam primo per hoc, quod *clara* est *ad videndum;* secundo, quia est *spontanea ad se ostendendum: Praeoccupat;* tertio, quia *proxima ad ingrediendum: Qui de luce vigilaverit* etc.

Primum. (Vers. 13.). *Clara est* etc., quasi dicat: debetis eam concupiscere, quia *clara est sapientia;* sui scilicet pulcritudine et evidentia, quia scilicet lux est; unde infra septimo [8]: « Proposui pro luce habere illam ». *Et quae nunquam marcescit,* id est, a sua pulcritudine deficit; unde Glossa: « Decor sapientiae immarcescibilis est ». Non enim subiacet tempori, sed est supra tempus, quasi divina sapientia. *Et facile* etc., quasi dicat: nec desperandum de ea acquirenda, quia *facile videtur,* oculo scilicet *intellectus, ab his qui diligunt illam,* scilicet *affectu;* unde Ioannis decimo quarto [9]: « Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum ». Dilectio enim purgat et illuminat interiorem oculum ad videndum; unde Ecclesiastici secundo: « Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra ». *Et invenitur ab his qui quaerunt eam, effectu;* Lucae undecimo [10]: « Quae-

---

[1] Nempe *ordinaria* (ex Rabano in v. 9.), quae post *potentes* addit *et eorum duritia duris sermonibus increpata.* Seq. Glossa est *interlinearis,* secundum Rabanum.

[2] Scilicet *interlinearis,* ex Rabano. — Sequuntur I. Cor. 3, 18. et Ier. 15, 16.

[3] Nempe *interlinearem: Et non excidatis,* in praevaricationem praeceptorum Dei (Rabanus: Quatenus non excedant in praevaricationem praeceptorum Dei). — Seq. locus est Prov. 17, 16.

[4] Vers. 33. — Sequuntur Glossa *interlinearis* ex Rabano; Isai. 3, 10; Ezech. 18, 20. et Luc. 6, 38: Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis etc.

[5] In v. 11. Vulgata habet: *custodierint iusta iuste indicabuntur, et qui didicerint ista* etc.

[6] Scilicet *interlinearis* (Rabanus: *Iusta,* utique in recte credendo et bene operando). — Seq. locus est Habac. 2, 1.

[7] Vers. 26. — Duo seqq. loci sunt Ps. 118, 127. et Ioan. 14, 15. Glossa allegata est *ordinaria* (secundum Rabanum): Qui diligit... disciplinam. Non enim amat sapientiam, qui non servat disciplinam; unde [Ioan. 14, 15.]: *Si diligitis* etc.

[8] Vers. 10. — Seq. Glossa est *interlinearis,* sumta ex Rabano.

[9] Vers. 21. — Sequitur Eccli. 2, 10.

[10] Vers. 9. — Sequuntur Iob 28, 13. et Dan. 1, 8-17.

rite, et invenietis », scilicet si quaeratur, ubi debet quaeri. Non enim « invenitur in terra suaviter viventium », Iob vigesimo octavo; sed in asperitate victus et poenitentiae; unde Daniel invenit sapientiam merito abstinentiae suae, ut patet Danielis primo.

(Vers. 14.). *Praeoccupat*, scilicet antequam studio quaerentis inveniatur; Glossa [1]: « Gratis se offerens; ipsa enim est via, veritas et vita, unde per eam itur ad ipsam et pervenitur ». *Praeoccupat*, inquam, id est praevenit eos, *qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat;* quia illam non praevenirent, nisi praeventi et illuminati ab ea, sicut lux solis illuminat ad se ipsam videndum; Bernardus [2]: « Vera sapientia, quae Christus est, inveniri potest, praeveniri non potest ». Secundum.

(Vers. 15.). *Qui de luce* etc. Bene dixi, quod invenitur a quaerentibus, quia *qui de luce*, id est, statim cum lux ei oritur; Glossa [3]: « A principio lucentis fidei », non de nocte, sicut peccatores semper in nocte manentes, sed sicut iusti, de quibus Proverbiorum quarto: « Iustorum semita quasi lux splendens » etc.; primae ad Thessalonicenses quinto: « Omnes vos filii lucis estis ». *Vigilaverit ad illam*, contra negligentiam; Proverbiorum octavo: « Qui mane vigilaverint ad me invenient me ». *Non laborabit*, quia dulcedo rei quaesitae et inventae alleviabit laborem; Ecclesiastici sexto: « In opere eius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius ». *Assidentem enim* etc., hoc est, in quiete et sine motu paratam intrare, sicut solis radius assidet fenestrae clausae. *Assidentem*, inquam, *illam foribus suis*, scilicet spiritualibus, intellectui scilicet et affectui; *inveniet*, eam; Apocalypsis tertio [4]: « Ego sto ad ostium et pulso » etc. Ipsa etiam fores habet, per quas intratur ad eam; unde Proverbiorum octavo: « Beatus homo, qui audit me et vigilat ad fores meas quotidie »; quae sunt fides et caritas; per fidem intrat ad eam intellectus, per caritatem affectus. Tertium.

Cogitare ergo de illa etc. Hic ostendit *acquirentium utilitatem*, primo in *praesenti;* secundo in *futuro: Initium* etc. — Utilitas in *praesenti* ostenditur quadruplex: primo, *sensus* in rationali; secundo, *securitas* in irascibili: *Et qui vigilaverit;* tertio, *hilaritas* in concupiscibili: *Quoniam dignos* etc.; quarto, *providentia* futurorum. *Et in omni providentia.* De tertio dupliciter. De quadruplici utilitate in praesenti.

(Vers. 16.). *Cogitare ergo de illa;* quasi dicat: non solum vigilanti et quaerenti datur, sed et *cogitare de illa*, non simplici cogitatione, sed affectiva; unde Glossa [5]: « Desiderio divinae contemplationis »; Ecclesiastici decimo quarto: « Beatus vir, qui in sapientia morabitur etc., et in sensu cogitabit circumspectionem Dei »; *sensus est consummatus*, id est perfectus, quia sapientia perficit sensum hominis, quia, secundum Hugonem de sancto Victore [6], « sapientia est, in qua perfecti boni forma consistit ». Prima utilitas.

Vel: *Cogitare de illa sensus est consummatus*, id est, tunc perfecte sensus ordinatur, cum studet sapientiae, secundum illud Augustini: « Finis hominis in via est perfecte quaerere veritatem ». Aliter.

Et qui vigilaverit; Glossa [7]: « Intentione mentis », *propter illam*, acquirendam vel custodiendam, *cito erit securus*, scilicet a malo; « quia eius adeptio est vera securitas », secundum Glossam; Proverbiorum undecimo: « Qui cavet laqueos securus erit ». Haec est bona securitas, de qua Proverbiorum decimo quinto: « Secura mens quasi iuge convivium ». Secunda.

(Vers. 17.). *Quoniam dignos se;* quasi: bene dixi, quod *cito erit securus, quoniam dignos se ipsa*, scilicet mundos corde et corpore; unde supra primo [8]: « In malevolam animam non introibit sapientia » etc. *Circuit quaerens*, id est ex omni parte continue se offerens et indesinenter; quae indesinentia et continuatio datur intelligi per hoc quod dicit: *circuit;* motus enim rectus non sic potest continuari, sicut circularis. Sic circuibat Sapientia incarnata per castella, ut patet Marci sexto [9]. *Et in viis suis*, scilicet praeceptis et consiliis observatis; de quibus Proverbiorum tertio: « Viae eius viae pulcrae, et semitae illius pacificae »; *ostendit se illis*, secundum illud Psalmi: « A mandatis tuis intellexi »; *hilariter*, eos laetificando, scilicet de hoc, quod ipsa gratis se dat eis; secundae ad Corinthios nono: « Hilarem datorem diligit Deus », sicut etiam homo; unde Seneca [10]: « Quantum addis morae, tantum subtrahis gratiae ». *Et in omni providentia*, de futuris, perfecte eis providendo necessaria ad salutem; *occurrit illis;* Glossa [11]: « Adiutrix », sicut Sapientia incarnata re- Tertia. Quarta.

---

[1] Nempe *ordinaria* ex Rabano, qui haec verba ad Christum referens ait: Sapientia haec Christus est... Hic ergo sua gratia omnes praeoccupat, quicumque ad eius amorem anhelant; quia ipse est *via, veritas et vita* [Ioan. 14, 6.], per ipsum itur, ad ipsum tenditur, ad ipsum pervenitur.

[2] De Diligendo Deo, c. 7. n. 22: Potes quidem [Domine] quaeri et inveniri, non tamen praeveniri.

[3] Scilicet *interlinearis* (ex Rabano): *Qui de luce*, corde devoto a principio etc. — Sequuntur Prov. 4, 18; I. Thess. 5, 5; Prov. 8, 17. et Eccli. 6, 20.

[4] Vers. 20. — Seq. locus est Prov. 8, 34. Glossa *ordinaria* (ex Rabano): *Assidentem*, semper paratam scilicet auxiliari; unde [Apoc. 3, 20.]: *Ecce ego sto ad ostium* etc.

[5] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Sequitur Eccli. 14, 22.

[6] Libr. I. Eruditionis didascalicae, c. 2. Cfr. supra pag. 107, nota 5. — Sententia Augustini inferius posita habetur I. contra Academicos, c. 3. n. 9: Hominis autem finis est perfecte quaerere veritatem.

[7] Haec et seq. Glossa (ex Rabano) sunt *interlineares*. — Sequuntur Prov. 11, 15. et 15, 15.

[8] Vers. 4. — Quod solus motus *circularis* perpetuo continuus esse possit, ostendit Aristot., VIII. Phys. text. 64. seqq. (c. 8.).

[9] Vers. 6: Et circuibat castella in circuitu docens. — Tres seqq. loci sunt Prov. 3, 17; Ps. 118, 104. et II. Cor. 9, 7.

[10] Libr. II. de Beneficiis, c. 5: Quare verissimum existima, quod ille comicus dixit:

> Quid? tu non intelligis,
> Tantum te gratiae demere, quantum morae adiicis?

[11] Nempe *interlinearis*. — Matth. 28, 9: Et ecce, Iesus occurrit illis dicens: Avete.

surgens occurrit mulieribus, ut habetur Matthaei vigesimo octavo.

Initium etc. Hic tanguntur *gradus gloriae* per sapientiam acquirendae; et primo tangit *initium;* secundo, *profectum*, ibi: *Cura ergo;* tertio, *consummationem: Custoditio autem legum* etc.; quarto, *consummationis finem: Concupiscentia itaque.* Gradus ergo primus, id est initium sapientiae, *concupiscentia disciplinae;* ex concupiscentia disciplinae, *dilectio;* ex dilectione, *custodia legis* Dei; ex custodia divinae legis, *incorruptio mentis* et *proximitas divinae similitudinis;* ex divina similitudine, *gloria regni caelestis:* ergo *a primo* ex concupiscentia sapientiae habetur gloria caelestis [1].

Utilitas in futuro secundum 4 gradus.

(Vers. 18.). Hoc est, quod vult dicere: *Initium enim illius,* scilicet sapientiae etc.; quasi dicat: ita *occurrit et ostendit se* sapientia. Nec est inutilis eius ostensio et occursus. *Enim*, pro quia; *initium illius*, scilicet per quod homo incipit fieri sapiens; « nemo enim repente fit summus », ut dicit Glossa [2]; *est verissima disciplinae,* id est sapientiae, *concupiscentia.* De hac concupiscentia dicitur in Psalmo: « Concupivit anima mea desiderare » etc. Concupiscentia enim sapientiae est aliqua pars sapientiae, secundum illud Ecclesiastici sexto: « Si dilexeris audire, sapiens eris ».

Gradus 1.

Sed videtur, quod timor, et non amor, sit sapientiae initium, quia dicitur Ecclesiastici primo [3]: « Initium sapientiae timor Domini ».

Quaestio.

Dicendum, quod *timor* est initium primum, sed *amor* est proximum; vel: *timor* initium extrinsecum, *amor* initium intrinsecum [4].

Resp.

Verissima autem concupiscentia dicitur hic contra triplicem vanam concupiscentiam, de qua dicitur primae Ioannis secundo [5]: « Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis » etc., quae est ex triplici vanitate, de qua Ecclesiastae primo: « Vanitas vanitatum » etc.

(Vers. 19.). *Cura ergo,* quasi dicat: ex quo ita est, quod *concupiscentia disciplinae est initium sapientiae,* ergo *cura disciplinae,* id est concupiscentia disciplinae, *est dilectio,* id est causa dilectionis ipsius sapientiae; quod enim concupiscimus diligimus, cum habemus. Et nota, quod idem vocat *sapientiam* et *disciplinam,* quia idem sunt in *re,* licet differant *ratione,* quia *sapientia* dicitur, in quantum mentem interius delectabiliter afficit; *disciplina*, in quantum actiones exteriores ordinat et disponit. Vel sic: *concupiscentia* etc. *est dilectio,* id est causa dilectionis divinae; infra septimo [6]: « Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat »; ad Hebraeos duodecimo: « Quodsi extra disciplinam estis, ergo non filii, sed adulteri estis ». *Et dilectio, custodia legum illius est,* id est causa custoditionis; ad Romanos decimo tertio [7]: « Plenitudo legis est dilectio », id est causa impletionis divinae legis; primae ad Timotheum primo: « Finis praecepti est caritas »; *legum,* scilicet naturalis, Moysaicae et evangelicae; de quibus Isaiae vigesimo quarto: « Transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum ».

Gradus 2.

Custoditio autem legum consummatio incorruptionis, id est causa consummatae incorruptionis spiritualis, scilicet tam mentis quam corporis in praesenti; vel: *incorruptionis,* « id est immortalitatis » in futuro, secundum Glossam [8]; Proverbiorum tertio: « Custodi legem meam atque consilium meum, et erit vita animae tuae ».

Gradus 3.

(Vers. 20. 21. 22.). *Incorruptio autem facit, esse proximum Deo;* unde de virginibus cantatur, quod « sequuntur Agnum, quocumque ierit », Apocalypsis decimo quarto [9]. — *Concupiscentia itaque sapientiae,* quae est eius initium, *deducet ad regnum perpetuum;* Glossa: « Quod est in cognitione Divinitatis », secundum illud Ioannis decimo septimo: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum » etc. — *Si ergo delectamini* etc., quasi dicat: ex quo dat *regnum perpetuum, ergo si delectamini sedibus et sceptris;* Glossa [10]: « Reges admonet diligere sapientiam, sine qua regnare non possunt; tunc enim bene regitur respublica, cum philosophi regnant, et reges philosophantur. Merito ergo rectores Ecclesiae assidui sunt in divinae legis meditatione; qui enim eam discendo, docendo, operando sequitur regni caelestis coronam assequetur ». *Si ergo delectamini sedibus,* iudiciariae potestatis, *et sceptris,* regiae dignitatis, secundum illud Matthaei vigesimo tertio [11]: « Amant primas cathedras » etc.; alia littera habet *sensibus,* quoad discretionem, *et stemmatibus,* quoad dignitatem; *si delectamini,* inquam, *o reges*

Gradus 4.

---

[1] Cfr. Collat. in Hexaëm. collat. 2. (tom. V. pag. 336).

[2] Scilicet *interlinearis* ex Rabano ad v. 16 et 17, qui sequitur Gregor., XXII. Moral. c. 19. n. 45. et II. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 3. Cfr. tom. IV. pag. 336, nota 5. — Duo seqq. loci sunt Ps. 118, 20. et Eccli. 6, 34. — Simili modo Seneca (in Hippolyto Act. 1. v. 247.) ait: Pars sanitatis *velle sanari* fuit.

[3] Vers. 16.

[4] Cfr. III. Sent. d. 34. p. I. dub. 2. et p. II. dub. 5.

[5] Vers. 16. — Seq. locus est Eccle. 1, 2. Vide Comment. in hunc locum.

[6] Vers. 28. — Sequitur Hebr. 12, 8.

[7] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt I. Tim. 1, 5. et Isai. 24, 5.

[8] Nempe *interlinearem: Consummatio,* id est, ad incorruptionem immortalitatis perducet; *incorruptionis,* immortalitatis. Rabanus: Qui... in hoc mundo vivit custodiens mandata Dei... ad incorruptionem immortalitatis et perpetuam vitam perveniet, quae est utique in cognitione divinitatis Domini nostri Iesu Christi etc. — Sequitur Prov. 3, 21. et 22, ubi Vulgata omittit *meam* et *meum.*

[9] Vers. 4. — De seq. Glossa, quae est *interlinearis,* cfr. in nota praecedente verba Rabani. Subinde allegatur Ioan. 17, 3.

[10] Scilicet *ordinaria* ex Rabano. In ipsa occurrit sententia Platonis iam supra pag. 109, nota 5. allegata.

[11] Vers. 6. — Alia littera, quae mox proponitur, integra etiam exhibetur a card. Hug. a S. Charo in margine; Lyranus allegat primam partem *sensibus,* Rabanus secundam *et stemmatibus* (Vat. et 1 perperam *schematibus*).

populi, id est rectores maiores et praelati, tam saeculares quam ecclesiastici; *diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis;* Proverbiorum octavo [1]: « Per me reges regnant ».

(Vers. 23.). *Diligite lumen sapientiae*, ad illuminationem animarum; infra septimo [2]: « Luci comparata invenitur prior »; quia illuminat spiritualia, quod maius est, quam illuminare corporalia. *Omnes, qui praeestis populis*, id est vos etiam minores principes et praelati.

Quarto, promissio de docenda sapientia, ubi tanguntur quatuor.

Quid autem est sapientia etc. Hic ultimo se promittit *docere sapientiam;* et primo tangit doctrinae *manifestationem;* secundo, docendi *fidelitatem: Et ponam in lucem;* tertio, audiendi *utilitatem: Multitudo autem* etc.; quarto, subiungit suam ad audiendum *exhortationem: Ergo accipite.*

Divisio in 4 membra.

(Vers. 24.). *Quid autem est sapientia*, quasi dicat: ita invitavi vos ad sapientiam, et ut acquiescatis, *referam* etc. Vel sic continuandum: hucusque monui ad sapientiam; *autem*, pro sed; amodo *referam, quid est sapientia* etc. Ecce, magna promissio; « abscondita enim est ab oculis omnium viventium », Iob vigesimo octavo [3]; verumtamen revelatione Spiritus sancti nosci potest. *Quid est*, inquam, *sapientia*, increata, id est *qualis;* de ipsa enim non potest sciri nec dici, *quid* sit, scilicet secundum *essentiam*, sed *qualis*, quoniam *bona, aeterna, omnipotens* etc. De sapientia vero creata sciri potest et dici, *quid* sit; unde Augustinus [4]: « Sapientia est cognitio rerum divinarum ». *Et quemadmodum facta sit*, id est qualiter genita de Patre, scilicet aeterna Sapientia, quae est Dei Filius; primae ad Corinthios primo [5]: « Christum Dei virtutem et sapientiam ». Vel: *quemadmodum facta*, id est creata, si exponatur de creata; Ecclesiastici primo: « Prior omnium creata est sapientia »; item ibidem vigesimo quarto: « Ab initio et ante saecula creata sum », id est disposita creari. *Et non abscondam a vobis sacramenta Dei*, id est sacra et secreta opera sapientiae Dei.

Expositio literalis. De primo.

Contra: Tobiae duodecimo [6]: « Sacramentum regis abscondere bonum est ».

Qnaestio.

Dicendum, quod *tentatoribus* debet abscondi, *amatoribus* debet revelari; unde Ioannis decimo quinto [7]: « Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Item, abscondenda *superbis sapientibus*, sed revelanda *parvulis humilibus;* unde Matthaei undecimo: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis », id est humilibus. Item, non *gulosis*, sed *abstinentibus*, ut patet Danielis primo.

Resp.

Sed ab initio nativitatis, id est humanae, vel ipsius sapientiae; *investigabo*, ostendendo, ipsam a Deo Patre procedere. *Et ponam in lucem*, scilicet manifestationis, *scientiam illius*, clare docendo; Ecclesiastici vigesimo quarto [8]: « Qui elucidant me vitam aeternam habebunt ». *Et non praeteribo veritatem*, falsa admiscendo; Ecclesiastici trigesimo septimo: « Ante omnia opera verbum verax praecedat te »; Augustinus: « Bonorum ingeniorum insignis indoles est, in verbis verum amare, non verba ».

De secundo.

(Vers. 25.). *Neque cum invidia tabescente*, id est tabescere faciente; Proverbiorum decimo quarto [9]: « Putredo ossium invidia »; item in Psalmo: « Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet ». *Iter habebo*, quia pessima est socia; devorat enim hominem sicut fera; Genesis trigesimo septimo [10]: « Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph ». Talis erat Moyses, id est non invidus; dicebat enim: « Quis mihi tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum »? Numerorum undecimo. *Quoniam talis homo*, scilicet invidus, *non erit particeps sapientiae;* unde supra primo [11]: « In malevolam animam » etc.; Ecclesiastici decimo quarto: « Homini livido », id est invido, « ad quid aurum »? id est sapientia, quae *aurum* appellatur propter suam pretiositatem; Proverbiorum tertio: « Pretiosior est enim cunctis opibus ».

De tertio.

(Vers. 26. 27.). *Multitudo autem* etc., quasi dicat: et debetis audire; *autem*, pro quia; quia *multitudo sapientium;* Glossa [12]: « Coetus praedicatorum »; *sanitas est orbis terrarum*, id est causa sanitatis; Proverbiorum undecimo: « Ubi non est gubernator, populus corruet; salus autem, ubi multa concilia ». Qui ergo obviat sapientium multiplicationi vel multitudini obviat orbis saluti; et ideo talis debet esse odio toti orbi. Tales erant, de quibus dicit Apostolus primae ad Thessalonicenses secundo [13]: « Deo non placent et omnibus hominibus adversantur ». *Et rex sapiens populi stabilimentum est;*

---

[1] Vers. 15.
[2] Vers. 29.
[3] Vers. 21.
[4] Libr. XIV. de Trin. c. 1. n. 3. Cfr. supra pag. 108, nota 7.
[5] Vers. 24. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 1, 4. et 24, 14.
[6] Vers. 7.
[7] Vers. 15. — Sequuntur Matth. 11, 25. et Dan. 1, 8-17.
[8] Vers. 31; ibid. 37, 20. est seq. locus. — Sententia Augustini habetur IV. de Doctr. christiana, c. 11. n. 26.
[9] Vers. 30. — Seq. locus est Ps. 111, 10.
[10] Vers. 33. — Sequitur Num. 11, 29: Quis tribuat etc.
[11] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 14, 3. et Prov. 3, 15. Rabanus: Perspicuum est, quod invidiae pestis consors non est sapientiae, quia *per invidiam diaboli mors introivit in totum orbem terrarum* [Sap. 2, 24.], et per sapientiam Dei de mortis laqueo ereptum est genus humanum; unde et sequitur: *Multitudo autem sapientium sanitas...* Multitudo autem sapientium coetus est sanctorum praedicatorum, quorum doctrina sanitas est orbis terrarum etc.
[12] Scilicet *interlinearis*. Cfr. in nota praecedente verba Rabani. — Sequitur Prov. 11, 14.
[13] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 10, 1. et Ps. 34, 3, ubi pro *populi* Vulgata *tua*.

Ecclesiastici decimo: « Iudex sapiens iudicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit ». Hoc autem maxime competit Christo, in cuius persona
De quarto. dicitur: « Salus populi ego sum ». — Et quia ita est utilis sapientia, *ergo accipite disciplinam*, id est sapientiam, *per sermones meos*, excitative sive occasionaliter, sed per inspirationem divinam effective et causaliter; unde Ecclesiastici primo [1]: « Omnis sapientia a Domino Deo est ». *Et proderit vobis*, quia dicitur Ecclesiastae ultimo: « Verba sapientium quasi stimuli », scilicet provocando ad bonum; « et quasi clavi in altum defixi », praeservando a casu in malum.

Capitulum VII.

Secundo sumit rationem exhortandi ad sapientiam a suo exemplo.

Sum quidem et ego etc. Supra [2] monuit re-
Divisio. ctores ad acquirendam sapientiam et amandam per rationem sumtam ex periculo officii sui, hic ex *exemplo sui*. Et primo ostendit, qualiter sapientiam *acceperit*, scilicet in isto capitulo; secundo, quantum eam *amaverit*, scilicet capitulo octavo; tertio, quantum devote eam a Domino *quaesierit*, scilicet capitulo nono.

Primo ostendit, qualiter sapientiam acceperit.

In parte prima, ut ad propositum descendat, primo humanae *fragilitatis miseriam* describit; secundo ostendit, quod haec occasio ipsum *ad acquirendam sapientiam provocavit: Propter hoc optavi* etc.; tertio ostendit, *a quo edoctus fuerit: Mihi autem.*

Primo, de humanae fragilitatis miseria.

In prima primo tangit *naturae humanae defe-*
Divisio in 5 membra. *ctibilitatem;* secundo, *conceptionis humanae vilitatem: Et in ventre;* tertio, *nativitatis conditionem: Et ego;* quarto, *educationis laborem: In involumentis;* quinto, *miseriae communitatem: Nemo enim* etc.

(Vers. 1.). *Sum quidem* etc. Ita monui vos acci-
De primo. pere disciplinam sapientiae « per sermones meos [3] »; et hoc potestis non solum per sermones meos, sed etiam *exemplo meo*, quia *et ego sum; quidem*, hoc est certe; *mortalis homo*, sicut vos; *mortalis*, inquam, id est potens mori ex prima conditione, sed necesse habens mori ex prima transgressione; homo enim, secundum Boethium [4], est animal rationale, mortale; item ad Romanos octavo: « Corpus quidem mortuum est propter peccatum », id est necessitati moriendi addictum. *Similis omnibus*, aliis in hac conditione mortalitatis; secundi Regum decimo quarto: « Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur ». *Et ex genere terreni illius*, scilicet Adae praevaricatoris, *qui prior factus est*, de terra scilicet; unde Genesis secundo [5]: « Formavit Deus hominem de limo terrae »; item primae ad Corinthios decimo quinto: « Primus homo de terra terrenus »; item ibidem: « Qualis terrenus, tales et terreni ». *Et in ventre matris figuratus* De secundo. *sum caro.* Secundum enim Augustinum in libro Octoginta trium Quaestionum [6], primis sex diebus semen est quasi lac; reliquis novem lac convertitur in sanguinem; reliquis duodecim figuratur in carnem; reliquis decem et octo formatur in corpus organicum. Et tunc anima circa quadragesimum quintum vel quadragesimum sextum diem infunditur corpori. Toto vero reliquo tempore post animae infusionem corpus vegetatur et augetur.

(Vers. 2.). *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis*, secundum physicos, ut dicit Glossa [7]: « Semen mulieris sanguinolentum est, semen viri candidum; ex quorum commixtione unius tanquam passivi et alterius tanquam activi fit coagulatio »; Iob decimo: « Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti »? Haec autem coagulatio fit in prima parte *decem* mensium; ipsa vero tota mora formationis tempus est *novem* mensibus.

Sed contra: Quia communis formationis tempus Quaestio. est novem mensium; unde secundo Machabaeorum septimo [8]: « Miserere mei, fili, quae te novem mensibus portavi ».

Respondeo: Sicut dicit Glossa [9], « quidam nascun- Resp. tur mense septimo, quidam octavo, quidam nono; sed qui in decimo, perfectiores et sanativi et vitales esse dicuntur ». Christus autem, secundum Glossam, fuit in utero matris « novem mensibus et sex diebus »; unde quod ait: *decem mensium*, synecdochice accipitur; « fuit enim ab octavo kalendas Aprilis usque ad octavum kalendas Ianuarii ».

---

[1] Vers. 1. — Sequitur Eccle. 12, 11.

[2] Cap. 6, 2. seqq.

[3] Respicitur supra 6, 27: Ergo accipite disciplinam per sermones meos etc.

[4] In Porphyr. Dialog. II. *de Differentia;* IV. Comment. in Porphyr. *de Differentia* et I. de Differentiis topic. — Sequuntur Rom. 8, 10. et II. Reg. 14, 14.

[5] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 15, 47. et 48.

[6] Quaest. 56.

[7] Scilicet *ordinaria* (ad 6, 27.) ex Rabano: Ut enim aiunt physici, semen viri candidum, et mulieris est sanguinolentum, quorum commixtione certis spatiis corpus formatur, donec animatum perveniat ad partum. — Sequitur Iob 10, 10.

[8] Vers. 27. — E codd. supplevimus *Sed contra... mensium.*

[9] Scilicet *ordinaria* (ex Rabano) ad c. 6, 27. Seq. Glossa, quae est *ordinaria*, sumta est ex Rabano, qui sequitur August., 83 Qq. q. 56. et IV. de Trin. c. 5. n. 9.

Et delectamento somnii[1] *conveniente*, vel *convenientis*, id est actu delectabili communis dormitionis viri cum muliere. Haec autem delectatio comparatur delectationi somnii, quia rationem ligat et cito transit, sicut delectatio somnii.

(Vers. 3.). *Et ego natus accepi communem aërem*, ad necessitatem respirationis; Ecclesiastae tertio[2]: « Similiter spirant omnia ». *Et similiter decidi*, de ventre matris, *in terram factam*, scilicet a Deo, Genesis primo; et hoc quantum ad necessitatem vitae et sustentationis. *Et primam vocem similem omnibus*, scilicet nascentibus, *emisi plorans*. Dicit Augustinus[3], quod « puer a ploratu suo incipit esse propheta suae calamitatis »; « solum autem, quando natus est, ferunt, id est dicunt, risisse Zoroastrem, regem Bactrianorum ». Solus etiam Ioannes Baptista contra legem nascentium nativitatem suam laetitia et exsultatione praevenit; Lucae primo[4]: « Exsultavit in gaudio infans in utero meo ».

(Vers. 4. 5. 6.). *In involumentis*, scilicet pannorum, *nutritus sum*; Lucae secundo[5]: « Pannis eum involvit ». *Et curis magnis*; secundo Machabaeorum septimo: « Triennio lac dedi et in hanc aetatem perduxi ». — *Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium*, quia in naturalibus non est differentia inter reges et subditos, sed in bonis fortunae. — *Unus ergo introitus est omnibus ad vitam*, scilicet per temporalem nativitatem ita vilem, ut dictum est; *et similis exitus*, scilicet per mortem ita asperam, sicut describitur Ecclesiastae ultimo[6]. Item, *unus est introitus*, scilicet per pauperem nativitatem; *et similis exitus*, scilicet per mortem pauperrimam; Iob primo: « Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc »; Ecclesiastae quinto: « Miserabilis prorsus infirmitas; quomodo venit, sic revertetur ».

De tertio.

De quarto.

De quinto.

Secundo ostendit, quod hac occasione ad sapientiam provocatus sit.

Propter hoc optavi etc. Hic ostendit, quod haec occasio ad acquirendam sapientiam eum provocavit; et primo tangit sapientiae optatae *adeptionem*; secundo, adeptae *aestimationem*: *Et praeposui illam*; tertio, aestimatae *dilectionem*: *Super salutem*; quarto, habitae et dilectae *communicationem*: *Quam sine fictione didici*.

Divisio in 4 membra.

(Vers. 7. 8.). *Propter hoc*, id est propter praedictarum miseriarum considerationem pulsatus; *optavi*, scilicet sapientiam. *Et datus est mihi sensus*, id est sapientia; Proverbiorum decimo[7]: « Desiderium suum iustis dabitur ». *Et invocavi*, Glossa: « Dominum »; Iacobi primo: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo ». *Et venit in me*, invocantem, *spiritus sapientiae*, secundum illud Psalmi: « Os meum aperui », scilicet in oratione, « et attraxi spiritum »; item Ecclesiastici decimo quinto: « In medio ecclesiae aperuit os eius, et implevit eum Dominus spiritu sapientiae ». — *Et praeposui illam*, scilicet aestimatione valoris, *regnis*, id est dignitatibus regum; *et sedibus*, id est dignitatibus iudicum; et merito, quia dicit: « Per me reges regnant », Proverbiorum octavo[8]. *Et divitias nihil esse duxi in comparatione illius*; Proverbiorum tertio: « Pretiosior est cunctis opibus ». « Quid enim prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit »?

De primo.

De secundo.

(Vers. 9.). *Nec comparavi illi*, id est eius pretio vel virtuti, *lapidem pretiosum*; in Psalmo[9]: « Dilexi mandata tua super aurum et topazion »; item Iob vigesimo octavo: « Non conferetur tinctis Indiae coloribus nec lapidi sardonycho pretiosissimo vel sapphiro ». « Non adaequabitur ei topazius de Aethiopia ». *Quoniam* etc., quasi dicat: et merito, quia *omne aurum*, id est totum aurum, quod est in mundo, *in comparatione illius arena est*, id est terra infructuosa; Bernardus[10]: « Quid est aurum nisi terra rubra »? *exigua*, id est parvi ponderis; Iob vigesimo octavo: « Non dabitur aurum obrizum pro ea ». *Et tanquam lutum*, id est nullius valoris, *aestimabitur argentum in conspectu illius*; Iob vigesimo octavo[11]: « Non appendetur argentum in commutatione eius »; Proverbiorum tertio: « Melior est acquisitio eius negotiatione auri et argenti » etc.

---

[1] Hanc lectionem affert card. Hugo a S. Charo in margine, qui etiam exhibet *convenientis*; Vulgata: *somni conveniente*; in aliquibus edd. legitur *somnii*.

[2] Vers. 19. — Sequitur Gen. 1, 1: In principio creavit Deus caelum et terram.

[3] Serm. 167. (alias 24. de Verbis Apostoli), c. 1. n. 1: Nascitur [puer] et statim plorat; post nescio quot dies ridet. Quando plorabat nascens, propheta suae calamitatis erat; lacrymae enim testes sunt miseriae. Nondum loquitur et iam prophetat. Quid prophetat? In labore se futurum etc. Et XXI. de Civ. Dei, c. 14: « Quae quidem [infantia], quod non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodam modo. Solum, quando natus est, ferunt risisse Zoroastrem, nec ei boni aliquid monstruosus risus ille portendit. Nam magicarum artium fuisse perhibetur inventor » etc. Plinius, VII. Nat. Hist. c. 15: Risisse eodem die, quo genitus esset, unum hominem accepimus Zoroastrem. Eidem cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum, futurae praesagio scientiae.

[4] Vers. 44.

[5] Vers. 7. — Sequitur II. Mach. 7, 27: Lac triennio dedi et alui et in aetatem istam perduxi.

[6] Vers. 3. seqq. — Duo seqq. loci sunt Iob 1, 21. et Eccle. 5, 15.

[7] Vers. 24. — Sequuntur Glossa *interlinearis*; Iac. 1, 5; Ps. 118, 131. et Eccli. 15, 5: In medio ecclesiae aperiet os eius et adimplebit illum spiritu sapientiae.

[8] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt ibid. 3, 15. et 17, 16: Quid prodest stulto etc.

[9] Psalm. 118, 127. — Sequitur Iob 28, 16. et 19.

[10] Serm. 4. de Adventu Domini, n. 1: Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit, ut magis reputet pretiosam? — Seq. locus est Iob 28, 15.

[11] Vers. 15. — Sequuntur Prov. 3, 14. et Habac. 2, 6.

Luto vero comparatur argentum, quia inquinat manus et animum; Habacuc secundo: « Usquequo aggravat contra se densum lutum »?

Sapientia praeponenda divitiis ob 8 rationes.

Notandum, quod sapientia praeponitur argento et auro et omni mundano thesauro, primo ratione *originis*, quia mundanus thesaurus est de terra; Iob vigesimo octavo [1]: « Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est, in quo conflatur », immo « terra est », secundum beatum Bernardum; sapientia autem de caelo est, ut patet Iacobi tertio. — Secundo, ratione *naturae*, quia thesaurus mundanus est res corporalis, sapientia vero res spiritualis; unde Isaiae undecimo [2]: « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae » etc. — Tertio, ratione *virtutis*, quia thesaurus est finitus, sapientia vero infinita est; unde infra hoc eodem capitulo [3]: « Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt participes facti sunt amicitiae Dei ». — Quarto, ratione *operationis*, quia thesaurus pauca potest efficere, sed haec omnia; unde infra octavo: « Quid locupletius sapientia, quae omnia operatur »? — Quinto, ratione *aestimationis*, quia thesaurus cadit sub aestimatione, illa non; Iob vigesimo octavo: « Non conferetur tinctis Indiae coloribus » etc. — Sexto, ratione *utilitatis*, quia sapientia sine divitiis prodest, divitiae vero sine sapientia non prosunt, sed nocent; unde Ecclesiastae quinto [4]: « Divitiae conservatae in malum domini sui ». — Septimo, ratione *durationis*, quia « sapientia clara est, et quae non marcescit », supra sexto; divitiae vero corrumpuntur; unde Iacobi quinto: « Divitiae vestrae putrefactae sunt »; item Iacobi primo: « Dives in itineribus suis marcescet ». — Octavo, ratione *inclinationis*, quia sapientia, cum sit desursum, sursum elevat, sed aurum et argentum deorsum trahunt, scilicet ad terram; unde Baruch tertio [5]: « Qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, exterminati sunt et ad inferos descenderunt ».

De tertio.

Super salutem etc. Hic ostendit sapientiae aestimatae dilectionem. Et primo ostendit huius dilectionis *magnitudinem;* secundo, *rationem: Venerunt autem mihi* etc.

Magnitudo dilectionis.

(Vers. 10.). *Super salutem;* Glossa [6]: « Corporis », scilicet *interiorem;* Psalmus: « Quia vana salus hominis »; *et speciem*, Glossa: « Rerum corporalium », scilicet *exteriorem* pulcritudinem, quia, Proverbiorum trigesimo primo, « fallax gratia, et vana est pulcritudo »; *dilexi eam*, scilicet sapientiam, quia quanto spiritus melior corpore et magis care diligendus, tanto spiritualia meliora sunt corporalibus et magis diligenda. Et eam in tantum dilexi, quod *proposui pro luce habere illam*, quae, inquam, lux est pulcherrimum et delectabilissimum et optimum inter corporalia, secundum Augustinum [7]; sic sapientia inter spiritualia lux est animae; Ecclesiastici ultimo [8]: « In sapientia eius luxit anima mea, et ignorantias meas illuminavit »; infra eodem: « Speciosior est sole ». Sequitur: *Quoniam inexstinguibile est lumen illius*, scilicet quantum est de se; infra eodem: « Luci comparata, invenitur prior, illi enim succedit nox ».

Ratio dilectionis. Absolute.

(Vers. 11.). *Venerunt autem mihi omnia bona*, scilicet gratiarum, intra me absolute; *pariter cum illa*, scilicet cum sapientia increata, id est Filio Dei; unde ad Romanos octavo [9]: « Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo etiam non omnia nobis cum illo donavit »? Glossa: « Quicumque Christi percipit notitiam, omnium virtutum pariter habet gratiam et in futuro vitam aeternam ». Vel: *cum illa*, id est cum sapientia creata, quia ipsa est perfectissimum donorum. « Hoc expertus est Salomon, cui petenti sapientiam Dominus addidit divitias et gloriam [10] ». *Et innumerabilis honestas*, exterius in comparatione ad alios; *per manus*, id est opera, *illius*, supple: venit mihi; unde infra decimo: « Honestavit illum in laboribus » etc.

In comparatione.

(Vers. 12.). *Et laetatus sum*, repletus laetitia, *in omnibus*, scilicet sapientiae donis; Ecclesiastici ultimo [11]: « Laetatum est cor meum in ea ». *Quoniam antecedebat me ista sapientia*, scilicet dirigendo gressus meos; Ecclesiastici quarto: « Suscipit exquirentes se et praeibit in via iustitiae ». Haec est columna ignis et nubis praecedens filios Israel per noctem et diem, Exodi decimo tertio. *Et ignorabam*, scilicet antequam haberem eam; Glossa [12]: « Processu meditationis intelligit, se tantum profecisse, ut priorem scientiam posteriori comparando ignorantiam putet ». *Ignorabam*, inquam, *quoniam horum*

---

[1] Vers. 1. — Sententiam Bernardi vide supra pag. 152, nota 10. Subinde allegatur Iac. 3, 17: Quae autem desursum est sapientia etc. [2] Vers. 2.

[3] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Sap. 8, 5. et Iob 28, 16.

[4] Vers. 12. — Sequuntur Sap. 6, 13; Iac. 5, 2. et 1, 11.

[5] Vers. 18. et 19.

[6] Haec et seq. Glossa sunt *interlineares*. Rabanus: Salus animae, quae est in possessione divinae sapientiae cum operibus iustitiae, omnino praeponenda est omni sanitati corporis omnique speciei corporalium rerum, *quoniam... speciosior est* ipsa sapientia *sole* [infra v. 29.] etc. — Subinde allegantur Ps. 59, 13. et Prov. 31, 30.

[7] Libr. X. Confess. c. 34. n. 51: Ipsa enim regina colorum lux ista, perfundens cuncta, quae cernimus, ubiubi per diem fuero, multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti et eam non advertenti. Insinuat autem se ita vehementer, ut, si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur, et si diu absit, contristet animum. Lib. III. de Lib. Arb. c. 5. n. 16. dicit: In corporibus autem lux tenet primum locum.

[8] Vers. 26. Ita Rabanus, quem sequuntur card. Hugo a S. Charo et Lyranus; Vulgata: Et insipientiam eius luxi. — Subinde allegantur ex hoc capitulo v. 29. et 30.

[9] Vers. 32. — Sequitur Glossa *ordinaria* ex Rabano.

[10] Glossa *ordinaria* ex Rabano: Hoc expertus Salomon [III. Reg. 3, 11-13.], qui petens a Deo sapientiam, regni sublimitatem, divitias et gloriam cum illa meruit. — Inferius allegatur Sap. 10, 10.

[11] Vers. 20. — Sequuntur Eccli. 4, 12. et Exod. 13, 21: Dominus autem praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis.

[12] Scilicet *ordinaria* ex Rabano. — Inferius allegatur Eccli. 24, 24. et 25.

omnium, scilicet bonorum, *mater est;* Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego mater pulcrae dilectionis et timoris » etc.; item ibidem: « In me gratia omnis » etc.

De quarto. *Quam sine fictione* etc. Hic primo tangitur *liberalitas* communicationis sapientiae; secundo, *ratio communicandi: Infinitus enim thesaurus.*

Liberalitas communicationis. (Vers. 13.). *Quam sine fictione*, id est toto corde, *didici*, sciens, quod « Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum », supra primo [1]; item Proverbiorum secundo: « Si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam » etc. *Et sine invidia communico*, scilicet utilia non subtrahendo, supra sexto: « Neque cum invidia tabescente iter habebo »; item Proverbiorum quinto: « Deriventur fontes tui foras ». *Et honestatem illius*, id est pulcritudinem, *non abscondo*, verbis obscuris velando; Ecclesiastici quarto [2]: « Non abscondas sapientiam tuam in decore eius »; item Ecclesiastici vigesimo: « Sapientia absconsa et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque »?

Ratio communicandi. (Vers. 14.). *Infinitus enim thesaurus est*, in illa, *hominibus;* unde et inexhauribilis est per communicationem; et ideo dicit Tullius [3], quod scientia est nobilis thesaurus animae, quae distributa recipit incrementum et avarum dedignatur possessorem; nisi publicetur, elabitur. Augustinus [4]: « Omne bonum, quod dando non deficit, si habetur et non datur, nondum habetur, qualiter habendum est »; Ecclesiastici primo: « Omnem domum illius implebit a generationibus, et receptacula a thesauris illius ». *Quo*, scilicet thesauro sapientiae, *qui usi sunt*, secundum illam se regendo, *participes facti sunt amicitiae Dei;* unde infra eodem [5]: « Amicos Dei et prophetas constituit ». *Propter disciplinae*, id est sapientiae, *dona*, quae habent non per suam industriam, sed Spiritus sancti distributionem, secundum illud primae ad Corinthios duodecimo: « Haec omnia », scilicet dona gratiarum, « operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult ». *Commendati*, id est commendabiles effecti, scilicet Deo et hominibus; secundae ad Corinthios decimo: « Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat ».

Tertio ostendit, a quo sapientiam didicerit.

Divisio. *Mihi autem dedit Deus dicere* etc. Hic ostendit, a quo sapientiam didicerit; et primo ostendit, quis eum docuit; secundo, qualia docuit: *Ipse enim mihi* etc.; tertio, per quod medium ipsum docuit: *Omnium enim artifex* etc.

Primo, quis docuerit.

Expositio litteralis. (Vers. 15.). *Mihi autem* etc. Bene dixi: *Quo qui usi sunt* etc.; ego autem usus sum; *autem*, pro quia; *mihi dedit Deus dicere*, id est non tantum scire, sed etiam docère; Isaiae quinquagesimo [6]: « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est, verbo ». *Dicere*, inquam, *ex sententia*, id est definitione firma; Proverbiorum duodecimo: « Labium veritatis firmum erit in perpetuum »; Psalmus: « Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium », id est firmam sententiam. *Et praesumere.* Notandum, quod est praesumtio *arrogantiae*, de qua Iudith sexto [7]: « Praesumentes de se et de sua virtute gloriantes humilias ». Et est praesumtio *confidentiae* de virtute divina et misericordia, de qua ibidem: « Non derelinquis praesumentes de te » etc.; item Iudith nono: « Exaudi me miseram de tua misericordia praesumentem ». *Et praesumere*, id est confidenter agere, *digna*, scilicet opera, *horum quae mihi dantur*, id est facere opera strenua et decentia, secundum dona mihi collata; « cui enim plus committitur, plus ab eo requiretur [8] ». *Quoniam ipse*, scilicet Deus, *sapientiae dux est;* Glossa: « Id est *auctor* »; Ecclesiastici primo: « Omnis sapientia a Domino Deo est ». Item *dator;* Iacobi primo: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo » etc. *Et sapientium emendator*, id est *corrector;* Apocalypsis tertio: « Ego quos amo arguo » etc., scilicet si eos errare in aliquo contingat.

Duplex praesumtio.

Quandoque bonus dormitat Homerus [9].

Item Augustinus: Errare potero, haereticus nunquam ero.

(Vers. 16.). *In manu enim illius* etc. Bene dixi, quod *dux est et emendator sapientium; in manu*

---

[1] Vers. 5. — Sequuntur Prov. 2, 4. seq.; Sap. 6, 25. et Prov. 5, 16.

[2] Vers. 28, ubi pro *eius* Vulgata *suo;* ibid. 20, 32. est seq. locus.

[3] Cfr. Oratio pro Archia poeta, c. 6, ubi reprehendit eos qui scientias solum sibi ipsis comparant ita, « ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum neque in aspectum lucemque proferre ». Lib. I. de Offic. c. 42. docet, officiis, quae maiorem afferunt utilitatem, esse annumerandam doctrinam rerum honestarum. Lib. III. de Finib. c. 19. ostendit, naturale esse, « ut prodesse velimus quam plurimis, imprimisque docendo ». — Pro *dicit Tullius* edd. *dicitur.*

[4] Libr. I. de Doctr. christiana, c. 1. n. 1: Omnis enim res, quae dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur, quomodo habenda est. — Sequitur Eccli. 1, 21.

[5] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 12, 11. et II. Cor. 10, 18.

[6] Vers. 4. — Sequuntur Prov. 12, 19. et Ps. 36, 30.

[7] Vers. 15, ubi etiam est seq. locus; tertius est ibid. 9, 17: Exaudi me miseram deprecantem et de etc.

[8] Luc. 12, 48: Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. — Sequuntur Glossa *interlinearis* (Rabanus: *Sapientiae dux* Deus est, quoniam omnipotens Pater incarnationis unigeniti Filii sui auctor est etc.); Eccli. 1, 1; Iac. 1, 5. et Apoc. 3, 19.

[9] Horat., Epist. ad Pisones (sive de Arte poet.) v. 359. — De seq. sententia Augustini, pro qua allegatur I. de Trin. c. 1-4. (ex quibus colligi potest, praesertim ex c. 3. n. 5.), vide tom. IV. pag. 313, nota 8.

enim illius; Glossa [1]: « Id est in potestate »; *et nos,* qui sapientiam habemus; Ieremiae decimo octavo: « Sicut lutum in manu figuli, sic et vos in manu mea »; item Proverbiorum vigesimo primo: « Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini ». *Et sermones nostri;* Proverbiorum decimo sexto: « Hominis est praeparare animum, Domini gubernare linguam »; Matthaei decimo: « Non estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri » etc. *Et omnis sapientia,* quae scilicet est cognitio rerum divinarum, *et operum,* scilicet humanorum, *scientiae disciplina* [2]; Isaiae vigesimo sexto: « Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine ».

Secundo, qualia docuerit.

Ipse enim mihi dedit. Hic ostendit, quae et *qualia* docuit eum Deus, et primo, quod docuit eum scientiam temporalium *causarum;* secundo, temporalium *transmutationum*: *Initium et consummationem;* tertio, temporalium *effectuum*: *Naturas animalium.* Divisio per tria membra.

(Vers. 17.). *Ipse enim,* scilicet Deus, qui solus corda docet, secundum illud Augustini [3]: « Cathedram habet in caelo qui corda docet in terra »; *dedit mihi horum quae sunt,* id est rerum existentium, quia de non existentibus non est scientia; unde dicit Philosophus [4]: « Quod non est non est scire ». « Unumquodque enim sicut se habet ad *esse,* sic se habet ad veritatem », sicut ipse dicit. *Scientiam veram,* id est cognitionem certam et nulli falsitati permixtam; tertii Regum quarto [5]: « Dedit Deus sapientiam Salomoni et prudentiam multam nimis ». *Ut sciam dispositionem orbis terrarum,* id est caeli ambientis totum mundum; Ecclesiastici vigesimo quarto: « Gyrum caeli circuivi sola »; *et virtutes elementorum,* id est qualitates et seminales rationes et commixtiones vel connexiones et contemperantias elementorum; Proverbiorum octavo: « Quando praeparabat caelos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos ». De primo.

(Vers. 18.). *Initium et consummationem et medietatem temporum,* scilicet quatuor temporum seu partium anni, quae causantur per motum solis, secundum quatuor quadras zodiaci; *vicissitudinum permutationes,* id est successionum dierum et noctium, quibus qualitas aëris permutatur, scilicet a claritate in obscuritatem et e contrario; *et consummationem* [6] *temporum,* id est mensium tam solarium quam lunarium. Aliqui addunt hic: *morum mutationes et divisiones temporum; morum mutationes,* id est humanarum consuetudinum, secundum diversos status hominum; *divisiones temporum,* id est aetatum mundi vel hominis [7]. De secundo.

(Vers. 19. 20.). *Anni cursum* [8], id est tempus causatum a motu solis totum per zodiacum; Genesis primo: « Ut sint in signa et tempora et dies et annos ». *Et stellarum,* scilicet aliarum a sole, *dispositiones,* quoad qualitatem noctium; in Psalmo: « Lunam et stellas in potestatem noctis ». — *Naturas animalium,* scilicet mitium, *et iras bestiarum,* id est motus ferocium animalium, ut leonis et huiusmodi. Et notandum, quod dicit: *naturas animalium et iras bestiarum,* quantum ad *sensibiles* substantias. Deinde subdit quantum ad res *inanimatas: vim ventorum,* qui sunt duodecim, quatuor principales et octo collaterales [9]; et sunt magnae virtutis, ut patet Iob primo et Exodi decimo quarto, in desiccatione maris, et in multis aliis locis. *Et cogitationes hominum.* De tertio.

Contra: Solus Deus novit corda hominum; unde primae ad Corinthios secundo [10]: « Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus, qui in ipso est »? quasi dicat: nullus nisi Deus. Quaestio.

Dicendum, quod hic loquitur de scientia *coniecturae,* non certitudinis. Vel dicendum, quod per Sapientiae revelationem sciri possunt ab homine, non per naturam vel propriam industriam. Resp.

Differentias virgultorum, id est plantarum, *et virtutes radicum,* scilicet herbarum; tertii Regum quarto [11]: « Disputavit de omnibus lignis a cedro Libani usque ad hyssopum » etc.

(Vers. 21.). *Et quaecumque sunt absconsa,* vel *abscondita* [12], a suis causis, *et improvisa,* hominibus, *didici;* Ecclesiastae septimo: « Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem et quaererem sapientiam ».

Tertio, per quod medium docuerit.

Omnium enim artifex etc. Hic ostendit, per quod *medium* edoctus est, scilicet per Sapientiam increatam, a Patre genitam; et quod docere *potuit,* Divisio per duo membra.

---

[1] Nempe *interlinearis.* — Sequuntur Ier. 18, 6; Prov. 21, 1. et 16, 1, ubi pro *animum* Vulgata *animam;* Matth. 10, 20: Non enim vos estis etc.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata: *et operum scientia et disciplina.* — Sequitur Isai. 26, 12. Lectionem Vulgatae vide supra pag. 92, nota 9. — De distinctione *sapientiae* et *scientiae* cfr. supra pag. 108, nota 7.

[3] Iam supra pag. 139, nota 8. allegatum.

[4] Libr. I. Poster. c. 2. Seq. ipsius sententia est II. Metaph. text. 4. (I. brevior, c. 1.).

[5] Vers. 29. — Sequuntur Eccli. 24, 8. et Prov. 8, 27. — Inferius pro *seminales rationes* (cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. seq.) edd. *speciales rationes.*

[6] Vulgata *commutationes;* card. Hugo et Lyranus *consummationes,* qui etiam in margine exhibent additionem, quae paulo inferius notatur: *morum mutationes, divisiones temporum.*

[7] Cfr. Breviloq. Prolog. § 2. et Collat. in Hexaëm. collat. 16. (tom. V. pag. 203 et 403).

[8] Vulgata *cursus.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 1, 14. et Ps. 135, 9.

[9] Vide supra pag. 12, nota 10. — Subinde respiciuntur Iob 1, 19. et Exod. 14, 21. Cfr. supra pag. 143, nota 12.

[10] Vers. 11, ubi post *spiritus* Vulgata addit *hominis.*

[11] Vers. 33.

[12] Vulgata omittit *vel abscondita vel;* card. Hugo et Lyranus duplicem lectionem notant. — Sequitur Eccle. 7, 26.

scivit et *voluit*, ostendit primo per *Spiritum sanctum*, qui est ab illa; secundo, per *naturam et virtutem*, quae est in illa: *Omnibus enim mobilibus* etc.

De Spiritu S. tanguntur quatuor.

In prima primo tangit Spiritus sancti ab increata sapientia *processionem;* secundo, *effectum* eius in nobis multiplicem: *Sanctus, multiplex* etc.; tertio, eius in natura propria *bonitatem: Incoinquinatus;* quarto, eius *sufficientiam universalem: Omnem habens virtutem.* — Effectum eius in nobis tangit primo *interiorem*, secundo *exteriorem: Modestus.*

Divisio 2. membri.

Interiorem tangit[1] quadruplicem, scilicet *emendationem culpae*, cum dicitur: *Sanctus; multiplicationem gratiae*, cum dicitur: *Multiplex; unitatem concordiae*, cum dicitur: *Unicus; subtilitatem intelligentiae*, cum dicitur: *Subtilis. Exteriorem* triplicem, scilicet *modestiam*, cum dicitur: *Modestus; eloquentiam*, cum dicitur: *Disertus; obedientiam*, cum dicitur: *Mobilis.*

Primo tangitur processio.

(Vers. 21.). Ostenditur *omnium artifex*, scilicet superiorum, mediorum et inferiorum, scilicet Deus, ad Hebraeos undecimo[2]. *Docuit me Sapientia*, id est per sapientiam; Glossa[3]: « Quia per ipsam cognitio veritatis datur », quia exterius potest docere homo, sed non interius; unde Gregorius: « Nisi intus sit qui doceat, exterius in vacuum doctoris lingua laborat ».

(Vers. 22.). *Est enim in illa* etc., quasi dicat: et bene potuit me docere; *est enim in illa*; scilicet in sapientia, *Spiritus* etc., in ipsa, scilicet secundum *humanitatem*, habitando; Isaiae undecimo[4]: « Requiescet super eum Spiritus Domini »; in ipsa secundum *Divinitatem* ab ea emanando. *Spiritus*, inquam, *intelligentiae* dator; Iob trigesimo secundo: « Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam ». *Sanctus;* Glossa[5]: « Sanctificans omnia »; supra primo: « Spiritus sanctus disciplinae » etc. *Multiplex;* Glossa: « Multiplices gratias dans »; primae ad Corinthios duodecimo: « Divisiones gratiarum sunt etc. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult ». *Unicus;* Glossa: « Uniens bonos »; ad Ephesios quarto: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis ». *Subtilis*, id est faciens penetrare occulta; primae ad Corinthios secundo[6]: « Spiritus scrutatur omnia », id est, scrutari facit omnia, « etiam profunda Dei ». Item *subtilis*, id est subtilitatem faciens vel perspicacitatem intelligentiae praebens; unde vocatur « spiritus intellectus », Isaiae undecimo[7]. *Modestus*, id est modum tenere docens in omnibus; ad Philippenses quarto: « Modestia vestra nota sit omnibus hominibus ». *Disertus*, id est disertos faciens; infra decimo: « Linguas infantium fecit disertas ». *Mobilis*, id est mobiles faciens per obedientiam; Ezechielis primo: « Quocumque ibat spiritus, pariter et rotae elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitae erat in rotis ».

Secundo, effectus in nobis. Interior.

Exterior.

Incoinquinatus etc. Hic describit bonitatem eius in *natura propria* et primo bonitatem absolutam *in se;* secundo, bonitatem *in comparatione ad nos: Amans bonum;* tertio, utriusque *immutabilitatem: Stabilis.* — Bonitatem absolutam tangit in tribus, scilicet in *puritate*, cum dicit: *Incoinquinatus;* in *veritate: Certus;* in *tranquillitate*, cum dicit: *Suavis.*

Tertio, propriae naturae bonitas triplex.

Primo, de bonitate absoluta tria.

(Vers. 22.). Dicit ergo *incoinquinatus;* Glossa[8]: « Id est sine macula », unde et maculas mundat in baptismo; Ioannis tertio: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu » etc.; item ad Titum tertio: « Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti » etc. *Certus;* Glossa: « Nec fallit nec fallitur »; unde dicitur Ioannis decimo sexto: « Spiritus veritatis ». *Suavis*, id est tranquillus, nihil habens asperitatis; Glossa: « Mitis et misericors »; infra duodecimo: « O quam bonus et suavis est Spiritus tuus in nobis, Domine »!

Primum.

Secundum.

Tertium.

Secundo, de bonitate relativa quatuor.

Amans bonum etc. Hic ostendit bonitatem eius in *comparatione ad nos*, primo, in boni *dilectione;* secundo, in *eius promotione: Qui nihil*[9]; tertio, in *sui communicatione* vel communione: *Humanus;* quarto, in *suorum communicatione*, ibi: *Benignus.*

Primum.

Secundum.

Dicit ergo: *Amans bonum*, actum; primae ad Corinthios decimo tertio[10]: « Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati »; *qui nihil vetat benefacere*, immo iuvat; ad Romanos octavo: « Spiritus adiuvat infirmitatem nostram »; Proverbiorum tertio: « Noli prohibere benefacere » etc.

Tertium.

(Vers. 23.). *Humanus;* Glossa[11]: « Communis omnibus »; Actuum decimo: « In veritate comperi,

---

[1] E codd. supplevimus *primo interiorem... tangit.*

[2] Vers. 3: Fide intelligimus, aptata esse saecula verbo Dei etc.

[3] Nempe *interlinearis.* Cfr. Rabanus in hunc locum. — Seq. sententia Gregorii habetur II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3.

[4] Vers. 2. — Sequitur Iob 32, 8. Glossa *ordinaria* ex Rabano: Ut Isaias ostendit, omnia dona Spiritus sancti in humanitate Salvatoris existunt, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* [Col. 2, 3.], et *plenitudo Divinitatis* [ibid. v. 9.], cui non datur *spiritus ad mensuram* [Ioan. 3, 34.].

[5] Haec et duae seqq. Glossae sunt *interlineares* ex Rabano. — Subinde allegantur Sap. 1, 5; I. Cor. 12, 4-11; Eph. 4, 3.

[6] Vers. 10. Cfr. supra pag. 13, nota 7, ubi habetur Augustini expositio horum verborum.

[7] Vers. 2. — Sequuntur Phil. 4, 5; Sap. 10, 21. et Ezech. 1, 20: Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotae pariter elevabantur etc. — Vulgata omittit *Modestus*, quod exhibetur etiam a card. Hug. et a Lyrano. Isidor., X. Etymolog. n. 169: *Modestus* a *modo* dictus et temperie, nec plus quidquam nec minus agens.

[8] Haec et duae seqq. Glossae sunt *interlineares* ex Rabano. — Subinde allegantur Ioan. 3, 5; Tit. 3, 5; Ioan. 16, 13. et Sap. 12, 1.

[9] Lectio: *Qui nihil vetat benefacere*, exhibetur a Rabano, qui tamen pro *nihil* substituit *nullum*, a card. Hug. et a Lyrano; Vulgata: *quem nihil vetat, benefaciens.*

[10] Vers. 6. — Sequuntur Rom. 8, 26. et Prov. 3, 27.

[11] Nempe *interlinearis.* — Tres seqq. loci sunt Act. 10, 34; Rom. 8, 26. et Prov. 8, 31.

quia non est personarum acceptor Deus ». Vel: *humanus*, id est compatiens, cuius signum est quod dicitur ad Romanos octavo: « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ». Vel: *humanus*, id est in hominibus libenter habitans; Proverbiorum octavo: « Deliciae meae esse cum filiis hominum ».

Quartum. *Benignus*, id est liberalis « innata bonitate [1] »; supra primo: « Benignus est spiritus sapientiae » etc.; item: *Benignus*, mala remittendo, bona dando, ad patriam dirigendo; unde *benignitas* dicitur esse

Tertio, de immutabilitate. fructus Spiritus, ad Galatas quinto. *Stabilis*, scilicet in se, secundum illud Boethii [2]: Stabilisque manens etc.; item, dans stabilitatem in donis promissis. Nec mirum, si hic dicatur *stabilis* et supra eodem [3] *mobilis*, quia hic dicitur quantum ad diversos effectus, de quibus in Psalmo: « Statuit supra petram pedes meos et direxit gressus meos ». Vel: *mobilis* in activis, *stabilis* in contemplativis; vel: *stabilis* in Christo, *mobilis* in aliis Sanctis; Ioannis primo: « Super quem videris Spiritum manentem ». Vel sic: *stabilis*, in bono; *certus*, id est constans in vero; *securus*, a malo, secundum illud Psalmi [4]: « Non accedet ad te malum ». Et sicut in se *stabilis* est et *certus* et *securus*, sic et quos inhabitat *stabiles* facit in bono, *certos* in vero, *securos* a malo; ad Colossenses primo: « In fide fundati et stabiles et immobiles a spe Evangelii ».

Omnem habens virtutem. Hic ostendit eius uni-

Quarto, ipsius sufficientia universalis. versalem sufficientiam, primo, in *bonitate;* secundo, in *sapientia: Omnia prospiciens;* tertio, in *potestate: Et qui capiat omnes spiritus intelligibiles.*

Dicit ergo: *Omnem habens virtutem;* in Psalmo [5]: « Spiritu oris eius omnis virtus eorum ».

Sed contra: Quia non habet fidem, cum fides sit

Quaestio. aenigmatica cognitio et virtus imperfecta [6].

Dicendum, quod loquitur de omni virtute, non

Resp. qualibet, sed perfecta.

Omnia prospiciens; Iob trigesimo septimo [7]: « Super omnes caelos considerat, et lumen eius super omnes terminos terrae »; item ad Hebraeos quarto: « Omnia nuda et aperta sunt oculis eius ». *Et qui capiat omnes spiritus*, scilicet angelicos, « quia intra ipsum currunt, quocumque mittantur », secundum Bedam super illud Lucae primo [8]: « Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum ». *Spiritus* autem dicuntur Angeli quantum ad suam substantiam vel naturam; *intelligibiles*, quantum ad suam potentiam, vel quia corporibus per naturam non unibiles. Vel: *capiat*, id est, capere faciat, *omnes spiritus*, id est omnia dona Spiritus sancti, de quibus Isaiae undecimo [9]: « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus » etc. *Mundos*, scilicet per innocentiae puritatem; sunt enim Angeli, secundum Dionysium [10], « specula pura et clarissima »; et addit: *mundos*, ad differentiam spirituum immundorum, id est daemonum. *Subtiles*, per intelligentiae perspicacitatem; vel: *subtiles*, per sapientiam; Gregorius [11]: « Quid est quod non videant qui videntem omnia vident »? Aliqui libri [12] habent *mundus, subtilis; mundus* est spiritus sapientiae, quia sine materiae feculentia; *subtilis*, quia pura forma. Sed prima littera verior est, quia ita habet Rabanus in textu et in expositione. Vel: *mundus* dicitur spiritus sapientiae, quia lavat a peccatis praeteritis et praeservat a futuris; vel quia in praesenti purgat a culpa, in futuro a poena; *incoinquinatus*, quia nec a se nec ab alio immunditiam contrahere potest; *subtilis*, quia omnia penetrat, vel quia in nobis operatur subtilitatem *affectus* quoad donum sapientiae, et *intellectus* quoad donum intelligentiae sive intellectus.

Alia lectio.

Omnibus enim mobilibus. Hic ostendit, quod sapientia per naturam et per virtutem, quae est in ea, potuit esse *medium*, quo edoctus est. Et ad hoc ostendendum primo allegat eius *mobilitatem;* secundo, eius *puritatem*: *Attingit autem;* tertio, eius *potestatem: Et cum sit una;* quarto, eius *speciositatem: Est enim haec speciosior.*

De natura et virtute sapientiae tanguntur quatuor.

(Vers. 24.). Bene dixi, quod *in illa est spiritus* etc. *Omnibus enim mobilibus*, quocumque genere motus, scilicet sive in substantia, sive in qualitate, sive in quantitate, sive in loco; *mobilior est sapientia*, id est velocior in operando; Glossa [13]: « Nihil subtilius et mobilius sapientia, quae omnia

Primo sapientiae mobilitas.

---

[1] Ut dicit Glossa *interlinearis*. — Sequuntur Sap. 1, 6. et Gal. 5, 22.

[2] Libr. III. de Consol. metr. 9: Stabilisque manens das cuncta moveri.

[3] Vers. 22. Cfr. Rabanus in hunc locum. — Duo seqq. loci sunt Ps. 39, 3. et Ioan. 1, 33. — Inferius e codd. supplevimus *in activis... mobilis*.

[4] Psalm. 90, 10. — Sequitur Col. 1, 23.

[5] Psalm. 32, 6.

[6] Respicitur I. Cor. 13, 9. seqq.

[7] Vers. 3: Subter omnes caelos ipse considerat, et lumen illius super terminos terrae (card. Hugo et Lyranus in margine recensent lectionem *Super omnes* etc.). — Sequitur Hebr. 4, 13.

[8] Vers. 19, ubi Beda ex Dei immensitate et Angelorum circumscriptione deducit: « Angeli itaque et missi ante ipsum sunt, quia, quolibet missi veniunt, intra ipsum currunt ». Haec sumta sunt ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 13. Cfr. tom. V. pag. 226, nota 2. — In seqq. affertur lectio, quam exhibet Rabanus: Et qui capiat omnes spiritus *intelligibiles, mundos, subtiles* (Vulgata: *intelligibilis, mundus, subtilis*).

[9] Vers. 2. — August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 1. n. 15: Spiritus autem Angeli sunt, et cum spiritus sunt, non sunt Angeli; cum mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturae etc.

[10] De Caelesti Hierarch. c. 3. § 2. Cfr. tom. II. pag. 83, nota 1.

[11] Libr. IV. Dialog. c. 33: Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? Cfr. il. Moral. c. 3. n. 3. a nobis tom. IV. pag. 953, nota 8. allatum.

[12] Hanc lectionem exhibent card. Hugo et Lyranus; cfr. supra nota 8. in fine, ubi lectionem Vulgatae et Rabani attulimus.

[13] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — De speciebus motus sive mutationis cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Motu* et V. Phys. text. 7. seqq. (c. 1. seq.). Vide I. Sent. lit. Magistri, d. VIII. c. 2. et 6; Comment. ibid. p. I. a. 2. q. 1. ad 1.

creavit, regit et ordinat »; *mobilior,* inquam, non quia moveatur, sed quia omnia movet, immobilis manens, secundum illud Boethii [1]:

Stabilisque manens das cuncta moveri.

Item Actuum decimo septimo [2]: « In ipso vivimus, movemur et sumus ».

Secundo, puritas. *Attingit autem* etc. Hic ostendit eius *puritatem,* primo per hoc quod a purissimo fonte *procedit,* vel emanat; secundo, quia fontis claritatem in se *repraesentat: Candor est* etc.

De fonte processionis. Ita dixi, quod *omnibus mobilibus mobilior est sapientia;* nec solum; *autem,* pro sed; sed quod plus est, *attingit ubique,* id est a fine supremae creaturae usque ad extremam creaturam; Ambrosius in Hexaëmeron [3]: « Usque ad locustam divina sapientia penetravit ».

Quaestio. Sed contra: Iob vigesimo octavo [4]: « Abyssus dicit: Non est in me; mare loquitur: Non est mecum ».

Resp. Respondetur, quod ibi [5] loquitur non de creaturis, sed de creaturarum vitiis. Vel melius dicendum, quod Deus non est in abysso vel in mari per continentiam, cum a nullo possit contineri, sed est ibi per praesentiam, secundum illud Psalmi [6]: « Si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades ».

Propter suam munditiam, id est abstractionem ab omni materiae feculentia; quia enim est omnino immobilis, ideo est incircumscriptibilis, secundum Damascenum [7].

(Vers. 25.). *Vapor est enim virtutis Dei,* id est a Deo Patre emanans, sicut vapor a calore; Glossa [8]: « Id est ad calefaciendum frigus infidelitatis nostrae »; Ecclesiastici vigesimo quarto: « Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam ». *Et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei,* id est emanans a Deo Patre, ut splendor a luce, scilicet ad illuminandum tenebras intellectus nostri; ad Hebraeos primo [9]: « Qui cum sit splendor gloriae » etc.; item Isaiae sexagesimo secundo: « Donec egrediatur ut splendor iustus eius ». *Sincera,* sine admixtione tenebrae; primae Ioannis primo: « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae ». Iste autem processus est sine diminutione paternae substantiae, vel separatione, sed cum personali distinctione, secundum illud Athanasii [10]: « Neque confundentes personas, neque substantiam separantes ». Et quia sicut lux procedit, quae contaminari non potest; *ideo nihil inquinatum,* inquinatione scilicet culpabili, vel etiam naturali; *incurrit in illam,* scilicet sapientiam increatam; Glossa [11]: « Summo bono non appropinquat malum ».

De fontis repraesentatione. (Vers. 26.). Et vere *nihil inquinatum incurrit in illam. Candor est enim lucis aeternae,* id est lux purissima de luce aeterna, scilicet a Patre procedens; unde cantatur [12]: « Lux de luce apparuisti, Christe ». In ista luce lux aeterna videtur, secundum illud Psalmi: « In lumine tuo videbimus lumen »; item Ioannis decimo quarto: « Qui videt me videt et Patrem ». *Est* ergo *candor lucis aeternae,* quantum ad repraesentationem sapientiae, *et speculum sine macula maiestatis Dei,* quoad repraesentationem divinae maiestatis et potentiae, secundum illud Ioannis quinto [13]: « Quaecumque enim ille », scilicet Pater, « fecerit, haec et Filius similiter facit ». *Sine macula,* inquam, peccati, quia « peccatum non fecit » etc., primae Petri secundo. *Et imago bonitatis illius;* Glossa [14]: « Id est plena repraesentatio *bonitatis illius* »; ad Colossenses primo: « Quae est imago Dei invisibilis ».

Quid sit speculum. Notandum, quod *speculum* est *Dei Filius,* immaculatum actu et potentia. *Speculum* etiam est *Angelus,* secundum Dionysium [15], purum et clarissimum, et licet immaculatum actu, maculatum tamen potentia, saltem remota. *Speculum* etiam est *spiritus humanus,* in quo relucet imago divina, Genesis primo [16], maculatum actu et potentia. *Speculum* etiam dicitur *omnis creatura,* quia per eam tanquam per eius vestigium repraesentantur Dei invisibilia; ad Romanos primo: « Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur »; item primae ad Corinthios decimo tertio: « Videmus nunc per speculum in aenigmate ». *Speculum* etiam est *sacra Scriptura*; Iacobi primo [17]: « Hic comparatur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo ».

Tertio, potestas. (Vers. 27.). *Et cum sit una,* scilicet in essentia cum Patre, secundum illud Ioannis decimo [18]: « Ego et Pater unum sumus »; *omnia potest,* id est, ean-

---

[1] Libr. III. de Consol. metr. 9. Cfr. supra pag. 157, nota 2.

[2] Vers. 28.

[3] Libr. V. c. 23. n. 82: Usque ad locustam quoque gratia divina penetravit.

[4] Vers. 14.

[5] Loco ex Iob allegato, quem eodem modo exponit Gregor., XVIII. Moral. c. 42. n. 67. seqq.

[6] Psalm. 138, 8.

[7] Libr. I. de Fide orthod. c. 13.

[8] Nempe *interlinearis,* quae pro *ad calefaciendum* substituit *calefaciens.* — Sequitur Eccli. 24, 21.

[9] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Isai. 62, 1. et I. Ioan. 1, 5.

[10] Vel, ut dicitur, Vigilii Tapsensis, in Symbolo: *Quicumque* etc.

[11] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — August., in Ioan. Evang. tr. 5. n. 15: Lux et ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat, non inquinatur.

[12] In festo Epiphaniae, *in Evangelio,* Antiph., prout exhibet Liber Responsalis (inter opera Gregorii, Migne Patrol. Lat. tom. 78. col. 743). — Sequuntur Psalm. 35, 10. et Ioan. 14, 9.

[13] Vers. 19. — Seq. locus est I. Petr. 2, 22.

[14] Scilicet *interlinearis.* — Subinde allegatur Col. 1, 15.

[15] Vide supra pag. 157, nota 10.

[16] Vers. 26. seq.: Faciamus hominem ad imaginem etc. — Duo seqq. loci sunt Rom. 1, 20. et I. Cor. 13, 12. Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 2. in fine. — Cfr. Collat. in Hexaëm., collat. 12. n. 14-16.

[17] Vers. 23.

[18] Vers. 30. — Sequitur Sap. 18, 15.

dem potentiam habet cum Patre; unde infra decimo octavo: « Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit ».

Sed, si *omnia potest*, ergo potest mentiri vel mori; quod falsum est.

Dicendum est, quod omnia potest, quae bonitati suae non repugnant, vel quae posse est potentia aliqua, non impotentia [1].

Et in se permanens, scilicet invariabilis, secundum illud Iacobi primo [2]: « Apud quem non est transmutatio » etc.; *omnia innovat*, scilicet *temporalia* per continuam generationem; Ecclesiastae primo: « Generatio praeterit, generatio advenit »; et *spiritualia* per spiritualem regenerationem; secundae ad Corinthios quinto: « Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt »; Apocalypsis vigesimo primo: « Ecce, nova facio omnia ». *Et per nationes*, carnales, vel potius spirituales, de quibus Ioannis tertio [3]: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua » etc. *In animas sanctas*, id est a peccato mundas, *se transfert*, per spiritualem adventum gratiae in mentem; Ioannis decimo quarto: « Ad eum veniemus » etc. Notandum, quod *transferre se* dicitur non per novum situm vel mutando locum, sed per novum effectum; unde sequitur: *Amicos Dei*, per inflammationem affectus, *et prophetas constituit*, per illuminationem intellectus; Ioannis decimo quinto [4]: « Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ».

(Vers. 28.). *Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat*, permanendo scilicet cum illo, « qui in lege Domini meditabitur die ac nocte », secundum Glossam [5]; Proverbiorum octavo: « Ego sapientia habito in consilio et eruditis intersum cogitationibus ». Et si *Deus neminem diligit, nisi qui cum sapientia inhabitat;* « beatus ergo vir, qui in sapientia morabitur », Ecclesiastici decimo quarto.

Neminem diligit Deus etc. — Contra: Infra undecimo [6]: « Diligis omnia, quae sunt », et tamen non omnia cum sapientia inhabitant. Quaestio.

Sed dicendum, quod ibi loquitur de dilectione naturali, hic de gratuita. Resp.

Est enim haec speciosior etc. Hic agit de sapientiae *speciositate*, praeferendo eam speciositati solis, et primo ponit *comparationem;* secundo, comparationis *probationem: Illi enim succedit nox.* Quarto, speciositas.

(Vers. 29.). Bene dixi, quod *eum diligit Deus, qui cum sapientia inhabitat*, et merito. *Est enim haec*, scilicet sapientia, *speciosior sole*, quia pulcritudo spiritualis praeeminet corporali; supra eodem [7]: « Super salutem et speciem dilexi eam »; *sole*, scilicet materiali, quia est pulcritudo *solis iustitiae*, de quo Malachiae quarto: « Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae ». *Et super omnem stellarum dispositionem*, repetendum: speciosior est. Ipsa enim stellas fecit, Genesis primo [8]; et constans est, quod plus de pulcritudine sibi retinuit, quam stellis dederit; ideo supra quarto: « O quam pulcra est casta generatio cum claritate »! scilicet sapientiae. *Luci comparata*, scilicet tam solis quam stellarum, *invenitur prior*, scilicet aeternitate, dignitate, causalitate; unde Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: « Ego feci, ut oriretur in caelum lumen indeficiens »; Glossa: « Lux corporalis, quae modo occidit, modo oritur, luci spirituali comparata, scintilla videtur. Christus quoque Sanctorum claritatem longe transcendit ». Comparatio.

(Vers. 30.). *Illi enim*, scilicet luci corporali, *succedit nox*, secundum illud Genesis octavo [10]: « Nox et dies non requiescent »; item Isaiae vigesimo primo: « Venit mane et nox ». Sed luci spirituali non succedit nox; unde sequitur: *Sapientiam autem*, quae est lux spiritualis, *non vincit malitia*, quae est tenebra spiritualis, secundum Ioannem Damascenum [11]; unde Ioannis primo: « Lux in tenebris lucet ». Probatio.

Capitulum VIII.

Secundo ostendit tripliciter, quantum amaverit sapientiam

Attingit ergo etc. Ostenso, qualiter sapientiam acquisierit, hic ostenditur, quantum ipsam *amaverit;* et hoc ostendit ex tribus: primo ex *desiderio habendi;* secundo, ex *proposito acquirendi: Proposui ergo;* tertio, ex *studio inveniendi: Haec cogitans* etc.

Primo, de duplici desiderio habendi ipsam.

In prima ostendit *desiderium habendi* causatum in se, primo ex eius valore *absoluto;* secundo, ex eius valore *comparato: Et si divitiae.* — Valorem *absolutum* ostendit primo ex eius *virtute;* secundo, ex eius *formositate: Hanc amavi* etc.; tertio, ex eius *nobilitate: Generositatem;* quarto, ex eius *utilitate: Doctrix enim est.* Divisio. De valore absoluto quatuor.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 42. q. 2.

[2] Vers. 17. — Tres seqq. loci sunt Eccle. 1, 4; II. Cor. 5, 17. et Apoc. 21, 5.

[3] Vers. 5. — Sequitur Ioan. 14, 23.

[4] Vers. 15.

[5] Scilicet *interlinearem*, in qua allegatur Ps. 1, 2. — Sequuntur Prov. 8, 12. et Eccli. 14, 22.

[6] Vers. 25.

[7] Vers. 10. — Sequitur Malach. 4, 2.

[8] Vers. 16. — Seq. locus est Sap. 4, 1.

[9] Vers. 6: Ego feci in caelis, ut oriretur lumen etc. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis* ex Rabano.

[10] Vers. 22. — Sequitur Isai. 21, 12.

[11] Libr. II. de Fide orthod. c. 4: Bonum quippe spirituale lumen est, velut econtra malum spirituales tenebrae. — Seq. locus est Ioan. 1, 5.

(Vers. 1.). *Ergo,* quia talis est sapientia, ut dictum est, *attingit,* contactu virtuali, non corporali, secundum illud primi Regum decimo [1]: « Quorum Deus tetigerat corda »; *a fine usque ad finem;* Glossa [2]: « Ab aeterno usque in aeternum »; vel: « a principio mundi usque ad adventum Christi »; ad Romanos decimo: « Finis legis Christus » etc. *Fortiter;* Glossa [3]: « Quia Dei virtus est »; primae ad Corinthios primo: « Christum Dei virtutem et sapientiam ». *Et disponit omnia,* scilicet suprema, media et infima; *suaviter;* Glossa: « Quia Dei sapientia est ». *Fortiter disponit omnia* per iustitiam, et *suaviter* per misericordiam; Psalmista [4]: « Universae viae Domini misericordia et veritas », scilicet iustitiae; idem: « Misericordia Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum » etc.

Primum.

Notandum, quod *Sapientia,* id est Dei Filius, *attingit fortiter* ea quae in *caelo,* superbum diabolum cum suis sociis expellendo; Iob vigesimo sexto [5]: « Prudentia eius percussit superbum »; Ezechielis vigesimo octavo: « Peccasti, et eieci te de monte Dei et perdidi te, o Cherub »! ea quae in *mundo,* mundi principem superando et eiiciendo; Ioannis duodecimo: « Nunc princeps huius mundi eiicietur foras »; ea quae in *inferno,* spolia inferni auferendo, secundum Glossam Zachariae nono: « Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non est aqua ». — *Disponit* autem *suaviter* ea quae in *caelo,* Angelos stantes in gratia confirmando; in Psalmo [6]: « Verbo Domini caeli firmati sunt »; quae in *mundo,* genus humanum proprio sanguine redimendo; primae Petri primo: « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis etc., sed pretioso sanguine » etc.; quae in *inferno,* Sanctorum animas de limbo educendo, secundum illud Zachariae nono: « Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu » etc.; item in Psalmo: « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem » etc. — Vel sic: cum sapientia increata sit media in Trinitate persona, potest dici, quod *attingit a fine usque ad finem,* id est a Patre usque ad Spiritum sanctum, scilicet per identitatem substantiae, ita quod non intelligatur distantia localis, sed distinctio personalis; *fortiter* quoad Patrem, cui attribuitur potentia; *et disponit omnia suaviter,* quoad Spiritum sanctum, cui attribuitur benignitas [7]. — Vel: *attingit a fine usque ad finem,* id est a Divinitate usque ad humanitatem, scilicet in incarnatione, in qua unita sunt ima summis; *fortiter,* id est per potentiam infinitam; in Psalmo [8]: « Excita potentiam tuam et veni »; Glossa: « Tu ipse in carnem ». *Et disposuit omnia suaviter,* in *redemptionis humanae procuratione;* Matthaei undecimo: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ». *Mitis* fuit in *natura humanitatis* assumtae; est enim homo animal natura mansuetum, ratione discretum, statura erectum. In *conversatione;* unde Ioannes Baptista, quadam die videns eum ambulantem, ait: « Ecce, Agnus Dei » etc., Ioannis primo [9]. In *praedicatione;* Matthaei quarto: « Poenitentiam agite » etc.; item Ioannis sexto: « Verba vitae aeternae habes »; Matthaei undecimo: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ». In *peccatorum dimissione;* Ioannis octavo: « Vade, et amplius noli peccare »; item Lucae sexto: « Dimittite, et dimittetur vobis ». In *passione;* unde Isaiae quinquagesimo tertio: « Sicut ovis ad occisionem ducetur » etc.; item Ieremiae undecimo: « Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam ».

Tria, quae fortiter attinguntur.

Item tria, quae suaviter disponuntur.

Expositio secunda.

Tertia.

(Vers. 2.). Sequitur: *Hanc,* scilicet sapientiam, quia tantae virtutis est, *amavi,* scilicet *affectu cordis;* unde supra septimo [10]: « Super salutem et speciem dilexi illam ». *Et exquisivi,* id est extra quaesivi, *effectu boni operis,* secundum illud primae Ioannis tertio: « Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ». *A iuventute mea,* quasi dicat: in flore aetatis meae; Proverbiorum octavo: « Qui mane », scilicet iuventutis, « vigilant ad me, invenient me »; ideo Ecclesiastici sexto: « Fili, a iuventute tua excipe doctrinam ». *Et quaesivi,* scilicet studio lectionis et orationis; Lucae undecimo: « Quaerite, et invenietis »; *sponsam mihi eam assumere.* Sponsam dicit ratione *amoris;* Proverbiorum septimo [11]: « Dic sapientiae: Soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam ». Item, ratione *delectationis;* Proverbiorum quinto: « Laetare cum muliere adolescentiae tuae ». Ratione *inseparabilitatis;* Matthaei decimo nono: « Non enim sponsam licet dimittere nisi causa fornicationis »; sed hoc in sapientia locum non habet; « nihil enim inquinatum incurrit in eam », supra septimo. Ratione *generationis;*

Secundum.

---

[1] Vers. 26.

[2] Nempe *interlinearis* ex Rabano, quae etiam secundam expositionem praebet. — Sequitur Rom. 10, 4.

[3] Haec et seq. Glossa sunt *interlineares* ex Rabano. — Subinde allegatur I. Cor. 1, 24.

[4] Psalm. 24, 10; ibid. 102, 17. est seq. locus.

[5] Vers. 12. — Sequuntur Ezech. 28, 16; Ioan. 12, 31. et Zachar. 9, 11, quem Glossa *interlinearis* (ex Hieron.) de liberatione animarum existentium in limbo per Christum intelligit.

[6] Psalm. 32, 6. — Tres seq. loci sunt I. Petr. 1, 18. seq.; Zachar. 9, 11. et Ps. 67, 19.

[7] Cfr. I. Sent. d. 34. q. 3. in corp. et Breviloq. p. I. c. 6.

[8] Psalm. 79, 3. Cfr. III. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. seq. — Glossa in hunc Ps. est *ordinaria,* de qua cfr. Cassiodorus. Sequitur Matth. 11, 29.

[9] Vers. 29. — Sequuntur Matth. 4, 17; Ioan. 6, 69; Matth. 11, 28; Ioan. 8, 11; Luc. 6, 37: Dimittite, et dimittemini (cfr. Matth. 6, 14. seq. et Marc. 11, 25.); Isai. 53, 7. et Ier. 11, 19.

[10] Vers. 10. — Sequuntur I. Ioan. 3, 18; Prov. 8, 17; Eccli. 6, 18; Luc. 11, 9.

[11] Vers. 4. — Quatuor seqq. loci sunt Prov. 5, 18; Matth. 19, 9: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem etc. (cfr. ibid. 5, 32.); Sap. 7, 25. et Eccli. 24, 26.

Ecclesiastici vigesimo quarto: « Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini ». *Et amator factus sum formae illius*, id est pulcritudinis sapientiae, et hoc perseverantia et ferventis dilectionis amore eam quasi in habitum convertendo; Zachariae nono [1]: « Quid bonum et quid pulcrum eius nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines »? id est nisi sapientia, quae reficit affectum et castificat vel purificat intellectum a corruptione erroris.

(Vers. 3.). *Generositatem* etc. Ita *amavi* sapien- Tertium. tiam etc., et merito, quia sapientia increata, *habens contubernium*, id est consortium et cohabitationem, *Dei;* Glossa [2]: « Patris, quia est ei coaeterna »; Ioannis decimo quarto: « Ego in Patre, et Pater in me est »; item Ioannis primo: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum »; *glorificat generositatem illius*, « id est, *repraesentat* generositatem Patris », secundum Glossam [3]. Ipse enim Filius Dei in se Patris gloriam repraesentat, quia est « splendor gloriae et figura substantiae eius », ut habetur ad Hebraeos primo; item Proverbiorum decimo, secundum aliam litteram: « Gloria patris filius sapiens ». Item eius gloriam *mundo manifestat;* unde Ioannis octavo: « Ego gloriam meam non quaero, sed honorifico » etc. *Sed et omnium Dominus*, scilicet Pater, de quo in Psalmo [4]: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu » etc.; *dilexit illam;* « Pater diligit Filium », Ioannis quinto.

(Vers. 4.). Et merito; *doctrix enim est disci-* Quartum. *plinae Dei;* Baruch tertio [5]: « Hic adinvenit omnem viam disciplinae » etc. Disciplina duplex est, scilicet *factorum* et *verborum;* unde in Psalmo: « Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit ». Propter hoc dicit: *Doctrix* etc., scilicet *verbis*. Et nota, quod disciplina Dei est fides formata, quae facit discipulos Dei; Actuum nono [6]: « Saulus adhuc spirans minarum et caedis in discipulos Domini », id est in fideles. *Et electrix operum illius*, id est disciplinae, quae est in *factis; electrix operum illius*, id est eligere docens opera disciplinae fidei. « Fides enim sine operibus mortua est », Iacobi secundo [7].

Et si divitiae appetuntur. Hic ostendit desi- De valore comparato quatuor. derium causatum ex sapientiae valore comparato, et primo in comparatione ad *pecuniam*, quae est perfectio fortunae; secundo, in comparatione ad *industriam*, quae est perfectio naturae: *Si autem sensus;* tertio, in comparatione ad *virtutem*, quae est perfectio gratiae: *Et si iustitiam;* quarto, in comparatione ad *scientiam*, quae est perfectio intelligentiae: *Et si multitudinem.*

(Vers. 5.). *Et si divitiae appetuntur*, quamvis Primum. appetendae non essent; « qui enim volunt divites fieri incidunt in tentationem et in laqueum diaboli », primae ad Timotheum sexto [8]; item in Psalmo: « Divitiae si affluant, nolite cor apponere »; *in vita*, scilicet praesenti, pro eius sustentatione et sufficientia. *Quid sapientia locupletius, quae operatur omnia?* Ioannis quinto [9]: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor »; *ego*, scilicet sapientia increata; nec potest esse pauper, qui omnia operatur. Scit enim facere argentum et aurum et huiusmodi; ideo dicit Proverbiorum octavo: « Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae »; Augustinus [10]: « Nimis dives est christiana religio, cui datum est in omnium possessore omnia possidere ».

(Vers. 6.). *Si autem sensus*, id est naturalis, Secundum. vel acquisita industria, *operatur*, quia « ars imitatur naturam » in operando, secundum Philosophum [11]; *quis horum quae sunt, magis quam illa est artifex?* quasi dicat: nullus; unde in Psalmo: « Omnia in sapientia fecisti ». Sapientia replevit Dominus Beseleel, ut sciret facere opera tabernaculi ut habetur Exodi trigesimo primo.

(Vers. 7.). *Et si iustitiam quis diligit*, scilicet Tertium. generalem, id est humanae vitae rectitudinem, de qua supra primo [12]: « Diligite iustitiam » etc. *Labores huius*, scilicet sapientiae, quibus pro ipsa habenda laboratur; et dicit *labores* pluraliter, quia pro ipsa habenda oportet multum laborare; secundae ad Corinthios undecimo: « In laboribus plurimis »; *ma-*

---

[1] Vers. 17: Quid enim bonum eius est, et quid etc. — Rabanus: Forma enim sapientiae veritas est, quam omnes veraciter religiosi praecipue appetunt agnoscere, quia ea sola est, qua omnes electi Dei sperant in aeterna quiete se beatificari. Unde ipsa Veritas in Evangelio ad Patrem ait [Ioan. 17, 3.]: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* De quo et subiungitur: *Generositatem glorificat* etc.

[2] Nempe *interlinearis* secundum Rabanum. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 14, 10. et 1, 1.

[3] Scilicet *ordinariam.* — Sequuntur Hebr. 1, 3; Prov. 10, 1: Filius sapiens laetificat patrem; Ioan. 8, 49. seq.: Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem non quaero gloriam meam, est qui quaerat et iudicet.

[4] Psalm. 2, 7. — Seq. locus est Ioan. 5, 20.

[5] Vers. 37. — Sequitur Ps. 17, 36.

[6] Vers. 1.

[7] Vers. 20.

[8] Vers. 9. — Sequitur Ps. 61, 11.

[9] Vers. 17. — Seq. locus est Prov. 8, 18.

[10] Cfr. Enarrat. in Ps. 48. serm. 1. n. 3, ubi, adductis Prov. 17, 6: *Fideli homini mundus totus divitiarum est* (Septuaginta), et II. Cor. 6, 10: *Quasi nihil habentes et omnia possidentes*, addit: « Qui vult ergo esse dives non haereat parti, et totum possidebit; illi inhaereat, qui totum creavit ». Vide etiam Serm. 36. (alias 212. de Tempore), c. 3. n. 3, ubi docet, quod Christus, pauper factus, nos ditavit: « Quid ditius eo, per quem facta sunt omnia »? Serm. 142. (alias 54. de Verbis Domini) c. 5. n. 5: « Si enim [Christum] ita quaesieris, possidebis. Tenebis enim eum, per quem facta sunt omnia, et cum ipso omnia possidebis ». De divitiis *Ecclesiae* cfr. Serm. de Symbolo, qui incipit: *Notum est* (inter opera August.), c. 12.

[11] Libr. II. Phys. text. 22. et 79. (c. 2. et 8.). — Subinde allegantur Ps. 103, 24. et Exod. 31, 3. seqq.: Et implevi eum [Beseleel] spiritu Dei, sapientia et intelligentia etc.

[12] Vers. 1. — Sequitur II. Cor. 11, 23.

gnas virtutes habent, id est acquirunt; Glossa[1]: « Nihil iners, nihil desidiosum in operibus eius ». *Sobrietatem enim* etc.; Glossa: « Quatuor virtutes principales ponit »: *sobrietatem*, « id est temperantiam[2] », in cavendo superfluum malum; infra nono: « Deducet me in operibus meis sobrie »; *et sapientiam*[3] *docet*, in discernendo et diligendo bonum; *et iustitiam*, in reddendo debitum; *et virtutem*, « id est fortitudinem[4] », cui magis convenit nomen *virtutis*, quasi vi tuentis in sustinendo difficile et aggrediendo arduum. De his tribus Proverbiorum octavo[5]: « Mea est aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo »; Glossa: « Has virtutes nullus habuit, nisi cui omnium virtutum origo, Deus, contulit, quocumque tempore, quacumque lege, quacumque gente. Quidam tamen speciem pietatis habentes virtutem ignoraverunt ».

Sed nunquid philosophi virtutem habuerunt? Et
Quaestio 1. videtur, quod sic; quia, secundum Philosophum[6], virtus habetur per acquisitionem.

Dicendum, quod non habuerunt virtutes perfe-
Resp. ctas, sed imperfectas, quia sine merito et informes. Vel habuerunt eas a Deo per gratiam gratis datam, licet non per gratiam gratum facientem[7].

Quibus nihil est utilius in vita hominibus, id est in vita humana hominis ad hominem.

Sed nunquid theologicae virtutes utiliores sunt
Quaestio 2. et meliores?

Dicendum, quod, sicut tactum est, loquitur de
Resp. vita humana hominis in comparatione ad hominem, non ad Deum, quoniam praesupponit; his autem nihil est utilius hominibus, quia proficiunt homini in *agendo* et in *patiendo:* in *agendo*, quia per prudentiam est agendorum recta *electio*, per iustitiam recta *exsecutio;* in *patiendo*, quia per temperantiam recte nos habemus ad passiones *mulcebres*, per fortitudinem ad passiones *tristabiles*. Ideo dicit Glossa[8]: « Qui temperans est, prudens et fortis et iustus, quid illi deest »?

(Vers. 8.). *Et si multitudinem scientiae* etc.
Quartum. Aliqui[9] habent: *Et similitudinem scientiae*, sed falsa est littera illa, quamvis praesens scientia hominis
Notandum. magis possit dici *similitudo scientiae* quam *scientia*, quia multae dubietati et multae ignorantiae est permixta. *Si multitudinem*, inquam, *scientiae*, scilicet speculativae, *desiderat quis*, secundum illud Philosophi[10]: « Omnes homines natura scire desiderant »; *scit praeterita*, scilicet sapientia ipsa, *et de futuris aestimat*, certitudinaliter, cum tamen sint occulta ex conditione temporis, quia praeterita iam transierunt, futura vero nondum evenerunt. *Scit*, inquam, *praeterita* etc.; unde per ipsam edoctus Moyses prophetavit de *praeteritis;* Genesis primo[11]: « In principio creavit Deus caelum et terram »; item de *futuris*, Deuteronomii decimo octavo: « Prophetam suscitabit Dominus de gente tua et de fratribus tuis ». *Scit versutias sermonum*, id est simplicium propositionum, ut aenigmatum, obscuras astutias, nec tantum simplicium propositionum versutias, sed et compositarum; unde sequitur: *Et dissolutiones argumentorum*, id est ratiocinationum, quae tamen latent ex perplexione humanae calliditatis; Ecclesiastici trigesimo nono[12]: « Occulta proverbia exquiret », scilicet sapiens, « et in absconditis parabolarum conversabitur ». Unde Christus, « in quo erant thesauri sapientiae et scientiae absconditi », in sermone capi non potuit, ut patet Matthaei vigesimo secundo; et Salomonem edoctum sapientia nullum verbum reginae Saba latere potuit, ut patet tertii Regum decimo. *Signa*, scilicet minora, quae praeter naturam fiunt, *et monstra*, quae contra naturae communem cursum fiunt, *scit, antequam fiant*, ita bene, sicut quando iam facta sunt. De his duobus Ioannis quarto[13]: « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis ». Haec autem similiter occulta ratione naturalis difficultatis, quia « miraculum, secundum Augustinum, est opus arduum et insolitum supra spem et facultatem admirantis ». *Et eventus temporum*, id est eorum quae eveniunt in tempore praesenti, *et saeculorum*, id est sequentium, quae eveniunt in aeternitate et in futuro. Haec autem nosse non est hominis; unde Actuum primo[14]: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate »; haec autem occulta sunt ratione causae latentis.

---

[1] Nempe *ordinaria*, sumta ex Rabano, secundum quem est etiam seq. Glossa *interlinearis*.

[2] Ut ait Glossa *interlinearis*. — Sequitur Sap. 9, 11.

[3] Ita etiam Rabanus; Vulgata *prudentiam*.

[4] Ex Glossa *interlineari*. Cicero, II. Tuscul. Disp. c. 18: Appellata est enim ex viro *virtus;* viri autem propria maxime est fortitudo, cuius munera duo sunt maxima, mortis doloris-que contemptio. Cfr. supra pag. 78, nota 6.

[5] Vers. 14. — Sequitur Glossa *ordinaria* ex Rabano, in cuius fine allegatur II. Tim. 3, 5: Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

[6] Libr. II. Ethic. c. 1. seqq. Cfr. supra pag. 80, nota 8.

[7] Cfr. III. Sent. d. 33. q. 5.

[8] Scilicet *ordinaria* ex Rabano. — De passione *mulcebri* cfr. tom. IV. pag. 137, nota 6; et de obiectis quatuor virtutum vide III. Sent. d. 33. q. 4.

[9] Ut card. Hugo.

[10] Libr. I. Metaph. c. 1.

[11] Vers. 1. — Sequitur Deut. 18, 15: Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.

[12] Vers. 3: Occulta proverbiorum exquiret etc. — Subinde allegantur Col. 2, 3: In quo sunt omnes thesauri etc.; Matth. 22, 15. seqq., ubi narratur, quod Pharisaei, « ut caperent eum in sermone », tentarent Iesum super censu dando Caesari, et Sadducaei super resurrectione; III. Reg. 10, 3: Et docuit eam Salomon omnia verba, quae proposuerat; non fuit sermo, qui regem posset latere, et non responderet ei. — Superius pro *perplexione* A *prolixitate*.

[13] Vers. 48. — Seq. sententia August. est in Lib. de Utilitate credendi, c. 16. n. 34: Miraculum voco quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet.

[14] Vers. 7. — Superius ex A supplevimus *Et eventus temporum... praesenti.*

Secundo illud ostenditur ex proposito eam acquirendi.

Proposui ergo etc. Supra ostendit, quantum amaret sapientiam, et hoc ex desiderio habendi; hic ex *proposito acquirendi*, et hoc propter bona, quae ex ipsa proveniunt, et primo propter bona pertinentia communiter ad *utramque vitam;* secundo, propter pertinentia [1] ad *vitam activam: Habebo per hanc;* tertio, propter pertinentia specialiter ad *contemplativam: Intrans in domum.*

Divisio in 3 membra.

Primo, propter bona pertinentia ad utramque vitam.

(Vers. 9.). *Ergo,* quia talis est, *proposui,* id est, firmiter in corde meo disposui; *hanc,* scilicet sapientiam divinam, non aliam adulterinam, ut poeticas disciplinas, quas vocat Boethius de Consolatione [2], « meretriculas »; *adducere mihi,* non tantum alteri, contra illos, qui tantum alios docent, se ipsos non docent, quos arguit Apostolus, dicens ad Romanos secundo: « Qui alium doces, te ipsum non doces ». *Ad convivandum* [3], id est ad reficiendum, scilicet *affectum,* non tantum ad illustrandum *intellectum,* sicut multi, qui nullo modo afficiuntur in sacra Scriptura; quarti Regum septimo: « Videbis oculis tuis, et inde non comedes »; item *ad convivandum,* dicit, id est ad *communiter* et simul reficiendum; quia in bonis *sapientiae* pascimur et reficimur; unde Proverbiorum nono: « Comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis »; et illa [4] in bonis *nostris;* unde Proverbiorum octavo: « Deliciae meae esse cum filiis hominum ». Debemus ei ministrare primum ferculum quasi de *herbis* confectum, de liliis honestatis; Canticorum secundo [5]: « Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies » etc. Secundum, de *carnibus haedinis,* id est detestationem omnis peccati et iniquitatis, tam carnalis quam spiritualis; his duobus haedis libenter vescitur, sicut Isaac, Genesis vigesimo septimo. Tertium, de *piscibus assis* patientiae et tribulationis: « Obtulerunt ei partem piscis assi », Lucae vigesimo quarto. Ultimum, de *fructu spiritus,* id est de operibus devotionis; Canticorum quinto: « Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum ». *Sciens, quoniam mecum communicabit de bonis,* scilicet suis. Haec est invitatio symbolica Apocalypsis tertio [6]: « Coenabo cum eo, et ipse mecum »; et dicit: *de bonis,* pluraliter, quia et de bonis praesentibus et futuris. *Et erit allocutio;* Glossa [7]: « Id est alleviatio »; *cogitationis,* id est afflictionis in *cogitando,* quoad intellectum, secundum illud Ecclesiastae ultimo: « Frequens meditatio carnis est afflictio ». *Et taedii mei,* in *operando,* et hoc quantum ad affectum; secundae ad Corinthios primo: « Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere ».

Expositio litteralis.

Fercula quatuor.

Secundo, propter bona pertinentia ad vitam activam.

Habebo etc. Hic tangit bona pertinentia ad vitam *activam,* praecipue necessaria praelatis, et primo, quantum ad actum *iudicandi;* secundo, quantum ad actum *docendi* [8]: *Tacentem me* etc.; tertio, quantum ad actum *conversandi: Praeterea habebo* etc.; quarto, quantum ad actum *regendi: Disponam populos.* — Quantum ad actum *iudicandi* tangit duo: primo, *auctoritatem;* secundo, *discretionem: Iuvenis et acutus* etc.

Tanguntur 4 actus.

De primo dicuntur duo.

(Vers. 10.). *Habebo per* [9] *hanc,* scilicet per sapientiam, quae « clara est », ut habetur supra sexto, *claritatem,* scilicet famae; Matthaei quinto: « Luceat lux vestra » etc.; item ad Philippenses secundo: « Inter quos lucetis sicut luminaria in firmamento » etc. *Ad turbas,* id est ad minores; *et honorem,* scilicet reverentiae, *apud seniores,* id est apud maiores; Iob vigesimo nono: « Videbant me iuvenes et abscondebantur, et senes assurgentes stabant ». Ex his duobus fit homo magnae auctoritatis, scilicet ex fama minorum et reverentia maiorum. *Iuvenis,* id est fortis et diligens in investigando.

Auctoritas in actu iudicandi.

Item, discretio.

(Vers. 11.). *Et acutus,* id est subtilis in penetrando et inveniendo, *inveniar in iudicio;* Glossa [10]: « Omnia secundum leges diiudicans »; talis fuit Daniel, ut patet Danielis decimo tertio. *Et,* supple: ideo, *et in conspectu potentium,* id est minorum praelatorum, *admirabilis ero, et facies principum,* id est maiorum praelatorum, *mirabuntur me.* Hoc ad litteram fuit verum de Salomone, ut patet tertii Regum decimo [11], ubi dicitur, quod « regina Saba, audita fama Salomonis » etc., ait: « Maior est sapientia,

---

[1] Cod. B addit *specialiter.* Mox pro *per* Vulgata *propter.*

[2] Libr. I. prosa 1: Quae [philosophia], ubi poeticas musas vidit... Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc aegrum permisit accedere? — Sequitur Rom. 2, 21.

[3] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *convivendum.* — Duo seqq. loci sunt IV. Reg. 7, 2. et Prov. 9, 5.

[4] Scilicet sapientia, supple: pascitur et reficitur. Sequitur Prov. 8, 31.

[5] Vers. 16. 17. — Sequuntur Gen. 27, 9: Affer mihi duos haedos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur; Luc. 24, 42. et Cant. 5, 1.

[6] Vers. 20: Coenabo cum illo etc.

[7] Nempe *interlinearis.* — Duo seqq. loci sunt Eccle. 12, 12. et II. Cor. 1, 8.

[8] Edd. *loquendi.*

[9] Vulgata *propter.* — Sequuntur Sap. 6, 13; Matth. 5, 16; Phil. 2, 15. seq., ubi pro *in firmamento* [cfr. Gen. 1, 17.] Vulgata *in mundo;* Iob 29, 8.

[10] Scilicet *interlinearis,* quae pro *leges* substituit *legem.* Rabanus: « *Iuvenis et acutus* invenitur *in iudicio,* cum omnia secundum legis Dei discernit atque diiudicat sanctionem ». Vulgata, interpunctione variata, sic legit: *Habebo... honorem apud seniores iuvenis: et acutus inveniar in iudicio.* — Subinde allegatur Dan. 13, 45. seqq., ubi iudicio suo Susannam castissimam a morte liberat.

[11] Vers. 1. et 7, ubi pro *quam inveni* Vulgata *et opera tua.* — Sequuntur Matth. 14, 1. seq.: In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Iesu etc.; Eccli. 24, 3.

quam inveni, quam rumor, quem audivi ». Hoc etiam verum fuit de nostro Salvatore; unde Matthaei decimo quarto: « Audivit tetrarcha famam de Iesu et ait pueris suis » etc. Hoc etiam verum est de perfecto sapiente; Ecclesiastici vigesimo quarto: « In medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur ».

De secundo actu.

(Vers. 12.). *Tacentem me,* id est, quid doceam, praemeditantem; in Psalmo [1]: « Os iusti meditabitur sapientiam ». *Sustinebunt,* id est, in silentio exspectabunt, « non audentes loqui », secundum Glossam; Iob vigesimo nono: « Exspectabant me sicut pluviam, et aperiebant os suum sicut ad imbrem serotinum ». *Et loquentem* etc., taciturnitatem recte praemisit locutioni, quia, secundum Hieronymum [2], « doctrina Pythagorae erat tacere per quinquennium et postea eruditos loqui ». *Et loquentem me respicient,* scilicet diligenter, et hoc in signum attentionis; Iob vigesimo nono [3]: « Intenti tacebant ad consilium meum ». *Et sermocinante me plura,* sed non superflua sive multa, quia « in multiloquio », sive in superfluitate verborum, « non deerit peccatum », Proverbiorum decimo. Nota, quod *pluralitatem* constituunt duo, vel tria, sed non *multitudinem. Manus ori suo imponent;* Glossa [4]: « Non audentes resistere mihi »; Iob vigesimo nono: « Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo ».

De tertio actu.

(Vers. 13.). *Praeterea per hanc,* scilicet per sapientiam, *habebo immortalitatem,* scilicet gloriae aeternae in caelo; Proverbiorum tertio [5]: « Lignum vitae est his qui apprehenderint eam ». *Et memoriam;* Glossa: « Meorum operum et virtutum », *aeternam,* id est perpetuam, quamdiu durabit mundus; *his qui post me futuri sunt, relinquam;* Proverbiorum decimo: « Memoria iusti cum laudibus »; in Psalmo: « In memoria aeterna erit iustus ».

De quarto actu duo.

Disponam etc. Hic tanguntur bona per sapientiam habita quoad *actum regendi,* et primo respectu *subditorum;* secundo, respectu *extraneorum: Timebunt* etc.

Respectu subditorum.

(Vers. 14.). Dicit ergo: *Disponam;* Glossa [6]: « Erudiam », regendo scilicet et gubernando, *populos,* Legem habentes. Populus enim est multitudo hominum sub una lege viventium [7], ut Iudaei sub lege Moysi. *Et nationes,* id est gentiles Legem non habentes, et dicuntur *nationes,* quia non renati, sed in nativitatis praeputio et vitio permanentes; in Psalmo: « Subiecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris »; Isaiae quinquagesimo quinto: « Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus ». *Nationes,* inquam, *mihi erunt subditae,* per obedientiam.

Respectu extraneorum.

(Vers. 15.). *Timebunt me audientes reges horrendi,* id est tyranni et impii; unde omnes reges per circuitum facti sunt tributarii Salomoni, tertii Regum nono [8]; item Isaiae sexagesimo: « Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te ». *Et in multitudine,* « scilicet fidelium », *bonus videbor,* « id est benignus », *et in bello,* « scilicet adversariorum », *fortis.* Haec omnia spiritualiter, secundum Glossam [9], impleta sunt in Christo et de ipso exponi possunt, ut patet inspicienti Glossas.

Expositio spiritualis.

Tertio, propter bona pertinentia ad vitam contemplativam.

(Vers. 16.). *Intrans in domum meam,* id est conscientiam, scilicet redeundo de cura exteriori ad interiorem, sicut « discipuli » post praedicationem ad Dominum « sunt reversi cum gaudio », ut habetur Lucae decimo [10]. Praemisit autem actionem contemplationi ratione temporis, non ratione dignitatis, sicut Lia ante Rachel, Genesis vigesimo nono. *Conquiescam cum illa,* id est, simul quiescam in illa, et illa mecum vel in me; Ecclesiastici trigesimo secundo [11]: « Praecurre prior in domum tuam, et illic avocare et illic lude » etc. Bene dixi: *Conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem,* exterioris turbationis, *conversatio illius,* id est cohabitatio; Ecclesiastici vigesimo quarto: « Spiritus meus super mel dulcis »; *nec taedium,* scilicet interioris afflictionis, *convictus illius;* ibidem: « Qui edunt me adhuc esurient », contra fastidium. Haec duo, scilicet *amaritudo* exterioris turbationis et *taedium* interioris afflictionis, repugnant quieti. Et ideo illa removet, subiungens duo opposita, cum dicit: *Sed laetitiam,* scilicet interius, *et gaudium,* scilicet exterius; Ecclesiastici primo [12]: « Incunditatem atque gaudium

Notandum.

---

[1] Psalm. 36, 30. — Sequuntur Glossa *interlinearis:* Non audebunt loqui; Iob 29, 23.

[2] Comment. in Eccle. 3, 7: Pythagoricos reor, quorum doctrina est tacere per quinquennium, et postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti.

[3] Vers. 21. Glossa *interlinearis: Et loquentem me respicient,* attenti ad sermones meos. — Sequitur Prov. 10, 19.

[4] Scilicet *interlinearis* secundum Rabanum. — Seq. locus est Iob 29, 9.

[5] Vers. 18. — Sequuntur Glossa *interlinearis* (secundum Rabanum); Prov. 10, 7. et Ps. 111, 7.

[6] Nempe *interlinearis.*

[7] Cicero, I. de Republ. c. 25: Populus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Cfr. August., II. de Civ. Dei, c. 21. n. 2; XIX. c. 21. n. 1. et 24. — Isidor., IX. Etymolog. c. 2. n. 1: *Gens* autem appellata propter *generationes* familiarum, id est a *gignendo,* sicut *natio* a *nascendo.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 46, 4. et Isai. 55, 4.

[8] Vers. 21: Horum [Amorrhaeorum, Hethaeorum etc.] filios... fecit Salomon tributarios usque in diem hanc. — Sequuntur Isai. 60, 14, et ter Glossa *interlinearis.*

[9] Scilicet *interlinearem* ex Rabano. Cfr. *ordinaria* in v. 9, 11. et 16.

[10] Vers. 17. — Subinde respicitur Gen. 29, 19. seqq. de Lia et Rachel, quibus significatur vita activa et contemplativa. Cfr. supra pag. 75, nota 3. et tom. III. pag. 640, nota 2, ubi verba Bernardi allata sunt, quibus ostenditur, quod activa vita debeat praecedere contemplativae.

[11] Vers. 15. seqq.; ibid. 24, 27. et 29. sunt duo seqq. loci.

[12] Vers. 18. — Sequitur Eccli. 15, 5. et 6.

dabit »; item Ecclesiastici decimo quinto: « Implevit eum Dominus spiritu sapientiae » etc.; item ibidem: « lucunditatem et exsultationem » etc.

Tertio idem ostenditur ex studio quaerendi sapientiam triplicíter.

Haec cogitans etc. Hic tertio ostendit, quantum amaverit sapientiam, et hoc ex *studio quaerendi eam.* Et circa hoc primo ostendit *diligentiam quaerendi;* secundo, *aptitudinem suscipiendi: Puer autem eram;* tertio, *fiduciam impetrandi: Et ut scivi*

Divisio.

Primo ostenditur diligentia sapientiam quaerendi.

In prima ponit tres causas moventes ad quaerendum scientiam: primo effectum sapientiae in *corde;* secundo effectum in *opere: Et in operibus;* tertio effectum in *locutione: Et in certamine loquelae.*

Subdivisio in 3 membra.

(Vers. 17.). *Haec,* scilicet praemissa, *cogitans apud me,* frequenter de his meditando, *et commemorans in corde meo,* scilicet sequentia, ea, ne obliviscerer, ad memoriam reducendo; animal enim, quod « ruminat et findit ungulam », scilicet memorando et discernendo, mundum est, Levitici undecimo [1]; Lucae secundo: « Maria conservabat omnia verba haec » etc. *Quoniam immortalis est* [2], scilicet per naturam, vel per effectum immortalitatis, quam confert; unde supra eodem: « Habebo per hanc immortalitatem ». *In cogitatione sapientiae,* id est intellectu; Glossa: « Quidquid de natura eius cognoscitur, totum immortale et semper vivere invenitur »; infra decimo quinto: « Scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis ».

Expositio literalis. Effectus sapientiae in corde.

(Vers. 18.). *Et in amicitia illius,* scilicet quando amatur, *delectatio bona,* scilicet in affectu; *bona* dicit contra delectationem peccati, quae mala est, quia ducit ad aeternum cruciatum, secundum illud Gregorii [3]. « Momentaneum est quod delectat, aeternum quod cruciat »; item Glossa: « Corporales deliciae corpus gravant, spirituales vero mentem relevant; et tanto magis esuriuntur, quanto magis comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet; spirituales vero deliciae augent desiderium, et quo magis sumuntur, eo avidius amantur ». *Et in operibus manuum illius,* id est in operibus bonis, quae fiunt per manus illius, id est virtute et potentia eius; Ioannis decimo quinto [4]: « Sine me nihil potestis facere »; *honestas sine defectione,* id est perfecta honestas; virtus enim et opus virtutis sunt de genere honesti; infra decimo: « Honestavit illum in laboribus »; item supra septimo: « Innumerabilis honestas per manus illius ». *Et in certamine loquelae illius,* scilicet quae est ad modum disputationis, in qua est quoddam certamen opponentis et respondentis; *sapientia,* id est scientia, supple: acquiritur; Ecclesiastici ultimo [5]: « Colluctata est anima mea cum illa ». *Et praeclaritas,* id est clarae virtutis evidentia, *in communicatione sermonum ipsius,* qui scilicet communicantur per modum simplicis collationis; Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui elucidant me vitam aeternam habebunt »; item Danielis duodecimo: « Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellae in perpetuas aeternitates ». *Circuibam;* Glossa [6]: « Diligenter et studiose »; Canticorum tertio: « Surgam et circuibo civitatem »; *quaerens,* sicut mulier, de qua Lucae decimo quinto: « Quae lucernam accendit et everrit domum, quaerens diligenter, donec inveniat ». *Ut illam mihi assumerem,* scilicet in sponsam; unde supra eodem [7]: « Quaesivi eam mihi sponsam assumere ».

Item, in operibus. Item, in locutione.

In praedicto textu tanguntur octo utilia praedicatori vel doctori circa sapientiam addiscendam sive circa sapientiae acquisitionem: *cogitatio* de ea per investigationem, *commemoratio* per frequentationem, *delectatio* per amorem, *operatio* per impletionem, *concertatio* per disputationem, *communicatio* per collationem, *circuitio* per interrogationem, *assumtio* per incorporationem.

Octo utilia doctori.

---

[1] Vers. 3: Omne, quod habet divisam ungulam et ruminat in pecoribus, comedetis (Septuaginta: Omne pecus, quod ungulam dividit et fissuras findit duarum ungularum et reducit ruminationem in pecoribus, haec manducabitis). — Sequitur Luc. 2, 51.

[2] Hanc lectionem sicut et paulo inferius positam (*in cogitatione sapientiae*) exhibent card. Hugo a S. Charo (partim in textu, partim in margine) et Lyranus; Vulgata autem legit: *Quoniam immortalitas est in cognatione sapientiae.* — Subinde allegantur Sap. 8, 13; Glossa *interlinearis* (ex Rabano) et Sap. 15, 3.

[3] Libr. XIV. Moral. c. 8. n. 10; XV. c. 13. n. 15. et II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 32. eadem sententia, licet aliis verbis, exprimitur. Chrysost., Serm. 4. de Anna, n. 2: Vitium enim momentaneam habet voluptatem, dolorem vero perpetuum. — Glossa inferius allegata est *ordinaria,* sumta ex Rabano (ad v. 16.), qui sequitur Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 1. Cfr. August., I. de Doctr. christiana, c. 38. n. 42.

[4] Vers. 5. — Sequuntur Sap. 10, 10. et 7, 11. Cicero, II. Rhetor. c. 54: Quod aut totum, aut aliqua ex parte propter se petitur *honestum* nominamus... Est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa *virtus;* nam virtus est animi habitus, naturae modo, rationi consentaneus.

[5] Vers. 25, ubi pro *cum illa* Vulgata *in illa.* — Sequuntur Eccli. 24, 31. et Dan. 12, 3, ubi pro *plurimos* Vulgata *multos.* — Inferius ex A posuimus *collationis* pro *collectionis.*

[6] Nempe *interlinearis* secundum Rabanum. — Duo loci seqq. sunt Cant. 3, 2. et Luc. 15, 8.

[7] Vers. 2. — Card. Hugo: Ecce, *quinque* ponit Philo, quae oportet omnem praedicatorem vel doctorem habere ad hoc, ut praedicare vel docere possit sapientiam: Primum est cogitatio sapientiae, quod tangitur hic: *Haec cogitans apud me.* Secundum est amor sapientiae, quod tangitur ibi: *In amicitia illius delectatio bona.* Tertium est opus, quod tangitur ibi: *In operibus manuum illius honestas sine defectione.* Quartum est studium, quod tangitur ibi: *Et in certamine loquelae illius sapientia.* Quintum est doctrina sive praedicatio, quod tangitur ibi: *Et praeclaritas in communicatione sermonum ipsius.*

Secundo, aptitudo eam suscipiendi.

Subdivisio in 3 membra.

Puer autem eram etc. Hic tangit *aptitudinem suscipiendi*, primo ex parte *naturalis industriae*, quia *puer eram ingeniosus;* secundo ex parte *gratiae*, quia *animam bonam sortitus;* tertio ex parte *munditiae*, quia, *cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.*

Primum.

(Vers. 19. 20.). Dicit ergo: *Puer autem eram ingeniosus;* nota, quod loquitur [1] in persona Salomonis. *Ingeniosus* per *naturalem industriam;* Proverbiorum vigesimo: « Ex studiis suis intelligitur puer, si

Secundum.

munda et recta sint opera eius ». *Et sortitus*, id est sorte divinae electionis adeptus; Actuum primo: « Cecidit sors super Mathiam »; *animam bonam*, scilicet per *gratiam;* tertii Regum tertio: « Dilexit Salomon Dominum, ambulans in praeceptis David, patris sui ».

Tertium.

— *Et cum essem magis bonus*, scilicet ex gratia superaddita, quam essem prius ex industria naturali, *accessi* [2] etc. Secundum enim Augustinum bona temporalia sunt bona infima, naturalia media, gratuita summa. *Accessi*, inquam, mentis proposito et studio, *ad corpus incoinquinatum*, supple: habendum et conservandum per *munditiam.*

Quaestio.

Sed Glossa [3] opponit, quod hoc de Salomone vix possit ad litteram intelligi, quia « mulieres adamavit etiam alienigenas », ut patet tertii Regum undecimo.

Resp.

Sed solutio patet per distinctionem temporum: in iuventute dilexit munditiam, sed in senectute luxuriam. Melius tamen possunt haec de Christo intelligi.

Tertio, fiducia eam impetrandi.

(Vers. 21.). *Et ut scivi*, scilicet certissima cognitione fidei et rationis, *quoniam aliter non possum* [4] *esse continens, nisi Deus det.* « Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est » etc., Iacobi primo [5]; continentia autem est donum perfectissimum; Ecclesiastici vigesimo sexto: « Non est digna ponderatio continentis animae ». *Et hoc ipsum erat sapientia* [6], id est quidam effectus sapientiae in me, scilicet *scire, cuius esset hoc donum;* supra eodem [7]: « Doctrix est disciplinae Dei ». *Ut scivi*, inquam, etc., *adii Dominum*, intentione mentis, non passibus corporis. In Psalmo: « Accedite ad eum, et illuminamini ». *Et deprecatus sum illum*, scilicet verbo orationis vocalis; Iacobi primo: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo ». *Et dixi ex totis praecordiis meis*, scilicet fervore devotionis, secundum illud Isaiae vigesimo sexto [8]: « Sed et spiritu meo de mane in praecordiis meis vigilabo ad te »; in Psalmo: « Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine ».

Capitulum IX.

Tertio ostendit, quam devote sapientiam a Deo petierit.

Divisio quadruplex.

Deus patrum meorum etc. Postquam ostendit, qualiter sapientiam acceperit et quantum acceptam amaverit; hic ostendit, quam devote eam a Deo *petierit.* Et primo tangit *petitionis formam;* secundo, *exauditionis rationem: Tu autem* [9] *elegisti;* tertio, *petitionis finem: Mitte illam;* quarto, *finis difficultatem: Quis enim* etc.

Primo tangitur petitionis forma.

Subdivisio in 4 membra.

In prima parte primo *decorem laudat;* secundo, *donum specificat: Da mihi sedium;* tertio, *se humiliat: Quoniam servus;* quarto, *indigentiam insinuat: Et* [10] *si quis* etc.

Expositio litteralis.

(Vers. 1.). *Deus patrum meorum*, scilicet per gratiam electionis; *patrum*, scilicet antiquorum; Exodi tertio [11]: « Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham » etc. Vel: *Deus patrum meorum*, id est, qui fecisti patres meos et elegisti et sanctificasti eos. *Et Domine misericordiae*, id est Domine misericors, ita quod sit intransitiva constructio; vel: *Domine misericordiae*, auctor, ita quod sit transitiva; in Psalmo [12]: « Miserator et misericors Dominus ». *Domine*, inquam, *misericordiae*, scilicet per effectum remissionis peccatorum et iustificationis; misericordia enim respicit miseriam; Proverbiorum decimo quarto: « Miseros autem facit populos peccatum ». *Qui fecisti*

---

[1] Scilicet Philo; cfr. supra Prooemium, n. 6. — Tres seqq. loci sunt Prov. 20, 11; Act. 1, 26. et III. Reg. 3, 3.

[2] Vulgata: *veni*, quod etiam paulo superius habetur. — August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 50: Virtutes igitur, quibus recte vivitur, *magna bona* sunt; species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, *minima bona* sunt; potentiae vero animi, sine quibus recte vivi non potest, *media bona* sunt. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 3.

[3] Nempe *ordinaria* ex Rabano: Salomon in pueritia postulaverat a Deo sapientiam... factus est ergo sapientissimus et videtur *sortitus animam bonam*, qui habuit cor sapiens et intelligens. Sed quomodo convenit ei quod dicitur: *Veni ad corpus incoinquinatum* etc., cum mulierem alienigenam amaverit et idola aedificaverit [III. Reg. 11, 1. seqq.]? Videtur ergo magis convenire populo Sanctorum, qui in baptismo regeneratus est, et fide Salvatoris imbutus, pueritiam indolis suae bonae et simplicis innocentiae perceperit etc.

[4] Ita Rabanus et card. Hugo; Vulgata *possem.*

[5] Vers. 17. — Sequitur Eccli. 26, 20.

[6] Ita card. Hugo in margine et Lyranus in textu; Vulgata *sapientiae.*

[7] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Ps. 33, 6. et Iac. 1, 5. August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 3: Qui credit accedit, qui negat recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus.

[8] Vers. 9. — Seq. locus est Ps. 118, 145.

[9] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata omittit *autem.*

[10] Vulgata praefigit *Nam*, quod omittunt card. Hugo et Lyranus.

[11] Vers. 6.

[12] Psalm. 110, 4. — Sequitur Prov. 14, 34.

omnia, scilicet per opus creationis, ut patet Genesis primo [1]; in Psalmo: « Dixit, et facta sunt »; *Verbo tuo*, id est per Filium tuum; Ioannis primo: « In principio erat Verbum » etc., et post: « Omnia per ipsum facta sunt ».

(Vers. 2.). *Et sapientia tua*, id est eodem Filio tuo, secundum illud Psalmi [2]: « Omnia in sapientia fecisti »; *constituisti*, id est, ex partibus valde diversis composuisti, scilicet ex spiritu rationali et luto terrestri; *hominem;* Ecclesiastici decimo septimo: Notandum. « Deus de terra creavit hominem ». Et notandum, quod cetera dicit facta solo *Verbo*, sed hominem *sapientia*, quasi opus nobilius, quia capax sapientiae tam creatae quam increatae, et ideo quasi opus maiori excogitatione faciendum; propter quod Dominus, quasi deliberans, ait Genesis primo [3]: « Faciamus hominem ad imaginem » etc. *Ut dominaretur creaturae, quae a te facta est*, creaturae, scilicet non spirituali vel angelicae, sed corporali, et hoc per potentiam; Genesis primo: « Dominamini piscibus maris » etc.

(Vers. 3.). *Ut disponat orbem terrarum;* scilicet per sapientiam; est enim homo positus in hoc mundo, sicut rex in regno. *In aequitate*, id est misericordia, *et iustitia;* haec enim duo in disponendo iungi debent; Gregorius [4]: « Disciplina et misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur ». *Et in directione cordis*, scilicet per bonitatem, et hoc per rectam ad Deum intentionem; in Psalmo [5]: « Confitebor tibi in directione cordis »; Iob trigesimo quarto: « Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet »; *iudicium iudicet*, scilicet super subditos. Nomine autem *iudicii* simpliciter dicti intelligit iudicium « verum [6] » vel iustum. Sicut enim homo pictus vel mortuus non est homo, sic falsum vel iniustum iudicium non est iudicium.

(Vers. 4.). *Da mihi*, « a quo omne datum optimum », Iacobi primo [7]; *sapientiam*, scilicet intellectum, *sedium tuarum assistricem*, id est sanctarum animarum inhabitatricem; supra septimo: « Per nationes in animas sanctas se transfert ». Sanctae autem animae dicuntur *sedes Dei*, quia in eis sedet Quid sedes Dei. Deus et quiescit praesidens et imperans omnibus earum motibus et affectionibus; Isaiae ultimo [8]: « Caelum mihi sedes est »; Glossa: « Anima iusti sedes est sapientiae ». *Et noli me reprobare*, dando mihi bonitatem et gratiam in affectu; *noli*, inquam, *reprobare me*, sicut illos, de quibus ad Romanos primo [9]: « Tradidit illos in reprobum sensum »; Ieremiae sexto: « Argentum reprobum vocate eos ». *A pueris tuis*, scilicet a puerorum tuorum numero et consortio excludendo, de quibus Isaiae octavo: « Ecce, ego et pueri mei » etc.

(Vers. 5.). *Quoniam* etc.; quasi dicat: ideo peto, ut des mihi sapientiam, *quoniam servus tuus sum ego*, id est tibi paratus servire; in Psalmo [10]: « Servus tuus sum ego, da mihi intellectum »; tertii Regum decimo: « Beati servi tui, qui audiunt sapientiam tuam ». *Et filius ancillae tuae*, id est synagogae, de qua ad Galatas quarto: « Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit ». Secundum Glossam [11] verba ista sunt « Filii ad Patrem », secundum quod homo sapientiam pro membris petentis, se servum eius secundum humanitatem, non filium allegantis; Isaiae quadragesimo nono: « Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor ». *Et filius ancillae tuae*, id est Virginis Mariae, secundum illud Lucae primo [12]: « Ecce, ancilla Domini ». *Homo infirmus*, ex parte corporis propter corporis fragilitatem; in Psalmo: « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ». *Et exigui temporis*, propter vitae brevitatem; Iob decimo quarto: « Homo natus de muliere, brevi vivens tempore »; *et minor*, ex parte animae, id est ex naturali virtute insufficiens, *ad intellectum;* Glossa [13]: « Ad percipiendum »; *iudicii*, id est iudiciorum tuorum, quorum exemplo iudicandum est; *et legum*, tuarum scilicet aeternarum, quarum regulatione iudicandum est; ad Romanos undecimo: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius »!

(Vers. 6.). *Et* [14] *si quis* etc., in hoc innuitur caritas, *erit consummatus*, id est perfectus; Glossa: « In iudicio »; *inter filios hominum*, qui ex viro sci-

---

[1] Vers. 1. seqq. — Sequuntur Ps. 32, 9; Ioan. 1, 1. et 3.

[2] Psalm. 103, 24. — Seq. locus est Eccli. 17, 1.

[3] Vers. 26; ibid. v. 28. est seq. locus. — August., Serm. 43. (alias 27. de Verbis Apostoli), c. 2. n. 3: Denique ubi Scriptura narrat, quod facti sumus, ibi subiungit, ut nos *pecoribus* non solum anteponat, sed et praeponat, id est, ut ea nobis subiecta sint: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris* etc.

[4] Vide supra pag. 113, nota 7. Vat. legit: Disciplina et misericordia coniungi debent, ita ut una cum altera semper teneatur.

[5] Psalm. 118, 7. — Sequitur Iob 34, 14.

[6] Ita Glossa *interlinearis*.

[7] Vers. 17. — Seq. locus est Sap. 7, 27.

[8] Vers. 1: Caelum sedes mea. Gregor., XXIX. Moral. c. 28. n. 55. et II. in Evang. homil. 38. n. 2: De hoc caelo Dominus ait: *Caelum mihi sedes est.* De qua sede alias scriptum est [Maurini allegant, in primo cit. loco, Prov. 12, 23, ubi secundum Septuaginta: *Vir prudens thronus est sensus;* in secundo loco recurrunt ad August., Enarrat. in Ps. 46, 9, n. 10, ubi in margine allegatur Sap. 7.]: *Anima iusti sedes sapientiae est.* Quia ergo sapientia est Deus; si sedes Dei caelum est, et anima iusti sedes est sapientiae: caelum est utique anima iusti. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis*.

[9] Vers. 28. — Sequuntur Ier. 6, 30. et Isai. 8, 18.

[10] Psalm. 118, 125. — Duo seqq. loci sunt III. Reg. 10, 8. et Gal. 4, 22.

[11] Scilicet *interlinearem*: Oratio Filii ad Patrem pro corpore suo (cfr. Rabanus). — Seq. locus est Isai. 49, 3.

[12] Vers. 38. — Sequuntur Ps. 6, 3. et Iob 14, 1. Rabanus: Liquido patet, quod humana infirmitas, nisi ope sustentatur divina, casibus innumeris deficiens ad nihilum redigetur etc.

[13] Nempe *interlinearis*. — Subinde allegatur Rom. 11, 33.

[14] De lectione Vulgatae vide supra pag. 166, nota 10. — Sequuntur Glossa *interlinearis* et Matth. 16, 13.

licet et muliere nascuntur ad differentiam filii hominis, id est solius Virginis, de quo Matthaei decimo sexto: « Quem dicunt homines esse filium hominis »? Et dicit: *consummatus inter filios hominum,* quoniam potest esse purus homo per naturam. *Si ab illo fugerit* vel *aufugerit*[1], scilicet tanquam ab indigno et peccatore, secundum illud supra primo: « In malevolam animam non introibit sapientia »; *sapientia tua;* Glossa: « Divina », non mundana. Mundana enim propter peccatum non fugit; Ieremiae quarto: « Sapientes sunt, ut faciant mala ». *In nihilum,* scilicet moris, non naturae[2], *computabitur,* scilicet apud Deum et Sanctos eius; infra decimo tertio: « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei »; per gratiam enim est homo id quod est quantum ad *esse* moris; unde primae ad Corinthios decimo quinto: « Gratia Dei sum id quod sum »; item, sine caritate homo nihil est, ut patet primae ad Corinthios decimo tertio; et secundum Augustinum peccator nihil est, scilicet in eo, quod talis.

Secundo, exauditionis ratio duplex.

Tu autem[3] *elegisti* etc. Hic subdit multiplicem *rationem exauditionis,* quarum prima est iniunctum *officium regni;* secunda est *mandatum templi aedificandi: Et dixisti* etc.

(Vers. 7.). *Tu autem* etc., quasi dicat ita: sum
Ratio 1. per me insufficiens sine sapientia. *Autem,* pro sed; nihilominus *tu elegisti me;* Glossa[4]: « Salomonem, vel Christum ». *Regem populo tuo,* id est in te credenti; in Psalmo: « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion » etc.; *et iudicem filiorum tuorum et filiarum,* scilicet tuarum, id est fidelium, secundum illud Ioannis primo: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ». *Regis* officium est et in negotiis aliis regni suum exercere iudicium; *iudicis* vero specialiter est in causis populi.

(Vers. 8.). *Et dixisti;* Glossa[5]: « Iussisti »; David enim, qui vir sanguinum erat, non fuit permissus templum aedificare; sed Salomon pacificus ad hoc fuit electus, ut patet secundi Regum septimo et primi Paralipomenon vigesimo nono. *Et dixisti,* inquam, *aedifi-* Ratio 2.
care me templum in monte sancto tuo, id est in monte Moria, ubi sancta fieri voluisti; *et in civitate habitationis tuae,* scilicet Ierusalem, ubi habitare dicebatur, quia ibi excellentius colebatur[6]; *altare,* scilicet holocaustorum, *holocaustorum,* dico, ad differentiam altaris aenei, quod erat in atrio ante templum sub divo. *Similitudinem tabernaculi tui sancti,* id est ad eius exemplar, de quo Exodi vigesimo quinto[7], quod factum est ad exemplar caelestis tabernaculi; unde ibidem: « Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est ». *Quod praeparasti;* Glossa[8]: « Per Moysen »; *ab initio,* non creationis; sed dationis Legis; unde Glossa: « Cum educeres filios Israel de Aegypto »; *tabernaculum* in deserto, ut dicit Glossa, signabat Ecclesiam militantem, sed *templum* in Ierusalem triumphantem. Ratio huius est, quia tabernaculum in deserto erat mobile, sed templum in Ierusalem erat immobile.

(Vers. 9.). *Et tecum,* scilicet praeparavit, *sapientia tua,* scilicet increata, « id est Filius tuus[9] », de quo primae ad Corinthios primo: « Christum Dei virtutem atque sapientiam ». *Quae novit opera tua,* quasi cooperatrix omnium, secundum illud Psalmi: « Omnia in sapientia fecisti ». *Quae affuit,* tecum praesens, *tunc,* scilicet *cum orbem terrarum faceres;* Proverbiorum octavo: « Quando appendebat fundamenta terrae, eram cum eo cuncta componens »; et in eodem: « Delectabar cum eo per singulos dies, ludens in orbe terrarum ». *Et sciebat, quod id*[10] *placitum esset oculis tuis,* scilicet quoad consilia; *oculis tuis,* scilicet intellectus et affectus tui, id est misericordiae et veritatis tuae, « in omni enim opere Dei misericordia et veritas[11] »; Ecclesiastici quadragesimo secundo: « Invenit gratiam coram oculis Domini »,

---

[1] Duplicem hanc lectionem affert etiam card. Hugo, unam in textu, alteram in margine; Lyranus ponit solum primam; Vulgata legit: *Et si ab illo abfuerit sapientia tua.* — Sequuntur Sap. 1, 4; Glossa *interlinearis* et Ier. 4, 22.

[2] Cfr. supra pag. 130, nota 12, ubi habetur sententia Augustini, quae aliquanto inferius respicitur. Edd. legunt: *scilicet more naturae* (!), quae etiam paulo inferius pro *moris* substituunt *hominis.* — Subinde allegantur Sap. 13, 1; I. Cor. 15, 10. et 13, 1-3.

[3] Vulgata omittit *autem;* cfr. supra pag. 166, nota 9.

[4] Scilicet *interlinearis;* cfr. Rabanus. — Duo seqq. loci sunt Ps. 2, 6. et Ioan. 1, 12.

[5] Nempe *interlinearis.* Glossa *ordinaria:* David, quia vir sanguinum fuit et multa bella gessit, templum Domino aedificare non potuit etc. — Sequuntur II. Reg. 7, 13. et I. Paral. 29, 1. — Inferius pro *pacificus* (cfr. supra pag. 10, nota 3.) edd. *pupillus.*

[6] Libr. II. Paral. 3, 1: Et coepit Salomon aedificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David, patri eius etc. — De duplici *altari* cfr. Exod. 38, 1. seqq.

[7] Vers. 8. seq.: Facientque mihi sanctuarium... iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi etc. (Septuaginta: Et facies mihi sanctuarium... et facies mihi secundum omnia, quaecumque tibi ostendo in monte, exemplum tabernaculi etc.); ibid. v. 40. est seq. locus.

[8] Haec et seq. Glossa est *interlinearis.* Glossa *ordinaria* ex Rabano: Sed quia templum etiam Ecclesiam significat, quam Christus, verus pacificus, per operarios suos, id est praedicatores aedificat etc. Glossa vero *ordinaria* in Exod. 26, 1. (ex Beda, II. de Tabernac. c. 1.) ait: *Tabernaculum,* quod fecit Moyses in solitudine, et *templum,* quod fecit Salomon in Ierusalem, statum universalis Ecclesiae signant, quae partim regnat cum Domino in caelis, partim peregrinatur a Domino [II. Cor. 5, 6.] in terris etc.

[9] Secundum Glossam *interlinearem.* — Sequuntur I. Cor. 1, 24; Psalm. 103, 24; Prov. 8, 29. 30. et seq.

[10] Pro *quod id* Vulgata *quid,* quae etiam inferius pro *et quod directum* substituit *et quid directum.*

[11] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini misericordia et veritas. Glossa in hunc locum (apud Petr. Lombard.): Quae duo [misericordia et veritas] tamen in omni opere Domini simul

secundum aliam translationem. *Et quod directum;* Glossa: « Id est rectum et iustum »; *in praeceptis tuis;* in Psalmo: « Iustitiae Domini rectae, laetificantes corda ».

Tertio, petitionis finis dupliciter tangitur.

Mitte illam etc. Hic ostendit *finem petitionis*, id est, ad quid sapientiam quaesierit; et primo *petit sapientiam* ad sciendum et faciendum Dei voluntatem. Secundo *ostendit*, quod *valet* ad talis finis adeptionem: *Scit enim.*

Petit sapientiam. Duplex missio.

(Vers. 10.). Dicit ergo: *Mitte illam*, scilicet sapientiam etc. Notandum, quod duplex est missio Sapientiae, scilicet una visibilis in carnem, de qua Ioannis decimo [1]: « Quem Pater sanctificavit et misit in mundum »; alia in mentem, quam petit hic. *De caelis sanctis tuis*, id est de te ipso, qui caelum es omnia continendo; in Psalmo: « A summo caelo egressio eius »; item Iacobi tertio: « Quae desursum est sapientia primum quidem pudica est » etc. Dicit autem *de caelis* pluraliter propter multitudinem contentorum et effectuum in contentis, sicut dicuntur *dies aeternitatis* pluraliter; Michaeae quinto [2]: « Et egressus eius, sicut a principio dierum aeternitatis ». *Et a sede magnitudinis tuae;* Glossa: « A te ipso, qui sedens et quietus, omnia gubernans »; Isaiae decimo octavo: « Ego quiescam et considerabo in loco meo, sicut lux meridiana clara est ».

De sapientia 5 locutiones.

Et notandum, quod Sapientia increata quandoque dicitur *esse in sinu Patris*, ut Ioannis primo [3]: « Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis »; aliquando *gigni ex utero*, in Psalmo: « Ex utero ante luciferum genui te »; aliquando *ex ore Patris procedere*, Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam »; aliquando *de caelo mitti*, ut hic; aliquando *sedere in sanctis animabus*, unde supra eodem: « Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam » etc. Primum propter *occultationem*, secundum propter *consubstantialitatem*, tertium propter *manifestationem*, quartum propter *illuminationem*, quintum propter *tranquillitatem.*

Ut mecum sit, scilicet intus in animae essentia et per gratiam *inhabitando* et informando; Ecclesiastici vigesimo quarto [4]: « In Iacob inhabita » etc. *Et mecum laboret*, motivam animae potentiam ad opus *perficiendo;* Ecclesiastici ultimo: « Memoratus sum misericordiae tuae, Domine, et operationis tuae, quae a saeculo sunt ». *Ut sciam*, id est, ut scire me facias meae animae potentiam cognitivam *illustrando, quid acceptum sit coram te*, vel *apud te* [5]; in Psalmo: « Doce me facere voluntatem tuam ».

Valor sapientiae.

(Vers. 11.). *Scit enim omnia illa*, omnia scilicet ad scientiam rationis pertinentia, sicut sunt inferiora; *et intelligit*, omnia scilicet pertinentia ad intelligentiam intellectus, ut sunt superiora, supra septimo [6]: « Omnia prospiciens ». *Et deducet me in operibus meis sobrie;* Glossa [7]: « Ne offendam », dirigendo in opere bono; supra octavo: « Sobrietatem docet » etc. *Et custodiet me in sua potentia;* Glossa: « Ab adversariis » protegendo; in Psalmo: « Nisi Dominus custodierit civitatem » etc.; item: « Ecce, non dormitabit neque dormiet » etc.

(Vers. 12.). *Et erunt accepta opera mea;* Glossa [8]: « Coram Deo », tanquam facta pure ex amore suo. *Et disponam populum tuum iuste*, scilicet recte subditos gubernando; unde supra octavo: « Disponam populos et nationes ». *Et dignus ero sedium patris mei*, ipsum imitando; *sedium* dicit pluraliter, quia sedes praesentis regni, secundum illud Proverbiorum octavo: « Per me reges regnant »; et futuri; Glossa: « Remuneratione caelestis regni ».

Quarto, finis huius difficultas dupliciter ostenditur.

Divisio.

Quis enim hominum etc. Hic ostendit *finis difficultatem*, primo ostendens, quod Dei voluntas *sine sapientia sciri non potest;* secundo, quod solum *per eam sciri potest: Sensum autem tuum.* — Quod *sine illa sciri non possit*, ostendit primo ex *divini sensus profunditate;* secundo, ex *sensus humani imperfectione: Cogitationes enim;* tertio, ex *rerum sensibilium comparatione*, ibi: *Et difficile aestimamus* etc.

De 1. membro tria.

Expositio litteralis. Primum.

(Vers. 13.). Bene dixi: *Mitte illam* etc.; *quis enim hominum*, scilicet purus homo, *poterit scire*, scilicet sine sapientia tua, *consilium Dei?* quod est in praevidendo et disponendo fienda; Isaiae quadragesimo [9]: « Quis adiuvit spiritum Domini, aut quis

---

sunt, etsi non nobis manifeste appareant. Cfr. tom. IV. pag. 964, nota 1. — Sequuntur Eccli. 42, 1: Non duplices sermonem... et invenies gratiam in conspectu omnium hominum (cuius sit *alia translatio* non invenimus); Glossa *interlinearis* et Ps. 18, 9.

[1] Vers. 36. — De duplici missione Sapientiae cfr. I. Sent. d. XV. lit. Magistri, c. 7: 8, et Comment. — Sequuntur Ps. 18, 7. et Iac. 3, 17. — Inferius pro *qui caelum es omnia continendo* edd. *qui caelum et omnia contines.*

[2] Vers. 2. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis* et Isai. 18, 4. Vulgat. omittit *Ego.*

[3] Vers. 18: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. — Sequuntur Ps. 109, 3; Eccli. 24, 5. et Sap. 9, 4.

[4] Vers. 13. — Seq. locus est Eccli. 51, 11.

[5] Hanc ultimam lectionem exhibet Vulgata. — Sequitur Ps. 142, 10.

[6] Vers. 23. — De distinctione *rationis* et *intellectus*, quae hoc loco coincidit cum alia inter rationem *inferiorem* et *superiorem*, cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 2.

[7] Haec et seq. Glossa *interlinearis* (secundum Rabanum) apud Lyranum sic habetur: *Et deducet me*, per callem virtutum, *in operibus meis sobrie, et custodiet me*, ne offendar ab adversariis, *in sua potentia.* — Tres loci seqq. allegati sunt Sap. 8, 7; Ps. 126, 1. et 120, 4.

[8] Nempe *interlinearis.* — Sequuntur Sap. 8, 14; Prov. 8, 15. et Glossa *interlinearis* ex Rabano.

[9] Vers. 13. — Seq. locus est Rom. 11, 33.

consiliarius eius fuit »? *Aut quis poterit cogitare,* id est cogitando nosse, *quid velit Deus?* scilicet operando praevisa, quasi dicat: nullus; unde ad Romanos undecimo: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei » etc.

Secundum. (Vers. 14.). *Cogitationes enim mortalium,* scilicet quamdiu sumus in statu mortalitatis, *timidae;* Glossa [1]: « Id est fragiles »; et hoc quantum ad ea quae sunt supra rationem. *Et incertae providentiae nostrae;* Glossa: « Quia anima mutabilis est, et caro corruptibilis », et hoc quantum ad ea quae sunt sub ratione et veri cogitatione.

(Vers. 15.). *Corpus enim, quod corrumpitur,* id est, quod continuae corruptioni subiacet, propter quod putredini comparatur; Iob vigesimo quinto [2]: « Homo putredo, et filius hominis vermis ». *Aggravat animam,* scilicet affectum eius a caelestibus retrahendo; ad Galatas quinto: « Caro concupiscit adversus spiritum ».

Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.

Corporis in animam 10 effectus. Notandum, quod corpus animam peccato *originali maculat;* Iob decimo quarto [3]: « Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine »? Item, necessitati peccati *venialis obligat;* ad Romanos septimo: « Quod odi malum, illud facio ». Item, ad peccatum *mortale inclinat;* Genesis octavo [4]: « Proni sensus, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia ». Item, *intellectum* a contemplatione veritatis *obnubilat;* supra secundo: « Umbrae transitus tempus nostrum », *umbrae,* scilicet interpositione corporis opaci inter animam et solem iustitiae. Item, *affectum* ab amore caelestium *retardat,* ut hic: « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam ». Item, *potentias motivas* a bono *impedit et ligat;* in Psalmo [5]: « Educ de custodia », vel de carcere, « animam meam »; item ad Romanos septimo: « Non, quod volo bonum, hoc ago ». Item, spiritui continuum *bellum suscitat;* ad Galatas quinto: « Caro concupiscit adversus spiritum ». Item, cura sui *spiritum sollicitat,* contra quod Matthaei sexto [6]: « Nolite solliciti esse » etc. Item, suis molestiis *animam perturbat;* Danielis decimo tertio: « Angustiae mihi sunt undique ». Item, sui mutabilitate eius *quietem turbat et variat;* Iob decimo quarto: « Et nunquam in eodem statu permanet ».

Et terrena inhabitatio deprimit, id est, deorsum premit a contemplatione aeternorum retrahendo, id est ad terrena inclinando; *sensum,* id est intellectum humanum; Genesis octavo [7]: « Sensus et cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia »; ideo ad Romanos septimo: « Infelix » etc. *Sensum,* inquam, *multa cogitantem,* id est temporalia, quae multa sunt, non aeterna, quae unum sunt, secundum illud Lucae decimo: « Turbaris erga plurima, porro unum est necessarium ».

Tertium. (Vers. 16.). *Et difficile* etc., quasi dicat: Et hoc patet, quia *difficile aestimamus,* id est aestimative, non certitudinaliter cognoscimus; Ecclesiastae primo [8]: « Cunctae res difficiles »; *quae in terra sunt,* id est sensibilia inferiora. *Et quae in prospectu sunt,* « id est in aperto », sicut naturas rerum sensibilium superiorum; *invenimus cum labore;* Ecclesiastae octavo: « Est homo, qui diebus ac noctibus somnum non capit oculis; et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem ». Philosophus [9]: « Sicut se habet oculus noctuae ad lucem solis, sic intellectus noster ad manifestissima naturae ». *Quae autem in caelis sunt quis investigabit?* cum sint tam remota a nobis; Ecclesiastici tertio [10]: « Altiora te ne quaesieris »; Ecclesiastae quinto: « Deus in caelo, et tu super terram; idcirco pauci sint sermones tui ».

De 2. membro tria. *Sensum autem tuum* etc. Hic ostendit, quod voluntas divina potest solum sciri *per sapientiam.* Hoc autem ostendit appropriando ei triplicem effectum, scilicet effectum *instruendi intelligentiam; corrigendi culpam: Et sic correctae; sanandi naturam,* ibi: *Nam per sapientiam* etc.

Sapientiae effectus 1. (Vers. 17.). *Sensum autem tuum,* id est consilium et voluntatem, *quis sciet?* quasi dicat: nullus. *Nisi tu dederis sapientiam,* illuminantem *intellectum;* Ecclesiastici primo [11]: « Secundum datum suum praebet illam diligentibus se »; Iacobi primo: « Dat omnibus affluenter »; Danielis secundo: « Dat sapientiam sapientibus et scientiam intelligentibus disciplinam ». *Et miseris Spiritum sanctum tuum,* inflammantem *affectum,* quasi dicat: nullus. Sicut enim nemo « scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso », ut habetur primae ad Corinthios secundo [12]; « sic nec ea quae Dei sunt, nisi Deus, et cui voluerit revelare ». *De altissimis,* id est de te, qui altissimus es, et de Filio, qui altissimus est, et vos dico *altissimi,* adiective, non substantive.

Effectus 2. (Vers. 18.). *Et sic,* scilicet per donum sapientiae et Spiritus sancti missionem, *correctae sunt* [13] *se-*

---

[1] Haec et seq. Glossa est *interlinearis* ex Rabano. — Inferius pro *et veri cogitatione* A et 1 *et verae cogitationes* (sed ed. 1 *cogitationi*).

[2] Vers. 6. — Seq. locus est Gal. 5, 17.

[3] Vers. 4. — Sequitur Rom. 7, 15. — Codd. omittunt quae habentur a verbis *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. Notandum* usque ad *Et terrena inhabitatio.*

[4] Vers. 21: Sensus enim et cogitatio humani cordis etc. — Seq. locus est Sap. 2, 5.

[5] Psalm. 141, 8. — Sequuntur Rom. 7, 15. et Gal. 5, 17.

[6] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt Dan. 13, 22. et Iob 14, 2.

[7] Vers. 21. — Sequuntur Rom. 7, 24. et Luc. 10, 41. seq.

[8] Vers. 8; ibid. 8, 16. et 17. est seq. locus. Allegatur etiam Glossa *interlinearis: Et quae in prospectu sunt,* quasi in aperto.

[9] Libr. II. Metaph. text. 1. (I. brevior, c. 1.).

[10] Vers. 22. — Sequitur Eccle. 5, 1.

[11] Vers. 10: Et effudit illam... super omnem carnem secundum datum suum, et praebuit illam etc. — Duo seqq. loci sunt Iac. 1, 5. et Dan. 2, 21.

[12] Vers. 11: Quis enim hominum scit, quae... qui in ipso est? ita et quae Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Cfr. Matth. 11, 27.

[13] Vulgata *sint,* et infra *didicerint,* refragantibus etiam card. Hugone et Lyrano.

mitae, id est operationes, *eorum qui in terris sunt*, id est hominum, et hoc per revocationem *a malo;* Ioannis decimo sexto[1]: « Ille arguet mundum de peccato »; et bene dicit: *Semitae eorum qui in terris sunt*, id est peccantium in terra; semitae enim angelorum peccantium corrigi non possunt. *Et quae tibi placent didicerunt homines*, per informationem *in bono;* Ioannis decimo quarto: « Spiritus paracletus etc., docebit vos omnia ».

(Vers. 19.). *Nam per sapientiam* etc. Bene dixi:
Effectus 3. *Et sic correctae sunt* etc.; *nam per sapientiam sanati sunt*, scilicet a caecitate intellectus et corruptione affectus; Ecclesiastici vigesimo quarto[2]: « Ego quasi fluvius Dorix », quod interpretatur *medicamentum generationis. Quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio,* « scilicet mundi », secundum Glossam[3]; infra decimo sexto: « Etenim neque herba neque malagma sanavit eos » etc.; in Psalmo: « Misit verbum suum et sanavit eos »; Proverbiorum tertio: « Lignum vitae est his qui apprehenderint eam ». Hinc est, quod canes spirituales, id est sapientiae doctores et praedicatores, habent linguas medicinales; et dicit *omnes*, quia, secundum Augustinum[4], eadem fides Mediatoris salvavit antiquos, quae salvat et nos.

Capitulum X.

Haec illam etc. In praecedentibus monuit speDivisio generalis. cialiter rectores ad acquirendum sapientiam, et hoc per rationes sumtas ex periculo officii eorum quos monet, scilicet capitulo sexto; secundo, per rationes sumtas ab eius exemplo, qui monet, septimo, octavo, nono capitulo. Hic tertio hortatur eos ad hoc idem per rationes sumtas a *multis effectibus et beneficiis* sapientiae, ad quam monet. Est autem sapientia benefica et *sapientes*, scilicet amicos suos, *promovendo* et *insipientes* adversarios sapientium *puniendo*. Ideo primo agit de beneficiis pertinentibus ad *amicorum Dei promotionem*, scilicet in capitulo isto; secundo, de pertinentibus principaliter ad *adversariorum punitionem*, scilicet capitulo undecimo et deinceps.

Tertio hortatur ad sapientiam acquirendam per rationes sumtas ab eius effectibus, et primo a beneficiis pertinentibus ad amicorum Dei promotionem.

In prima primo determinat beneficia collata *singularibus personis;* secundo, beneficia exhibita *uni populo: Haec populum iustum.*

Primo, de beneficiis collatis sex singularibus personis.

In prima ostendit beneficia sapientiae in sex sinSubdivisio. gularibus personis Patriarcharum antiquorum: primo, in persona Adae, cum dicit: *Haec illum, qui primus* etc.; secundo, in persona Noe, ibi: *Ab hac ut recessit;* tertio, in persona Abrahae: *Haec et in consensu superbiae*[5]; quarto, in persona Lot: *Haec iustum a pereuntibus;* quinto, in persona Iacob: *Haec autem profugum* etc.; sexto, in persona Ioseph: *Haec venditum iustum.*

In prima Adae ostendit beneficium primo *gra-* Duplex beneficium Adae collatum. *tiae*, secundo *naturae: Et eduxit* etc.

(Vers. 1.). *Haec illum.* Bene dixi[6], quod *per* Expositio litteralis. *sapientiam sanati sunt omnes*, quod patet per exem- Primum. pla. *Haec* enim, scilicet sapientia, *illum*, scilicet Adam, *qui primus*, omnium hominum, *formatus est a Deo*, scilicet immediate; Iob decimo[7]: « Manus tuae fecerunt me » etc. *Pater orbis terrarum*, id est totius generis humani futurus; Malachiae secundo: « Nunquid non unus est pater omnium nostrum »? *Cum solus esset creatus*, scilicet ante formationem mulieris; Genesis secundo: « Non est bonum, hominem esse solum ». Notandum, quod *for-* Notandum. *matus* dicitur ex parte corporis; unde Genesis secundo[8]: « Formavit igitur Deus hominem de limo terrae »; et *creatus*, ex parte animae; Genesis primo: « Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam » etc. *Cum solus*, inquam, *creatus esset, custodivit*, scilicet a peccato in terrestri paradiso in statu innocentiae. « Posuit enim eum in paradiso, ut operaretur et custodiret illum », Genesis secundo.

(Vers. 2.). *Et eduxit illum*, scilicet iam facta muliere, effectum transgressorem, Genesis tertio[9], *a delicto suo*, scilicet per immissionem poenitentiae et remissionem culpae. Et notandum, quod hic ha- Nota. betur expressius de poenitentia Adae quam alibi. *Et* Secundum.

---

[1] Vers. 8; ibid. 14, 26. est seq. locus. — Inferius e codd. supplevimus *in terra; semitae enim angelorum peccantium.*

[2] Vers. 41: Ego quasi fluvii Dioryx. Card. Hugo in explicatione huius loci eandem interpretationem affert.

[3] Nempe *interlinearem.* — Sequuntur Sap. 16, 12; Ps. 106, 20. et Prov. 3, 18.

[4] Libr. XVIII. de Civ. Dei, c. 47: Qui venturus in carne sic antiquis Sanctis praenuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum praedestinatos perducat ad Deum. Cfr. III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. seqq. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 1: Nonnunquam solent in sacro Eloquio per *canes* praedicatores intelligi; canum etenim lingua, dum lingit, curat etc.

[5] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *nequitiae*, quae etiam inferius ante *profugum* omittit *autem*, quod exhibent card. Hugo et Lyranus.

[6] Cap. 9, 19.

[7] Vers. 8. — Sequuntur Malach. 2, 10; Gen. 2, 18. (edd. hunc locum et verba: *Notandum, quod formatus dicitur ex parte corporis* omittunt).

[8] Vers. 7; ibid. 1, 27. et 2, 15. sunt duo seqq. loci.

[9] Vers. 6. — Glossa *interlinearis: Et eduxit illum*, per poenitentiam, *a delicto suo*. Cfr. Rabanus.

eduxit illum de limo terrae [1], scilicet ex parte corporis; Ecclesiastici decimo septimo: « Deus de terra creavit hominem ». *Et dedit illi virtutem,* id est potestatem, *continendi omnia,* regendo omnia et dominando omnibus, et hoc ex parte animae, scilicet per rationem, secundum illud Genesis primo: « Dominamini piscibus maris » etc.; item in Psalmo: « Omnia subiecisti sub pedibus eius ».

De beneficio Noe collato duo tanguntur.

Ab hac etc. Hic ostendit beneficium sapientiae specialiter factum ipsi *Noe* et iis qui cum eo fuerunt in arca, quando liberavit ipsum a diluvio et malos perdidit. Et primo tangit primam causam *perditionis malorum;* secundo, primam causam *liberationis bonorum,* ibi: *Propter quod* [2] etc.

Primum.

(Vers. 3.). Dicit ergo: *Ab hac,* scilicet sapientia, *ut recessit;* Proverbiorum primo [3]: « Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt »; per hoc enim, quod receditur a sapientia, receditur a Deo; supra primo: « Perversae cogitationes separant a Deo »; *iniustus,* scilicet Cain, qui scilicet iniustus dicitur antonomastice, quia caput fuit et exemplar iniustorum; *in ira sua,* qua scilicet iratus est contra fratrem suum Abel; Genesis quarto [4]: « Quare iratus es » etc. *Per iram homicidii,* id est, quae ira fuit homicidium spirituale, secundum illud primae Ioannis tertio: « Qui odit fratrem suum homicida est », vel transitive, ut sit sensus: *Per iram homicidii,* id est, quae fuit causa homicidii corporalis; unde Genesis quarto [5]: « Consurrexit Cain contra Abel fratrem suum et interfecit eum ». *Fraternitas deperiit,* id est societas fraternitatis, Abel corporaliter mortuo et Cain spiritualiter.

Secundum.

(Vers. 4.). *Propter quod* [6] etc., scilicet peccatum; illud enim peccatum fuit prima causa corruptionis posteritatis Cain, a qua derivata est corruptio usque in magnam partem posteritatis Seth; et impletum est illud Genesis sexto, ubi dicitur: « Omnis caro corruperat viam suam ». *Cum aqua deleret terram,* delendo scilicet hominem terrenum de superficie terrae; Genesis sexto [7]: « Delebo hominem, quem creavi, a facie terrae ». Perierunt enim omnes, qui scripti erant in terra, scilicet mali, de quibus Ieremiae decimo septimo: « Recedentes a te in terra scribentur »; delendo etiam omnem carnem in terra viventium, secundum illud Genesis septimo: « Consumta est omnis caro, quae movebatur in terra ». *Sanavit iterum sapientia,* scilicet mundum, sicut scilicet prius sanaverat Adam; *sanavit,* inquam, mundum, scilicet ipsum a malis hominibus purgando; *per contemptibile lignum,* « id est per arcam [8] » contemptibilem in materia et contemptam ab illis qui eam frustra aedificari credebant. *Iustum,* « scilicet Noe », de quo Genesis sexto: « Noe vir iustus » etc.; *gubernans,* scilicet inter aquarum inundationes ipsum a submersione liberando; secundae Petri secundo [9]: « Octavum Noe iustitiae praeconem custodivit, mundo diluvium inducens ». Lignum autem illud significabat crucem, quia contemptibilis est infidelibus, licet fidelibus sit venerabilis; unde primae ad Corinthios primo: « Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est » etc.; item ibidem: « Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum » etc.

Arca typus crucis.

Duplex beneficium Abrahae collatum.

Haec et in consensu etc. Hic tangit beneficium sapientiae collatum in persona *Abrahae,* primo *quoad se;* secundo, *in sua posteritate: Et in filiis* [10] etc.

Primum.

(Vers. 5.). Dicit ergo: *Haec,* scilicet sapientia, *et,* etiam, *cum se nationes,* id est illius temporis homines in vitio nativitatis perdurantes [11], *extulissent,* id est, extra mensuram suam elatione cordis et conatu operis tulissent, contra quod dicitur in Psalmo: « Domine, non est exaltatum cor meum » etc. *In consensu superbiae* [12], id est ex superbia veniente, quo scilicet consensu, vel qua superbia, voluerunt turrim aedificare pertingentem usque ad caelum et nomen suum celebrare; quorum utrumque superbia fuit, Genesis undecimo. *Cum se,* inquam, *nationes extulissent* etc.; *scivit,* scilicet sapientia, approbando et eligendo et a malis separando; secundae ad Timotheum secundo [13]: « Novit Dominus qui sunt eius »; econtra malis dicitur Matthaei septimo: « Nunquam novi vos »; *iustum,* scilicet Abraham, qui dicitur *iustus* antonomastice. *Et conservavit sine querela Deo,* « in medio pravae et perversae nationis [14] », quod fuit difficile; Lucae primo: « Erant ambo sine

---

[1] Vulgata haec verba omittit, quae etiam a card. Hug. et Lyrano exhibentur. — Tres loci seqq. sunt Eccli. 17, 1; Gen. 1, 28. et Ps. 8, 8. — Inferius pro *regendo omnia et dominando* edd. *et dominandi.*

[2] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *Propter quem.*

[3] Vers. 7. — Seq. locus est Sap. 1, 3. — Glossa *interlinearis: Ab hac,* a Deo, *ut recessit iniustus,* Cain.

[4] Vers. 6. — Sequitur I. Ioan. 3, 15.

[5] Vers. 8, ubi pro *contra* Vulgata *adversus.* — Subinde pro *fraternitas,* quod exhibent etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus, Vulgata *fraterni.*

[6] Cfr. supra nota 2. — Inferius allegatur Gen. 6, 12. — Subinde pro *a qua* A *a quo.*

[7] Vers. 7. — Sequuntur Ier. 17, 13. et Gen. 7, 21, ubi pro *in terra* Vulgata *super terram.*

[8] Ut dicit Glossa *interlinearis,* quae etiam paulo inferius per *iustum* docet intelligi *Noe.* — Seq. locus est Gen. 6, 9. — Paulo inferius ex B substituimus *in materia* pro *immundam.*

[9] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 1, 18. et 23. Rabanus: Altiore autem sensu *per contemptibile lignum iustum gubernans, sapientia* restauravit genus humanum, quando per passionem crucis Christi totius mundi delevit peccatum etc.

[10] Rabanus, card. Hugo et Lyranus legunt: *Et in filiis misericordiam fortem custodivit;* Vulgata: *Et in filii misericordia fortem custodivit.*

[11] Cfr. supra pag. 164, nota 7. — Immediate post pro *extulissent,* quod habent etiam card. Hugo et Lyranus, Vulgata *contulissent.* Subinde allegatur Ps. 130, 1.

[12] Vide supra pag. 171, nota 5. — Inferius allegatur Gen. 11, 4.

[13] Vers. 19: Cognovit Dominus etc. — Sequitur Matth. 7, 23.

[14] Phil. 2, 15: Ut sitis sine querela et simplices, filii Dei sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae. — Seq. locus est Luc. 1, 6.

querela ». *Et in filiis*, id est posteris, *misericordiam fortem custodivit*[1], scilicet eos ex misericordia sua multiplicando et fortiter ab adversariis defendendo et tandem eis terram promissionis conferendo, sicut promiserat Genesis decimo tertio et decimo quinto et decimo septimo. Secundum.

Haec iustum a pereuntibus etc. Hic ostendit beneficium sapientiae collatum in persona *Lot* de subversione Sodomae liberati, et primo tangit *Lot liberationem;* secundo, *aliorum punitionem: Descendente* etc.; tertio, *punitionis aequitatem: Sapientiam enim.* De beneficio Lot collato tria.

(Vers. 6.). *Haec*, scilicet sapientia, *iustum*, « scilicet Lot », ut dicit Glossa[2]; item secundae Petri secundo dicitur de ipso: « Aspectu et auditu iustus erat »; *a pereuntibus impiis*, scilicet de consortio impiorum pereuntium, id est Sodomitarum; *liberavit fugientem*, et a consortio *culpae*, secundum illud ibidem: « Iustum Lot, oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conversatione, eripuit »; et a consortio *poenae;* de utraque liberatione habetur Genesis decimo nono[3]. *Descendente igne*, de caelo, non de terra, immisso; ibidem: « Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem » etc.; *in Pentapolim;* Glossa: « Id est in regionem scilicet quinque civitatum », scilicet Sodomam, Gomorrham, Segor, Seboim et Adamam. Primum. Secundum.

(Vers. 7.). *Quibus*, scilicet pereuntibus, *in testimonium nequitiae*, ardentis scilicet et foetentis luxuriae, *fumigabunda*, id est de se fumum emittens; unde in Psalmo[4]: « Ascendit fumus in ira eius »; *constat deserta terra*, scilicet a plantis et arboribus; Iob vigesimo octavo: « Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni combusta est »; item in Psalmo: « Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea ». *Et in certo*, scilicet determinato, *tempore fructus habentes arbores*, inutiles, ut dicitur, quia referuntur poma ibi nasci exterius speciosa, intus cinerea et favillosa; Glossa[5]: « Ostendunt, quod sine fructu poenitentiae damnatae animae in inferno ardebunt in aeternum ». *Et figmentum*, id est statua, *salis*, ad condiendum omnes audientes et videntes sale sapientiae contra putredinem carnalis concupiscentiae vel insipientiae; *figmentum*, dico, *stans memoria*, id est recordatio; Lucae decimo septimo[6]: « Memores estote uxoris Lot »; *memoria*, inquam, *incredibilis animae*, id est incredulitatis uxoris Lot, quae retrospexit, nolens credere Angelo prohibenti, ut patet Genesis decimo nono.

Notandum autem, quod *terra deserta* testificatur eorum ad bona opera inutilitatem; *fumus*, eorum a carnali concupiscentia excaecationem; *fructus inutiles*, eorum malam conversationem; *statua salis*, eorum per carnalem concupiscentiam defluxum et corruptivam[7] putredinem. Notandum

(Vers. 8.). *Sapientiam enim* etc., quasi dicat: et merito sic puniti sunt; *sapientiam enim praetereuntes*, id est abiicientes Sodomitae, et ideo infelices; unde supra tertio[8]: « Sapientiam et disciplinam qui abiicit infelix est »; ideo etiam perierunt, secundum illud Baruch tertio: « Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam »; nec tantum perierunt, quia sapientiam praeterierunt, *sed et suae insipientiae memoriam reliquerunt.* Et hoc est quod subdit: *Non tantum* etc. *Sapientium*, inquam, *praetereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent*, ignorantia scilicet, de qua primae ad Corinthios decimo quarto[9]: « Si quis ignorat, ignorabitur »; *bona*, scilicet pertinentia ad vitam et salutem propriam. *Sed et insipientiae suae*, quia « comparati sunt iumentis insipientibus et similes facti sunt illis »; *reliquerunt hominibus memoriam*, quoad malam famam, ita videlicet, *ut in his quae peccaverunt*, id est, ut in iis peccatis, quae fecerunt, *nec latere potuissent*, quia noluerunt latere, sed publice peccaverunt; Isaiae tertio[10]: « Peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt nec absconderunt ». Et ideo Dominus peccata eorum toti mundo voluit publicari per publicum supplicium. Tertium

Latet peccatum *peccandi calliditate;* secundi Regum duodecimo[11]: « Tu fecisti abscondite, ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel ». *Sanctitatis simulatione;* Matthaei vigesimo tertio: « Similes estis sepulcris dealbatis » etc. *Dignitatis* vel praelationis *auctoritate*, secundum illud Gregorii[12]: « Nullus in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet; hunc quippe redarguere nemo praesumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur ». Latet peccatum tripliciter.

(Vers. 9.). *Sapientia autem*, quasi dicat: sicut illi iniusti puniti sunt propter contemptum sapien-

---

[1] Cfr. supra pag. 172, nota 10 — Inferius allegantur Gen. 13, 14. seqq.; 15, 18. et 17, 8.

[2] Nempe *interlinearis*. Cfr. Rabanus. — Duo seqq. loci sunt II. Petr. 2, 8. et 7.

[3] Vers. 14. seqq.; ibid. v. 24. habetur seq. locus. — Subinde allegatur Glossa *interlinearis*.

[4] Psalm. 17, 9. — Sequuntur Iob 28, 5, ubi pro *combusta* Vulgata *subversa;* Ps. 106, 34.

[5] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Superius pro *in certo* Vulgata aliaeque edd. *incerto*. Sed propter adiunctam explicationem sic nobis scribendum erat, vel mutandum *determinato* in *indeterminato*.

[6] Vers. 32. — Subinde allegatur Gen. 19, 17. et 26. — Ex A supplevimus: *memoria, inquam... Lot.*

[7] Ita A, edd. *concupiscentiae.*

[8] Vers. 11. — Sequitur Baruch 3, 28.

[9] Vers. 38. — Seq. locus est Ps. 48, 13. et 21: Homo... comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.

[10] Vers. 9.

[11] Vers. 12. — Sequitur Matth. 23, 27.

[12] Libr. Regulae pastoralis, p. I. c. 2, ubi pro *hunc quippe redarguere nemo* textus originalis *delinquentem namque hunc redarguere nullus*. Cfr. Gratian., dist. 83. c. *Nemo quippe* (2.).

tiae; *autem*, pro sed; e contrario *sapientia hos qui se*, scilicet sapientiam, *observant*, id est, diligenter corde, ore et opere servant; *a doloribus liberavit*, scilicet poenarum aeternarum, de quibus Isaiae quinquagesimo [1]: « In doloribus dormietis »; item in Psalmo: « Circumdederunt me dolores mortis ».

Triplex beneficium Iacob collatum.

Haec autem profugum etc. Hic tangit multiplex beneficium sapientiae factum in persona *Iacob*, quorum primum fuit eius *promotio in bono;* secundum, *conservatio eius a malo: In fraude circumvenientium eum;* tertium, *adiutorium in triumpho: Et certamen.*

Primum beneficium.

(Vers. 10.). *Haec*, scilicet sapientia, *profugum irae fratris*, scilicet fugientem et declinantem ab ira fratris sive a fratre suo irato; Genesis vigesimo septimo [2]: « Ecce, Esau frater tuus minatur, ut occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban, fratrem meum ». *Iustum*, scilicet Iacob, secundum illud Genesis trigesimo: « Respondebit mihi cras iustitia mea »; *deduxit per vias rectas;* Glossa [3]: « Per Mesopotamiam »; Deuteronomii trigesimo secundo: « Dominus solus dux eius fuit ». *Rectas*, dicit, quia « recta est semita iusti », ut habetur Isaiae vigesimo sexto. *Et ostendit illi*, scilicet in via per imaginariam visionem, *regnum Dei*, quia « vidit scalam pertingentem usque ad caelum », Genesis vigesimo octavo [4]. Diabolus vero ostendit regnum mundi; unde Matthaei quarto: « Ostendit illi omnia regna mundi ». *Et dedit illi scientiam sanctorum*, id est intelligentiam sacrarum rerum, quia « intelligentia opus est in visione », ut habetur Danielis decimo [5]; rerum, inquam, sacrarum, quas viderat, dedit illi intelligentiam, id est, ut intelligeret, quid significaret scala, quam viderat, et ascensus et descensus Angelorum. *Scala* namque est obedientia, per quam ascendunt Angeli ad Deo assistendum et descendunt ad nobis ministrandum; Danielis septimo: « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei ». *Honestavit illum;* Glossa [6]: « Id est, ditavit », secundum illud Ecclesiastici undecimo: « Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem »; et loquitur secundum humanam consuetudinem, quae divites solet reputare honestas personas. *In laboribus*, id est propter labores suos, non per iniustitiam et rapinam, sicut multi se ditant. Sed tales divitiae non honestant nec beatificant, sed proprii labores sive divitiae acquisitae ex iustis laboribus; in Psalmo [7]: « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es » etc. *Et complevit*, id est, ad optatum finem perduxit, scilicet ipsum reducendo ad patrem suum in terra Chanaan; *labores illius;* Glossa [8]: « Quos in pascendis ovibus sustinuit », de quibus Genesis trigesimo primo: « Die noctuque aestu urebar et gelu ».

Notandum.

Quid sit scala.

Notandum.

Sex beneficia Sanctis collata.

Haec profugum etc. Ab hoc loco usque ibi: *In fraude circumvenientium*, tangitur multiplex beneficium, quod Dominus facit *Sanctis suis*, quorum primum est *iustificatio* in principio suae conversionis; ad Romanos octavo [9]: « Quos vocavit, illos et iustificavit »; et hoc tangitur, cum dicit: *Iustum.* Secundum est *deductio* in profectu conversationis: *Deduxit* etc.; in Psalmo: « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam ». Tertium est *ostensio regni* in gratia vel in secreto contemplationis: *Ostendit;* Exodi trigesimo tertio: « Ostendam tibi omne bonum ». Quartum, *instructio* in agnitione divinae voluntatis: *Et dedit illi scientiam sanctorum;* Baruch quarto [10]: « Beati sumus, Israel; quia quae Deo placent nobis manifesta sunt ». Quintum est *honestatio*, id est ditatio in abundantia meriti et virtutis: *Honestavit* etc.; Iob quinto: « Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo ». Sextum, *completio* in praemio: *Et complevit* etc.; supra quarto [11]: « Consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius »; item supra tertio: « Bonorum laborum gloriosus est fructus ».

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Secundum beneficium.

(Vers. 11.). *In fraude circumvenientium eum*, id est circumvenire ipsum volentium « Laban et filiorum eius », ut dicit Glossa [12]; *illi affuit*, scilicet custodiendo eum, ne deciperetur vel damnificaretur; Genesis trigesimo primo: « Pater vester circumvenit me et mutavit mercedem meam decem vicibus ». *Et honestum fecit illum* Dominus, id est divitem; Genesis trigesimo primo: « Tulit Iacob omnia, quae fuerunt patris nostri, et de illius facultatibus ditatus, factus est inclytus ».

(Vers. 12.). *Custodivit illum ab inimicis*, scilicet a Laban et eius filiis ipsum persequentibus et spoliare ipsum volentibus; Genesis trigesimo primo [13]: « Nisi Deus patris mei affuisset mihi, forsitan me vacuum reliquisses ». *Et a seductoribus tutavit illum*, scilicet ab Esau et suis, qui forte intendebant eum capere, quando veniebant in occursum eius. Sed Dominus immutavit cor Esau per oblationem munerum, quae praemisit ei Iacob, ut patet Genesis tri-

---

[1] Vers. 11. — Sequitur Ps. 114, 3; cfr. 17, 5.

[2] Vers. 42. et 43; ibid. 30, 33. est seq. locus.

[3] Nempe *interlinearis* (ex Rabano): *In Mesopotamiam.* — Sequuntur Deut. 32, 12. et Isai. 26, 7.

[4] Vers. 12: Viditque in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens caelum; Angelos quoque Dei ascendentes etc. — Seq. locus est Matth. 4, 8. — Pro *in via* edd. *omnia*.

[5] Vers. 1; ibid. 7, 10. est seq. locus.

[6] Scilicet *interlinearis*. — Sequitur Eccli. 11, 23.

[7] Psalm. 127, 2.

[8] Nempe *interlinearis*. — Seq. locus est Gen. 31, 40.

[9] Vers. 30. — Duo seqq. loci sunt Ps. 142, 10. et Exod. 33, 19.

[10] Vers. 4. — Sequitur Iob 5, 26.

[11] Vers. 13; ibid. 3, 15. est seq. locus.

[12] Scilicet *interlinearis*. — Sequuntur Gen. 31, 7. et 1. — E codd. supplevimus: *Pater vester... primo.*

[13] Vers. 42: Nisi Deus patris mei Abraham et timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses.

Tertium beneficium.

gesimo secundo [1]. *Et certamen forte dedit illi*; Glossa exponit hoc de certamine contra Laban et filios eius, Genesis trigesimo primo, vel contra Esau; vel verius potest intelligi de certamine, quo luctatus est cum Angelo, Genesis trigesimo secundo; cum Angelo, inquam, fortiori se. Nam si Angelus malus ita fortis est, quod « non est potestas super terram, quae ei comparetur », ut habetur Iob quadragesimo primo [2]; quanto magis Angelus bonus? *Ut vinceret*, scilicet ipsum certamen; Osee duodecimo: « In fortitudine sua directus est cum Angelo et invaluit » etc. *Ut vinceret*, inquam, *et sciret*, scilicet victoriam obtinendo, per sapientiam scilicet; *quoniam potentior omnium est sapientia*, quia potens est liberare a quocumque homine malo; unde Genesis trigesimo secundo [3]: « Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevalebis »?

Haec venditum iustum. Hic ostendit beneficium

Duplex beneficium collatum Ioseph.

sapientiae factum in persona *Ioseph*, et primo in eius *liberatione;* secundo, in liberati *sublimatione: Donec afferret.*

(Vers. 13.). *Haec*, sapientia scilicet, *iustum*,

De primo.

« id est Ioseph »; pro iustitia enim fratrum suorum crimina accusabat apud patrem suum; Genesis trigesimo septimo [4]: « Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo »; *venditum*, « scilicet a fratribus suis », qui « eum vendiderunt transeuntibus Ismaelitis », ibidem; *non dereliquit*, scilicet ab ipso recedendo; in Psalmo: « Non derelinquet Dominus Sanctos suos in aeternum ». *Sed a peccatoribus liberavit eum*, ab uxore Putipharis et servis eius, « cum accusaretur de adulterio », Genesis trigesimo nono. *Descenditque cum illo in foveam;* Glossa [5]: « Carceris »; traditus enim fuit in carcere, in quo « vincti regis custodiebantur », ubi cum illo sapientia descendit, quod patuit, quia « gratiam principis carceris ei dedit », Genesis trigesimo nono.

(Vers. 14.). *Et in vinculis*, carceris, *non dereliquit illum*, quia per somniorum sapientem interpretationem a vinculis liberavit eum, Genesis qua-

De secundo.

dragesimo primo [6]. *Donec afferret illi sceptrum regni*, id est principatum totius Aegypti post Pharaonem; unde ibidem: « Tu eris super domum meam » etc.; *et potentiam*, scilicet iudicandi vel vindicandi se, si voluisset, *adversus eos qui eum deprimebant;* id est contra fratres suos, qui eum depresserant, quibus terrorem magnum incussit, ut patet Genesis quadragesimo secundo [7]. *Et mendaces ostendit qui maculaverunt illum*, scilicet macula infamiae, uxorem scilicet Putipharis et servos eius; Iob decimo tertio: « Prius ostendens vos fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum ». Nam per eius divinam exaltationem ostensum fuit et creditum, totum esse mendacium, ipsa etiam muliere postea forte hoc recognoscente. De hac macula infamiae Ecclesiastici quadragesimo septimo [8]: « Posuisti maculam in gloria tua ». *Et dedit illi claritatem aeternam*, scilicet perpetuae famae, secundum illud Psalmi: « In memoria aeterna erit iustus »; vel aeternae gloriae, quando scilicet Christus cum ceteris Patribus de inferno in gloriam induxit. « Ascendens in altum captivam duxisti captivitatem ».

Sex modi liberationis Sanctorum.

Notandum, quod in praedictis sex personis tanguntur sex modi, quibus sapientia liberat Sanctos, secundum illud Iob quinto [9]: « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum ». Liberat enim a tentatione *hostis*, ut Adam; a tentatione *corruptionis fomitis*, ut Noe, ceteris pereuntibus propter corruptionem carnis; item, a tentatione *superbiae* et elationis interioris, ut Abraham a gigantum superbia imitanda vel superbiae imitatione; item, a tentatione *exteriore*, scilicet pravi exempli et corruptae conversationis, ut Lot; item, a tentatione *humanae fraudis* et circumventionis, ut Iacob; item, a tentatione *mundanae adversitatis*, ut Ioseph. —

Tres hostes et sex tentationes.

Item notandum, quod tres sunt hostes nostri, scilicet diabolus, caro et mundus, significati per tres hostes Salomonis, de quibus tertii Regum undecimo [10]. Tentatio vero daemonis duplex est, scilicet *exterior* et visibilis, *interior* et invisibilis. Liberatio a prima significatur in liberatione Adae; a secunda, in liberatione Abrahae. — Carnis vero tentatio duplex, scilicet *secundum naturam* et *contra naturam*. Liberatio a prima significata fuit in liberatione Noe; a secunda, in liberatione Lot. — Mundi vero tentatio duplex, scilicet per *fraudulentiam* et *violentiam*. Liberatio a prima significata est in liberatione Iacob; a secunda, in liberatione Ioseph.

---

[1] Vers. 3. seqq. — Sequitur Glossa *interlinearis*, quae tamen a Lyrano aliter exhibetur; nam ipse legit: *Et a seductoribus tutavit illum* contra Laban et filios eius vel contra Esau; *et certamen forte dedit illi*, quando luctatus est cum Angelo. — Subinde allegantur Gen. 31, 22. seqq. et 32, 24. seqq.

[2] Vers. 24. — Sequitur Osee 12, 3. et 4.

[3] Vers. 28.

[4] Vers. 2. — Sequuntur Gen. 37, 28; Ps. 36, 28. et Gen. 39, 13. seqq. — In expositione huius versus respicitur ter Glossa *interlinearis: Haec venditum*, a fratribus, *iustum*, Ioseph, *non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum*, cum accusaretur de adulterio.

[5] Nempe *interlinearis*, quae etiam in explicatione seq. versus respicitur: *non dereliquit eum, donec*, per expositionem somniorum, *afferret illi sceptrum*, principatum, *regni*, Aegypti. — Subinde allegatur Gen. 39, 20. seq.: Tradiditque Ioseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur... Fuit autem Dominus cum Ioseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.

[6] Vers. 1. seqq.; ibid. v. 40. seqq. est seq. locus.

[7] Vers. 6. seqq. — Sequitur Iob 13, 4.

[8] Vers. 22: Dedisti maculam etc. — Duo seqq. loci sunt Ps. 111, 7. et 67, 19: Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; cfr. Eph. 4, 8: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.

[9] Vers. 19.

[10] Vers. 14, 23. et 26. In A secunda manus in margine addidit: Isti tres adversarii Salomonis: Adad Idumaeus, secundus Razon, filius Eliada, tertius Ieroboam, filius Nabat. — De speciebus tentationis cfr. II. Sent. d. 21. dub. 3.

De beneficiis collatis uni populo agitur tripliciter.

Haec populum iustum. Postquam ostendit beDivisio. neficia sapientiae collata singularibus personis, hic ostendit beneficium factum *uni populo;* et primo tangitur *beneficium generale*, secundo *speciale: Intravit* etc., tertio *gratiarum actio* pro utrisque: *Ideo iusti* etc.

(Vers. 15.). *Haec*, scilicet sapientia, *populum*
Expositio litteralis. *iustum*, « scilicet populum Israeliticum [1] », per fidem
Primo, beneficium generale. iustificatum, secundum illud ad Romanos quinto: « Iustificati ex fide »; vel: *iustum*, per operationem boni; *et semen sine querela*, scilicet per declinationem mali; *semen*, « scilicet Patriarcharum », ut dicit Glossa; item Tobiae secundo: « Filii Sanctorum sumus »; *liberavit* etc. Huius liberationis praemisit duplicem causam, scilicet populi bonitatem, cum dicit: *Populum iustum;* secundo, Patrum sanctitatem, cum dicit: *Et semen sine querela liberavit a nationibus*, « id est ab Aegyptiis », in vitio nativitatis suae permanentibus. *Quae illum opprimebant* [2], id est, vexabant, « scilicet in luto et latere » et paleis, ut patet Exodi primo. Et nota, quod per hanc oppressionem vel vexationem potest intelligi vexatio diaboli, qua vexat servos suos in operibus luti luxuriae et lateris avaritiae et palearum superbiae; Exodi tertio [3]: « Videns vidi afflictionem populi mei » etc.

Intravit etc. Hic tangit *specialia* beneficia,
Secundo, tria beneficia specialia. primo facta in Aegypto; secundo, post exitum de Aegypto: *Et reddidit;* tertio, in ipso exitu: *Et* [4] *transtulit* etc.

(Vers. 16.). *Intravit*, id est ipsa sapientia, *in*
Primum. *animam servi Dei;* Glossa [5]: « Id est Moysi », supra septimo: « Per nationes in animas sanctas se transfert »; item Exodi quarto: « Ego ero in ore tuo et docebo te, quid loquaris ». *Et stetit*, scilicet constanter; unde Exodi nono: « Stetit Moyses coram Pharaone »; *stetit*, inquam, *contra reges horrendos:* Glossa [6]: « Pharaonem et alios principes »; *in portentis*, id est in maioribus miraculis, *et signis*, minoribus, « quae fecit in Aegypto »; unde Exodi septimo: « Multiplicabo signa et ostenta mea in terra Aegypti »; Ecclesiastici quadragesimo quinto: « Magnificavit eum in conspectu regum »; supra octavo: « Timebunt me reges horrendi ».

(Vers. 17.). *Et reddidit iustis;* Glossa [7]: « Populi Secundum. Israelitici »; *mercedem laborum suorum;* Glossa: « Terram promissionis », quam eis prius promiserat; Genesis duodecimo: « Semini tuo dabo terram hanc ». *Et deduxit illos*, scilicet ad terram praedictam, *in via mirabili;* Glossa: « Per desertum »; in Psalmo: « In terra deserta et invia et inaquosa ». Haec autem via fuit *mirabilis*, quia nullo modo pervia tanto exercitui sine multis miraculis. Unde sequitur: *Et fuit illis in velamento diei*, id est aestus diurni, scilicet « per columnam nubis »; *et in luce stellarum per noctem*, id est loco lucis stellarum, et hoc « per columnam ignis », ut dicit Glossa [8]; Exodi decimo tertio: « Nunquam defuit columna nubis per diem neque columna ignis per noctem »; item Isaiae quarto: « Creabit Dominus super omnem locum montis Sion etc., nubem per diem » etc.

(Vers. 18.). *Et* [9] *transtulit illos* etc., scilicet in Tertium. exitu de Aegypto, *per mare rubrum;* Exodi decimo quarto [10]: « Divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris ». Dicitur autem *mare rubrum* a colore, quem trahit ex terra rubra adiacente. *Et transvexit illos per aquam nimiam*, scilicet ipsius maris, cuius aquae erant eis pro muro a dexteris et a sinistris, ibidem. Et nota, quod dicit *per mare rubrum* quoad qualitatem, *per aquam nimiam* quoad quantitatem.

(Vers. 19.). *Inimicos autem illorum*, scilicet Aegyptios, *demersit in mare;* Exodi decimo quinto [11]: « Currus Pharaonis et exercitum eius proiecit in mare »; item: « Submersi sunt quasi plumbum » etc. *Et ab altitudine*, id est profunditate, *inferorum*,

---

[1] Secundum Glossam *interlinearem* ex Rabano, qui ait: *Populum iustum et semen sine querela* appellat populum Israeliticum, qui, de semine Patriarcharum descendens, unius Dei cultor exstitit, sed ab Aegyptiis ac ceteris nationibus opprimebatur, per ducatum Moysis et Aaron inde liberatus etc. — Subinde allegantur Rom. 5, 1; Glossa *interlinearis* et Tob. 2, 18.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *deprimebant.* — Exod. 1, 14, ubi dicitur, quod Aegyptii « ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris » etc.; ibid. 5, 7: Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant et colligant stipulas. — Verba *id est ab Aegyptiis*, et *scilicet in luto et latere* sunt ex Glossa *interlineari.*

[3] Vers. 7. — Glossa *ordinaria* in Exod. 1, 14. (ex Isidor., Qq. in Exod. c. 3.): *Israel* populum christianum, *Pharao* diabolum significat, qui *luti et lateris* imponit gravissimum iugum, servitutem scilicet terreni et lutulenti operis; admixtis *paleis*, id est levibus et irrationabilibus factis, ut omnibus onere peccatorum oppressis, nemo sit qui regnum eius disperdat aut vincat.

[4] Vulgata omittit *Et*, quod card. Hugo et Lyranus exhibent.

[5] Nempe *interlinearis.* — Sequuntur Sap. 7, 27; Exod. 4, 12. et 9, 10, ubi de Moyse et Aaron: Steterunt coram Pharaone.

[6] Scilicet *interlinearis*, ex qua etiam verba inferius posita: « quae fecit in Aegypto ». — Subinde allegantur Exod. 7, 3; Eccli. 45, 3: Glorificavit illum etc.; Sap. 8, 15.

[7] Nempe *interlinearis: Iustis*, Israelitis, *mercedem laborum suorum*, terram promissionis, *et deduxit eos*, per desertum, *in via mirabili.* — Duo seqq. loci sunt Gen. 12, 7. (cfr. 15, 18.) et Ps. 62, 3.

[8] Scilicet *interlinearis: Et fuit illis in velamento diei*, in nube, *et in luce stellarum per noctem*, in columna ignis. — Duo seqq. loci sunt Exod. 13, 22. et Isai. 4, 5.

[9] Cfr. supra nota 4.

[10] Vers. 21. et 22; ibid. etiam est seq. locus: Erat enim aqua quasi murus a dextera eorum et laeva. — Isidor., XIII. Etymolog. c. 17. n. 2: *Rubrum* autem mare vocatum, eo quod sit roseis undis infectum; non tamen talem naturam habet, qualem videtur ostendere, sed vicinis littoribus vitiatur gurges atque inficitur, quia omnis terra, quae circumstat pelago, rubra est et sanguineo colori proxima etc.

[11] Vers. 4; ibid. v. 10. est seq. locus.

« id est ineffabilium afflictionum », ut dicit Glossa[1]; *eduxit illos*, scilicet filios Israel, in hoc scilicet, quod inimicos eorum, qui eos volebant illuc mittendo occidere, illuc transmisit vel proiecit; Ecclesiastici ultimo: « De altitudine ventris inferi et a lingua coinquinata et a verbo mendacii ». *Ideo iusti*, scilicet quia cum illis erat sapientia; *iusti*, scilicet filii Israel, *tulerunt spolia impiorum;* Glossa[2]: « Vasa aurea et argentea Aegyptiorum », ut patet Exodi duodecimo; Proverbiorum decimo tertio: « Custoditur iusto substantia peccatoris ». Nota, quod non dicit *abstulerunt*, quia de mandato superioris, scilicet Dei, haec fecerunt; et ideo furtum vel rapinam non commiserunt, saltem illi qui non cupiditate, sed intentione obediendi Deo haec fecerunt[3].

Notandum.

(Vers. 20.). *Et decantaverunt*, id est devote cantaverunt, scilicet post transitum maris rubri; *Domine, nomen sanctum tuum;* Exodi decimo quinto[4]: « Cantemus Domino etc., Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius »; sic autem *decantaverunt* pro sua liberatione. *Et victricem manum tuam*, id est potentiam, *laudaverunt pariter*, id est simul, scilicet pro suorum adversariorum deiectione; unde ibidem: « Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine ».

(Vers. 21.). *Quoniam sapientia* etc., quasi dicat: et merito *decantaverunt* et *laudaverunt* etc.; *quoniam sapientia*, eos scilicet liberans, *aperuit*, scilicet in laudem nominis divini, *os mutorum*, prius prae timore obmutescentium; Exodi decimo quarto[5]: « Viderunt filii Israel Aegyptios post se et timuerunt valde ». *Et linguas infantium*, id est fari nequeuntium, *fecit disertas*, id est eloquentes, forte ad litteram, linguas puerorum Hebraeorum, secundum illud Psalmi octavo: « Ex ore infantium et lactentium » etc. Vel: *infantium*, id est imperitorum, loqui nescientium ad modum infantium, secundum illud Ieremiae primo[6]: « Nescio loqui, quia puer ego sum »; Lucae vigesimo primo: « Ego dabo vobis os et sapientiam » etc.; Exodi quarto: « Quis fecit os hominis »? Glossa: « Sine sapientia Dei humana mens nec cogitare aliquid nec digne proferre potest. Ab ipso ergo et sapientia et eloquentia petenda est ».

Capitulum XI.

De beneficiis pertinentibus principaliter ad adversariorum punitionem.

Direxit opera eorum. Hic agit de beneficiis per-
Divisio. tinentibus ad *adversariorum punitionem*, et primo de pertinentibus ad punitionem per poenas *leviores*, ordinatas ad eorum correctionem, scilicet in isto capitulo et in capitulo duodecimo[7]; secundo de pertinentibus ad punitionem per poenas *graviores*, ordinatas ad condemnationem, scilicet capitulo decimo tertio et deinceps.

Primo, de punitione per poenas leviores agitur dupliciter.

In prima primo agit principaliter de punitione *Aegyptiorum* Israelitas iniuste deprimentium; secundo, de punitione *Chananaeorum* eorum terram iniuste detinentium, scilicet capitulo duodecimo.

Primo, de punitione Aegyptiorum propter duplex peccatum, primo propter depressionem iniustam.

In prima primo agitur de punitione Aegyptiorum propter filiorum Israel *depressionem iniustam;* secundo, propter *idololatriam: Quod quidam errantes.*

In prima primo ostenditur erga filios Israel, quos detinere volebant, *Dei misericordia;* secundo, contra Aegyptios volentes iniuste detinere illos *Dei iustitia: Per quae enim.* — In prima primo tangitur Israelitarum in via *directio;* secundo, impedimentorum in via occurrentium *expeditio* sive amotio: *Steterunt;* tertio, ipsorum in via *refectio: Sitierunt.*

De peccato iniustae depressionis notantur duo.

De primo tanguntur tria.

(Vers. 1.). Dicit ergo: *Direxit*, quasi dicat: non solum praedicta beneficia fecit sapientia populo Israelitico, sed etiam *direxit opera illorum;* Glossa[8]: « Israelitarum », post recessum scilicet eorum de Aegypto; *in manibus*, id est in potestate et regimine, *Prophetae sancti;* Glossa: « Moysi », qui fuit *propheta* quoad doctrinam; Deuteronomii decimo octavo: « Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus »; *sanctus* quoad vitam; Exodi trigesimo tertio: « Invenisti gratiam coram me ». Hic eos docebat et regebat non solum verbis, quia *propheta*, sed etiam exemplis, quia *sanctus*, ut possit dici de eo illud Lucae vigesimo quarto: « Fuit propheta potens in opere et sermone ».

Expositio litteralis. Primum.

(Vers. 2.). *Iter fecerunt;* Glossa[9]: « Properantes ad terram promissionis »; *per deserta*, id est per plura loca derelicta, scilicet a cultoribus; *quae non habitabantur*, scilicet ab incolis hominibus. Et hoc

---

[1] Nempe *interlinearis*. — Sequitur Eccli. 51, 7.

[2] Scilicet *interlinearis*. — Duo seqq. loci sunt Exod. 12, 35. seq.: Petierunt ab Aegyptiis vasa argentea et aurea etc.; Prov. 13, 22.

[3] Cfr. II. Sent. d. 40, dub. 2.

[4] Vers. 1-3; ibid. v. 6. est seq. locus.

[5] Vers. 10. — Sequitur Ps. 8, 3. Glossa *interlinearis: Quoniam sapientia*, Christi, *aperuit*, ad litteram vel mystice, *os mutorum, et linguas* etc.

[6] Vers. 6. — Sequuntur Luc. 21, 15; Exod. 4, 11, et Glossa *ordinaria* ex Rabano: Sine sapientia Dei nec humana mens aliquid digne cogitare, nec os proferre potest etc.

[7] Hoc primum membrum omittunt edd.

[8] Haec et seq. Glossa sunt *interlineares*. — Sequuntur Deut. 18, 15; Exod. 33, 17. (cfr. 12.) et Luc. 24, 19.

[9] Scilicet *interlinearis*. — Duo seqq. loci sunt Ps. 76, 21. et Ier. 2, 6.

factum est, sapientia dirigente eos per manum Moysi, secundum illud Psalmi: « Deduxisti populum tuum sicut oves in manu Moysi et Aaron ». Quod non recognoverunt multi; unde Ieremiae secundo: « Non dixerunt: Ubi est Dominus, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam »? *Et in locis desertis fecerunt*[1] *casas;* Glossa: « Tabernacula », id est pauperes domunculas, et dicuntur *casae* a cadendo, quia de facili cadere possunt; similiter legitur de Abraham, quod habitavit « in casulis », ad Hebraeos undecimo. Et hoc fecerunt per duas et quadraginta mansiones, quae determinantur Numerorum trigesimo tertio.

(Vers. 3.). *Steterunt contra hostes*, scilicet contra Amalecitas, cum eis pugnando, ut habetur Exodi decimo septimo[2], et contra Madianitas, Numerorum trigesimo primo. *Et de inimicis*, scilicet Amalecitis, *se vindicaverunt*, scilicet triumphando et eos occidendo, et hoc per orationem Moysi et elevationem manuum eius, ut patet Exodi decimo septimo. Secundum.

(Vers. 4.). *Sitierunt*, scilicet ex parte corporis propter aquae penuriam, ut patet Exodi decimo septimo[3] et Numerorum vigesimo; *et invocaverunt te*, scilicet ex parte animae, et hoc per se ipsos, vel per Moysen; unde Numerorum vigesimo: « Domine Deus, audi clamorem populi huius »; in Psalmo: « Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur ». *Et data est illis aqua de petra altissima*, id est de rupe alta; Exodi decimo septimo[4]: « Percuties petram » etc.; item Numerorum vigesimo: « Loquimini ad petram, et illa dabit vobis aquas ». *Et requies sitis*, id est sedatio sitis per potum aquae, *de lapide duro*, repete: data est eis; in Psalmo: « Percussit petram, et fluxerunt aquae »; item Numerorum vigesimo: « Egressae sunt aquae largissimae, ita ut biberet populus et iumenta ». Dicitur autem *petra altissima*, id est valde alta, vel *altissima* ratione significati, scilicet quia significabat Christum; unde primae ad Corinthios decimo[5]: « Petra autem erat Christus ». De hac petra egrediuntur spirituales aquae gratiarum; Ioannis quarto: « Qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi » etc.; item Ioannis septimo: « Si quis sitit, veniat ad me et bibat ». Tertium. Notandum.

Per quae enim. Hic ostenditur divinae iustitiae effectus adversus Aegyptios, qui Israelitas detinere volebant. Et primo tangitur per defectum aquae Aegyptiorum *punitio;* secundo, *congruentia poenae: Nam pro fonte;* tertio, *intentio punientis: Qui cum minuerentur;* quarto, *gravitas punitionis: Hos quidem;* quinto, *effectus in punitis: Cum enim audirent.* Secundo, de divinae iustitiae effectu tanguntur quinque.

(Vers. 5.). *Per quae* etc.; Glossa[6]: « Memoratis beneficiis priori populo datis, narratur poena inimicorum ». *Per quae enim* etc., quasi dicat: Israelitis data est aquarum abundantia; *enim*, pro quia; *per quae poenas passi sunt inimici illorum*, scilicet Aegyptii, *a defectione potus sui*, scilicet tota aqua Aegypti versa in sanguinem, ut de ea non possent bibere, ut patet Exodi septimo[7]. *Et in eis, cum abundarent, filii Israel*, scilicet in aquis, quae in terra Gessen abundabant, vel secundum Glossam: « Quae fluxerant de petra », Numerorum vigesimo; *laetati sunt.* Primum.

(Vers. 6. 7.). *Per haec*, scilicet per aquas, *cum illis deessent*, scilicet aquae, Glossa[8]: « Israelitis », *bene cum illis actum est*, quia defectus ille per miraculum suppletus est. — *Nam pro fonte* etc., quasi dicat: bene et congrue Aegyptiis defectus aquae, Israelitis vero aquarum abundantia collata est; *nam pro fonte quidem*, certe, *sempiterni fluminis*, id est Nili a principio mundi continue fluentis; est enim de fluminibus paradisi[9]; *humanum sanguinem*, id est speciem humani sanguinis, *dedisti iniustis*, id est Aegyptiis, quoniam, secundum Glossam, « aquae eorum in sanguinem versae sunt », ut patet Exodi septimo. Secundum.

(Vers. 8.). *Qui*, scilicet filii Israel, *cum minuerentur in traductione infantium occisorum*, id est propalatione et occisione infantium, quae fiebat, ne populus multiplicaretur, sed minueretur, ut patet Exodi primo[10]; *dedisti illis*, scilicet filiis Israel, *abundantem aquam insperate*, « id est ex impro- Tertium.

---

[1] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *fixerunt*. — Sequuntur Glossa *interlinearis* (quae refert versionem septuaginta interpretum); Hebr. 11, 9: Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando etc.; Num. 33, 1. seqq. Cfr. Isidor., XV. Etymolog. c. 10. n. 1. et c. 12. n. 1.

[2] Vers. 8. seqq. — Duo seqq. loci sunt Num. 31, 3. seqq. et Exod. 17, 10. seqq.

[3] Vers. 2-6. — Sequuntur Num. 20, 2-5; ibid. v. 6. et Ps. 106, 6.

[4] Vers. 6. — Tres loci seqq. sunt Num. 20, 8; Ps. 77, 20. et Num. 20, 11.

[5] Vers. 4. — Sequuntur Ioan. 4, 13. et 7, 37.

[6] Nempe *ordinaria* ex Rabano.

[7] Vers. 20. seqq. — Terram *Gessen* a quarta et septima plaga praeservatam fuisse, *explicite* testatur Scriptura Exod. 8, 22. et 9, 26. (cfr. supra pag. 143, nota 6.); August., Qq. in Exod. q. 26. ait: Quod hic [Exod. 8, 21. seqq.] Scriptura aperuit, ne ubique diceret, intelligere debemus et in posterioribus et in prioribus signis factum esse, ut terra, in qua habitabat populus Dei, nullis plagis talibus vexaretur etc. — Sequitur Glossa *interlinearis* ex Rabano: Quia fluebat aqua de petra. Cfr. Num. 20, 11.

[8] Nempe *interlinearis*.

[9] Hieron., de Situ et nominibus locorum Hebraic. (Migne, Patrol. Lat. tom. 23. col. 898) *de Genesi: Geon* [Gen. 2, 13.], fluvius, qui apud Aegyptios *Nilus* vocatur, in paradiso oriens et universam Aethiopiam circumiens. Cfr. Isidor., XIII. Etymolog. c. 21. n. 7. — Sequitur Glossa *interlinearis:* Quando aquae versae sunt in sanguinem. Exod. 7, 20. seqq.

[10] Vers. 16. et 22. — Glossa *interlinearis: Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum*, sicut sub Herode factum est, *dedisti illis abundantem aquam*, quae salit in vitam aeternam [Ioan. 4, 14.], *insperate*, de improviso.

viso », quia in deserto et de petra fluente per miraculum in deserto. « Miraculum est opus arduum et insolitum supra spem et facultatem existens admirantis [1] ». *Humanum sanguinem* etc., quasi vellet dicere, secundum Glossam: Aegyptiis pro aqua sanguinem, Israelitis pro sanguine puerorum effuso aquam dedisti.

(Vers. 9.). *Ostendens*, o Domine, *per sitim, quae tunc fuit*, scilicet in Aegypto Aegyptiis et in deserto Israelitis; *quemadmodum tuos exaltares*, scilicet in futuro, cum « torrente voluptatis tuae potabis eos [2] »; in hoc scilicet, quod tam mirabiliter potasti eos in praesenti. *Et adversarios illorum necares;* Glossa: « Siti aeterna »; sicut divitem epulonem, de quo Lucae decimo sexto; item Isaiae sexagesimo quinto: « Ecce, mei servi bibent, vos sitietis ». Vel secundum litteram per hoc figurabantur Aegyptii in mari rubro necandi et Israelitae liberandi [3].

(Vers. 10.). *Cum enim tentati sunt*, scilicet filii Israel in deserto tentationibus multis et plagis; Glossa [4]: « Israelitas peccantes dignis plagis corripuit Deus et poenitentes consolatus est ». Unde sequitur: *Et quidem*, id est certe, *cum misericordia disciplinam acceperunt* [5]; in Psalmo: « Iratus es et misertus es nobis »; *cum misericordia*, scilicet consolante, *disciplinam*, corripientem; vel: misericordem et levem correptionem seu flagellationem pro culpis suis, et ideo ipsam abiicere non debuerunt; Proverbiorum tertio: « Fili mi, disciplinam Domini ne abiicias »; ad Hebraeos duodecimo: « Quodsi extra disciplinam estis, adulteri estis et non filii ». *Scierunt*, scilicet per experimentum, *quemadmodum cum ira*, id est quam aspere, quod timebat Propheta [6] dicens: « Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me »; *iudicati impii*, scilicet in praesenti, *tormenta paterentur*, scilicet in futuro incomparabiliter graviora: « Pluet enim super peccatores laqueos » etc. *Scierunt*, inquam, per experimentum et in hoc, quod tam aspere correcti sunt; Lucae vigesimo tertio [7]: « Si in viridi ligno hoc fit, in arido quid fiet »? Item Proverbiorum undecimo: « Si iustus in terra recipit, quanto magis impius et peccator »? Item Ieremiae vigesimo quinto: « Ecce, in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere; et vos quasi innocentes et immunes eritis »? quasi dicat: non.

(Vers. 11.). *Hos quidem;* Glossa [8]: « Israelitas »; *tanquam pater monens*, scilicet ad maiorem profectum vel ad proficiendum in melius, *probasti*, id est, de sua correctione monendo probatos reddidisti. « Flagellat enim Dominus omnem filium, quem recipit », ad Hebraeos duodecimo; et Proverbiorum tertio: « Quem diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi »; item supra tertio: « Tanquam aurum in fornace probavit illos ». *Illos autem;* Glossa [9]: « Aegyptios, aut Chananaeos »; *tanquam rex durus*, per effectum scilicet punitionis, qui in natura tua benignus es; *interrogans*, poenis scilicet et quaestionibus tormentorum, sicut latrones et fures et malefactores ponuntur in quaestionibus et torquentur; Gregorius: « Poena interrogat, si quis quietus veritatem amat ». *Condemnasti*, quia per flagella non sunt emendati, sed deteriorati; Ezechielis vigesimo quarto [10]: « Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo eius neque per ignem »; item Ieremiae sexto: « Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos ».

Quartum.

(Vers. 12.). *Absentes enim* etc., quasi dicat: bene dixi, quod dure *condemnasti* eos. *Absentes enim*, scilicet Aegyptii a praesentia Moysi et Pharaonis, vel a filiis Israel, *et praesentes*, scilicet malitiae Pharaonis expresse consentientes; vel etiam, secundum Glossam [11], Chananaei, sive qui ab Israel occisi sunt, sive qui victoriam aliorum audierunt; *similiter torquebantur*, quia plagae erant « in tota terra Aegypti », ut patet de plaga sanguinis, Exodi septimo. Vel: *praesentes torquebantur* corpore, *absentes*, qui hoc audiebant, *torquebantur* mente.

Quaestio.

Sed tunc quaeritur: quomodo ergo *similiter torquebantur*, scilicet absentes mente, praesentes vero corpore?

Resp.

Dicendum, quod similiter *in genere*, scilicet quantum ad hoc, quod tam isti quam illi torquebantur, sed non similiter *in specie* vel modo.

---

[1] Secundum August. iam supra pag. 162, nota 13. allegatum. — Glossa, quae sequitur, in iis quae paulo superius exposita sunt, occurrit.

[2] Psalm. 35, 9. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis*, Luc. 16, 24: Pater Abraham, miserere mei et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam etc.; et Isai. 65, 13.

[3] Cfr. Exod. 14, 13. seqq.

[4] Nempe *ordinaria* ex Rabano.

[5] Ita etiam card. Hugo in textu et Lyranus in margine; Vulgata *accipientes*. — Sequuntur Ps. 59, 3. (quem edd. omittunt); Prov. 3, 11. et Hebr. 12, 8, ubi post *disciplinam estis* Vulgata addit *cuius participes facti sunt omnes: ergo*. — Glossa *interlinearis: Cum misericordia disciplinam*, correctionem, *accipientes, scierunt*, experimento, *quemadmodum* etc.

[6] Psalm. 6, 2; ibid. 10, 7. est seq. locus.

[7] Vers. 31, ubi pro *hoc fit* Vulgata *haec faciunt*. — Duo seqq. loci sunt Prov. 11, 31. et Ier. 25, 29.

[8] Scilicet *interlinearis*. — Sequuntur Hebr. 12, 6; Prov. 3, 12. et Sap. 3, 6.

[9] Nempe *interlinearis*. — Sententia Gregorii inferius allata habetur XXIV. Moral. c. 9. n. 23: Secure videlicet iniquos nos dicimus, cum vindictam nullam de iniquitate sentimus. Nam peccatores nos quidem in tranquillitate loquimur, sed cum de peccatis ipsis flagello interveniente corripimur, murmuramus. Poena ergo nos interrogat, si veraciter cognoscimus culpam. — Cod. A legit: *Poena interrogat, si quis veraciter amat.*

[10] Vers. 12. — Seq. locus est Ier. 6, 30.

[11] Scilicet *ordinariam* (ex Rabano): *Torquebantur*, a Pharaone, ubicumque scilicet essent. Vel: non tantum hi quos Israelitae recenti clade per singulas civitates peremerunt, puniti sunt, sed et omnes Chananaei audientes victoriam populi Dei; unde Rahab dicit [Ios. 2, 9.]: *Irruit in nos terror vester* etc. — Inferius allegatur Exod. 7, 21: Et fuit sanguis in tota terra Aegypti.

(Vers. 13.). *Duplex enim illos acceperat*, scilicet quasi in possessione, *taedium*, id est afflictio, secundum illud Psalmi [1]: « Induantur sicut diploide confusione sua »; Ieremiae decimo septimo: « Duplici contritione contere eos ». *Duplex*, inquam; *et*, pro id est; *gemitus*, de incursu malorum praesentium; *cum memoria praeteritorum*, id est cum dolore, quem habebant ex recordatione praeteritorum malorum, videntes, quod plagae plagis succedebant. Glossa [2]: « *Duplex taedium*, id est praeteritorum malorum recordatio et praesentium tempestas ».

Quintum ostenditur tripliciter.

Cum enim audirent etc. Hic ostenditur punitionis *effectus in punitis*, primo ex parte Israelitarum; secundo, ex parte Aegyptiorum: *Quem enim* etc.; tertio, ex parte utrorumque: *Non similiter*.

Ex parte Israelitarum.

(Vers. 14.). Quasi dicat: vere *hos probasti* et *illos condemnasti* [3]. *Cum enim audirent*, scilicet filii Israel, Moyse hoc praedicante; *per sua tormenta bene secum agi*, id est utiliter, scilicet ad eorum salutem, secundum illud ad Romanos octavo: « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum »; *commemorati sunt Dominum*, quem scilicet quasi oblivioni tradiderant; qui *desperantes;* in Psalmo [4]: « Non sunt recordati manus eius » etc.; item: « Obliti sunt benefactorum eius et mirabilium eius, quae ostendit eis »; postea tamen *afflicti* sunt eius recordati: « Oculos enim, quos culpa claudit, poena aperit », ut dicit Gregorius [5]; in Psalmo: « Et rememorati sunt, quia Deus adiutor eorum est ». *Admirantes*, scilicet Dei potentiam et misericordiam, *in finem exitus*, id est post finem eventus rei; ex fine enim dependet rectum iudicium. « Exitus enim acta probat [6] »; unde et Petrus Christum sequebatur, « ut videret finem », Matthaei vigesimo sexto.

Ex parte Aegyptiorum.

(Vers. 15.). *Quem enim* etc., quasi dicat: et vere ita est; *quem*, scilicet populum Israeliticum vel Moysen, *in expositione prava proiectum*, id est male et periculose proiectum in flumine, *deriserunt*, scilicet Aegyptii tanquam periturum in flumine, non obstante fiscella [7]. *In finem eventus mirati sunt*, id est post finem eventus rei videntes, scilicet Moysen ita sublimatum miraculis; unde Exodi undecimo: « Fuit itaque Moyses vir magnus valde coram servis Pharaonis et omni populo ». Vel: *in finem mirati sunt*, scilicet populum miraculose liberatum; Exodi decimo quarto [8]: « Fugiamus enim Israelem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos ». Sic errant impii non considerantes finem iustorum, sed tantum praesentem afflictionem; supra quinto: « Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam et finem illorum sine honore ». *Non similiter* etc., quasi dicat: sic impios condemnasti et iustos liberasti; tu, dico, *non similiter iustis faciens* [9]; Glossa: « Ut iniustis »; quia Proverbiorum decimo sexto: « Septies in die cadit iustus et resurgit, impii autem corruent in malum ». Ratio vero diversitatis non est ex parte Dei, cum « non sit acceptor personarum », Actuum decimo, sed ex parte iniustorum.

Ex parte utrorumque.

(Vers. 16.). Unde sequitur: « *Pro cogitationibus autem;* bene dixi: *non similiter; autem*, pro sed potius; *pro cogitationibus insensatis*, id est in malo induratis, *iniquitates* [10] *illorum*, scilicet exteriores sunt, quasi dicat: pro malis cogitationibus permittuntur cadere in malas operationes; unde Glossa: « Iniqua opera ex cogitationibus prodeunt », quia reprobi non mutant cor inter flagella Domini; ad Romanos secundo: « Secundum duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae » etc.; Apocalypsis vigesimo secundo: « Qui in sordibus est sordescat adhuc ».

Secundo, de punitione Aegyptiorum propter idololatriam.

Divisio.

Quod quidam errantes etc. Hic tangitur punitio Aegyptiorum propter *idololatriam*, et hoc per *immissionem muscarum*. Et ostenditur huius poenae congruitas primo ex parte *peccantis;* secundo, ex parte *iudicis punientis*, ibi: *Non enim*.

Expositio litteralis. Congruitas poenae ex parte peccantis.

(Vers. 16.). *Quod quidam* etc., quasi dicat: sic puniti sunt pro Israelitarum oppressione; *quod*, pro quia; *quidam*, Aegyptiorum, *errantes*, scilicet a fide; Proverbiorum decimo quarto [11]: « Errant qui operantur malum ». *Colebant mutos serpentes; mutos* dicit ad differentiam serpentis, qui locutus est Evae in paradiso terrestri, Genesis tertio; *et bestias supervacuas*, id est inutiles ad colendum; colebant enim Aegyptii Aesculapium sub specie serpentis, Mercurium sub specie canis, Iovem sub specie arietis, Apim sub specie bovis; ad Romanos primo [12]: « Mu-

---

[1] Psalm. 108, 29: Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut etc. August., hunc locum exponens ait: *Diplois* duplex pallium est. Nam quidam etiam sic interpretati sunt istum versum: *Et operiantur sicut pallium duplex confusionem suam.* Intelligitur autem: confundantur et intus et foris, id est et coram Deo et coram hominibus. — Sequitur Ier. 17, 18.

[2] Nempe *interlinearis* ex Rabano.

[3] Respicitur supra v. 11. — Seq. locus est Rom. 8, 28.

[4] Psalm. 77, 42; ibid. v. 11. est seq. locus.

[5] Libr. XV. Moral. c. 51. n. 58: Impiorum oculos culpa claudit, sed in extremum poena aperit. Cfr. ibid. XXV. c. 8. n. 19. — Sequitur Ps. 77, 35.

[6] Ut dicit Ovid., Epist. 2. v. 85. — Subinde allegatur Matth. 26, 58.

[7] Cfr. Exod. 2, 3. seqq.; ibid. 14, 3. est seq. locus: Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram servis etc.

[8] Vers. 25. — Sequitur Sap. 5, 3. et 4.

[9] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *iustis sitientes.* — Subinde allegantur Glossa *interlinearis;* Prov. 24, 16: Septies enim cadet etc.; et Act. 10, 34.

[10] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *iniquitatis.* — Sequuntur Glossa *interlinearis:* Prava opera, quae ex cogitatione procedunt; Rom. 2, 5. et Apoc. 22, 11.

[11] Vers. 22. — Sequitur Gen. 3, 1: Qui [serpens] dixit ad mulierem etc. — Glossa *interlinearis: Colebant mutos serpentes*, Aesculapium, *et bestias supervacuas*, arietes, canes. Cfr. Rabanus in hunc locum et infra in 14, 14.

[12] Vers. 23. — Sequitur Ps. 77, 45. et 46. Cfr. Exod. 8, 24.

taverunt similitudinem incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentum ». *Immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam*, scilicet ranas et muscas, cinifes et locustas, secundum illud Psalmi: « Misit in eos coenomiam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos; et dedit aerugini fructus eorum et labores eorum locustae ».

(Vers. 17.). *Ut scirent, quia per quae*, id est per qualia, *peccat quis, per haec*, id est per similia, *et*, id est etiam, *torquetur;* Glossa [1]: « Ut ex similitudine poenae cognoscerent qualitatem culpae », sicut « Aman suspensus est in patibulo, quod paraverat Mardochaeo », Esther septimo; et Golias interfectus proprio gladio, primi Regum decimo septimo; et Holofernes proprio pugione occisus est a muliere, quam male concupierat, Iudith decimo tertio.

Item, ex parte iudicis punientis ostenditur quadrupliciter.

Non enim impossibilis etc. Hic ostenditur poenae congruentia ex parte *iudicis punientis*, qui potius vult uti misericordia quam potentia. Et primo ostenditur, quod huiusmodi levis punitio *non fuit ex impotentia;* secundo, quod *fuit ex misericordia: Sed omnia;* tertio subditur *probatio potentiae: Multum enim;* quarto, *probatio misericordiae: Et* [2] *misereris.*

De primo tria.

In prima ostendit, quod poterat eos aliter punire, scilicet aut per instrumentum vindictae *iam creatum*, aut per aliud *de novo creandum*, ibi: *Aut novi generis;* aut *immediate per se ipsum: Nam* [3] *et sine his.*

Primum.

(Vers. 18.). Dicit ergo: *Non enim* etc. Bene dixi, quod punivisti eos per ea, per quae peccaverunt, et hoc propter poenae ad culpam convenientiam, non propter tuam impotentiam. *Non enim impossibilis erat*, id est valde impotens, *manus tua*, « id est Filius tuus [4] », secundum illud Psalmi: « Emitte manum tuam de alto »; *omnipotens;* unde infra decimo octavo: « Omnipotens sermo tuus, Domine » etc. *Quae creavit*, id est formavit, *orbem terrarum; creare* enim est de nihilo aliquid facere, *formare* vero, ex materia praeiacenti. Orbis autem terrarum fuit ex materia praeiacenti, prius tamen creata informi; unde sequitur: *Ex materia invisa*, id est ex prima materia, quae *invisa*, id est invisibilis, tunc erat et ex parte *sui*, quia carebat forma distincta, et ex parte *agentis*, quia deerat lux, quae necessaria est ad reducendum sensum visus de potentia in actum; unde Genesis primo [5]: « Terra erat inanis et vacua », scilicet quoad primum defectum; « et tenebrae erant super faciem abyssi », quoad secundum. *Immittere illis*, scilicet pro vindicta, *multitudinem ursorum, aut leones audaces*, quae sunt animalia fortia et rapacia; propter quod de eorum superatione gloriatur David primi Regum decimo septimo [6]: « Leonem et ursum interfeci ». *Immittere*, inquam, *leones* etc., sicut fecit, quando in terram Samariae misit leones, qui populos illuc translatos devorabant, quia Deum non colebant.

Secundum.

(Vers. 19. 20.). *Aut novi generis ira plenas et* [7] *ignotas bestias*, et ideo terribiliores; Deuteronomii trigesimo secundo: « Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram » etc. *Aut vaporem igneum*, vel *ignium, spirantes*, scilicet ad consumtionem; *aut odorem fumi proferentes*, scilicet ad aëris infectionem, *aut horrendas ab oculis scintillas emittentes*, ad terrorem. — *Quarum non solum laesura*, facta scilicet percutiendo, *poterat illos exterminare*, id est extra terminos vitae ponere; *sed et aspectus*, videndo, *per timorem occidere*, scilicet iniustos et malos; de iusto enim dicitur in Psalmo [8]: « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem ».

Sex genera peccatorum.

Notandum autem, quod per diversas praedictas bestias possunt sex genera peccatorum intelligi: per *ursum* vitium gulae; per *leonem*, superbiae; per *bestias ira plenas*, irae; per *vaporem igneum spirantes*, luxuriae; per *odorem fumi proferentes*, avaritiae; per *scintillas ab oculis emittentes*, invidiae.

Tertium.

(Vers. 21.). *Nam* [9] *et sine his* etc. Nec solum hoc modo poteras eos punire, *nam et sine his*, id est sine harum bestiarum adminiculo, *uno spiritu poterant occidi;* Glossa [10]: « Id est una indignatione vel iussu ». Sic accipitur *spiritus*, ubi dicitur Genesis sexto: « Non permanebit spiritus meus in homine », id est indignatio mea etc. Vel: *uno spiritu* angelico, sicut Sennacherib et exercitus eius, ut patet Isaiae trigesimo septimo. *Persecutionem passi*, scilicet tanquam a causa meritoria, *ab ipsis factis suis*, ita quod ipsis operibus suis perimerentur, sicut vipera suo partu perit; Lucae tertio [11]: « Genimina viperarum » etc.; in Psalmo: « Secundum opera manuum eorum tribue illis ». *Et dispersi*, scilicet per

---

[1] Nempe *interlinearis*. — Tres seqq. loci sunt Esther 7, 10; I. Reg. 17, 50. seq. (hic locus omittitur ab edd.) et Iudith 13, 8. seqq.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *Sed;* Rabanus *Sed et.*

[3] Conveniunt card. Hugo et Lyranus; Vulgata substituit *Sed.*

[4] Ita Glossa *interlinearis*. — Sequuntur Ps. 143, 7. et Sap. 18, 15.

[5] Vers. 2. Cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 1-3; a. 2. q. 2. et d. 13. a. 1. q. 1. seq.

[6] Vers. 36. — Inferius respicitur IV. Reg. 17, 25: Cumque ibi [in Samaria] habitare coepissent, non timebant Dominum, et immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.

[7] Vulgata hic omittit *et*, ac paulo inferius pro *igneum* eligit *ignium;* card. Hugo et Lyranus exhibent *et* ac *igneum*. — Seq. locus est Deut. 32, 24.

[8] Psalm. 90, 13.

[9] Cfr. supra nota 3.

[10] Scilicet *interlinearis:* Indignatione vel iussu Dei. — Sequuntur Gen. 6, 3. et Isai. 37, 36; cfr. supra pag. 44, nota 1.

[11] Vers. 7. Gregor., XV. Moral. c. 15. n. 19: *Vipera*, eo quod *vi pariat*, nominatur. Vipera itaque sic nascitur, ut violenter exeat [ruptis lateribus matrum] et cum matris suae exstinctione producatur. Cfr. Isidor., XII. Etymolog. c. 4. n. 10. — Seq. locus est Ps. 27, 4.

loca diversa extra terram suam, *per spiritum virtutis tuae.* Hoc potest intelligi *intransitive*, et tunc intelligitur de spiritu increato; vel *transitive* sive effective, et tunc potest intelligi de spiritu creato; Iob quarto [1]: « Vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo, periisse, et spiritu irae eius esse consumtos ».

Item, de secundo tria.

Sed omnia etc. Hic ostendit, quod *ex misericordia* punivit et punivit minus, quam posset; et primo per hoc, quod non punivit ultra, quam exigeret *culpae quantitas*, quia *in mensura;* secundo per hoc, quod non punivit ultra, quam exigeret *culpae multiplicitas*, quia *in numero;* tertio, quia non ultra, quam exigeret *peccantis conditio* vel qualitas, quia *in pondere.*

De mensura, numero et pondere expositio prima.

(Vers. 21.). Bene dixi, quod non punis secundum immensitatem potentiae tuae, id est, in quantum posses; *sed omnia* etc., quasi dicat: non tantum creaturas ipsas, sed et earum retributiones et poenas seu punitiones, *disposuisti in mensura*, ut non excedant *culpae quantitatem; et numero*, ut non excedant *culpae multiplicitatem; et pondere*, ut non excedant *peccantis conditionem* vel peccati circumstantiam. Quod autem puniat secundum *mensuram*, Apocalypsis decimo octavo [2]: « Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date ei tormentum et luctum »; item Isaiae vigesimo septimo: « In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam »; item Lucae sexto: « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis ». Quod secundum *numerum*, Apocalypsis decimo octavo [3]: « Duplicate ei duplicia secundum opera eius »; item Isaiae quadragesimo: « Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis », id est duplicem poenam, scilicet poenam damni et poenam sensus, vel poenam corporalem exteriorem et spiritualem interiorem, id est conscientiae remorsum. Quod secundum *pondus*, patet supra sexto [4]: « Exiguo conceditur misericordia, potentes potenter tormenta patientur ».

Secunda.

Aliter potest sic exponi: *omnia*, scilicet corporalia quantum ad suam naturam, *disposuisti in mensura, numero et pondere*, quia mensura omnium corporalium sunt quatuor elementa, quae habent numerum, pondus et mensuram, ut patet. — Vel aliter: Tertia. *pondus* refertur ad potentiam operantis; *numerus*, ad sapientiam ordinantis; *mensura*, ad clementiam conservantis; ad Romanos undecimo [5]: « Ex quo omnia », quantum ad potentiam Patris; « per quem omnia », quoad sapientiam Filii; « in quo omnia », quoad clementiam Spiritus sancti. — Secundum Glossam Rabani: « *In mensura*, qualitas; *in numero*, quantitas; *in pondere*, ratio ». — Secundum Augustinum [6], *mensura* creaturae est eius certa quantitas, qua dicitur magna vel parva vel mediocris; *numerus*, certa qualitas, qua ab alia disiungitur; *pondus*, proprietas, qua in loco suo consistit; unde secundum Augustinum, *mensura* idem est quod modus; *species* idem est quod numerus; *ordo* idem, quod pondus. « Haec tria », scilicet modus, species et ordo, « ubi magna sunt, magna bona sunt; ubi parva, parva; ubi nulla, nulla », sicut ipse dicit [7]. — Vel potest hoc Sexta. exponi de mensura, numero et pondere in *increatis* sic: *in mensura*, id est in te omnia mensurante, id est modum rei cuilibet praefigente; *in numero*, id est in te omnia numerante, id est cuilibet rei speciem propriam largiente; *in pondere*, id est in te omnia ponderante, id est omnibus proprium et certum ordinem assignante. Huic concordat quaedam expositio Augustini [8] dicentis: « In mensura, id est in te ipso, qui es mensura sine mensura unicuique rei modum praefigens; numerus sine numero omni rei speciem praebens: pondus sine pondere omnem rem ad stabilitatem trahens ». Primum in ratione causae *efficientis*, secundum in ratione *exemplaris*, tertium in ratione causae *finalis*. — Moraliter sic: *In mensura*, contra vitium *superfluitatis; in numero*, contra vitium *singularitatis; in pondere*, contra vitium *levitatis* [9]. Expositio moralis.

Quaestio.

Sed obiicitur: si omnia disposuit in mensura, numero et pondere: ergo mensuram in mensura etc., et sic in infinitum.

---

[1] Vers. 8. et 9. Post *iniquitatem* Vulgata plura addit. — E codd. supplevimus *vel transitive... creato.*

[2] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Isai. 27, 8. et Luc. 6, 38: Eadem quippe mensura, qua mensi etc.

[3] Vers. 6. — Sequitur Isai. 40, 2.

[4] Vers. 7: Exiguo enim conceditur... potentes autem potenter etc.

[5] Vers. 36. — Glossa Rabani est Glossa *ordinaria.* Lib. VI. Hypognost. (inter opera August.), c. 4. n. 6: *In mensura*, puto, quod constet qualitas, *in numero*, quantitas; *in pondere*, ratio peraequata.

[6] Libr. IV. de Gen. ad lit. c. 3. n. 7. et 8. resolvens quaestionem, quomodo haec tria in Deo Creatore fuerint, dicit: An, secundum id quod novimus *mensuram* in eis quae metimur, et *numerum* in eis quae numeramus, et *pondus* in eis quae appendimus, non est Deus ista; secundum id vero, quod *mensura* omni rei modum praefigit, et *numerus* omni rei speciem praebet, et *pondus* omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter et singulariter ista est, qui terminat omnia et format omnia et ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur... *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti*, nisi omnia in te disposuisti? Magnum est paucisque concessum excedere omnia, quae metiri possunt, ut videatur mensura sine mensura; excedere omnia, quae numerari possunt, ut videatur numerus sine numero; excedere omnia, quae appendi possunt, ut videatur pondus sine pondere (vide inferius sextam expositionem).

[7] Libr. de Natura boni, c. 3: Haec... ubi nulla sunt, nullum bonum est.

[8] Vide supra nota 6. Cfr. Dialogus 65 Qq. Orosii etc. (inter opera August.), q. 39. Alex. Hal., S. p. II. q. 7. per totam diversos locos Augustini hac de re affert et exponit.

[9] August., IV. de Gen. ad lit. c. 4. n. 8: Est etiam *mensura* aliquid agendi, ne sit irrevocabilis et immoderata progressio; et est *numerus* et affectionum animi et virtutum, quo ab stultitiae deformitate ad sapientiae formam decusque colligitur; et est *pondus* voluntatis et amoris, ubi apparet, quanti quidque in appetendo, fugiendo, praeponendo postponendoque pendatur etc.

Potest dici, quod loquendo de numero, pondere
Resp. et mensura in *increatis*, distributio est *universalis;* loquendo vero de *creatis*, distributio est *accommoda*, ita scilicet, quod intelligatur fieri distributio pro mensuratis, numeratis et ponderatis [1]. Vel: *Omnia*, entia completa, in alio non concreata. Talia autem non sunt mensura, numerus et pondus; sed in aliis concreantur, cum non sint entia per se stantia et completa [2].

Multum enim etc. Hic ponitur probatio potenItem, de tertio duo. tiae divinae, primo per eius magnitudinem in se; secundo, per parvitatem creaturae: *Quoniam tanquam* etc.

(Vers. 22.). *Multum enim* etc., quasi dicat: bene
Primum. patet, quod ex impotentia non fuit, quia sic eos punivit; *multum enim valere*, id est valde posse, *tibi soli*, et sine alterius adiutorio, *supererat semper*, scilicet propter infinitatem potentiae tuae. « Infinitum enim est, cuius partes vel quantitatem accipienti semper est aliquid extra accipere [3] »; Lucae primo: « Non erit impossibile apud Deum omne verbum »; *semper*, id est omni tempore vel in aeternum, secundum illud Danielis septimo: « Potestas eius potestas aeterna ». *Et virtuti*, id est perfectae potentiae, quia, secundum Philosophum [4], « virtus est ultimum de potentia in re »; *brachii tui*, secundum illud Isaiae quinquagesimo primo: « Induere fortitudinem brachium Domini »; *quis resistet?* quasi dicat: nullus potest; et hoc est, quia non patitur ab aliquo.

(Vers. 23.). *Quoniam* etc., quasi dicat: vere
Secundum. ita est; *quoniam* totus *orbis terrarum*, id est universitas creaturarum, *sic est ante te*, id est in tua dispositione, vel in tua comparatione; *tanquam momentum staterae*, id est illud modicum, quo statera huc vel illuc inclinatur; unde dicitur *momentum* a movendo [5], vel quia, sicut faciliter et quasi in momento movetur huc vel illuc, sic divina virtute mundus ad nutum Dei movetur; unde Isaiae quadragesimo: « Ecce, gentes quasi stilla situlae et sicut momentum staterae reputatae sunt »; *et tanquam gutta roris antelucani*, id est ante lucem cadentis, *quae descendit in terram*, quae a facie solis facile dissol-
Notandum. vitur nec ei potest resistere. Et notandum, quod dicit, creaturam esse *tanquam momentum* etc., respectu Dei quantum ad facilitatem agendi in ipsam; et *tanquam gutta roris* etc., quantum ad impossibilitatem patiendi ab illa; Isaiae quadragesimo [6]: « Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo ».

Et [7] *misereris omnium* etc. Hic ponitur proba- Item, de quarto quatio divinae misericordiae; et primo probat eam per tuor effectus. effectum *dissimulationis;* secundo, per effectum *dilectionis: Diligis enim;* tertio, per effectum *conservationis: Quomodo autem posset* etc.; quarto, per effectum *remissionis: Parcis autem.*

(Vers. 24.). *Et misereris omnium*, id est, in Primus. omnibus exerces misericordiae effectum, secundum illud Psalmi [8]: « Miserationes eius super omnia opera eius »; item: « Universae viae Domini misericordia et veritas »; item: « Misericordia Domini plena est terra ». *Quoniam omnia potes;* unde omnia sunt facturae tuae et opera tua, secundum illud Psalmi: « Qui fecit caelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt ». *Et dissimulas*, ad tempus scilicet non puniendo, *peccata hominum;* non dicit *angelorum*, quia peccatum angelorum statim fuit punitum; unde Isaiae decimo quarto [9]: « Quomodo cecidisti, lucifer, de caelo, qui mane oriebaris »? *Propter poenitentiam;* unde ad Romanos secundo: « Ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit »? Ezechielis decimo octavo: « Si egerit impius poenitentiam ab omnibus peccatis suis etc.; vita vivet et non morietur ».

(Vers. 25.). *Diligis enim omnia, quae sunt*, sci- Secundus. licet bona eorum approbando et conservando; unde Genesis primo [10]: « Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona »; Glossa: « Bonus opifex opus suum diligit »; Deus autem peccatum non fecit; unde Ioannis primo: « Sine ipso factum est nihil », id est « peccatum », secundum Augustinum. Et ideo peccatum non diligit, sed odit, secundum illud Psalmi: « Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem ». *Et nihil odisti eorum quae fecisti*, nullum scilicet reprobando.

Contra quod dicitur in Psalmo [11]: « Iniquos odio Quaestio. habui »; item: « Odisti omnes, qui operantur iniquitatem »; item Ecclesiastici duodecimo: « Altissimus odio habet peccatores ».

Sed dicendum, quod non odit facturam suam, Resp. sed facturae vitium, sicut artifex statuam, quam fecit, diligit, et tamen aliquem nodum ex parte materiae in ea existentem odit.

Nec enim odiens, id est invitus, *aliquid constituisti*, scilicet de nihilo ipsum creando, *aut fe-*

---

[1] Cfr. supra pag. 28, nota 7.

[2] Vide II. Sent. d. 1. p. 1. a. 3. q. 2. in corp. et ad 5.

[3] Aristot., III. Phys. text. 62. seq. (c. 6.). — Sequuntur Luc. 1, 37. et Dan. 7, 14.

[4] Libr. I. de Caelo et mundo, text. 116. (c. 11.). Cfr. tom. II. pag. 671, nota 6. — Seq. locus est Isai. 51, 9.

[5] Isidor., V. Etymolog. c. 29. n. 1: Momentum est minimum atque angustissimum tempus, a *motu* siderum dictum. — Sequitur Isai. 40, 15.

[6] Vers. 17.

[7] Cfr. supra pag. 181, nota 2.

[8] Psalm. 144, 9. — Sequuntur Ps. 24, 10; 32, 5. et 145, 6. — Pro *Quoniam omnia potes*, quod exhibet card. Hugo in margine et Lyranus in textu, Vulgata *Quia omnia potes.*

[9] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Rom. 2, 4. et Ezech. 18, 21.

[10] Vers. 31. — Sequuntur Glossa *ordinaria* Rabani (cfr. supra pag. 45, nota 8. verba Aristotelis); Ioan. 1, 3, quem locum [in Ioan. Evang. tr. 1. n. 13.] exponens August. dicit: « Solent enim multi, male intelligentes *sine ipso factum est nihil*, putare, aliquid esse *nihil*. Peccatum quidem non *per ipsum* factum est; et manifestum est, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant ». Dein allegatur Ps. 44, 8.

[11] Psalm. 118, 113. — Duo seqq. loci sunt Ps. 5, 7. et Eccli. 12, 3.

cisti, de materia praeiacenti formando; unde Boethius [1]:

> Quem non externae pepulerunt fingere causae
> Materiae fluitantis opus, verum insita summi
> Forma boni etc.

Unde Proverbiorum decimo sexto [2]: « Universa propter semetipsum operatus est Dominus ».

(Vers. 26.). *Quomodo autem posset aliquid*, id Tertius. est ulla creatura, *permanere*, scilicet in suo *esse; nisi tu voluisses*, id est, nisi tua bonitate voluntarie conservares? quasi dicat: nullo modo; unde Gregorius [3]: « Cuncta, quae sunt, in nihilum tenderent, nisi manu Creatoris sustentarentur vel tenerentur ». *Aut quod a te vocatum non esset*, id est, nisi tua sapientia intuendo approbares; ad Romanos quarto: « Qui vocat ea quae non sunt » etc.; *conservaretur?* quasi dicat: nihil.

(Vers. 27.). *Parcis autem omnibus*, scilicet ho- Quartus. minibus, qui dicuntur *omnis creatura*, secundum illud Marci ultimo [4]: « Praedicate Evangelium omni creaturae »; *parcis*, inquam, quia tibi est proprium, iuxta illud: « Deus, cui proprium est misereri semper et parcere ». *Quoniam tua sunt, Domine;* Ezechielis decimo octavo [5]: « Omnes animae meae sunt »; *qui amas animas;* quod patet, quia animam tuam posuisti pro eis; Ioannis decimo quinto: « Maiorem hac dilectionem nemo habet » etc.; unde Bernardus: « Maiorem habuisti, eam ponens pro inimicis tuis ».

Capitulum XII.

Secundo, de punitione Chananaeorum et Amorrhaeorum.

O quam bonus etc. Postquam egit de beneficiis Divisio. exhibitis filiis Israel in afflictione vel punitione Aegyptiorum principaliter; hic agit de beneficiis exhibitis eisdem in afflictione *Chananaeorum et Amorrhaeorum* terram promissionis inhabitantium principaliter.

In prima primo ostenditur illorum populorum Ostenduntur quatuor. *iusta punitio;* secundo, *misericordia* exhibita in puniendi modo: *Sed et his;* tertio, populi Dei in utroque *instructio: Tu autem, dominator;* quarto, adversariorum incorrigibilium per utrumque *condemnatio: Unde et illis.*

Primo, de horum populorum iusta punitione dupliciter.

In prima primo tangitur pia *intentio punientis;* secundo, *aequitas punitionis: Illos enim.* — Piae De pia intentione punientis notatur tria. intentionis primo ostendit *causam*, secundo *signum: Ideoque* etc.; tertio *finem: Ut relicta malitia* etc.

(Vers. 1.). *O quam bonus* etc. Exclamatio est Expositio litteralis. innuens insufficientiam loquentis ad exprimendum Intentionis causa. bonitatem Creatoris; est enim sensus: *O quam* etc., quasi dicat: non valeo exprimere quantum, et hoc propter infinitatem bonitatis tuae. *Bonus*, scilicet bona tua communicando; « est enim bonum diffusivum sui », secundum Dionysium [6]; Matthaei decimo nono: « Nemo bonus nisi solus Deus »; solus enim Deus communicat sua, omnis creatura alienum, quia nihil habet suum; unde primae ad Corinthios quarto: « Quid habes, quod non accepisti »? *Et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus*, scilicet malis parcendo nostris; in Psalmo [7]: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus »; *spiritus*, inquam, *tuus in*, nobis scilicet, *omnibus*, Glossa: « Quia amor Dei fons totius boni est ». *In omnibus*, maxime in quibus magis apparet Dei misericordia; in Psalmo: « Suavis Dominus universis ».

(Vers. 2.). *Ideoque*, quia *bonus et suavis, eos* Eiusdem signum. *qui exerrant*, id est, extra viam veritatis errant in fide, vel moribus, sicut illi, de quibus Isaiae quinquagesimo tertio [8]: « Omnes nos quasi oves erravimus »; item Threnorum quarto: « Erraverunt caeci in plateis »; *partibus corripis*, id est flagella per partes, non simul, sed successive immittendo, secundum illud Exodi vigesimo tertio [9]: « Non eiiciam eos a facie tua anno uno », sed « paulatim expellam eos »; Iob trigesimo quinto: « Nunc enim non infert furorem suum nec ulciscitur scelus valde », sed modicum; *corripis*, inquam, vel per te, vel « per alios, quos Spiritu sancto reples », secundum Glossam; Ioannis decimo sexto: « Arguet mundum de peccato ». *Et de quibus peccant*, id est de peccatis, quibus peccant; *admones*, scilicet veniam promittendo, secundum illud Matthaei quarto [10]: « Poeni-

---

[1] Libr. III. de Consol. metr. 9.

[2] Vers. 4.

[3] Libr. XVI. Moral. c. 37. n. 45. Cfr. supra pag. 119, nota 3. in fine. — Sequitur Rom. 4, 17.

[4] Vers. 15. Cfr. supra pag. 35, nota 2. et pag. 114, nota 6. verba Gregorii, qui etiam in lib. Sacramentorum sub n. 4. inter *Orationes pro peccatis* (Migne, Patrol. Lat. tom. 78. col. 197) exhibet orationem: Deus, cui proprium etc.

[5] Vers. 4, — Sequitur Ioan. 15, 13. Verba Bernardi habentur in Serm. de Passione Domini in feria IV. Hebdom. sanctae, n. 4: Tu maiorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis.

[6] De Caelesti Hierarch. c. 4. § 1. et de Div. Nom. c. 4. § 1. seq. — Sequuntur Matth. 19, 17: Unus est bonus, Deus (Luc. 18, 19: Nemo bonus nisi solus Deus; cfr. Marc. 10, 18.) et I. Cor. 4, 7.

[7] Psalm. 33, 9. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis* (cfr. Rabanus) et Ps. 144, 9.

[8] Vers. 6. — Seq. locus est Thren. 4, 14.

[9] Vers. 29. et 30. (post *uno* Vulgata plura addit). Cfr. infra v. 10. — Sequuntur Iob 35, 15. et Glossa *ordinaria* ex Rabano: *Corripis* per eos, quos reples, vel per alios, quos volueris; unde [Ioan. 16, 8.]: *Ille arguet mundum de peccato, de iustitia et de iudicio.*

[10] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Isai. 45, 22. et 30, 21. Glossa allegata est *interlinearis* ex Rabano: Beatus, qui audit vocem admonentis [cod. A *verbum admonentis*].

tentiam agite » etc.; item Isaiae quadragesimo quinto: « Convertimini ad me, et salvi eritis » etc.; Glossa: « Beati, qui audiunt vocem admonentis »; Isaiae trigesimo: « Aures tuae audient verbum post tergum monentis ». *Et alloqueris,* id est poenam comminando; Isaiae primo [1]: « Si audieritis me, bona terrae comedetis; quodsi non audieritis, gladius devorabit vos »; *ut, relicta malitia,* scilicet peccati, vel infidelitatis; *credant in te, Domine,* scilicet fide formata; *in te,* inquam, non *te,* vel *tibi* tantum; Isaiae quinquagesimo quinto: « Derelinquat impius viam suam » etc. Contrarius enim est motus poenitentiae motui malitiae, quia, sicut ille est a bono in malum, sic iste a malo in bonum.

Eiusdem finis.

Illos enim etc. Hic tangitur *aequitas punitionis,* et primo ex consideratione ipsius *culpae;* secundo, ex consideratione *poenae: Perdere voluisti.*

De aequitate punitionis notantur duo.

(Vers. 3.). *Illos enim* etc. Bene dixi: *corripis* etc.; quod patet per exemplum. *Illos enim antiquos inhabitatores,* scilicet Chananaeos et Amorrhaeos et alios huiusmodi, *inhabitatores terrae sanctae tuae,* id est tuis Sanctis promissae, scilicet Abraham, Genesis decimo quinto [2]; Isaac, vigesimo sexto; Iacob, vigesimo octavo; *quos exhorruisti,* in tantum, ut populum tuum eis copulari nolueris aut misceri, secundum illud Deuteronomii septimo: « Non inibis cum eis foedus nec sociabis coniugia nec misereberis earum ».

Primo, consideratio culpae.

(Vers. 4. 5.). *Quoniam odibilia opera tibi faciebant,* scilicet peccata enormia, infra decimo quarto [3]: « Similiter odio sunt Deo impius et impietas eius »; *per medicamina,* scilicet veneficorum, *et sacrificia iniusta,* idolorum, et hoc contra *Deum.* Erant autem et sacrificia iusta, quae Deo offerebantur, sicut obtulit Noe, Genesis octavo. — *Et filiorum suorum necatores,* et hoc contra *proximum, sine misericordia,* id est sine compassione, quia in sacrificiis daemonum immolabant eos cum multa devotione, secundum illud Psalmi [4]: « Et immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis ». Contra quod Deuteronomii decimo octavo: « Ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur apud te qui lustret filium aut filiam, ducens per ignem ». *Et comestores viscerum hominum,* hoc non legitur factum, sed credendum est potuisse fieri, sicut tempore obsidionis Samariae legitur factum esse, quarti Regum sexto [5]; et Threnorum quarto: « Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos »; *et devoratores sanguinis* [6], humani, contra illud Genesis nono: « Carnem cum sanguine non comedetis ».

(Vers. 6.). *Et auctores,* id est effusores sanguinis, *parentes,* id est, quamvis parentes essent sanguinis effusi, quod gravius est; *sanguinis,* dico, *animarum,* id est hominum; partem enim ponit pro toto, et est synecdoche, sicut Exodi primo [7], ubi dicitur: « Omnes animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum »; *inauxiliatarum;* Glossa: « Id est, eorum qui se non poterant defendere, vel quibus nolebant auxiliari », scilicet propriorum infantulorum, quorum sanguinis ipsimet erant generatores et effusores in sacrificio et comestores comedendo de sacrificato. *Filiorum,* inquam, *suorum necatores* etc., *perdere voluisti,* id est expellere, *a medio sacramento tuo,* id est a terra promissionis sacra; et dicitur terra promissionis *sacra* vel *sacramentum* propter rei sacrae, id est terrae viventium [8], significationem, et propter sacramentorum salutis nostrae in ea completionem, et propter Sacramentorum Ecclesiae in ea institutionem, ut eucharistiae et baptismi, et propter sacrorum hominum futuram in ea inhabitationem, ut Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, et propter sanguinis Christi in ea effusionem et irrigationem, et propter sacrorum corporum et pulverum in ea resolutionem, scilicet Patrum antiquorum ibidem sepultorum; item propter sacri loci in ea aedificationem, scilicet templi, et propter Sancti Sanctorum nativitatem et conversationem. *Per manus parentum nostrorum,* illorum scilicet, qui cum Iosue terram promissionis intraverunt [9].

Secundo, consideratio poenae.

Rationes 8.

(Vers. 7.). *Ut dignam perciperent,* scilicet parentes nostri, *peregrinationem,* id est terram peregrinationis, *puerorum Dei,* scilicet Patriarcharum, de quibus ad Hebraeos undecimo [10]: « Confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram ». *Quae,* scilicet terra peregrinationis, *est tibi terra carior omnium,* scilicet terrarum, id est omnibus terris, scilicet propter salutem humani generis ibi procurandam, secundum illud Psalmi: « Operatus est salutem in medio terrae ».

---

[1] Vers. 19. et 20: Si volueritis et audieritis... quodsi nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis, gladius etc.; ibid. 55, 7. est seq. locus. De explicatione verborum *credant in te, Domine,* cfr. supra pag. 112, nota 2.

[2] Vers. 16. et 18; ibid. 26, 3. seq. et 28, 13. seqq. sunt duo seqq. loci; deinde allegatur Deut. 7, 2. et 3, ubi Vulgata post *sociabis* addit *cum eis,* et verba *nec misereberis earum* transponit post *foedus.*

[3] Vers. 9. — Sequitur Gen. 8, 20. et 21: Obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis etc.

[4] Psalm. 105, 37. — Seq. locus est Deut. 18, 9. et 10, ubi pro *apud te* Vulgata *in te.*

[5] Vers. 25. seqq., ubi narratur, quod matres ob inediam filios suos comederunt. — Seq. locus est Thren. 4, 10.

[6] Vulgata hoc loco addit verba *a medio sacramento tuo;* sed haec etiam a card. Hugo et Lyrano in seq. versu post *perdere voluisti* exhibentur. — Sequitur Gen. 9, 4. Adiectivum *humani* habetur in edd. et, ut videtur, etiam in codd.

[7] Vers. 1. et 5: Haec sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob... Erant igitur omnes *animae* eorum qui egressi sunt de femore Iacob etc. Origin., Homil. 1. in Exod. n. 3: In usu namque esse creditur *animas* pro *hominibus* appellari. — Glossa, quae sequitur, est *interlinearis.*

[8] Psalm. 26, 13: Credo videre bona Domini in terra viventium. Ps. 141, 6: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

[9] Cfr. Iosue 1, 2. seqq.

[10] Vers. 13. — Sequitur Ps. 73, 12.

Secundo ostenditur misericordia exhibita in modo punitionis dupliciter.

Sed et his etc. Hic ostenditur misericordia exhibita in *modo punitionis;* et illius modi primo *removet causam falsam;* secundo *subdit veram: Cum ergo.* — In parte prima primo ostendit, quod ille modus puniendi non fuit ex *impotentia;* secundo, quod nec ex *ignorantia: Sed partibus;* tertio, quod nec ex *timore: Nec timens;* quarto, quod nec ex *iniustitia: Nec* [1] *enim.*

Divisio.

Causa falsa quadruplex.

(Vers. 8.). *Sed et his* etc. Quamvis aliqui legant hoc de Patribus introducendis, quorum Dominus hostes prius misericorditer exterruit, nolens eos velut homines mortales exponere subitis bellorum periculis; tamen congruentius videtur exponendum de gentibus Chananaeis a facie eorum eiiciendis. Dicit ergo: *Sed et his,* quamvis scilicet tam enormiter peccassent, *pepercisti,* scilicet non statim et simul omnes illos expellendo, *tanquam hominibus,* carne fragili indutis, et ideo ad peccandum pronioribus. « Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua », Genesis octavo [2]. Hanc rationem allegat ipse Dominus Genesis sexto: « Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est ». *Et misisti antecessores exercitus tui vespas,* id est genus muscarum valde pungitivarum; Glossa [3] dicit: « Timores acerrimos, quibus corda gentium pungebantur ». Hi sunt crabrones, de quibus Deuteronomii septimo: « Crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat »; Exodi vigesimo tertio: « Mittam terrorem meum in praecursum tuum »; et post: « Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevaeum » etc. *Ut illos,* scilicet Chananaeos, *paulatim exterminarent,* id est extra terminos terrae promissionis ponerent vel fugarent, vel extra terminos vitae praesentis, vel extra terminos terrae viventium; unde Baruch tertio [4]: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt », exclusi scilicet a terra viventium.

Expositio literalis. De prima falsa causa.

(Vers. 9.). *Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis,* secundum illud Psalmi [5]: « Praecinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me »; *aut bestiis saevis,* id est aut per bestias crudeles, secundum illud Ieremiae quinto: « Lupus ad vesperam vastavit eos, et pardus vigilans super civitates eorum »; supra undecimo: « Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua » etc. *Aut verbo duro,* id est per verbum asperum, illos *simul exterminare,* secundum illud Ieremiae vigesimo tertio [6]: « Nunquid non verba mea quasi ignis et quasi malleus conterens petras »?

(Vers. 10.). *Sed partibus* etc. Hic ostendit, quod hoc non fecit ex *ignorantia,* scilicet culpae eorum actualis vel originalis, dicens: *Sed partibus* etc. Bene dixi, quod *non quia impotens* etc.; *sed partibus,* « id est paulatim vel per partes » et successive, *iudicans,* id est iuste puniens; Deuteronomii septimo [7]: « Consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes, ne forte multiplicentur contra te bestiae terrae »; *dabas locum poenitentiae,* ut, quibusdam punitis, alii corrigerentur; Iob vigesimo quarto [8]: « Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam ». *Non ignorans,* quia ignorantia in Deum non cadit, sicut nec tenebrae in lucem; unde primae Ioannis primo: « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae ». *Quoniam iniqua* [9] *est natio eorum,* per culpae malitiam, quia iniquorum patrum iniqui filii; unde supra quarto: « Ex iniquis omnes, qui nascuntur, testes sunt nequitiae illorum »; *et naturalis malitia illorum,* id est naturali similis per usum pravae consuetudinis. « Consuetudo enim altera natura est [10] »; sicut enim ea quae sunt a natura, difficile vel nunquam exui possunt; sic nec ea quae ex consuetudine; unde Ieremiae decimo tertio: « Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum »; Gregorius [11]: « Difficile surgit quem moles consuetudinis premit ». *Et naturalis malitia illorum;* Glossa [12]: « Permanens, inveterata »,

De secunda.

---

[1] Ita Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *Non.*

[2] Vers. 21; ibid. 6, 3. est seq. locus, in quo post *homine* Vulgata addit *in aeternum.*

[3] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Sequuntur Deut. 7, 20; Exod. 23, 27. et 28.

[4] Vers. 19.

[5] Psalm. 17, 40. — Duo seqq. loci sunt Ier. 5, 6. et Sap. 11, 18.

[6] Vers. 29: Nunquid... mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et... petram? — Superius pro *asperum* edd. *asperos.*

[7] Vers. 22, ubi post *partes* Vulgata addit *Non poteris eas delere pariter.* — Glossa *interlinearis: Sed partibus,* id est per partes, id est paulatim, non exercens omnem vindictam. Cfr. supra v. 2.

[8] Vers. 23. — Sequitur I. Ioan. 1, 5.

[9] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *nequam,* quae etiam paulo inferius pro *illorum,* quod etiam Rabanus habet, substituit *ipsorum.* — Seq. locus est Sap. 4, 6; cfr. supra pag. 133, nota 12.

[10] Aristot., de Memoria et reminisc. c. 3. (c. 2.): Tanquam enim natura iam consuetudo est. Cfr. I. Rhetor. c. 25. (c. 11.), ubi dicit, quod « consuetudo simile aliquid est naturae ». Libr. VII. Ethic. c. 10: Incontinentes item ex assuetudine quam ex natura sanari facilius possunt, quippe cum consuetudinem quam naturam immutare facilius sit; nam ob id quoque consuetudinem mutare est difficile, quia naturae perquam similis est. Cicero, V. de Finib. c. 25. docet, « consuetudine quasi alteram naturam effici ». — Sequitur Ier. 13, 23.

[11] Libr. XXVI. Moral. c. 36. n. 65, ubi exponit illud Thren. 3, 53: *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me,* et dicit: « *In lacum* quippe vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur. *Lapis* vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur, ut, et si velit exsurgere, iam utcumque non possit, quia moles desuper malae consuetudinis premit ». Paulo antea docuerat: Tanto ergo facilius egreditur, quanto minori consuetudine coarctatur.

[12] Haec et seq. Glossa sunt *interlineares.* — Sequitur Thren. 1, 14.

scilicet per usum pravae consuetudinis. *Et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum*, scilicet propter obstinationem voluntatis eorum perversae; Glossa: « Indurata propria nequitia »; Threnorum primo: « Dedit me in manum, de qua non potero surgere ».

Sed contra: In libertate arbitrii est peccare et Quaestio. post peccatum poenitere.

Respondeo: *Non poterat*, id est, vix poterat; Resp. vel non poterat per se solum, sed Deo inspirante. Homo enim est « spiritus vadens », scilicet per culpam, « et non rediens [1] », scilicet nisi per gratiam.

(Vers. 11.). *Semen enim erat maledictum ab initio*, id est in primo parente sui generis, scilicet in Chanaan; Genesis nono [2]: « Maledictus Chanaan ». Vel secundum Glossam: *Ab initio*, « id est in praescientia Dei », vel secundum Glossam: *Ab initio*, quia, « ex quo fuerat, quaedam prava qualitas in ipsis erat maledictione digna ».

Nec timens. Hic excludit a Deo *timorem* qua- De tertia quadruplici-ter. druplici ratione: primo per hoc, quod iudicium eius nullus potest *discutere;* secundo, quia nec ei *resistere: Aut quis stabit;* tertio, quia nec *vindicare: Aut quis in conspectu;* quarto, quia nec *redarguere: Aut quis tibi.*

(Vers. 11.). Dicit ergo: *Nec timens aliquem ve-* Primo. *niam dabas peccatis illorum. Nec timens aliquem*, scilicet quasi potentiorem te; Ecclesiastici tertio [3]: « Magna potentia Dei solius »; Isaiae quinquagesimo primo: Quis tu, ut timeas ab homine mortali »? Item Iob vigesimo secundo: « Nunquid timens arguet te »? quasi dicat: non; immo etiam « columnae caeli contremiscunt et pavent ad nutum eius », Iob vigesimo sexto; quanto magis columnae terrae?

(Vers. 12.). *Quis enim dicet tibi*, id est, dicere auderet, vel dicere rationabiliter posset: *Quid fecisti?* scilicet facti tui rationem *discutiendo*, quasi dicat: nullus; unde ad Romanos nono [4]: « Nunquid dicit figmentum ei qui finxit se: Quid me fecisti sic »? Isaiae quadragesimo quinto: « Nunquid dicet Secundo. lutum figulo: Quid facis »? *Aut quis stabit contra iudicium tuum?* scilicet tuae sententiae *resistendo;* Iob nono: « Deus, cuius irae resistere nemo potest »; et post: « Si aequitas iudicii quaeritur, nemo audet Tertio. pro me testimonium reddere ». *Aut quis in conspectu tuo veniet*, id est, comparere audebit, *vindex* enim *iniquorum hominum?* id est volens *vindicare* iniquos, te puniendo, quasi feceris eis iniuriam ipsos condemnando; quasi dicat: nullus, quia Deuteronomii trigesimo secundo [5]: « Mea est ultio » etc.; item ibidem: « Videte, quoniam ego sim solus, et non est qui de manu mea possit eruere ». *Aut quis imputabit tibi*, Quarto. scilicet te de culpa *redarguendo*, quasi dicat: nullus; unde Ioannis octavo [6]: « Quis ex vobis arguet me de peccato »? *Quis*, inquam, *imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti? perierint*, per culpam suam, *quas tu fecisti*, quantum ad eorum naturam; Glossa: « Non est culpa Creatoris, si pereunt, sed naturae vitium »; Iob duodecimo: « Si destruxerit, nemo est, qui aedificet ».

(Vers. 13.). *Nec* [7] *enim* etc. Bene dixi: quis aliquod praedictorum contra tuum iudicium faciet? *Nec enim est alius Deus quam tu*, secundum illud Isaiae quadragesimo quinto: « Nunquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me »? *Quam tu*, inquam, *cui cura est de omnibus;* supra sexto [8]: « Aequaliter est tibi cura de omnibus ».

Sed contra: Primae ad Corinthios nono [9]: « Nun- Quaestio. quid de bobus cura est Deo »?

Dicendum, quod cura *providentiae* est illi de Resp. omnibus, cura *disciplinae* est de solis rationalibus.

Ut, scilicet per hoc, *ostendas, quoniam non iniuste iudicas iudicium*, punitionis iniquorum; in Psalmo [10]: « Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum ».

(Vers. 14.). *Neque rex* etc., quasi dicat: ita recte iudicas, quod *neque rex*, qui bene regit suos et secundum iustitiam, *neque tyrannus*, qui scilicet male regit et per iniustitiam; *in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti;* Glossa [11]: « Utrum iuste perdideris », secundum illud Iob nono: « Quis potest dicere, cur ita facis »?

Cum ergo etc. Hic ostendit *causam veram*, Secundo, causa vera notatur tripliciter. quare Deus misericordiam exhibuit in modo puniendi praedicto, et hoc primo ostendendo, quod Deus in omnibus exercet *iustitiam;* secundo, quod nihilominus exhibet *misericordiam: Et ob hoc;* tertio, quod ad incredulos aliquando ostendit *potentiam: Virtutem* etc.

(Vers. 15.). *Cum ergo sis iustus*, scilicet in Primo exercetur iustitia. natura tua, *iuste omnia disponis*, scilicet in creatura, scilicet « iuste filium puniens [12] » in praesenti, ut

---

[1] Psalm. 77, 39. Cfr. supra Comment. in Eccle. 1; 15. Quaest. 2. (pag. 19 col. I). et II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1.

[2] Vers. 25. — Glossa *interlinearis* a Lyrano ad v. 10. et 11. sic exhibetur: *In perpetuum*, in praescientia, vel ex quo fuerunt, quaedam prava qualitas... digna. *Semen enim erat maledictum ab initio*, originali peccato.

[3] Vers. 21. — Sequuntur Isai. 51, 12, ubi pro *timeas* Vulgata *timeres;* Iob 22, 4. et 26, 11.

[4] Vers. 20. — Subinde allegantur Isai. 45, 9; Iob 9, 13. et 19.

[5] Vers. 35; ibid. v. 39. est seq. locus: Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me... et non est etc.

[6] Vers. 46. — Sequuntur Glossa *interlinearis* et Iob 12, 14.

[7] Cfr. supra pag. 186, nota 1. — Seq. locus est Isai. 45, 21. Cod. A: *Ego Dominus, et non est alius praeter me* (cfr. Deut. 32, 39.).

[8] Vers. 8, in cuius explicatione etiam eadem quaestio eiusque solutio proposita est.

[9] Vers. 9.

[10] Psalm. 118, 137.

[11] Nempe *interlinearis*, quae verbis allegatis addit *vel ut restaurentur*. — Sequitur Iob 9, 12.

[12] Ita Glossa interlinearis: Iustum filium puniens. — Tres seqq. loci sunt Hebr. 12, 6; Tob. 3, 2. et Ps. 18, 10.

in futuro parcas ei; ad Hebraeos duodecimo: « Flagellat omnem filium, quem recipit »; Tobiae tertio: « Iustus es, Domine, et omnia iudicia tua iusta sunt »; item in Psalmo: « Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa ». *Ipsum quoque, qui non debet puniri,* id est per poenam temporalem corrigi, *condemnas*[1]; Glossa: Poena aeterna, parcens ei in praesenti, ut in futuro punias; unde Ezechielis decimo sexto: « Auferetur a me zelus meus, et quiescam nec irascar amplius ». *Et exterum aestimas a tua virtute;* Glossa[2]: « Id est alienum et indignum divina pietate ». Virtus enim Dei est pietas, secundum illud Gregorii: « Deus, cui proprium est misereri semper et parcere », ideo in Psalmo: « In virtute tua », id est pietate tua, « iudica me ». Vel sic: *et ipsum qui non debet puniri,* scilicet in aeternum, *condemnas,* scilicet secundum reputationem reproborum, quia ipsum in praesenti corripis; *et aestimas,* id est, aestimare facis alios, talem *exterum,* esse scilicet, *a tua virtute,* id est alienum et indignum tua pietate, sicut amici Iob[3] aestimabant ipsum indignum tua pietate, quia tam graviter punivisti eum.

(Vers. 16.). *Virtus enim tua,* id est misericordia. Opus enim iustitiae dicitur esse *alienum* a Deo, Isaiae vigesimo octavo[4], sed opus misericordiae *proprium* ei. Et hoc est, quia nobis miseretur ex bonitate propria, sed iustitiam in nos exercet ex causa nostra, scilicet propter nostram culpam. *Virtus,* inquam, *tua,* id est misericordia, *iustitiae,* scilicet nostrae, id est iustificationis nostrae, *est initium,* secundum illud Apostoli ad Titum tertio[5]: « Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit »; item ad Romanos tertio: « Iustificati gratis per gratiam ipsius ».

Item, etiam misericordia. *Et ob hoc, quod omnium Dominus es,* scilicet per potentiam, *omnibus te parcere facis,* per misericordiam; unde Glossa[6]: « Ut qui praees potentia mitescas natura »; supra undecimo: « Misereris omnium, quia omnia potes ».

Item, interdum potentia. (Vers. 17.). *Virtutem enim* tuam *ostendis,* id est potentiam in puniendo, *tu qui non crederis,* scilicet ab errantibus, *esse in virtute consummatus,* id est perfectus; Iob vigesimo secundo[7]: « Quasi nihil posset facere Omnipotens, aestimabant illum ». *Et hos qui te nesciunt,* scilicet infideles, *in audacia traducis,* id est, audacter ad poenam ducis, et hoc merito iniquitatum suarum, supra quarto: « Traducent eos ex adverso iniquitates eorum ».

Tertio ostenditur populi Dei in utroque instructio.

Divisio. *Tu autem dominator* etc. Ostensa punitione adversariorum et misericordia iudicis in puniendo, hic ostendit *instructionem populi Dei* in utroque, et

Tanguntur quatuor. primo tangit *exemplum,* per quod instruit; secundo, *misericordiam,* de qua instruit: *Docuisti;* tertio, *modum,* quo instruit: *Si enim inimicos;* quarto, *finem,* propter quem instruit: *Cum ergo nobis.*

Primo, exemplum. (Vers. 18.). *Tu autem* etc. Bene dixi, quod *ostendis* incorrigibilibus *virtutem* tuam et potentiam; *autem,* pro sed; *tu dominator virtutis* etc.; hoc potest intelligi *intransitive,* ut sit sensus: *tu dominator virtutis,* id est virtuosus; vel *transitive* sic: *dominator virtutis,* id est Dominus virtutum omnium, scilicet tam angelicarum quam humanarum; in Psalmo[8]: « Dominus virtutum, ipse est rex gloriae ». *Cum tranquillitate iudicas,* id est sine intellectus vel affectus perturbatione; Iacobi primo: « Apud quem non est transmutatio »; Isaiae quadragesimo secundo: « In veritate educet iudicium, non erit tristis neque turbulentus ». *Et cum multa*[9] *reverentia,* in effectu, id est cum multa moderatione, *disponis nos,* non sicut ille iudex, « qui nec Deum timebat nec hominem reverebatur », Lucae decimo octavo. *Subest enim tibi, cum volueris, posse;* ecce, causa tranquillitatis in iudicando et reverentiae in disponendo sive in exsequendo, scilicet quia omnipotens est; in Psalmo[10]: « Quaecumque voluit, fecit ».

Quaestio. Sed *obiicitur,* quod secundum rationem intelligendi potentia antecedit voluntatem, non voluntas potentiam. Deberet ergo dicere: subest tibi *velle,* cum potueris, non *posse,* cum volueris.

Resp. Dicendum, quod potentia praecedit in *essendo,* sed voluntas in *agendo;* unde potest multa, quae non facit, quia non vult[11].

---

[1] Pro *condemnas, et exterum,* quod exhibent etiam card. Hugo et Lyranus, Vulgata *condemnare, exterum.* — Sequitur Glossa *interlinearis: Qui non debet puniri,* in aeternum, *condemnas,* corripis, vel ipsum, qui non recipit correctionem, condemnas in perpetuum. Subinde allegatur Ezech. 16, 42, ubi pro *a me* Vulgata *a te.*

[2] Scilicet *interlinearis.* Cfr. Rabanus. — De seq. Gregorii oratione cfr. supra pag. 184, nota 4. Sequitur Ps. 53, 3.

[3] Vide Iob 4. seqq. — E codd. supplevimus *sicut amici... tua pietate.*

[4] Vers. 21: Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus; sicut in valle, quae est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus eius: ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Hieron. in hunc locum ait: Non est enim opus Domini perdere quos creavit... Non est opus eius punire peccantes, sed peregrinum et alienum ab eo, ut puniat qui Salvator est.

[5] Vers. 5. — Seq. locus est Rom. 3, 24.

[6] Nempe *interlinearis.* — Sequitur Sap. 11, 24.

[7] Vers. 17. — Subinde pro *Et hos qui te nesciunt, in audacia traducis,* quod habent etiam card. Hugo et Lyranus (qui pro *in audacia* tamen substituunt *in audaciam*), Vulgata: *Et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.* Sequitur Sap. 4, 20.

[8] Psalm. 23, 10. — Sequuntur lac. 1, 17. et Isai. 42, 3. seq. — Paulo superius ex B supplevimus: *id est virtuosus... virtutis.*

[9] Vulgata *magna;* septuaginta interpretes habent: *Et cum multa parcitate gubernas nos.* — Sequitur Luc. 18, 2: Iudex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat et hominem non reverebatur.

[10] Psalm. 113, 3. — Supplevimus e codd. *sive in exsequendo... fecit.*

[11] Cfr. I. Sent. d. 45. a. 1. q. 2.

(Vers. 19.). *Docuisti enim*[1] *populum tuum;* Secundo, de misericordia. alii vero non docentur, unde Ecclesiastici vigesimo primo: « Non erudietur qui non est sapiens in bono »; *per talia opera,* scilicet iustitiae et misericordiae simul. *Quoniam oportet esse iustum,* quia tu iustus es, *et humanum,* id est mansuetum, quia homo est animal mansuetum natura; et hoc, quia tu misericors, non solum iustus; unde in Psalmo[2]: « Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine »; item: « Misericors et miserator et iustus Dominus ». Et si Dominus, ergo et servus; unde Matthaei decimo octavo: « Nonne oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum »? Ecclesiastae septimo: « Noli esse iustus multum », scilicet in tantum, ut misericordiam excludas a tua iustitia; Samaritanus enim sauciato infudit non tantum vinum, sed et oleum simul. *Et bonae spei fecisti filios tuos,* id est de venia consequenda fideles tuos, qui filii tui sunt; unde Ioannis primo[3]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ». Haec est bona spes, de qua in Psalmo: « Sperate in eo, omnis congregatio populi »; item: « In Deo speravit cor meum, et adiutus sum »; primae Petri primo: « Sperate in eam quae vobis offertur gratiam ». *Quoniam iudicans,* id est puniens peccatores, *das locum poenitentiae in peccatis,* id est permanentibus in peccatis, scilicet exspectando eos ad poenitentiam; Isaiae trigesimo[4]: « Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri ». Locus poenitentiae est mundus iste; post egressum enim de hoc mundo non restat poenitentiae locus; propter quod Ecclesiastae undecimo: « Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit ». Chrysostomus[5]: « Tunc non erit poenitentiae locus nec satisfaciendi tempus nec restituendi virtus »; ideo Ecclesiastae nono: « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec scientia nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas ».

(Vers. 20.). *Si enim inimicos servorum tuorum,* Tertio, de modo. quoad peccatum in *proximum,* quibus, inquam, servis dicitur Lucae decimo[6]: « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit »; *et debitos morti,* quantum ad peccatum in *Deum,* qui vita est animarum, secundum Augustinum; *debitos,* inquam, *morti,* secundum illud ad Romanos primo: « Non solum qui talia agunt digni sunt morte » etc. *Cum tanta cruciasti attentione,* scilicet non simul, sed per partes et successive puniendo, ut patet in plagis Aegypti; *et liberasti*[7], scilicet eos ab istis, scilicet cruciatibus temporalibus, quia, orante Moyse, a singulis cruciatibus liberabantur; simile etiam contigit in Chananaeis. *Dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia; tempus,* scilicet vitae spatium, *et locum,* scilicet huius mundi exilium; de tempore Apocalypsis secundo[8]: « Dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret »; de loco Iob vigesimo quarto: « Dedit ei Deus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam ».

(Vers. 21.). *Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos* etc., quasi dicat: cum multa diligentia et attentione, secundum quod petebat Psalmista[9] dicens: « Exsurge et intende iudicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam ». In figura huius legitur Genesis tertio, quod Deus, iudicaturus peccatum Adae, deambulabat etc. *Filios tuos,* scilicet Sanctos, supra quinto: « Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est ». Vel: *filios tuos,* id est fideles tuos, secundum illud Ioannis primo[10]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ». *Quorum,* scilicet filiorum, *parentibus,* id est Patriarchis, ut Abraham, Genesis decimo quinto et vigesimo secundo; Isaac, Genesis vigesimo sexto; Iacob, Genesis vigesimo octavo; *iuramenta et conventiones dedisti,* id est iuratas conventiones. Nota, quod conventio est simplex promissio, iuramentum vero promissio cum attestatione rei sacrae; ad Hebraeos sexto[11]: « Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus » etc. *Bonarum promissionum,* scilicet de terra promissionis et de benedictione seminis.

(Vers. 22.). *Cum ergo* etc., quasi dicat: ita be- Quarto, de fine. neficus es et misericors adversariis; *cum ergo nobis disciplinam das,* id est poenam emendatoriam, quae

---

[1] Vulgata *autem.* — Sequitur Eccli. 21, 14. — Inferius pro *simul* A *similiter.*

[2] Psalm. 100, 1; ibid. 111, 4. est seq. locus. — Subinde allegantur Matth. 18, 33; Eccle. 7, 17. (cfr. supra Comment. in hunc locum) et Luc. 10, 34. (de Samaritano): Alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum.

[3] Vers. 12. — Sequuntur Ps. 61, 9. et 27, 7; I. Petr. 1, 13.

[4] Vers. 18. — Seq. locus est Eccle. 11, 3: Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

[5] Cfr. Concio 2. de Lazaro, n. 3, ubi dicit: Simul atque vero discesserimus illuc, non est postea in nobis situm poenitere, neque commissa diluere. Similia docet in Gen. homil. 19. n. 3. et homil. 43. n. 1; Serm. 2. in Ps. 38. in fine; in Matth. homil. 13. n. 4; in Epist. ad Rom. homil. 7. n. 3. et in Epist. I. ad Cor. homil. 23. n. 5. Pro *resistendi* ex B posuimus *restituendi.* — Sequitur Eccle. 9, 10.

[6] Vers. 16. — De seq. sententia August. cfr. supra pag. 116, nota 6. et tom. II. pag. 633, nota 5. Dein allegatur Rom. 1, 32: Quoniam qui talia agunt digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

[7] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata omittit *et liberasti.* — De decem plagis et oratione Moysi cfr. Exod. 7-11. Vide etiam supra v. 10.

[8] Vers. 21. — Sequitur Iob 24, 23.

[9] Psalm. 34, 23. — Duo seqq. loci sunt Gen. 3, 8: Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso etc.; Sap. 5, 5.

[10] Vers. 12. — Subinde allegantur Gen. 15, 5. seqq.; 22, 16. seqq.; 26, 4. et 28, 13. seq.

[11] Vers. 18. Petr. Lombard. in hunc locum: *Ut per duas res immobiles,* id est per promissionem et iuramentum, in *quibus impossibile est Deum mentiri* etc.

non est abiicienda, secundum illud Proverbiorum tertio[1]: « Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias », quia erudit; unde in Psalmo: « Disciplina tua correxit me in finem » etc. *Inimicos nostros,* qui scilicet nos oderunt, quamvis diligantur a nobis, secundum quod monet Dominus Matthaei quinto[2]: « Diligite inimicos vestros »; *multipliciter flagellas,* scilicet interius et exterius, secundum illud Psalmi: « Multa flagella peccatoris »; Glossa: « Magna distantia est inter iudicium electorum et reproborum; illos enim corripit, ut emendet; hi superbiae et perfidiae poenas luunt ». *Ut bonitatem tuam,* scilicet in praesenti, *cogitemus iudicantes,* scilicet alios, quos videmus a te flagellatos; Glossa[3]: « Felix iudex, qui bonitatem et pietatem sui iudicis semper inspicit », scilicet ut, inspecta pietate Dei iudicantis, discat pietatem habere, cum iudicat alios; in Psalmo: « Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde »; Nahum primo: « Bonus Dominus et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in se ». *Et cum de nobis iudicatur,* scilicet per immissionem tribulationum praesentium, *speremus misericordiam tuam,* scilicet in futuro, scilicet vitae aeternae mercedem; Iacobi primo[4]: « Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis » etc.; ad Romanos quinto: « Gloriamini in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem » etc.

Quarto, de adversariorum incorrigibilium propter contemptum condemnatione tanguntur sex.

Unde et illis. Hic tangitur condemnatio *adversa-*
Divisio. *riorum incorrigibilium* propter contemptum utriusque, scilicet divinae iustitiae et misericordiae; et primo tangitur *flagellum,* quo debuerunt corrigi; secundo, *convenientia flagelli: Etenim* etc.; tertio, *incorrigibilitas flagellatorum: Qui autem* etc.; quarto, *manifestatio incorrigibilitatis: In his enim*[5]; quinto, *ratio,* propter quam corrigi debuerunt: *Per haec quae putabant;* sexto, *exterminatio condemnationis,* quia correcti non sunt, ibi: *Propter quod* etc.

Expositio litteralis. De flagello.

(Vers. 23.). *Unde* etc., quasi dicat: ita tuis das disciplinam; *unde,* scilicet per oppositum; *et,* pro etiam; *illis qui in vita sua insensate et iniuste vixerunt,* quoad errorem in *fide;* vel: *in vita sua,* id est, qua sibi, non Deo vixerunt; *et iniuste,* quoad errorem in *moribus; per haec quae coluerunt,* scilicet per animalia bruta; *dedisti summa,* id est valde magna, *tormenta,* ut per ranas et muscas et locustas et vespas et huiusmodi[6]. *Per haec* etc.; scilicet in genere et sine numero vel specie.

De convenientia flagelli.

(Vers. 24.). *Etenim* ipsi *erraverunt,* non modico tempore, sed *diutius,* quod eorum peccatum aggravat, quia, sicut dicit Gregorius[7], « tanto peccata sunt deteriora, quanto diutius infelicem animam retinent obligatam ». *In via erroris,* id est infidelitatis, quae antonomastice dicitur error. De hac via dicitur Proverbiorum decimo sexto: « Est via, quae videtur homini recta, et novissima eius ducunt ad mortem ». *Deos aestimantes haec quae in animalibus sunt supervacua,* id est animalia artificialiter sculpta, non naturalia. Artificialia autem animalia dicuntur *supervacua,* quia inutilia; naturalia autem omnia habent aliquam utilitatem, ut dicit Damascenus[8]. *Deos aestimantes* etc.; ad Romanos primo: « Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis »; item in Psalmo: « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum ». Nota, quod non dicit *in vitulum,* sed *in similitudinem vituli,* quod minus est et in peius valet. *Insensatorum infantium more viventes,* quoad peccata in moribus; primae ad Corinthios decimo quarto[9]: « Nolite pueri effici sensibus »; item primae Petri secundo: « Quasi modo geniti infantes, rationabiles », non insensati. In hoc vero more infantium insensatorum vivebant, quia imagines, ut pueri, faciebant et adorabant, sicut Ismael cum Isaac legitur Genesis vigesimo primo lusisse, eum adorare luteas imagines cogendo, ut dicunt Hebraei

---

[1] Vers. 11. — Sequitur Ps. 17, 36.

[2] Vers. 44. — Subinde allegantur Ps. 31, 10. (e codd. supplevimus *scilicet interius... peccatoris*) et Glossa *ordinaria* ex Rabano.

[3] Nempe *ordinaria* ex Rabano. — Duo seqq. loci sunt Ps. 72, 1. et Nahum 1, 7.

[4] Vers. 2. — Sequitur Rom. 5, 3. seqq.: Gloriamur in etc.

[5] Verba *In his enim, quae patiebantur, moleste ferebant,* quae exhibentur etiam a Rabano, card. Hug. et Lyrano, omittit Vulgata, quae insuper paulo inferius pro *Per haec, quae putabant* (ita card. Hugo in textu et Lyranus in margine) substituit *Per haec quos putabant.* — Mox substituimus *exterminatio* pro *contaminatio.* [6] Cfr. supra 11, 16.

[7] Libr. I. Homil. in Ezech. homil. 11. n. 24: Omne enim, quod prius committitur, peccatum est. Sed si citius poenitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quae flendo et corrigendo noluit emendare quod fecerit peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod poenitentiae lamento non diluitur, peccatum simul et poena peccati, quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur etc. Cfr. XXV. Moral. c. 9. n. 22. — Paulo inferius allegatur Prov. 16, 25.

[8] Libr. II. de Fide orthod. c. 10, ubi docet, omnia creata fuisse vel ad usum, vel ad ministerium, vel ad oblectationem etc. hominis: Neque enim aut animal ullum, aut planta ulla est, cui non vis aliqua hominibus utilis a summo rerum Parente indita sit etc. — Duo seqq. loci sunt Rom. 1, 23. et Ps. 105, 20. — Inferius ex B substituimus *in peius valet* pro *peius videlicet.*

[9] Vers. 20. — Sequuntur I. Petr. 2, 2: Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite; Gen. 21, 9. seq., ubi narratur, quod cum « vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Elice ancillam hanc et filium eius » etc. Hieron. in hunc locum (Lib. Hebraic. Qq. in Gen.): Dupliciter itaque hoc ab Hebraeis exponitur: sive quod idola ludo fecerit, iuxta illud quod alibi [Exod. 32, 6.] scriptum est: *Sedit populus comedere et bibere et surrexerunt ludere;* sive quod adversum Isaac, quasi maioris aetatis, ioco sibi et ludo primogenita vindicaret etc.

(Vers. 25.). *Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti*, id est poenam, in qua deridebantur, quia per ranas et muscas et huiusmodi modica animalia et contemptibilia affligebantur, non per maiora et nobilia, ut per leones et ursos, ut patet a septimo Exodi usque ad duodecimum.

Incorrigibilitas flagellatorum.

(Vers. 26.). *Qui autem* in *ludibriis et increpationibus*, id est increpationibus ludibrio plenis, *non sunt correcti*, scilicet ab infidelitate et perversa conversatione; *dignum iudicium Dei experti sunt*, scilicet condemnationis et mortis. Ex hoc videtur innuere, quod aliqui inter flagella correcti sunt; unde et aliqui Aegyptiorum cum Israelitis iverunt, ut patet Exodi duodecimo [1]; et Gabaonitae confoederati sunt eis, ut patet Iosue nono. *In his enim* etc., quasi dicat: et merito; *in his enim, quae patiebantur*, scilicet in flagellis divinis, *moleste ferebant* [2], impatienter portando. *In quibus enim patientes*, id est sustinentes, ita quod *patientes* dicantur a *passione*, non a *patientia; indignabantur*, scilicet murmurando contra Deum; Ecclesiastici trigesimo tertio [3]: « Praecordia fatui, quasi rota carri ». *Per haec quae putabant deos*, scilicet bruta animalia; *in ipsis*, id est per ipsa, *cum exterminarentur*, id est punirentur; Baruch tertio: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt »; *videntes illum*, id est Deum, quasi sensibili experimento perpendentes; in se enim videri non potest; primae Ioannis quarto [4]: « Deum nemo vidit unquam ». *Quem olim*, scilicet in prosperitate, *negabant se nosse*, secundum illud Exodi quinto: « Nescio Dominum, et Israel non dimittam ». *Verum Deum*, esse, supple; *agnoverunt*, credulitate non voluntaria, sed per poenas extorta; talis est fides daemonum; Iacobi secundo [5]: « Daemones credunt » etc.; Isaiae vigesimo sexto: « Domine, in angustia requisierunt te ». « Oculos enim, quos culpa claudit, poena aperit », ut dicit Gregorius. Littera sic construenda: *Videntes*, scilicet Aegyptii et Chananaei, *illum quem olim negabant se nosse, agnoverunt verum Deum*, esse, supple; *agnoverunt*, inquam, *per haec quae putabant deos*, id est per bruta animalia; et hoc fuit, *cum exterminarentur in ipsis*. *Propter quod*, scilicet, quia *agnoverunt Deum*, non tamen ipsum glorificaverunt, secundum illud ad Romanos primo [6]: « Qui, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt » etc.; *et finis condemnationis illorum*, id est finalis eorum condemnatio, de qua Matthaei vigesimo quinto: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum ». Condemnationis *initium* est in separatione animae a corpore; *medium*, in cruciatu animae separatae; *finis* vero, in resurrectione, quando cruciabitur in inferno cum resumto corpore; *finis*, inquam, *condemnationis illorum*, qui in praesenti corrigi noluerunt; *veniet* [7] etc.; Gregorius: « Quos in praesenti flagella non corrigunt ad futura transmittunt »; *super illos*, quia de caelo ad eorum oppressionem, ita quod resistere non possint tanquam obruti vel oppressi; in Psalmo: « Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur » etc.

Manifestatio incorrigibilitatis.

Ratio correctionis.

Exterminatio condemnationis.

Capitulum XIII.

Secundo, de punitione per poenas graviores ordinatas ad condemnationem determinatur dupliciter.

Vani autem etc. Supra [8] determinavit de punitione adversariorum per poenas leviores ordinatas ad correctionem, hic autem de punitione eorum per poenas *graviores* ordinatas ad condemnationem. Et primo determinat de merito *culpae* ipsorum, scilicet usque ad decimum sextum capitulum; secundo, de supplicio *poenae* eorum, scilicet a decimo sexto capitulo et deinceps.

Divisio.

Primo determinatur de demerito culpae tripliciter.

Meritum *culpae* respectu condemnatoriae poenae eorum fuit idololatria, qua honorem divinum ad creaturam transtulerunt sive creaturae exhibuerunt. Et ideo primo tangitur multiplex *error idololatrantium*, scilicet isto capitulo; secundo, *detestatio idolorum*, scilicet decimo quarto capitulo; tertio, *commendatio* veri Dei, scilicet decimo quinto capitulo.

Primo agitur de errore idololatrantium.

Error idololatrantium tangitur duplex: primus, colentium Dei *creaturas;* secundus, colentium *proprias facturas: Infelices autem.*

Ipsorum error primus.

In prima primo tangitur in eis *causa* tanti erroris, scilicet ignorantia Dei; secundo, praedictae

---

[1] Vers. 38: Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis. — Iosue 9, 15: Fecitque Iosue cum eis [Gabaonitis] pacem et, inito foedere, pollicitus est, quod non occiderentur etc.

[2] Cfr. supra pag. 190, nota 5, ubi etiam lectio Vulgatae pro verbis paulo inferius positis *per haec quae putabant deos* allata est.

[3] Vers. 5. — Sequitur Baruch 3, 19.

[4] Vers. 12. — Seq. locus est Exod. 5, 2.

[5] Vers. 19. — Subinde allegatur Isai. 26, 16. De sententia Gregorii vide supra pag. 180, nota 5.

[6] Vers. 21: Quia cum etc. — Sequitur Matth. 25, 41.

[7] Vulgata in hoc versu legit: *Finis condemnationis eorum venit super illos;* card. Hugo et Lyranus: *Finis condemnationis illorum veniet super illos* (ita et Rabanus, qui omittit *super illos*). — Sententia Gregorii habetur IX. Moral. c. 45. n. 68; cfr. XXVI. c. 21. n. 37. seq. Subinde allegatur Ps. 10, 7.

[8] Cap. 11. et 12.

causae *effectus*, scilicet creaturae cultura: *Sed aut ignem;* tertio, utriusque *inexcusabilitas: Quorum si specie;* quarto, in *comparatione* ad alios idololatrantes: *Sed tamen.* — In prima tangitur duplex ignorantia, scilicet quia nec *fide agnoscebant* Deum nec *ratione cognoscebant* ipsum: *Et de his, quae videntur.*

Subdivisio.

(Vers. 1.). Dicit ergo: *Vani* etc. Ita dictum est [1], quod aliqui cognoverunt Deum inter flagella, sed eum non sunt venerati; *autem*, pro sed; *vani sunt omnes homines* etc.; Ecclesiastae primo: « Vanitas vanitatum » etc. « An ambulaverunt enim post vanitatem creaturae et vani facti sunt », ut habetur Ieremiae secundo; *vani*, inquam, vanitate *cogitationis;* unde ad Romanos primo [2]: « Evanuerunt in cogitationibus suis » etc.; item in Psalmo: « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt ». Item, vanitate *locutionis;* unde in Psalmo: « Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum » etc. Item, vanitate *operationis;* unde Ieremiae quinquagesimo primo: « Vana sunt opera eorum et risu digna ». *In quibus non subest scientia Dei*, id est cognitio de Deo per fidem. Augustinus [3]: « Neque quidquid sciri potest ab homine in rebus humanis, ubi plurimum supervacuae vanitatis et noxiae curiositatis est, huic scientiae tribuo, scilicet scientiae divinae; sed illud tantum, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua scientia non pollent » etc. *Et de his quae videntur bona*, scilicet aperte; *non potuerunt*, scilicet impotentia sequente voluntatem, non antecedente; unde Glossa [4]: « *Non potuerunt intelligere* etc., obstante caecitate peccati », secundum illud supra secundo: « Excaecavit eos malitia eorum »; in Psalmo: « Noluit intelligere, ut bene ageret »; *intelligere*, id est intellectu cognoscere; non enim sensu cognosci potest Deus; primae Ioannis quarto: « Deum nemo vidit unquam »; *eum qui est*, id est Deum, cui *esse* est *substantiale*, non accidentale; unde Hilarius [5]: « Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas ». Item, cui *esse semper praesens est*, nunquam praeteritum, aut futurum. Deus enim, secundum Augustinum [6], semper est, non fuit, aut erit, quia non novit, scilicet per experientiam, praeteritum, aut futurum. Item, cuius *esse purum* est, quia, quidquid in eo est, ipse est; Augustinus [7]: « Quidquid in Deo est Deus est ». Item, cuius *esse* ab alio non est, *immutabile* est; unde Hieronymus ad Marcellam [8]: « Deus, qui solus exordium non habet, verae *essentiae* nomen tenuit, quia in eius comparatione, qui vere est, quia incommutabilis est, quasi non sunt, quae commutabilia sunt », ut sunt omnes creaturae, secundum illud Psalmi: « Sicut operatorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es » etc.; item Malachiae tertio [9]: « Ego sum », Deus, vel « Dominus, et non mutor ». Propter rationes praedictas Moysi quaerenti nomen eius ait Exodi tertio [10]: « Ego sum, qui sum. Ait: sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos ». *Neque operibus attendentes*, quae scilicet ipse fecit, *agnoverunt, quis esset artifex*, scilicet horum, et tamen faciliter poterant cognoscere; ad Romanos primo [11]: « Invisibilia enim Dei per ea quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur ».

Primo de duplici causa erroris, sive de duplici ignorantia Dei.

(Vers. 2.). *Sed aut ignem*, scilicet Vulcanum, ut Chaldaei ignem adorantes; *aut spiritum*, id est aethera, scilicet partem aëris superiorem, quem quidam intelligebant per Iovem fulminantem; *aut citatum aërem*, id est partem inferiorem aëris, quam vocabant Iunonem; *aut gyrum stellarum*, id est caelum stellatum, ut illi qui adorabant militiam caeli, de quibus dicitur Deuteronomii decimo septimo [12]: « Ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos: solem et lunam et omnem militiam caeli »; *aut nimiam aquam*, quam scilicet vocabant Neptunum; *aut solem*, quem vocabant Phoebum vel Apollinem, quem adorabant Babylonii: *aut* [13] *lunam*, quam vocabant Dianam, vel « caeli reginam », de qua Ieremiae quadragesimo quarto. *Rectores orbis terrarum deos putaverunt*, propter aliquos effectus eorum mundo necessarios.

Secundo, de eiusdem effectu.

Nota, quod creaturas esse deos, non debuerunt putare, primo propter naturae *corporeitatem*, quia

---

[1] Cfr. cap. 12. in fine. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 1, 2; Ier. 2, 5: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me et ambulaverunt post vanitatem et vani facti sunt?

[2] Vers. 21. — Sequuntur Ps. 93, 11. et 11, 3; Ier. 51, 18.

[3] Libr. XIV. de Trin. c. 1. n. 3: Non utique quidquid... huic scientiae tribuens, sed illud tantummodo, quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur etc.

[4] Nempe *interlinearis*. — Sequuntur Sap. 2, 21; Ps. 35, 4. et I. Ioan. 4, 12.

[5] Libr. VII. de Trin. n. 11: *Esse* non est accidens nomen, sed etc.

[6] In I. Epist. Ioan. tr. 2. n. 5: Optime enim non ait: Ante Abraham ego fui, sed *ante Abraham ego sum* [Ioan. 8, 58.]. Quod enim dicitur quia fuit, non est; et quod dicitur quia erit, nondum est; ille non novit nisi *esse*. Secundum quod Deus est, *esse* novit, *fuisse* et *futurum esse* non novit. Cfr. in Ioan. Evang. tr. 99. n. 5.

[7] Magister Sententiarum, I. Sent. d. VIII. c. 8, hac de re allegat ex lib. de Fide et Symbolo, c. 9. n. 20, ubi Augustinus docet, « in Dei substantia non esse aliquid tale, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiae et non sit substantia; sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est »; et ex XV. de Trin. c. 17. n. 28, ubi de tribus divinis personis dicit, quod « sic habeatur [intelligentia, dilectio] in uniuscuiusque natura, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia ». Cfr. V. de Trin. c. 2. n. 3. et c. 4. n. 5. seqq.; VII. c. 1. n. 1. seqq.

[8] Vat. *ad Damasum*. Vide quae diximus de hoc textu tom. I. pag. 146, nota 4. — Sequitur Ps. 101, 27. et 28.

[9] Vers. 6.

[10] Vers. 14.

[11] Vers. 20.

[12] Vers. 3.

[13] Ita etiam card. Hugo; Vulgata *et*. — Sequitur Ier. 44, 18. et 19: Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginae caeli etc. — Praecedens expositio est secundum Glossam *ordinariam* ex Rabano. Cfr. Isidor., VIII. Etymolog. c. 11, quod tractat de *diis gentium*.

Deus spiritus est; Ioannis quarto [1]: « Spiritus est Deus ». Item propter *situm* et *figurae determinationem;* Deus enim ubique praesens est totus; item infigurabilis est secundum Deitatem. Item propter *virtutis* ad certos effectus *determinationem* et limitationem; Deus enim omnipotens est; supra undecimo [2]: « Misereris omnium, quia omnia potes ». Item propter naturalium *effectuum necessitatem* et inevitabilitatem; Deus enim liberi arbitrii est. Item propter *motum localem;* quia Deus immobilis est, cum sit principium omnis motus; Boethius [3]:

Stabilisque manens das cuncta moveri.

Item propter *aeternitatis defectibilitatem;* Deus enim est aeternus, creaturis autem deficit aeternitas sive deest [4].

Sensus spiritualis.

Secundum sensum spiritualem, *ignem* colunt luxuriosi; *spiritum,* superbi; *citatum aërem,* iracundi et impetuosi; *gyrum stellarum,* in scientia curiosi; *nimiam aquam,* voluptuosi; *solem* haec inferiora gignentem, cupidi; *lunam,* pigri et accidiosi.

Tertio, de utriusque inexcusabilitate.

Quorum si specie. Hic ostenditur *inexcusabilitas* eorum, quia scilicet potuerunt Creatorem cognoscere vel per creaturarum *pulcritudinem,* vel per earum *virtutem;* quod ostenditur ibi: *Aut si virtutem* etc.; vel per *utrumque simul,* quod ostenditur ibi: *A magnitudine* etc.

Expositio literalis. Primo.

(Vers. 3.). Dicit ergo: *Quorum si specie delectati,* id est pulcritudine; Danielis decimo tertio [5]: « Species decepit te » etc.; *deos putaverunt,* supple: ipsos esse; *putaverunt,* inquam, falsa et erronea opinione, cum non sit nisi unus Deus; Deuteronomii sexto: « Deus tuus unus est ». *Sciant, quanto dominator eorum,* scilicet Creator eorum, gubernator, conservator et possessor, secundum illud Iudith nono: « Deus caelorum, creator aquarum, rex universae creaturae tuae »; his *speciosior est,* scilicet qui tam speciosa fecit; *speciosior,* inquam, infinita distantia, quia Deus speciosus per essentiam, sed creaturae per participationem; supra septimo [6]: « Speciosior est sole ». *Speciei enim generator, speciei* scilicet creaturae per eius productionem, secundum illud Boethii:

Pulcrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens similique imagine formans.

Vel: *speciei,* increatae, id est Filii per aeternam generationem. *Haec omnia constituit,* scilicet superiora, media et inferiora.

Secundo.

(Vers. 4.). *Aut si virtutem,* id est potentiae magnitudinem, *et opera eorum,* id est effectus a potentia procedentes, *mirati sunt,* scilicet ita, ut ipsos esse deos crederent. *Intelligant ab ipsis* [7], id est ex eorum consideratione, secundum illud Iob duodecimo: « Interroga iumenta, et docebunt te »; *quoniam qui haec fecit,* scilicet Deus, *fortior est illis,* id est potentior; unde Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Ipse est omnipotens supra omnia opera sua et magnus vehementer »; item Iob nono: « Si fortitudo quaeritur, robustissimus est ».

Tertio.

(Vers. 5.). *A magnitudine enim speciei,* id est pulcritudinis, *et creaturae,* id est virtutis creaturarum, *cognoscibiliter,* non sensibiliter, id est oculo intellectuali, non sensibili, *poterit Creator horum videri;* Augustinus [8]: « Omnia clamant: Deus me fecit »; totus enim mundus est quasi liber quidam, in quo Creator potest cognosci per eius potentiam, sapientiam, bonitatem, relucentes in creaturis; unde Ecclesiastici vigesimo quarto [9]: « Haec omnia liber vitae »; Isidorus: « Creator per creaturam suam laudatur, et quanto sit excellentior, ex operis sui conditione monstratur ».

Quarto, de eadem in comparatione ad alios idololatras.

Sed tamen etc. Hic ostendit culpam colentium creaturas in *comparatione ad alios idololatras;* et primo ostenduntur respectu illorum aliquo modo excusabiles; secundo ostenditur, quod tamen sunt simpliciter inexcusabiles: *Iterum autem.*

Primo.

(Vers. 6.). *Sed tamen* etc., quasi dicat: sic errant illi; *sed tamen adhuc in his,* scilicet sic errantibus, *minor est querela,* id est ratio querelae, quam in adorantibus sculptilia, quia, sicut dicitur Baruch ultimo [10], « non lucebunt ut sol, neque illuminabunt ut luna », scilicet ipsa sculptilia. *Et hi enim,* scilicet qui colunt creaturas, *forsitan errant;* forsitan est hic nota libertatis arbitrii, non nota dubitationis. *Deum quaerentes,* scilicet quadam curiositate, secundum illud Actuum decimo septimo [11]: « Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae etc., quaerere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant ». *Et volentes invenire,* scilicet intentione affectus; Canticorum tertio: « Sur-

---

[1] Vers. 24. — Quod Deus sit infigurabilis, ostendit Damasc., IV. de Fide orthod. c. 16. et in Orationibus de imaginibus. Cfr. tom. III. pag. 203, nota 2. et pag. 204, nota 2.

[2] Vers. 24.

[3] Vide supra pag. 158, nota 1.

[4] Haec quae praecedunt *Nota, quod... deest* supplevimus ex A.

[5] Vers. 56. — Duo seqq. loci sunt Deut. 6, 4: Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est; Iudith 9, 17, ubi pro *rex universae creaturae tuae* Vulgata *et Dominus totius creaturae.*

[6] Vers. 29. — Subinde allegatur Boeth., III. de Consol. metr. 9.

[7] Ita Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *illis.* — Sequuntur Iob 12, 7; Eccli. 43, 30. et 31, ubi post *opera sua* Vulgata addit *terribilis Dominus;* Iob 9, 19.

[8] Enarrat. in Ps. 26. enarrat. 2. n. 12: Circumeat animus tuus per universam creaturam; undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Cfr. X. Confess. c. 6. n. 9. et 10.

[9] Vers. 32. Cfr. Breviloq. p. II. c. 11. et 12. (tom. V. pag. 229 seq.). — Seq. sententia Isidori habetur in I. Sent. c. 4. n. 2, ubi pro *ex operis sui* textus originalis *ex ipsa operis* substituit.

[10] Vers. 66. B praemittit Ps. 96, 7: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. — Inferius pro *forsitan* Vulgata *fortasse.* Priscian., XV. Grammat. c. 4: Et *fors* quidem et *forsan* et *forsitan* dubitandi sunt; *forte* vero eventus pro fortuitu, quod a fortuitus derivativo nomine fit; *fortasse* autem et *fortassis* pro temere.

[11] Vers. 26. 27. — Sequuntur Cant. 3, 2. et Boeth., III. de Consol. prosa 2: Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas.

gam et circuibo civitatem », id est creaturarum universitatem. Secundum enim Boethium de Consolatione, « mentibus hominum insita est veri bonique cupiditas ».

Quaestio. Sed *obiicitur:* quia Lucae undecimo [1] dicitur: « Omnis, qui quaerit, invenit »: ergo isti inveniunt verum Deum.

Resp. Dicendum, quod illud intelligitur de quaerentibus pie, non curiose.

(Vers. 7.). *Etenim, cum in operibus illius conversentur,* scilicet de illis *disputando* quantum ad intellectum, secundum illud Ecclesiastae tertio [2]: « Mundum tradidit disputationi eorum »; et *utendo,* scilicet quantum ad affectum et effectum, quia Matthaei quinto: « Solem suum facit oriri super bonos et malos ». *Inquirunt,* scilicet ratiocinando, *et persuasum habent,* scilicet sententiando; *quoniam bona sunt quae videntur;* Genesis primo: « Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona ». In hoc sunt isti meliores sive minus mali ipsis Manichaeis, qui haec visibilia dicunt esse mala.

Secundo. (Vers. 8. 9.). *Iterum autem nec his debet ignosci. Simplex* enim ignorantia meretur veniam; unde primae ad Timotheum primo [3]: « Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci »; sed ignorantia *crassa* et supina, non; unde primae ad Corinthios decimo quarto: « Si quis ignorat, ignorabitur ». — *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum,* id est naturas rerum saecularium cognoscere; *quomodo huius Dominum,* scilicet saeculi, *facilius non invenerunt?* quasi dicat: facilius potuissent Deum cognoscere.

Quaestio. Sed contra: Supra nono [4]: « Difficile aestimamus quae in terra sunt; quae autem in caelis sunt quis investigabit »?

Resp. Dicendum, quod non vult dicere, quod facilius potuerunt cognoscere, Deum esse horum auctorem simpliciter; sed ipsum potius esse Deum, quam ea quae colebant.

Ipsorum error secundus circa duo.

Infelices autem etc. Hic ponitur error colentium *facturas proprias,* primo, facturas proprias in materia *metallina;* secundo, in materia *lignea: Aut si quis.*

De primo. (Vers. 10.). Dicit ergo: *Infelices autem sunt,* scilicet per privationem felicitatis viae, de qua supra tertio [5]: « Sapientiam et disciplinam qui abiicit infelix est ». *Et inter mortuos,* scilicet aeterna morte, *spes illorum est,* id est exspectatio; *spes* autem hic sumitur improprie, quia *spes* proprie dicta non est nisi de bono. *Inter mortuos,* inquam, *spes illorum est,* per privationem felicitatis aeternae, secundum illud Psalmi [6]: « Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt », de manu scilicet misericordiae salvantis, non de manu iustitiae punientis. Vel primum refertur ad poenam damni in futuro, secundum ad poenam sensus. *Illorum,* inquam, *qui appellaverunt deos* etc. Et bene dicit *appellaverunt;* sunt enim dii appellatione tantum, non natura. *Opera manuum hominum,* secundum illud Psalmi [7]: « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum »; Isaiae secundo: « Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum »; *aurum et argentum,* id est facta de auro et argento quantum ad materiam, secundum illud Osee secundo: « Argentum et aurum multiplicavi eis, quae fecerunt Baal », secundum illud Isaiae secundo: « Repleta est terra auro et argento, et non est finis thesaurorum eius, et repleta est terra eius idolis ». *Artis inventionem,* id est figuram aliquam arte inventam, et hoc quantum ad formam. *Et similitudines animalium,* non ipsa animalia, sed ipsorum imaginem vel similitudinem; contra quod dicitur Deuteronomii quarto [8]: « Non facietis similitudinem omnium animalium, quae in terra sunt ». *Aut lapidem inutilem,* scilicet utilitate, quam idololatrae ei inesse credunt, quamvis sit utilis quantum ad usum naturalem, quia nihil superfluum in operibus Dei, cuiusmodi sunt creaturae; Deuteronomii trigesimo secundo [9]: « Dei perfecta sunt opera », non superflua nec diminuta. *Opus manus antiquae,* id est manus antiqui artificis, quia « in antiquis est sapientia », Iob duodecimo. Contra haec omnia dicitur Actuum decimo septimo [10]: « Genus ergo cum simus Dei, non debemus aestimare auro, vel argento, aut lapidi sculpturae artis aut cogitationis hominum divinum esse simile ».

De secundo agitur dupliciter. *Aut si quis.* Hic ponitur error colentium facturas proprias in materia *lignea;* et primo tangitur eorum error in *fabricando* vel carpentando; secundo, in *venerando: Et de substantia.* — In prima primo tangit *materiam;* secundo *formam: Et per scientiam;* tertio *situm: Et faciat ei* etc.; quarto *impotentiam: Imago* etc.

De errore in fabricando tanguntur quatuor.

De materia. (Vers. 11.). *Aut si quis artifex faber; faber* hic large sumitur pro artifice in quacumque mate-

---

[1] Vers. 10.

[2] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5, 45. et Gen. 1, 31.

[3] Vers. 13. — Sequitur I. Cor. 14, 38.

[4] Vers. 16, ubi post *in terra sunt* a textu originali plura adduntur.

[5] Vers. 11.

[6] Psalm. 87, 6. — De *spe* vide III. Sent. d. 26. per totam, praecipue a. 2. q. 4. et dub. 4.

[7] Psalm. 113, 4. — Sequuntur Isai. 2, 8; Osee 2, 8: Et argentum multiplicavi ei et aurum, quae etc.; Isai. 2, 7. et 8, ubi post *thesaurorum eius* a Vulgata plura adduntur.

[8] Vers. 16. seqq.: Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem... similitudinem omnium iumentorum, quae sunt super terram etc.

[9] Vers. 4. — Sequitur Iob 12, 12. — Superius pro *quia nihil* codd. et edd. *Michaeae secundo.*

[10] Vers. 29: Genus... auro aut argento... artis et cogitationis etc.

ria, sive lignea, sive alia, non tantum ferrea; *de silva lignum rectum secuerit;* Isaiae quadragesimo quarto[1]: « Succidit cedros, tulit ilicem » etc. *Et huius,* scilicet ligni, *docte eradat omnem corticem,* scilicet exteriorem; *et arte sua usus, fabricet diligenter vas utile;* Glossa: « Valde utile », *in conversationem vitae,* humanae scilicet; secundae ad Timotheum secundo: « In magna enim domo sunt vasa lignea et fictilia » etc.

(Vers. 12.). *Reliquias autem huius operis*[2], id est ligni praedicti, *ad praeparationem escae abutatur,* id est, utatur, secundum illud Isaiae quadragesimo quarto: « Sumsit ex eis et calefactus est, succendit et coxit panes ».

(Vers. 13.). *Et reliquum horum,* horum scilicet, quae in usus humanos posita sunt; *quod ad nullum usum*[3], scilicet humanum, *facit,* id est valet, ipsum dico *lignum curvum,* scilicet in se ipso, *et vorticibus,* id est nodis, *plenum,* scilicet exterius; *sculpat diligenter,* scilicet removendo nodositates, *per vacuitatem suam,* quia, quantumcumque ibi laboret, totus labor eius otiositas reputatur, eo quod ibi
De forma. inutiliter laboret. *Et per scientiam suae artis figuret illud,* scilicet exteriori lineatione, et hoc quoad *formam; et assimilet illud imagini hominis,* scilicet membrorum repraesentatione. Et nota, quod non dicit *assimilet homini,* sed *imagini hominis,* quia in exterioribus et non interioribus potest esse ista configuratio.

(Vers. 14. 15. 16.). *Aut alicui ex animalibus illud comparet,* id est assimilet; ad Romanos primo[4]: « In similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum » etc.; item in Psalmo: « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum ». *Perliniens,* id est exterius, *rubrica,* id est regula vel filo tracto colore rubeo, quo fit distinctio. Dicitur enim *rubrica* terra rubra et color, qui inde fit, et regula vel filum, quo fit, et ipsa tinctura, et debet semper media produci[5]. *Et rubicundum faciens fuco colorem illius; fucus* dicitur color innaturalis et quasi adulterinus. Item notandum, quod *fucus* dicitur animal api simile, quod non mellificat, sed mel devorat; item, quaedam herba, quae tingit; item, quilibet color adulterinus; item, mendacium sive fraus et dolus secundum Papiam[6]. *Et omnem maculam, quae in illo est,* scilicet ligno, *perliniens terra*[7]. — *Et faciat ei dignam cohabitationem;* unde Baruch ultimo: « Constitutis illis in domo, pleni sunt oculi eorum pulvere a pedibus introeuntium ». *Et in pariete ponens illud,* scilicet ut magis appareat, *et confirmans ferro,* id est clavis ferreis. — *Ne forte cadat;* Isaiae quadragesimo primo[8]: « Confortavit eum clavis, ne moveretur »; *prospiciens illi,* id est praevidens et praecavens; *sciens, quoniam non potest adiuvare se,* scilicet per se ipsum; unde in Psalmo: « Manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt » etc. Nec mirum; *imago enim est,* id est similitudo rei, non ipsa res; *et opus est illi adiutorium,* scilicet humanum; Baruch ultimo[9]: « Si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgent », ut patuit de Dagon, primi Regum quinto; item Ieremiae decimo: « Portata tollentur, quia incedere non valent ».

De situ.

De impotentia.

(Vers. 17.). *Et de substantia sua,* id est de possessione exteriori, *et de filiis suis,* id est de salute filiorum suorum, *et de nuptiis,* scilicet contrahendis, *votum faciens,* scilicet ei, *inquirit,* scilicet ab eo, ut petat necessaria sibi et filiis, cum tamen non sit vovendum nisi Deo, secundum illud Psalmi[10]: « Vovete et reddite Domino Deo vestro » etc.; item Isaiae decimo nono: « Vota vovebunt Domino et solvent ». *Non erubescit loqui,* scilicet ipse animam habens, *cum illo,* scilicet deo falso, *qui sine anima est;* Baruch ultimo[11]: « Cum audierint, mutum non posse loqui, offerunt illum ad Bel »; in Psalmo: « Os habent, et non loquentur ».

De errore in veneran-do.

(Vers. 18.). *Et pro sanitate,* id est sua vel suorum, *infirmum,* id est omnino impotentem, *quidem,* id est certe, *deprecatur et pro vita rogat mortuum,* id est omnino vita carentem, ita[12] quod intelligatur *mortuus* negative, non privative, quia, si privative, tunc intelligeretur aliquando vitam ha-

---

[1] Vers. 14. — Glossa inferius allegata nec a Strabo nec a Lyrano exhibetur. Card. Hugo, qui cum Lyrano pro *vas utile* substituit *vas inutile*, ait: Id est valde utile. Similiter dicit Virgilius [I. Georgic. v. 373]: « Nunquam imprudentibus imber offuit », id est valde prudentibus. — Sequitur II. Tim. 2, 20: In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea etc.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus, Vulgata *Reliquiis autem eius operis.* — Sequitur Isai. 44, 15.

[3] Pro singulari, quem etiam card. Hugo et Lyranus exhibent, Vulgata ponit pluralem: *nullos usus.*

[4] Vers. 23. — Seq. locus est Ps. 105, 20.

[5] Card. Hugo: *Perliniens rubrica,* id est rubro colore. Aliqui libri habent *rúbrica,* media correpta, quae est instrumentum, quo utuntur mulieres ad perlavandum [alias: planandum] vestes, cuius diminutivum est *rubriciuncula,* et Gallice dicitur *liche.* Isai. 44, 13. appellatur instrumentum, quo fit idolum runcina: *Artifex,* inquit, *lignarius extendit normam, formavit illud in runcina.*

[6] De diversis acceptionibus verbi *fucus* cfr. Forcellini. Papias, grammaticus, floruit circa annum 1050; Glossarium sive Vocabularium eius impressum fuit Mediolani 1476. Cfr. Migne, Patrol. Lat. tom. 144. col. 1437 seqq., et Du Cange, Glossarium etc. Praefatio, n. 44.

[7] Vulgata omittit *terra* (quod exhibetur etiam a card. Hug.) et paulo inferius pro *cohabitationem* substituit *habitationem.* — Sequitur Baruch 6, 16.

[8] Vers. 7. — Seq. locus est Ps. 113, 7.

[9] Vers. 26, ubi pro *consurgent* Vulgata *consurgunt.* — Subinde allegantur I. Reg. 5, 2-5, ubi narratur, quod Dagon coram arca semel ac iterum corruit, abscissis et in limine inventis capite et manibus; Ier. 10, 5.

[10] Psalm. 75, 12. — Sequitur Isai. 19, 21. — Paulo superius ex A substituimus *ut petat* pro *et petit.*

[11] Vers. 40, ubi pro *illum,* quod habet etiam card. Hugo, Vulgata *illud.* — Seq. locus est Ps. 113, 5. (vel 13.).

[12] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis,* IV. Metaph., text. 4, et V. text. 27. (III. c. 2. et IV. c. 22.).

buisse, sed postea privatus fuisse; quod falsum esset. *Et in adiutorium inutilem invocat,* id est non potentem iuvare se vel alium; unde Baruch ultimo [1]: « Habet in manu gladium, et se a latronibus non liberat ».

(Vers. 19.). *Et pro itinere,* id est itineris directione, *petit ab eo qui ambulare non potest,* secundum illud Psalmi [2]: « Pedes habent, et non ambulabunt » etc.; Baruch ultimo: « Sine pedibus in humeris portantur ». *Et de acquirendo,* scilicet per negotiationes, *et de operando,* scilicet per mechanicas artes, *et de omnium rerum eventu,* generaliter, *petit ab eo qui in omnibus est inutilis;* Isaiae quadragesimo quarto [3]: « Formavit deum et sculptile conflavit ad nihil utile ».

Sed videtur, idem posse Christianis obiici ima- Quaestio.
gines adorantibus.

Sed dicendum, quod non est simile: quia ido- Resp.
lolatrae adorabant imagines ut *res,* putantes, in eis aliquod vivum esse; Christiani vero adorant ut *signa* solum, et in quantum ducunt in illa quorum sunt signa [4].

Capitulum XIV.

Secundo agitur de detestatione idolorum quadrupliciter.

Iterum alius navigare etc. Postquam multipli-
Divisio. ces idololatrantium errores descripsit, hic tangit *idolorum detestationem,* et primo, ex *inutilitate ipsorum idolorum;* secundo, ex *offensa Creatoris: Similiter autem odio sunt;* tertio, ex *novitate et modo adinventionis: Non* [5] *enim erant* etc.; quarto, ex *effectu humanae corruptionis: Et non suffecerat errasse.*

Primo detestatur idola ob inutilitatem ipsorum.

Inutilitatem autem *idolorum* ostendit in parte prima exemplo navigantium in mari, a quibus invocata subvenire eis non possunt. Hanc autem *im-*
De inutilitate idolorum quatuor rationes. *potentiam* ostendit esse detestandam, primo ex *fragilitate idoli* non valentis; secundo, ex *Dei potentia* etiam sine nave salvantis: *Tua autem* etc.; tertio, ex *utilitate ipsius navis: Sed ut non essent;* quarto, *exemplo arcae Noe* genus humanum conservantis: *Sed et ab initio.*

(Vers. 1.). Dicit ergo: *Iterum alius* etc., quasi
Prima. dicat: non solum inutiliter petunt homines ab idolis adiutorium in terra, sed *iterum,* in aqua, quia *alius,* scilicet homo, *navigare cogitans,* scilicet proposito, *et per feros fluctus,* id est periculosos; unde in Psalmo [6]: « Mirabiles elationes maris »; item Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Qui navigant mare enarrent pericula eius ». *Iter facere incipiens,* scilicet propositi exsecutione, *ligno portante se, fragilius lignum invocat; invocat,* scilicet in auxilium, *lignum,* scilicet idolum, *fragilius ligno portante se,* id est navi.

(Vers. 2.). *Illud enim,* scilicet lignum idoli, *cupiditas acquirendi excogitavit;* unde ad Ephesios quinto [7] dicitur « avaritia idolorum servitus ». *Et artifex sapientia fabricavit sua; sua,* inquit, quasi dicat: non divina, « sed terrena, animali, diabolica », Iacobi tertio; Isaiae quadragesimo quinto: « Abierunt in confusionem fabricatores errorum »; et Iob decimo tertio: « Ostendens vos fabricatores mendacii »; Glossa: « Cum maior sit qui fecit, quam quod fit, facturam suam adorare insanire est ».

(Vers. 3.). *Tua autem, Pater,* quasi dicat: ita Secunda.
invocant illi idolum in regimine itineris; *autem,* pro sed; *tua, Pater,* creatione; Isaiae sexagesimo quarto [8]: « Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum » etc.; item provisione; unde Matthaei sexto: « Pater noster etc., panem nostrum » etc. *Gubernas,* omnia scilicet, *providentia,* quae, secundum Damascenum [9], « est cura Dei ad res »; de qua Iudith nono: « Iudicia tua in tua providentia posuisti ».

Ex dictis patet, quod in mundo nihil agitur a Providentia Dei.
casu et fortuna, quia, sicut dicit Plato [10], « nihil est, cuius ortum non praecesserit legitima causa ». Mundum vero administrari providentia, probat Tullius in Rhetorica sic: « Melius administrantur quae fiunt a providentia, quam quae a casu; sed mundus optime administratur: ergo » etc.

Quoniam etc., quasi dicat: hoc patet, quod omnia *providentia gubernas; quoniam dedisti,* scilicet filiis Israel, *in* [11] *mari viam,* educendo eos de

---

[1] Vers. 14: Habet etiam in manu gladium et securim, se autem de bello et a latronibus etc.

[2] Psalm. 113, 7. (vel 15.). — Sequitur Baruch 6, 25.

[3] Vers. 10: Quis formavit... utile?

[4] Cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 2.

[5] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *Neque.*

[6] Psalm. 92, 4. — Seq. locus est Eccli. 43, 26.

[7] Vers. 5. — Sequuntur Iac. 3, 15; Isai. 45, 16; Iob 13, 4. et Glossa *ordinaria* ex Rabano.

[8] Vers. 8. — Sequitur Matth. 6, 9. seqq.

[9] Libr. II. de Fide orthod. c. 29. — Seq. locus est Iudith 9, 5. — Vulgata habet *gubernat,* attamen codd. et edd. hic habent *gubernas* cum card. Hugone et Lyrano; sed hi legunt *Tu* pro *tua.*

[10] Vide supra pag. 77, nota 1. — Seq. probatio Tullii habetur I. Rhetor. c. 34: Melius accurantur quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur... Nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur... consilio igitur mundus administratur.

[11] Vulgata praemittit *et,* sed hoc etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus omittunt. — Sequuntur Exod. 14, 21. seqq.; Iosue 3, 15. seqq.; Ps. 76, 20, et Glossa *ordinaria* secundum Rabanum.

Aegypto per medium sicci maris, ut patet Exodi decimo quarto; *et inter fluctus*, scilicet fluminis Iordanis, *semitam firmissimam*, Iosue tertio. De utroque vero dicitur in Psalmo: « In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis »; Glossa: « Israelitas per mare rubrum sicco vestigio traduxit divina potentia et Iordanis aquas divisit ».

(Vers. 4.). *Ostendens*, scilicet per hoc, *quoniam potens es ex omnibus*, scilicet periculis et casibus, *sanare* [1], vel melius secundum aliam litteram, *salvare, etiam si sine rate*, id est navi, *quis adeat mare;* Isaiae quadragesimo tertio: « Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te »; unde « Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit », ut patet Matthaei decimo quarto; « Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit », ut patet secundae ad Corinthios undecimo.

(Vers. 5.). *Sed ut non essent vacua*, immo necessaria usui humano, *opera sapientiae tuae*, id est per tuam sapientiam adinventa; in Psalmo [2]: « Omnia in sapientia fecisti ». *Propter hoc etiam exiguo ligno*, scilicet modicae navi, *credunt homines animas suas*, id est vitam suam corporalem; *et transeuntes mare*, in quo tamen sunt innumerabilia pericula, *per ratem liberati sunt;* Glossa: « Creator dedit creaturae suae scientiam, qua sibi in praesenti consuleret et eius voluntati deserviret ». Tertia.

Allegorice *exiguum lignum* potest dici crux Christi propter eius abiectionem et vilitatem; primae ad Corinthios primo [3]: « Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam ». *Huic credunt homines animas suas*, scilicet in Christum crucifixum credendo et creditum adorando. *Et sic transeuntes mare*, huius mundi, scilicet crucis virtute et imitatione, *per ratem* liberantur et perveniunt ad portum salutis aeternae. Unde Damascenus [4]: « Crux est dormientium resurrectio, infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium auxilium, proficientium perfectio, animae salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum doctrix, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignum vitae aeternae ». In his autem verbis: *Exiguo* etc., primo innuitur crucis *humilitas*, cum dicitur: *Exiguo ligno;* secundo, eius *veneratio* et dignitas, cum dicitur: *Credunt homines animas suas*, homines scilicet rationales, ut beatus Andreas [5] dicens: « Suscipe me ab hominibus »; tertio, *necessitas*, cum dicitur: *Et transeuntes mare*, scilicet huius mundi, de quo in Psalmo: « Hoc mare magnum » etc.; quarto, eius *virtus* et utilitas, cum dicitur: *Per ratem liberati sunt;* primae ad Corinthios primo: « Praedicamus Christum » etc.; item: « Verbum crucis pereuntibus etc., nobis autem » etc. Expositio allegorica.

Sed et ab initio. Hic *utilitas arcae Noe* primo *ostenditur;* secundo *ipsa laudatur*, ibi: *Benedictum enim est lignum* etc.; tertio *idolum* et eius *artifex vituperatur: Per manus autem* etc. Quarta, de qua tria.

(Vers. 6.). *Sed et ab initio* etc., quasi dicat: non tantum liberat a periculo maris, sed etiam a diluvio, et hoc est quod dicit: *Sed et ab initio*, scilicet in principio secundae aetatis, scilicet tempore Noe, Genesis sexto [6]. *Cum perirent*, scilicet in diluvio, *superbi gigantes*, de quibus habetur Genesis sexto; *spes orbis terrarum*, scilicet futuri; Glossa: « Seminarium generis humani », scilicet octo personae, de quibus dicitur primae Petri tertio: « In qua paucae animae salvae factae sunt per aquam »; *ad ratem confugiens*, « id est arcam » ad modum ratis factam, quia maior fuit longitudo latitudine, Genesis sexto [7]; *remisit saeculo*, scilicet futuro post diluvium, *semen nativitatis*, scilicet tam hominum quam animalium, ut patet Genesis sexto. *Quae*, scilicet arca, *manu tua;* Glossa: « Potentia, vel Filio », secundum illud Psalmi: « Emitte manum tuam de alto » etc.; *erat gubernata*, quia nullum gubernatorem habuit nisi Deum vel Angelum eius, cum omnes homines extra existentes essent mortui, existentes intra essent clausi. Expositio litteralis. Primum.

(Vers. 7.). *Benedictum enim est lignum*, scilicet arcae Noe, *per quod fit iustitia*, scilicet liberationis iustorum, malis submersis, quod fuit iustum. De hoc ligno supra decimo [8]: « Cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum iustum gubernans ». Secundum.

Hoc autem lignum *allegorice* potest dici lignum crucis, de quo dicitur primae Petri secundo [9]: « Pec- Expositio allegorica.

---

[1] Ita Rabanus (*ex hominibus sanare*), card. Hugo et Lyranus; Vulgata *salvare*, quae etiam paulo inferius *sine arte* pro *sine rate* (ita Rabanus, card. Hugo et Lyranus). — Tres seqq. loci sunt Isai. 43, 2. Matth. 14, 28. seqq. et II. Cor. 11, 25. Duo ultimi loci exhibentur per verba orationis ex Missa pro Octava Apost. Petri et Pauli (Gregor., Lib. Sacramentorum, 6. Iulii): Deus, cuius dextera beatum Petrum etc.

[2] Psalm. 103, 24. — Subinde post *Propter hoc etiam* Vulgata addit *et*, quod in ed. Rabani (Migne) non habetur. Glossa inferius allegata est *ordinaria* ex Rabano.

[3] Vers. 23.

[4] Libr. IV. de Fide orthod. c. 11, ubi secundum ed. Migne legitur: Haec iacentium erectio est [τῶν κειμένων ἀνάστασις], stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga [ποιμαινομένων ῥάβδος], resipiscentium adminiculum etc.

[5] In Passione S. Andreae Apost. per presbyteros et diaconos ecclesiarum Achaiae scripta (apud Surium, Vitae Sanctorum; 30. Nov.), § 10: O bona crux... accipe me ab hominibus etc., redde me magistro meo etc. — Sequuntur Ps. 103, 25; I. Cor. 1, 23. et 18.

[6] Vers. 13. seqq.; ibid. v. 4. est seq. locus. — Sequuntur Glossa *interlinearis* (cfr. etiam *ordinaria* ex Rabano), ex qua etiam verba inferius posita *id est arcam*, et I. Petr. 3, 20: In qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt etc.

[7] Vers. 15: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo; ibid. v. 19. seq. est seq. locus (cfr. ibid. 7, 1. seqq.). — Sequuntur Glossa *interlinearis* et Ps. 143, 7.

[8] Vers. 4.

[9] Vers. 24. — Glossa *interlinearis* (ex Rabano): *Benedictum est enim lignum*, crucis, quo reparatus est orbis terrarum. — De definitione iustitiae inferius posita cfr. tom. III. pag. 728, nota 1.

cata nostra pertulit in corpore suo super lignum ». Per illud lignum *facta est iustitia*, quia « unicuique redditum est quod suum erat ». Nam per illud lignum *destructum est peccatum*, secundum illud quod cantat Ecclesia [1]: « Mors mortua tunc est, quando in ligno mortua vita fuit »; Osee decimo tertio: « O mors, ero mors tua » etc. Item, per ipsum est *diabolus victus*, secundum illud Gregorii: « Qui per lignum vincebat per lignum quoque vinceretur ». Item, per ipsum est *homo reconciliatus;* ad Colossenses secundo [2]: « Delens chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci »; item ad Colossenses primo: « Pacificans per sanguinem crucis ». Item, *infernus spoliatus*; ad Colossenses secundo: « Spolians principatus et potestates » etc. Item, *caelum apertum;* unde latroni dictum est: « Hodie mecum eris in paradiso », Lucae vigesimo tertio [3]; Isaiae vigesimo secundo: « Dabo clavem domus David ». Item, *Christus exaltatus;* unde ad Philippenses secundo: « Propter quod et Deus exaltavit illum » etc. Haec fuit virga Assueri in signum clementiae homini ostensa vel porrecta, Esther decimo quinto.

Crucis effectus sex.

Notandum.

(Vers. 8.). Et bene dixi, *benedictum* esse *lignum*, secundum *quod fit iustitia; autem*, pro sed; *idolum, quod fit per manus*, scilicet artificum, *maledictum est, et ipsum*, scilicet idolum, *et qui fecit illud*, scilicet artifex.

Expositio literalis. Tertium.

Sed idolum, cum sit res inanimata, quomodo maledicitur? Quia ista maledictio aut intelligitur ratione *culpae*, quae in idolum non cadit, aut ratione *poenae*, quae ratione culpae infligi habet.

Quaestio.

Dicendum, quod in idolo est considerare duo, scilicet *spiritum praesidentem* et *figuram ligni*. Ipse malignus *spiritus* maledictus est maledictione culpae et poenae; sed *lignum*, maledictione detestationis et infamiae, quasi cuiusdam poenae, non quia sit subiectum culpae, ratione cuius habet infligi poena, sed quia materia vel occasio culpae. Unde Glossa [4]: « Diabolus enim inde punietur, quod sibi honorem divinum usurpat; et homo, qui pro Creatore creaturam honorat ».

Resp.

Quia ille quidem operatus est, scilicet idolum, unde merito maledictus est; Isaiae quadragesimo quarto [5]: « Ecce, omnes participes eius confundentur ». *Illud autem*, scilicet idolum, *cum esset fragile*, quia de fragili materia; *deus cognominatus est*, scilicet sola nuncupatione, non rei veritate; propter quod merito maledicitur.

Secundo detestatur idola propter offensam Creatoris.

Similiter autem etc. Hic tangit secundam causam detestationis idolorum, sumtam *ex parte offensae Creatoris;* et primo tangit *signum offensae*, scilicet idolum, et *idololatrantis poenam;* secundo, *poenae irremissibilitatem: Propter hoc* etc.; tertio, *causam a parte idoli: Quoniam creaturae;* quarto, *causam a parte idololatrantis: Initium enim* etc.

Divisio in 4 membra.

(Vers. 9.). Bene dixi, quod utrumque maledictum etc.; *autem*, pro quia; *similiter odio sunt Deo impius*, scilicet idololatra, quia abnegat pietatem divini cultus, *et impietas eius*, id est materia impietatis eius, scilicet idolum, id est daemon praesidens idolo; Ecclesiastici duodecimo [6]: « Altissimus habet odio peccatores ». Et notandum, quod odium Dei non notat vel sonat *affectum* in ipso, sed *effectum* in eo quem odit.

Primum.

(Vers. 10.). *Etenim quod factum est*, scilicet idolum, *cum illo qui fecit*, id est cum artifice idololatra, *tormenta patietur.*

De idololatra planum est; sed de idolo, quomodo verum esse potest, scilicet quod tormentum patiatur, cum sit res inanimata?

Quaestio 1.

Dicendum, quod de idolo loquitur ratione maligni spiritus in eo praesidentis, non ex parte figurae vel materiae ipsius idoli.

Resp.

Sed contra: Idololatra non facit spiritum malignum praesidentem.

Quaestio 2.

Dicendum, quod licet non faciat ipsum in se, facit tamen, quod in idolo praesideat; sicut Deum dicimur *exaltare* et *magnificare*, non in se, sed in nobis; in Psalmo [7]: « Magnificate Dominum mecum » etc. Utrumque ergo punietur; Ecclesiastici decimo quarto: « Omne opus corruptibile in fine deficiet, et qui operatur illud ibit cum illo »; et vigesimo septimo: « Conteretur cum delinquente delictum ».

Resp.

(Vers. 11.). *Propter hoc*, scilicet quia *Deo sunt odio, et*, id est etiam, *in idolis nationum*, id est in daemonibus praesidentibus in idolis gentilium, de quibus in Psalmo [8]: « Omnes dii gentium daemonia » etc.; *non erit respectus*, scilicet clementiae; quod est contra Origenem, qui dixit, Christum pro daemonibus in aëre in fine passurum, et sic eos fore salvandos; contra quod dicitur hic et in Ecclesiastici trigesimo nono [9]: « Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua ». *Quoniam* etc.; et merito, *quoniam*

Secundum.

Tertium.

---

[1] In festo Inventionis S. Crucis (3. Maii). — Sequuntur Osee 13, 14, et verba Gregorii ex Praefatione de Cruce.

[2] Vers. 14; duo seqq. loci habentur ibid. 1, 20. et 2, 15: Exspolians etc.

[3] Vers. 43. — Sequuntur Isai. 22, 22; Phil. 2, 9. et Esther 15, 15: Cumque illa reticeret, tulit auream virgam et posuit super collum eius et osculatus est eam etc.

[4] Nempe *ordinaria* ex Rabano. Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 131. m. 3. — Superius pro *praesidentem* B *possidentem.*

[5] Vers. 11.

[6] Vers. 3. — Pro *praesidens* B *possidens.*

[7] Psalm. 33, 4. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 14, 20. et 27, 3.

[8] Psalm. 95, 5. — De opinione Origenis cfr. Hieron., Epist. 96. (sive Epist. Theophili, Alexandrini episcopi etc. a S. Hieronymo Latine reddita), n. 10, ubi etiam ille Origenis recensetur error, « dicentis, eum [Salvatorem] et pro daemonibus ac spiritualibus nequitiis apud superos affigendum cruci ».

[9] Vers. 33.

creaturae Dei, id est a Deo factae, sicut aurum et argentum; unde Osee secundo [1]: « Argentum et aurum multiplicavi eis » etc.; *factae sunt in odium*, scilicet *irascibilis*, ut Deum scilicet odiant homines, sicut daemones, de quibus in Psalmo: « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper ». *Et in tentationem animae* [2] *hominum*, id est *concupiscibilis*, ut scilicet subderent se homines quibuscumque potestatibus libere secundum voluntatem vel suggestionem deorum suorum. *Et in muscipulam*, id est deceptionem *rationalis*, et dicitur muscipula instrumentum, quo mures capiuntur: *pedibus*, scilicet interioribus id est animae, non exterioribus, scilicet corporis; *insipientium*, id est infidelium; Iob decimo octavo [3]: « Abscondita est in terra pedica eius »; item Ieremiae quinto: « Inventi sunt in populo meo viri impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros ».

(Vers. 12.). *Initium enim* etc. Bene dixi, quod *creaturae Dei* etc.; *initium enim fornicationis*, scilicet spiritualis, quae est recedendo a Deo, *est* etc.; unde Glossa [4]: « Pessimum genus fornicationis est, quo anima recedit a Deo et fornicatur cum idolis »; unde Ieremiae tertio: « Moechata est cum ligno et lapide ». Tales perduntur sive destruuntur a Deo, secundum illud Psalmi: « Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te ». *Initium enim*, inquam, *fornicationis*, praedictae, *est exquisitio idolorum.* Quartum.

Sed contra: Ecclesiastici decimo [5]: « Initium omnis peccati superbia ». Quaestio.

Respondeo: Non loquitur hic de fornicatione, quae est per quemcumque recessum a Deo, sicut est in quolibet peccato mortali, sed de illa qua recedit a Deo perfecto recessu, scilicet usque ad subversionem fidei, quae est fundamentum totius spiritualis aedificii; ad Hebraeos undecimo [6]: « Fides est sperandarum substantia rerum » etc.; item primae ad Corinthios tertio: « Fundamentum aliud nemo potest ponere » etc. Resp.

Et adinventio illorum corruptio vitae est, scilicet quoad mores; ad Romanos primo [7]: « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis sui, in immunditiam »; in Psalmo: « Da illis secundum opera eorum et secundum nequitiam adinventionum ipsorum ».

Tertio detestatur idola propter novitatem et modum inventionis.

Non [8] *enim erant.* Hic tangitur tertia ratio detestationis illorum idolorum, scilicet ex *novitate et modo suae adinventionis.* Huius adinventionis et culturae tangit plures causas: primo, *hominum curiosam otiositatem;* secundo, *parentum ad filios defunctos affectionem: Acerbo enim;* tertio, *tyrannorum timorem: Deinde* etc.; quarto, *principum reverentiam et honorem: Hos quos;* quinto, *artificum diligentiam et sollicitudinem: Provexit autem* etc.; sexto ponit *causarum principalium recapitulationem: Et haec fuit vitae.* Rationes sex.

(Vers. 13.). Bene dixi: *Exquisitio idolorum et adinventio* etc.; *non enim erant a principio*, scilicet idola, quod patet, quia non sunt *Creator;* unde Ieremiae decimo [9]: « Dii, qui caelum et terram non fecerunt, pereant de terra »; nec etiam *creatura*, quia omnis creatura a Deo est, sed idola non sunt a Deo, sed sunt hominum fictio; propter quod dicitur primae ad Corinthios octavo: « Idolum nihil est in mundo », scilicet quantum ad *esse* divinum, quod illi creditur esse ab idololatris. *Neque erunt in perpetuum*, immo destruentur, conversis hominibus ad cultum unius Dei; Isaiae decimo nono [10]: « Ascendet Dominus super nubem levem et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius ». Ratio 1.

(Vers. 14.). *Supervacuitas enim*, id est otiositas, *hominum haec* [11] *adinvenit* etc.; Ecclesiastici trigesimo tertio: « Multam malitiam docuit otiositas », scilicet otiosos, qui laborare nolebant ad quaerendum unum verum Deum et digne colendum; *in orbem terrarum*, in caelo enim nullus error talis unquam fuit. *Et ideo*, scilicet quia non semper fuerunt, *brevis illorum finis inventus est*, scilicet apud sapientes. Cito enim deserti sunt a filiis Israel tempore Moysi et a populo christiano tempore Christi vel novae legis; Ieremiae decimo [12]: « Confusus est omnis artifex in sculptili; vana sunt opera et risu digna, in tempore visitationis suae peribunt ».

(Vers. 15.). *Acerbo enim luctu dolens pater*, scilicet de morte filii, sicut David doluit de morte Absalom, secundi Regum decimo octavo [13], vel de Ratio 2.

---

[1] Vers. 8: Et argentum multiplicavi ei et aurum, quae fecerunt Baal. — Sequitur Ps. 73, 23.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *animabus*, Rabanus *animis*.

[3] Vers. 10. — Seq. locus est Ier. 5, 26, ubi Vulgata omittit *viri*. Cfr. supra pag. 166, nota 7.

[4] Nempe *ordinaria* ex Rabano. — Sequuntur Ier. 3, 9. et Ps. 72, 27.

[5] Vers. 15.

[6] Vers. 1. — Seq. locus est I. Cor. 3, 11.

[7] Vers. 24. — Sequitur Ps. 27, 4.

[8] Cfr. supra pag. 196, nota 5. — Inferius pro *modo* et *Huius adinventionis* edd. *merito* et *Finis adinventionis*.

[9] Vers. 11: Dii, qui caelos et etc. — Sequitur I. Cor. 8, 4: Nihil est idolum in mundo.

[10] Vers. 1.

[11] Vulgatae edd. recentes omittunt *haec* (quod exhibent card. Hugo et Lyranus) et fere omnes habent *advenit* pro *adinvenit*. — Seq. locus est Eccli. 33, 29.

[12] Vers. 14. et 15, ubi post *in sculptili* Vulgata plura addit, et pro *risu digna* substituit *opus risu dignum*.

[13] Vers. 33; ibid. 12, 16. seqq. est seq. locus. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* ex Rabano.

morte pueri, quem primo habuit de Bethsabee, secundi Regum duodecimo, *cito sibi rapti filii,* id est violentia mortis praerepti; *fecit imaginem;* Glossa: « Homines defunctorum amicorum simulacra sibi finxerunt, quorum contemplatione aliquod habuerunt solatium ». *Et illum qui tunc,* scilicet de recenti, *quasi homo mortuus fuerat,* cuius proprietas est esse mortalem, secundum illud secundi Regum decimo quarto [1]: « Omnes morimur » etc.; *nunc,* id est paulo post, quod est inexcusabilius, *tanquam Deum colere coepit;* Glossa: « Progressique longius, per amorem defunctorum memoriam colere coeperunt ». *Et constituit inter servos suos,* sibi timore obedientes, non ratione; *sacra,* scilicet thurificationes et laudes, *et sacrificia,* scilicet animalium immolationes. Primus autem — ut dicit Isidorus super illud Lucae undecimo [2]: « In Beelzebub, principe daemoniorum » etc. — Ninus, rex Assyriorum, Beli patris sui mortui fecit imaginem, quam tanta veneratione honoravit, ut etiam reis ad ipsam confugientibus parceret; propter quod homines imperiti statuam Beli ut Deum colere coeperunt et statuas multiplicare. Quorum quidam illud idolum vocabant *Bel,* quidam *Baal,* quidam *Baalim,* quidam *Beelzebub.*

(Vers. 16.). *Deinde interveniente tempore,* id
Ratio 3. est mora temporis, *convalescente iniqua consuetudine,* quae potius exstirpanda est quam tenenda, quia diuturnitas temporis non diminuit peccatum, sed potius auget; *hic error,* scilicet colendi idola, *tanquam lex,* sub praecepto scilicet, *custoditus est;* Ieremiae decimo [3]: « Leges populorum vanae sunt »; item Isaiae decimo: « Vae, qui condunt leges iniquas »! *Et tyrannorum imperio,* id est malorum principum, *colebantur figmenta;* unde Antiochus compellebat Iudaeos ad cultum gentium, primi Machabaeorum primo; et Nabuchodonosor cogebat statuam suam adorare, Danielis tertio.

(Vers. 17.). *Hos* [4] *quos in palam homines ho-*
Ratio 4. *norare non poterant,* id est in praesentia eorum, *propter hoc,* scilicet, *quod longe essent, e longinquo,* scilicet loco, *figura eorum allata,* scilicet in pictura, *evidentem imaginem,* scilicet sculptam imaginem, dico, *regis, quem honorare volebant, fecerunt,* scilicet tribuentes divinum honorem hominibus. Cicero [5]: « Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama et voluntate attollerent ». *Ut illum,* scilicet regem, *qui aberat,* id est, absens erat, tamen vivens, *tanquam praesentem colerent sua sollicitudine.* Glossa [6]: « Propter hominum stultitiam et pravitatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant, ipsum regem totamque gentem summis laudibus extulerunt, ita ut etiam *deos* appellarent vel pro insigni virtute, vel pro beneficiis, vel pro adulatione ». *Hos quos* etc. Littera sic est construenda: Homines fecerunt evidentem imaginem, quam honorare volebant, allata de longinquo figura illorum; hos quos in palam, id est praesentialiter, honorare non poterant, propter hoc, supple, quod longe essent; fecerunt, inquam, ut illum, qui aberat etc.

(Vers. 18.). *Provexit autem ad horum,* scilicet Ratio 5.
idolorum, *culturam, et,* id est etiam, *hos qui ignorabant,* id est ignorantes et rudes, *eximia,* id est maxima, *artificis diligentia; artificis,* inquam, diligenter et curiose idolum fabricantis et illud decorantis, secundum illud Ieremiae decimo [7]: « Argento et auro decoravit illud »; item Isaiae quadragesimo quarto: « Fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo ».

(Vers. 19.). *Ille enim,* artifex, *volens placere illi qui se assumsit,* id est, conduxit, scilicet ad faciendum idolum; haec est mala placentia, de qua in Psalmo [8]: « Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent »; item ad Galatas primo: « Si hominibus placerem, Christi servus non essem ». *Elaboravit arte sua, ut similitudinem,* id est imaginem, *in melius figuraret,* id est meliori modo, quo posset; Isaiae quadragesimo quarto [9]: « Faber ferrarius lima operatus est »; Baruch sexto: « Sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto auro fabricati sunt ».

(Vers. 20.). *Multitudo autem hominum,* scilicet stultorum; Ecclesiastae primo [10]: « Stultorum infinitus est numerus »; *abducta,* scilicet a veritate, *per speciem operis,* id est pulcritudinem; Proverbiorum ultimo: « Fallax gratia, et vana est pulcritudo »; Danielis decimo tertio: « Species decepit te »; *eum qui ante tempus,* supple: modicum, *tanquam homo honoratus fuerat,* scilicet honore duliae; *nunc Deum aestimaverunt,* honorantes eum honore latriae.

---

[1] Vers. 14; cfr. supra pag. 25, nota 2. — Sequitur Glossa *ordinaria* ex Rabano.

[2] Vers. 15. Glossa *ordinaria* in hunc locum: Ninus rex, conditor Ninive, Belo patri suo statuam consecravit eique divinos honores instituit, cuius simulacri similitudinem suscipientes Chaldaei *Bel* vocabant. Palaestini suscipientes *Baal* dicebant, Moabitae *Beelphegor.* Iudaei autem, unius Dei cultores, propter derisionem gentilium *Beelzebub* appellabant. *Baal* enim vir dicitur, *Zebub,* musca, inde *Beelzebub,* id est vir muscarum sive habens muscas propter sordes cruoris, qui in templo eius immolabatur etc. De hac Glossa cfr. Isidor., VIII. Etymolog. c. 11. n. 23-26, ubi sequitur Hieron., VII. in Ezech. 23, 11. seqq.; Lib. de situ et nominibus locorum Hebraic. (de Num. et Deut. *Beelphegor*); II. Comment. in Osee 9, 10. seq. et I. Comment. in Matth. 10, 25.

[3] Vers. 3. — Sequuntur Isai. 10, 1; I. Machab. 1, 43. seqq. et Dan. 3, 4. seqq.

[4] Ita etiam card. Hugo; Vulgata *Et hos.*

[5] Libr. II. de Natura deorum, c. 24, ubi pro *attollerent* textus originalis *tollerent.*

[6] Nempe *ordinaria* ex Rabano, qui haec verba Lactantii, I. de Div. Instit. c. 15, adducit.

[7] Vers. 4. — Sequitur Isai. 44, 13.

[8] Psalm. 52, 6. — Seq. locus est Gal. 1, 10.

[9] Vers. 12. — Sequitur Baruch 6, 8.

[10] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Prov. 31, 30. et Dan. 13, 56.

(Vers. 21.). *Et haec fuit vitae humanae deceptio*, id est causa deceptionis, causa, inquam, duplex, quasi duplex porta mortis, scilicet *amor* et *timor*, secundum Glossam super illud Psalmi [1]: « Incensa igni et suffossa » etc. *Quoniam autem affectui*, scilicet proprio in honoratione amicorum, *aut regibus*, in veneratione potentum; Glossa [2]: « Sic per populos et regiones », scilicet prae adulatione, vel prae timore, « varia sacra suscepta sunt, dum homines grati esse in suos principes cupiunt »; *deservientes*, id est devote servientes, *homines*, contra illud primae ad Corinthios septimo [3]: « Nolite effici servi hominum ». *Incommunicabile nomen;* Glossa: « Dei omnipotentis », quia scilicet, forma, a qua impositum est nomen illud *Deus*, incommunicabilis est creaturis, communicabilis tamen est personis divinis; *lapidibus et lignis imposuerunt*, contra illud praeceptum, Exodi vigesimo [4]: « Non assumes nomen Dei tui in vanum ».

Duplex porta mortis.

Sed contra: Exodi septimo [5]: « Ecce, constitui te deum Pharaonis »; item in Psalmo [6]: « Ego dixi: dii estis » etc.: ergo nomen *Dei* est communicabile creaturis.

Quaestio.

Dicendum, quod *Deus* tripliciter dicitur: *natura, adoptione, nuncupatione.* Primo modo est incommunicabile; secundo et tertio modo non [7].

Resp.

Sed contra: Quia Christo homini communicatum est nomen divinum; unde ad Philippenses secundo [8]: « Dedit illi nomen, quod est super omne nomen ».

Obiectio.

Sed dicendum, quod non est communicatum *non habenti* prius, sed *aliter* quam prius, quia hoc nomen personae convenit, non naturae, scilicet humanae, sed tamen habenti naturam humanam.

Resp.

Ad illud quod obiicitur: Dedit illi nomen etc.; dicendum, quod *datio* ibi accipitur pro *manifestatione.* Vel: dedit illi in natura humana, qui prius habebat in divina [9].

Solutio.

Quarto detestatur idola ob effectum humanae corruptionis duplicem.

Et non suffecerat. Hic tangitur ultima causa detestationis idolorum, sumta ab *effectu humanae corruptionis;* et primo tangitur in idololatris *excaecatio mentis;* secundo, *corruptio operis: Aut enim filios;* tertio, *rationabilitas excaecationis* et *corruptionis: Et omnia;* quarto, *causa utriusque: Infandorum enim.*

Rationabilitas et causa corruptionis.

(Vers. 22.). Dicit ergo: *Et non suffecerat errasse eos;* Glossa [10]: « Cum falsa religione omnibus vitiis se subdiderunt »; *errasse*, inquam, scilicet *circa Dei scientiam*, id est fidem; supra decimo tertio: « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei ». *Sed et in magno viventes inscientiae*, id est infidelitatis, *bello*, per quam scilicet infidelitatem adversus Deum bellant; unde Iob vigesimo quarto [11]: « Ipsi fuerunt rebelles lumini ». *Tot*, scilicet quoad numerum, *et tam magna*, quantum ad intensionem, vel quantum ad durationis quantitatem; *mala*, quantum ad deformitatem; *tot*, inquam, *et tam magna mala*, in quibus scilicet vivunt, *pacem appellant*, secundum illud Iob trigesimo [12]: « Et esse sub sentibus delicias computabant »; Ieremiae sexto: « Dicentes: pax, pax; et non erat pax »; Glossa: « Sub regno diaboli diversis vitiis subiecti veram pacem habere non poterant ».

De primo effectu.

Aut enim etc. Hic enumerat mala, quibus *opere* sunt corrupti: primo, malum specialiter commissum in *Deum;* secundo, specialiter commissum in *se* et in *proximum: Neque vitam.*

De secundo duo.

(Vers. 23.). Dicit ergo: *Aut enim filios suos sacrificantes*, secundum illud Psalmi [13]: « Et immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis »; Ezechielis decimo sexto: « Nunquid parva est fornicatio tua? Immolasti filios meos et dedisti, illos consecrans eis », quia, sicut dicit Glossa, « in sacris Saturni propter odium Iovis sine respectu pietatis suos parvulos immolabant ». *Aut obscura sacrificia facientes*, obscura, id est nocturna, sicut fiebat, secundum Glossam [14], « in sacris Isidis Aegyptiae et Cereris, quae sacra ardentium taedarum iactatione celebrabantur ». *Aut insaniae plenas vigilias habentes*, in sacris enim Bacchi et Cybeles, matris deorum, « ad exemplum deorum, qui in festivitate satiati noctem totam lusibus ducebant, ipsi ludebant », ut ait

Malum contra Deum.

---

[1] Psalm. 79, 17. Glossa *ordinaria* (ex August.) in hunc locum: *Incensa* etc., id est peccata. Sed *incensa* sunt, quae facit ardens [Lyranus: amens] cupiditas; *suffossa* vero, quae timor male iacens. Et haec sunt omnia peccata; quia omnia fiunt propter cupiditatem vel timorem etc.

[2] Nempe *ordinaria* ex Rabano.

[3] Vers. 23: Nolite fieri servi etc. — Sequitur Glossa *ordinaria* ex Rabano. Cfr. I. Sent. d. 2. q. 1; d. 4. q. 3. seq. et d. 23. a. 2. q. 3.

[4] Vers. 7.

[5] Vers. 1.

[6] Psalm. 81, 6.

[7] Cfr. I. Sent. d. 4. q. 3.

[8] Vers. 9: Donavit illi etc.

[9] Duplex haec solutio insinuatur in Glossa *ordinaria* in Phil. 2, 9. apud Petr. Lombard. et Lyranum: Hoc [nomen] et ante resurrectionem habuit, sed post resurrectionem quod erat in evidenti positum est, ut scirent daemones et homines, quia et tunc dicitur res *fieri*, quando *innotescit* (cfr. tom. III. pag. 293, nota 5.). Homini *donavit nomen, quod est super omne nomen*, non Deo etc. Vide August., in Ioan. Evang. tr. 104. n. 3. et II. contra Maximinum Arian. c. 2.

[10] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Sequitur Sap. 13, 1.

[11] Vers. 13.

[12] Vers. 7. — Sequuntur Ier. 6, 14, et Glossa *interlinearis* ex Rabano.

[13] Psalm. 105, 37. — Sequuntur Ezech. 16, 20. seq. et Glossa *ordinaria* ex Rabano.

[14] Scilicet *ordinariam* (ex Rabano): Sicut in sacris Isidis Aegyptiae et Cereris Eleusinae faciebant. Nam sicut ibi Osiris planctu matris inquiritur, ita hic ad incestum patrui Plutonis matrimonium rapta Proserpina. Quam quia facibus ex Aetna accensis quaesisse Ceres in Sicilia dicitur, ideo sacra eius ardentium taedarum iactatione celebrabantur. Similiter in sacris Liberi patris insaniunt et Magnae matris, ubi ad exemplum deorum [Rabanus addit: suorum], qui in festivitate satiati, noctem luxibus [Rabanus: lusibus] totam duxerunt, ludunt; quia per libidinem et immunditiam diis suis placere putabant.

Glossa [1]. Contra hoc dicitur in Psalmo: « Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit in vanitates et insanias falsas ».

(Vers. 24.). *Neque vitam*, scilicet propriam, mundam, quia « tradidit illos Deus in immunditiam », ad Romanos primo [2]; *neque nuptias mundas iam custodiunt*, contra quod ad Hebraeos decimo tertio: « Honorabile connubium, et torus immaculatus »; *iam custodiunt* etc.; « quia, sicut dicit Glossa, per libidinem et immunditiam diis suis placere putabant », et quanto quis sceleratior erat, tanto magis deo suo placere putabat. *Sed et* [3] *alius alium occidit per invidiam*, scilicet in persona sua, ut Cain Abel, Genesis quarto; et Iudaei Christum, Matthaei vigesimo septimo. *Aut adulterans contristat*, scilicet in persona sibi coniuncta; *contristat* dicit, quia magna causa tristitiae est violatio tori coniugalis; unde et secundum leges civiles data est viro licentia occidendi adulterum et adulteram in ipso actu adulterii inventos [4].

Malum contra se et proximum.

Et omnia, scilicet vitia, *commixta sunt;* unde Osee quarto [5]: « Maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt ».

Ratio utriusque.

Sanguis. Hic tangit primo quaedam peccata *spiritualia;* secundo, quaedam *carnalia: Animarum* etc. — In prima primo quaedam mala *operis;* secundo, quaedam mala *cordis: Corruptio;* tertio, quaedam mala *locutionis: Et periurium.* — Mala *operis* tangit quatuor, scilicet *vulnerationem*, cum dicit: *Sanguis; occisionem*, cum dicit: *Homicidium; furtum*, cum dicit: *Furtum; fraudem*, cum dicit: *Et fictio.*

Divisio.

Peccata spiritualia.

In opere quatuor.

(Vers. 25.). Bene dixi: *Et omnia commixta sunt*, scilicet, *sanguis*, mutua vulneratione; unde Isaiae primo [6]: « Manus vestrae plenae sanguine sunt »; item Osee quarto: « Sanguis sanguinem tetigit ». *Homicidium;* unde Michaeae septimo: « Vir fratrem suum venatur ad mortem ». *Furtum*, Isaiae primo: « Principes tui infideles, socii furum »; in Psalmo: « Si videbas furem, currebas cum eo ». *Et fictio*, id est dolus; « Dolus enim est, cum aliud agitur, et aliud praetenditur, vel simulatur [7] ».

Corruptio. Hic tangit peccata *cordis*, scilicet concupiscibilis potentiae; in Psalmo [8]: « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt » etc. *Et infidelitas*, scilicet rationalis; unde Ieremiae septimo: « Periit fides et ablata est de ore eorum ». *Turbatio*, scilicet potentiae irascibilis; unde Isaiae quinquagesimo septimo: « Non est pax impiis, dicit Dominus ». Haec sunt tria mala cordis.

In corde tria.

Deinde tangit tria mala *locutionis* dicens: *Et periurium*, scilicet vel *assertorium*, sicut est in falsis attestationibus, vel *promissorium*, ut in falsis promissionibus, contra quod dicitur Levitici decimo nono [9]: « Non periurabis ». *Tumultus*, scilicet in contentionibus et discordiis; unde Isaiae tertio: « Tumultuabitur puer contra senem ».

In locutione tria.

(Vers. 26.). *Et bonorum Dei immemoratio* [10], id est ingratitudo, quia non laudant Deum de beneficiis suis; unde Lucae decimo septimo: « Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo » etc.; in Psalmo: « Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde ». Haec sunt tria mala *locutionis*: primum in Deum et proximum; secundum in proximum; tertium in Deum, scilicet omittendo.

Animarum inquinatio etc. Hic tangit peccata *carnalia*, primo, peccata *libidinis interioris;* secundo, *commixtionis innaturalis*, ibi: *Nativitatis* etc.; tertio, *bigamiae: Nuptiarum* etc.; quarto, *adulterii: Inordinatio* etc.; quinto, *fornicationis: Et impudicitiae* etc. — Dicit ergo: *Animarum inquinatio*, scilicet per internam libidinem; unde Matthaei quinto [11]: « Iam moechatus est in corde suo »; Ieremiae quarto: « Lava a malitia cor tuum, Ierusalem » etc.; ad Titum primo: « Coinquinatae sunt illorum et mens et conscientia ». *Nativitatis immutatio*, id est naturae sive usus naturalis; ad Romanos primo: « Feminae eorum immutaverunt naturalem usum » etc. *Nuptiarum inconstantia*, scilicet uxores pro voluntate accipiendo et repudiando, cum tamen deberent esse « duo in carne una », Genesis secundo [12]; item Matthaei decimo nono: « Quod Deus coniunxit homo non separet ». *Inordinatio moechiae*, id est adulterii, contra ordinem matrimonii, contra quod Exodi vigesimo: « Non moechaberis ». *Et impudicitiae*, id est fornicationis, contra quod ad Romanos decimo tertio: « Non in cubilibus et impudicitiis ».

Peccata carnalia quinque.

Interior libido.

Opera contra naturam.

Bigamia.

Adulterium.

Fornicatio.

---

[1] Nempe *ordinaria*. Cfr. nota praecedens. — Sequitur Ps. 39, 5.

[2] Vers. 24: Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam. — Sequuntur Hebr. 13, 4, ubi post *connubium* Vulgata addit *in omnibus;* et Glossa *ordinaria*, de qua cfr. superius pag. 201, nota 14.

[3] Vulgata omittit *et*, quod card. Hugo et Lyranus exhibent. — Subinde respicitur Gen. 4, 8. et Matth. 27, 23-25.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. — Superius post *unde* edd. addunt *bene* (!).

[5] Vers. 2.

[6] Vers. 15. — Sequuntur Osee 4, 2; Mich. 7, 2; Isai. 1, 23. et Ps. 49, 18.

[7] August., in Ioan. Evang. tr. 7. n. 18: *Dolus* est, cum aliud agitur et aliud fingitur... *Dolus* fraus est, simulatio est. Enarrat. in Ps. 5. n. 8: *Dolus* enim est, cum aliud agitur, aliud simulatur. Serm. 133. (alias 8. inter ed. ex mss. Carthus. maioris), n. 4: Quid est *dolus?* Cum aliud agitur, aliud obtenditur.

[8] Psalm. 13, 1. — Sequuntur Ier. 7, 28. et Isai. 57, 21.

[9] Vers. 12. Cfr. III. Sent. d. 39. per totam. — Sequens locus est Isai. 3, 5.

[10] Hanc lectionem etiam card. Hugo exhibet, omisso *Et;* Vulgata vero vocem *bonorum* ad versum praecedentem refert, legens: *tumultus bonorum, Dei immemoratio.* — Sequuntur Luc. 17, 18. et Ps. 30, 13.

[11] Vers. 28. — Tres seqq. loci sunt Ier. 4, 14; Tit. 1, 15. et Rom. 1, 26.

[12] Vers. 24. — Sequuntur Matth. 19, 6; Exod. 20, 14. et Rom. 13, 13.

Infandorum etc. Hic ostenditur, quod idololatria est *causa huius corruptionis;* et primo ostendit, *quomodo* idololatria est causa omnium malorum in idololatris; secundo, *propter quid*, quoniam propter spem impunitatis: *Dum enim confidunt* etc.; tertio ostendit, quod hoc ipsum est eis *causa punitionis: Utraque* etc.; quarto ostendit, *quae* sit illa punitio, scilicet casus et praecipitatio in alia peccata: *Non enim* etc.

Causa corruptionis est idololatria, de qua quatuor.

(Vers. 27.). *Infandorum* etc. Ita dixi [1], quod tot et tanta mala faciunt idololatrae; *infandorum enim idolorum*, id est nefandorum, id est nominatione indignorum, secundum illud Psalmi: « Nec memor ero nominum eorum per labia mea ». *Infandorum*, inquam, *idolorum cultura omnis mali causa est*, scilicet per intellectus excaecationem et voluntatis subversionem; *et initium*, scilicet per operis inchoationem; *et finis*, per eiusdem completionem, sicut fides et cultus Dei causa est omnis boni, ut probat Apostolus ad Hebraeos undecimo [2], ubi ait: « Fides est sperandarum substantia rerum ».

Quomodo sit causa.

Sed contra: Ecclesiastici decimo [3]: « Initium omnis peccati superbia »; item primae ad Timotheum sexto [4]: « Radix omnium malorum cupiditas »: male ergo dicitur hic, quod omnium malorum initium est *infidelitas*.

Quaestio.

Dicendum, quod non est inconveniens, plura esse initia malorum secundum diversos respectus — sicut unius rei sunt *quatuor* causae, scilicet efficiens, materialis etc., et tamen *unica* in uno genere — quia ex parte rationalis *infidelitas*, ex parte concupiscibilis *cupiditas*, ex parte irascibilis *superbia* [5].

Resp.

(Vers. 28.). *Aut enim, dum laetantur, insaniunt;* Glossa [6]: « In festis et ludis », et hoc quantum ad malum in *affectione; insaniunt*, dicit, quia laetitia irrationalis insania est, sicut risus phreneticorum; Osee nono: « Insania in domo Dei eius ». *Aut certe vaticinantur falsa*, scilicet falsa prophetando, et hoc quantum ad malum *cogitationis;* tertii Regum ultimo [7]: « Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ». *Aut vivunt iniuste*, et hoc quantum ad malum *conversationis;* Ecclesiastae septimo: « Impius multo tempore vivit in malitia ». *Aut periurant*, vel *peierant* [8], et hoc quantum ad peccatum *locutionis; cito*, id est de facili, propter malam suam consuetudinem; propter quod Ecclesiastici vigesimo tertio: « Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa ».

(Vers. 29.). *Dum enim confidunt in idolis, quae sine anima sunt*, quoad vitam; *male iurantes*, scilicet ex parte rei, *per quam* iurant, quia per idolum, et ex parte rei, *pro qua* iurant, quia falsum, contra illud Ieremiae quarto [9]: « Iurabis: Vivit Dominus, in veritate et in iudicio et in iustitia ». *Noceri se non sperant*, id est non timent.

Propter quid.

Sed quomodo non timent, cum esse veros deos credant?

Quaestio.

Dicendum, quod licet ipsos ut deos colant, non tamen eis inesse omnipotentiam putant; vel non credunt, quod peccata hominum puniant. Et revera eis non possunt nocere, propter quod Ieremiae decimo [10]: « Nolite timere ea », scilicet idola, « quia nec male nec bene possunt facere »; sed tamen a Deo punientur pro peccato periurii.

Resp.

(Vers. 30.). Unde sequitur: *Utraque ergo illis evenient*, scilicet malum *culpae*, quia male iurare permittuntur; et malum *poenae*, quia propter hoc punientur; *evenient*, inquam, *digne*, scilicet pro meritis; Apocalypsis ultimo [11]: « Qui in sordibus est sordescat adhuc ». *Quoniam male senserunt de Deo attendentes idolis*, id est divinum cultum idolis tribuendo, dum iurant per idolum. *Et iniuste iuraverunt in idolo* [12], *contemnentes iustitiam*, scilicet illicitum, vel falsum iurando, et ita dupliciter errant vel peccant, scilicet, quia iurant *per quod* non debent, et quia iurant *id quod* non debent; Exodi vigesimo tertio [13]: « Per nomen externorum deorum non iurabitis ».

Hoc ipsum causa punitionis.

(Vers. 31.). *Non enim*, quasi dicat: et vere peccant sic iurando; *non enim iurantium*, scilicet sic, *est virtus* [14], id est opus virtuosum vel meritorium; *sed peccantium poena*, id est peccatum ipsum, quod etiam est poena praecedentium peccatorum et culpa in se. *Perambulat semper*, scilicet de malo in peius, *in iustorum*, id est iustarum rerum, scilicet mandatorum Dei, *praevaricationem*; Gregorius [15]: « Peccatum enim, quod per poenitentiam non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit »; nam Psalmus: « Fiat via illorum tenebrae et lubricum » etc.

Quae sit haec punitio.

---

[1] Vide v. 22-26. — Sequitur Ps. 15, 4.

[2] Vers. 1.

[3] Vers. 15.

[4] Vers. 10.

[5] Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 4. — Superius pro *unica* edd. *initia*.

[6] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Seq. locus est Osee 9, 8. — Subinde pro *phreneticorum* edd. *haereticorum*.

[7] Vers. 22. — Sequitur Eccle. 7, 16.

[8] Vulgata: *aut peierant;* card. Hugo et Lyranus: *aut periurant*. — Subinde allegatur Eccli. 23, 9.

[9] Vers. 2. Cfr. III. Sent. d. 39. dub. 1. — Ex A supplevimus *quia per idolum... iurant*.

[10] Vers. 5.

[11] Vers. 11.

[12] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *in dolo*.

[13] Vers. 13.

[14] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus, cum quibus convenit Septuaginta, omisso tamen *est;* Vulgata: *Non enim iuratorum virtus*.

[15] Libr. XXV. Moral. c. 9. n. 22: Omne quippe peccatum, quod tamen citius poenitendo non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et poena peccati. Peccatum namque, quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere etc. — Sequitur Ps. 34, 6.

Capitulum XV.

Tertio agitur de commendatione veri Dei.

Divisio in 4 membra.

Tu autem Deus noster etc. Postquam ostendit idololatrantium errorem et idolorum detestationem, hic subdit veri *Dei commendationem.* Verum autem Deum ostendit esse commendabilem, primo ex *ipsius bonitate;* secundo, ex *credentium in eum remuneratione: Etenim si peccaverimus* etc.; tertio, ex *idolorum vilitate: Sed et figulus;* quarto, ex *idololatrantium vituperatione: Omnes enim.*

Deus commendatur primo ex ipsius bonitate.

Expositio literalis.

(Vers. 1.). *Tu autem* etc., quasi dicat: talia sunt idola; *autem,* pro sed; *tu, Deus noster; Deus,* inquam, *creatione,* secundum illud Genesis primo[1]: « In principio creavit Deus »; item *gubernatione* et *conservatione;* secundum Damascenum Deus dicitur *theos* apo tou theein, id est disponere vel gubernare. Primus effectus est *potentiae,* secundus *sapientiae,* tertius *bonitatis. Noster,* scilicet cultus appropriatione, quia tantum « notus in Iudaea Deus », ut dicitur in Psalmo[2]. *Suavis,* scilicet affectui, secundum illud Psalmi: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus »; supra duodecimo: « O quam bonus et quam suavis est spiritus tuus in nobis »! *suavis,* inquam; Glossa[3]: « Inaestimabilis caritatis »; Gregorius: « O inaestimabilis dilectio caritatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti »! *Et verus es,* scilicet intellectui contemplanti; Glossa[4]: « Quia nec fallit nec fallitur »; item ad Romanos tertio: « Est autem Deus verax, omnis homo autem mendax »; utrumque autem praedictorum refertur ad bonos; *et patiens,* scilicet mala culpae dissimulando, scilicet quoad malos; unde Glossa[5]: « *Patiens,* id est diu sustinens peccantes »; Ioel secundo: « Patiens et praestabilis super malitia »; in Psalmo: « Deus iudex iustus, fortis et patiens ». *Et in misericordia disponens omnia,* quoad omnes, omnia scilicet mala poenae remittendo; in Psalmo: « Miserationes eius super omnia opera eius »; Matthaei quinto: « Et solem suum facit oriri super bonos et malos ».

Secundo commendatur ex credentium in eum remuneratione.

Etenim etc. Hic ostenditur commendabilis ex *credentium remuneratione;* et primo ostendit, quod *peccantes* sunt Deo *subiecti.* Secundo, quod *non peccantes* sunt Deo *accepti: Et si non peccaverimus* etc. Tertio ostendit, quae sit *ratio huius,* quoniam notitia et cultus Dei: *Nosse enim te.* Quarto ostendit, qui sunt huiusmodi *beneficio digni: Non enim in errorem.* Quinto, qui sunt *indigni: Malorum amatores.*

Ostenduntur quinque notanda.

De primo.

(Vers. 2.). *Etenim si* etc., quasi dicat: et vere talis es; *etenim si peccaverimus,* scilicet peccato mortali, et maxime peccato infidelitatis, quod dicitur *peccatum* antonomastice; unde Ioannis decimo sexto[6]: « Arguet mundum de peccato »; et specialiter de hoc loquitur hic. *Si peccaverimus,* inquam, *tui sumus,* id est in tua potestate et gubernatione constituti; Glossa: « Evadere non possumus, quia tua creatura sumus »; unde in Psalmo: « Si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades »; item Deuteronomii trigesimo secundo: « Non est, qui de manu mea possit eruere ». *Scientes magnitudinem tuam, magnitudinem,* dico, non *molis,* sed *virtutis,* omnia continentem et omnia destruere valentem; unde in Psalmo[7]: « Magnus Deus et magna virtus eius ».

De secundo.

Et si non peccaverimus, scilicet peccato mortali, quod est peccatum simpliciter et maxime peccatum infidelitatis, quod est peccatum antonomastice. Peccato enim veniali carere non possumus, aut si possumus, non tamen diu; unde primae Ioannis primo[8]: « Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est ». *Si non peccaverimus,* inquam; *scimus,* scilicet per fidem, *quoniam apud te sumus computati;* Glossa[9]: « Apud quem bonorum operum numerus scitur vel servatur »; in Psalmo: « Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur ». Nec solum numerati, sed etiam nominatim ascripti; Lucae decimo: « Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelis ». Dicuntur autem *boni computati* esse sicut

---

[1] Vers. 1. — Damasc., I. de Fide orthod. c. 9: Secundum nomen est Θεός (id est *Deus*), quae vox vel a verbo θέειν ducta est, quia currat et omnia circumobeat; vel ab αἴθειν, id est urere, *Deus* enim *ignis consumens est* [Deut. 4, 24.]; vel denique ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, hoc est, quia omnia conspiciat [cfr. II. Machab. 9, 5: Qui universa conspicit Dominus Deus]. Vide I. Sent. d. 2. dub. 3. — Superius A substituit *creator* pro *creatione;* in eodem cod. subinde pro *gubernatione et conservatione* secunda manus posuit *gubernator et conservator.*

[2] Psalm. 75, 2. — Sequuntur Ps. 33, 9. et Sap. 12, 1.

[3] Scilicet *interlinearis.* Rabanus: *Deus noster suavis,* quoniam ineffabilis est dilectio. — Sententia Gregorii habetur in *Praeconio paschali* (Sabbato sancto): Exsultet.

[4] Nempe *interlinearis.* Rabanus: Est *verus,* quia neminem fallit et a nemine fallitur. — Sequitur Rom. 3, 4, in quo allegatur Ps. 115, 11. (vel 2.).

[5] Scilicet *interlinearis.* Rabanus: *Patiens...* propter bonitatem enim suam patienter sustinens nos exspectat converti in melius etc. — Sequuntur Ioel 2, 13; Ps. 7, 12. et 144, 9; Matth. 5, 45.

[6] Vers. 8. — Subinde allegantur Glossa *interlinearis* (ex Rabano); Ps. 138, 8. et Deut. 32, 39.

[7] Psalm. 146, 5. — Distinctio inter magnitudinem *molis* et *virtutis* insinuatur ab August., de Quantit. animae, c. 3. n. 4.

[8] Vers. 8. Cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 1. ad 5; III. Sent. d. 3. p. I. dub. 5. et IV. Sent. d. 17. p. II. a. 2. q. 1. ad 4.

[9] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Duo seqq. loci sunt Ps. 138, 18. et Luc. 10, 20.

dilecti et *electi;* et bene possunt computari, quia pauci, secundum illud Matthaei vigesimo[1]: « Multi sunt vocati, pauci vero electi ». *Mali* autem non computantur a Deo, sicut nullus computat monetam reprobatam; ipsi autem sunt reprobata moneta, secundum illud Ieremiae sexto: « Argentum reprobum vocate eos »; item, quia infiniti, secundum illud Ecclesiastae primo: « Stultorum infinitus est numerus ». Hoc tamen non est ex impotentia Dei computantis, sed magis ex eorum indignitate. Peccator enim indignus est pane, quo vescitur, ut dicit Augustinus[2]; item infra eodem: « Luto vilior vita eius »; lutum autem nullus computaret.

(Vers. 3.). *Nosse enim* etc. Bene dixi: *si non* De tertio. *peccaverimus*, et maxime peccato infidelitatis, *quoniam sumus apud te computati; nosse enim te,* scilicet per fidem formatam, *consummata iustitia est*, id est perfectio iustitiae in praesenti; et hoc intelligendum *causaliter,* ut sit sensus: *nosse te* per fidem *est consummata iustitia*, id est causa consummatae iustitiae; fides enim iustificat, unde ad Romanos quinto[3]: « Iustificati ergo ex fide » etc.; item ibidem quarto: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam »; *et scire,* scilicet per fidem formatam, *iustitiam et virtutem tuam, iustitiam,* scilicet bonitatis, *et virtutem,* potestatis; vel: *virtutem,* id est Christum, qui est « Dei virtus et sapientia », primae ad Corinthios primo[4]; *radix est immortalitatis,* id est principium et causa aeternae beatitudinis in futuro; unde Ioannis decimo septimo: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum » etc.

Radix, id est arboris spiritualis, id est vitae Novem vitae spiritualis proprietates. iusti, qui est sicut « lignum plantatum secus decursus aquarum[5] » etc.; *radix* est fides, ut hic dicitur. *Pes,* humilitas, sicut e contrario pes impiorum est superbia, secundum illud Psalmi: « Non veniat mihi pes superbiae ». *Stipes,* in altum se erigens, est spes; ad Colossenses tertio: « Quae sursum sunt quaerite ». *Humor interior* et *viriditas* huius arboris est gratia internae devotionis; Iob octavo[6]: « Nunquid potest virere scirpus absque humore »? *Calor dirigens* est virtus caritatis; Lucae duodecimo: « Ignem veni mittere in terram » etc. *Exterior irrigatio,* doctrina spiritualis; unde Sapientia dicit Ecclesiastici vigesimo quarto: « Rigabo hortum plantationum mearum ». *Rami,* multiplicatio bonae operationis; Ezechielis trigesimo sexto[7]: « Montes Israel, ramos vestros expandite ». *Flores,* mores honestae conversationis; unde Canticorum secundo: « Flores apparuerunt in terra nostra ». *Folia,* verba discretae locutionis, secundum illud Psalmi: « Et folium eius non defluet ». *Fructus,* merces aeternae retributionis; supra tertio: « Bonorum laborum gloriosus est fructus ».

(Vers. 4.). *Non enim* etc. Bene dixi: *quoniam* De quarto. *sumus apud te computati* nos, et non alii, scilicet idololatrae; *non enim in errorem,* scilicet idololatriae, qui est error praecipuus, *induxit nos,* scilicet sicut alios, de quibus supra decimo quarto[8]: « Provexit autem ad horum culturam et hos qui ignorabant artificis eximia diligentia »; *hominum,* scilicet idola fabricantium etc., *malae artis excogitatio,* id est ad malum inducentis per deos, qui per eam figurantur. Ipsa tamen ars bona est in se, sed abusus malus; omnis enim scientia de genere bonorum est, scilicet quantum ad ipsum habitum, cum sit a Deo; Ecclesiastici primo[9]: « Omnis sapientia a Domino Deo est ». Et sciendum, quod duo tangit, *inductiva* Duo tanguntur. scilicet sive provocativa ad idololatriam, scilicet *artis diligentiam,* cum dicit: *malae artis excogitatio,* et *idoli pulcritudinem,* cum subdit: *nec umbra picturae,* id est nec pictura speciem ligni obumbrans; Ecclesiastici trigesimo octavo[10]: « Assiduitas eius variat picturam »; *labor,* scilicet artificis, *sine fructu,* scilicet utilitatis; supra tertio: « Vacua spes illorum, et labores sine fructu »; *effigies,* id est imago, *sculpta per varios colores,* distinguentes partes sculpturae; supra decimo tertio: « Rubicundum faciens fuco colorem eius ».

(Vers. 5.). *Cuius aspectus insensato,* id est infideli, *dat concupiscentiam,* scilicet occasionaliter incitando ad malum; Ecclesiastici trigesimo quarto[11]: « Vana spes et mendacium viro insensato ». *Et diligit mortuae imaginis effigiem sine anima; diligit,* inquam, *effigiem,* id est figuram ut Deum colendo, *imaginis mortuae,* id est carentis actu vitae, et haec carentia negationis, non privationis[12]; *sine anima,* id est carentis potentia vivificandi. « Anima De anima. enim est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis », ut habetur secundo de Anima[13].

(Vers. 6.). *Malorum* etc., et merito, *non indu-* De quinto. *xit,* quia *malorum amatores,* scilicet idolorum et

---

[1] Vers. 16. — Sequuntur Ier. 6, 30. et Eccle. 1, 15.

[2] Vide quae diximus tom. IV. pag. 356, nota 9, ubi etiam allegavimus Comment. in Epist. ad Tit. (inter opera Ambros.) 1, 15, in quo de peccatoribus dicitur: « Indigni habiti sunt tota uti Dei creatura ». Glossa *interlinearis* in eundem locum ait: Quia non sunt digni donis Dei. — Sequitur Sap. 15, 10.

[3] Vers. 1; ibid. 4, 3. est seq. locus.

[4] Vers. 24. — Sequitur Ioan. 17, 3.

[5] Psalm. 1, 3. — Duo seqq. loci sunt Ps. 35, 12. et Col. 3, 1.

[6] Vers. 11. — Sequuntur Luc. 12, 49. et Eccli. 24, 42: Rigabo hortum meum plantationum.

[7] Vers. 8, ubi pro *expandite* Vulgata *germinetis.* — Tres seqq. loci sunt Cant. 2, 12; Ps. 1, 3. et Sap. 3, 15.

[8] Vers. 18.

[9] Vers. 1. — Aristot., II. Magnor. Moral. c. 8. (c. 7.): Genere bonum tam scientia quam natura.

[10] Vers. 28: Assiduitas eius [architecti] variat etc. — Sequuntur Sap. 3, 11. et 13, 14.

[11] Vers. 1.

[12] Cfr. supra pag. 195, nota 12.

[13] Text. 6. (c. 1.).

peccatorum ex idolis provenientium, *digni sunt morte* [1], scilicet aeterna et temporali; ad Romanos primo: « Qui talia agunt digni sunt morte ». *Qui spem habent in talibus*, scilicet idolis, scilicet auxilium eorum invocando; Isaiae quadragesimo secundo: « Confundantur confusione qui confidunt in sculptili »; *et qui faciunt illos*, scilicet deos huiusmodi fabricando; in Psalmo: « Similes illis fiant qui faciunt ea »; *et qui diligunt*, scilicet affectu, devotionem ad idola habendo; supra eodem [2]: « Diligit mortuae imaginis effigiem » etc.; *et qui colunt*, effectu, exterius adorando; in Psalmo: « Confundantur omnes, qui adorant sculptilia »; Deuteronomii quinto: « Non adorabis deos alienos neque coles ».

Tertio commendatur Deus ex idolorum vilitate dupliciter.

Divisio. *Sed et figulus.* Hic ostenditur verus Deus esse commendabilis ex *idolorum vilitate;* hanc autem vilitatem ostendit primo ex vilitate *materiae;* secundo, ex Subdivisio. vilitate *artificis: Et cum labore.* — Et eam, scilicet vilitatem artificis, ibi ostendit, primo ex *fragilitate conditionis;* secundo, ex *vanitate intentionis* moventis: *Sed est illi cura;* tertio, ex *ignorantia Creatoris: Cinis est enim;* quarto, ex *errore conversationis: Sed et aestimaverunt;* quinto, ex *comparatione iniquitatis: Hic enim scit* etc.

Expositio literalis. Vilitas materiae. (Vers. 7.). *Sed et figulus;* ita dixi, quod *malorum amatores digni sunt morte*, scilicet *qui* idola *colunt* vel *qui faciunt; sed et figulus*, id est factor vasorum fictilium, supple: de numero illorum est; *figulus*, inquam, *mollem terram premens laboriose;* Ecclesiastici trigesimo octavo [3]: « Figulus sedens ad opus suum et convertens pedibus suis rotam », qui semper in sollicitudine positus est propter opus suum. *Fingit ad usus nostros unumquodque vas;* « in magna enim domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia », secundae ad Timotheum secundo [4]. *Et de eodem luto fingit quae munda sunt ad usus*, honestos et mundos; *et similiter quae his sunt contraria*, ut sunt illa quae deputata sunt ad usus immundos; unde ibidem: « Quaedam in honorem, quaedam in contumeliam »; ad Romanos nono: « An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam »? *Horum autem vasorum quis usus sit*, scilicet mundus, aut immundus, *iudex est figulus*, tanquam superior et eorum factor, non ipsa vasa; ibidem: « Nunquid dicit lutum figulo: Quid me fecisti sic »?

Vilitas artificis quoad quinque. Quoad conditionem. (Vers. 8.). *Et cum labore vano*, id est infructuoso; Ieremiae quinquagesimo primo [5]: « Vana sunt opera eorum et risu digna »; *deum fingit de eodem luto;* simile Isaiae quadragesimo quarto dicitur de idolis ligneis, quod pars comburitur in humanos usus, pars ut deus colitur. *Ille*, scilicet figulus, *qui paulo ante de terra factus fuerat*, per terrenam nativitatem; Genesis secundo [6]: « Formavit Deus hominem de limo terrae »; *et post pusillum*, scilicet tempus; Iob decimo quarto: « Breves dies hominis sunt »; item: « Brevi vivens tempore »; *reducit se*, merito peccatorum suorum, scilicet *in* mortem; supra primo: « Impii manibus et verbis accersierunt illam », *post* mortem et *per* mortem; *unde acceptus est*, id est in terram, de qua sumtus fuerat ex parte corporis, secundum illud Genesis tertio [7]: « Donec revertaris in terram, de qua sumtus es »; Ecclesiastae tertio: « Omnia, quae de terra facta sunt, in terram pariter revertentur ». *Repetitus animae debitum, quam*, scilicet animam, *habebat*, scilicet tanquam *debitum*, mutuatum, ut redderet cum usuris; non datum, sicut ille dives, cui dictum est Lucae duodecimo [8]: « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te »; Matthaei decimo octavo: « Tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes », scilicet animae debitum.

Quoad intentionem. (Vers. 9.). *Sed est illi cura*, quamvis scilicet labor sit vanus, *non quia laboraturus est*, et vane, de quo magis esset curandum, *laboraturus est* etiam inique, secundum illud Ieremiae nono [9]: « Ut inique agerent, laboraverunt ». *Nec quoniam illi brevis est vita*, cum tamen eo magis esset ei curandum, ut eam utiliter expenderet; Iacobi quarto: « Quae est vita vestra? Vapor est ad modicum parens ». *Sed concertatur aurificibus et argentariis*, decorem sui operis et subtilitatem illis assimilare satagendo; *sed et aerarios imitatur*. Notandum, quod *aurifices* vocat artifices, qui deos faciunt ex auro; *argentarios*, qui ex argento; *aerarios*, qui ex aere; Isaiae quadragesimo sexto [10]: « Confertis argentum de sacculo et aurum statera ponderatis, conducentes artificem, ut faciat deum ». *Et gloriam praefert*, supple: vanam suo labori vel vitae brevitati. « Gloria est frequens fama cum laude [11] »; *gloriam*, id est de hoc

---

[1] Ita Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata omittit *morte*, quae etiam inferius pro *habent* (ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus) substituit *habeant*. — Tres seqq. loci sunt Rom. 1, 32; Isai. 42, 17. et Ps. 113, 8. (cfr. 134, 18.).

[2] Vers. 5. — Sequuntur Ps. 96, 7. et Deut. 5, 7-9: Non habebis deos alienos... Non facies tibi sculptile... Non adorabis ea et non coles.

[3] Vers. 32.

[4] Vers. 20; ibid. est etiam seq. locus. — Subinde allegantur Rom. 9, 21. et 20: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid etc. — Pro *quae munda sunt ad usus* Vulgata *quae munda sunt in usum vasa.*

[5] Vers. 18, ubi Vulgata omittit *eorum.* — Sequitur Isai. 44, 15. seqq.

[6] Vers. 7. — Tres seqq. loci sunt Iob 14, 5. et 1; Sap. 1, 16.

[7] Vers. 19. — Sequitur Eccle. 3, 20; cfr. Eccli. 40, 11.

[8] Vers. 20. — Seq. locus est Matth. 18, 28.

[9] Vers. 5. — Subinde allegatur Iac. 4, 15.

[10] Vers. 6: Qui confertis aurum de sacculo et argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat deum.

[11] Ut ait Cicero, II. Rhetor. c. 55: Gloria est frequens de aliquo fama etc. Cfr. August., 83 Qq. q. 31. n. 3. — Duo seqq. loci sunt Osee 4, 7. et Phil. 3, 19.

se glorificando; in quo non esset gloriandum. *Quoniam supervacuas res,* id est inutiles, scilicet idola, *fingit,* scilicet de lutea materia facit; Osee quarto: « Gloriam eorum in ignominiam commutabo »; item ad Philippenses tertio: « Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt ».

Quoad ignorantiam Creatoris.

(Vers. 10.). *Cinis est enim* etc., quasi dicat: ita gloriatur; *enim,* pro sed; vel sic: ita gloriatur, quod tamen non deberet facere; *enim,* pro quia; *cinis,* id est res vilis, *est,* sicut, *cinis cor eius,* id est eius cogitatio, quia in cinere et pulvere, de quo deum suum fabricat, ponit cor suum; Ecclesiastici decimo [1]: « Quid superbit terra et cinis »? *Et terra supervacua,* id est inutilis, *spes illius,* id est eius desiderium et affectio, quia scilicet ponit eam in idolo terreo; supra tertio: « Vacua spes illorum »; tale enim idolum est terra vacua et nihili, de qua Ieremiae quarto: « Aspexi terram, et ecce, vacua erat et nihili ». *Et vita illius* [2], id est conversatio, est *luto vilior,* quia scilicet occupat vitam suam in idolum luteum faciendo et colendo; in Psalmo: « Ut lutum platearum delebo eos ». Vilius autem est lutum culpae luto naturae; unde Glossa: « Vita illius coeno sordidior »; secundae Petri secundo: « Sus lota in volutabro luti ».

(Vers. 11.). *Quoniam ignoravit,* scilicet ignorantia, de qua primae ad Corinthios decimo quarto [3]: « Qui ignorat ignorabitur »; *qui se finxit,* id est Deum, qui eum fecit de limo terrae ex parte corporis; in Psalmo: « Ipse cognovit figmentum nostrum »; *et qui inspiravit illi animam,* secundum illud Genesis secundo: « Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae »; *et amat* [4], scilicet magis quam Deum, *quae operatur,* scilicet idola. *Et qui insufflavit ei spiritum vitalem,* repetendum: *ignoravit,* et loquitur modo de spiritu corporeo, cum dicit: *spiritum vitalem;* Isaiae quinquagesimo septimo: « Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam »; in Psalmo: « Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam ».

Quoad errorem conversationis.

(Vers. 12.). *Sed et aestimaverunt;* ita dixi, quod Deum ignoraverunt, sed magis *aestimaverunt,* scilicet idolorum fabricatores, *vitam nostram,* scilicet naturalem, *lusum esse,* scilicet lasciviae, sicut illi, de quibus Exodi trigesimo secundo [5]: « Sedit populus manducare et bibere »; Iob vigesimo primo: « Tenet tympanum et citharam ». *Lusum esse* etc., hoc dicit, quia idola facere et colere ludo puerorum videtur simile esse, et sic qui faciunt imagines luteas et adorant. *Et conversationem vitae,* scilicet moralem, *compositam,* id est ordinatam, *ad lucrum,* scilicet avaritiae, nec solum lucrum, sed illicitum, unde subdit: *et oportere undecumque etiam ex malo acquirere,* id est ex artificio vel negotio illicito; contra quod Ecclesiastici quinto [6]: « Noli anxius esse in divitiis iniustis. Non enim proderunt tibi in die obductionis » vel ultionis « et vindictae ». Hae sunt « divitiae conservatae in malum domini sui ».

Quoad comparationem iniquitatis.

(Vers. 13.). *Hic enim* etc., quasi dicat: et vere ex malo acquirunt idola facientes; *hic enim scit, se super omnes,* alios scilicet artifices idolorum, *delinquere;* hic, inquam, *qui ex terrae materia,* quae vilior est, *fragilia vasa,* ex una parte, *et sculptilia,* id est idola, ex alia parte materiae suae, *fingit.* Unde ex horum comparatione vilitatem idolorum melius intelligit vel intelligere potest.

Quaestio.

Sed quomodo potest hoc scire, scilicet se super omnes delinquere vel peccare, cum Deum ignoret, ut dictum est [7]?

Resp.

Dicendum, quod hoc scit vel scire potest *habitu* legis naturalis scriptae in corde suo. Sed *actualiter* hoc nescit, scilicet quia non vult hoc perscrutari, cum tamen possit; vel si non potest ad plenum vel de facili, hoc est, quia excaecatus est merito infidelitatis suae [8].

Quarto commendatur Deus ex idololatrantium fatuitate.

Divisio in 2 membra.

Omnes enim. Hic ostenditur verus Deus esse commendabilis ex *idololatrantium fatuitate,* et primo, ex fatuitate idololatrantium colentium res *inanimatas,* scilicet statuas; secundo, colentium *animatas: Sed et animalia.*

Subdivisio.

In prima primo illos esse fatuos ostendit et reprehendit, qûia idola cultoribus suis *multorum malorum causa sunt;* secundo, quia *in se etiam inutilia* sunt homini: *Quoniam omnia idola;* tertio, quia *ab homine facta sunt: Homo enim;* quarto, quia *homine deteriora sunt: Melior enim est.*

Fatuitas 1. quoad quatuor. De primo.

(Vers. 14.). *Omnes enim* etc. Bene dixi, quod *hic,* qui de materia lutea facit idolum, *scit, se delinquere super omnes,* alios artifices; *omnes enim insipientes;* Glossa [9]: « Qui idola deos putant »; hoc enim est magna insipientia; Ieremiae quarto: « Filii insipientes sunt et vecordes ». *Insipientes,* dico, per defectum sapientiae vel fidei quantum ad intellectum, *et infelices,* quoad affectum; et hoc propter defectum gratiae, quae felices facit; supra decimo ter-

---

[1] Vers. 9. — Sequuntur Sap. 3, 11. et Ier. 4, 23.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *eius.* — Subinde allegantur Ps. 17, 43; Glossa *ordinaria* ex Rabano et II. Petr. 2, 22.

[3] Vers. 38. — Duo loci, qui subinde allegantur, sunt Ps. 102, 14. et Gen. 2, 7.

[4] Verba *et amat,* quae exhibentur etiam a Lyrano (cfr. card. Hugo in explicatione huius versus: *Et qui inspiravit illi animam,* vivificantem corpus, *et amat,* ipse figulus, qui operatus est idola etc.), omittuntur a Vulgata. — Sequuntur Isai. 57, 16. et Ps. 145, 4.

[5] Vers. 6. — Seq. locus est Iob 21, 12.

[6] Vers. 10. — Sequitur Eccle. 5, 12.

[7] Supra in explicatione v. 11.

[8] Cfr. Rom. 1, 19. seqq.; ibid. 2, 15. de gentibus dicitur, quod « ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis » etc.

[9] Nempe *interlinearis* secundum Rabanum. — Duo seqq. loci sunt Ier. 4. 22. et Sap. 13. 10.

tio: « Infelices sunt qui appellaverunt deos opera manuum suarum ». *Supra modum animae suae,* id est naturae suae, *superbi sunt,* scilicet contra Deum, et hoc fingendo sibi idola tanquam deos; Isaiae decimo sexto [1]: « Audivimus superbiam Moab, superbus est valde; superbia eius et arrogantia eius plus quam fortitudo eius ». Vel: *infelices supra modum,* quia infinita infelicitate, quia « vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur », Isaiae ultimo [2]. *Inimici populi tui,* scilicet persequendo credentes in Deum; *inimici,* inquam, quoad *affectum,* et persequendo *factis;* Esther decimo quarto: « Non sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute; sed robur manuum suarum idolorum potentiae deputantes, volunt tua mutare promissa »; *et improperantes illi* [3], scilicet *verbis;* in Psalmo: « Improperia exprobrantium tibi ceciderunt super me »; sicut quidam de Ephraim et Manasse nuntios Ezechiae, ad cultum Dei volentes eos revocare, irridebant, ut patet secundi Paralipomenon trigesimo.

(Vers. 15.). *Quoniam omnia idola* etc., quasi di- De secundo. cat: hoc totum malum est, *quoniam omnia* etc. Vel sic: bene dixi, quod *insipientes et infelices supra modum animae suae superbi* etc.; *quoniam omnia idola nationum,* id est gentilium non per fidem renatorum, sed in vitio nativitatis manentium [4], *deos aestimaverunt;* sic fecerunt Romani, scilicet omnia idola gentilium subiugatorum Romam ferendo et adorando et custodiendo; *quibus,* scilicet idolis, *neque oculorum visus est ad videndum,* secundum illud Psalmi [5]: « Oculos habent, et non videbunt »; *neque aures ad audiendum,* secundum illud ibidem: « Aures habent, et non audient ». *Neque nares ad percipiendum spiritum;* ibidem: « Nares habent, et non odorabunt ». *Neque digiti manuum ad tractandum,* id est palpandum aliquid; unde ibidem: « Manus habent, et non palpabunt ». *Sed et pedes eorum pigri,* id est immobiles, *ad ambulandum,* ibidem: « Pedes habent, et non ambulabunt ». Ideo dicitur Baruch sexto: « Bestiae meliores sunt illis quae possunt fugere sub tectum ac prodesse sibi ».

(Vers. 16.). *Homo enim,* cuius scilicet non est De tertio. dare sensum et motum, *fecit illos,* non genuit de substantia sua, sed figuravit de materia extrinseca; *et qui mutuatus est spiritum,* scilicet a Deo, illi reddendum, quando placebit ei; Ecclesiastae ultimo [6]: « Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum ». *Is finxit illos,* id est, de luto fecit. *Nemo enim* etc., quasi dicat: et vere sic sine sensu et motu sunt; *nemo enim sibi similem homo poterit fingere Deum,* similem, scilicet similitudine aequalitatis, qua homo similis est alii homini, licet similem similitudine alicuius exterioris repraesentationis.

(Vers. 17.). *Cum enim sit mortalis,* vitam mortalem habens, *mortuum,* id est vita carentem, *fingit manibus iniquis;* in Psalmo [7]: « In quorum manibus iniquitates sunt ». Melius autem est *mortale* quam *mortuum,* secundum illud Ecclesiastae nono: « Melior est canis vivus leone mortuo ». Et bene dixi, quod *nemo potest sibi simile* etc.; *melior enim est* De quarto. *ipse,* scilicet homo, *his quos colit.* Deus vero debet esse optimum hominis, secundum Augustinum [8], cum sit eius beatitudo. *Quia ipse quidem vixit,* aliquando, scilicet homo, *cum esset mortalis,* quod enim non vivit, non est mortale; *illi autem nunquam,* scilicet dii falsi. Iure autem praeponuntur viventia non viventibus, sentientia non sentientibus, secundum Augustinum [9].

Sed *obiicitur:* Quia supra eodem [10] dicitur: « Luto Quaestio. vilior vita illius ».

Dicendum, quod supra loquitur de vita morali, Resp. hic de naturali.

Sed et animalia etc. Hic ostenditur vituperatio Fatuitas 2, de qua tria. colentium res *animatas;* et primo ostenduntur in se esse *miserabiles;* secundo, respectu praecedentium *aliquantulum excusabiles: Insensata* etc.; tertio, *simpliciter inexcusabiles: Sed nec aspectu* etc. — Et Subdivisio. ibi ostenduntur inexcusabiles, primo per hoc, quod *colunt irrationalia;* secundo, quia *effugerunt verum Deum: Effugerunt* etc.

(Vers. 18.). *Sed et animalia;* Glossa [11]: « Non De primo. solum hominum speciem », sed et animalium imaginem, ut Aegyptii Isidem in specie bovis, Babylonii draconem, ut patet Danielis decimo quarto; *miserrimi* [12] *colunt;* Proverbiorum decimo quarto: « Miseros facit populos peccatum ». Sunt quidem *miseri*

---

[1] Vers. 6, ubi post *arrogantia eius* Vulgata addit *et indignatio eius.* — Post pauca substituimus *affectum* pro *effectum.*

[2] Vers. 24. — Sequitur Esther 14, 8. et 9: Et nunc non eis sufficit etc.

[3] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *et imperantes illi,* quae etiam paulo superius, interpunctione variata, legit: *supra modum animae* [etiam card. Hugo et Lyranus addunt *suae*] *superbi, sunt inimici populi tui.* — Subinde allegantur Ps. 68, 10: Opprobria exprobrantium etc., et II. Paralip. 30, 6-10.

[4] Cfr. supra pag. 164, nota 7. — Superius ex B supplevimus *quasi dicat... omnia etc.* Inferius pro *Romam ferendo et* edd. *perperam.* Pro *visus est* (ita etiam card. Hugo et Lyranus) Vulgata *usus est.*

[5] Psalm. 113, 5-7. sunt quatuor loci allegati; deinde sequitur Baruch 6, 67. [6] Vers. 7.

[7] Psalm. 25, 10. — Sequitur Eccle. 9, 4.

[8] Libr. I. de Moribus Eccle. cathol. c. 3. n. 4. seqq.

[9] Libr. de Vera Religione, c. 29. n. 52. seq., ubi inter alia dicit: Quaelibet namque viva substantia cuilibet non vivae substantiae naturae lege praeponitur etc. Cfr. II. de Lib. Arb. c. 3. n. 7, et tom. V. pag. 211, ubi in Breviloq. p. I. c. 2. locus August., XV. de Trin. c. 4. n. 6, refertur.

[10] Vers. 10.

[11] Nempe *interlinearis.* Rabanus: Misera gentilitas non solum humanam speciem in insensibilibus rebus formatam pro numine colebat, sed etiam ceterorum animalium species perverse adorabat etc. Cfr. supra pag. 180, nota 11. — Seq. locus est Dan. 14, 22: Et erat draco magnus in loco illo, et colebant eum Babylonii.

[12] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *miserrima,* quae lectio paulo inferius ponitur. — Sequuntur Prov. 14, 34. et Ps. 105, 20.

omnes impii et peccatores, sed *miseriores* omnes infideles, sed *miserrimi* idola colentes. Propter hoc bene dixi: *Sed et animalia miserrima colunt;* in Psalmo: « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum ». *Insensata enim; enim,* pro sed; *insensata,* id est statuae, *comparata his,* scilicet animalibus, *illis deteriora sunt,* quia, secundum Augustinum [1], melius est vivens non vivente, et sentiens non sentiente; unde Glossa: « In veritate viventia meliora sunt mortuis, et sensibilia insensibilibus, et rationalia irrationalibus. Sed dignum fuit, ut qui Creatorem ignorabant in creaturis distinctionem non scirent ».

De secundo.

(Vers. 19.). *Sed nec aspectu* etc. Ita dictum est, quod idola nec audiunt nec vident aliquid vel cognoscunt; nec solum illa nihil vident, *sed nec aspectu aliquod* [2] *ex his animalibus bona potest conspicere. Sed nec aspectu,* quasi dicat: non solum in absentia per imaginationem, sed nec in praesentia per sensum; *aliquod ex his animalibus,* quae scilicet colunt, *bona potest conspicere,* id est bona aspiciendo cognoscere; et intelligendum est de bonis honestis, quae sunt bona simpliciter, ut sunt virtutes et huiusmodi; non de bonis utilibus, vel delectabilibus, quae sunt bona secundum quid [3]. *Effugerunt autem* etc., quasi dicat: ita *miserrimi colunt animalia; autem,* pro sed, *effugerunt* etc. Vel: *autem,* hoc est certe colendo animalia, *effugerunt Dei laudem et benedictionem eius,* quasi dicat: nec ipsum Deum laudaverunt nec benedixerunt; *laudem* pro eius bonitate in se, *et benedictionem* pro eius beneficentia ad nos. Contra quae duo dicitur in Psalmo [4]: « Confitemini Domino, quoniam bonus », scilicet *in se,* « quoniam in saeculum misericordia eius », id est, quoniam beneficentia misericordiae eius ad omnes se extendit; et dicit *effugerunt,* non solum intus corde non laudantes et non benedicentes, sed nec ore confitentes, contra quod ad Romanos decimo [5]: « Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem ».

De tertio duo. Colunt irrationalia.

Effugerunt Deum.

Capitulum XVI.

Secundo determinatur de supplicio poenae culpabilium.

Propter hàec et his similia etc. Postquam a decimo tertio capitulo egit de merito culpae quoad poenas graviores ordinatas ad condemnationem impiorum, hic agit de *supplicio poenae,* et primo de poenis *antecedentibus mortem,* scilicet in isto capitulo et decimo septimo; secundo, de poenis *inferentibus mortem,* scilicet capitulo decimo octavo et decimo nono.

Divisio.

Primo agitur de duabus poenis antecedentibus mortem.

In prima primo agit de poena *sensus,* scilicet de plagarum immissione, scilicet capitulo isto; secundo, de poena *damni,* scilicet de lucis subtractione, capitulo decimo septimo.

De poena sensus duplici.

In prima primo de poena inflicta per res *animatas;* secundo, de poena inflicta per res *inanimatas: Negantes enim te.*

Prima poena sensus, inflicta per res animatas.

In prima primo tangitur Aegyptiorum per vilia animalia et nociva *punitio;* secundo, econtra Hebraeorum per delectabilia animalia *consolatio: Pro quibus* etc.; tertio, eorum ab animalibus nocivis *liberatio: Etenim;* quarto, praedictae punitionis et liberationis *ratio: In hoc autem.*

Tanguntur quatuor.

(Vers. 1.). *Propter haec,* scilicet quia miserrimi colebant idola [6], sive propter idololatriae peccata, *et his similia,* id est propter alia peccata idololatriae praedictis similia, *passi sunt digne tormenta;* ad Ephesios quinto: « Propter haec venit ira Dei in filios diffidentiae »; Deuteronomii vigesimo quinto: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus ». Non enim debet esse dedecus culpae sine decore iustitiae vel vindictae, secundum Augustinum [7]. *Et per multitudinem bestiarum,* terram scilicet eorum vastantium, ut muscarum, locustarum et ranarum et huiusmodi; *exterminati sunt,* id est graviter afflicti, et forte aliqui eorum occisi; supra duodecimo: « Per haec quae coluerunt, dedisti eis summa tormenta »; Deuteronomii trigesimo secundo: « Dentes bestiarum immittam in eos ».

Expositio litteralis. De primo.

---

[1] Vide supra pag. 208, nota 9. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* ex Rabano.

[2] Pro *aliquod,* quod etiam card. Hugo et Lyranus ponunt, Vulgata *aliquis.*

[3] Cfr. supra pag. 165, nota 4. — Superius e codd. supplevimus *id est bona aspiciendo cognoscere.*

[4] Psalm. 105, 1. Vat. omittit *quoniam in saeculum... quoniam.*

[5] Vers. 10.

[6] Respicitur supra 15, 18. — Subinde verbis *et his* Vulgata interserit *per,* quod etiam card. Hugo et Lyranus omittunt. — Duo seqq. loci sunt Eph. 5, 6. et Deut. 25, 2.

[7] Libr. III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44. aliisque locis saepe a Bonav. allegatis. Vide supra pag. 140, nota 1. — Subinde allegantur Sap. 12, 23. et Deut. 32, 24.

Pro quibus tormentis etc. Hic tangitur *Israelitarum consolatio*, et primo ponitur consolationis *modus;* secundo, *causa: Ut illi;* tertio, *celeritas: Hi autem;* quarto, *accelerationis opportunitas: Oportebat* etc.

De secundo iterum quatuor.

(Vers. 2.). *Pro quibus tormentis*, id est loco quorum tormentorum, quasi e contrario; *bene disposuisti populum tuum*, scilicet Israeliticum, qui erat eius « populus peculiaris », ut habetur Deuteronomii septimo [1]. *Quibus*, id est cui populo, *dedisti concupiscentiam delectamenti sui*, id est concupitum delectabile; « desiderium enim, si compleatur, delectat animam », ut habetur Proverbiorum decimo tertio. *Novum saporem*, in cibum novi saporis, *escam parans eis ortygometram*, et dicitur ille avis, scilicet coturnix, ortygometra, ut dicunt ab Ortygia terra, in qua primo visa est et inde abducta [2]; vel *escas parans* etc.; et tunc secundum aliquos ponitur hic plurale pro singulari, cum dicit: *escas parans eis ortygometram*, id est coturnicem, secundum illud Psalmi [3]: « Petierunt, et venit coturnix » etc.; Exodi decimo sexto: « Factum est vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra »; item Numerorum undecimo: « Ventus autem Domini egrediens coturnices arreptas trans mare detulit » etc. Sed non oportet, quod pro singulari ponatur plurale, quia potest glossari sic: *escas*, id est loco escarum.

Consolationis modus.

(Vers. 3.). *Ut illi quidem*, scilicet filii Israel, *concupiscentes escam*, scilicet carnium Aegypti, Exodi decimo sexto [4], *propter ea*, scilicet coturnices, *quae illis ostensa sunt*, scilicet ad desiderandum, *et missa*, scilicet ad comedendum, *etiam a necessaria concupiscentia*, id est valde urgenti, *averterentur*, id est, ne amplius carnes Aegypti et reditum in Aegyptum desiderarent; in Psalmo [5]: « Concupierunt concupiscentiam in deserto »; item Numerorum undecimo: « Populus flagravit desiderio carnium », cum tamen dicatur Ecclesiastici decimo octavo: « Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere ». *Hi autem*, scilicet filii Israel, *in brevi inopes facti*, id est modico tempore, quia eorum inopia parum duravit; Deus enim cito subvenit, secundum illud Isaiae sexagesimo quinto [6]: « Antequam clament, ego exaudiam »; *inopes*, id est cibo indigentes; *novam gustaverant escam*, id est insolitam vel insolitarum avium.

Eiusdem causa.

Item, celeritas.

(Vers. 4.). *Oportebat enim* etc., quasi dicat: et recte sic factum; *oportebat enim*, id est opportunum erat, *illis*, scilicet Aegyptiis, *sine excusatione quidem*, scilicet culpae, pro qua puniebantur; ad Romanos primo [7]: « Ita, ut sint inexcusabiles »; item ibidem secundo: « Propter quod inexcusabilis es, o homo »; *supervenire interitum*, scilicet poenae interimentis supplicium a summo iudice ad eorum oppressionem; Iob decimo octavo: « Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius, et calcet super eum quasi rex interitus »; item Proverbiorum vigesimo nono: « Viro, qui corripientem dura cervice contempserit, repentinus ei superveniet interitus ». *Illis*, dico Aegyptiis, *exercentibus tyrannidem*, id est crudele imperium in filios Israel, opprimendo eos duris operibus, ut patet Exodi primo [8] et quinto, et in flumine pueros eorum submergendo, ut patet Exodi primo. *His autem*, scilicet Israeliticis, *tantum ostendere*, supple: oportebat; *quemadmodum inimici eorum exterminabantur*, ut sic, visa eorum poena, corrigerentur, secundum illud Proverbiorum decimo nono [9]: « Pestilente flagellato, stultus sapientior erit »; item ibidem vigesimo primo: « Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus ».

Accelerationis opportunitas.

Etenim etc. Hic primo ostenditur *periculi gravitas;* secundo, *liberationis celeritas: Sed non in perpetuum;* tertio, *liberantis virtus* sive potestas: *Qui enim.*

De tertio tria.

(Vers. 5.). Dicit ergo: *Etenim*, quasi: bene dixi: *his autem tantum ostendere* etc.; *etenim*, pro quia; *cum illis*, scilicet filiis Israel, *supervenit saeva bestiarum ira*, scilicet ab offensa superni iudicis, quem offenderant murmurando contra ipsum, ut patet Numerorum vigesimo primo [10]: « Misit Dominus in populum serpentes ignitos ». *Morsibus perversorum colubrorum*, quia efficaces erant ad nocendum, *exterminabantur*, scilicet aliqui eorum; unde primae ad Corinthios decimo: « Murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt et a serpentibus perierunt ».

Periculi gravitas.

(Vers. 6.). *Sed non in perpetuum*, id est sine fine, ita quod poena aeterna temporali continuaretur, sicut in Herode, Actuum duodecimo [11]. *Ira tua,*

Liberationis celeritas.

---

[1] Vers. 6. — Sequitur Prov. 13, 19.

[2] Isidor., XII. Etymolog. c. 7. n. 64. et 65: *Coturnices*, a sono vocis dictae, quas Graeci ὄρτυγας vocant, eo quod primum visae fuerint in Ortygia insula. Hae adveniendi habent tempora; nam aestate depulsa, maria transmeant. *Ortygometra* dicitur quae gregem ducit [ab ὄρτυξ, i. e. coturnix, et μήτηρ, i. e. mater, aut μήτρα, i. e. matrix], eam terrae propinquantem accipiter videns rapit, ac propterea cura est universis ducem sollicitare externi generis, per quam caveant prima discrimina etc. Cfr. Plinius, X. Nat. Hist. c. 33.

[3] Psalm. 104, 40. — Duo seqq. loci sunt Exod. 16, 13. et Num. 11, 31, ubi pro *Domini* Vulgata *a Domino*.

[4] Vers. 3.

[5] Psalm. 105, 14. — Sequuntur Num. 11, 4: Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, iunctis sibi pariter filiis Israel, et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Eccli. 18, 30.

[6] Vers. 24.

[7] Vers. 20; ibid. 2, 1. est seq. locus. — Subinde allegantur Iob 18, 14. et Prov. 29, 1, ubi pro *contempserit* Vulgata *contemnit*.

[8] Vers. 10-14. et 5, 6. seqq.; ibid. 1, 22. est seq. locus.

[9] Vers. 25; ibid. 21, 11. est seq. locus.

[10] Vers. 6. — Sequitur I. Cor. 10, 9. et 10: Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore.

[11] Vers. 23: Confestim autem percussit eum Angelus etc. — Sequuntur Ier. 3, 12: Quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum; Habacuc 3, 2.

id est irae tuae effectus, non animi tui affectus, secundum illud: « Ego Dominus, et non irascor »; *permansit*, scilicet in filiis Israel; Habacuc tertio: « Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis ». *Sed ad correptionem*, non ad condemnationem, *in brevi*, id est modico tempore, *turbati sunt*, id est afflicti, scilicet exterius et inde *turbati*, interius; Isaiae quinquagesimo quarto [1]: « Ad punctum in modico dereliqui te etc., et in momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui »; Ieremiae trigesimo: « Te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius ». *Signum habentes salutis;* Glossa [2]: « Serpentem aeneum pro signo positum, cuius aspectu sanabantur », ut patet Numerorum vigesimo primo. *Ad commemorationem mandati legis tuae*, scilicet custodiendae, secundum illud Psalmi: « Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea », sicut puer negligens flagellatur, ut lectionem suam repetat et confirmet.

Liberantis virtus.

(Vers. 7.). Et bene dixi: *signum habentes*, non causam; *qui enim conversus est*, scilicet vel interius per poenitentiam ad Deum, vel exterius ad serpentem aeneum ad aspiciendum; *non per id quod videbatur* [3], scilicet oculo corporali, *sanabatur*, id est non per serpentem aeneum; *sed per te, Salvatorem omnium*, per dictum serpentem significatum; Ioannis tertio: « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis »; sicut etiam mortuus non potuit suscitari per Elisei baculum, cui non in hoc obediebat, sed per ipsum, ut habetur quarti Regum quarto.

De quarto duo.

In hoc autem ostendisti etc. Hic subiungitur praedictae *punitionis et liberationis ratio*, scilicet ostensio divinae iustitiae et misericordiae, et primo ex parte Aegyptiorum punitorum ostensio *divinae iustitiae;* secundo, ex parte Hebraeorum liberatorum ostensio *divinae misericordiae* et quaedam causae aliae: *Filios autem tuos.*

Ostensio divinae iustitiae.

(Vers. 8.). *In hoc autem*, scilicet in Aegyptiorum afflictione et Israelitarum facili liberatione, *ostendisti*, id est, ostendere voluisti, quamvis illi non viderint; unde non possunt conqueri nisi de caecitate oculorum suorum, sicut si alicui lippo ostendatur sol lucens, et ille non videat, secundum Augustinum [4]; *inimicis nostris*, scilicet Aegyptiis; mali enim sunt inimici iustorum, scilicet active, non passive, quia scilicet odiunt iustos, quamvis diligantur ab eis; *ostendisti*, inquam, *quia tu es*, scilicet solus, *qui liberas ab omni malo;* in Psalmo [5]: « Multae tribulationes iustorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus ».

Quaestio.

CONTRA: Cur multi non liberantur a malo?

Resp.

Dicendum, quod sic est intelligendum: liberat omnes, qui liberantur, sicut illud Ioannis primo [6]: « Illuminat omnem hominem » etc., scilicet qui illuminatur.

(Vers. 9.). *Illos enim*, scilicet Aegyptios te non colentes, *locustarum et muscarum occiderunt morsus; locustarum*, Exodi decimo [7]; et *muscarum*, Exodi octavo; *occiderunt*, ad litteram aliquem eorum, quamvis non legatur ibi expresse. *Et non est inventa sanitas animae illorum*, Aegyptiorum scilicet, sicut filiis Israel a serpentibus; in Psalmo: « Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae » etc.; Ieremiae trigesimo: « Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua ». *Quia digni erant*, scilicet exigentibus eorum meritis, *ab huiusmodi*, scilicet vilibus animalibus, *exterminari;* unde Augustinus super Ioannem [8]: « Populum superbum Pharaonis Dominus domare potuit ursis et leonibus, sed muscas et res vilissimas immisit, ut eorum superbia domaretur ». Eadem ratione et homines pulicibus affliguntur; unde Augustinus: « Quid te inflas, humana superbia? Pulicibus resiste, ut dormias ».

Item, divinae misericordiae dupliciter.

Filios autem tuos etc. Hic ostenditur multiplex *ratio liberationis* Hebraeorum; sed ut ordinate procedat, primo repetit eorum *liberationem;* secundo, *liberationis multiplicem rationem: Misericordia enim tua.*

Liberatio.

(Vers. 10.). *Filios autem tuos*, id est Israelitas; Exodi quarto [9]: « Primogenitus meus Israel »,

---

[1] Vers. 7. et 8. — Seq. locus est Ier. 30, 11.

[2] Nempe *interlinearis:* Serpentem... positum, quem percussi aspicientes sanabantur. Num. 21, 9. — Subinde allegatur Ps. 102, 18.

[3] Ita septuaginta interpretes; Vulgata: *non per hoc quod videbat.* — Inferius allegantur Ioan. 3, 14. et IV. Reg. 4, 31. seqq. — Verba *cui non in hoc obediebat* in edd. posita sunt supra post *significatum*, sed incongrue et falso secundum sensum; bene autem referuntur ad Elisei baculum, cui revera *mortuus* non obediebat, ut narratur loco cit. Ed. Parisiensis (D. Peltier) non feliciter verba eodem loco retenta coniectando sic mutavit: *cui, non huic, obediebat.*

[4] In Ioan. Evang. tr. 1. n. 19: Ergo fratres, quomodo homo positus in sole caecus, praesens est illi sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus... caecus est corde. Praesens est sapientia, sed cum caeco praesens est, oculis eius absens est, non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quid ergo faciat iste? Mundet, unde possit videri Deus. Quomodo, si propterea videre non posset, quia sordidos et saucios oculos haberet, irruente pulvere vel pituita vel fumo, diceret ille medicus: purga de oculo tuo quidquid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuorum. Pulvis, pituita, fumus peccata et iniquitates sunt; tolle inde ista omnia, et videbis sapientiam, quae praesens est, quia Deus est ipsa sapientia etc. — Vat. allegat Prolog. in I. de Doctr. christiana, n. 3.

[5] Psalm. 33, 20. [6] Vers. 9.

[7] Vers. 13. seqq. et 8, 17. — Sequuntur Ps. 37, 4. et Ier. 30, 12.

[8] Tract. 1. n. 15: « Populum Pharaonis superbum potuit Deus domare de ursis, de leonibus, de serpentibus; muscas et ranas illis immisit, ut rebus vilissimis superbia domaretur ». Ibid. paulo superius: Quid est, quod te inflas, humana superbia? Homo tibi dixit convicium, et tumuisti et iratus es; pulicibus resiste, ut dormias; cognosce, qui sis.

[9] Vers. 22: Filius meus primogenitus Israel. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 12. et Deut. 8, 15.

filios, inquam, *tuos*, per fidem, secundum illud Ioannis primo: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius »; *nec draconum venenatorum vicerunt dentes*, id est serpentum ignitorum; Deuteronomii octavo: « Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens et scorpio ac dipsas ». Loquitur hic de bonis, qui filii Dei sunt, non de malis.

Liberationis quinque rationes.

Misericordia enim tua; ostenditur autem hic *ratio multiplex liberationis Israelitarum*, quarum prima fuit *pietas Dei;* secunda, *periculum desperationis: In memoria enim;* tertia, *virtus divini sermonis: Etenim neque herba;* quarta, *ostensio divinae pietatis: Tu es enim, Domine;* quinta, *humana fragilitas: Homo autem* etc.

Ratio prima.

Bene dixi: *filios autem tuos,* id est Israelitas, *nec draconum venenatorum dentes,* id est morsus serpentum ignitorum, *vicerunt; misericordia enim tua,* id est effectus misericordiae tuae, *adveniens sanabat illos;* in Psalmo [1]: « Si dicebam: Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adiuvabat me »; Ieremiae trigesimo tertio: « Obducam cicatricem tuam et dabo tibi sanitatem »; « ipse enim vulnerat et medetur », Iob quinto.

Secunda.

(Vers. 11.). *In memoria enim sermonum tuorum,* id est per remunerationem mandatorum tuorum, *exterminabantur,* aliqui scilicet illorum, *et velociter sanabantur,* vel *salvabantur* [2], scilicet *alii* poenitentes, visa morte vel poena aliorum; iuxta illud Psalmi: « Cum occiderent eos », id est aliquos ex eis, « quaerebant eum » id est alii poenitentes. Vel: iidem *exterminabantur,* id est graviter puniebantur, *et velociter sanabantur, ne in altam,* id est profundam, *incidentes,* id est intus cadentes, *oblivionem,* scilicet desperationis, scilicet propter adiutorii et remedii dilationem; *non possent tuo uti adiutorio,* id est gratiae tuae liberantis, ipsi, dico, facti indigni misericordia tua propter desperationem; Proverbiorum decimo octavo [3]: « Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit »; in Psalmo: « Obliti sunt Deum, qui salvavit eos » etc.

Tertia.

(Vers. 12.). Et bene dixi: *in memoria sermonum tuorum; etenim,* pro quia; *neque herba,* id est potio ex herbis confecta, quae bibendo intra sumitur; *neque malagma,* id est emplastrum, quod extra loco doloris superponitur; *sanavit eos,* scilicet a morsibus serpentum. *Sed sermo tuus, Domine,* id est mandatum de serpente aeneo faciendo et aspiciendo, Numerorum vigesimo primo [4]; *qui,* scilicet sermo, *sanat omnia,* scilicet quae sanantur; unde hic est *distributio accommoda;* in Psalmo: « Misit verbum suum et sanavit eos ». Vel: *Sermo,* increatus, id est Filius, de quo Ioannis primo: « In principio erat Verbum »; iste Sermo, secundum Glossam, « curat corpora et a spiritualibus bestiis animas sanat »; Matthaei quarto: « Sanans omnem languorem et omnem infirmitatem ».

Quarta.

(Vers. 13.). *Tu enim es, Domine.* Bene dixi, quod *sermo tuus sanat omnia; tu enim es, Domine,* scilicet Creator omnium, *qui vitae et mortis habes potestatem,* id est vivificandi et mortificandi, secundum illud primi Regum secundo [5]: « Dominus mortificat et vivificat » etc.; item Ecclesiastici undecimo: « Mors et vita a Deo sunt ».

Quaestio.

Sed contra: Quia dicitur supra primo [6]: « Deus mortem non fecit ».

Resp.

Respondeo: dicendum, quod quamvis mortis non sit Deus causa meritoria nec efficiens; quantum tamen ad ipsam privationem habet potestatem mortis, quia, licet non sit *causa malorum,* habet tamen *posse super mala,* quia ex eis scit et potest elicere bona.

Solutio.

Ad illud quod obiicitur, quod mors non est a Deo; dicendum, quod in morte est *privatio* vitae, quae nihil est, et ideo causam *efficientem* non habet. sed magis *deficientem;* item, est ibi *poenalis afflictio,* quae aliquid est et a Deo est, iuste infligente eam peccatoribus merito peccatorum suorum.

Et deducis ad portas mortis, id est ad extremum vitae articulum, *et reducis,* scilicet sanando, ut patet in Ezechia, Isaiae trigesimo octavo [7].

Quinta.

(Vers. 14.). *Homo autem* etc., quasi dicat: sic potes mortificare et vivificare; *autem,* pro sed; *homo* potest occidere se, sed non vivificare, et hoc est quod dicit: *homo autem,* scilicet peccator, dictus *homo* ab humo; *occidit quidem,* id est certe, *per malitiam,* culpae, *animam suam* [8], propter quod dicitur in Psalmo: « Qui diligit iniquitatem odit animam suam »; est enim homicida sui ipsius; peccatum enim est gladius bis acutus, occidit enim corpus et animam; Ecclesiastici vigesimo primo: « Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas ». *Et cum exierit spiritus,* scilicet a corpore per mortem, *non re-*

---

[1] Psalm. 93, 18. — Sequuntur Ier. 33, 6: Ecce, ego obducam eis cicatricem et sanitatem et curabo eos; Iob 5, 18: Quia ipse vulnerat etc.

[2] Vulgata *examinabantur* et *salvabantur;* card. Hugo et Lyranus legunt: *in memoria enim sermonum tuorum exterminabantur* [ita etiam A] *et velociter sanabantur.* — Verba *iuxta illud Psalmi... poenitentes* supplevimus ex A B. Locus Scripturae est Ps. 77, 34.

[3] Vers. 3. — Sequitur Ps. 105, 21.

[4] Vers. 8. et 9. — Subinde allegantur Ps. 106, 20; Ioan. 1, 1; Glossa *ordinaria* (ex Rabano) et Matth. 4, 23. De *distributione accommoda* cfr. supra pag. 28, nota 7.

[5] Vers. 6. — Seq. locus est Eccli. 11, 14: Vita et mors... a Deo sunt.

[6] Vers. 13, in cuius explicatione similis quaestio posita est.

[7] Vers. 1. seqq.

[8] Vulgata omittit *animam suam,* quod habent etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus. — Isidor., XI. Etymolog. c. 1. n. 4. et 5: *Homo* dictus, quia *ex humo* factus... Nam proprie *homo* ab *humo.* Cfr. Qq. ex utroque [testamento] mixtim (inter opera August.), p. I. q. 108: Et ab *humo* initium sumsimus et eius nomine nuncupamur; *homines* enim vocamur propter *humum.* — Sequuntur Ps. 10, 6. et Eccli. 21 4

vertetur, scilicet in corpus in praesenti saeculo; Iob decimo [1]: « Antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam » etc.; item secundi Regum decimo quarto: « Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur ».

Sed contra: Quia dicitur in Psalmo [2]: « Exibit spiritus eius et revertetur in terram suam ». Quaestio.

Dicendum, quod *hoc* [3] intelligitur de reversione ad terram suae naturalis habitationis et corporis per *naturam;* sed *illud Psalmi* de reversione in terram suam, secundum *iustitiam retributionis*, et hoc per *virtutem divinam.* Resp.

Nec revocabit, scilicet homo, *animam,* a corpore separatam, *quae recepta est,* in loco suo, scilicet in gloria, vel in poena; Ecclesiastici undecimo [4]: « Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit ».

(Vers. 13.). *Sed tuam manum,* id est potestatem, tam in praesenti quam in futuro, tam in vita quam in morte; *effugere impossibile est;* Iob decimo [5]: « Non est qui de manu tua possit eruere »; ideo dicitur in Psalmo: « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam »? « Non enim est abbreviata manus Domini », immo longissima et totum continens, secundum illud Psalmi: « In manu tua, Domine, omnes fines terrae ».

Secunda poena sensus, inflicta per res inanimatas.

Negantes enim etc. Hic agit de poenis inflictis Aegyptiis per *res inanimatas;* et primo tangitur *Aegyptiorum punitio;* secundo, e contrario *Israelitarum consolatio: Pro quibus Angelorum;* tertio, *punitionis Aegyptiorum ratio: Nix autem* etc.; quarto, *ratio consolationis Israelitarum: Propter hoc et tunc.* Divisio in 4 membra.

In prima ponit punitionis Aegyptiorum *causam meritoriam;* secundo, *modum et formam: Quod enim mirabile* etc.; tertio, *diversitatem* secundum plus et minus: *Quodam enim tempore.* De primo notantur tria.

(Vers. 16.). *Negantes enim* etc. Bene dixi: *impossibile est effugere manum tuam; negantes enim te nosse impii,* id est Aegyptii, scilicet Pharao cum servis suis; *negantes,* inquam, *verbo,* unde Exodi quinto [6]: « Nescio Dominum et Israel non dimittam »; et *facto* illi, de quibus ad Titum primo: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant ». *Per fortitudinem brachii tui,* id est per fortem potentiam tuam; Exodi decimo quinto: « Quis similis tui in fortibus, Domine » etc.; *flagellati sunt;* Exodi sexto: « Educam eos de ergastulo Aegyptiorum in brachio excelso »; Exodi decimo quinto: « Dextera tua percussit inimicum »; *novis aquis; et,* pro id est; *grandinibus,* grando enim est quasi aqua congelata, *et pluviis,* quae sunt quasi aquae fluidae, *persecutionem passi* sunt; Exodi nono [7]: « Videns Pharao, quod cessasset pluvia et grando »; *et per ignem,* id est simul cadentem, *consumti;* Exodi nono: « Grando et ignis mixta pariter ferebantur »; item in Psalmo: « Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum ». Punitionis causa meritoria.

(Vers. 17.). Bene dixi: *per ignem* cum *grandinibus; quod enim mirabile erat;* scilicet contrarium a contrario non destrui, cum scriptum sit Ecclesiastici tertio [8]: « Ignem ardentem exstinguit aqua »; unde sequitur: *In aqua, quae omnia exstinguit,* scilicet ignita, *ignis plus valebat,* id est, fortius agebat cum aqua. *Vindex enim est orbis,* id est vindictae instrumentum; *vindex,* inquam, *orbis iustorum,* id est vindicans iustos; unde supra quinto: « Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos ». Per praedictum textum innuit, quod punitio Aegyptiorum facta fuit non secundum ordinem naturae, sed secundum ordinem divinae iustitiae vindicantis Israelitas de Aegyptiis, qui eos oppresserant, Exodi primo [9]; Glossa: « Non mirum, quod grando et ignis mixta feruntur, quia ad Creatoris voluntatem omnia consentiunt ». Eiusdem modus.

(Vers. 18.). *Quodam enim tempore,* quasi dicat: non semper uniformiter agebat; *enim,* pro sed; *quodam tempore mansuetabatur ignis,* scilicet quousque animalia timentium sermones Moysi revocarentur vel reducerentur de agris; Exodi nono [10]: « Mitte et congrega iumenta tua et omnia, quae habes in agris », vel agro; et post: « Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis fecit confugere servos suos et iumenta in domos ». *Mansuetabatur,* inquam, *ne comburerentur animalia, quae missa erant ad impios,* id est iumenta divinitus eis data. Nec solum propter hoc, *sed* etiam, *ut ipsi videntes,* praedictam interpolationem, *scirent,* scilicet per ipsam, *quoniam Dei iudicio,* non eventu naturali, *patiun-* Item, diversitas.

---

[1] Vers. 21. — Seq. locus est II. Reg. 14, 14.

[2] Psalm. 145, 4.

[3] Scilicet *non revertar,* cui opponitur illud Psalmi: *revertetur.* Inferius ex codd. et ed. 1 supplevimus *per naturam... terram suam;* ubi notandum, quod auctor hic, ut saepius in Commentario suo in Lombardum, demonstrativis *hoc* atque *illud* utitur in sensu diverso a communiter usitato.

[4] Vers. 3. Verba Vulgatae vide supra pag. 189, nota 4.

[5] Vers. 7: Cum sit nemo etc. — Sequuntur Ps. 138, 7; Isai. 59, 1: Ecce, non est abbre iata etc. (cfr. 50, 2.) et Ps. 94, 4: In manu eius sunt omnes etc. (Invitatorium matut. feriae IV: In manu tua, Domine, omnes etc.).

[6] Vers. 2. — Subinde allegantur Tit. 1, 16; Exod. 15, 11; 6, 6. et 15, 6: Dextera tua, Domine, percussit etc.

[7] Vers. 34. — Duo seqq. loci sunt Exod. 9, 24. et Ps. 104, 32.

[8] Vers. 33. — Sequitur Sap. 5, 21.

[9] Vers. 12. seqq. — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* (ex Rabano): Nec mirum, si grando et ignis mixta feruntur [Rabanus *feriebant*] simul, quia... consentiunt [Rabanus addit: nec ibi est aliqua adversitas, ubi divina imperat maiestas].

[10] Vers. 19: Mitte ergo iam nunc et congrega... habes in agro. Ibid. v. 20. est seq. locus.

tur persecutionem. Item, secundum Glossam [1], « ut cognoscerent, quoniam omnis creatura parata est ulcisci iniuriam Creatoris »; in Psalmo: « Cognoscetur Dominus iudicia faciens », qui, sicut dicit Bernardus, non est cognitus iniurias patiens. Et notandum, quod Dominus punivit Sodomitas per ignem, Genesis decimo nono [2], sine mansuetudine, et hoc, quia nulli erant boni inter eos; sed Aegyptios per ignem cum mansuetudine, quia filii Israel erant in Aegypto, qui boni erant.

(Vers. 19.). *Et quodam tempore,* scilicet revocatis animalibus, *in aqua supra virtutem,* naturalem scilicet, quia per miraculum, *ignis exardescebat undique,* scilicet per totam terram Aegypti, *ut iniquam* [3] *terrae nationem exterminaret,* id est Aegyptios, qui erant terrestris natio, non caelestis; contra quod primae ad Corinthios decimo quinto: « Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem caelestis ».

Pro quibus etc. Hic circa consolationem Israelitarum primo tangitur *exhibitio beneficii;* secundo, *ratio exhibendi: Substantiam* [4] *enim.*

De secundo notantur duo.

(Vers. 20.). *Pro quibus,* scilicet malis, id est loco quorum malorum e contrario, *Angelorum esca,* id est manna, quod per Angelos erat praeparatum; *nutrivisti populum tuum* etc.; unde in Psalmo [5]: « Panem Angelorum manducavit homo »; vel quia praefigurabat escam Angelorum, scilicet « panem vivum, qui de caelo descendit », Ioannis sexto. *Nutrivisti,* inquam, *populum tuum,* scilicet filios Israel; hoc enim cibo nutrivit eos, « quousque tangerent fines terrae promissionis », ut habetur Exodi decimo sexto [6]. *Et paratum panem,* id est refectionem, *de caelo,* scilicet aëreo descendentem, secundum illud Psalmi: « Pluit illis manna ad manducandum, et panem caeli dedit eis »; *praestitisti illis sine labore.*

Exhibitio beneficii.

CONTRA: Quia dicitur Numerorum undecimo [7]: « Circuibat populus et colligens illud frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla et faciens ex eo tortulas quasi saporis panis oleati ». Quaestio.

Respondeo: *sine labore* acquirendi per agricultu ram, sed non sine labore parandi. Nos vero laborem habemus in acquirendo et parando; Genesis tertio [8]: « In sudore vultus tui ». Resp.

Omne delectamentum in se habentem, id est effectum omnis cibi delectantis, faciendo similem delectationem in comedente; *et omnis saporis suavitatem,* id est omnem suavem saporem; taliter enim unicuique sapiebat, sicut volebat, ut dicit Gregorius in sexto Moralium [9].

SED CONTRA: Dicitur Numerorum undecimo [10], quod habebat saporem « quasi panis oleati ». Quaestio.

Dicendum, quod de natura sua habebat determinatum saporem dulcissimum, scilicet sicut sapor « similae cum melle [11] »; sed per gratiam divinam habebat sapores diversos, scilicet secundum desideriorum diversitatem, ut tangit Glossa super illud primae ad Corinthios decimo [12]: « Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt ». Resp.

SED CONTRA: Quia, si habebat saporem a quolibet desideratum, ergo non desiderassent carnes Aegypti, nec nauseasset anima eorum super manna tanquam super cibo levissimo, cum tamen oppositum legatur Numerorum vigesimo primo [13]. Obiectio.

Dicendum secundum Glossam [14]: Boni saporem optimum ibi inveniebant, sed mali fastidiebant. Vel dicendum, quod requirebant in cibo non solum delectationem saporis quoad gustum, sed etiam coloris quoad aspectum, et odoris quoad odoratum. Hieronymus [15]: Aves coram divitibus in suis vaporibus decoquuntur, ut visu et nidore reficiantur, sicut deliciosi in vino, cum tamen dicatur Proverbiorum Solutio.

---

[1] Nempe *ordinariam* (ex Rabano): Ut cognoscant [Rabanus: *agnoscerent*] impii, quod omnis etc. — Sequitur Ps. 9, 17. Bernard., V. de Considerat. c. 12. n. 25: Quid est Deus? Non minus poena perversorum quam humilium gloria. Est enim rationabilis quaedam aequitatis directio inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique, cui illisa omnis pravitas conturbetur necesse est etc. Cfr. Serm. 5. pro Dominica 1. Novembris, n. 9.

[2] Vers. 24.

[3] Ita etiam Rabanus, card. Hugo in margine et Lyranus; Vulgata *iniquae.* — Subinde allegatur I. Cor. 15, 49.

[4] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *Substantia.*

[5] Psalm. 77, 25. — Sequitur Ioan. 6, 41. (cfr. 51.): Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.

[6] Vers. 35: Hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan. — Seq. locus est Ps. 77, 24. De caelo *aëreo* cfr. supra pag. 45, nota 12.

[7] Vers. 8.

[8] Vers. 19.

[9] Cap. 16. n. 22: Manna quippe omne delectamentum atque omnis saporis in se suavitatem habuit, quod videlicet in ore spiritualium iuxta voluntatem edentium saporem dedit etc. Cfr. infra v. 21.

[10] Vers. 8.

[11] Exod. 16, 31: Gustusque eius quasi similae etc.

[12] Vers. 3. Glossa *ordinaria* et *interlinearis* hoc sic exponunt, quod manna duplici modo potebat manducari, scil. corporaliter et spiritualiter, quodque effectus huius duplicis manducationis erant diversi.

[13] Vers. 5.

[14] Cfr. Glossa *ordinaria* in Num. 11, 5. ex Gregor., XX. Moral. c. 15. n. 40.

[15] Card. Hugo, in hunc locum, verba Hieron. sic exhibet: « Aves coram divitibus lentis decoquuntur vaporibus, et ut visu et nidore reficiantur ». Hieron., Epist. 100. (sive Theophili, Alexandrini episcopi etc. Hieronymo interprete) n. 6: Nequaquam diebus Quadragesimae, sicut luxuriosi divites solent, vini poculum suspiremus, neque in procinctu et proelio, ubi labor et sudor est necessarius, carnium edulio delectemur.. Neque phasides aves sollicito labore perquirere et garrulas volucres earumque pinguedinem hianti ingerere gulae; nec investigare magni pretii coquos, qui ventris rabiem iure multiplici et carnibus contusione mutatis diversoque ciborum sapore demulceant, fumantibus pateris et nidore sui furori gutturis blandientibus, cum in iniuriam [alias *cum iniuria*] continentiae diversi saporis et coloris vina quaerantur.

vigesimo tertio [1]: « Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro » etc.

Ipsius ratio.

(Vers. 21.). *Substantiam enim tuam*, id est tuam virtutem sustentandi, *et dulcedinem tuam* [2], id est potestatem delectandi, *quam habes in filios*, scilicet eos sustentando per cibi substantiam et delectando per eiusdem cibi saporem, *ostendebas* etc.; in Psalmo: « Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus »; *ostendebas*, inquam, conferendo eis praedictam escam sustentantem et delectantem. *Et deserviens*, scilicet cibus vel panis praedictus, *uniuscuiusque voluntati*, scilicet comedentium, *ad quod quisque volebat convertebatur*, id est ad qualem saporem; habebat enim, ut dictum est [3], unum saporem determinatum per naturam, sed varios per divinam gratiam.

Significatio mystica.

Mystice per manna significabatur congrue Christus sub Sacramento altaris, primo quia ipse est panis angelorum, scilicet sacerdotum, secundum illud Malachiae secundo [4]: « Angelus Domini exercituum est ». — Secundo, quia caelitus paratur, id est, quia virtute caelesti conficitur; Ioannis sexto: « Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi »; in Psalmo: « Parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius ». — Tertio, quia comedentes ex eo pro suo desiderio, id est devotione, reficiuntur, secundum illud Psalmi [5]: « Desiderium animae eius tribuisti ei »; item in Psalmo: « Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo ». — Quarto, quia cum ipso ros gratiae descendit et datur, sicut et ros cum manna descendebat, ut habetur Numerorum undecimo [6]. Et ideo panis iste *eucharistia* dicitur; eucharistia *bona gratia* interpretatur. — Quinto, quia, sicut apparebat manna ut « semen coriandri album [7] », sic et Christus sub nebula candida sumitur; Apocalypsis decimo quarto: « Ecce, nubem candidam, et supra nubem sedentem similem Filio hominis ». — Sexto, quia sex diebus, et non in Sabbato colligebatur [8], sic Christus in praesenti sub Sacramento sumitur, sed in futuro Sabbato, de quo Isaiae sexagesimo sexto: « Erit Sabbatum ex Sabbato », aperte videbitur; primae ad Corinthios decimo tertio: « Tunc autem facie ad faciem »; item primae Ioannis tertio: « Videbimus eum, sicuti est ». — Septimo, quia usque ad ingressum terrae promissionis in deserto per quadraginta annos cibo illo nutriti sunt [9], sic usque ad finem mundi in deserto huius mundi fideles Ecclesiae nutriuntur, secundum illud Matthaei vigesimo octavo: « Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».

De tertio notantur tria.

Nix autem etc. Hic tangitur *ratio afflictionis* Aegyptiorum: primo ex parte *punitorum;* secundo, ex parte *eorum, pro quibus puniebantur: Hoc* [10] *autem;* tertio, ex parte *Dei punientis: Creatura.*

Primum.

(Vers. 22.). Dicit ergo: *Nix autem* etc. Ita dictum est [11], quod *ignis in aqua plus valebat; nix autem et glacies*, id est grando, *sustinebant vim ignis*, id est calorem, qui est eius qualitas activae virtutis. *Et non tabescebant*, id est, non liquefiebant; unde Exodi nono [12]: « Pluit Dominus grandinem super terram Aegypti; et grando et ignis mixta pariter ferebantur »; *ut scirent*, scilicet Israelitae, *quoniam fructus inimicorum*, id est Aegyptiorum, *exterminabat ignis ardens*, scilicet per calorem; *in grandine et pluvia coruscans*, scilicet per splendorem. « Linum et hordeum laesa sunt, eo quod hordeum virens esset, et linum iam folliculos germinaret », Exodi nono.

Secundum.

(Vers. 23.). *Hoc autem iterum* etc. Sciendum, quod ly [13] *hoc* potest esse ablativi casus, ut sic exponatur: *hoc*, pro hôc; vel nominativi, ita quod sic legatur: *hoc autem iterum*, supple: factum est, *ut nutrirentur iusti*, scilicet filii Israel. *Ignis* [14] *etiam suae virtutis oblitus est*, scilicet non exterminando fructus terrae iustorum, ut patet Exodi nono, ubi legitur « tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidisse ». Sic et vim virtutis suae oblitus est ignis, quando tres pueros iustos in fornace non laesit, ut patet Danielis tertio.

Tertium.

(Vers. 24.). *Creatura enim tua* [15], scilicet quaecumque, *tibi factori deserviens*, id est tuae voluntati, qua omnia fecisti, secundum illud Psalmi: « Omnia, quaecumque voluit, fecit »; *excandescit*, id est, vehementer movetur et concitatur, *in tormentum*, punitionis, *adversus iniustos*, id est inimicos

---

[1] Vers. 31.

[2] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata: *Substantia enim tua dulcedinem tuam*, quae etiam inferius exhibet *ostendebat* pro *ostendebas* (ita etiam card. Hugo et Lyranus). — Subinde allegatur Ps. 67, 11.

[3] In explicatione praecedentis versus.

[4] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 41. (cfr. 51.) et Ps. 64, 10. Rabanus: Aliter manna significat panem illum, qui in Evangelio ait: *Ego sum panis* etc.

[5] Psalm. 20, 3; ibid. 77, 29. et 30. est seq. locus.

[6] Vers. 9: Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man.

[7] Exod. 16, 31: Quod [man] erat quasi semen etc. cfr. Num. 11, 7. — Sequitur Apoc. 14, 14.

[8] Exod. 16, 26: Sex diebus colligite, in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur. — Tres seqq. loci sunt Isai. 66, 23; I. Cor. 13, 12. et I. Ioan. 3, 2.

[9] Exod. 16, 35: Filii autem Israel comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem; hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan. — Sequitur Matth. 28, 20.

[10] Vide inferius notam 14.

[11] Vers. 17.

[12] Vers. 23. et 24; ibid. v. 31. est seq. locus, in quo pro *laesa sunt* Vulgata *laesum est.*

[13] Cfr. supra pag. 144, nota 1. in fine.

[14] Ita card. Hugo et Lyranus; Vulgata, pro *Hoc* posito *Hic*, omittit *ignis*. — Sequuntur Exod. 9, 23-26, ubi de septima plaga grandinis, tonitruum et fulminum: « Tantum in terra Gessen... grando non cecidit »; et Dan. 3, 49. seqq.

[15] Vulgata omittit *tua*, quod exhibent etiam card. Hugo et Lyranus; iidem paulo inferius cum Rabano legunt *excandescit*, pro quo Vulgata *exardescit*. — Seq. locus est Ps. 113, 3. (vel. 11.).

tuos. *Et lenior fit,* id est innociva vel innoxia, *ad benefaciendum pro his qui in te confidunt,* id est pro iustis; obedientibus enim Deo creaturae obediunt, — ut patet Iosue decimo [1], ubi legitur, quomodo sol stetit ad imperium Iosue — et rebellantibus rebellant; unde supra quinto: « Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos ».

De quarto notantur tria.

Propter hoc etc. Hic tangitur *ratio consolationis* Israelitarum, primo, *recognitio divini beneficii;* secundo, *exhibitio cultus divini: Quod enim ab igne;* tertio, *vitatio ingratitudinis: Ingrati enim spes* etc.

Primum.

(Vers. 25.). *Propter hoc,* scilicet quia creatura deservit Creatori, *et tunc,* scilicet quando filii Israel in deserto manna pascebantur, *in omnia,* id est in omnium rerum desideratarum saporem, *transfigurata,* scilicet ipsa creatura, scilicet manna; *omnium nutrici gratiae tuae,* id est gratuitae bonae voluntati tuae, ita quod intelligatur de gratia *increata;* Baruch quarto [2]: « Contristastis nutricem vestram Ierusalem »; *deserviebant* [3], id est obediebant; Glossa: « Confundantur hic peccatores, quia cum ceterae creaturae Factori suo deserviant, ipsi repugnant. Unde creaturarum omnium concordia flagellantur ». *Deserviebant,* inquam, *ad voluntatem,* complendam scilicet, *eorum qui a te desiderati sunt,* scilicet speciali amore dilecti, ut filii Israel; Deuteronomii septimo: « Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram ».

(Vers. 26.). *Ut scirent filii tui,* scilicet Israelitae, secundum illud Exodi quarto [4]: « Primogenitus meus Israel »; Isaiae primo: « Filios enutrivi »; *quos dilexisti, Domine,* scilicet aeterna dilectione et temporali; Malachiae primo: « Dilexi vos, dicit Dominus ». *Scirent,* inquam, *quoniam non nativitatis fructus,* id est non naturales fructus, de terra nati, secundum illud Genesis primo: « Germinet terra » etc.; *pascunt homines,* scilicet in quantum sunt homines, id est, secundum illud quo differunt a bestiis, scilicet secundum rationalem animae potentiam vel partem. *Sed sermo tuus,* id est creatus, id est mandatum tuum; Matthaei quarto [5]: « Non in solo pane vivit homo » etc. Vel: *Sermo,* increatus, id est Filius, de quo Ioannis decimo septimo: « Sermo tuus veritas est »; ibidem decimo quarto: « Ego sum via et veritas et vita »; *hos qui in te crediderunt, conservat;* Deuteronomii octavo: « Dedit tibi Dominus cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei ».

Secundum.

(Vers. 27.) *Quod enim ab igne non poterat exterminari,* scilicet manna, quia ad ignem durescebat, ita quod exinde fierent tortulae, ut patet Numerorum undecimo [6]; *statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat,* id est liquefiebat, ut patet Exodi decimo sexto. Unde oportebat, quod mane colligeretur.

(Vers. 28.). *Ut notum omnibus esset,* scilicet per hoc signum, *quoniam oportet praevenire solem,* id est solis ortum, *ad tuam benedictionem,* supple: obtinendam, hoc est ad recipiendum et colligendum manna, ne post ortum solis liquefieret calore solis; sic ad benedictionem gratiae obtinendam oportet praevenire solem mane vigilando, secundum illud Proverbiorum octavo [7]: « Qui mane vigilaverint ad me invenient me »; in Psalmo: « Mane astabo tibi et videbo » etc. *Et ad ortum lucis,* id est, statim ut oritur lux, vel versus orientem, ubi lux oritur, *te adorare,* scilicet pro receptione ipsius mannae; versus orientem, inquam, quia, sicut dicit Damascenus [8], omne melius est Deo tribuendum; unde quia oriens est melior pars caeli, ideo ad orientem est adorandum, secundum illud Psalmi: « Qui ascendit super caelum caeli ad orientem [9] ».

---

[1] Vers. 13. — Sequitur Sap. 5, 21.

[2] Vers. 8.

[3] Vulgata *Deserviebat,* et paulo inferius *desiderabant* pro *desiderati sunt;* cum nostra lectione conveniunt card. Hugo et Lyranus; Rabanus exhibet solum *desiderati sunt.* — Glossa, quae sequitur, est *ordinaria* ex Rabano. Subinde allegatur Deut. 7, 6.

[4] Vers. 22. Cfr. supra pag. 211, nota 9. — Tres seqq. loci sunt Isai. 1, 2; Malach. 1, 2. et Gen. 1, 11.

[5] Vers. 4. — Sequuntur Ioan. 17, 17. et 14, 6; Deut. 8, 3. ubi pro *vivit* et *procedit* (cfr. Matth. 4, 4.) Vulgata *vivat* et *egreditur.* — Pro *crediderunt* (ita card. Hugo et Lyranus) Vulgata *crediderint.*

[6] Vers. 8. Cfr. supra pag. 214, nota 7. — Sequitur Exod. 16, 21: Colligebant autem mane singuli... cumque invaluisset sol, liquefiebat.

[7] Vers. 17: Qui mane vigilant ad me etc. — Seq. locus est Ps. 5, 5.

[8] Libr. IV. c. 12. (ed. Migne): Quoniam igitur Deus spirituale lumen est [I. Ioan. 1, 5.] ac Christus sol iustitiae [Malach. 4, 2.] et Oriens [Zachar. 3, 8. et 6, 12; Luc. 1, 78.] in sacris Litteris appellatur; idcirco pars illa, qua sol oritur, ipsi adorationi ergo assignanda est. Et siquidem id omne, quod bonum fuerit, consecrare par est [πᾶν γὰρ καλὸν τῷ Θεῷ ἀναθετέον], a quo quidquid bonum est bonum efficitur. Quin divinus quoque David his verbis utitur [Ps. 67, 33. et 34.]: *Regna terrae, cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit super caelum caeli ad orientem.*

[9] Edd. hic addunt septem rationes, quare versus orientem adorandum sit, quae ex citato loco Damasceni extractae sunt. Quae in A penitus omittuntur, in B vero ponuntur inepte in v. 29; unde hoc additamentum videtur primitus esse in margine scriptum et deinde textui insertum. Quare illud ad calcem in nota referendum esse censuimus: « Adorandi versus orientem multiplex est ratio; quarum prima est loci dignitas, quia scilicet oriens est melior pars caeli, et hanc ponit Damascenus. Secunda est finis, propter quem adoramus, scilicet ut illuminemur, unde (in Ps. 33, 6.): *Accedite ad eum,* scilicet per orationem, *et illuminamini.* Tertia est proprietas eius quem adoramus, quasi scilicet ipse est verus sol iustitiae, de quo Malachias (4, 2.) et Zacharias (6, 12.): *Ecce vir oriens nomen.* Quarta est situs paradisi, quem adorando quaerimus; in cuius signum legitur paradisus terrestris plantatus *ad orientem,* secundum quod habet alia translatio (Septuaginta Gen. 2, 8:). Quinta, contraria consuetudo Iudaeorum, qui adorabant ad occidentem. Ingressus enim templi erat ab oriente, ut patet tertii Regum sexto (cfr. Glossa in v. 36,

Notandum autem, quod in hoc, quod manna in ortu solis liquefiebat, significabatur secundum Glossam [1], in ortu Christi sacramentum vetus cessaturum, quia « finis Legis Christus », ad Romanos decimo.

Sensus mysticus.

(Vers. 29.). *Ingrati enim spes* etc. Ita dixi, quod *tabescebat* calore *solis*, et hoc in signum huius, quia *spes ingrati tabescet* etc. Vel sic: bene dixi, quod oportet *adorare ad ortum lucis* etc., pro receptione praedicti beneficii, et hoc ad vitandam ingratitudinem; quae valde damnosa est. *Ingrati enim spes*, scilicet cuiuscumque impii, vel specialiter « Iudaici populi », secundum Glossam [2], *tanquam hibernalis glacies;* Glossa: « Constricta frigore infidelitatis », secundum illud Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua »; *tabescet*, id est liquefiet, id est, calore solis iustitiae dissolvetur in die iudicii vel particularis, vel universalis; in Psalmo: « Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei ». *Tabescet*, inquam, quoad poenam *damni*, scilicet amittendo omnia bona, quaecumque habuit vel speravit, scilicet bona gratiae et gloriae; *et disperiet*, id est, dupliciter peribit, id est, in corpore et anima patietur tormentum, et hoc quantum ad poenam *sensus. Disperiet*, inquam, *tanquam aqua supervacua*, id est inutilis, quae in terram effunditur vel proiicitur; sic et ingratus tanquam inutilis in infernum proiicietur, iuxta illud Matthaei vigesimo quinto [3]: « Servum inutilem eiicite in tenebras exteriores ». *Ingrati* ergo *spes tabescet et disperiet* etc.; unde supra quinto: « Spes impii tanquam lanugo, quae a vento tollitur »; item Bernardus [4]: « Ingratitudo est ventus urens, fontem pietatis exsiccans, rorem misericordiae, fluenta gratiae ».

Tertium.

Capitulum XVII.

Secundo, de poena damni.

Magna enim sunt etc. Postquam egit de poena sensus, hic agit de poena *damni*, id est de lucis subtractione; et primo tangitur punitionis Aegyptiorum *aequitas*, quia scilicet pro meritis puniti sunt; secundo, *irremediabilitas*, scilicet quia sine interpolatione: *Neque enim quae continebat;* tertio, *generalitas*, quia omnes, ibi: *Illi autem, qui impotentem;* quarto, *singularitas*, quia illi soli, scilicet Aegyptii: *Omnis enim.*

Divisio. Tanguntur quatuor.

Aequitas autem ostenditur ex causa meritoria peccatorum illorum, primo *peccati in Deum;* secundo, *in proximum: Dum enim persuasum;* tertio, *in se ipsos: Et dum putant.*

Expositio literalis. Primo, de aequitate punitionis tria.

(Vers. 1.). *Magna enim* etc. Bene dixi, quod Aegyptii sunt puniti, Israelitae vero consolati; *magna enim sunt iudicia tua, Domine;* Glossa [5]: « Quibus regis universam creaturam »; in Psalmo: « Iudicia tua abyssus multa ». *Et inenarrabilia verba tua*, scilicet quibus rationalem creaturam instruis; *inenarrabilia*, dico, ad plenum; ad Romanos undecimo: « O altitudo divitiarum sapientiae Dei » etc. *Propter hoc;* Glossa [6]: « Quia Creatorem suum credere et intelligere noluerunt », *indisciplinatae animae*, id est incorrigibiles de peccatis suis; Ecclesiastici vigesimo: « Et processio in malum viro indisciplinato »; item Ieremiae quinto: « Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam »; in Psalmo: « Tu vero odisti disciplinam »; *erraverunt*, a via veritatis; supra quinto: « Ergo erravimus a via veritatis », de qua Ioannis decimo quarto: « Ego sum via et veritas et vita »: via in exemplo, veritas in promisso, vita in praemio.

Primum.

(Vers. 2.). *Dum enim* etc. Bene dixi, quod *erraverunt; dum enim iniqui*, scilicet Aegyptii, dicti *iniqui* propter iniquam oppressionem Israelitarum et submersionem infantium ipsorum, Exodi primo [7]; *persuasum habent*, id est credunt, *posse dominari nationi sanctae*, id est filiis Israel, qui dicuntur *natio sancta*, quia erant Sanctorum *filii*, secundum illud Tobiae secundo: « Filii Sanctorum sumus »; item, quia per circumcisionem *sanctificati*, de qua sanctificatione habetur Genesis decimo septimo; tertio, quia per conversationem *sanctificandi*, secundum illud Levitici undecimo: « Sancti estote, quia ego sanctus sum ». *Vinculis tenebrarum*, scilicet palpabilium, quae fuerunt in Aegypto, Exodi decimo [8]; *et longae noctis*, id est obscuri temporis, ac si esset nox; quod tempus longum fuit, quia tribus diebus

Secundum.

---

et Ezech. 10, 19.). Sexta, ascensus Christi ad orientem secundum illud (Ps. 67, 34.): *Qui ascendit super caelum caeli ad orientem.* Septima, adventus eius ad iudicium ex parte orientis (Matth. 24, 27.): *Sicut fulgur exit ab oriente* etc., *ita erit et adventus filii hominis.* Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 26. m. 3. a. 7. § 3.

[1] Scilicet *ordinariam* ex Rabano: Iste cibus historialiter pascebat patres nostros, sed ad ortum veri solis liquefiebat, id est, in nativitate Christi ad spiritualem usum solvebatur et in caeleste Sacramentum vertebatur etc. — Sequitur Rom. 10, 4.

[2] Nempe *interlinearem* ex Rabano. — Sequuntur Glossa *interlinearis* (ex Rabano); Eccli. 43, 22. et Ps. 67, 3.

[3] Vers. 30. — Seq. locus est Sap. 5, 15.

[4] Serm. in Cantic. serm. 51. n. 6, ubi pro *exsiccans* textus originalis *siccans sibi.*

[5] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Sequuntur Ps. 35, 7. et Rom. 11, 33.

[6] Scilicet *interlinearis* ex Rabano. — Subinde allegantur Eccli. 20, 9: Est processio in malis etc.; Ier. 5, 3; Ps. 49, 17; Sap. 5, 6. et Ioan. 14, 6.

[7] Vers. 14. seqq. — Tres loci seqq. sunt Tob. 2, 18; Gen. 17, 10. seqq. et Lev. 11, 44.

[8] Vers. 21; ibid v. 22. et 23. sunt duo loci seqq.: Factae sunt tenebrae horribiles... tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat.

nemo vidit proximum suum, ut patet ibidem; *compediti*, scilicet per effectus similitudinem, quia scilicet non poterant ire, ac si essent compediti; unde ibidem: « Tribus diebus non movit se quispiam de loco, in quo erat »; *inclusi sub tectis*, scilicet dominorum suarum, non audentes egredi; *fugitivi perpetuae providentiae*, scilicet quantum in eis erat, scilicet quia praevisam a Deo liberationem Israelitarum putabant impedire. Vel: *fugitivi* etc., id est volentes effugere Dei providentiam; quod esse non poterat, cum dicatur supra decimo sexto[1]: « Manum tuam effugere impossibile est ». *Latuerunt*, id est, latere putaverunt, secundum hoc Proverbiorum decimo quarto: « Iacebunt mali ante bonos »; vel *placuerunt*, scilicet in poena, qui displicuerunt in culpa, quia per poenam fit reordinatio eorum qui per culpam deordinati erant.

(Vers. 3.). *Et dum putant, se latere*, scilicet Tertium. Deum punitorem, cum tamen « omnia nuda sint et aperta oculis eius », ad Hebraeos quarto[2]. *Latere*, inquam, *in peccatis obscuris*, id est enormibus, quae maxime in obscuro fiunt; ad Ephesios quinto: « Quae in occulto fiunt ab eis turpe est dicere », quia « qui male agit odit lucem », Ioannis tertio; propter hoc peccata dicuntur « opera tenebrarum », ad Romanos decimo tertio. *Tenebroso velamento oblivionis*, id est, tenebrarum caligine eos velante et aliorum oblivionem immittente, dum scilicet se ipsos iuvare non poterant; *dispersi sunt*, scilicet unus ab altero, *paventes horrende*, id est timore horribili, scilicet propter tenebrositatem. *Et cum admiratione nimia perturbati*, scilicet propter inconsuetam rei novitatem; supra quinto[3]: « Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur » etc.; Iob decimo octavo: « In die eius stupebunt novissimi, et primos invadet horror ».

Neque enim quae continebat illos spelunca etc. Secundo, de irremediabilitate punitionis tria. Hic ostenditur *poenae irremediabilitas*, primo a *loco*; secundo a *contrario*: *Et ignis*; tertio ab *artificio*: *Et magicae* etc.

(Vers. 4.). *Neque enim* etc. Bene dixi: *paventes horrende* etc.; Primum. *neque enim spelunca, quae continebat illos*, qui scilicet illuc fugerant propter grandinem et pluviam et ignem. Et nota, quod *singulare* ponit pro *plurali*, cum dicit *spelunca*, quia non ad unam tantum speluncam fugerant, sed ad plures, et in diversis locis latere putabant; *sine timore custodiebat*; Glossa[4]: « Quia semper tenebras comitatur horror; et quanto minus discernit quis quae circa se sunt, tanto magis metuit ». *Quoniam sonitus descendens*, scilicet in illam foveam, *sonitus*, inquam, vel tonitruorum caelestium, vel illusionum diabolicarum; *perturbabat*, id est perfecte turbabat, *illos*; Iob decimo quinto[5]: « Sonitus terroris semper in auribus illius ». *Et personae tristes illis apparentes.*

Sed quomodo apparebant in tantis tenebris?

Potest dici, quod non apparebant sensui, sed imaginationi. Quaestio solvitur.

Pavorem illis praestabant, quia, sicut dicit Glossa[6], « potuit esse, ut daemones aliqua phantasmata terribilia eis ingererent, quae eos ad augmentum poenarum exterrerent » secundum illud Iob septimo: « Terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties ».

Et ignis quidem etc. Hic ostenditur poenae irremediabilitas, et hoc ex *parte contrarii*, scilicet ignis, primo, quia *non praestabat adiutorium*; secundo, quia potius *praestabat nocumentum*: *Apparebat autem illis.* Secundum.

(Vers. 5.). Dicit ergo: *Et ignis quidem nulla* Ratio 1. *vis poterat illis lumen praebere*; unde deficiebat eis illuminatio a parte *inferiori*; et dicit: *nulla vis*, quia tres sunt species ignis, secundum Philosophum[7], scilicet lux, flamma et carbo. *Nec siderum*, id est stellarum, *limpidae flammae*, id est dati radii, *illuminare poterant illam noctem horrendam*; unde patet, quod eis deficiebat lumen a parte *superiori*, quamvis supra positae sint stellae, ut illuminent noctem, Genesis primo[8]. Et merito defuit eis lumen, quia scilicet rebelles fuerunt lumini spirituali; Iob vigesimo quarto: « Ipsi fuerunt rebelles lumini », et ideo sol iustitiae non oriebatur eis; unde supra quinto: « Sol intelligentiae non est ortus nobis, et iustitiae lumen non luxit nobis ».

(Vers. 6.). *Apparebat autem illis*, scilicet Aegyptiis, *subitaneus ignis*, scilicet coruscationum caelestium, *timore plenus*, scilicet propter aspectum malorum visorum, scilicet fulgurum; « quanto enim graviores sunt dolores, tanto maiores timentur horrores ». *Et timore percussi*[9], propter visionem malorum imaginatorum, *illius quae non videbatur faciei*, id est phantasmatis non visi exterius, sed imaginati interius, quod diabolus immittebat ad magis terrendum; *aestimabant, deteriora esse quae vide-* Ratio 2.

---

[1] Vers. 15. — Inferius primam lectionem *latuerunt* exhibet etiam Lyranus in margine; secunda, scil. *placuerunt*, est card. Hugonis; Vulgata legit *iucuerunt*. Allegatur Prov. 14, 19, quem locum edd. omittunt.

[2] Vers. 13. — Tres seqq. loci sunt Eph. 5, 12; Ioan. 3, 20. et Rom. 13, 12.

[3] Vers. 2. — Sequitur Iob 18, 20.

[4] Nempe *ordinaria* ex Rabano: Semper enim tenebras etc.

[5] Vers. 21.

[6] Scilicet *ordinaria* ex Rabano. — Inferius allegatur Iob 7, 14.

[7] Libr. V. Topic. c. 3. (c. 5.): Non enim est una species ignis; nam diversum est carbo et flamma et lux specie, cum unumquodque horum sit ignis.

[8] Vers. 15. seqq. — Sequuntur Iob 24, 13. (edd. hunc locum omittunt) et Sap. 5, 6.

[9] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *perculsi*. Superius verbis *quanto... horrores*, quae sumta sunt ex Glossa, B praemittit: *et huiusmodi; Glossa* [*ordinaria* ex Rabano]: *Quia undique formidabant poenas.* — Inferius pro *visi exterius* Vat. perperam *nisi exterius.*

bantur, supple: quam essent secundum rei veritatem; Iob decimo octavo [1]: « Undique terrebunt eum formidines et involvent pedes eius ».

Tertium, de quo quatuor.

Et magicae etc. Hic ostenditur irremediabilitas *ab artificio*, scilicet artis magicae; et primo ostenditur *magorum confusio;* secundo, *materia confusionis*, scilicet timor: *Illi enim;* tertio, *causa exterius timorem efficiens: Nam etsi nihil;* quarto, *dispositio interius timorem augens: Frequenter* [2] etc.

Subdivisio.

Et ibi tanguntur tria timorem augentia, quorum primum est *remorsus conscientiae;* secundum est *perturbatio* consequens remorsum: *Semper enim;* tertium est *diffidentia auxilii* consequens utrumque: *Nihil enim est timor* etc.

Primo, magorum confusio.

(Vers. 7.). *Et magicae artis*, id est magorum ipsorum, *appositi erant*, scilicet ad praedicta mala, *derisus*, in hoc scilicet, quod haec mala expellere tentabant et non poterant; unde et ipsi vehementer timebant; Exodi octavo [3]: « Digitus Dei est hic ». *Et sapientiae gloria*, id est gloria magorum de sapientia sua, *correptio cum contumelia*, supple: erat, id est causa correctionis contumeliosae; Proverbiorum undecimo [4]: « Ubi fuerit superbia, ibi erit contumelia »; Ieremiae nono: « Non glorietur sapiens in sapientia sua ».

Secundo, materia confusionis.

(Vers. 8.). Et bene dixi, quod eorum *correptio* fuit *cum contumelia* ipsorum; *illi enim*, scilicet magi, *qui promittebant, timores*, scilicet interiores, *et perturbationes*, scilicet exteriores, *se expellere*, scilicet per suam artem magicam, *ab anima languente*, scilicet prae timore et perturbatione; *hi cum derisu*, illato ab aliis, *pleni timore*, in se ipsis, *languebant*. Unde cuilibet eorum posset dici illud Lucae quarto [5]: « Medice, cura te ipsum »; Proverbiorum vigesimo quinto: « Nubes et ventus et pluviae non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens ».

Tertio, causa exterior.

(Vers. 9.). *Nam etsi nihil illos ex monstris*, id est phantasmatibus apparentibus, vel miraculis Moysi, *perturbabat*, quia scilicet monstris erant assueti, sicut Balaam non timuit loquelam asinae, ut patet Numerorum vigesimo secundo [6]. *Transitu* tamen *animalium*, scilicet subito et impetuoso, scilicet ursorum et leonum et huiusmodi, *et sibilatione serpentum* vel *serpentium*, quos scilicet videre non poterant, *commoti*, scilicet interius; *tremebundi*, scilicet exterius, *peribant*, scilicet deficientes propter praedicta; Deuteronomii vigesimo octavo [7]: « Dabit tibi Dominus cor pavidum et oculos deficientes et animam moerore consumtam, et timebis nocte et die ». *Et*, id est etiam, *aërem, quem nulla ratione effugere quis posset*, scilicet propter necessitatem inspirationis et respirationis; *negantes se videre*, propter tenebras palpabiles.

Quarto, dispositio interior.

(Vers. 10.). *Frequenter enim praeoccupant*, scilicet cogitando et exspectando ante eventum, *pessima*, scilicet supplicia pro peccatis inferenda; *pessima* dicit, quia mala in vita, peiora in morte, pessima post mortem; vel: mala innata, peiora illata ab homine, sed pessima inflicta a Deo; propter quod ad Hebraeos decimo [8]: « Horrendum est incidere in manus Dei viventis ». *Redarguente*, eos, *conscientia*, secundum illud Ieremiae secundo: « Arguet te malitia tua ». *Cum enim sit timida nequitia*, id est habens timorem annexum, eo quod malum culpae [9] semper consequitur vel comitatur malum poenae; unde sicut « caritas perfecta excludit timorem », ut dicitur primae Ioannis quarto [10]; sic iniquitas eum causat vel inducit; in Psalmo: « Trepidaverunt timore, ubi non erat timor »; item Levitici vigesimo sexto: « Terrebit eos sonitus folii volantis »; *dat testimonium condemnationis*, scilicet contra actorem suum; unde ad Romanos secundo [11]: « Testimonium reddente conscientia »; *testimonium*, inquam, *condemnationis*, scilicet actoris sui, id est testificatur, ipsum esse dignum condemnatione; unde supra quinto: « Nos insensati » etc.; item Genesis quadragesimo secundo: « Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum ». Alii [12] habent: *data est in omnium condemnationem. Semper enim praesumit*, id est, antequam eveniant, suspicatur, *saeva*, id est aspera sibi eventura, *perturbata conscientia*, scilicet peccato vel peccati remorsu; unde dicit Cain, Genesis quarto [13]: « Omnis, qui invenerit me, occidet me ».

Remorsus conscientiae.

Perturbatio consequens.

Diffidentia auxilii.

(Vers. 11.). *Nihil enim est.* Nota, quod hic *causalis* praedicatio, non *essentialis* habetur; *timor* enim non est *praesumtio*, sed causatur ex praesumtione, id est praesumta suspicione mali futuri [14]. Unde describit hic timorem dupliciter: primo per *causam*, quae est praesumtio mali futuri; secundo, per *effectum eius*, qui est proditio vel manifestatio cogitationis deficientis auxilii. *Nihil enim est timor*

Duplex descriptio.

---

[1] Vers. 11.

[2] Vulgata omittit verba hic indicata *Frequenter enim praeoccupant pessima, redarguente conscientia*, quae tamen exhibentur a Rabano, card. Hugone et Lyrano.

[3] Vers. 19. — Subinde pro *Et sapientiae gloria*, quod etiam card. Hugo et Lyranus habent, Vulgata *et sapientiae gloriae.*

[4] Vers. 2. — Sequitur Ier. 9, 23.

[5] Vers. 23. — Seq. locus est Prov. 25, 14.

[6] Vers. 29.

[7] Vers. 65. et 66, ubi Vulgata: Dabit enim tibi Dominus ibi cor... consumtam moerore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis etc.

[8] Vers. 31. — Sequitur Ier. 2, 19. — Ut iam superius nota 2. indicavimus, verba *Frequenter... conscientia* omittit Vulgata.

[9] De hac sententia cfr. II. Sent. d. 36. a. 2. q. 1. 2.

[10] Vers. 18, ubi pro *excludit* Vulgata *foras mittit.* — Sequuntur Ps. 13, 5. et Lev. 26, 36.

[11] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Sap. 5, 4. et Gen. 42, 21.

[12] Ut card. Hugo et Lyranus.

[13] Vers. 14.

[14] Cfr. III. Sent. d. 26. a. 2. q. 1. et dub. 4; d. 34. p. II. dub. 1.

nisi praesumtionis adiutorium [1], id est praesumtio sive suspicio mali futuri vel eventuri adiuvans ad timendum, et *proditio cogitationis auxiliorum*, scilicet deficientium, id est cogitatio prodens defectum auxilii et ipsi timenti et aliis, scilicet qui eius timore percipiunt, ei deficere auxilium. Unde talis timor facit clamare petendo auxilium, ut patet in Petro, qui, cum coepisset mergi, clamavit et dixit: « Domine, salvum me fac », Matthaei decimo quarto [2].

(Vers. 12.). *Et dum ab intus*, scilicet in mente, *minor est exspectatio*, id est spes vel confidentia, quia caret iustitia, quae facit iustos confidentes et securos, secundum illud Proverbiorum vigesimo octavo [3]: « Iustus quasi leo confidens absque terrore erit ». *Maiorem putat potentiam*, id est, maiorem reputant vim ad nocendum, *eius causae*, scilicet terribilis, *de qua tormentum praestat*, id est, imminet sibi, quia defectus maioris spei et confidentiae auget timorem facientem suspicari maius malum, quod imminet, quam sit.

Aliter videtur posse exponi secundum Glossam [4], Alia expositio. ab illo: *Semper enim praesumit saeva* etc.; quasi dicat: merito *nequitia dat testimonium condemnationis; semper enim praesumit saeva*, id est, praesumtuose extollitur ad inferendum saeva aliis; *perturbata conscientia*, id est irata conscientia, non tranquilla; *enim*, pro sed. *Nihil enim est timor nisi praesumtionis adiutorium*, id est medicamentum, reprimendo scilicet motum huius praesumtionis, et *proditio*, id est manifestatio, *cogitationis auxiliorum*, id est infirmae cogitationis, quae se ante extollebat praesumendo, se non indigere auxilio. *Et dum ab intus minor est exspectatio*, id est, minor speratur [5] potestas nocendi rei, a qua punitur, scilicet extrinsecus; *maiorem putat potentiam*, id est virtutem ad nocendum sibi, quam sit secundum veritatem.

Illi autem etc. Hic ostenditur *punitionis generalitas*, primo ex parte *temporis*; secundo, ex parte *personarum afflictarum: Deinde, si quisquam*; tertio, ex parte *causarum: Sive spiritus sibilans*. Tertio, de generalitate punitionis tria.

(Vers. 13. 14.). Quasi dicat: sic terrebantur magi; *illi autem*, scilicet Aegyptii, *qui impotentem vere noctem*, id est fortem, quia tenebrosam valde et longam et nullo remedio illuminabilem; *et ab infimis*, scilicet exaltatione vaporum et fumositatum grossarum, aerem obscurantium; *et ab altissimis* [6], scilicet defectu irradiationis corporum caelestium, *supervenientem*, id est super eos venientem, *eundem somnum*, id est communem, *dormientes*, quia sicut dormiebat unus, sic alius, non melius. — *Aliquando monstrorum exagitabantur timore*, id est phantasmatum monstruosorum in somnis apparentium eis; Iob septimo [7]: « Terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties ». *Aliquando animae deficiebant traductione*, id est quasi imminente exitu de corpore, et hoc vigilando, quando iam excitati erant; quia, sicut dicit Glossa, « nec vigilantes nec dormientes quiescere poterant, quia horrendis monstris et visionibus et terrore nimio circumdabantur ». *Subitaneus enim*, id est repentinus, *et insperatus*, id est improvisus, quia cito et ex improviso, *illis timor supervenerat*, id est desuper, a divino iudicio; Isaiae quadragesimo septimo [8]: « Veniet super te repente miseria, quam nescies ».

Primum.

(Vers. 15.). *Deinde*, scilicet praeter praedicta mala, *si quisquam ex illis*, scilicet Aegyptiis, *decidisset*, scilicet in foveam vel huiusmodi, *custodiebatur in carcere*, id est in loco, in quo ceciderat, non valens inde exire, *sine ferro reclusus*, id est sine vinculis ferreis, quia vinculo tenebrarum omnes erant compediti, ut patet supra eodem [9]. Secundum.

(Vers. 16.). *Si enim rusticus quis erat*, id est ruris cultor, *aut pastor*, animalium, *aut agri laborum operarius*, ut messor vel vindemiator, *praeoccupatus esset*, scilicet illis tenebris extra domum suam; *ineffugibilem sustinebat necessitatem*, scilicet penuriam et afflictionem, quia nemo movit se tribus diebus de loco, in quo erat, ut patet Exodi decimo [10].

(Vers. 17. 18.). *Una enim*, id est communi, *catena tenebrarum*, scilicet exteriorum, *omnes erant colligati*, id est simul ligati. Nec tantum catena tenebrarum exteriorum, sed interiorum, scilicet infidelitatis et peccatorum; unde Proverbiorum quinto [11]; « Funibus peccatorum suorum » quisque « constringitur »; item in Psalmo: « Funes peccatorum circumplexi sunt me ». *Sive* enim *spiritus* etc. Bene dixi, quod necessitatem sustinebant, *sive* enim *spiritus* sibi *sibilans*, id est « sibilus aurae tenuis », tertii Regum decimo nono [12]; *aut inter spissos ra-* Tertium.

---

[1] Vulgata omittit *praesumtionis adiutorium*, quod tamen exhibetur a Rabano, card. Hugone et Lyrano.

[2] Vers. 30.

[3] Vers. 1. — Inferius pro *putat potentiam* (ita cod. B) Vulgata *computat inscientiam*, Rabanus (ed. Migne) *putat conscientiam*, card. Hugo et Lyranus *computat potentiam*, Vat. *putant scientiam* (card. Hugo in margine *computat scientiam*).

[4] Nempe *interlinearem* (ex Rabano): « *Semper enim praesumit*, extollitur, *saeva, perturbata conscientia*, quae non habet tranquillitatis serenitatem. *Nihil enim est timor*, quo scilicet praesumtio comprimitur, *nisi praesumtionis adiutorium*, medicamentum, *proditio* » etc. In his ultimis verbis respicitur Glossa *ordinaria* (ex Rabano): Timor scilicet prodit infirmitatem superbientis, qui vana spe auxiliorum se extollit cogitando, cum posse se sperat quod efficere non potest vel possit, et dum virtus minor est, valetudo rerum, quas extrinsecus patitur, maiorem putat esse potentiam.

[5] Ita A, alias *operatur*.

[6] Vulgata addit *inferis*, quod etiam card. Hugo et Lyranus omittunt.

[7] Vers. 14. — Sequitur Glossa *ordinaria* ex Rabano.

[8] Vers. 11.

[9] Vers. 2.

[10] Vers. 23. Cfr. supra pag. 217, nota 8.

[11] Vers. 22. — Sequitur Ps. 118, 61.

[12] Vers. 12.

mos arborum avium sonus, id est cantus, *suavis, suavis*, in quantum erat de se idoneus ad delectandum magis quam ad terrendum; *aut vis aquae decurrentis nimium*, id est impetuose currentis, sicut currunt aquae torrentium. — *Aut sonus validus praecipitantium*[1] *petrarum*, id est impetuose de altis locis cadentium, *aut ludentium animalium cursus invisus*, scilicet propter tenebrarum densitatem, *animalium*, scilicet mitium, ut iumentorum; *aut mugientium valida bestiarum vox*, id est ferarum, aut ursorum, aut leonum, aut huiusmodi; *aut resonans de altissimis montibus echo*, id est repraesentatio vocis animalium propter reverberationem montium vel petrarum; *deficientes faciebant illos prae timore*, scilicet omnia supra dicta; unde Glossa[2]: « Undique miseri cruciabantur; quidquid enim auribus, vel oculis, vel quolibet sensu percipiebant, tanquam periculosum formidabant ».

Expositio moralis. Notandum autem, quod *catena* praedicta, *moraliter* loquendo, significat peccatorum *progressum* et *connexionem*, de qua Isaiae quinquagesimo octavo[3]: « Si abstuleris de medio tui catenam ». *Spiritus sibilans* significat diaboli occultam suggestionem; Apocalypsis decimo sexto: « Vidi de ore draconis et de ore bestiae et de ore pseudoprophetae exire tres spiritus immundos in modum ranarum ». *Avium sonus suavis*, cogitationum delectationem; Sophoniae secundo[4]: « Vox cantantis in fenestra ». *Aqua decurrens*, consensum in perpetrationem peccati, contra quod Ecclesiastici vigesimo quinto: « Non des aquae tuae exitum nec modicum ». *Sonus petrarum cadentium*, peccati exteriorem operationem; Iob decimo quarto[5]: « Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo ». *Cursus animalium ludentium*, pravam consuetudinem; Iob quadragesimo: « Omnes bestiae agri ludunt ibi ». *Valida vox bestiarum mugientium*, apertam gloriationem de peccato perpetrato; contra quod in Psalmo[6]: « Quid gloriaris in malitia »? *Resonans echo*, delectabilis peccati recordationem; Numerorum undecimo: « Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto ».

Quarto, de singularitate punitionis tria. *Omnis enim* etc. Hic tangitur *poenae singularitas;* et quia « opposita iuxta se posita magis elucescunt[7] », primo tangitur *illuminatio aliorum;* secundo, *Aegyptiorum obtenebratio: Solis autem illis* etc.; tertio, *obtenebrationis meritum: Ipsi ergo.*

Primum. (Vers. 19.). Bene dixi: Aegyptios compeditos vinculis tenebrarum et non alios; *omnis enim orbis terrarum*, scilicet excepta regione Aegypti, *limpido* « id est claro[8] », *illustrabatur lumine*, scilicet solis et caelestium luminarium, quamvis alibi essent multi peccatores in mundo; Matthaei quinto: « Solem suum facit oriri super bonos et malos ». *Et non impeditis continebatur*, id est conservabatur, *non impeditis operibus*, luminarium per densitatem tenebrarum; vel alio modo: *non impeditis operibus*, hominum aliorum ab Aegyptiis propter defectum lucis, cum alibi esset claritas lucis[9], quae ad operandum requiritur; unde Ioannis nono: « Operamini, dum dies est; venit enim nox, quando nemo potest operari ».

Secundum. (Vers. 20.). *Solis autem illis*, scilicet Aegyptiis, *superposita erat*, scilicet a Deo, *gravis nox*, quia obscurior solito et longior; Iob trigesimo septimo[10]: « Nos quippe involvimur tenebris ». *Nox*, dico, existens, *imago*, id est expressa repraesentatio, *tenebrarum*, scilicet aeternarum; *quae* scilicet imago tenebrarum, id est tenebrae imaginatae, *superventura illis erat*, scilicet in inferno; unde Matthaei vigesimo quinto: « Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores »; item Iob decimo: « Terram miseriae et tenebrarum » etc. Et quia tam graves tenebras patiebantur, et non immerito; *ipsi ergo sibi erant graviores tenebrae*[11], id est causa graviorum tenebrarum, supple: quam patiebantur, id est superventurarum sibi in inferno; unde Iob trigesimo quarto: « Novit opera eorum, et idcirco inducet noctem, et conterentur ». Vel: *ipsi erant graviores tenebrae*, id est periculosiores per excaecationem cordis; « excaecavit enim eos malitia eorum », supra secundo[12]; ad Ephesios quinto: « Eratis aliquando tenebrae »; aliqui libri habent: *graviores tenebris*, scilicet exterioribus, propter remorsum conscientiae.

Tertium.

Capitulum XVIII.

Secundo de poenis inferentibus mortem.

Divisio. *Sanctis autem tuis.* Postquam egit de poenis antecedentibus mortem, hic agit de *poenis inferentibus mortem;* et primo, de *exterminatione primogenitorum* suorum in Aegypto, scilicet capitulo isto; secundo, de *subversione eorum* in mari rubro, scilicet ultimo capitulo.

---

[1] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *praecipitatarum*.

[2] Scilicet *ordinaria* ex Rabano.

[3] Vers. 9. — Seq. locus est Apoc. 16, 13, ubi Vulgata omittit *exire*.

[4] Vers. 14. — Sequitur Eccli. 25, 34.

[5] Vers. 18; ibid. 40, 15. habetur seq. locus. Cfr. Gregor., XII. Moral. c. 18. n. 22. seq. et XXIII. c. 2. n. 4.

[6] Psalm. 51, 3. — Subinde allegatur Num. 11, 5.

[7] Vide supra pag. 86, nota 2.

[8] Ita Glossa *interlinearis*. — Immediate post pro *illustrabatur* Vulgata *illuminabatur*. Sequitur Matth. 5, 45.

[9] Exod. 10, 23: « Ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat ». Hic locus addendus est *duobus* locis supra pag. 178, nota 7. allegatis. — Seq. locus est Ioan. 9, 4: Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit nox etc.

[10] Vers. 19. — Inferius allegantur Matth. 25, 30. et Iob 10, 22.

[11] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *tenebris;* cfr. finem huius cap. — Sequitur Iob 34, 25.

[12] Vers. 21. — Seq. locus est Eph. 5, 8.

De exterminatione primogenitorum in Aegypto.

In prima primo tangitur *Hebraeorum*, quos opprimebant, *commendatio;* secundo, per eorum liberationem *Aegyptiorum* opprimentium eos *digna punitio: Digni quidem* etc.; tertio, post liberationem Hebraeorum *gravis tentatio*, scilicet in deserto: *Tetigit.*

Primo, commendatio Hebraeorum.

Circa *commendationem* tanguntur quatuor: primo divini *beneficii exhibitio;* secundo, pro exhibitione beneficii *gratiarum actio: Et quia non et ipsi;* tertio [1], pro beneficii continuatione *supplicatio: Et ut esset;* quarto, *supplicationis exauditio*, ibi: *Propter quod.*

(Vers. 1.). *Sanctis autem tuis* etc. Ita erant Aegyptii in tenebris; *autem*, pro sed; *Sanctis tuis;* scilicet Israelitis, secundum illud Levitici undecimo [2]: « Sancti estote »; *maxima erat lux*, quia lux exterior *corporalis;* unde Exodi decimo: « Ubicumque habitabant filii Israel, lux erat »; item lux *interior spiritualis;* unde Glossa [3]: « *Sanctis tuis*, id est Israelitis, quos fides et conscientiae puritas illuminabat »; primae ad Thessalonicenses quinto: « Omnes filii lucis estis »; item lux *superior caelestis;* Ioannis primo: « Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem » etc.; item Malachiae quarto: « Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae ». *Et horum quidem*, scilicet Sanctorum, *vocem*, humanae collationis vel divinae laudis, inimici *audiebant*, scilicet Aegyptii; *sed figuram non videbant*, scilicet propter tenebras impedientes.

Expositio literalis. Beneficium.

Sed contra: Quia existens in tenebris potest videre illum qui est in lumine, et non e converso.

Quaestio.

Dicendum, quod hoc verum est, nisi sit impedimentum in eius *oculo*, vel in ipso *medio*. Ibi vero erat impedimentum in *oculo* videntium, quia percussi erant quasi quadam caecitate, et in *medio*, quia tenebrae densae et palpabiles ibi erant [4].

Resp.

Et quia non et, id est etiam, *ipsi*, scilicet Sancti, *per eadem passi erant* [5], « id est easdem plagas », secundum Glossam; *magnificabant te*, scilicet laudando; Lucae primo: « Magnificat anima mea Dominum »; Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Quis magnificabit eum, sicut est ab initio »?

Gratiarum actio.

(Vers. 2.). *Et qui ante laesi erant*, scilicet a Pharaone opprimente eos et flagellante, ut patet Exodi primo [6]. *Quia non laedebantur*, scilicet plagis inflictis a Deo, *gratias agebant tibi;* Isaiae quinquagesimo primo: « Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis ». *Et ut esset differentia*, scilicet inter ipsos et Aegyptios; *te Deum petebant* [7], vel: *te Deum orabant*, secundum illud Psalmi: « Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta », sicut et Abraham petebat, ne proderetur iustus sicut impius; Genesis decimo octavo. Vel: *differentia*, scilicet distantia; hoc Israelitis praestitum fuit, quando « tollens se Angelus stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israelis », ut patet Exodi decimo quarto [8].

Supplicatio.

(Vers. 3.). *Propter quod*, scilicet quia beneficio praestito grati erant, conferendo orabant; *ardentem columnam ignis habuerunt*, scilicet de nocte, ut patet Exodi decimo tertio [9]; *ducem ignotae viae*, scilicet per desertum, *et solem sine laesura*, per viam; *solem*, inquam, *boni hospitii*, supple: demonstratorem in termino viae; *praestitisti; sine laesura*, inquam, de die, et hoc, columna nubis aestum solis temperante, ut patet ibidem et supra decimo: « Fuit eis in velamento diei et in luce stellarum nocte », ita quod veniebant ad locum, in quo poterant competenter hospitari et tentoria figere; Isaiae quarto [10]: « Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem »; et post: « et erit in umbraculum diei ab aestu ».

Exauditio.

Secundo, Aegyptiorum digna punitio.

Digni quidem. Hic ostenditur *digna punitio Aegyptiorum* Israelitas opprimentium; et primo tangitur quasi epilogando, *poena communiter omnium;* secundo, *specialiter occisorum: Cum cogitarent;* tertio, *specialiter vivorum et vigilantium: Resonabat;* quarto, *vivorum dormientium: Cum enim quietum.*

(Vers. 4.). *Digni quidem illi*, scilicet Aegyptii erant, supple: *carere luce*, quoad privationem sensus, *et pati carcerem tenebrarum*, quoad privationem motus; *qui inclusos custodiebant* etc., non permittendo, eos exire de terra Aegypti; Exodi quinto [11]: « Nescio Dominum, et Israel non dimittam ». *Sanctos filios tuos*, scilicet Israelitas in te credentes; Ioannis primo: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri,

Primo, de poena omnium.

---

[1] E codd. supplevimus *tanguntur quatuor... tertio.*

[2] Vers. 44. — Sequitur Exod. 10, 23. — Glossa *interlinearis* (ex Rabano): *Sanctis... erat lux*, corporalis scilicet et spiritualis.

[3] Nempe *interlinearis* ex Rabano. — Tres seqq. loci sunt I. Thess. 5, 5; Ioan. 1, 9. et Malach. 4, 2.

[4] Cfr. Exod. 10, 21-23.

[5] Pro *per* [alias perperam *pro*] *eadem passi erant*, quam lectionem card. Hugo recenset in margine, Vulgata *eadem passi erant*. Sequuntur Glossa *interlinearis;* Luc. 1, 46. et Eccli. 43, 35.

[6] Vers. 10. seqq.; cfr. 5, 6. seqq. — Sequitur Isai. 51, 3.

[7] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *donum petebant*, quae etiam paulo superius post *agebant* omittit *tibi*, quod exhibent card. Hugo et Lyranus. — Duo seqq. loci sunt Ps. 42, 1. et Gen. 18, 23: Nunquid perdes iustum cum impio?

[8] Vers. 19. et 20. Post *Angelus* Vulgata plura addit.

[9] Vers. 21. et 22, ubi etiam est seq. locus. — Dein allegatur Sap. 10, 17. — Pro *per viam, solem* edd. *per unam columnam.*

[10] Vers. 5; seq. locus est ibid. v. 6: Et tabernaculum erit etc.

[11] Vers. 2. — Sequitur Ioan. 1, 12. — Vulgata in hoc versu omittit *Sanctos*, quod exhibent etiam card. Hugo et Lyranus.

his qui credunt in nomine eius »; *per quos incipiebat,* scilicet per illius populi praeparationem ad Legis susceptionem, quia nondum erat data; *incorruptum lumen legis saeculo dari.* Notandum, quod lex aliquando dicitur *lumen,* quia illuminat intellectum; Proverbiorum sexto [1]: « Mandatum lucerna, et lex lux »; *incorruptum,* quia purificat vel a corruptione conservat affectum, secundum illud Psalmi: « Eloquium Domini igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum ».

Secundo, de poena occisorum tanguntur quatuor.

Cum cogitarent etc. Hic primo tangitur *percussio primogenitorum* Aegypti; secundo, *praescientia percussionis: Illa enim;* tertio, *evasio Hebraeorum: Suscepta est autem a populo;* quarto, *ratio evasionis: Absconse enim.*

Primum.

(Vers. 5.). *Cum cogitarent,* scilicet Aegyptii, *iustorum,* id est Hebraeorum, *occidere infantes,* non solum cogitatione simplici, sed etiam progressiva in opus, ut patet Exodi primo [2]. *Et uno filio,* scilicet Moyse, *exposito,* scilicet a matre, *et liberato,* scilicet a filia Pharaonis, ut patet Exodi secundo. *In traductionem illorum,* id est punitionem Aegyptiorum, vel: *in traductionem illorum,* id est Hebraeorum, id est, ut educeret eos de Aegypto per Moysen liberatum. *Multitudinem filiorum abstulisti,* id est universitatem primogenitorum, Exodi duodecimo [3]. *Et pariter,* id est simul, *illos,* scilicet Aegyptios parentes eorum, *perdidisti in aqua valida,* scilicet submergendo eos in mari rubro, Exodi decimo quarto: « Nec unus quidem superfuit ex eis », et decimo quinto: « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus ».

Secundum.

(Vers. 6.). *Illa enim; enim,* pro sed; *nox,* scilicet qua occisa sunt primogenita, *cognita est ante a patribus nostris,* scilicet Abraham et aliis; unde Genesis decimo quinto [4]: « Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua » etc.; vel ipsis Israelitis in Aegypto, Moyse praenuntiante illis, ut patet Exodi duodecimo. *Ut vere,* id est certitudinaliter, *scientes, quibus iuramentis crediderunt,* id est quam firmis Dei promissionibus; Genesis vigesimo secundo [5]: « Per memetipsum iuravi, dicit Dominus »; item ad Hebraeos sexto: « Ut per duas res immobiles » etc.; *animaequiores essent,* scilicet in exspectando impletionem iuramenti.

Tertium.

(Vers. 7.). *Suscepta est autem* etc., scilicet nocte illa, vel secundum Glossam [6]: « Lex phase », nocte illa, quasi pro magno beneficio, *a populo tuo,* scilicet Israelitico, ut patet Exodi duodecimo, ubi dicitur: « Feceruntque » etc.; *sanitas quidem iustorum,* per illam enim salvati sunt Israelitae ab Angelo exterminatore; ut patet Exodi duodecimo; *iniustorum autem,* scilicet Aegyptiorum, *exterminatio,* id est per Angelum exterminatorem occisio, ibidem.

(Vers. 8.). *Sicut enim laesisti adversarios nostros* [7], scilicet ob eorum peccata occidendo, *sic et nos provocans,* supple: ad meliora, scilicet ad fidem et Legis susceptionem; Deuteronomii trigesimo secundo: « Sicut aquila provocans ad volandum » etc., *magnificasti,* scilicet ab illo exterminio magnifice liberando.

Quartum.

(Vers. 9.). *Absconse enim,* scilicet propter metum Aegyptiorum, secundum Glossam [8]; *sacrificabant,* scilicet pascha immolando, ut patet Exodi duodecimo. *Iusti pueri,* scilicet filii, *bonorum,* scilicet Israelitarum, cum ipsis patribus suis, propter quod meruerunt liberari, Aegyptiorum primogenitis interfectis. *Et iustitiae legem,* scilicet datam, ibidem, de immolatione phase, quae *iusta* erat, quia iustificationem per mortem Christi faciendam significabat; item *lex* dicebatur, quia ligabat ad sui observantiam pro tempore suo. *In concordia disposuerunt,* id est, concorditer susceperunt et implere proposuerunt et impleverunt; unde in Psalmo [9]: « Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia ». *Similiter,* id est aequanimiter, *bona* [10] *et mala,* id est prospera et adversa, *recepturos iustos,* scilicet se ipsos; repete: disposuerunt, quaecumque Deus vellet inferre; Iob secundo: « Si bona suscepimus de manu Domini, quare autem mala non sustineamus »? Item Lucae decimo sexto: « Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ». *Patrias laudes,* id est a patribus institutas et celebratas, *decantantes,* id est devote cantantes, Deum scilicet

---

[1] Vers. 23. — Sequitur Ps. 11, 7: Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne etc. Cfr. II. Reg. 22, 31: Eloquium Domini igne examinatum.

[2] Vers. 15. seqq.; ibid. 2, 2. seqq. est seq. locus.

[3] Vers. 29. Glossa *interlinearis: Multitudinem filiorum,* primogenitorum. — Duo loci subinde allegati sunt Exod. 14, 28. et 15, 10.

[4] Vers. 13. — Seq. locus est Exod. 12, 21. seqq.

[5] Vers. 16. — Sequitur Hebr. 6, 18. cfr. supra pag. 189, nota 11.

[6] Nempe *interlinearem:* Lex Moysi. Glossa *ordinaria* ex Rabano: Populus Israel in Aegypto iussu Domini pascha celebravit [Rabanus: paschae victimam immolabat]. — Subinde allegatur Exod. 12, 28: Et egressi filii Israel fecerunt, sicut praeceperat Dominus Moysi et Aaron, cfr. ibid. v. 50. (ibid. v. 11: Sic autem comedetis illum... est enim phase, id est transitus Domini). Ibid. v. 23. et 29. sunt duo seqq. loci.

[7] Vulgata omittit *nostros,* quod etiam card. Hugo et Lyranus exhibent. — Sequitur Deut. 32, 11.

[8] Scilicet *ordinariam* ex Rabano: Exinde dicit, eos *absconse* sacrificasse, quia metu hostium id occulte faciebant, ubi et legem paschae, quae deinceps servanda erat, per Moysen didicerunt etc. — Exod. 12, 3. seqq. datur ritus et praeceptum agni paschalis immolandi et comedendi, de quo seqq. duo loci allegati sunt; cfr. supra nota 6.

[9] Psalm. 49, 5. — Ex A supplevimus *et implere proposuerunt.* B paulo superius post *dicebatur* addit *et erat.*

[10] Ita etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus; Vulgata *et bona,* quae etiam inferius pro *patrias,* quod exhibet etiam card. Hugo in textu et Lyranus in margine, substituit *patrum;* Rabanus vero et Lyranus in textu (card. Hugo in margine) *patri omnium;* et demum voci *decantantes* eadem praefigit *iam,* quod card. Hugo et Lyranus etiam omittunt. — Subinde allegantur Iob 2, 10. et Luc. 16, 25.

laudando tam de malis, scilicet poenae, quam de bonis, scilicet gratiae, vel fortunae, vel naturae; in Psalmo [1]: « Semper laus eius in ore meo »; *semper,* id est non solum in prosperitate, sed etiam in adversitate.

Tertio, de poena vivorum et vigilantium quatuor.

Resonabat autem etc. Hic tangitur poena Aegyptiorum *viventium et vigilantium,* scilicet luctus de morte primogenitorum suorum; et primo tangitur *materia luctus;* secundo, *utilitas lugentium: Simili autem poena;* tertio, *causa universalitatis: Similiter ergo omnes;* quarto, *effectus consequens: De omnibus enim* etc.

Primum.

(Vers. 10.). Ita dixi, quod *laudes patrias* decantabant; *resonabat autem,* scilicet fortiter per totam terram Aegypti, *inconveniens inimicorum vox,* id est Aegyptiorum vox auditu horribilis; Exodi duodecimo [2]: « Ortus est clamor magnus in Aegypto »; *et flebilis audiebatur planctus,* id est fletus cum planctu; erat autem *clamor* vocis et *fletus* oculorum et *planctus* manuum; *flebilis,* inquam, *planctus ploratorum infantium,* id est de infantibus vel pro infantibus, quos plangebant, secundum illud Ieremiae sexto: « Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum ».

Secundum.

(Vers. 11.). *Simili autem poena,* id est amissione primogeniti sui, *servus cum domino afflictus est,* in una domo; *et popularis homo regi similia passus,* scilicet in toto regno Aegypti, Exodi duodecimo [3]: « Percussit omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, usque ad primogenitum captivae, quae erat in carcere »; Isaiae vigesimo quarto: « Erit sicut populus, sic et sacerdos; et sicut servus, sic dominus eius ».

Tertium.

(Vers. 12.). *Similiter ergo omnes,* id est maiores et minores et mediocres, scilicet rex Pharao et domini alii et eorum servi; *habebant mortuos innumerabiles,* primogenitos omnes, *mortuos,* inquam, *uno nomine mortis,* scilicet uno genere, quia divina plaga. Et bene dicit: *omnes,* quia « non erat domus, in qua non iaceret mortuus », ut habetur Exodi duodecimo [4]. *Nec enim* etc. Et bene dixi: *innumerabiles; nec enim ad sepeliendum,* scilicet mortuos, *vivi sufficiebant;* Ieremiae decimo sexto: « Morientur parvi et grandes, et non sepelientur » etc. *Quoniam uno momento,* scilicet una hora noctis, *quae erat praeclarior natio illorum,* id est primogenitorum universitas, qui dignitate praecellunt reliquos filios; *exterminata est,* id est ab Angelo exterminatore occisa, ut patet Exodi duodecimo [5].

Quartum.

(Vers. 13.). *De omnibus enim,* quasi dicat: et merito sic occidebantur primogenita; *de omnibus enim,* id est pro omnibus plagis prius illatis, *non credentes,* scilicet Aegyptii, *propter beneficia* [6], scilicet eis facta in singularum plagarum relaxatione, ut patet Exodi septimo, octavo, nono, decimo et duodecimo. *Tunc cum primum fuit exterminium primogenitorum,* scilicet in ultima plaga, *spoponderunt, populum Dei se esse,* id est promiserunt, se Dei mandatum facere, quod erat de dimissione filiorum Israel; tunc enim dimiserunt eos, ut patet Exodi duodecimo [7]. Vel: *spoponderunt* etc., id est, promiserunt, se Deo Hebraeorum credere, si liberarentur; Isaiae vigesimo sexto: « Domine, in angustia quaesierunt te »; in Psalmo: « Cum occideret eos, quaerebant eum ».

Quarto, de poena vivorum dormientium duo.

Cum enim quietum etc. Postquam determinavit de afflictione vigilantium pro morte primogenitorum, hic agit de *afflictione dormientium;* et primo tangitur afflictionis *causa;* secundo, *poena: Tunc continuo.*

Primum.

(Vers. 14. 15.). Bene dixi: *Tunc cum primum fuit exterminium; enim,* pro quia; *cum quietum silentium continerent* [8] *omnia; silentium,* scilicet noctis, quae data est ad quiescendum, sicut dies ad operandum; unde primae ad Thessalonicenses quinto: « Qui dormiunt nocte dormiunt ». *Et nox in suo cursu iter medium haberet,* id est, cum esset medium noctis; unde Exodi duodecimo: « Factum est autem in noctis medio »; et hoc propter improvisionem. — *Omnipotens sermo tuus, Domine* [9], id est ordinatio tua et iussus; unde ad Hebraeos quarto: « Vivus est sermo Dei et efficax », scilicet propter resistendi impossibilitatem, *exsiliens de caelo, exsiliens* dicit propter velocitatem, *de caelo,* id est in Angelo exterminatore, *a regalibus sedibus,* scilicet tuis, id est ab Angelorum consortio, in quibus regnas et sedes; in Psalmo [10]: « Qui sedes super Cherubin ». Vel: *exsiliens de caelo,* scilicet a te missus, qui in caelo sedes: « Omnes enim administratorii sunt spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis », ad Hebraeos primo; *venit durus,* id est implacabilis, *debellator,* scilicet Aegyptiorum propter eorum obstinationem; *in mediam*

---

[1] Psalm. 33, 2.

[2] Vers. 30. — Inferius allegatur Ier. 6, 26.

[3] Vers. 29: Percussit Dominus omne etc. — Sequitur Isai. 24, 2.

[4] Vers. 30: Neque enim erat etc. — Seq. locus est Ier. 16, 6: Et morientur grandes et parvi in terra ista, non etc.

[5] Vers. 29.

[6] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *veneficia,* quae etiam inferius legit: *tunc vero primum cum fuit... populum Dei esse,* dum card. Hugo et Lyranus omittunt *vero* et addunt *se.*

[7] Vers. 31. — Subinde allegantur Isai. 26, 16. et Ps. 77, 34.

[8] Hanc lectionem recenset card. Hugo et Lyranus in margine; Vulgata *contineret.* — Duo seqq. loci sunt I. Thess. 5, 7. et Exod. 12, 29.

[9] Pluribus omissis, hunc versum Vulgata sic exhibet: *Omnipotens sermo tuus de caelo a regalibus sedibus, durus debellator* etc.; cum nostra lectione conveniunt card. Hugo et Lyranus. — Sequitur Hebr. 4, 12.

[10] Psalm. 79, 2. — Seq. locus est Hebr. 1, 14.

exterminii terram, id est in terram Aegypti morte primogenitorum exterminandam; *prosilivit*, scilicet subito.

(Vers. 16.). *Gladius acutus*, id est gladii acuti officium impleturus per occisionem primogenitorum; ad Hebraeos quarto [1]: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti »; item ad Ephesios sexto: « Gladium spiritus, quod est verbum Dei ». *Gladius* ergo *acutus*, propter promptam nocendi facilitatem, *insimulatum imperium tuum portans*, id est non fictum, sed verum mandatum tuum et potestatem, quia « non est potestas nisi a Deo », ad Romanos decimo tertio [2]. *Insimulatum* ergo *imperium* dicitur propter divinam auctoritatem, *et stans*, propter sententiae immobilitatem. *Replevit omnia morte*, id est totam terram Aegypti primogenitis mortuis. « Non enim erat domus, in qua non iaceret mortuus », ut patet Exodi duodecimo. Dicit ergo: *Replevit omnia* etc., propter huius plagae universalitatem.

Sed *obiicitur*, quia Exodi duodecimo [3] dicitur: Quaestio. « Transibo nocte illa per terram Aegypti et percutiam omne primogenitum » etc., non ergo stabat: male ergo dicitur hic: *Et stans* etc.

Sed dicendum, quod iste *status*, de quo loquiResp. tur hic, opponitur *recessui* de terra Aegypti, non motui per ipsam terram. Unde vult dicere, quod Angelus, exsequens sermonem vel mandatum de occisione primogenitorum datum, stetit in terra Aegypti, ita quod extra Aegyptum nullus fuit occisus; sed non vult dicere, quin transiret per Aegyptum de domo in domum.

Et usque ad caelum attingebat stans in terra, id est, attingere videbatur, scilicet propter inevitabilitatem, scilicet ne quis evaderet; in Psalmo [4]: « Si ascendero in caelum, tu illic es ». Vel: *usque ad caelum* etc., hoc dicit, quia ille Angelus in caelo contemplabatur, ministrans in terra, secundum illud Bedae: « Intra Deum currunt, quocumque mittantur »; item Matthaei decimo octavo: « Angeli eorum », scilicet administratores, « in caelis semper vident », per contemplationem, « faciem Patris mei » etc.

Allegorice vero describitur hic adventus Christi Expositio allegorica. in carnem, qui dicitur *omnipotens sermo* Dei per aeternam generationem, secundum illud Ioannis primo [5]: « In principio erat Verbum »; sed *de caelo, a regalibus sedibus* venisse per carnis temporalem assumtionem; in Psalmo: « A summo caelo egressio eius »; *medio noctis silentio*, propter temporis opportunitatem; ad Galatas quarto: « At ubi venit plenitudo temporis » etc. Primum silentium fuit sub Triplex silentium. lege *naturae*, et hoc propter ignorantiam infirmitatis; secundum, sub lege *Moysi*, et hoc propter desperationem sanitatis; tertium, sub lege *gratiae*, et hoc propter adeptionem salutis [6]. *Tanquam durus debellator* etc., scilicet propter daemonum expugnationem; Lucae undecimo [7]: « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quae possidet; si autem fortior eo supervenerit » etc. *In mediam terram exterminii*, id est in medio mundi propter terrae in qua natus est positionem; in Psalmo: « Operatus est salutem in medio terrae ». *Imperium Dei secum portasse*, propter coomnipotentem Patri Deitatem; Ioannis primo [8]: « Et Deus erat Verbum », scilicet de quo postea subdit: « Et Verbum caro factum est »; item Matthaei ultimo: « Data est mihi omnis potestas » etc. *Omnia morte replevisse*, propter omnium in morte eius consummationem, secundum illud Ioannis decimo nono: « Consummatum est ». *Stans in terra caelum attigisse*, quia anima eius in statu viatoris habebat continuam Dei fruitionem; Ioannis tertio: « Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo ».

(Vers. 17.). *Tunc continuo*, scilicet ipsa hora Secundum. occisionis, *visus somniorum malorum*, id est terribilium, *turbaverunt illos*, scilicet dormientes; Glossa [9]: « Ut nec vigilantibus nec dormientibus daretur requies ». *Et timores insperati*, id est subiti, *supervenerunt*, scilicet illis; Iob septimo [10]: « Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties »; Iob quarto: « In horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me ».

(Vers. 18.). *Et alius alibi*, scilicet quam alter, *proiectus semivivus*, id est in extremo vitae suae; *propter quam moriebatur causam mortis demonstrabat*, scilicet aliis indicando, sicut poterat, scilicet propter duritiam cordis Deo Hebraeorum et Moysi, servo eius, rebellantis; ad Romanos secundo [11]: « Secundum duritiam tuam et cor impoenitens ».

---

[1] Vers. 12. — Sequitur Eph. 6, 17.

[2] Vers. 1. — Seq. locus est Exod. 12, 30.

[3] Vers. 12.

[4] Psalm. 138, 8. — Sententia Bedae, quae infra allegatur, iam allata est supra pag. 157, nota 8. Dein sequitur Matth. 18, 10.

[5] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Ps. 18, 7. et Gal. 4, 4.

[6] Card. Hugo: Et notatur ibi triplex silentium: *primum, medium* et *ultimum*. *Primum* fuit ante Legem, scilicet ignorantia languoris, propter quam silebant a quaerendo medico; et hoc ruptum est per Legem; unde Rom. 7, 7. seq.: *Concupiscentiam nesciebam*, esse peccatum, *nisi Lex diceret: Non concupisces* etc. *Medium* fuit sub Lege, scilicet desperatio sanitatis, propter quam silebant a quaerendo medico; et hoc fuit ruptum per Evangelium; unde supra 16, 12: *Non herba neque malagma sanavit eos, sed tuus sermo, Domine, qui sanat omnia. Ultimum* est sub Evangelio, scilicet adeptio sanitatis, propter quam silebant a querimonia et planctu, de quo Isai. 30. — Cfr. Hugo a S. Vict., IV. de Claustro animae, c. 36.

[7] Vers. 21. et 22. — Seq. locus est Ps. 73, 12.

[8] Vers. 1. et 14. — Subinde sequuntur Matth. 28, 18; Ioan. 19, 30. et 3, 13.

[9] Scilicet *interlinearis* ex Rabano.

[10] Vers. 14; ibid. 4, 13. et 14. est seq. locus.

[11] Vers. 5.

(Vers. 19.). *Visiones enim*, somniorum scilicet, *quae illos turbaverunt, haec praemonebant*, scilicet causam suae mortis. *Ne inscii, quare mala patiebantur, perirent*, et sic propter ignorantiam excusarentur de impoenitentia; Isaiae vigesimo octavo [1]: « Vexatio dabit intellectum auditui »; Gregorius: « Oculos, quos culpa claudit, poena aperit ».

Tertio, Hebraeorum gravis tentatio.

Tetigit etc. Hic subditur Hebraeorum post suam liberationem gravis tentatio in deserto; et primo ostenditur *periculum* a parte tentatorum; secundo, *modus liberationis* a parte Pontificis: *Properans enim* etc.; tertio, *causa* vel virtus *liberans* a parte ornatus pontificalis: *In veste* etc.; quarto, *effectus consecutus* parte a Angeli exterminantis: *His autem* etc.

Divisio.

(Vers. 20.). *Tetigit autem* etc. Ita puniti sunt Aegyptii nec tantum illi; *autem*, pro sed; *tetigit tunc; tunc*, sumitur large, ita quod sit sensus: *Tunc*, scilicet illo tempore, quo egressi de Aegypto proficiscebantur per desertum, *tetigit et iustos*, scilicet filios Israel. *Tetigit* dicit, quia non diu permansit nec in omnibus fuit, *tentatio mortis*, id est ad mortem ducens. *Et commotio in eremo facta est multitudinis*, scilicet contra Moysen et Aaron, ita quod fugerunt ad tabernaculum Domini, ut patet Numerorum decimo sexto [2]. *Sed non diu permansit ira tua;* Habacuc: « Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis ».

Periculum in tentatis.

Properans enim etc. Hic tangit triplicem *modum liberationis* eorum, scilicet *devote orando;* secundo, patrum *promissa rememorando: Vicit autem;* tertio, se *personaliter interponendo: Cum enim iam acervatim.*

Modus liberationis triplex.

(Vers. 21.). Dicit ergo: *Properans enim* etc. Bene dixi, quod *non diu permansit ira tua; properans enim homo sine querela*, scilicet Aaron; unde Numerorum decimo sexto [3]: « Quod cum audiisset Aaron et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium » etc.; *properans*, in hoc innuitur fervor cordis, *sine querela*, sanctitas conversationis, *deprecari pro populis* etc. Talem enim Deus exaudit et non peccatores; unde Ioannis nono [4]: « Peccatores Deus non audit »; Gregorius: « Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur »; *deprecari pro populis; deprecatio* proprie est de malis amovendis, *oratio* vero de bonis adipiscendis, sed communiter ponitur unum pro altero. *Proferens servitutis suae scutum, orationem* etc. Oratio dicitur *scutum* ratione protectionis; Ezechielis vigesimo [5]: « Quaesivi de eis virum, qui interponeret sepem et staret oppositus contra me ». *Servitutis suae* dicitur, quia ad hoc servitium tenebatur ratione officii pontificalis; unde ad Hebraeos quinto [6]: « Omnis namque pontifex, ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur »; et postea sequitur: « Debet, quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis ».

Primus.

Notandum, quod *scutum* spiritualiter potest dici *fides;* unde ad Ephesios sexto [7]: « In omnibus sumentes scutum fidei ». Item, *verbum Dei;* unde Proverbiorum trigesimo: « Omnis sermo » Domini, vel « Dei, ignitus clypeus est sperantibus in se ». Item, *oratio;* unde hic: *Proferens scutum servitutis suae orationem.* Item, *aequitas;* unde supra quinto [8]: « Sumet scutum inexpugnabile, aequitatem ». Item, *eleemosyna;* unde Ecclesiastici vigesimo nono: « Super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit ». Item, *patientia;* secundi Regum primo: « Ibi abiectus est clypeus fortium » etc. Item, *obedientia*, de quo primi Machabaeorum decimo quarto: « Haec est aureus clypeus Simonis mnarum mille ».

Septem significationes scuti.

Et per incensum, id est incensi oblationem, *deprecationem allegans*, id est allegando proferens; Numerorum decimo sexto [9]: « Obtulit thymiama et stans inter mortuos et viventes pro populo deprecatus est ». Et notandum, quod *oratio* ponitur pro remissione peccati, *deprecatio* pro amotione flagelli, *incensum* pro reconciliatione iudicis offensi. *Properans*, inquam, *homo* etc., *restitit irae*, id est divinae percussioni. *Et finem imposuit necessitati*, id est humanae afflictioni inevitabili. *Ostendens*, scilicet facto, non solum verbo, *quoniam tuus est famulus*, secundum illud Ioannis decimo [10]: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis »; Ecclesiastici quadragesimo quinto: « Ipsum elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum » etc. Econtra conqueritur Dominus de praelatis malis Ezechielis decimo tertio: « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel ».

Nota.

---

[1] Vers. 19. — De sententia Gregorii cfr. supra pag. 180, nota 5.

[2] Vers. 41-43. — Sequitur Habac. 3, 2.

[3] Vers. 47: Quod cum fecisset Aaron etc.

[4] Vers. 31. — Sententia Gregorii habetur in lib. Regulae pastoralis, p. I. c. 10. et I. Epist. epist. 25. Cfr. Gratian., dist. 49. in initio.

[5] Vers. 30. — August., Epist. 149. (alias 59.) c. 2. n. 13: *Precationem* et *deprecationem* multi nostri hoc idem putant, et hoc quotidiano usu iam omnino praevaluit. Qui autem distinctius latine locuti sunt *precationibus* utebantur in optandis bonis, *deprecationibus* vero in devitandis malis. *Precari* enim dicebant esse precando bona optare; *imprecari* mala, quod vulgo iam dicitur maledicere; *deprecari* autem mala precando depellere... *Orationes* vero... distinguere a *precibus* vel precationibus omnino difficile est.

[6] Vers. 1; ibid. v. 3. est seq. locus.

[7] Vers. 16. — Sequitur Prov. 30, 5.

[8] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 29, 16-18; II. Reg. 1, 21. et I. Machab. 14, 24: Misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille.

[9] Vers. 47. et 48. Vide pag. seq. notam 3.

[10] Vers. 11. — Sequuntur Eccli. 45, 20. et Ezech. 13, 5.

Secundus.

(Vers. 22.). *Vicit autem turbas*, id est populum turbatum dividendo et penetrando, *non in virtute corporis*, sicut Samson Philisthaeos, Iudicum decimo quinto [1]; *nec armatura potentiae*, scilicet armatura potenti et forti, sicut David Goliath, primi Regum decimo septimo; primi Machabaeorum tertio: « Non in multitudine exercitus victoria belli ». Sed *verbo*, scilicet devotae orationis, *illum qui se vexabat, subiecit*, scilicet Angelum populum exterminantem, quod reputabat suam vexationem, iuxta illud: « Quis infirmatur, et ego non infirmor » etc., secundae ad Corinthios undecimo [2]. *Iuramenta Patrum et testamentum*, id est promissionem factam Patribus de danda eis terra promissionis in hereditatem; Genesis duodecimo: « Semini tuo dabo terram hanc »; *commemorans*, scilicet in sua oratione.

Tertius.

(Vers. 23.). *Cum enim* etc., quasi dicat: bene dixi, quod *vicit turbas* etc.; *cum enim iam acervatim cecidissent super alterutrum mortui*, id est, cum per acervos mortui iacerent unus super alterum; *interstitit*, id est, inter vivos et mortuos stetit; unde Numerorum decimo sexto [3]: « Stetit inter mortuos et viventes ». *Et amputavit impetum*, scilicet ignis consumentis eos; ad Hebraeos undecimo: « Exstinxerunt impetum ignis »; *et divisit illam quae ad vivos ducebat viam*, scilicet opponendo se igni in medio viae, ne ignis a mortuis ad viventes transiret.

Causa liberationis.

In veste enim etc. Hic tangitur *causa liberationis*, et primo a parte *pontificis;* secundo, ex parte *Angeli* exterminantis: *His autem.*

Ex parte pontificis.

(Vers. 24.). *In veste enim* etc., quasi dicat: ideo praedicta facere potuit; *in veste enim poderis*, id est *tunica* talari hyacinthina, « in cuius extremitate erant tintinnabula et mala punica », Exodi vigesimo octavo [4]. Vel secundum Iosephum, *totum* vestimentum pontificale interius et exterius — *poderis*, est linea vestis usque ad pedes descendens, unde dicitur a *podos* [5] Graece, quod *pedis* sonat Latine, unde *poderis* quasi pedibus haerens — *in veste poderis* intelligitur, quod videtur verius per sequentia. *In veste*, inquam, *poderis, quam habebat*, scilicet Aaron, *totus erat orbis terrarum*, scilicet descriptus, scilicet in *signo*, quia, sicut dicit Glossa [6], « *byssum* terrae deputant Hebraei, quia ex terra gignitur; *purpuram* mari, quia ex conchis eius tingitur; *hyacinthum* aëri propter coloris similitudinem; *coccum* igni et aetheri, scilicet ut pro toto mundo oret Pontifex; siquidem ex terra, aqua, igne et aëre consistit mundus ».

Alia expositio.

Quaestio de 1. expositione.

Sed secundum quod exponitur de *tunica* hyacinthina tantum, quaeritur: quomodo erat in ipsa totus orbis descriptus? Cum enim tota esset ex hyacintho, non videtur in ea aliqua pars mundi descripta nisi solum aer.

Resp.

Sed dicendum, quod, etsi *corpus tunicae* erat de hyacintho, tamen in *extremitatibus eius* erant aliqua ex purpura et bysso et hyacintho et cocco, sicut mala granata et huiusmodi [7]. — *Zona* repraesentabat oceanum, quia cingit totam terram. *Superhumerale* vero et *duo lapides*, qui desuper erant utrumque humerum tegentes, duo hemisphaeria repraesentabant, vel solem et lunam. *Mala punica* et *tintinnabula* inferius posita, fulgura et tonitrua; *duodecim lapides rationalis*, duodecim menses, vel duodecim partes zodiaci. *Rationale* divinam providentiam et dispositionem. *Cidaris* cum vitta hyacinthina, caelum. *Lamina* in fronte Pontificis et *nomen Dei* scriptum ibi, universa, quae in ipso sunt Dei arbitrio gubernari.

Sensus mystici.

Et parentum magnalia, id est magnae auctoritatis nomina, *in quatuor ordinibus lapidum sculpta erant;* in *rationali* enim erant quatuor ordines lapidum pretiosorum; singulis erant inscripta singula nomina duodecim Patriarcharum, ut patet Exodi vigesimo octavo [8], sicut etiam in fundamentis Ierusalem dicuntur inscripta nomina duodecim Apostolorum, Apocalypsis vigesimo primo. *Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat*, id est nomen Dei magnificum tetragrammaton, id est ex quatuor litteris, quae sunt: Iod, He, Vau, He [9], quae significant principium vitae passionis Christi.

Effectus ex parte Angeli.

(Vers. 25.). *His autem*, scilicet ornamentis sacris, *cessit qui exterminabat*, scilicet Angelus vel ignis, cessando non propter ornamenta illa, sed pro-

---

[1] Vers. 15. seqq. — Subinde allegantur I. Reg. 17, 49. seqq. et I. Machab. 3, 19. — Pro *nec armatura potentiae*, quod etiam card. Hugo et Lyranus habent, Vulgata *nec armaturae potentia.*

[2] Vers. 29. — Seq. locus est Gen. 12, 7. — Pro *iuramenta patrum*, quod etiam respondet septuaginta interpretibus, Vulgata *iuramenta parentum.*

[3] Vers. 48: Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga [incendii] cessavit. — Sequitur Hebr. 11, 34.

[4] Vers. 33. et 34: Per circuitum quasi mala punica facies, ex hyacintho et purpura et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis etc. — De sententia Iosephi cfr. III. Antiquit. c. 11, ubi vestes sacerdotum describuntur.

[5] Quod est genitivus vocabuli πούς i. e. pes.

[6] Nempe *ordinaria* ex Rabano.

[7] Vide supra notam 4. — Quae sequuntur sunt secundum Glossam *ordinariam* ex Rabano.

[8] Vers. 21. — Sequitur Apoc. 21, 14.

[9] Hieron., Epist. 25. (alias 136.): Nonum [nomen Dei] τετράγραμμον [Iehovah], quod ἀνεκφώνητον, id est *ineffabile*, putaverunt, quod his litteris scribitur: Iod, He, Vau, He. Epist. 18. (alias 142. et 143.) n. 7: Dominus quoque ipse hic quatuor litterarum est, quod proprie in Deo ponitur: Iod, He, Iod, He, id est duobus *ia*, quae duplicata *ineffabile* illud et gloriosum Dei nomen efficiunt. Cfr. Isidor., VII. Etymolog. c. 1. n. 16. Beda, III. de Tabernaculo etc. c. 7: « Et bene quatuor litteris idem nomen Domini in fronte Pontificis erat scriptum, propter videlicet significantiam totidem partium dominicae crucis, quam in fronte portaturi eramus, hoc est supremam, dexteram, laevam et infimam ». Card. Hugo in Exod. 3: « Et huius est sensus: Iste, id est Christus, quem iste sacerdos significat, est principium vitae passionis, id est per passionem; loco enim ablativi solebant Graeci ponere genitivum ». Glossa *ordinaria* in Exod. 28, 36. deducit hanc significationem ex quatuor dictis litteris hebraicis: *He* interpretatur iste; *Iod* principium, *He* passionis, *Vau* vitae.

pter significatum, scilicet propter futurum ornamentum, id est sacrificium summi Pontificis, scilicet Christi, secundum quod tangit Glossa[1]. *Et haec extimuit,* id est, fecit, quasi timeret, scilicet discedendo; et bene dixi: *His cessit* etc.; *erat enim sola tentatio irae,* id est inchoatio, non consummatio, *sufficiens,* scilicet ad populi correctionem, scilicet cum Pontificis intercessione.

Capitulum XIX.

De punitione Aegyptiorum per mortem propriam.

Impiis autem usque in novissimum. Postquam determinavit de punitione Aegyptiorum per mortem primogenitorum, hic determinat de punitione ipsorum per *mortem propriam,* scilicet quando submersi sunt in mari rubro. Et primo tangitur *submersio Aegyptiorum;* secundo, *liberatio Hebraeorum: Omnis enim creatura;* tertio, *gratiarum actio* pro utroque: *Videntes tua;* quarto, *obedientia creaturarum* in utroque: *In se enim elementa.*

Divisio.

Primo, submersio Aegyptiorum.

In prima primo tangitur *gravitas punitionis;* secundo, *ratio ex parte punientis: Praesciebat;* tertio, *meritum ex parte punitorum: Adhuc enim;* quarto, *congruentia poenae: Ducebat enim.*

Tanguntur quatuor.

(Vers. 1.). *Impiis autem* etc., quasi dicat: sic Israelitae liberati sunt ab incendio; *autem,* pro sed; *impiis,* scilicet Aegyptiis carentibus pietate religionis quoad Deum et compassionis in proximum, quia et Deum contemnebant et eius populum opprimebant; *usque in novissimum,* id est finaliter; Proverbiorum quinto[2]: « Novissima illius amara quasi absinthium »; *sine misericordia ira supervenit. Sine misericordia,* scilicet non relaxante, sed sine misericordia liberante, et hoc, quia impii et sine misericordia erant; Iacobi secundo: « Iudicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam ». *Ira,* id est peccati vindicta, quae est signum irae; *supervenit,* id est, superno iudicio Dei venit ad eorum oppressionem; Iob vigesimo primo[3]: « Lucerna impiorum exstinguetur, et superveniet super illos inundatio »; Proverbiorum primo: « Quando venerit super vos tribulatio et angustia ». Et merito *supervenit* etc.; *praesciebat enim,* Deus scilicet, *et,* id est etiam, *futura illorum,* scilicet peccata, antequam fierent; ad Hebraeos quarto[4]: « Omnia nuda et aperta oculis eius »; item in Psalmo: « Intellexisti cogitationes meas de longe »; item Ecclesiastici vigesimo tertio: « Domino Deo nostro, antequam crearentur universa, sunt agnita » etc.

Expositio litteralis.

Primum.

Secundum.

(Vers. 2.). *Quoniam cum ipsi,* scilicet Aegyptii, *reversi essent*[5], scilicet ad cor suum, secundum quod monet Isaias dicens: « Redite ad cor, praevaricatores », Isaiae quadragesimo sexto. *Reversi,* inquam, ad cor suum, extra quod fuerant prae timore; in Psalmo: « Cor meum dereliquit me ». *Et permisissent,* scilicet prius, *ut se ducerent,* id est, seorsum de terra eorum ducerent filii Israel; unde Exodi undecimo: « Egredere tu et omnis populus, qui subiectus est tibi ». *Et cum magna sollicitudine,* id est instantia, *praemisissent illos,* scilicet compellendo eos exire; unde Exodi duodecimo[6]: « Urgebant Aegyptii populum exire de terra velociter ». *Consequebantur illos,* scilicet Aegyptios, cum hoc fecissent, *poenitentiae actus,* id est dolor de recessu eorum, dolor, inquam, in corde et confessio in ore et ostensio utriusque in persecutionis opere; Exodi decimo quarto: « Immutatum est cor Pharaonis et servorum eius super populo, et dixerunt: Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israel »?

(Vers. 3.). Et bene dixi, quod *consequebantur* etc. *Adhuc enim inter manus habentes luctum,* id est luctus materiam, scilicet primogenitos mortuos, vel: *luctum,* id est signa luctus; *et deplorantes,* id est valde plorantes, vel de corde plorantes, vel: *deplorantes,* id est de morte primogenitorum plorantes. Bene sequitur: *Ad monumenta mortuorum,* scilicet primogenitorum, *assumserunt sibi aliam cogitationem* etc. Bene dicit: *Assumserunt* etc., quia mala cogitatio ab homine est, sed bona a Deo; secundae ad Corinthios tertio[7]: « Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis » etc. *Cogitationem,* inquam, *inscientiae,* id est stultitiae. Omnis enim malus errans; Proverbiorum decimo quarto: « Errant qui operantur malum ». Prior cogitatio stulta fuerat, qua cogitaverant eos per vim detinere; alia etiam stulta fuit, qua cogitaverant eos per vim revocare vel reducere. *Et quos rogantes proiecerant,* scilicet compellendo filios Israel exire, ut patet Exodi duodecimo[8]; *hos tanquam fugitivos,* id est quasi sine licentia eorum recedentes, quod falsum erat; *persequebantur,* ut patet Exodi decimo quarto.

Tertium.

---

[1] Scilicet *ordinaria* ex Rabano.

[2] Vers. 4. — De misericordia poenam relaxante cfr. IV. Sent. d. 46. a. 2. q. 2. — Seq. locus est Iac. 2, 13.

[3] Vers. 17. — Sequitur Prov. 1, 27.

[4] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Ps. 138, 3. et Eccli. 23, 29.

[5] Vulgata legit *Quoniam, cum ipsi permisissent, ut se educerent... poenitentia acti.* Lectionem *ut se ducerent* (id est, proficiscerentur) in margine exhibent etiam card. Hugo et Lyranus. Sequuntur Isai. 46, 8; Ps. 39, 13. et Exod. 11, 8.

[6] Vers. 33; ibid. 14, 5. est seq. locus.

[7] Vers. 5. — Sequitur sententia Aristotelis (omnis enim malus errans, sive, ut edd. habent ignorans), de qua vide supra pag. 116, nota 7, et deinde Prov. 14, 22.

[8] Vers. 33; ibid. 14, 9. seqq. habetur seq. locus.

(Vers. 4.). *Ducebat* etc., quasi: et congrue; *du-*
Quartum. *cebat enim illos ad hunc finem*, scilicet obstinationis et submersionis, *digna necessitas*, non fortunae vel fati, sed divinae iustitiae.

Sed contra: Quia voluntarie ad hoc tendebant,
Quaestio solvitur. non ergo necessitate.

Dicendum, quod non fuit necessitas *coactionis*, sed *immutabilitatis* [1].

Sed contra: Quia poterant poenitere et sic poe-
Opponitur. nam illam vitare.

Dicendum, quod poterant, sed nolebant. Unde
Resp. necessitas illa erat consequens voluntatem, non antecedens [2]. Vel: non poterant complete per se, nec petere volebant Dei auxilium.

Et horum quae acciderant, scilicet multarum plagarum pro retentione filiorum Israel illatarum, Exodi septimo, octavo, nono, decimo et duodecimo, *commemorationem amittebant*, id est perdebant, etsi non habitu, tamen actu; vel opere, etsi non corde; Osee decimo tertio [3]: « Elevaverunt cor suum et obliti sunt mei ». *Ut quae deerant tormentis*, scilicet praecedentibus, nondum enim erant sufficienter puniti; *repleret punitio*, scilicet sequens, et ponitur ly *ut* consecutive, non causaliter.

(Vers. 5.). *Et populus quidem tuus*, scilicet Israeliticus, *mirabiliter transiret*, scilicet per mare rubrum sicco vestigio; unde Exodi decimo quinto [4]: « Filii Israel ambulaverunt per siccum in medio eius ». *Illi autem*, scilicet Aegyptii, *novam mortem invenirent*, scilicet novum moriendi modum, scilicet per miraculosam submersionem; ibidem: « Ingressus est eques », id est equitatus, « Pharao », genitivi casus, « cum curribus et equitibus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris ».

Secundo, liberatio Hebraeorum.

Omnis enim etc. Hic tangitur *Hebraeorum li-*
Tangitur dupliciter. *beratio*, et primo *in generali;* secundo, *in speciali: Nam nubes.*

(Vers. 6.). *Omnis enim* etc., quasi dicat sic:
Primo. Aegyptii sunt submersi, et Israelitae liberati; *omnis enim creatura*, id est omnia elementa, *ad suum genus ab initio*, scilicet habitum, *refigurabatur*, id est, iterum assimilabatur, in hoc scilicet, quod non nocebat bonis, sicut nec in statu innocentiae; unde Isidorus [5]: « Si homo non peccasset, aqua non submergeret, ignis non combureret, nec spinarum aculei vulnerarent ». Ipsa, dico, *creatura, deserviens praeceptis tuis*, id est tuae ordinationi et voluntati; in Psalmo [6]: « Statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi, praeceptum posuit, et non praeteribit »; item Ieremiae quinto: « Qui posui arenam terminum maris, praeceptum sempiternum, quod non praeteribit ». *Ut pueri tui*, scilicet Hebraei tibi subiecti; Isaiae octavo: « Ecce, ego et pueri mei »; *custodirentur illaesi;* Proverbiorum secundo: « Custodiet rectorum salutem et proteget gradientes simpliciter ».

(Vers. 7.). *Nam nubes*, scilicet a Deo per An- Secundo.
geli ministerium data, *illorum castra*, scilicet Hebraeorum, *obumbrabat*, « stans inter castra eorum et castra Aegyptiorum, ita ut tota nocte ad eos accedere non valerent », ut patet Exodi decimo quarto [7]. *Et ex aqua*, id est post aquam, sicut cum dicitur: ex mane fit meridies, id est post. *Ex aqua*, inquam, *quae ante erat*, in loco, per quem transierunt; *terra apparuit arida*, scilicet per flatum venti exsiccata, ut patet Exodi decimo quarto [8]. *Et in mari rubro*, scilicet diviso, ut patet ibidem, item in Psalmo: « Qui divisit mare rubrum in divisiones »; *via*, scilicet apparuit, *sine impedimento*, scilicet aquae vel luti, secundum illud Psalmi: « In mari via tua » etc.; Habacuc tertio: « Viam fecisti in mari equis tuis »; item Isaiae quinquagesimo primo: « Posuisti profundum maris viam, ut transeant liberati ». *Et campus germinans*, id est via plana et delectabilis, sicut per campum germinantem, *de profundo nimio*, id est post nimiam profunditatem aquae prius existentis ibidem.

(Vers. 8.). *Per quem*, scilicet campum, *omnis natio*, scilicet Hebraeorum, *transivit*, vel *transiret*, persequentibus Aegyptiis. *Quae tegebatur*, id est, protegebatur, *tua manu*, id est *potentia;* Isaiae quadragesimo nono [9]: « In umbra manus suae protexit me », vel *Filio*, ut in Psalmo: « Emitte manum tuam de alto » etc.

Tertio, gratiarum actio.

Videntes etc. Hic subiungitur *gratiarum actio*, Haec fit pro duobus.
primo pro *Hebraeorum liberatione;* secundo, pro *Aegyptiorum punitione* vel submersione: *Et vexationes.*

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 7. p. I. a. 2. q. 2. ad 3. et d. 25. p. II. q. 2. in corp.

[2] Vide I. Sent. d. 38. a. 2. q. 1. in corp.

[3] Vers. 6. — De significatione *ly* cfr. supra pag. 144, nota 1. in fine.

[4] Vers. 19; ibid. est seq. locus.

[5] De ordine creaturarum, c. 10. n. 8. Verba vide tom. II. pag. 465, nota 2.

[6] Psalm. 148, 6. — Tres seqq. loci sunt Ier. 5, 22; Isai. 8, 18. et Prov. 2, 7.

[7] Vers. 20: Stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israel, et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere etc. — Superius pro *illorum*, quod exhibent etiam card. Hugo et Lyranus, Vulgata *eorum*. — Aristot., II. Metaph. text. 7. (I. brevior, c. 2.) dicit, quod fit « dies ex diluculo [versio Arabico-Latina: mane], quoniam post hoc est: quare nec diluculum ex die ».

[8] Vers. 21, ubi etiam est seq. locus: Divisaque est aqua. — Subinde allegantur Ps. 135, 13. et 76, 20; Habac. 3, 15. et Isai. 51, 10.

[9] Vers. 2. — Sequitur Ps. 143, 7. Cfr. supra 10, 20. et 11, 18.

Quoad Hebraeorum liberationem tanguntur tria.

In prima primo tangitur *Hebraeorum de Aegypto eductio*; secundo, *mirabilia facta pro eis in Aegypto: Memores enim;* tertio, *eorum refectio in deserto: Novissime autem.*

Primum.

Videntes tua, quasi dicat: non tantum audientes, sed etiam videntes; primae Ioannis primo [1]: « Quod vidimus, quod audivimus » etc. *Mirabilia tua et monstra; mirabilia,* scilicet minora, *et monstra,* scilicet maiora; vel: *mirabilia,* in sua liberatione, *monstra,* in Aegyptiorum subversione. *Monstrum* enim dicitur non solum quid mirabile, sed etiam horribile.

(Vers. 9.). *Videntes,* inquam etc.; *enim,* hoc est certe, *depaverunt escam,* scilicet in suorum adversariorum deiectione vel consumtione. Vel hoc dicit pro tanto, quia delectati sunt in destructione eorum, sicut equi, quando escam comedunt vel depascunt. *Tanquam equi,* quibus scilicet Dominus insidebat, secundum illud Habacuc tertio [2]: « Viam fecisti in mari equis tuis ». *Tanquam equi,* scilicet de suorum hostium superatione hinniendo, secundum illud Isaiae vigesimo quarto: « Hi levabunt vocem suam atque laudabunt. Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari ». *Et tanquam agni,* scilicet simplices et mansueti; in Psalmo: « Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium », id est tam maiores quam minores eorum; *exsultaverunt,* non solum intus in corde, sed etiam extra gaudendo. *Magnificantes te, Domine,* id est magnum te praedicando vel magnifice laudando; Exodi decimo quinto [3]: « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est ». *Qui liberasti illos,* scilicet per mare transducendo; Isaiae sexagesimo tertio: « Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem et quasi animal in campo »; et merito te magnificabant.

Secundum.

(Vers. 10.). *Memores enim erant adhuc illorum,* scilicet signorum, *quae in incolatu eorum facta fuerant,* id est, quando adhuc erant incolae Aegypti. *Quemadmodum pro natione animalium,* id est loco productionis naturalium animalium, *produxit terra muscas* [4], et hoc miraculose, ut patet Exodi octavo, item in Psalmo: « Dixit, et venit coenomyia et cinifes » etc. *Et pro piscibus,* id est loco piscium, *eructavit fluvius,* scilicet Nilus, *multitudinem ranarum;* ranae enim ascenderunt de praedicto fluvio, ut habetur Exodi octavo [5]. Nec est illud contrarium ei quod dicitur in Psalmo: « Edidit terra eorum ranas » etc., quia in Psalmo ponitur continens pro contento, scilicet alveus terrae pro aqua fluminis.

Tertium.

(Vers. 11.). *Novissime autem,* id est post praedicta; nova quidem vel prior fuerat Aegypti percussio, magis nova Hebraeorum eductio de Aegypto, sed novissima eorum refectio in deserto. *Viderunt,* scilicet propriis oculis, *novam creaturam avium,* scilicet coturnicum, Exodi decimo sexto [6] et Numerorum undecimo.

Quaestio.

Sed contra: Quia Genesis secundo [7] dicitur: « Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit ab omni opere, quod patrarat », id est a novis creaturarum generibus vel speciebus creandis, secundum Augustinum; item Ecclesiastae primo [8]: « Nihil novum sub sole »: ergo male dicit hic: *Viderunt novam creaturam.*

Resp.

Dicendum, quod non erat simpliciter nova, sed nova illis, quia prius ab illis invisa; item, nova in illo loco, scilicet in deserto, et nova in tanta multitudine, ad quam non solent aves accedere, sed magis fugere.

Cum adducti, id est longe a Deo ducti, *concupiscentia;* Iacobi primo [9]: « Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ». De concupiscentia istorum dicitur in Psalmo: « Concupierunt concupiscentiam in deserto »; unde « et locus ille vocatus est sepultura concupiscentiae », Numerorum undecimo. *Postulaverunt,* scilicet a Moyse, *escas epulationis,* id est delicatas et superfluas, non necessitatis vel educationis.

(Vers. 12.). *In allocutione enim desideriorum* [10], id est consolatione et mitigatione, *ascendit illis,* scilicet Hebraeis, *de mari.* Vel sic: *In allocutione enim desiderii,* vel *desideriorum,* dum prae desiderio carnium loquerentur, scilicet verba murmurationis; *ascendit illis de mari,* hoc non dicit propter hoc, quod de mari traherent originem, sed quia de ultra mare vel de aliqua insula maris adducebantur, secundum illud Numerorum undecimo [11]: « Ventus egrediens a Domino arreptas trans mare coturnices detulit et demisit in castra », vel dimisit, *ortygometra,* id est coturnix. Dicitur autem *ortygometra,* ab *orthos,* quod est rectum, et *gogos,* quod est ductio, et *metros,* quod est mensura, quasi esca recte adducta eis in mensura; vel, sicut dictum est supra decimo sexto [12], dicitur *ortygometra* ab *Ortygia* insula, in qua primum fuisse putantur tales aves, secundum Isidorum. « Notandum, quod, sicut dicit

---

[1] Vers. 1.

[2] Vers. 15. — Sequuntur Isai. 24, 14. et Ps. 113, 4.

[3] Vers. 1. — Seq. locus est Isai. 63, 13. et 14.

[4] Ita etiam card. Hugo; Vulgata: *Memores enim erant adhuc eorum quae in incolatu illorum facta... eduxit terra muscas.* — Subinde allegantur Exod. 8, 16. seq. et Ps. 104, 31.

[5] Vers. 6. — Sequitur Ps. 104, 30.

[6] Vers. 13. et Num. 11, 31.

[7] Vers. 2. — August., IV. de Gen. ad lit. c. 12. n. 22: Potest etiam intelligi, Deum requievisse a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genera nova; deinceps autem usque nunc et ultra operari eorundem generum administrationem etc.

[8] Vers. 10. Supra *educatio* sumitur, ut videtur, pro nutritione puerorum; cfr. Forcellini Lexicon.

[9] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Ps. 105, 14. et Num. 11, 34: Vocatusque est ille locus Sepulcra concupiscentiae.

[10] Vulgata *desiderii,* quae lectio etiam inferius ponitur.

[11] Vers. 31.

[12] Vers. 2; ibid. in nota adiecta attulimus etiam verba Isidori.

Glossa [1], inimicis Dei terra producit muscas, et fluvius ranas; cultoribus autem Dei terra dat fructum, et mare carnis alimentum ».

Quoad Aegyptiorum punitionem tanguntur tria.

Et vexationes. Hic tangitur gratiarum actio pro *vexatione Aegyptiorum* seu punitione; et primo tangitur eorum *punitio;* secundo, *iustitia punitionis: Iuste enim;* tertio, *caecitas punitorum: Percussi sunt.*

Subdivisio membri 2.

Iustitia punitionis ex hoc patet, quod male se habuerunt ad peregrinos cum eis habitantes, vel habitare volentes, scilicet ad filios Israel, et hoc vel eos *nullatenus recipiendo,* vel *receptos in servitutem redigendo: Alii autem* etc.; aut *invite suscipiendo: Et non solum;* aut eos recipientes laetanter *graviter affligendo: Qui autem* etc.

Punitio.

Et vexationes etc., quasi dicat: non tantum praedicta bona facta sunt Hebraeis, sed *et vexationes,* id est afflictiones corporis et animae, *peccatoribus supervenerunt* etc., secundum illud Psalmi [2]: « Multa flagella peccatoris ». *Peccatoribus,* inquam, id est Aegyptiis, qui peccatores hic dicuntur *antonomastice,* et hoc propter peccatum idololatriae, quae ibi plus vigebat, ita ut dixerit Cicero, quod Aegyptus erat templum totius mundi. *Supervenerunt,* inquam, id est, super illas venerunt, quas passi fuerant in Aegypto; unde sequitur: *Non sine illis,* immo cum illis et praeter illa; *quae ante facta erant argumentis,* id est signis divinae potentiae et eorum duritiae manifestativis, secundum illud ad Ephesios quinto [3]: « Omne, quod arguitur, a lumine manifestatur ». *Quae,* inquam, *facta erant,* id est in Aegypto, *per vim fluminum,* scilicet quando conversa sunt in sanguinem, et quando ranae ascenderunt de flumine. Vel sic: *supervenerunt,* inquam, *per vim fluminum,* id est per impetum fluminum collectorum in mari rubro, super eos redeuntium et eos suffocantium; Exodi decimo quinto [4]: « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus ». Et merito: *iuste enim patiebantur* hoc, scilicet quia pro meritis peccatorum suorum; unde subdit: *Secundum nequitias suas,* id est merita nequitiarum suarum; Deuteronomii vigesimo quinto: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus ».

Iustitia punitionis.

(Vers. 13.). *Etenim,* pro quia, *detestabiliorem,* scilicet ceteris, *instituerunt,* id est, quasi institutam servaverunt, *inhospitalitatem,* contra illud ad Hebraeos decimo tertio [5]: « Hospitalitatem nolite oblivisci »; item primae Petri quarto: « Hospitales invicem sine murmuratione ». Sic habet Rabanus et Augustinus. Sed aliqui [6] dicunt *indetestabilem* vel *indetestabiliorem,* id est valde detestabilem, ita quod praepositio notet augmentum vel intensionem; et dicit: *Inhospitalitatem,* vel quia non recipiebant hospites, vel quia male recipiebant. *Alii quidem,* scilicet ipsorum, *ignotos non recipiebant advenas,* contra quod faciebat Iob, trigesimo primo [7]: « Foris non mansit peregrinus ». Similes istis erant illi de Gabaa Beniamin, qui Levitam cum uxore sua noluerunt recipere hospitio suo, Iudicum decimo nono. *Alii autem bonos hospites,* receptos, *in servitutem redigebant,* vel *recipiebant* [8], ut filios Israel, opprimentes eos servitute « luti et lateris », Exodi primo.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

(Vers. 14.). *Et non solum haec,* supple: faciebant, *sed et alius* [9] *erat respectus illorum,* id est, perversa erat intentio eorum, *quoniam inviti recipiebant extraneos,* cum tamen essent rogandi, exemplo Abrahae dicentis: « Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum », Genesis decimo octavo [10]. Nec tantum rogandi, sed etiam cogendi, exemplo duorum discipulorum, de quibus Lucae ultimo: « Et coegerunt illum »; super quod dicit Gregorius: « Quod peregrini non solum sunt invitandi ad hospitium, sed etiam trahendi ».

Ratio 4.

(Vers. 15.). *Qui autem cum laetitia receperunt hos qui eisdem usi erant institutis* [11], *saevissimis afflixerunt doloribus;* littera sic construenda: Ita dixi, quod aliqui recipiebant peregrinos, sed inviti; *autem,* pro sed; *qui eisdem usi erant institutis,* detestabilis inhospitalitatis, quibus et praecedentes; *saevissimis afflixerunt doloribus,* saevissimis dicit, quia saevus est dolor de malo illato in possessione extrinseca; saevior in persona coniuncta, scilicet in uxore; saevissimus in propria persona. *Afflixerunt hos quos cum laetitia receperunt,* scilicet hospites, sicut voluerunt affligere Lot ipsi Sodomitae, sicut patet Genesis decimo nono [12], et Beniamitae senem illum, de quo Iudicum decimo nono.

Caecitas punitorum.

(Vers. 16.). *Percussi sunt autem,* scilicet Aegyptii, *caecitate,* scilicet corporali per plagam tenebrarum, de quibus Exodi decimo [13]; et spirituali per

---

[1] Nempe *ordinaria* ex Rabano: Nota, quod inimicis Dei terra produxit... cultoribus autem Dei terra dedit fructum etc.

[2] Psalm. 31, 10. — Verba Ciceronis non invenimus; cfr. III. de Nat. deor. c. 16, ubi ait: Omne fere genus bestiarum Aegyptii consecraverunt.

[3] Vers. 13. — Subinde pro *per vim fluminum* (cfr. Exod. 7, 20. et 8, 6.), quod etiam Rabanus, card. Hugo et Lyranus habent, Vulgata *per vim fulminum* (cfr. Exod. 9, 23.).

[4] Vers. 10. — Sequitur Deut. 25, 2.

[5] Vers. 2. — Sequens locus est I. Petr. 4, 9.

[6] Hanc lectionem Lyranus notat in margine. De explicatione huius lectionis cfr. supra pag. 195, nota 1, ubi simile (*inutile*) occurrit.

[7] Vers. 32. — Subinde allegatur Iudic. 19, 15: Et nullus eos recipere voluit hospitio.

[8] Card. Hugo et Lyranus notant in margine: alias *accipiebant.* — Sequitur Exod. 1, 14.

[9] Vulgata addit *quidam,* card. Hugo et Lyranus minus apte *quidem.*

[10] Vers. 3. — Sequitur Luc. 24, 29. Sententia Gregorii habetur in II. Homil. in Evang. homil. 23. n. 1.

[11] Ita etiam card. Hugo et Lyranus; Vulgata *iustitiis.*

[12] Vers. 4. seqq. — Sequitur Iudic. 19, 22. seqq.

[13] Vers. 21. seqq. — Sequuntur Exod. 7, 22; Rom. 1, 26. et II. Petr. 2, 8.

mentis excaecationem, ita ut inter flagella peiores fierent; Exodi septimo: « Induratum est cor Pharaonis » etc. *Sicut illi,* scilicet Sodomitae innominabiles, propter peccatum eorum innominabile, quod ipsi faciebant; ad Romanos primo: « Tradidit illos Deus in passiones ignominiae ». *In foribus iusti,* scilicet Lot, de quo secundae Petri secundo: « Aspectu et auditu iustus erat ». *Illi,* inquam, *cum subitaneis cooperti essent tenebris,* scilicet aorasia [1], vel avidentia, percussi ab Angelo, *unusquisque,* scilicet eorum, *transitum ostii sui,* scilicet Lot, *quaerebat,* et invenire non poterat; unde Genesis decimo nono: « Eos qui foris erant, percusserunt caecitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent ».

Obedientia creaturarum.

Tanguntur tria.

In se enim elementa. Hic post Aegyptiorum punitionem et Hebraeorum consolationem et pro utroque gratiarum actionem, ostendit *creaturarum in praedictis obedientiam,* et primo ponit huius obedientiae *commendationem;* secundo, eius *per exempla manifestationem: Sicut in organo;* tertio, populi Dei per hoc *exaltationem: In omnibus.* — *Exempla* ponit primo in *elementis inferioribus;* secundo, in *elemento superiore,* scilicet in igne, ibi: *Ignis in aqua* etc.; tertio, in *elementatis: Flammae e contrario.*

Subdivisio membri 2.

Primum.

(Vers. 17.). *In se enim.* Ita dixi, quod per creaturas inferiores sunt afflicti Aegyptii, et Hebraei consolati; *elementa dum convertuntur,* id est transeunt, unum in vim et potestatem seu officium et modum alterius, et hoc miraculose; *qualitatis sonus,* id est qualitas soni, *immutatur,* scilicet actu, id est, consonantia naturalis in suis effectibus ad horam mutatur secundum voluntatem [2] et imperium Dei moventis. *Sicut in organo,* id est sicut in quolibet instrumento musico, quod per *organum* hic intelligitur, mutatur qualitas soni actu secundum voluntatem moventis; aliquando tamen sumitur *organum* pro determinato instrumento, ut in Psalmo [3]: « Laudate eum in chordis et organo ». *Et omnia,* id est singula elementa et elementata, *suum sonum,* id est harmoniam suam naturalem et ordinem, *custodiunt,* habitu; similiter singulae chordae in organo suum sonum custodiunt, et tamen sonus organi mutatur secundum voluntatem moventis; unde Glossa [4]: « Sicut in organo diversi soni ad concordiam melodiae temperamento consentiunt; ita discrepantia elementa, salvato iure naturae, ad Creatoris voluntatem flectuntur. Non enim creaturam condidit sibi contrariam, sed per omnia voluntati suae consentaneam ». *Unde,* id est de qua re, *aestimari,* id est cognosci, *ex ipso certo visu potest,* scilicet aspiciendo metaphoram organi et veritatem rei factae in populo Dei.

Secundum.

Exempla in inferioribus elementis.

(Vers. 18.). *Agrestia enim,* scilicet animalia, *in aquatica convertebantur,* id est in modum aquaticorum, scilicet quando « homines et iumenta, ut dicit Glossa [5], profundum maris rubri sicco vestigio transierunt ». *Et quaecumque erant natantia,* ut ranae, *in terram transibant,* scilicet per terram deambulando, Exodi octavo: « Ascenderunt ranae », scilicet de flumine, « operueruntque terram Aegypti ».

Item, in superiori elemento.

(Vers. 19.). *Ignis in aqua valebat,* id est valde agebat, *supra suam,* scilicet naturalem, *virtutem,* quae est, ut in aqua exstinguatur, secundum illud Ecclesiastici tertio [6]: « Ignem ardentem exstinguit aqua ». *Et aqua obliviscebatur naturae exstinguentis,* scilicet ignem, quia « grando et ignis mixta pariter ferebantur », ut habetur Exodi nono; item supra decimo sexto: « In aqua, quae omnia exstinguit, plus ignis valebat ».

Item, in elementatis.

(Vers. 20.). *Flammae,* scilicet quae erant in columna ignis, *e contrario,* supple: quam natura earum requireret, *non vexaverunt carnes,* scilicet urendo; *carnes,* inquam, *corruptibilium animalium,* scilicet hominum et iumentorum, *coambulantium,* ipsis flammis. Hoc dicit, quia columna ignis Hebraeos concomitante de nocte non affligebantur sive non urebantur, ut patet Exodi decimo tertio [7]. *Nec dissolvebant,* scilicet ipsae flammae, *illam bonam escam, quae facile dissolvebatur,* scilicet calore solis; *sicut glacies,* scilicet dissolvitur a calore solis, supra decimo sexto [8]: « Quod enim ab igne non poterat exterminari » etc. *Bonam escam* appellat manna, quia bonitatem quorumlibet ciborum repraesentabat; ibidem: « Deserviens uniuscuiusque voluntati ».

Tertium.

In omnibus enim, scilicet praedictis miraculis, *magnificasti populum tuum, Domine,* scilicet Israeliticum, eorum adversarios deprimendo. *Et honorasti,* multis beneficiis exaltando; Ioannis duodecimo [9]: « Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus » etc.; item primi Regum secundo: « Si quis honorificaverit me, honorificabo eum ». *Et non despexisti* eos, scilicet in suis tribulationibus deserendo; in Psalmo [10]: « Multae tribulationes iustorum, et de omnibus his liberavit eos Dominus »; Ecclesiastici secundo: « Quis invocavit eum, et despexit

---

[1] Vox sumta est ex Septuaginta (ab ἀ quod notat privationem, et ὁράω, i. e. video); Vat. *aorisia,* cod. A et 1 *aurisia;* S. Thom., S. p. I. q. 111. a. 4, ubi ille locus citatur, in *novissima* ed. Romana ita habet: Sed contra est, quod Angeli, qui subverterunt Sodomam, *percusserunt* Sodomitas *caecitate* vel *aorasia, ut ostium domus invenire non possent,* ut dicitur Genesis 19, 11.

[2] Cod. B hic et paulo inferius *vocem.*

[3] Psalm. 150, 4.

[4] Nempe *ordinaria* ex Rabano, quae pro *salvato iure* substituit *servato iure.*

[5] Scilicet *ordinaria* ex Rabano. — Sequitur Exod. 8, 6.

[6] Vers. 33. — Duo seqq. loci sunt Exod. 9, 24. et Sap. 16, 17.

[7] Vers. 21. et 22.

[8] Vers. 27; ibid. v. 24. est seq. locus.

[9] Vers. 26. — Sequitur I. Reg. 2, 30: Sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.

[10] Psalm. 33, 20. — Seq. locus est Eccli. 2, 12.

eum »? quasi dicat: nullus. *In omni tempore*, scilicet prosperitatis et adversitatis; Matthaei ultimo [1]: « Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus »; et ideo *omni tempore* benedicendus, secundum illud Psalmi: « Benedicam Dominum in omni tempore »; *et in omni loco*, scilicet tam securo quam periculoso; *assistens eis*, tanquam paratus iuvare; Isaiae quadragesimo tertio [2]: « Cum transieris per aquas, tecum ero ».

Magnificatio quadruplex.

Notandum autem, quod Dominus Sanctos suos magnificat multipliciter: primo modo, *gratiam suam conferendo*, secundum illud ad Romanos octavo [3]: « Quos iustificavit, illos et magnificavit ». Secundo, *miraculis illustrando*, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo octavo: « Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis »; item Exodi undecimo: « Fuit Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram servis Pharaonis et omni populo ». Tertio, *dignitatibus ecclesiasticis sublimando;* unde cantat Ecclesia [4]: « Ecce, Sacerdos magnus »; tertii Regum decimo: « Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terrae divitiis et sapientia ». Quarto, *ad caelestis regni gloriam perducendo*, secundum quod cantat Ecclesia [5]: « Magnificavit eum in conspectu regum », scilicet Angelorum, « et dedit illi coronam gloriae »; in Psalmo: « Magna est gloria eius in salutari tuo » etc. Huius gloriae tanta est magnitudo, ut illius regni minimus maior sit maximo huius mundi; unde Matthaei undecimo [6]: « Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno caelorum maior est illo ». Ad hanc magnitudinem nos perducat Iesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT POSTILLA IN LIBRUM SAPIENTIAE.

SCHOLION.

Duo schemata, quae sequuntur, exhibent sub uno conspectu *principales* divisiones duarum partium, in quas auctor hunc librum dividit. Pro more commentatorum illius aetatis distinctio membrorum divisionis extenditur fere usque ad minimas particulas. Ob rationes typographicas pluries omisimus ultimas divisiones, quae facile ex notis marginalibus possunt suppleri.

---

[1] Vers. 20. — Sequitur Ps. 33, 2.

[2] Vers. 2.

[3] Vers. 30: Quos autem iustificavit, illos et glorificavit. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 48, 4. et Exod. 11, 3: Fuitque Moyses vir etc.

[4] In officio Confess. Pontif. ad Laudes, et in Epist. Missae *Statuit* pro Confess. Pontif., quae est secundum Eccli. 44. et 45. — Sequitur III. Reg. 10, 23.

[5] In Epist. Missae *Statuit;* Eccli. 45, 3: Glorificavit illum in conspectu regum; v. 9: Et circumcinxit eum zona gloriae, et induit eum stolam gloriae etc. — Seq. locus est Ps. 20, 6.

[6] Vers. 11.

Schema I.

- Pars I. Hortatio ad exercendam iustitiam triplicem
  - primo, iustitia ad Deum triplex (c. 1.)
    - iustitia cordis
      - exhortatio ad iustitiae bonum — quoad rectam affectionem — aestimationem — intentionem
      - duplex utilitas acquiescentium — per gratiam in praesenti — gloriam in futuro
      - triplex detrimentum contemnentium — per exclusionem a consortio Dei — sapientiae — Spiritus S.
    - iustitia locutionis
      - removetur impunitatis confidentia, quae oriri posset — ex iudicis misericordia — ignorantia — impotentia
      - praedicatur poena malae locutionis — in iudicum deducendae — a iudice discutiendae — omnibus publicandae
      - monetur ad pravae locutionis cautelam
    - iustitia operis, ad quam monetur
      - per rationes ex parte creationis — sumtas ex bonitate Creatoris — ex parte finis creationis — ex parte conditionis creaturae
      - » » » » retributionis — tangendo praemium iustitiae — supplicium iniustitiae — aequitatem supplicii ob quatuor rationes
  - secundo, ad proximum (c. 2. 3.)
    - retrahitur ab iniustorum similitudine (c. 2.)
      - tangendo triplicem iniuste vivendi causam motivam
        - a parte status — mundi — paradisi — inferni
        - » » naturae — quoad humanam originem — compositionem — resolutionem
        - » » nominis seu famae
      - describendo vitam iniustorum, qui concorditer se exhortantur
        - ad vacandum dissolutioni — celeriter — abundanter — evidenter — communiter — hilariter
        - ad iustorum oppressionem — sine reverentia personae — sine timore iustitiae
    - provocatur ad iustorum similitudinem (c. 3.)
      - per eorum status commendationem
        - quia liberantur a triplici malo — damnationis; mortis temporalis; praesentis vexationis
        - quia praemiantur triplici bono — quoad stolam corporis; » iudiciariam potestatem; » gloriae perfectionem — in cognitione veritatis; inhaesione bonitatis; perfectione comprehensionis
      - per status oppositi reprobationem refutando triplicem errorem — quoad suam impunitatem; » praemia vitae continentis; » poenas incontinentiae
  - tertio, ad se ipsum, quae commendatur comparando statum iustorum et iniustorum (c. 4. 5.)
    - primo, ante iudicium (c. 4.)
      - quoad statum praesentis vitae — qui commendatur ex se — a decore — ab immortalitate — ab aedificatione — a remuneratione; » » ex oppositi status reprobatione
      - » » mortis, ubi tangitur — mortis acceleratio — accelerationis ratio quintuplex — populi stulta opinio
      - » » post mortem — in comparatione impiorum viventium — morientium — mortuorum resurgentium
    - secundo, in iudicio (c. 5.)
      - constans iustorum accusatio, orta ex septem rationibus
      - coacta reproborum confessio
        - causa motiva huius confessionis — afflictio de bonorum felicitate; anxietas de propria infelicitate
        - confessionis materia, quae est confessio proprii erroris
          - circa iustorum vitam, confitendo — Sanctorum contemptum; status eorum reprobationem; eorum praesentem exaltationem; proprium errorem
          - circa propriam vitam — quoad eius laboriositatem; » » caecitatem; » » inutilitatem; » » instabilitatem
      - utrorumque iusta retributio
        - primo praemium iustorum — pro operatione boni; pro victoria mali
        - supplicium reproborum sub metaphora arma moventis — regis propositum — apparatus — bellum — belli effectus — belli remedium

Schema II.

- Pars II. Hortatio ad sapientiam acquirendam, adducta triplici ratione
  - Ratio 1. sumta a periculo proprii officii (c. 6.)
    - insipientium rectorum poena
      - primo petitur audientia
      - secundo subditur audiendi causa quadruplex
    - sapientium rectorum praemium
      - excitatur ad sapientiam — declaratur merces
    - monitio ad concupiscendam sapientiam
      - ponendo exhortationem
      - » facilitatem acquirendi eam
      - » utilitatem et in praesenti et in futuro
      - » exhortationem ad eam diligendam
    - promissio docendi
      - proponendo doctrinae manifestationem — docendi fidelitatem — audiendi utilitatem — ad audiendum exhortationem
  - Ratio 2. sumta ab exemplo monentis (c. 7. 8.)
    - ostenditur, qualiter sapientiam acceperit (c. 7.)
      - describitur fragilitatis humanae miseria quintuplex
      - monetur ad acquirendam sapientiam quadrupliciter
      - declaratur, a quo eandem didicerit, ostendendo
        - quis docuerit — qualia — per quod medium, scil. per Spiritum a Sapientia procedentem
    - quantum eam amaverit (c. 8.)
      - quod ostenditur ex desiderio eam habendi
        - propter eius valorem absolutum quadrupliciter comparatum
      - ex proposito eam acquirendi
        - propter bona pertinentia ad vitam activam et contemplativam — specialiter ad activam — ad contemplativam
      - ex studio eam inveniendi
        - diligentia quaerendi — aptitudo in suscipiendo — fiducia impetrandi
    - quam devote eam a Domino quaesierit (c. 9.)
      - tangitur petitionis forma
        - decor laudatur — donum specificatur — se ipsum humiliat — indigentiam insinuat
      - » exauditionis ratio duplex
      - » petitionis finis duplex
      - » finis difficultas duplici demonstratione
  - Ratio 3. sumta ex multis sapientiae beneficiis et effectibus
    - ipsa promovet sapientes amicos (c. 10.)
      - per beneficia collata singulis personis
        - Adae — Noe — Abrahae — Lot — Iacob — Ioseph
      - per beneficia collata uni populo Israel
        - beneficium generale
        - beneficia specialia
          - in Aegypto — post exitum ex Aegypto — in ipso exitu
        - gratiarum actio
    - punit adversarios (c. 11-19.)
      - per poenas leviores (11. 12.)
        - de punitione Aegyptiorum (c. 11.)
          - propter iniustam Israelitarum oppressionem
          - propter idololatriam per immissionem bestiarum
        - de punitione Chananaeorum
          - iustitia punitionis manifestata ex punientis intentione
          - misericordia in puniendi modo
          - populi in utroque instructio quadrupliciter monstrata
          - adversariorum incorrigibilium condemnatio
      - per poenas graviores ad condemnationem (c. 13-19.)
        - de merito culpae
          - error idololatrantium (c. 13.)
            - primo colentium Dei creaturas
              - erroris causa duplex — effectus — inexcusabilitas — comparatio ad alios
            - secundo colentium proprias facturas
          - detestatio idolorum (c. 14.)
            - ex eorum inutilitate
            - » offensa Creatoris
            - » novitate et modo inventionis
            - » effectu humanae corruptionis
          - commendatio veri Dei (c. 15.)
            - ex ipsius bonitate
            - » » remuneratione
            - » idolorum vilitate
            - » idololatrantium fatuitate.
        - de supplicio poenae
          - de poenis antecedentibus mortem (c. 16. 17.)
            - poena sensus duplex
            - poena damni
          - de poenis inferentibus mortem
            - de exterminatione primogenitorum in Aegypto (c. 18.)
            - de subversione Aegyptiorum in mari (c. 19.)

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COMMENTARIUS

IN EVANGELIUM S. IOANNIS

PROOEMIUM

COMMENTARII IN IOANNEM [1]

Ioannes commendatur tripliciter.

1. *Ecce, intelliget servus meus, et exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* Quia commendatio auctoris redundat in opus, et commendatio operis in auctorem; ideo verbum propositum, quod scribitur Isaiae quinquagesimo secundo [2], assumtum est, in quo beatus Ioannes evangelista commendatur a tribus, scilicet a *sanctitate vitae*, cum dicitur: *Ecce, servus meus;* a *claritate intelligentiae*, cum subditur: *intelliget;* ab *excellentia doctrinae*, cum subinfertur: *et exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde.* Nam is est ordo; sanctitas enim vitae meretur donum intelligentiae, et donum intelligentiae disponit ad excellentiam doctrinae.

Primo, a sanctitate vitae tripliciter.

2. Commendatur igitur a *sanctitate vitae* in hoc, quod Dominus vocat eum *servum suum;* non enim merentur dici *servi Dei*, nisi qui in sanctitate illi serviunt omnibus diebus. Servum autem *suum* vocat eum Dominus: *ratione obsequii*, quia ei fideliter est obsecutus; unde recte de eo potest intelligi illud Numerorum duodecimo [3]: *Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est.* Recte beatus Ioannes in *omni domo* Christi fuit *fidelissimus;* in cuius rei testimonium illum nobilissimum thesaurum, scilicet Matris virginitatem, Dominus ei servandum commisit [4]. — *Ratione officii*, quod sibi a Deo fuit impositum, et ad quod praeordinatus fuit ab aeterno, secundum illud Isaiae quadragesimo nono [5]: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei;* ecce, praedestinatio. *Et posuit os meum quasi gladium acutum, in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me;* ecce, officii praedicationis commissio. *Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor;*

Primo. Secundo. Praedestinatio. Praedicationis commissio.

---

[1] Idem Prologus pluries exhibetur in variis codd. ut *sermo*, qui attribuitur S. Bonaventurae, quia vel ab auditoribus reportatus, vel ab aliis fere verbotenus ex originali descriptus est. Hoc secundum apparet ex pluribus sermonibus, ut illis quos signo P et Q notavimus et cum editione contulimus. Hi vix pauca omittunt, praecipue in fine, in ceteris exhibent textum bonum. De reportatis cfr. *Ratio* novae collectionis etc. P. Fidelis a Fanna, pag. 128 seqq., ubi referuntur duo sermones, unus brevissimus, alius diffusior, qui videntur ex ore dicentis, quantum licuit, excepti. Ut aliquod specimen exhibeamus modi, quo verba dicentis scripto excipiebantur; sermonem brevem a P. Fideli primo loco positum (pag. 132) et ex codice sign. A. 11 super. bibliothecae Ambrosianae (Mediolani) transcriptum ad calcem ponimus, qui servire potest loco cuiusdam summarii.

Sermo fratris Bonaventurae in scholis Parisiis, quando incepit Ioannem.

Ecce, intelliget servus meus, et exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde, Isai. 52, 13. Commendatur in his verbis beatus Ioannes a sanctitate vitae excellentis in hoc quod dicitur: *servus meus;* a claritate intelligentiae supersplendentis in hoc quod dicitur: *intelliget;* a sublimitate doctrinae singularis in hoc quod dicitur: *exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde*, sicut suo loco dicetur.

Servum autem suum vocat eum Dominus ratione obsequii fidelissimi, quo ei obsecutus est; Num. 12, 7: Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est. Officii solemnissimi, ad quod praeordinatus; Isai. 49, 5: Haec dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi: dedi te etc. Beneficii specialissimi, quo plus ceteris privilegiatus est; Isai. 42, 1: Ecce, servus meus etc., electus meus etc.

Intellexit autem beatus Ioannes Spiritus sancti unctione *utilia;* Isai. 28, 9: Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte etc. Christi eruditione *sublimia;* tertii Reg. 3, 12: Dedi tibi cor sapiens et intelligens etc. Angelica revelatione *abscondita;* Dan. 1, 17: Danieli autem dedit Dominus intelligentiam visionum et somniorum.

Fuit vero beatus Ioannes *exaltatus* ad cathedram apostolicam; Psal. 106, 32: Exaltent eum in ecclesia plebis etc. *Elevatus* ad denuntiationem propheticam; Ezech. 8, 3: Elevavit me spiritus et adduxit in caelum in visione gloriae. *Sublimatus* ad eruditionem evangelicam; Gen. 7, 17: Multiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra.

[2] Vers. 13. — Aliquanto inferius post *Nam* P prosequitur *in his est ordo: quia sanctitas vitae* etc.

[3] Vers. 7: At non talis servus meus Moyses, qui in omni etc. — Superius pro *vocat eum*, quod bis occurrit, G I *vocavit eum*, quod etiam A F H K L in primo tantum loco exhibent.

[4] Cfr. Ioan. 19, 26. seq.

[5] Vers. 1-3.

Servitutis acceptatio. ecce, servitutis acceptatio[1], quia non suscepit officium illud ad gloriam suam, sed ad divinam. — *Ratione beneficii*, Tertio. quod sibi Dominus contulit, quia a Deo electus et praeelectus et dilectus et speciali munere gratiae ditatus fuit, secundum illud Isaiae quadragesimo secundo[2]: *Ecce, servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum.* Recte complacuit sibi in beato Ioanne anima Domini; nam hic est *discipulus ille, quem diligebat Iesus*, Ioannis ultimo. — Sic igitur *servus Christi* fuit beatus Ioannes propter *obsequium, officium* et *beneficium*.

3. Ob hanc autem sanctitatem vitae meruit *donum intelligentiae*, Secundo, a claritate intelligentiae tripliciter. quo multipliciter fuit ditatus. Intellexit enim Spiritus sancti *unctione*, angelica *revelatione*, Christi *eruditione*. Spiritus sancti unctione intellexit *utilia;* angelica revelatione intellexit *abscondita;* Christi eruditione *sublimia;* et in his tribus[3] omnis appetitus et desiderium nostrae intelligentiae consummatur et perficitur.

Intellexit igitur Spiritus sancti unctione *utilia*, Primo. quia ille Spiritus veritatis est spiritus salutis; de quo intellectu Isaiae vigesimo octavo[4]: *Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Ablactati et semoti a dulcedine praesentis consolationis merentur intelligere utilia, alii vero non. Unde primae ad Corinthios secundo: *Animalis homo non percipit ea quae spiritus Dei sunt; stultitia enim est illi, et non potest intelligere quae spiritualiter examinantur.* Beatus vero Ioannes *ablactatus* fuit, quia patrem et matrem et etiam sponsam, quam duxerat, amore Dei dereliquit[5].

Intellexit angelica revelatione *abscondita*, ut Secundo. quae ventura erant; unde recte convenit ei quod dicitur Danielis primo[6] de ipso Daniele: *Dedit Dominus Danieli intelligentiam omnium visionum et somniorum;* et hoc quidem ministerio revelationis angelicae; unde Danielis octavo dixit unus Angelus alii: *Gabriel, fac istum intelligere visionem.* Sed hoc Angelus non faciebat *auctoritative;* in cuius rei testimonium, dum Ioannes vellet adorare Angelum, qui sibi illa ostendebat, prohibuit eum dicens: *Vide, ne feceris; conservus enim tuus sum et fratrum tuorum*, Apocalypsis decimo nono[7]; in quo manifestatur, quod non revelabat ut dominus, sed ut conservus.

Intellexit etiam Christi eruditione *sublimia*. Etsi Tertio. enim Christus omnes suos discipulos edoceret, tamen beatum Ioannem, quem prae ceteris diligebat, prae ceteris erudivit et intelligere fecit. Unde recte potest de eo intelligi quod dixit Dominus Salomoni tertii Regum tertio[8]: *Dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut ante te nullus similis tui fuerit nec post te surrecturus sit.* Nullus enim ante eum fuit nec post eum secutus est, qui ad tantam Divinitatis cognitionem ascenderet.

4. Sic igitur intellexit beatus Ioannes *utilia* et Tertio, ab excellentia doctrinae tripliciter. *abscondita* et *sublimia;* et ratione huius triplicis intelligentiae sublimatus fuit ad triplicem dignitatem doctrinae. Ideo dicitur *exaltabitur*, scilicet ad *cathedram apostolicam; elevabitur* ad *denuntiationem propheticam;* et *sublimis erit valde* per *doctrinam evangelicam.* Propter quod tria scripta condidit, scilicet Epistolas canonicas, tanquam *praedicator* authenticus; Apocalypsim, tanquam *propheta* eximius; et Evangelium, tanquam *scriba* doctissimus.

Primo igitur *exaltabitur* ad *cathedram apostolicam.* Primo. Propter quod recte convenit ei quod dicitur in Psalmo[9]: *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum. Cathedra seniorum* est cathedra Apostolorum, in qua beatus Ioannes non sedit ut otiosus, immo erudivit praesentes verbis et absentes epistolis; Ecclesiastici decimo quinto: *Firmabitur in illo, et non flectetur; et continebit illum, et non confundetur; et exaltabit illum apud proximos suos.*

Elevabitur ad *denuntiationem propheticam*, se- Secundo. cundum illud Ezechielis octavo[10]: *Elevavit me Spiritus inter caelum et terram, et adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* Hac elevatione beatus Ioannes elevatus est; unde Apocalypsis vigesimo primo: *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum et ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de caelo.* Et hoc quidem vidit ad denuntiandum; unde dictum est ei Apocalypsis primo[11]: *Scribe quae vidisti et quae sunt et quae oportet fieri post haec;* quia floruit triplici genere prophetiae.

---

[1] Cod. N *servitii susceptio.* In cod. Q, qui *sermonem* exhibet, legitur *officii acceptio.*

[2] Vers. 1. — Subinde allegatur Ioan. 21, 7. (cfr. v. 20.). — Inferius post *Sic igitur* ed. addit *supradictus,* N *sanctus.*

[3] Cod. P subiungit *modis.*

[4] Vers. 9. — Sequens locus est I. Cor. 2, 14, in cuius fine Vulgata legit *quia spiritualiter examinatur.* — Superius post *quia ille Spiritus* B F prosequuntur *est veritatis et salutis* (cfr. Ioan. 14, 17; 15, 26. et 16, 13.).

[5] Matth. 4, 22: Illi [Iacobus et Ioannes] autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum. De sponsa relicta cfr. infra Prologus, qui Hieronymo adscribitur.

[6] Vers. 17; ibid. 8, 16. est seq. locus. — Superius pro *ut quae* ed. *et quae.*

[7] Vers. 10. Cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 5. ad 2. — Superius pro *auctoritative* D et ed. *propria auctoritate.* Inferius pro *manifestatur* I *manifestabatur,* B *ostenditur.*

[8] Vers. 12. — De amore Christi erga Ioannem cfr. III. Sent. d. 32. q. 6. — Superius pro *Intellexit etiam* multi codd. *Intellexit autem.*

[9] Psalm. 106, 32. — Seq. locus est Eccli. 15, 3. seq.

[10] Vers. 3. — Sequitur Apoc. 21, 10.

[11] Vers. 19. In hoc textu notantur tria tempora, scil. *praeteritum* (quae vidisti), *praesens* (quae sunt) et *futurum* (quae oportet fieri post haec), quibus respondet triplex genus prophetiae large dictae. Cfr. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 1. n. 1: Prophetiae tempora tria sunt, scilicet praeteritum, praesens et futurum. Sed sciendum est, quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit etc. Ibid. n. 4. diversi modi prophetiae ex tribus dictis temporibus proponuntur.

Et sublimis erit valde per *doctrinam evangelicam*, in qua omnes alios antecellit. Ideo recte exponi potest de eo quod dicitur Genesis septimo [1]: *Multiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra. Arca* ista beatus Ioannes, in quo salvatum est semen verbi divini. *Aquae* illae *multiplicatae* sunt aquae sapientiae salutaris, quae multiplicatae fuerunt in beato Ioanne, quia, sicut dicit Augustinus [2], « fluenta Evangelii de ipso dominici pectoris fonte potavit ». Istae aquae sapientiae ipsum *elevaverunt in sublime*, super omnes montes, quia in Evangelio altius omnibus est locutus. Unde dicit Augustinus [3]: « Si altius intonuisset, totus mundus capere non potuisset ». Sed quia doctoris sublimitas manifestatur in sublimitate doctrinae, recte videtur *sublimis valde*, si Evangelii eius sublimitas explicetur. Tertio.

5. Intelligendum est igitur, quod aliqua doctrina dicitur *sublimis*, aut quia de sublimibus *agit*, aut quia sublimiter *procedit*, aut quia ad sublimia *perducit*. — Evangelium beati Ioannis sublime est, quia de sublimibus *agit*, quia de Verbo incarnato secundum utramque naturam, quae valde sublimes sunt, maxime divina. Quod bene exprimitur parabolice Ezechielis decimo septimo [4]: *Haec dicit Dominus Deus: Ego sumam de medulla cedri sublimis, et plantabo super montem excelsum et eminentem, in monte sublimi Israel. Medulla cedri sublimis* est latens Divinitas Verbi. Hanc plantavit Deus Pater *in monte sublimi Israel*, quia humanae naturae in Christo univit, qui est *lapis abscissus de monte sine manibus* [5]. De hac medulla cedri sublimis est Evangelium beati Ioannis; unde in eodem capitulo dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum et tulit medullam cedri. Summitatem frondium eius avulsit et transportavit eam in terram Chanaan. Aquila grandis*, per caritatis latitudinem; *magnarum alarum*, per contemplationis altitudinem; *longo membrorum ductu*, per exspectationis longitudinem; *plena plumis et varietate*, per virtutum multitudinem; *venit ad Libanum*, id est ad montem montium Christum [6]; *tulit medullam cedri*, id est latentem Divinitatem Verbi; et *summitatem frondium avulsit*, quia operum divinorum excellentiam descripsit, sicut nobilissima miracula et altissima documenta, quae alii Evangelistae reliquerunt intacta. Si igitur *Libanus* est mons altus in mundo, et *cedrus* arbor alta in Libano, et *summitas frondium* altissima in cedro; utique sequitur, quod qui *summitatem frondium cedri avulsit* de sublimibus tractavit. Triplex sublimitas doctrinae. Primo, de sublimibus agit.

6. Non tantum de sublimibus *agit*, sed etiam sublimiter *procedit*. Modus procedendi sublimis est modus certitudinalis. Illae scientiae dicuntur sublimiores, quae certiores. Iste modus procedendi sublimis describitur Ezechielis primo [7] in figura animalium, per quae Evangelistae intelliguntur: *Audiebam*, inquit, *sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Sonus sublimis Dei* est certitudinalis, non variabilis, quia *non est Deus ut homo, ut mentiatur* [8]. Ideo Dominus dicebat de se Ioannis tertio: *Quod scimus loquimur et quod vidimus testamur.* Hoc modo certitudinali loquebatur beatus Ioannes; unde Ioannis decimo nono: *Qui vidit testimonium perhibuit, et testimonium eius verum est; et ille scit, quia vera dicit.* Unde ipse dicit in prima canonica sua, primo capitulo in principio: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae, testamur et annuntiamus vobis.* Secundo, sublimiter procedit.

7. Non solum sublimiter *procedit*, sed etiam ad sublimia *perducit*. Sublimia sunt bona aeterna; nam bona temporalia infima sunt et momentanea; unde secundae ad Corinthios quarto [9]: *Id quod est in praesenti momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Ad hoc *sublime pondus gloriae* perducit doctrina Evangelii secun- Tertio, ad sublimia perducit.

---

[1] Vers. 17.

[2] Libr. I. de Consensu Evangelist. c. 4. n. 7: Qui [Ioannes] de pectore ipsius Domini... secretum Divinitatis eius uberius et quodam modo familiarius biberit. In Praefat. in Evang. Ioan. (cuius auctor secundum ed. Maurin. incertus est): Qui... caelestis haustum sapientiae ceteris excellentius de ipso dominici pectoris fonte potavit (ita etiam Beda, in Ioan. 1, 1.). Hieron., Prolog. Comment. in Evang. Matth.: Qui supra pectus Domini recumbens, purissima doctrinarum fluenta potavit. Cfr. Breviar. Roman. in festo S. Ioan. (27. Dec.) Respons. 2. et 8. lect.

[3] Bonelli pro hac sententia adducit Lyranum, qui in Prologo Evang. Ioannis « his ipsissimis Augustini verbis utitur ». In ed. Lyrani, quam prae manibus habemus, in margine allegatur *Tract. 1. in Ioan.*, in quo tamen *verba ipsa* non occurrunt; erui fortasse ex ipso poterit *sententia*, quia ibidem Augustinus docet, Ioannem in suo Evangelio proposuisse intellectu difficillima. Cfr. tr. 18. n. 1, tr. 20. n. 5, tr. 36. n. 1.

[4] Vers. 22. seq.

[5] Dan. 2, 34. et 45. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 4. n. 4. et tr. 9. n. 15. — Seq. locus est Ezech. 17, 3. seq. Cfr. Gregor., XXXI. Moral. c. 47. n. 94. — In expositione huius textus pro *per caritatis latitudinem... per contemplationis altitudinem* etc. plurimi codd. *prae caritatis latitudine* etc.

[6] August., Enarrat. in Ps. 87. n. 10, de Christo dicit, quod ipse « est mons montium, quia de illo scriptum est [Isai. 2, 2.]: *Erit in novissimis temporibus manifestus mons Domini paratus in cacumine montium;* sicut etiam Sanctus Sanctorum ».

[7] Vers. 10: Similitudo autem vultus eorum, facies hominis et facies leonis etc. Ibid. v. 24. est seq. locus. Cfr. Gregor. in hos locos. — Superius pro *de sublimibus* A B G I K L M O *de sublimioribus.*

[8] Num. 23, 19, ubi pro *ut homo* Vulgata *quasi homo.* — Tres seqq. loci sunt Ioan. 3, 11; 19, 35. et I. 1, 1. seq. — Superius pro *certitudinalis, non variabilis* ed. *certitudinis, non varietatis.*

[9] Vers. 17, in quo textu multi codd. omittunt *nostrae*, et substituunt *operabitur* pro *operatur.*

dum Ioannem. Unde Ioannis vigesimo[1]: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius;* illam scilicet vitam aeternam et sublimem, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.*

Conclusio. Sic igitur doctrina huius Evangelii est sublimis; propterea non immerito et eius auctor dicitur esse sublimis, nec tantum sublimis, sed etiam *sublimis valde*, in superlativo gradu. Si enim divina Scriptura scripturas ceteras antecellit, et Evangelium omnes partes divinae Scripturae[2], et Evangelium Ioannis omnia Evangelia; consequens est, quod liber iste singulariter libros ceteros antecellat.

De 4 causis huius Evangelii. 8. Ex dictis patent quae in principio cuiuslibet libri consueverunt quaeri, scilicet causa *efficiens*, Ioannes evangelista, sanctus, intelligens, exaltatus et elevatus et sublimior ceteris effectus; causa *materialis*, Verbum incarnatum, maxime quantum ad ea quae Divinitatis sunt; causa *formalis* sive *modus agendi*, etsi sit per modum narrationis, est tamen certitudinalis; causa vero formalis, quae est *divisio libri*, infra[3] manifestabitur, quia ordinate valde procedit; causa vero *finalis* proxima est fides, ultima vero est vita aeterna, quae est finis desideratissimus.

Quaestiones.

9. Sed quantum ad haec tria, in quibus est haec doctrina commendata, scilicet in *utilitate, certitudine* et *sublimitate*, tria quaeruntur.

Quaest. 1. de utilitate. Quaest. I. Quaeritur ergo: quae necessitas fuit scribendi hoc Evangelium? Et videtur, quod nulla:

1. Quia Gregorius super Ezechielem dicit super illud[4]: *Quatuor facies uni:* « Si quaeris, quid Ioannes sentiat; hoc quod Lucas, Marcus et Matthaeus ». Ergo secundum hoc Ioannes nihil fecit, nisi quod replicavit hoc quod alii Evangelistae dixerant: ergo si non scripsisset, nihil deesset.

2. Item, aut Matthaeus sufficienter scripsit Evangelium, aut non; si non: ergo cum ipse a se non scripserit, sed a Spiritu sancto, Spiritus sanctus fuit insufficiens. Quodsi Matthaeus sufficienter tradidit evangelicam doctrinam: ergo superfluunt omnia alia Evangelia, tam Ioannis quam alia.

3. Item, si necesse fuit Ecclesiae, ut quid tantum tardavit, distulit et retinuit verbum tempore salutis[5]? Ergo videtur, quod negligenter fecerit et peccaverit, quod tantum distulit.

Resp. Respondeo: Dicendum, quod Evangelistae sunt testes Domini, et hoc non propter indigentiam claritatis divinae, sed infirmitatis humanae. Quia ergo nostra infirmitas firmius et certius credit pluribus quam uni; ideo disposuit divina sapientia, ut plures essent Evangelistae. — Si vero[6] omnino diversa dicerent, fidem non firmarent; necesse est enim, ut testimonium sit solidum, testes concordare. Si vero omnino idem dicerent, iam certe totum unum esset et superfluum. Ut ergo certum esset testimonium et nihil contineret superfluum, disposuit Spiritus sanctus, ut aliqua *singulariter* narrarent, aliqua *communiter*, nulla vero *discorditer*.

Solutio oppositorum. 1. Quod obiicitur, quod sensit unus, et omnis; intelligendum, non quia omnino idem dixerint, sed ubi concurrerunt in idem narrandum, non discordant, sicut dicit Augustinus de Concordia Evangelistarum[7]. — Vel facienda est vis in hoc, quod dicit *sentiunt;* quia idem sentiunt tanquam uno spiritu et fide illuminati; sed tamen non omnino eadem scribunt.

2. Quod quaeritur, utrum Matthaeus sufficienter dixerit; dicendum ad hoc, quod *sufficienter de aliquo tractare*, hoc est dupliciter: aut quantum exigit *materiae dignitas;* et sic de Christo sufficienter tractare est impossibile, non tantum uni homini, sed etiam toti mundo, si converteretur in linguas, quia ad eius narrationem deficiunt omnes linguae. Unde Ioannis ultimo[8]: *Quodsi scribantur per singula quae fecit Iesus, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos qui scribendi sunt libros.* Alio modo est *sufficienter tractare*, quantum sufficit ad *deveniendum in finem;* et sic in quolibet Evangelistarum substantia fidei, quantum sufficit, continetur. Sed tamen alii non superfluunt, quia faciunt ad fidei claritatem, explicationem, maiorem certitudinem et defensionem.

Ratio 1. 3. Quod obiicitur: quare tantum distulit? dicendum, quod ratio fuit ex parte *scribentis;* quia erat virgo et iuvenis; ideo ut verecundus se ingerere noluit, quousque ab episcopis Asiae rogaretur et

---

[1] Vers. 31. — Subinde allegatur I. Cor. 2, 9: Quod oculus non vidit etc.

[2] August., I. de Consensu Evangelist. c. 1. n. 1: Inter omnes divinas auctoritates, quae sanctis Litteris continentur, Evangelium merito excellit. — Superius pro *eius auctor*, quod fere omnes codd. habent, ed. *eius auctoritas*. Codd. pro *Si enim* substituunt *Sicut enim*. Subinde pro *divina* et *divinae* ed. perperam *dicta* et *dictae*. Inferius pro *antecellat* maior pars codd. *antecellit*.

[3] In expositione primi cap. v. 1. et 6. — Superius post *causa formalis*, contradicentibus codd., prosequitur ed.: *est narratio seu modus agendi, qui licet sit per modum narrationis, est tamen certitudinalis*. Eadem ed. pro *quia ordinate valde procedit* substituit *qua ordinatione procedat*.

[4] Ezech. 1, 6. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 3. n. 1: Si quaeras, quid Ioannes sentiat; hoc procul dubio, quod Lucas etc.

[5] Cum e contrario dicatur Eccli. 4, 28: Nec retineas verbum in tempore salutis.

[6] Ed. cum non paucis codd. *enim*.

[7] Sive de Consensu Evangelist. I. c. 35. n. 54: Quamobrem illa potius iam videamus, qualia sint, quae putant, Evangelistas sibimet ipsis scripsisse contraria, quod parum intelligentibus videri potest, ut his quaestionibus dissolutis, ex hoc quoque appareat, illius capitis [Christi] membra non solum idem sentiendo, verum etiam convenientia scribendo in corporis ipsius unitate germanam servasse concordiam.

[8] Vers. 25.

ab haereticis excitaretur. Unde in Prologo[1] dicitur, quod ultimo scripsit Evangelium, et hoc virgini de-
Ratio 2. bebatur. — Alia ratio fuit ex parte *Scripturae,* quia alii sunt versati circa humanitatem et circa vitam activam, beatus Ioannes circa Divinitatem et vitam contemplativam, sicut dicit Augustinus in Glossa[2]. Quia ergo per visibilia venitur ad invisibilia, et per activam ad contemplativam; debuerunt primo alii
Ratio 3. scribere, ultimo vero Ioannes. — Tertia ratio fuit ex parte *dispensationis divinae;* quia enim Ioannes ceteris melius servaverat Evangelium, si ipse primo scripsisset, aut totum scripsisset et aliis locum scribendi abstulisset; aut si non totum, alii ipsum supplere non possent. Ideo permisit instinctu Spiritus sancti, alios prius scribere, ut quae alii omiserant,
Falsa ratio Graecorum. postmodum ipse narraret[3]. — Graeci autem reddunt aliam causam, ut alios corrigeret; sed mentiuntur, quia, si eodem Spiritu Evangelistae locuti sunt, impossibile fuit, eos dicere falsum; ideo aliquid fuit addendum, sed nihil corrigendum.

10. Quaest. II. Secundo quaeritur de huius libri
Quaest. 2. de certitudine. certitudine, et videtur, quod male procedat.

1. Si enim modus narrationis est debilis et infirmus, quia quis[4] potest contradicere, nec habet unde refellatur; et Ioannes modo narratorio procedit: ergo valde debiliter et infirme.

2. Item, quod debeat certitudinaliter procedere, videtur: quia « nihil est certius homini sua fide[5] »: ergo nulla cognitio vel doctrina certius debet tradi ea quae generat fidem. Sed doctrina Ioannis est ad generandum fidem, sicut dicitur Ioannis vigesimo: ergo debet esse certissima et certitudinaliter procedere.

Respondeo: Dicendum, quod quadruplex est
Resp. certitudo, scilicet *demonstrationis, auctoritatis, in-*
Certitudo quadruplex. *ternae illuminationis* et *exterioris persuasionis.* Prima certitudo est, cui resisti non potest; in illa cogitur homo assentire, velit nolit; et ideo talis certitudo, ubi dominatur, evacuat fidem. Alia est certitudo *auctoritatis,* et haec fidem generat; unde Augustinus[6]: « Quod credimus debemus auctoritati ». Tertia est certitudo *illuminationis interioris,* et haec fidem perficit et consummat. Quarta est *persuasionis,* quando homo fidelis rationes assignat congruentiae et efficaciae, ut quod credit intelligat; et haec certitudo fidem consequitur. Nam rationes huiusmodi fideli sunt optimae et efficaces, infideli vero prorsus inutiles et infirmae[7].

1. 2. Quod ergo quaeritur de certitudine, dicendum, Solutio oppositorum.
quod « quia finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem[8] »; cum haec doctrina sit ad generandam fidem, non debuit habere certitudinem *demonstrativam;* non potuit habere certitudinem *internam,* quia illa est gratiae; non debuit habere *persuasoriam:* ideo oportuit, quod haberet certitudinem *auctoritatis.* Et haec est ratio, quare omnes libri sacrae Scripturae traduntur per modum narrationis, non ratiocinationis, quia sunt ad generandam *fidem,* quae est per assensum liberum. Libri autem doctorum traduntur per ratiocinationes, quia sunt ad generandam *intelligentiam* et ad fidem confovendam et nutriendam. Sed rationes illae non habent robur, nisi fundatae super fidem[9].

Dicendum est ergo, quod certitudo auctoritatis Certitudo auctoritatis duplex.
in aliis scientiis inventis ab hominibus, qui mentiuntur saepe, parvum habet robur; sed in sacra Scriptura, quae a Spiritu sancto data est, magnam habet firmitatem, quia ipse mentiri non potest. Unde Augustinus super Genesim[10]: « Maior est huius Scripturae auctoritas quam omnis humani ingenii perspicacitas ».

11. Quaest. III. Quaeritur de sublimitate perscru- Quaest. 3. de sublimitate.
tationis et sermonis. Et videtur, quod male agat beatus Ioannes, qui[11] tam sublimia perscrutatur:

---

[1] Qui inferius sub nomine Hieronymi allegatur. — Hieron., de Viris illustribus, c. 9: Novissimus omnium [Ioannes] scripsit Evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse; unde et compulsus est divinam eius nativitatem edicere.

[2] Sive in Prologo, quem card. Hugo et Lyranus sub nomine Augustini exhibent, ed. Maurin. incerto auctori (in Evang. Ioan. Praefatio) tribuunt; maior ipsius pars sumta videtur ex August., I. de Consensu Evangelist. c. 1. seqq., in quibus etiam haec *alia ratio* a S. Bonav. allata ponitur. — Rom. 1, 20: Invisibilia enim ipsius [Dei] a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.

[3] Hieron., de Viris illustribus, c. 9: Sed et aliam causam huius Scripturae [Evang. Ioan.] ferunt, quod cum legisset Matthaei, Marci et Lucae volumina, probaverit quidem textum historiae et vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo et passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Praetermisso itaque anno, cuius acta a tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit his qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint. Quae res etiam διαφωνίαν (dissonantiam), quae videtur esse cum ceteris, tollit. Cfr. Eusebius, III. Histor. Eccles. c. 24. — A recentioribus auctoribus modus solutionis Hieron. non solet probari. — Pro *narraret* N *suppleret.* Superius pro *servaverat Evangelium* ed. *observaverat Evangelium,* quibus verbis haec nota adiecta est: *Evangelium* per metonymiam [i. e. transnominationem, qua ponitur v. g. nomen continentis pro re contenta etc.] pro Christi gestis in Evangelio narratis. Cfr. I. Ioan. 1, 1. seqq.

[4] Cod. B *quisque.*

[5] Secundum August., XIII. de Trin. c. 1. n. 3. Cfr. tom. III. pag. 480, nota 3. — Inferius allegatur Ioan. 20, 31: Haec autem scripta sunt, ut credatis etc.

[6] De Utilitate credendi, c. 11. n. 25. Cfr. I. Retract. c. 14. n. 3. — Superius pro *dominatur,* quod exhibent D E F H I K L, ed. *donatur.*

[7] Cfr. I. Sent. Prooem. q. 2; III. Sent. d. 23. a. 1. q. 4. et d. 24. dub. 3. — Ed. hic addit: *aptae tamen ad confundendum adversarios,* et paulo superius post *intelligat* subiungit *aut in fide infirmos foveat.*

[8] Secundum Aristot., supra pag. 5, nota 9. allegatum.

[9] Cfr. Breviloq. (tom. V.) Prolog. § 5. — Superius e codd. supplevimus *fidem, quae est... ad generandam.*

[10] Libr. II. de Gen. ad lit. c. 5. n. 9, ubi pro *perspicacitas* textus originalis *capacitas.* Cfr. tom. V. pag. 207, nota 1. in fine. — Superius vocibus *qui mentiuntur* B interserit *saepe.*

[11] Cod. C *quod,* N *cum.*

1. Quia Ecclesiastici tertio [1]: *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris;* et iterum Proverbiorum vigesimo quinto: *Perscrutator maiestatis opprimetur a gloria.* Quid maius quam aeterna Verbi generatio? — *Si dicas,* quod ipse non perscrutatur, sed narrat; *contra:* Isaiae quinquagesimo tertio [2]: *Generationem eius quis enarrabit?* Et Hieronymus exponit de generatione aeterna.

2. Item Apostolus primae ad Corinthios secundo [3] commendat se de hoc, quod non venit ad Corinthios *in sublimitate sermonis,* sed in humilitate. Ergo videtur, quod beatus Ioannes reprehensibilis sit, quod tam alte intonuit, ita quod altius non posset.

Respondeo: Intelligendum, quod perscrutatio
Resp. maiestatis et sublimium potest esse tripliciter, scilicet in spiritu diabolico, humano et divino. Prima est
Triplex perscrutatio. *malignitatis,* et fuit in haereticis; secunda vero *curiositatis,* et fuit in philosophis; tertia vero *pietatis,* et fuit in Apostolis et Prophetis. Prima est omnino reprehendenda, secunda est cavenda, sed tertia amplectenda; quia et prima et secunda frequenter ducunt in errorem, sed tertia non, quia Spiritus *scrutatur profunda Dei,* primae ad Corinthios secundo [4]. Et quia Ioannes Spiritu divino afflatus fuit, ideo in caelestium perscrutatione et descriptione reprehendi non potest; et ideo Spiritus sanctus generationem aeternam enarravit, non homo.

2. Quod quaeritur de sublimitate sermonis, di-
Solutio ad 2. cendum, quod *sublimitas sermonis* aliquando re-
Triplex reprehensio sermonis sublimis. prehenditur propter *pravam intentionem,* ut cum homo loquitur sublimia, ut gloriosus appareat; et sic prohibetur primi Regum secundo [5]: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* — Aliquando reprehenditur propter *materiam,* ut quando materia levis et modica est, non est verbis altis aggravanda et obscuranda; de quo ad Colossenses secundo [6]: *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum;* et post: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* — Aliquando reprehenditur, quia *audientes non sunt capaces;* propter hoc dicebat Apostolus primae ad Corinthios secundo [7]: *Non veni ad vos in sublimitate sermonis;* et ratio erat, quia non poterant intelligere. Econtra dicit Hieronymus de quibusdam: « Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Litteris philosophantur ». — Beatus vero Ioannes et *materiam* habuit altam et *intentionem* bonam et audientes provectos, quia iam Ecclesia creverat; quare recte et debite sublimiter locutus est. Tamen hoc est mirabile, sicut dicit Augustinus [8], quod in sermone suo invenit parvulus lac, quod sugat, invenit etiam perfectus solidum cibum, qui eum reficiat. Et verificatur illud Gregorii, quod ibi elephas natat, et agnus peditat. Et ideo parvuli, qui non possunt natare cum elephantibus, peditare debent cum agnis.

De sermone Ioannis.

Prologus S. Hieronymi in Evangelium secundum Ioannem [9].

Hic est Ioannes evangelista, unus ex discipulis Do-
Dignitas scriptoris. mini, qui virgo electus a Deo est, quem de nuptiis volentem nubere vocavit Deus. Cui virginitatis in hoc duplex testimonium in Evangelio datur: quod et prae ceteris dilectus a Domino dicitur, et huic Matrem suam pendens in cruce commendavit Dominus, ut Virginem virgo servaret. — Denique manifestans in Evangelio,
Modus scribendi. quod erat ipse *incorruptibilis Verbi opus* inchoans, solus Verbum caro factum esse nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur; primum *signum* ponens, quod in nuptiis fecit Dominus, ostendens, quod *ipse* erat, ut legentibus demonstraret, quod ubi Dominus invitatus est, deficere nuptiarum vinum debeat, et veteribus immutatis, nova omnia, quae a Christo instituuntur, appareant. — Hoc autem Evangelium scripsit in
Tempus et locus scribendi. Asia, et postea quam in Patmos insula Apocalypsim scripserat; ut, cui in principio canonis incorruptibile principium praenotatur in Genesi, ei etiam incorruptibilis finis per virginem in Apocalypsi redderetur, dicente Christo: *Ego sum alpha et omega.* — Et hic est
Obitus auctoris. Ioannes, qui sciens, supervenisse diem recessus sui, convocatis discipulis suis in Epheso, per multa signorum experimenta proiens Christum, descendens in defossum sepulturae suae locum, facta oratione, positus est ad patres suos, tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus. — Tamen post omnes Evangelium scripsit, et hoc virgini
Ordo huius Evangelii ad alia. debebatur. Quorum tamen vel scriptorum temporis dispositio, vel librorum ordinatio ideo a nobis per singula non exponitur, ut sciendi desiderio collato et quaerentibus fructus laboris et Deo magisterii doctrina servetur. Explicit.

---

[1] Vers. 22. — Sequitur Prov. 25, 27: Qui scrutator est maiestatis etc.

[2] Vers. 8. — Sententia Hieron. habetur in Comment. super hunc locum, libr. XIV. — Ab II citatur *Gregorius;* cfr. XVIII. Moral. c. 54. n. 88.

[3] Vers. 1. seqq.

[4] Vers. 10: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. — Cfr. I. Sent. Prooem. q. 2. ad 1. et 2. — Inferius pro *non potest* maior pars codd. *non potuit.*

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 4; ibid. v. 8. est seq. locus.

[7] Vers. 1. — Sententia Hieron. habetur in Epist. 53. (alias 103.) n. 7.

[8] In Ioan. Evang. tr. 1. n. 12: Noli ergo credere *factum,* per quod facta sunt omnia, ne non reficiaris per Verbum, per quod reficiuntur omnia... Ille cibus est, accipe lac, ut nutriaris, ut sis validus ad capiendum cibum. Cfr. V. de Gen. c. 3. n. 6. — Gregor., in Epist. ad Leandrum (quae tanquam praefatio in lib. Moral. habetur) c. 4: Quasi quidam quippe est fluvius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet.

[9] In ed deest Prologus, non ipsius expositio.

Expositio huius Prologi.

12. Huic libro praemittit Hieronymus Prologum[1], in quo notificatur opus multipliciter. Nam primo tangitur *dignitas scriptoris*. Secundo vero, *modus scribendi*, ibi: *Denique manifestans in Evangelio*. Tertio, *tempus* et *locus* scribendi, ibi: *Hoc autem Evangelium scripsit in Asia*. Quarto, *obitus auctoris*, ibi: *Et hic est Ioannes, qui sciens*. Ultimo, *ordo* istius ad alia Evangelia, ibi: *Tamen post omnes scripsit Evangelium*.

Dignitatem igitur auctoris in hoc exprimit, quod « virgo a Domino de nuptiis est vocatus », et quod virginitati eius magna et nobilia testimonia perhibentur, scilicet Christi familiaris dilectio et Matris commissio[2].

Modum vero *scribendi* describit consonum scribenti in hoc, quod quia scriptor erat carne incorruptus[3] et de nuptiis vocatus; ideo primo « inchoat incorruptibilis Verbi generationem », et deinde inter *signa* inchoat a mutatione aquae in vinum facta in nuptiis; ex his « ostendens, quod *ipse* erat », quod est nomen[4], et tantum vult dicere, quantum ostendens, qualis erat, sicut communiter loquimur: tu monstras quod es.

Locum scribendi dicit « fuisse in Asia[5] »; *tempus* vero fuit, quia ultimo post Apocalypsim; et ita Ioannis Evangelium fuit ultimo inter libros sacrae Scripturae scriptum; et congruebat, ut, sicut in libro primo scripto, quod est « principium canonis, incorruptibile principium praenotatur », ita et in libro ultimo scripto[6]: *In principio erat Verbum*, sicut ibi: *In principio creavit*, et hoc, « dicente Domino in Apocalypsi: *Ego sum alpha et omega* ». Unde in Apocalypsis primo est determinatio eius quod est *dicente*. — Vel aliter potest legi, ut « finis incorruptibilis per virginem reddatur in Apocalypsi », quae est ultimus liber canonis, licet non ultimo scriptus. Sed prima littera magis consonat verbis.

Obitum auctoris describit tanquam mirabilem, quia praescivit ipsum; et cum multis miraculis floruisset, sine dolore de hac vita transivit. Sed tamen hoc habet dubitationem[7].

Ordinem ad alia Evangelia tangit, quia ultimo scripsit. Et hoc debitum fuit ei vel ut virgini verecundae, vel ut virgini incorruptae, vel ut virgini perfectae; ideo debuit consummare, tamen plene ordinem tangere recusat, ut aliis fructum laboris relinquat[8].

---

[1] Prologus iste non solum a Bonav., sed etiam ab aliis, v. g. B. Alberto, card. Hugone et Lyrano, Hieronymo attribuitur; sed ipse, quantum scimus, in operibus Hieron. non habetur, immo, ut ex sequentibus patet, non Hieron. ipsum composuit, sed auctor ignotus. Cfr. supra pag. 243, nota 2.

[2] Duplex hoc virginitatis Ioannis testimonium a Patribus communiter affertur, etiam ab Hieron.; cfr. Epist. 127. (alias 16.); I. contra Iovin. n. 26; Prolog. Comment. in Evang. Matthaei. Quod vero Ioannes « virgo a Domino de nuptiis est vocatus », non narrat Hieron., sed Beda, apud quem prima huius prologi pars, paucis verbis mutatis, invenitur in Expositione Evang. Ioan. 1, 1: Iste est siquidem Ioannes unus ex discipulis Christi, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate virginem vocavit; cuius virginitati in hoc duplex in Evangelio datur, quod et prae ceteris dilectus a Deo dicitur, et huic matrem suam de throno crucis commendavit Deus, ut Virginem virgo servaret. Cfr. I. Homil. homil. 8. in die natali S. Ioannis evang.

[3] Beda, I. Homil. homil. 8. in die natali S. Ioannis evang. (circa finem): Et hoc virgini privilegium recte servabatur, ut ad scrutanda *Verbi incorruptibilis* sacramenta incorrupto ipse non solum corde, sed et corpore proderet (? prodiret? procederet?). — Cum C N posuimus *consonum scribenti;* ceteri codd. *consonum scripturae*, quae lectio minus contextui congruit.

[4] Scilicet *Ioannes;* ed.: *quod est ibi innominatum*, ad quae verba Bonelli notat: « Non enim in Evangelio S. Ioannis nominatur, quis fuerit ille sponsus; unde diversae circa illum exortae sunt opiniones ». B. Albertus, in sua Postilla, hunc locum ita exponit: « Et hoc quidem scribendo facit, *manifestans*, ipso facto, *in Evangelio*, sic a se descripto, *quod erat ipse*. Vel *quod erat ipse*, qui virgineo intellectu et incorrupto aquilina visus virtute sic aeternum lumen conspexerat ». Card. Hugo sic: *Ostendens*, Dominus scilicet in illo miraculo, *quod ipse erat*, id est quid erat, scilicet Deus; ex ipso enim miraculo ostendit, se esse Deum. Vel sic: *Ostendens*, ipse Ioannes, *quod ipse erat*, ille, ad cuius nuptias Dominus fuit invitatus.

[5] Cfr. supra pag. 243, nota 1.

[6] Cap. 1, 1. — Sequuntur Gen. 1, 1. et Apoc. 1, 8. — Superius pro *Ioannis Evangelium... scriptum* non pauci codd. *Ioannes... scriptus*. Subinde pro *quod est principium* ed. contra fere omnes codd. *qui est principium*.

[7] Hieron., de Viris illustribus, c. 9. ait: « Et confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno (id est Christi 100.) mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est ». Beda, I. Homil. homil. 8. in die natali S. Ioannis evang., dicit: Sicut enim in Patrum litteris invenimus, cum longo confectus senio sciret, imminere diem recessus sui, convocatis discipulis suis, post monita exhortationum ac Missarum celebrationem ultimum eis valefecit; deinde descendens in defossum sepulturae suae locum, facta oratione appositus est ad patres suos, tam liber a dolore mortis quam a corruptione carnis invenitur alienus. Cfr. infra expositio, c. 21, 23.

[8] Idem Prologus, sub nomine Hieron., exhibetur etiam (omissis iis quae ad Evangelium spectant) in principio Apocalypsis.

COMMENTARIUS

IN EVANGELIUM IOANNIS.

Capitulum I.

Divisio generalis.

1. *In principio erat Verbum* etc. Iste liber, qui est de Verbo incarnato, in quo duplex consideratur natura, divina scilicet et humana, dividitur primo in duas partes. In prima agit de Verbo in se; in secunda vero, in quantum est carni unitum, et incipit illa pars ibi [1]: *Fuit homo missus a Deo.* Et quia *verbum* dicit operativam potentiam, ut dicit Augustinus, et habet respectum ad dicentem, et ad id quod per verbum dicitur; ideo prima pars habet duas. In prima determinatur de Verbo in comparatione ad dicentem; in secunda in comparatione ad ea quae dicuntur per Verbum: *Omnia per ipsum facta sunt.*

Pars. I. De Verbo in se, et primo in comparatione ad dicentem.

Divisio.

In prima parte ponuntur quatuor clausulae [2], in quibus describitur Verbum incarnatum quantum ad quatuor conditiones, quae sunt: in essentia *unitas*, in persona *alietas*, in maiestate *aequalitas*, in duratione *coaeternitas*. Et per has conditiones eliduntur quatuor errores [3].

Explicatio litteralis. Conditio 1.

2. (Vers. 1.). Prima igitur conditio est in *essentia unitas*, et notatur in prima clausula, cum dicitur: *In principio erat Verbum;* sicut dicit Augustinus [4]: « Est principium non de principio, et hoc est Pater; et est principium de principio, et hoc Filius ». Hic accipitur *principium* per antonomasiam de Patre; unde sensus est: *In principio*, hoc est in Patre, est Filius, non separatus a Patre per essentiam, infra decimo quarto [5]: « Ego in Patre, et Pater in me est », tanquam indivisi; quia sicut dicitur infra decimo: « Ego et Pater unum sumus ». Et in hoc eliditur *infidelitas paganorum*, qui nobis indignantur, quod dicimus tres personas, et non tres deos; sicut dicit Augustinus de Agone christiano [6]; et hoc, quia non intelligunt, quomodo *Verbum erat in principio.*

Conditio 2.

3. Secunda conditio est in *persona alietas*, et haec tangitur in secunda clausula, cum dicitur: *Verbum erat apud Deum;* quia, sicut dicit Grammaticus [7], et etiam Victor, praepositiones sunt transitivae; ideo haec praepositio *apud* importat *distinctionem* secundum quod praepositio, ratione vero specialis significationis dicit *auctoritatem* in Patre et *subauctoritatem* in Filio, quia dicitur minor esse

---

[1] Cap. 1, 6. — August., 83 Qq. q. 63: *In principio erat Verbum.* Quod Graece λόγος dicitur Latine et *rationem* et *verbum* significat. Sed hoc loco melius *verbum* interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quae per Verbum facta sunt operativa potentia. *Ratio* autem, etsi nihil per illam fiat, recte *ratio* dicitur. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. per totam.

[2] Du Cange, Glossarium etc.: *Clausula*, Diomed. lib. I. de Orat. et Victorin. lib. I. de Arte grammat., *est compositio verborum, plausibilis structurae exitu terminata.* Gloss. Lat. Gr.: *Clausula*, Νοήμα. Papias: *Clausula est in oratione brevis sententia.* — Mox pro *incarnatum* IK *increatum.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. dub. 2.

[4] Libr. II. contra Maximin. c. 17. n. 4: Quid est autem *In principio erat Verbum*, nisi in Patre erat Filius? Et ipse Filius interrogatus a Iudaeis, quis esset, respondit [Ioan. 8, 25.]: *Principium, qui et loquor vobis.* Pater ergo principium non de principio, Filius principium de principio; sed utrumque simul, non duo, sed unum principium, sicut Pater Deus et Filius Deus, ambo autem simul non duo dii, sed unus Deus etc. Cfr. in Ioan. Evang. tr. 39. n. 1. seqq. Vide etiam I. Sent. d. XXIX. lit. Magistri, c. 1. seqq., et Comment. a. 1. et 2.

[5] Vers. 11; ibid. 10, 30. est seq. locus.

[6] Cap. 15. n. 17: Nec eos audiamus, qui indignantur et stomachantur, quia non tres deos colendos dicimus. Nesciunt enim, quid sit una eademque substantia etc.

[7] Scilicet Priscian., XIV. Grammat. c. 1. seqq., ubi etiam (c. 3.) de praepositione *apud.* — Quisnam sit *Victor*, qui in seqq. pluries allegatur et communiter convenit cum sententia, quam Glossa *ordinaria* praebet, certo determinare nequimus. Bonelli probabile esse censet, quod ipse sit Victor Cartennae Mauritaniae civitatis episcopus, qui, teste Gennadio, scripsit librum contra Arianos et multas homilias. Sed haec assertio videtur esse falsa. Ut nobis pro sua humanitate communicavit doctissimus D. Dr. A. Ehrhard, professor in Seminario Argentinensi, fuerunt quidem 54 *Victores* in primis sex saeculis, sed *Victor* hic citatus probabilissime est *Victor Capuanus* († 554), qui praeter *Harmoniam Evangeliorum* (Migne, Patrol. Lat. tom. 68.) etiam *Catenam in Evangelia* scripsisse fertur. Fragmenta huius auctoris edidit card. Pitra (Spicilegium Solesm.), ubi in Praef. III. de hoc Victore tractat et observat, Smaragdum et Walafridum Strabonem praefata *Catena* usos esse (cfr. Migne, Patrol. Lat. tom. 102, col. 1024). — Alius Victor, dictus Antiochenus, scripsit Commentarium in Marcum pluries editum (etiam apud De la Bigne, Biblioth. veterum Patrum, tom. I. pag. 812 seqq.). Idem etiam citatur in catenis, quae scriptae sunt in Ioannem. Sed minus probabile esse videtur, Bonaventuram hunc citasse. — Cfr. I. Sent. d. 37. p. I. dub. 2.

apud maiorem et non e converso, secundum communem modum loquendi. Ibi vero, etsi non sit minus et maius, tamen est auctoritas in Patre et subauctoritas in Filio [1]. Nomine vero *verbi* intelligitur *generationis emanatio*. Et haec tria tanguntur Ecclesiastici vigesimo quarto [2]: « Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam »: *Altissimi*, ecce auctoritas; *ex ore*, ecce generatio; *prodii*, ecce distinctio. Et in hoc eliditur *haeresis Sabellianorum*, qui ponunt, quod unus et idem sint Pater et Filius; quia non intellexerunt, quomodo *Verbum erat apud Deum* [3].

Conditio 3.

4. Tertia conditio est in *maiestate aequalitas*, et haec tangitur in tertia clausula, ibi: *Et Deus erat Verbum*. Si enim, sicut dicit Anselmus [4], « Deus est quo maius excogitari non potest »; si Verbum erat Deus: ergo erat, quo maius excogitari non poterat, et ita in maiestate Patri aequalis erat; infra decimo quarto dixit discipulis: « Creditis in Deum, et in me credite ». Si in solum Deum credendum tanquam in summam veritatem, et in Verbum credendum; restat, quod Deus erat Verbum. Et in hoc eliditur *haeresis Arianorum*, qui posuerunt Filium creaturam et minorem Patre, sicut dicit Augustinus [5]. Non enim intellexerunt, quomodo *Deus erat Verbum*.

Conditio 4.

5. (Vers. 2.). Quarta conditio, in *duratione coaeternitas*, et haec tangitur, cum dicitur: *Hoc erat in principio apud Deum*, in quo notatur coaeternitas. Nam Deus Pater ab aeterno erat; quodsi Filius non erat coaeternus, ante fuit Pater quam Filius: non ergo Verbum erat in principio apud Deum; sed erat in principio, et ideo coaeternum. Unde Proverbiorum octavo [6]: « Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum ». Et in hoc eliditur *haeresis Photinianorum* et *Ebionitarum*, qui dixerunt, Christum ex Maria prorsus sumsisse exordium, sicut dicit Augustinus de Agone christiano [7]. Non enim intellexerunt, quomodo *Verbum erat in principio apud Deum*.

Quaestiones.

6. Ad intelligentiam praedictorum potest hic quaeri:

Quaest. I. Cum Filius importet proprietatem maxime distinctivam, quare potius describit Dei Filium sub nomine *verbi* quam sub nomine *filii*? Videtur enim, quod deberet facere e contrario.

Respondeo: Dicendum, quod *filius* solum dicit comparationem ad patrem, *verbum* vero dicit comparationem ad dicentem, dicit comparationem ad id quod per verbum dicitur, dicit comparationem ad vocem, quam induit, dicit etiam comparationem ad doctrinam, quae mediante verbo in altero efficitur; et cum Dei Filius debeat hic describi non tantum in comparatione ad Patrem, a quo procedit, sed etiam ad creaturas, quas fecit, et ad carnem, quam induit, et ad documenta, quae praebuit: nobilissime et decentissime sub nomine verbi describi debuit, quia nomen illud ad omnia respicit, nec posset in mundo nomen convenientius inveniri [8].

7. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod per hoc verbum *erat* describitur. Si enim *erat* est temporis praeteriti imperfecti, omnino repugnat aeternitati, quia nulla ibi praeteritio. *Si dicas*, sicut dicit Augustinus in Glossa [9], quod hoc verbum *est* aliquando importat tempus secundum analogiam aliorum verborum; hic autem non dicit tempus, sed essentiam sine ullo temporali motu designat: hoc non solvit, quia, cum dicitur: *Filius generatur* vel *est genitus*, non importat ibi tempus; tamen melius dicitur: *semper genitus* quam *semper generatur* [10]. — Item Domi-

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 9. dub. 11; d. 13. dub. 4; d. 15. p. I. q. 1. et 4; d. 19. p. I. q. 3. in corp. et d. 20. a. 1. q. 2. ad 4.

[2] Vers. 5.

[3] Theophylact., in Ioan. 1, 2: Confundantur igitur et Arius et Sabellius. Arius quidem, qui creaturam dicit Filium Dei et facturam. Confutetur autem per hoc quod dicit: *In principio erat, et Deus erat illud Verbum.* Sabellius vero negans personarum trinitatem, sed asserens unitatem, reiiciatur per hoc quod dicitur: *Et illud Verbum erat apud Deum.* Manifeste enim hoc loco alium esse Verbum, et alium esse Patrem, declarat magnus Ioannes, etiamsi non sit aliud et aliud. Alius enim et alius de personis dicitur, aliud et aliud de naturis etc.

[4] Proslog. c. 4. — Subinde allegatur Ioan. 14, 1.

[5] In Ioan. Evang. tr. 1. n. 11. seq. et tr. 26. n. 5.

[6] Vers. 22. seq.

[7] Cap. 17. n. 19: Nec eos audiamus, qui Filium Dei Iesum Christum nihil esse aliud quam hominem dicunt, sed ita iustum, ut dignus sit appellari Filius Dei. Et hos enim catholica disciplina misit foras; quoniam vanae gloriae cupiditate decepti contentiose disputare voluerunt, antequam intelligerent, quid sit Dei virtus et Dei sapientia [I. Cor. 1, 24.], et *in principio Verbum*, per quod *facta sunt omnia*, et quomodo Verbum *caro factum est et habitavit in nobis* [Ioan. 1, 1. 3. et 14.].

[8] Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 4, et de ipsa *Verbi* in divinis ratione et connotatione vide ibid. q. I. et 2.

[9] Haec Glossa non exhibetur a Strabone, sed a Lyrano; ipsa a B. Alberto et card. Hug. (in hunc loc.) tribuitur *Augustino*, dum S. Thom. (Catena aurea in Ioan. 1, 1.) allegat *Origenem*, inter quorum opera exstant *Homiliae in diversos*. Homilia 2. agit de primis versibus Evang. Ioannis; haec in Patrol. Lat. Migne habetur in operibus Ioan. Scoti Erigenae (cfr. tom. V. pag. 18, nota 6.), in qua legitur: Et notandum, quod in hoc loco non temporis, sed substantiae significationem beatus Evangelista insinuat per hanc vocem, quae est *erat*. Nam et positio eius, id est *sum*, unde inaequaliter flectitur, duplicem continet intellectum. Aliquando quidem subsistentiam cuiuscumque rei, de qua praedicatur, absque ullo temporali motu significat, ideoque substantivum verbum vocitatur; aliquando temporales motus secundum aliorum verborum analogiam declarat. Tale ergo est quod ait: *In principio erat Verbum*, ac si aperte diceret: In Patre subsistit Filius. Cfr. I. Sent. d. VIII. lit. Magistri, c. 1, ubi verba August. (in Evang. Ioan. tr. 99. n. 5.) exponit et iisdem verbis utitur, quae adhibet Glossa praenotata.

[10] Secundum Gregor., XXIX. Moral. c. 1. n. 1. Cfr. I. Sent. d. IX. lit. Magistri, c. 4, et Comment. q. 4. et dub. 5.

nus ita dicit: *Antequam Abraham fieret, ego sum,* infra octavo [1]; non dicit *fui* vel *eram:* ergo et nunc per *praesens* deberet dicere.

Respondeo: Dicendum, quod quia *esse* Verbi describitur hic ut *permanens,* describitur ut *immutabile,* ut *cetera antecedens,* quia hoc verbum *erat* secundum quod huiusmodi haec tria importat: ideo elegantissime dixit *erat.* Cum enim sit medium inter praesens et praeteritum, et « medium naturam sapiat extremorum [2] »; a praesenti habet *permanentiam,* a praeterito *immutabilitatem,* a se ipso *antecessionem* et ordinem, scilicet aeternitatis ad tempus. Ideo recte dicitur *erat.*

8. Sed opponit haereticus: si Verbum procedit a dicente ut filius a patre; et filius est patre posterior: ergo Verbum non erat in principio apud Deum. *Si tu dicas,* quod comparatur sicut splendor ad lucem; opponit alius haereticus: si lux multo luminosior et nobilior est splendore, qui ab ipsa procedit: ergo et Pater Verbo [3].

Respondeo: Dicendum, quod acceptio similitudinis, scilicet in creaturis, nusquam plene reperitur respectu Dei, quia omnis creatura plus est dissimilis quam similis; et ideo erraverunt haeretici, qui omnino assimilare voluerunt; sed in pluribus est accipere [4]. *Verbum* enim comparatur ad dicentem sicut *filius* ad patrem propter similitudinem in natura et perfectionem aequalem, comparatur ut *splendor* ad lucem propter coaeternitatem. Et ideo in omnibus talibus argumentis est *consequens* [5].

Secundo, de Verbo in comparatione ad ea quae per ipsum dicuntur.

9. (Vers. 3.). *Omnia per ipsum facta sunt* etc. Divisio. Hic describitur Verbum per comparationem *ad id quod per Verbum dicitur,* et hoc quantum ad quatuor conditiones: describit enim ipsum ut principium creationis *sufficiens,* ut *indeficiens,* ut *praecognoscens,* ut aliis *cognitionem praebens.* Et per has quatuor conditiones plures haereses eliduntur.

Primo ergo dicitur ipsum *principium sufficiens,* Explicatio litteralis. Conditio 1. quia ad omnia producenda sufficit. Ideo dicit: *Omnia per ipsum facta sunt,* scilicet a Deo Patre per Verbum, quia Ecclesiastici decimo octavo [6]: « Qui vivit in aeternum creavit omnia simul »; et hoc per Verbum, unde in Psalmo: « Dixit, et facta sunt ». Augustinus in libro Confessionum [7]: « Verbo tibi coaeterno dicis quaecumque dicis, et fit quod dicis, nec aliter quam dicendo facis ».

10. *Et sine ipso factum est nihil.* Hic notatur Conditio 2. secunda conditio, scilicet quod est *principium indeficiens,* quia nulli operationi deest. Nam Pater sine Verbo nihil facit; infra quinto [8]: « Omnia, quae Pater facit, haec et Filius similiter facit ». Similiter creatura facit sine Verbo cooperante nihil; infra decimo quinto: « Sine me nihil potestis facere ». Et in hoc perfecte eliditur haeresis Manichaeorum, qui posuerunt duo principia, et quaedam produci a Deo lucis, quaedam a Deo tenebrarum. Non enim intellexerunt, quomodo *omnia per Verbum facta sunt* [9].

---

[1] Vers. 58.

[2] Averroes, in III. Metaph. text. 8: Omne medium sapit naturam extremorum. — Anselm., de Concord. praescientiae Dei cum lib. arb. q. 1. c. 5: Quae tempore praeterita sunt ad similitudinem aeterni praesentis omnino immutabilia sunt. In hoc siquidem magis similia sunt aeterno praesenti temporaliter praeterita quam praesentia; quoniam quae ibi sunt nunquam possunt non esse praesentia, sicut tempore praeterita non esse, praesentia vero tempore omnia, quae transeunt, fiunt non praesentia. — Card. Hugo, exponens idem Ioannis verbum, ait: Praeteritum *imperfectum* medium est inter praesens et praeteritum perfectum; unde aliquid habet praeteriti et aliquid praesentis: praesentis habet essentiam, praeteriti habet immutabilitatem; unde ipsum complectitur illa duo, quae supra diximus esse in aeternitate, scilicet *esse* et immutabile sive interminabile.

[3] August., Serm. 117. (alias 38. de Verbis Domini), c. 4. n. 6. « Et sic disputant [Ariani]: si natus est, utique erat Pater, antequam Filius illi esset natus ». In responsione allegantur diversae similitudines, inter quas etiam illa de luce sive igne et splendore; c. 8. n. 11. ait: « Mox autem ut accendero [lucernam], simul cum igne et splendor existit. Da hic mihi ignem sine splendore, et credo tibi, Patrem fuisse sine Filio ». Ibid. c. 10. n. 13: Quid ergo dicemus, si dicat aliquis: Talis est ergo Filius ad Patrem, qualis ad ignem splendor et imago ad virgultum? Ecce, intellexi aeternum Patrem, intellexi coaeternum Filium, tamen sicut effusum splendorem *minus igne* lucentem... dicimus? Ibid. n. 14. insinuatur seq. responsio.

[4] Ed. addit: *aliquid, dum comparari saltem aliquo modo possit cum Deo, non secundum totum.* De seq. propositione cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 4, ubi in corp. dicitur: Similitudo est in *origine.* Nam sicut Filius per modum naturae procedit per omnia Patri similis, sic verbum intellectus a mente procedit per modum naturae per omnia ei simile et aequale; unde dicitur mentis conceptus. Cfr. ibid. dub. 2. — Inferius pro *aequalem* ed. *essentialem* et post *coaeternitatem* addit *et connaturalitatem.*

[5] Ed. *est fallacia consequentis,* de qua vide Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.). — Cfr. I. Sent. d. 9. dub. 3. ac 7. et d. 13. dub. 8.

[6] Vers. 1, de cuius expositione cfr. I. Sent. d. 42. dub. 2. et II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2. ad 2. — Sequitur Ps. 32, 9. vel 148, 5.

[7] Libr. XI. c. 7. n. 9: Et ideo Verbo tibi coaterno simul et sempiterne dicis omnia, quae dicis, et fit quidquid dicis, ut fiat, nec aliter quam dicendo facis; nec tamen et simul et sempiterne fiunt omnia, quae dicendo facis. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 2. — Pro *tibi coaeterno* non pauci codd. *tuo coaeterno.*

[8] Vers. 19; Quaecumque enim ille fecerit, haec etc.; ibid. 15, 5. est seq. locus.

[9] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 1. n. 14, ubi explicans hunc versum narrat de quodam catholico, taedium patiente ad muscas, quod Manichaeus progrediendo a muscis ad apes, ad locustam etc. persuasit illi, quod etiam « non a Deo factus est homo ». Vide II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1.

11. (Vers. 4.). *Quod factum est*[1] *in ipso vita erat.* Hic notatur tertia conditio, scilicet quod est *principium praecognoscens*, quia omnia sunt in ipso, antequam fiant, et in ipso vivunt, sicut arca in mente artificis. Unde Augustinus[2] dicit, quod Filius est « ars plena omnium rationum viventium »; Ecclesiastici vigesimo tertio: « Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia ». Ideo rationes in ipso vivunt, quia non transmutantur; Iacobi primo: « Apud ipsum non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio »; et transmutatio omnis nonnulla mors est. Conditio 3.

12. *Et vita erat lux hominum.* Hic tangitur quarta conditio, quae est, quod est aliis *cognitionem praebens;* ideo dicitur *lux hominum*, quia homines illuminat et videre facit; unde in Psalmo[3]: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine ». Sine quo lumine non est videre, sicut dicit Augustinus[4], quia, sicut non videt oculus, nisi a luce corporali illuminetur; sic non videt intellectus, nisi a luce spiritualissima illustretur. Et licet omnibus cognitionem praebeat, non tamen omnibus praebet cognitionem sui, quia peccatores per ipsam cognoscunt et ipsam non comprehendunt. Ideo dicit: Conditio 4.

13. (Vers. 5.). *Et lux in tenebris lucet*, cum peccatores facit vera cognoscere; *et tenebrae eam non comprehenderunt;* quia infidelitatis tenebris obcaecati non cognoscunt; Genesis primo[5]: « Tenebrae erant super faciem abyssi », id est infidelitas in facie cordis humani. Unde ad Ephesios quinto: « Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino »; primae Ioannis primo: « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo et in tenebris ambulamus; mentimur et veritatem non facimus ». Et per hoc eliditur error ille, qui posuit, omnia esse a fortuna, et non esse providentiam, nec Deum cognoscere acta nostra[6].

Quaestiones.

14. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Sine ipso factum est nihil.*

Contra hoc est, quia qui furatur aliquid facit: ergo furtum est aliquid: ergo est a Deo: ergo peccata et mala sunt a Deo et non fiunt sine Deo. — *Si tu dicas*, quod peccatum nihil est, unde sensus est: *Sine ipso factum est nihil,* id est peccatum, ut negotio sistat intra[7]; sic ultra *obiicitur:* quia peccatum corrumpit, et quod corrumpit agit, et quod agit est ens, et quod est ens est aliquid: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod *peccatum* aliquando nominat *actionem* privatam aliqua debita circumstantia; aliquando nominat *debitum* cum privatione boni, ad quod est; aliquando nominat ipsam *boni privationem.* Primo modo est *aliquid;* secundo modo est *secundum quid;* tertio modo est *omnino nihil.* Secundum igitur quod concernit *bonum substratum*, ratione illius est a Deo, sed ratione *deformitatis,* non[8]. Resp. Peccatum sumitur tripliciter.

Quod ergo obiicitur, quod peccatum agit; hoc est per naturam boni substratam, ut dicit Dionysius[9]. Solvitur obiectio.

15. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod factum est in ipso vita erat.*

Contra: Omnia facta sunt in ipso: ergo omnia sunt vita; in Psalmo[10]: *Omnia in sapientia fecisti:* ergo lapis vivit.

Respondeo: Dicendum, quod illud verbum exponit Chrysostomus[11] sic: *Quod factum est,* conne- Resp. Explicatio prima.

---

[1] Verba *quod factum est* Vulgata cum versus praecedentis verbis *et sine ipso factum est nihil* coniungit.

[2] Libr. VI. de Trin. c. 10. n. 11: Ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena etc. In Ioan. Evang. tr. 1. n. 17: Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Cfr. I. Sent. d. 36. a. 2. q. 1. — Subinde allegantur Eccli. 23, 29. et Iac. 1, 17. August., II. de Trin. c. 9. n. 15: Ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur.

[3] Psalm. 4, 7.

[4] Libr. I. Soliloq. c. 8. n. 15: Nam et terra visibilis et lux, sed terra nisi luce illustrata videri non potest. Ergo et illa quae in disciplinis traduntur... credendum est, ea non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc sole tria quaedam licet animadvertere: quod est, quod fulget, quod illuminat, ita in illo secretissimo Deo, quem vis intelligere, tria quaedam sunt: quod est, quod intelligitur, et quod cetera facit intelligi. Cfr. in Ioan. Evang. tr. 1. n. 18. et tr. 3. n. 4. Plura de hac re vide in Quaest. disput. de scientia Christi, q. 4. (tom. V.). — Inferius pro *cognitionem sui* ed. *comprehensionem sui.*

[5] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Eph. 5, 8. et I. Ioan. 1, 5. seq. — Superius post *obcaecati* (B C E N *excaecati*) ed. addit *et absentes luci;* cfr. supra pag. 211, nota 4.

[6] Cfr. supra Comment. in Sap. 14, 3; I. Sent. d. 38. a. 2. q. 1, d. 39. a. 1. q. 1; Hexaëm. collat. 6. n. 2. seqq. (tom. V.).

[7] Ut exponit August.; cfr. supra pag. 130, nota 12. — Ed. omittit *sistat in termino,* quod habent E et N, alii codd. videntur habere *sistat intra.* B. Albert., in hunc locum: Ideo ad hanc haeresim [Manichaeorum dicentium, quod malum, cum sit aliquid, non sit factum sine ipso] destruendam, accipiunt Sancti secundum sensum locutionis, ita quod *negatio stet in termino subiecti* sic: *Non-aliquid* factum est sine ipso, ut sit sensus: Id quod factum est *non-aliquid,* sicut malum, factum est sine ipso, ut sit quasi propositio habens subiectum terminum infinitum etc. C.P. I. Sent. d. 5. dub. 11.

[8] Cfr. II. Sent. d. 35. per totam et d. 37. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1.

[9] Libr. de Div. Nom. c. 4. § 19. seqq. — Pro *substratam* B N *substrati.*

[10] Psalm. 103, 24. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 1. n. 16.

[11] In Ioan. homil. 5. (alias 4.) n. 1: Ne vero putes, ipsum ea tantum memorare, quae Moyses narravit, subiungit: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum,* hoc est, ex rebus factis, sive sub aspectum sive sub intellectum tantum cadant, nihil sine Filii virtute productum est. Neque enim punctum apponemus post illud *nihil,* ut haeretici faciunt. Illi enim, cum velint, Spiritum creatum esse, ita legunt: *Quod factum est in ipso vita erat* etc. — Terminus *implicative* significat propositionem relativam. Sic Petr. Hispan., Summul. tr. *de Restrictione,* ait, restrictionem fieri posse per implicationem, ut cum dicitur: homo, qui est albus, currit etc. De significatione *ly* cfr. supra pag. 144, nota 1. in fine.

ctendo priori clausulae, ut sit punctus: *sine ipso factum est nihil, quod factum est*, et ly *quod* tenetur *implicative*. Et post sequitur: *In ipso vita erat;* et
Secunda. cessat obiectio. — Hilarius [1] vero sic: *Quod factum est in ipso;* hic punctus, scilicet quantum ad humanitatem, ut incarnatio, passio et resurrectio, *erat vita, causaliter* loquendo, id est causa vitae et sa-
Tertia. lutis nostrae. — Ambrosius [2] sic: *Quod factum est in ipso vita*, id est, in ipso qui est vita; *appositiva* est constructio; *erat*, scilicet in Dei praescientia, antequam fieret; et est similis modus loquendi:
Quarta. *Omnia in sapientia fecisti.* — Augustinus [3] elegantius omnibus exponit: *Quod factum est in ipso vita erat;* quia habebat in ipso exemplar et rationem viventem; quae ratio dicitur *vivens*, quia spiritualis, non materialis; quia intransmutabilis, non variabilis; quia aeterna, non corruptibilis. Et haec est ratio *vi-*
Quid vita. *tae; vita* enim est actus spiritualis et continuus, ab ente quieto et sempiterno fluens [4].

16. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Tenebrae eam non comprehenderunt.*

Contra: 1. Lux corporalis, dum lucet et est praesens, non potest non videri: ergo pari ratione videtur de luce spirituali et de intellectu.

2. Item, quare dicit de *tenebris?* Quia nullus etiam bonus eam [5] comprehendit, cum sit incomprehensibilis.

Respondeo: Dicendum, quod non est simile de
Resp. luce corporali et spirituali triplici de causa: tum ex
Ratio triplex. parte *motivi*, quia corporalis se manifestat naturaliter, spiritualis vero voluntarie; tum ex parte *oculi*, quia oculus intellectus caecus est respectu unius, et tamen videt respectu alterius, sicut videmus, quod unius habet ignorantiam, alterius cognitionem; sic oculus infidelis caecus respectu Dei. Tertia ratio ex parte *comparationis*, quia aliqua proportio est oculi nostri ad lucem corporalem, sed lux spiritualis improportionaliter excedit, et ideo *lucem habitat inaccessibilem* [6].

2. Quod quaeritur de *comprehensione;* dicen-
Ad 2. dum, quod est comprehensio per *inclusionem* [7], per apertam *visionem*, per fidei et caritatis *adhaesionem*. Primo modo a nullo comprehenditur, secundo modo a Beatis, tertio modo a Sanctis, nullo dictorum modorum a malignis; ideo dicit: *Et tenebrae eam non comprehenderunt*, id est, nec fide nec amore adhaeserunt.

Pars. II. De Verbo, quatenus est carni unitum, ponuntur tria.

17. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen* Divisio. *erat Ioannes.* Egit supra de Verbo secundum *excellentiam Divinitatis;* in hac parte agit secundum *assumtionem humanitatis*. Et quia assumtio haec facta est propter nostram salutem, quae facta est per passionem et consummata per resurrectionem [8]; ideo habet haec pars tres partes. In prima agit de *incarnatione;* in secunda de *passione*, infra in fine undecimi [9]: *Collegerunt ergo pontifices;* in tertia de *resurrectione*, in principio vigesimi capituli: *Una autem Sabbati* etc.

Primo tractatur de ipsa incarnatione dupliciter, primo de ipsa in se considerata.

Et quia incarnatio inutilis est nobis, nisi mani- Subdivisio 1. festetur; ideo primo agit de *incarnatione;* secundo, de incarnationis *manifestatione*, infra eodem [10]: *Et vidimus gloriam eius.* Quia vero adventus Christi in carnem erat adventus Regis, ideo praemisit praecursorem; ideo primo agitur de adventu *praecursoris*, Subdivisio 2. secundo, de adventu *Christi*, ibi: *Erat lux vera* etc.

De adventu praecursoris.

18. (Vers. 6.). Adveniens ergo praecursor descri- Expositio litteralis. bitur a quatuor conditionibus, scilicet a *natura*, ab *auctoritate*, a *nomine*, ab *officio*. A *natura*, cum dicitur: *Fuit homo;* Glossa [11]: « Homo, non Angelus, ut volunt haeretici ». Hoc dicebant haeretici propter illud Malachiae tertio: « Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam ante te ». Sed « *Angelus* est ibi nomen officii, non naturae [12] ». — Ab *auctoritate* describitur, cum subditur: *Missus a Deo*, non ab homine, non a se; ad Romanos decimo [13]: « Quomodo praedicabunt, nisi mittantur »? Quocontra dicitur de malis prophetis Ieremiae

---

[1] Libr. I. de Trin. n. 10. et II. n. 20. — Inferius pro *salutis nostrae* B *salutis aeternae.*

[2] Libr. III. de Fide, c. 6. n. 43. — Subinde allegatur Ps. 103, 24.

[3] In Ioan. Evang. tr. 1. n. 16. seq.; II. de Gen. ad lit. c. 6. n. 12; 83 Qq. q. 46.

[4] Libr. de Causis, propos. 18: Vita est processio procedens ex ente primo, quieto, sempiterno. Cfr. I. Sent. d. 6. q. 3. et d. 36. a. 2. q. 1.

[5] Plurimi codd. incongrue *eum.*

[6] Epist. I. Tim. 6, 16: Lucem inhabitat [ita etiam N] inaccessibilem. Cfr. I. Sent. d. 3. p. 1. q. 1. seq.

[7] Cfr. August., de Videndo Deo seu Epist. 147. (alias 112.) c. 9. n. 21: Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt. — Ed. addit *sive terminationem.* Inferius pro *amore* D *caritate.*

[8] Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. et IV. d. 2. dub. 2.

[9] Vers. 47; cap. 20, 1. est seq. locus.

[10] Vers. 14; ibid. v. 9: Erat lux vera etc.

[11] Scilicet *ordinaria*, de qua vide Theophylact., in hunc locum. — Seq. locus est Malach. 3, 1: « Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam ». Verbotenus invenitur Matth. 11, 10, qui etiam ab ed. allegatur.

[12] Ut dicit August.; cfr. supra pag. 157, nota 9.

[13] Vers. 15. — Sequitur Ier. 23, 21: Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.

vigesimo tertio: « Currebant, et ego non mittebam eos ». — A *nomine* describitur, cum dicitur: *Cui nomen erat Ioannes.* Hoc nomen fuit authenticum, quia non ab homine impositum, sed a Deo; Lucae primo[1] dictum est Zachariae: « Elisabeth, uxor tua, pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem ». — Ab *officio* describitur, cum subinfertur:

19. (Vers. 7.). *Hic venit in testimonium.* Officium enim suum fuit testificari de lumine, non propter defectum luminis, sed credentium; ideo dicitur: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum;* Actuum decimo nono[2]: « Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens, in eum, qui venturus erat post ipsum, ut crederent »; *crederent,* inquam, *per illum,* non *in illum;* quia:

20. (Vers. 8.). *Non erat ille lux,* in quam credendum; *sed ut testimonium perhiberet de lumine;* quod et fecit; infra quinto[3]: « Vos misistis ad Ioannem, et ille testimonium perhibuit veritati ».

Quaestiones.

21. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit: *Hic venit in testimonium.*

Contra: 1. Infra quinto[4]: « Ego testimonium ab homine non accipio »; ergo nec ad hoc debuit mitti a Deo.

2. Item, lux non indiget illuminatione[5]: ergo nec summa veritas testificatione: ergo frustra venit.

Respondeo: Dicendum, quod testimonium perhibetur *alicui* et *propter aliquem.* Aliquando ergo est opportunitas testimonii ratione eius, *cui* perhibetur, quia[6] veritas est infirma, et sic homo indiget testimonio alieno; aliquando ratione eius, *propter quem* perhibetur, quia in fide dubius vel infirmus. Ioannes autem non venit in testimonium propter defectum lucis in Christo, sed ratione ineptitudinis in oculo nostro[7].

Resp. cum distinctione.

22. Quaest. II. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Ut omnes crederent per illum:* quia, cum non omnes crediderint; si Deus ad hoc misit eum, ergo et uterque est fine debito frustratus.

Respondeo: Dicendum, quod est finis duplex: in *se* et in *altero.* Dico ergo, quod frustrari fine in *altero,* dum tamen habeatur finis in *se,* nullam inducit imperfectionem, sicut patet de rhetore bene persuadente, de Angelo custodiente, de Christo redimente et Ioanne testificante, quia testimonium sufficiens perhibuit, licet non omnes ei crediderint; tamen ex contingentibus nihil omisit[8].

Resp. Distinctio.

23. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non erat ille lux.*

Contra: Ad Ephesios quinto[9]: « Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino »: ergo omnes boni sunt lux.

Respondet Glossa[10], quod est lux *illuminans* et lux *illuminata.* Ioannes et alii Sancti non sunt lux illuminans, sed lux illuminata a prima luce.

Resp. insufficiens.

Sed contra hoc est Matthaei quinto[11]: « Sic luceat lux vestra coram hominibus »; et ad Philippenses secundo: « Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo ».

Respondeo: Est lux illuminans *effective* et *dispositive.* Lux illuminans *effective* est lux per essentiam, sic solus Deus est lux illuminans; *dispositive* est lux per participationem, et sic Sancti, qui illuminant verbo et exemplo[12].

Resp. auctoris.

De adventu Christi.

Distinctio in 4 membra.

24. *Erat lux vera* etc. Determinato adventu praecursoris, determinatur adventus *Regis* et determinatur cum suis proprietatibus et circumstantiis. Hunc ergo adventum Christi describit hoc ordine. Primo notatur *adveniendi ratio;* secundo, *adventientis despectio;* tertio vero, ipsius *adventus utilitas* sive fructus; quarto, *adveniendi modus.*

Expositio litteralis. Membrum 1.

(Vers. 9.). *Ratio* igitur *adveniendi* in carnem primo tangitur, quae fuit: quia ipse Deus ante incarnationem, licet esset summa lux omnibus praesens, non cognoscebatur a mundo; ideo visibilis effectus est,

---

[1] Vers. 13. — De voce *authenticum* cfr. tom. V. pag. 206, nota 8.

[2] Vers. 4, ubi pro *venturus erat post ipsum,* quod habent codd., Vulgata *venturus erat.*

[3] Vers. 33, in quo Vulgata omittit *ille.*

[4] Vers. 34.

[5] Codd. E F G H I K L M N *illuminante,* et post pauca *testificante* pro *testificatione.*

[6] Edd. addit *in eo,* quae etiam inferius pro *Ioannes autem* substituit *Ideo.*

[7] Cfr. in hunc locum Origen. (tom. 2. n. 28.), et Chrysost. (homil. 6, alias 5.).

[8] Vide Theophylact., in hunc locum, qui utitur exemplo solis lucentis ad hoc, « ut omnes illuminet; at si quis in caliginosa quadam domo se incluserit et iubare non fruatur, quid hoc ad solem? » B. Albert., in hunc locum: Dicendum, quod iste est finis in alio, et quamvis non semper consequatur propter impedimentum, quod est in alio, tamen, quia nihil omittit de contingentibus, non est frustra, sed habet finem. Exemplum est de medico non semper sanante, et de rhetore non semper persuadente, de Angelo custode non semper effectum custodiae in alio consequente, et de Christo redimente, a quo tamen non omnes redimuntur.

[9] Vers. 8.

[10] Scilicet *interlinearis:* Magnus quidem erat iste [Ioannes], non tamen ex se lucens; sunt tamen Sancti lux illuminata. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 6.

[11] Vers. 16. — Sequitur Phil. 2, 15, ubi multi codd. *in caelo* pro *in mundo.*

[12] Eadem distinctione utitur S. Bonav., IV. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. in corp. Cfr. Theophylact., in hunc locum. — Cod. D supplet *sunt lux.*

ut cognosceretur. Propterea dicit: *Erat lux vera,* scilicet per *essentiam; quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* infra octavo [1]: « Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris ». Haec lux erat praesens mundo; unde in mundo erat per praesentiam; Sapientiae septimo: « Attingit ubique propter sui munditiam ».

25. (Vers. 10.). *In mundo erat,* per *effectum;* unde *et mundus per ipsum factus est,* per quem cognosci poterat; Sapientiae decimo tertio [2]: « A magnitudine speciei et creaturae poterat Creator horum cognoscibiliter videri ». Et tamen *mundus eum non cognovit; mundus,* id est mundani, metonymia est; infra decimo septimo [3]: « Pater iuste, mundus te non cognovit ». Haec est ratio, quare venit; unde Chrysostomus [4]: « Quia in mundo existens non putabatur adesse, eo quod nondum cognoscebatur; dignatus est induere carnem ».

26. (Vers. 11.). *In propria venit.* Tangitur hic
Membrum 2. *advenientis despectio,* et hoc maxime ab his qui debebant eum honorare, et de quorum genere assumsit carnem. Propter quod dicit: *In propria venit,* id est, de genere Iudaeorum, quos prae ceteris praeelegerat, carnem assumsit. *Et sui,* id est Iudaei, *eum non receperunt,* non quia nulli, sed quia pauci; Isaiae primo [5]: « Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me ». Iudaei dicti sunt *sui,* quia secundum carnem erat ex eorum genere, quia de semine David erat, qui erat rex in Israel usque in
Aliter. sempiternum. — Vel: *sui* per specialem electionem, secundum illud Deuteronomii vigesimo sexto [6]: « Elegit te Dominus in populum peculiarem ».

27. (Vers. 12.). *Quotquot autem.* Tangitur hic
Membrum 3. tertium, scilicet *adventus ipsius fructus* sive utilitas, quae est divinae filiationis adeptio. Quia haec utilitas non se extendit, nisi ad eos qui eum receperunt et in eum crediderunt; ideo dicit: *Quotquot autem receperunt.* Ita *sui* eum non receperunt, sed *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et haec magna *utilitas;* primae Ioannis tertio [7]: « Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus »; et in hoc magna utilitas; unde ad Romanos octavo [8]: « Si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ». Ita ergo hanc potestatem filiationis Dei dedit *his qui receperunt.* Sed quia haec receptio est per fidem, ideo explicat: *His qui credunt in nomine eius;* ita *dedit eis qui receperunt, his qui credunt in nomine eius,* id est in re nominis eius. Nomen eius est *Emmanuel,* id est *nobiscum Deus* [9]. Ille igitur *credit in nomine,* qui credit eum Deum et hominem; et hic est filius Dei; primae Ioannis quinto: « Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei, ex Deo natus est ». Quia vero filii Dei non fiunt nisi per generationem spiritualem, non carnalem, ideo dicit:

28. (Vers. 13.). *Qui non ex sanguinibus,* id est commixtione seminum; *neque ex voluntate carnis,* id est mulieris; *neque ex voluntate viri,* id est delectatione et pruritu; *sed ex Deo nati sunt;* quia infra tertio [10]: « Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est »; et primae Petri primo: « Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum », hoc est semper.

29. (Vers. 14.). *Et Verbum caro factum est.* Tan- Membrum 4.
gitur hic quartum, scilicet *adveniendi modus,* qui fuit per carnis assumtionem, in qua fuit *summa* unio; ideo dicit: *Verbum caro factum est;* id est carni unitum; ad Philippenses secundo [11]: « Humiliavit semetipsum, formam servi accipiens ». Et quia Notandum.
haec unio fuit *inconfusa,* fuit etiam *indivisa;* ideo dicit: *Et habitavit in nobis,* id est in nostra natura: *habitavit,* ergo non est *conversus; habitavit,* ergo non est *separatus.* De hac habitatione Levitici vigesimo sexto [12]: « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos anima mea »; et in Psalmo: « In pace factus est locus eius, et habitatio eius in Sion ».

Quaestiones.

30. Quaest. I. Sed quaeritur primo de eo quod dicit: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem* etc.; quia dictum est supra [13], quod aliqui homines sunt *tenebrae:* ergo non omnes illuminat. — *Si tu dicas:* quantum in se est: ergo si

---

[1] Vers. 12. — Seq. locus est Sap. 7, 24, ubi pro *sui* Vulgata *suam.* Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 7. seq.

[2] Vers. 5, in quo pro *poterat* Vulgata *poterit.*

[3] Vers. 25. — De *metonymia* cfr. supra pag. 243, nota 3.

[4] In Ioan. homil. 10. (alias 9.) n. 2, ubi explicat illud Ioan. 1, 11: *In propria* etc. Idem dicit Beda in hunc locum: Quia ergo, cum in mundo esset per Divinitatem, mundus eum non cognovit; dignatus est venire in mundum per humanitatem, ut vel sic eum mundus cognosceret. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 8. (alias 7.) n. 1.

[5] Vers. 2. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 12.

[6] Vers. 18: Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris.

[7] Vers. 1. — Pro *Et haec magna utilitas,* quod habent alii codd. et ed., M *Et in hoc notatur mayna caritas.* Superius pro *adeptio* ed. *adoptio.*

[8] Vers. 17.

[9] Matth. 1, 23: Et vocabunt nomen eius Emmanuel [Isai. 7, 14.], quod est interpretatum Nobiscum Deus. — Subinde allegatur I. Ioan. 5, 1, ubi pro *Filius Dei* ed. cum Vulgata *Christus.*

[10] Vers. 6. — Sequitur I. Petr. 1, 23. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 14. seq.

[11] Vers. 7. seq.: Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens... Humiliavit semetipsum, factus obediens etc.

[12] Vers. 11. — Sequitur Ps. 75, 2.

[13] In explicatione v. 5. n. 13. et 16.

voluntati eius nullus resistere potest [1], necesse est, omnes illuminari.

Ad hoc respondet Augustinus [2] sic: « Illuminat
Resp. 1. omnem, scilicet qui illuminatur, quia nullus illuminatur nisi per ipsum ». Exemplum de magistro do-
Resp. 2. cente pueros. — Beda [3] respondet, quod illud intelligitur de lumine *naturae*, non gratiae; et quilibet
Resp. 3. habet signatum lumen vultus Dei. — Chrysostomus [4] vero exponit: quia paratus est illuminare; sed non omnes illuminantur, quia sibi claudunt viam luminis. Exemplum de caeco existente in sole.

Quod tu obiicis: si vult, facit; dicendum, quod
Ad obiect. *absolute* non vult illuminare nisi eos qui volunt; sed voluntate *conditionali* omnes vult illuminari, sicut *omnes homines salvos fieri* [5].

31. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *In propria venit.*

1. Si enim eius est *venire*, cuius est *abesse;* et Deus nusquam abest: ergo non venit.

2. Item, si Deus potest omnia ubique, ergo non indiget propter aliquid venire: ergo si non venisset, idem facere potuisset.

Ad hoc respondet Beda [6]: « In mundo erat per
Resp. Divinitatem, in mundum venit per incarnationem. *Venire* quippe vel *abire* est humanitatis; sed *manere* Divinitatis »; unde sensus est: *Venit*, id est, visibilis apparuit.

Quod tu quaeris: quae necessitas veniendi? Re-
Ad 2. spondeo [7]: Non propter se, sed propter nos; et hoc bene innuit Evangelista: quia non cognoscebat mundus sublimitatem, apparuit in humilitate et humanitate.

32. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt* etc.

Contra: 1. Augustinus de Praedestinatione Sanctorum [8]: « Posse credere naturae est »: ergo a natura habent hanc potestatem, non ergo datam a Christo.

2. Item, quare magis dicit de credentibus quam de amantibus, vel aliis?

Respondeo: Dicendum, quod est *posse* perfectum et activum, et hoc dicitur *posse potestatis;* et est *posse* imperfectum et passivum, et hoc dicitur *possibilitatis* [9]. Primum *posse* non est nisi per gratiam, et de illo loquitur hic; ideo dicit: *Dedit eis potestatem.* De alio loquitur Augustinus. Resp. cum distinctione.

2. Quod quaerit: quare magis fidei? Responsio est: quia fides est prima virtutum et fundamentum [10], ideo ei attribuit ut ianuae. Ad 2.

33. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Verbum caro factum est.* Hic dicuntur tria verba, et quaestio est: quare magis dixit *verbum* quam *lux*, cum descriptum sit Verbum et sub ratione verbi et sub ratione lucis? — *Si tu dicas,* quod *lux* est communis tribus personis, *verbum* soli Filio, qui solus est incarnatus; tunc est quaestio: quare non dixit *Filius?* Et quare solus Filius est incarnatus, cum divina bonitas sit summe communicativa in qualibet hypostasum? Quaest. 1. Quaest. 2.

Respondeo ad hoc, quod solus Filius est incarnatus sumitur ratio ex parte *nativitatis*, *operis* et *effectus.* Ratione *nativitatis:* quia [11] *filius Virginis,* et non debuit *filius* alii personae attribui. Ratione *operis:* quia *recreatio,* et per ipsum est recreatio [12], per quem creatio. Ex parte *effectus:* quia *nos fecit filios* et coheredes, per Filium naturalem debemus in hereditatem et filiationem induci [13]. Resp. ad quaest. 2. Ratio triplex.

Magis autem dixit *verbum* quam *filius*, ut excludat intellectum carnalem et manifestet spiritualem. *Filius* enim carnaliter est generatus in creatu- Ad quaest. 1.

---

[1] Gen. 50, 19: Num Dei possumus resistere voluntati? Esther 13, 9: Et non est qui possit tuae resistere voluntati. Cfr. Rom. 9, 19.

[2] Enchirid. c. 103. n. 27: Sic enim intelligimus et quod in Evangelio scriptum est: *Qui illuminat omnem hominem,* non quia nullus est hominum, qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Cfr. lib. de Natura et gratia contra Pelagium, c. 41. n. 48, ubi etiam occurrit exemplum de magistro pueros docente; vide tom. I. pag. 820, nota 4. — Pro *Augustinus* D *in Glossa*, scil. interlineari, *Augustinus.*

[3] In Ioan. Evang. c. 1, 9: « Omnem videlicet, qui illuminatur sive naturali ingenio, sive sapientia divina. Sicut enim nemo a se ipso esse, ita etiam nemo a se ipso sapiens esse potest, sed illo illustrante, de quo scriptum est [Eccli. 1, 1.]: *Omnis sapientia a Domino Deo est* ». Clarius hanc explicationem dat Cyrill. Alexandr., I. in Ioan. Evang. c. 9: Sed Dei Verbum *illuminat omnem hominem venientem in mundum,* non docendo, sicut Angeli verbi gratia vel homines, sed potius ut Deus creando unicuique rei in ortum eductae sapientiae sive cognitionis divinae semen indit et intelligentiae radicem inserit, atque ita rationale animal efficit, naturae illud suae particeps reddens etc. — Inferius respicitur Ps. 4, 7: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

[4] In Ioan. homil. 8. (alias 7.) n. 1: Quomodo ergo *illuminat omnem hominem?* Quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes, huius lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum qui sponte se hoc privant munere etc.

[5] Epist. I. Tim. 2, 4. Cfr. I. Sent. d. 46. q. 1.

[6] In Ioan. Evang. c. 1, 10. seq., ubi post *manere* textus originalis addit *et esse.* Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 4. in fine et 8.

[7] Plures codd. *Respondet,* scil. Beda; cfr. supra pag. 252, nota 4.

[8] Cap. 5. n. 10: Proinde posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturae est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium.

[9] Cfr. supra pag. 51, nota 6. verba B. Alberti. Eadem distinctio recurrit infra c. 13, 38. Quaest. II. Vide etiam II. Sent. d. 28. dub. 3. et 4; Breviloq. p. V. c. 2. et 3.

[10] Vide IV. Sent. d. 14. p. I. a. 2. q. 3. et d. 22. a. 3. q. 1. — Cod. D *prima virtus et primum virtutum fundamentum.*

[11] Ed. addit *natus de genere Adae,* quae etiam cum pluribus codd. pro *non debuit filius* substituit *non debuit filiatio.*

[12] Ed. *quia recreatio per eum fieri debuit.*

[13] Cfr. III. Sent. d. 1. a. 2. q. 3. et Breviloq. p. IV. c. 2.

ris, sed *verbum* spiritualem habet generationem. Manifestat spiritualem, quia, sicut dicit Augustinus [1], verbum induit vocem et non transit in vocem; sic Verbum aeternum induit carnem.

34. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Factum est caro;* quia aut est sensus: *factum est caro,* id est mutatum in carnem; aut *factum caro,* id est factum, ut sit caro. Neuter intellectus sanus est. — *Si tu dicas,* quod synecdochica est constructio, et *caro* ibi tantum valet quantum *homo* [2]; unde *factum caro,* id est *homo;* tunc quaeritur: quare magis voluit humanitatem intelligi per *carnem* quam per *animam,* cum anima sit nobilior pars? — Et quare usus est hac locutione figurativa, cum posset uti propria?

Respondeo: Dicendum, quod illa unio fuit ad
Resp. nostram *eruditionem* et nostram *salutem;* et eruditio fuit, quia *visibilis;* et liberatio, quia *passibilis;* et caro dicit partem visibilem et maxime passibilem: ideo [3] etc.

Secundo, de ipsa incarnatione quoad eius manifestationem dupliciter.

35. *Et vidimus gloriam eius.* Supra determinata
Divisio. est Verbi incarnatio; in hac parte determinatur *incarnati Verbi cognitio* sive manifestatio. Habet autem haec pars duas, quia primo agit de manifestatione eius in *generali;* secundo vero, in *speciali,* ibi [4]: *Et hoc est testimonium Ioannis* etc.

Primo, de manifestatione Verbi incarnati in generali.

Prima pars habet duas, quia primo tangitur
Subdivisio. ipsius Verbi incarnati *cognitio;* secundo vero, *cognitionis ratio,* ibi [5]: *Ioannes testimonium perhibet* etc.

Cognitio vero Verbi incarnati, quam habuerunt
Expositio litteralis. Apostoli et credentes, fuit quantum ad utramque naturam; in quorum persona dicit Evangelista: *Et vidimus gloriam eius,* id est, cognovimus; *gloriam,* scilicet quantum ad Divinitatem. Propterea dicit: *Gloriam quasi Unigeniti a Patre;* de qua gloria secundae Petri primo [6]: « Accepit a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus ». — Quantum
Item, humanitatis. vero ad humanitatem dicitur *plenum gratiae et veritatis,* id est, *vidimus,* supple: eum, *plenum gratiae et veritatis,* vere *plenum,* quia in ipso, sicut dicitur ad Colossenses secundo [7], « omnis plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitat »; *plenum gratiae,* ad exhaurienda peccata; *plenum veritatis,* ad implenda promissa; Ecclesiastici vigesimo quarto: « In me omnis gratia vitae et veritatis ». Et notandum, quod hoc quod dicit: *quasi Unigeniti* non est nota comparationis vel similitudinis, sed expressionis [8].

Cognitio Divinitatis.

36. *Ioannes testimonium.* Postquam posita est
Ratio cognoscendi triplex. cognitio, ponitur hic *cognoscendi ratio.* Nam triplex fuit in eis ratio cognoscendi: prima, per *testimonium;* secunda, per *singularem effectum;* tertia, per *singulare documentum.*

(Vers. 15.). Prima ergo ratio cognoscendi fuit
Prima. per *testimonium authenticum,* scilicet personae authenticae, Ioannis videlicet, qui sanctus fuit ex utero matris. Propterea dicit: *Ioannes testimonium perhibet de ipso;* Proverbiorum decimo quarto [9]: « Testis fidelis non mentitur ». *Et clamat,* Ioannes aperte et secure, secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam »; dicens: *Qui post me venit ante me factus est;* ideo dignior me secundum humanam naturam effectus; ad Ephesios primo [10]: « Omnia subiecit sub pedibus eius et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam ». Et ratio huius est: *quia prior me erat,* scilicet secundum Divinitatem; infra octavo: « Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum »; et sic prior Ioanne.

37. (Vers. 16.). *Et de plenitudine eius.* Tangi-
Secunda. tur hic secunda ratio cognoscendi, quod Christus erat Dei Filius, scilicet propter *singularem effectum,* et iste fuit collatio gratiae. Propterea dicit: *Et de plenitudine,* quasi dicat: vere cognovimus eum *ple-*

---

[1] Libr. XV. de Trin. c. 11. n. 20: Et sicut verbum nostrum fit vox nec mutatur in vocem, ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit, ut mutaretur in carnem. Chrysost., in Ioan. homil. 2. (alias 1.) n. 4: Neque enim commune quidpiam nobiscum habet, sed longe est a communicatione cum creaturis... ideo *Verbum* illum appellavit. Cum enim docturus esset, hoc Verbum esse unigenitum Filium Dei; ne quis generationem passibilem suspicaretur, praemissa *Verbi* appellatione omnem tollit malam suspicionem etc. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 4. — Inferius post *carnem* ed. addit *et non transit in carnem.*

[2] Cfr. supra pag. 185, nota 7.

[3] Vide III. Sent. d. 2. a. 2. q. 2. ad 1. — Pro *maxime* ed. *materialem.*

[4] Vers. 19. — Superius et inferius pro *incarnati Verbi,* quod bis habet D, et infra etiam E (a secunda manu), alii codd. vel *Verbi incarnationis,* vel cum ed. *incarnationis.*

[5] Vers. 15.

[6] Vers. 17.

[7] Vers. 9. — Sequitur Eccli. 24, 25: In me gratia omnis viae et veritatis. — Superius pro *supple,* quod habent D N, codd. communiter substituunt *super,* ed. *insuper.*

[8] Chrysost., in Ioan. homil. 12. (alias 11.) n. 1.: Illud autem *quasi* non similitudinis est neque parabolae, sed confirmationis et definitionis nulli dubio obnoxiae, ac si diceret: Vidimus gloriam, *qualem* decebat habere unigenitum et germanum Filium Dei, universorum regis. Gregor., XVIII. Moral. c. 6. n. 12: In sacro eloquio *sicut* et *quasi* aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate. Unde est illud [Ioan. 1, 14.]: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti* etc. Cfr. ibid. XXV. c. 10. n. 25. — Ed. *sed expressio veritatis.*

[9] Vers. 5, in quo multi codd. *mentietur.* — Sequitur Isai. 58, 1. — Superius respicitur Luc. 1, 15: Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.

[10] Vers. 22. — Seq. locus est Ioan. 8, 58.

num; quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia,* gratiam scilicet retributionis pro gratia iustificationis, vel e converso gratiam iustificationis accepimus pro obtinenda gratia retributionis, quae recte dicitur *gratia,* quia, sicut dicit Augustinus [1], « nihil Deus in nobis praeter sua dona coronat »; ad Romanos sexto: « Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita aeterna »; et Zachariae quarto: « Exaequabit gratiam gratiae ». Et quod iste effectus sit singularis Christi, ostendit:

38. (Vers. 17.). *Quia Lex per Moysen data est,* quae tantum *promisit* gratiam et veritatem et non dedit; quia, ad Hebraeos septimo [2], « Lex neminem ad perfectum duxit ». Sed quod Lex promisit Christus *exhibuit;* ideo dicit: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* id est donata. Propterea clamat Apostolus ad Romanos septimo [3]: « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum », non lex Moysaica.

39. (Vers. 18.). *Deum nemo vidit unquam.* Tertia. Tangitur hic tertia ratio cognoscendi, quae scilicet est *singulare documentum;* quia Christus solus de Deo potuit docere et docuit certitudinaliter et aperte, quia solus vidit; ideo dicit: *Deum nemo vidit unquam;* primae ad Timotheum ultimo [4]: « Lucem habitat inaccessibilem »; et Exodi trigesimo tertio: « Non videbit me homo et vivet ».

40. *Nisi Unigenitus* [5]. Aliqui libri habent: *sed Unigenitus;* utraque littera bona. *Nemo vidit nisi Unigenitus* debet construi cum praecedenti verbo; si est ibi *sed,* debet construi cum sequenti: *Sed Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. In sinu Patris,* quia ab ipso genitus non recedit ab ipso; infra tertio [6]: « Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, Filius hominis, qui est in caelo ». *Ipse enarravit,* quia vidit; infra tertio: « Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur »; ad Hebraeos primo: « Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula ».

Quaestiones.

41. Quaest. I. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Plenum gratiae et veritatis:* secundum quam naturam hoc dictum est? Aut secundum *divinam,* aut secundum *humanam.* Secundum *divinam,* non; quia non est in eo gratia, sed natura est quidquid habet. Nec secundum *humanitatem,* videtur, quia subdit: *De plenitudine eius gratiam accepimus pro gratia;* sed gratia a solo Deo datur, non ab homine: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod in Christo fuit Resp. gratia *singularis* maxima, quae potuit esse in ho- Duplex gratia. mine; sicut etiam gratia *unionis,* qua nulla maior potest excogitari. Ratione utriusque dicitur fuisse *plenus gratia,* et ratione huius duplicis gratiae fuit caput Ecclesiae. Et quia caput in omnia membra redundat, ideo *de plenitudine eius accepimus omnes* [7].

Quod ergo quaerit: utrum secundum divinam naturam, vel humanam? dico, quod Christus dicitur caput secundum humanam unitam divinae. Sic plenitudo *redundantiae* est intelligenda [8].

42. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *De plenitudine eius accepimus omnes. — Contra* hoc est, quia multi praecesserunt Christum: ergo multi fuerunt ante plenitudinem Christi: ergo non omnes acceperunt [9].

Respondeo: Dicendum, quod omnes acceperunt, Resp. quia Christus fuit caput omnium iustorum ab Abel usque ad ultimum iustum [10]. Huic capiti uniuntur membra ligamine fidei et dilectionis. Quia ergo nullus fuit salvatus sine fide Christi, sicut dicit beatus Augustinus [11]; nullus fuit salvatus, qui non receperit de plenitudine Christi.

Quod obiicitur, quod secutus est; dicendum, Ad obiect. quod fide fuit semper omnibus praesens, licet corporaliter sit secutus [12].

43. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Deum nemo vidit unquam.*

Contra: 1. Numerorum duodecimo [13]: « Ore ad os loquor ei, et palam et non per figuras et aenigmata Dominum videt »; dicitur de Moyse: ergo Dominum vidit.

2. Item, Isaiae sexto [14]: « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum ».

Responsio est ad hoc, quod est cognoscere Deum Resp. *in se* et *in suo effectu* [15]. Et cognoscere Deum *in effectu,* hoc est videre *per speculum,* et hoc dupli- Cognoscitur Deus in effectu dupliciter. citer: aut per speculum *lucidum* et oculum, et sic videbat primus homo ante lapsum; aut per specu-

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 3. n. 10; Epist. 194. (alias 105.) c. 5. n. 19; de Gratia et lib. arb. c. 6. n. 15. — Sequuntur Rom. 6, 23. et Zach. 4, 7, ubi in fine ed. cum Vulgata addit *eius.*

[2] Vers. 19: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.

[3] Vers. 24. seq.

[4] Vers. 16: Lucem inhabitat inaccessibilem. — Seq. locus est Exod. 33, 20.

[5] Ita Hilarius, VI. de Trin. n. 39; seq. lectio insinuatur ab August., in Ioan. Evang. tr. 3. n. 17; Vulgata simpliciter *Unigenitus,* omisso tam *nisi* quam *sed.*

[6] Vers. 13; ibid. v. 11. est seq. locus, post quem sequitur Hebr. 1, 2.

[7] Cfr. III. Sent. d. 13. a. 1. et 2; Breviloq. p. IV. c. 5.

[8] Vide III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3. et dub. 3. seq.

[9] Ed. *Ergo eos fuit secutus, et non omnes de eius plenitudine acceperunt.*

[10] Respicitur Glossa *ordinaria* in Col. 1, 18. Vide tom. III. pag. 284, nota 9.

[11] In Ioan. Evang. tr. 109. n. 2. Cfr. supra pag. 171, nota 4.

[12] Vide III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1. ad 4.

[13] Vers. 8. — Ex D supplevimus *dicitur... vidit.*

[14] Vers. 1.

[15] De hoc vide I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. et 2; II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3.

lum *obscuratum*, et sic videmus nos modo, quia propter peccatum et oculi nostri caligaverunt, et omnes creaturae obtenebratae sunt; unde videmus nunc per *speculum in aenigmate*, primae ad Corinthios decimo tertio [1].

Item, in se dupliciter. Alio modo cognoscitur Deus *in se;* et hoc dupliciter: aut *clare*, et hoc modo a solo Filio et a Beatis; alio modo *in caligine*, sicut dicit beatus Dionysius de Mystica Theologia [2]; et sic vidit Moyses, et sublimiter contemplantes, in quorum aspectu nulla figitur imago creaturae. Et tunc revera magis sentiunt, quam cognoscant. Unde Bernardus [3] dicit, quod aliquid in se sentiebat aliquando, de quo quando volebat videre, statim amittebat.

Secundo, de manifestatione Verbi incarnati in speciali dupliciter.

Divisio in duo membra. 44. *Et hoc est testimonium Ioannis.* Egit supra de manifestatione Verbi incarnati *in generali*, hic agit *in speciali;* et dividitur haec pars, quia ipsum est *sui* manifestativum et manifestatur *per vocem;* ideo habet haec pars duas partes. In prima agit de manifestatione facta per Ioannem, qui fuit *vox* praecurrens Verbum. In secunda de manifestatione facta per ipsum Verbum, infra eodem [4]: *In crastinum voluit exire.*

Primo, de manifestatione per Ioannem.

Primi membri divisio in tria. Pars prima habet tres partes secundum tria testimonia Ioannis, quae sic distinguuntur. Primum est de *naturarum duarum veritate;* secundum est de *baptizandi potestate;* tertium vero, de *sanctitate.* — Vel aliter etiam distinguuntur: quia primum fuit factum *Pharisaeis;* secundum, *turbis;* tertium vero, *Ioannis discipulis.* — Tertio modo sic: quia primum testimonium perhibitum est, Christo *absente;* secundum, Christo ad eum *veniente;* tertium, ante eum *deambulante.* Primum testimonium notatur hic: *Et hoc est testimonium;* secundum ibi [5]: *Altera die;* tertium ibi: *Altera iterum die.*

Subdivisio. Prima pars, in qua testimonium ponit, Christo *absente*, habet duas, quia primo quaerentibus respondet veritatem de *se ipso;* secundo vero, de *Christo*, ibi [6]: *Et qui missi fuerant erant ex Pharisaeis.*

De se tripliciter. Veritatem ergo, qua de *se ipso* respondit quaerentibus, hoc ordine describit Evangelista: primo in quaerentibus insinuat *auctoritatem;* secundo, in Ioanne *stabilitatem;* tertio, in quaerentibus *importunitatem;* quarto vero, in Ioanne *humilem veritatem.*

Primum. 45. (Vers. 19.). Quaerentium igitur *auctoritatem* insinuat: quia erant personae authenticae et auctorizabiliter missae, quibus Ioannes perhibet testimonium; propterea dicit: *Et hoc est testimonium Ioannis.* Ita dictum est supra [7], quod « Ioannes testimonium perhibet »; modo specificat: *Et hoc est testimonium Ioannis*, et demonstrat testimonium cum suis circumstantiis. *Hoc*, pronomen, *hoc, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas;* ecce, personarum auctoritas, quia missi erant et honorabiles erant; infra quinto [8]: « Vos misistis ad Ioannem, et ille testimonium perhibuit veritati »; *miserunt*, inquam, *ut interrogarent eum: Tu quis es?* in persona scilicet omnium. Simili modo misit Ioannes discipulos suos, ut quaererent in persona sua, ad Christum; Matthaei undecimo [9]: « Mittens Ioannes duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus »? Hoc volebant quaerere Iudaei per levitas.

Secundum. 46. (Vers. 20.). *Et confessus est.* Tangitur hic secundum, scilicet *Ioannis stabilitas*, qui non fuit eorum auctoritate perterritus, ut a vera confessione declinaret. Ideo dicit: *Et confessus est et non negavit*, id est, veram confessionem fecit et in ipsa permansit; secundae ad Corinthios primo [10]: « Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo *est* et *non;* sed est in illo *est* ». *Et confessus est*, veritatem scilicet, *quia non sum ego Christus.* Respondit magis intentioni quam quaestioni. De hac fideli confessione Matthaei decimo [11]: « Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo ». Ioannes maxime confessus est, quia cum posset reputari Christus, noluit; Gregorius: « Dum non vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi ».

Tertium. 47. (Vers. 21.). *Et interrogaverunt eum.* Tangitur hic tertium, scilicet *quaerentium importunitas*, quia non desistunt unica responsione, sed instanter quaerunt; ideo dicit: *Et interrogaverunt eum: Quid ergo?* id est, quid es, si non es Christus? *Elias es tu? Et dixit: Non sum.* Et adhuc instant: *Propheta es tu?* aliquis scilicet minor. *Et respondit: Non.*

---

[1] Vers. 12. — Superius post *oculum* M addit *clarum*, ed. vero pro *oculum* substituit *clarum*.

[2] Cap. 1. § 1. et 3. (ubi etiam exemplum Moysis adducitur) nec non c. 3. Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 7. n. 5.

[3] Serm. in Cantic. serm. 74. n. 5: Fateor, et mihi adventasse Verbum, in insipientia dico, et pluries. Cumque saepius intraverit ad me, non sensi aliquoties, cum intravit. Adesse sensi, adfuisse recordor, interdum et praesentire potui introitum eius, sentire nunquam, sed ne exitum quidem etc. — Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. q. 1-3; II. d. 23. a. 2. q. 3; III. d. 14. a. 1. q. 3. et Breviloq. p. V. c. 6.

[4] Vers. 43.

[5] Vers. 29; ibid. v. 35. est seq. locus. — Superius pro *deambulante* A B G I K L *ambulante*.

[6] Vers. 24.

[7] Vers. 15. — Inferius pro *demonstrat* E *describit*.

[8] Vers. 33, in quo Vulgata omittit *ille*.

[9] Vers. 2. seq.; Vulgata *de* pro *ex*.

[10] Vers. 18. Vulgata omittit ultima verba *sed est in illo est*.

[11] Vers. 32. — Sententia Gregorii habetur lib. I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 1.

Ideo generaliter de aliis Prophetis quaerunt, de Elia specialiter, quia Eliam credebant praecedere Christum; Matthaei decimo septimo [1]: « Quid dicunt Scribae, quia Eliam oportet venire primum »? Sed adhuc instant:

48. (Vers. 22.). *Dixerunt ergo ei: Quis es?* Adhuc instant et rationem instantiae dicunt: *Ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso?* Stultum videbatur eis redire ad mittentes sine certa responsione. Nam sapientis nuntii est responsa certa referre; Proverbiorum vigesimo secundo [2]: « Ecce, descripsi tibi sapientiam, ut eloquia veritatis responderes ex his illis qui miserunt te ».

Quartum. 49. (Vers. 23.). *Ait: Ego vox clamantis.* Tangitur hic quartum, scilicet in responsione *humilis veritas; humilis,* quia non sibi *dignitatem* attribuit, sed *officium.* Ideo ait: *Ego vox clamantis in deserto; clamantis,* inquam, hoc: *Dirigite viam Domini.* Ad litteram Ioannes in deserto clamabat; Matthaei tertio [3]: « Venit Ioannes praedicans in deserto Iudaeae et clamabat: Dirigite viam Domini »; quia praedicabat poenitentiam, per quam dirigitur via peccatoris ad Dominum, quae scilicet *obliqua* est, quamdiu peccat, *dirigitur* vero per mandatorum observantiam; unde infra decimo quarto [4]: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus ». Sic dirigitur via Domini ad cor; et hoc *officium* confirmat testimonio Isaiae: *Sicut dicit Isaias propheta;* Isaiae quadragesimo: « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini ».

Quaestiones.

50. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de interrogatione Iudaeorum. Cum enim scirent originem Ioannis et vitam, ad quid quaerunt: *Tu quis es?*

Resp. cum distinctione. Et respondendum est ad hoc, quod *quis* aliquando quaerit *substantiam,* ut cum dicitur: quis fecit hoc vel illud? Aliquando *propriam nominationem,* ut dicit Priscianus [5].

Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem?

Aliquando specialiter inter alias conditiones quaerit *dignitatem;* nam personae dignae et eminentes *personae* ecclesiasticae vocantur [6]. Ideo hic dicendum, quod etsi scirent *originem, vitam* et *nomen,* tamen dubitabant de *dignitate.*

51. Quaest. II. Item de responsione Ioannis quaeritur, quia ipse respondet secundae interrogationi, quod non est Elias.

Contra: 1. Matthaei undecimo [7]: « Si vultis scire, ipse est Elias ». Ergo aut Dominus dicit falsum, aut ipse.

2. Item respondet, se non esse prophetam; *contra:* Lucae primo [8]: « Tu puer propheta Altissimi vocaberis ».

Respondeo, quod Ioannes respondebat magis ad intentionem quaerentium quam ad quaestionem. Intelligendum igitur, quod Iudaei quaerentes de Elia, corporaliter de ipso quaerebant, de illo eodem, qui fuit in veteri testamento; Ioannes vero respondet, quod non est Elias proprie; sed Dominus dicit eum Eliam figurative; quia hoc fuit Ioannes primo adventu, quod Elias secundo. Similiter dicendum, quod ipsi quaerebant de propheta et officio prophetandi praecise, sicut propheta praedicit *futura;* Ioannes vero propheta erat et plus quam propheta [9], quia demonstravit *praesentem.* Ideo secundum intentionem eorum, se non esse prophetam, respondet. Resp.

52. Quaest. III. Item quaeritur de tertia responsione: 1. Quare scilicet Ioannes dictus est *vox,* et quare dixit, se esse *vocem?*

2. Item, quid est hoc quod dicit: *Dirigite viam Domini;* quia Ieremiae decimo [10]: « Scio, Domine, quia non est hominis via eius neque viri, ut dirigat gressus suos ». Ergo adhortatur ad impossibile.

Respondeo: Dicendum, quod sicut Filius Dei rectissime dicitur *verbum;* ita praecursor eius rectissime dicitur *vox. Vox* quadruplicem proprietatem habet respectu verbi, ratione cuius recte dicitur. Vox *praeit* verbum; sic Ioannes Christum; Lucae primo [11]: « Ipse praeibit ante illum in spiritu et virtute Eliae ». *Manifestat* verbum; sic Ioannes Christum; supra eodem [12]: « Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine ». *Transit* et relin- Resp. Proprietates vocis 4.

---

[1] Vers. 10: Quid ergo scribae dicunt, quod Eliam oporteat etc. August., in Ioan. Evang. tr. 4. n. 4: Noverant enim, quia praecessurus erat Elias Christum.

[2] Vers. 20. seq.: Ecce, descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus et scientia, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis, respondere ex his etc.

[3] Vers. 1: Venit Ioannes Baptista praedicans etc.; ibid. v. 3: Parate viam Domini.

[4] Vers. 23. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 2, infra n. 52. ad 2. allatus. — Inferius allegatur Isai. 40, 3.

[5] Libr. XIII. Grammat. c. 6. et XVII. c. 5.

[6] Cfr. I. Sent. d. 23. a. 1. q. 1.

[7] Vers. 14, ubi pro *scire* Vulgata *recipere.*

[8] Vers. 76.

[9] Respicitur Matth. 11, 9: Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis et plus quam prophetam. Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 3. n. 3; homil. 6. n. 5. et homil. 7. n. 1. seq.

[10] Vers. 23: Scio... nec est viri, ut ambulet et dirigat etc.

[11] Vers. 17: Ipse praecedet ante etc. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 2: Et ex ipsa vestra locutione cognoscitis, quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri. Ioannes ergo vocem se esse asserit, Verbum praecedit. — Superius post *dicitur* ed. addit: *Ioannes vox.*

[12] Vers. 7.

quit verbum manens; sic Ioannes Christum; infra tertio [1]: « Me oportet minui, illum autem crescere ». *Est inutilis* sine verbo; sic Ioannis praedicatio sine Christo; infra eodem [2]: « Ego baptizo vos in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis ».

Ad 2. 2. Quod obiicitur de directione, dicendum, quod *directio* viae est per gratiam et caritatem, quae a solo Deo est; sed *praeparatio* ad directionem est facienda, secundum quod in nobis est. Et hoc praecipitur hic; unde Gregorius [3]: « Via Domini ad cor dirigitur, cum ad praeceptum vita praeparatur ».

Secundo, testimonium de Christo. 53. *Et qui missi fuerant.* Iam dixit Ioannes veritatem de se ipso; hic vero testimonium dat de *Christo* et describit hoc ordine. Primo ponitur *quaerentium improbitas;* secundo, *testimonii veritas;* tertio, *testimonii celebritas.*

Divisio.

Quaerentium improbitas. (Vers. 24.). Tangitur ergo primo *quaerentium improbitas:* quia, cum audissent veritatem, quaerunt calumniari veritatis doctorem. Et huius ratio erat, quia malitiosi erant; ideo dicit: *Qui missi fuerant erant ex Pharisaeis,* ideo malitiosi et observatores; Chrysostomus [4]: « Illi missi fuerunt, qui veritatem nescierunt quaerere, sed invidere »; ideo malitiose et improbe quaerunt. Ideo dicit:

54. (Vers. 25.). *Et interrogaverunt eum et dixerunt ei,* quasi ipsum redarguendo: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus neque Elias neque propheta?* Sine auctoritate facis et stulte. Unde Chrysostomus [5]: « Quia non valuerunt eum blanditiis supplantare, accusationes ei immittere tentant ». Unde exclamat Chrysostomus: « O de dementia! o de elatione! o de intemperanti investigatione! Missi estis ab eo edocendi: *Tu quis es?* Et crimen legis vultis imponere »? In hoc ergo innuitur quaerentium improbitas.

Testimonii veritas. 55. (Vers. 26.). *Respondit eis Ioannes.* Tangitur hic secundum, scilicet *testimonii veritas.* Ioannes enim veritatem sui officii exprimit et ex hoc dignitatem Christi. Ideo dicit: *Ego baptizo vos in aqua;* id est, lavo exterius, non tanquam Christus interius; sed ad Christum praeparo; unde Actuum decimo nono [6]: « Ioannes baptizavit baptismo poenitentiae dicens: In eum, qui venturus erat, ut crederent ». Ideo subdit: *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis;* id est inter vos; *quem nescitis,* secundum quod Dominus infra octavo [7] dicit: « Neque me scitis neque Patrem meum scitis ». Ad illum ego praeparo. Ideo dicit:

56. (Vers. 27.). *Ipse est qui post me venturus est,* quia ego illum praecedo ut praecursor. *Qui ante me factus est,* id est dignior me; infra tertio [8]: « Me oportet minui, illum autem crescere ». Et quanto dignior sit, ostendit: *Cuius ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti.* Ad *litteram* hoc verum est, quia nullus quantumcumque bonus debet se dignum reputare, ut etiam Christum discalceet; unde dicebat ille centurio Matthaei octavo [9]: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum ». — *Allegorice* vero *calceamentum* est humanitas Christi; *pes calceatus,* Divinitas humanata; *corrigia calceamenti,* unio naturarum. *Solvere* ergo *corrigiam calceamenti* est explicare mysterium unionis, ad quod indignum se Ioannes dicit, quia Isaiae quinquagesimo tertio [10]: « Generationem eius quis enarrabit »? quasi dicat: nemo dignus.

Allegorice.

Testimonii celebritas. 57. (Vers. 28.). *Haec in Bethania* [11] *facta sunt.* Tangitur hic tertium, scilicet *testimonii celebritas,* quae notatur in hoc, quod in loco communi hoc testimonium dedit, ubi plures concurrebant. Ideo dicit: *Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi*

---

[1] Vers. 30: Illum oportet crescere, me autem minui.

[2] Cap. 1, 26: Ego baptizo in aqua etc. — De hoc quadruplici discrimine *vocis* et *verbi,* quod etiam a B. Alberto hoc loco affertur, cfr. August., Serm. 288. (alias 23. ex Sirmondianis) n. 2. seqq.

[3] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 2. — Superius post *sed praeparatio* ed. cum nonnullis codd. prosequitur: *ad directionem est faciendo quod in nobis est;* pro *faciendo* A B F K L M substituunt *facienda;* D legit: *faciendum, secundum quod in nobis est,* qui, si posuisset *facienda,* optimam praebuisset lectionem, quam nos selegimus. Ipsa verba nostrae lectionis non excludunt gratiam actualem; cfr. II. Sent. d. 28. per totam; IV. Sent. d. 17. p. I. q. 2. et 3; Breviloq. p. V. c. 3.

[4] *Verba* sunt potius Gregorii, I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3: « *Et qui missi fuerant erant ex Pharisaeis,* ac si aperte dicat: Illi Ioannem de suis actibus requirunt, qui doctrinam nesciunt quaerere, sed invidere »; *sententia* autem eadem erui potest ex Chrysost., in Ioan. homil. 16. (alias 15.) n. 1. seqq. Cfr. explicatio versus seq.

[5] In Ioan. homil. 16. (alias 15.) n. 2, ubi etiam habentur verba, quae sequuntur. In primo loco pro *ei immittere tentant* (quod etiam Thomas in Catena aurea exhibet) non pauci codd. *immittere intentant,* ed. *contra eum invenire attentant.* In secundo loco pro *intemperanti investigatione* (τῆς ἀκαίρου περιεργίας), quod habet M, alii codd. vel *intemperantia interrogationum* vel *intemperantia interrogantium,* card. Hugo *intemporanea investigatione.* Ed. legit: *O dementia! O elatio! O vesania! O intempestiva cura!*

[6] Vers. 4. Cfr. IV. Sent. d. 2. a. 2. q. 2.

[7] Vers. 19. — Vide Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3.

[8] Vers. 30. Lectionem Vulgatae vide supra notam 1.

[9] Vers. 8.

[10] Vers. 8. — De hac *allegorica* expositione, quae est secundum Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3, cfr. III. Sent. d. 22. dub. 5. et Comment. in Luc. 3, 16.

[11] Origen., Comment. in Ioan. tom. 6. n. 24, contendit, quod pro communiter recepta lectione *Bethania* substituendum sit *Bethabara.* Nam Bethania, « patria Lazari et Mariae et Marthae, quindecim stadiis a Hierosolymis distat, qua Iordanes fluvius, lato computo, abest stadiis circiter octoginta supra centum, sed neque locus est circa Iordanem, qui nomen commune habeat cum Bethania. Dicunt autem, ostendi circa tumulos Iordanis Bethabara, ubi historiae dicunt, Ioannem baptizasse; estque nominis interpretatio consequens baptismati (?) praeparantis Domino populum instructum. Est enim, si interpreteris, *domus instructionis;* Bethania vero, *domus obedientiae* » etc. Glossa *ordinaria* vero ait: Duae sunt Bethaniae: una *trans* Iordanem, altera *citra,* non longe ab Hierusalem, ubi Lazarus suscitatus est etc.

erat Ioannes baptizans; et ita multus populus concurrebat; infra tertio [1]: « Erat autem Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim, quia aquae multae erant illic ».

Quaestiones.

58. Quaest. I. Quaestio parvula hic incidit de hoc quod dicit: *Ego baptizo in aqua.* — 1. Si enim baptismus Ioannis solum exterius carnem lavabat, videtur, quod frustra et inutiliter fiebat.

2. Item, Ioannes Lege perfectior est, ergo baptismus Ioannis Sacramentis Legis: si igitur circumcisio dat gratiam, multo [2] magis baptismus Ioannis.

Respondeo: Dicendum, quod baptismus Ioannis
Resp. non fuit in *remedium*, sed in *praeparationem ad remedium*: ideo non sequitur ex hoc, quod sit superfluum; nec sequitur, quod gratiam conferre debeat [3].

Baptismus autem ille *praeparabat* ad remedium
Praeparatio triplex. tripliciter: propter *vitae emendationem;* unde dicitur Matthaei tertio [4]: « Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua ». Propter *assuefactionem*, ut essent idonei et non respuerent baptismum Christi; unde Gregorius [5]: « Decens erat, ut qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando praeveniret ». Tertia vero ratio, propter *Christi manifestationem;* infra eodem [6]: *Ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.*

59. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Medius vestrum.* Unde est hoc, quod Dominus semper locum *medium* eligit, cum sit *caput?* — Et videtur, quod non esset in medio eorum; non enim est nisi in medio bonorum [7].

Dicendum, quod secundum *carnem* erat me-
Resp. dius eorum, id est in medio tanquam homo mediocris. Dicitur autem Christus *stare in medio*, vel
Loci medii 5 proprietates. etiam locum medium specialiter eligere, quia *medium* est locus *humilitatis;* Lucae vigesimo secundo [8]: « Ego autem in medio vèstrum sum, sicut qui ministrat », et Matthaei decimo octavo. — Locus *communitatis*, quia uniformiter se habet ad omnes; Actuum decimo [9]: « In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus » etc. — Locus *unitatis*, quia extrema uniuntur in medio; ad Ephesios secundo [10]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum ». — Locus *stabilitatis*, quia medium mundi est fixum; primae ad Corinthios tertio [11]: « Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod est Christus Iesus ». — Locus *proximitatis*, quia omnibus partibus approximat; Actuum decimo septimo [12]: « Si forte attrectent eum aut inveniant, quamvis non sit longe ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus et movemur et sumus ».

60. Quaest. III. Item quaeritur de illo verbo, quod dicit ipse: *Qui post me venturus est.*

Contra: Matthaei undecimo [13] dicitur, quod misit duos ex discipulis suis dicens ei: « Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus »? Ibi dubitavit, quomodo hic asserit?

Ad hoc dicunt haeretici, quod Ioannes primo cre- Resp. falsa.
didit, sed postmodum dubitavit. Sed mentiuntur, quia Dominus tunc commendavit Ioannem [14]. — Propter Resp. vera.
hoc dicendum, quod Ioannes certitudinaliter sciebat, ipsum esse Christum; nec tunc interrogavit per discipulos tanquam dubitans, sed ut dubitationi discipulorum suorum consuleret, qui in eum non credebant [15].

61. *Altera die vidit Ioannes* etc. Perhibuit su- Testimonium Ioannis secundum.
pra [16] beatus Ioannes testimonium de Christo *absente;* hic perhibet testimonium de Christo *ad se veniente.* Et dividitur haec pars in duas: quia primo Divisio.
describitur testimonii *perhibitio;* secundo, testimonii *certitudo* sive corroboratio, ibi: *Et ego nesciebam eum* etc.

Testimonii *perhibitio* describitur hoc ordine: Testimonii perhibitio.
primo tangitur *testificandi occasio;* secundo, *testificatio;* tertio vero, ad testimonium *praecedens comparatio.*

(Vers. 29.). *Testificandi occasio* primo tangitur; Testificandi occasio.
et haec fuit, quia Iesus venit ad Ioannem ab eo baptizari; propterea dicit: *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se*, scilicet ut baptizaretur; Matthaei tertio [17]: « Venit Iesus a Galilaea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo ».

62. *Et ait*, scilicet Ioannes. Tangitur hic secun- Testificatio.
dum, scilicet ipsa *testificatio*, in qua perhibet testi-

---

[1] Vers. 23.

[2] Cod. D: *sed circumcisio dabat gratiam* [cfr. IV. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 3.]: *ergo multo* etc.

[3] Cfr. IV. Sent. d. 2. a. 2. q. 2.

[4] Vers. 6.

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3. Multi codd., contradicente textu originali, omittunt *quoque Dominum*, et substituunt *praeveniebat* pro *praeveniret.*

[6] Cap. 1, 31.

[7] Cfr. Matth. 18, 20: Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. — Codd. A B *beatorum.*

[8] Vers. 27. — Sequitur Matth. 18, 2. seqq.: Et advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum etc. — Superius D omittit *specialiter.*

[9] Vers. 34, ubi plures codd. *quod* pro *quia.*

[10] Vers. 14.

[11] Vers. 11. Vulgata: id quod positum est, quod est etc.

[12] Vers. 27. Codd. omittunt *aut inveniant,* et pro *quamvis* substituunt *cum.* — Cfr. in Hexaëm. (tom. V.) collat. 1. n. 20. seqq.

[13] Vers. 2. seqq.: Mittens duos de discipulis suis ait illi etc. — Subinde pro *quomodo* plures codd. *quod modo.*

[14] Matth. 11, 7. seqq.: Illis autem abeuntibus, coepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? etc.

[15] Vide III. Sent. d. XXV. lit. Magistri, c. 3, et Comment. dub. 3; cfr. etiam infra n. 71.

[16] Supra v. 19. Seq. locus est v. 31.

[17] Vers. 13.

monium de *innocentia humanitatis* et de *virtute Divinitatis*. Propter *innocentiam* dicit: *Ecce, Agnus Dei*, id est innocens et impollutus; Isaiae decimo sexto [1]: « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion ». Quantum ad *virtutem Divinitatis* dicit: *Ecce, qui tollit peccata mundi*, quod est solius divinae virtutis; Isaiae quadragesimo tertio [2]: « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me »; et dicit: *Ecce*, quia quem alii praenuntiaverunt ipse digito monstrat; ideo de ipso dicitur Matthaei undecimo: « Ipse est propheta et plus quam propheta ».

63. (Vers. 30.). *Hic est, de quo dixi* vobis. Praecedens comparatio. Tangitur hic tertium, scilicet ad testimonium *praecedens comparatio*. Unde replicat testimonium, quod dederat in absentia eius; ideo dicit: *Hic est, de quo dixi*, in praecedenti scilicet testimonio: *post me venit vir*, scilicet temporali nativitate, quia per sex menses post eum natus. De hoc viro Ieremiae trigesimo primo [3]: « Novum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum ». *Qui ante me factus est*, dignitate scilicet, *quia prior me erat*, Divinitate; supra eodem: « In principio erat Verbum ».

QUAESTIO.

64. Sed dubitatio est hic: 1. Cum minoris sit ire ad maiorem, non e converso; videtur, quod Ioannes debuit ire ad Christum.

2. Item, cum in Christo nulla fuerit macula; et baptismus significet ablutionem a sorde: ergo falsum significavit in ipso: ergo si veritas Christi non recipit falsitatem, non debuit baptizari a Ioanne.

RESPONDEO: Dicendum, quod aliquid debito vel Resp. cum distinctione. congruo modo fit, aut quia *necessitatis*, aut quia *supererogationis*. Quod minor vadat ad maiorem, hoc est debitum *necessitatis;* unde dixit Ioannes Domino [4]: « Ego a te debeo baptizari ». Quod vero maior vadat ad minorem, hoc est *perfectionis* et *supererogationis*. Sic Dominus venit ad Ioannem; unde ipse dixit Ioanni: « Sic decet nos implere omnem iustitiam », Matthaei tertio. Quod ergo venit, fuit condescensionis et in commendationem humilitatis.

2. Quod quaeritur: quare voluit baptizari? Re- Ad 2. spondeo: Dicendum, quod sicut *verbo* significativo aliquid dicitur de capite ratione membrorum, sic *actu* exercito aliquid significatur in capite pro membris. Unde baptismus ille nullam significabat ablutionem interiorem in Christo, sed solum in membris. Ratio autem, quare Christus voluit baptizari, fuit triplex: ut daret exemplum humilitatis; ut vim regenerativam conferret aquis; ut per baptismum Ioannis manifestaret se universis. Et haec ratio principalis tangitur in littera [5].

65. *Et ego nesciebam.* Posita est testificatio, Testimonii corroboratio tangitur tripliciter. ponitur hic eius *corroboratio* sive certitudo, quae describitur hoc ordine. Primo tangitur *modus* deveniendi in certitudinem; secundo, *signum* certificans; tertio, *testimonium* certum.

(Vers. 31.). Tangitur igitur primo *modus deve-* Primo. *niendi in certitudinem*, qui fuit per actum baptizandi; ideo dicit: *Ego nesciebam eum*, id est, non eram certus de ipso; *sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Hoc ipsum dicebat Marci primo [6]: « Ego baptizavi vos aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu sancto ».

66. (Vers. 32.). *Et testimonium perhibuit Ioan-* Secundo. *nes.* Tangitur hic secundum, scilicet *signum certificans*, quod quidem fuit descensus Spiritus sancti; ideo dicit: *Et testimonium perhibuit Ioannes*, tanquam certus, *dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo;* Lucae tertio [7]: « Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum ». *Et manentem super eum*, quia in eo requievit; Isaiae undecimo: « Requiescet super eum Spiritus Domini ». Et hoc fuit signum certificans ipsum; ideo dicit:

67. (Vers. 33.). *Et ego nesciebam eum*, prius, sed hoc signo cognovi, quia datum fuit mihi a Deo; ideo subdit: *Sed qui misit me baptizare in aqua*, scilicet Deus; supra eodem [8]: « Fuit homo missus a Deo ». *Ille*, inquam, *mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, ille est, qui baptizat in Spiritu sancto*, quia in eius solo nomine et virtute datur baptismus; Actuum secundo [9]: « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi ». Signum vero huius fuit descensio et mansio Spiritus sancti; unde Beda [10]: « In solo Mediatore Spiritus perpetuo mansit; quia ex eo tempore, ex quo homo fieri incepit, eius ministerio et opere conceptus est ». Ideo hoc signo fuit certificatus.

68. (Vers. 34.). *Et ego vidi* etc. Tangitur hic Tertio. tertium, scilicet *testimonium certum.* Certum enim est testimonium, quando homo testificatur de hoc quod vidit. Ideo dicit: *Et ego vidi et testimonium*

---

[1] Vers. 1.

[2] Vers. 25. — Sequitur Matth. 11, 9.

[3] Vers. 22: Creavit Dominus novum super etc. — Inferius allegatur Ioan. 1, 1.

[4] Matth. 3, 14; ibid. v. 15. est seq. locus.

[5] Scilicet in versu seq. — Cfr. IV. Sent. d. 2. a. 2. q. 2. in fine corp. et ad 3. 4. — Pro *principalis* ed. cum nonnullis codd. *principaliter*.

[6] Vers. 8. — Superius post *de ipso* ed. addit *in particulari ac ea certitudine faciali, sicut nunc;* cfr. infra n. 71.

[7] Vers. 22. — Subinde pro *manentem* [cfr. v. 33.], quod etiam August., card. Hugo et S. Thomas exhibent, Vulgata *mansit*. Seq. locus est Isai. 11, 2, in quo post *Spiritus* plurimi codd. addunt *timoris*.

[8] Vers. 6. — Paulo inferius pro *ille est* Vulgata *hic est*.

[9] Vers. 38, in cuius fine Vulgata *Iesu Christi*. Cfr. IV. Sent. d. 3. p. 1. a. 2. q. 2. ad 3. et Breviloq. p. VI. c. 7.

[10] In Ioan. Evang. 1, 33. Textus originalis post *mansit*, seu, ut ipse habet, *veraciter manet*, plura adiungit. — Inferius verbo *certificatus* ed. praemittit *amplius*.

perhibui, quia hic est Filius Dei; infra decimo nono [1]: « Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius ».

QUAESTIONES.

69. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de descensu Spiritus sancti. — Si enim Spiritus sanctus est Deus; et Deus ubique est: ergo non descendit. — *Si tu dicas,* quod non descendit per *essentiam,* sed per *effectum; contra:* Nullus effectus de novo collatus est Christo, quia nullum munus gratiae habuit tunc, quod non habuisset a conceptione: ergo non descendit per *effectum.*

Quaest. II. Item quaero: quare magis dicitur descendisse in illa columba quam in alia? Aut enim uniebatur illi columbae, aut non; si sic: ergo assumsit illam creaturam; si non: ergo aeque erat in illa sicut in alia: ergo descendit in qualibet columba.

Quaest. III. Item, quare magis descendit in columba quam in aliquo alio?

RESPONDEO: Dicendum, quod Deus dicitur *esse* Resp. *in creaturis* quatuor modis: primo modo, pure per Deus in creaturis quadrupliciter. rationem *essendi;* et sic est in omnibus et aequaliter, nec descendit nec movetur nec recedit. — Secundo modo, per rationem *signandi* vel ostendendi; sic Deus dicebatur esse in his creaturis, quae ipsum signabant, sicut in monte Sinai et in nube [2]. — Tertio modo, per rationem *gratificandi;* sic dicitur esse in iis quos amat, et qui eum amant. — Quarto, per rationem *uniendi* vel assumendi; sic in Christo.

Primo igitur modo existendi, quia universalis est Resp. ad I. et communis, non respondet descensus vel ascensus; aliis modis sic. Unde Deus dicitur aliquando *descen-* Descensus triplex. *dere,* quando descendit creatura, quae ipsumsignat; aliquando, quando confert gratiam; aliquando, quando Resp. ad II. descendit natura assumta [3]. — Quia igitur ad hoc erat illa columba instituta et specialiter ostendebat Spiritum, ideo dicitur *descendisse in ipsa,* non in alia, non ratione *effectus* vel *unionis,* sed *ostensionis* [4].

70. Quod quaeritur: quare magis se ostendit Resp. ad III per columbam? Responsio est: propter proprietates columbae, quia columba est simplex animal, mansuetum et fructuosum. Spiritus vero sanctus est benignus et fructuosus et sine dolo; « Spiritus enim sanctus effugiet fictum [5] ».

71. Quaest. IV. Quaeritur etiam hic de hoc quod dicit: *Ego nesciebam eum. — Contra:* Testimonium perhibuit Ioannes de Christo, antequam baptizaret eum, sicut habitum est supra [6]: ergo aut cognovit ante, aut tulit testimonium de eo quod nesciebat.

Respondetur secundum Chrysostomum [7], quod Resp. 1. cognovit eum in *generali;* bene enim sciebat, quod Christus venerat, et quod ipse eius praecursor erat; sed tamen eum personaliter et *singulariter* non agnoscebat, quia in deserto ab infantia fuerat et eum non viderat.

Sed haec responsio non potest stare: quia Ioan- Non probatur. nes cognovit Dominum in utero matris [8]; quomodo non cognovit, cum iam tantum creverat? — Item, Matthaei tertio [9] dicitur: « Ego a te debeo baptizari ». — Responsio est, quod cognovit, ipsum esse Replicatur. Christum; sed non cognovit, quod potestatem baptizandi reservasset sibi.

Sed tunc *obiicitur:* quia aut de potestate bapti- Obiect. zandi exterius, aut de potestate baptizandi interius; utroque modo falsum, quia utrumque debebat scire.

RESPONDEO: Dicendum, quodsi loquatur de Chri- Resp. 2. sto quantum ad *substantiam,* quod non cognoscebat; intelligendum est: supple: ita certitudinaliter [10], ut cognovit post signum. Si quantum ad *virtutem baptizandi,* intelligendum, quod quintuplex [11] est potestas Potestas baptizandi quintuplex. baptizandi, scilicet *auctoritatis, cooperationis, invocationis, excellentiae* et *ministerii.* — Primam nulli dedit nec dare potuit, ultimam dedit, tres intermedias non dedit; sed potestatem excellentiae et invocationis dare potuit, sed noluit, ne unitas Ecclesiae rumperetur. De potestate *cooperationis* dicit Magister Sententiarum [12], quod dubitavit, sed tamen communiter tenetur, quod illam non potuit dare; et de illa non dubitavit, sed de tertia et quarta potuit dubitare.

72. *Altera die iterum stabat* etc. Supra po- Testimonium Ioannis tertium. suit duo testimonia, hic sequitur tertium, quod perhibuit, ipso *ante eum deambulante;* et describitur testimonium cum fructu suo. Primo ergo notatur Divisio. ipsa *testificatio;* secundo, discipulorum *conversio;*

---

[1] Vers. 35.

[2] Exod. 19, 9: Ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis. Ibid. v. 18: Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne etc. Ibid. 34, 5: Cumque descendisset Dominus [in montem Sinai] per nubem, stetit Moyses etc. — Post *Sinai* C addit *in igne;* E F G H I K L M vero *in monte.*

[3] Cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2. et Breviloq. p. I. c. 5.

[4] Vide I. Sent. d. 16. q. 3. et III. Sent. d. 1. dub. 4. — Ed. *effectus specialis vel novae unionis, sed ostensionis.*

[5] Sap. 1, 5. Ed. cum Vulgata post *sanctus* addit *disciplinae.*

[6] Vers. 15. et 19.

[7] In Ioan. homil. 17. (alias 16.) n. 2. seq. Cfr. III. Sent. d. 25. dub. 3 et IV. Sent. d. 5. dub. 3, in quibus locis S. Doctor sententiam Chrysostomi quoad hanc partem non reprobat; de quo vide tom. I. Prolegom. pag. LXIII. col. 2. — Inferius pro *personaliter* ed. *particulariter.*

[8] Cfr. IV. Sent. d. 6. p. II. dub. 1, ubi duplex opinio probabilis ponitur, quarum secunda hic a S. Doctore praefertur.

[9] Vers. 14.

[10] Ed. legit: *intelligendum est sicut supra* [n. 60. 65. et 67.], *ita plene et certitudinaliter.*

[11] Ed. fide Commentarii Bonav. in IV. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. et Gorrani substituit *sexluplex,* adiungens inferius post *invocationis,* quod bis occurrit, *institutionis,* et pro *tres intermedias* ponens *omnes intermedias.*

[12] Libr. IV. Sent. d. V. c. 3. — Ed. inferius post *quarta* addit *et quinta.*

tertio, conversorum *susceptio*; quarto, susceptorum *fructificatio;* quinto vero, fructificationis vel praedicationis *acceptatio.*

Primo, testificatio.

(Vers. 35.). Notatur ergo primo ipsa *testificatio*, quae facta est in praesentia Domini et discipulorum Ioannis; ideo dicit: *Altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo*, qui scilicet erant idonei ad audiendum de Christo testimonium, quia *discipuli* humiles, quia *magistro adhaerentes*, quia etiam *se amantes;* unde *discipuli* erant, *cum magistro* erant, *duo* erant; sicut dicit Gregorius [1]: « Caritas minus quam inter duos esse non potest »; unde Lucae decimo dicitur: « Misit eos binos ante faciem suam ».

Ratio triplex.

73. (Vers. 36.). *Et respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce, Agnus Dei;* ad differentiam agni typici et paschalis. Ideo *Agnum* vocat, ut discipulos ad ipsum per mansuetudinem attrahat; Matthaei undecimo [2]: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Tria nomina Christi.

Notandum est, quod Christus fuit *vir* in incarnatione, propter perfectionem sapientiae; Zachariae sexto [3]: « Ecce, vir oriens nomen eius ». *Agnus* in passione, propter mansuetudinem patientiae; Isaiae quinquagesimo tertio [4]: « Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum ». *Leo* in resurrectione, propter fortitudinem potentiae; Apocalypsis quinto [5]: « Ecce, vicit Leo de tribu Iuda »; et ibi dicitur, quod « occisus est Agnus ».

Secundo, discipulorum conversio.

74. (Vers. 37.). *Et audierunt eum.* Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum conversio* ad augmentum testimonii; ideo dicit: *Et audierunt eum duo discipuli loquentem*, id est testificantem, *et secuti sunt Iesum*, sano consilio magistri utentes. Isti secuti sunt lucem, quia bona habebant opera; unde infra tertio [6]: « Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius ».

Tertio, conversorum susceptio.

75. (Vers. 38.). *Conversus autem.* Tangitur hic tertium, scilicet *discipulorum conversorum susceptio;* unde Dominus ad eos convertitur et alloquitur. Ideo dicit: *Conversus autem Iesus et videns eos sequentes se.* Conversus est ad conversos, secundum illud Zachariae primo [7]: « Convertimini ad me, et ego convertar ad vos ». Sic conversus, *dicit eis: Quid quaeritis?* Non hoc dicit dubitando, sed eorum rectam intentionem per responsionem manifestando.

76. *Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur interpretatum magister, ubi habitas?* Interpositio est ibi [8], et continuatur series litterae: *Rabbi, ubi habitas?* quasi dicant: te quaerimus, tuam doctrinam, tuam habitationem. Hanc quaestionem facit anima, quae directe quaerit Deum; Canticorum primo [9]: « Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie ». Et quia recta intentione sequuntur, ideo admittuntur.

77. (Vers. 39.). *Dicit eis: Venite et videte. Venerunt et viderunt, ubi maneret.* Econtra ille qui non recta intentione quaerebat, repulsus est; Matthaei octavo [10] dixit ei scriba: « Magister, sequar te, quocumque ieris. Dixit ei Iesus: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet ». Et quia frustra convertitur qui non permanet, ideo dicit: *Et manserunt ibi* [11] *die illo,* Et ratio redditur: *Erat autem hora quasi decima.* In quo significatur dies gratiae, qui est novissimus, in quo permanendum; primae Ioannis secundo [12]: « Nunc scimus, carissimi, quia novissima hora est ». In hac novissima hora permanendum est cum Domino Iesu; Lucae vigesimo secundo: « Vos estis, qui permansistis mecum ».

Dies gratiae.

Quarto, susceptorum fructificatio.

78. (Vers. 40.). *Erat autem unus ex* discipulis etc. Tangitur hic quartum, scilicet *discipulorum fructificatio*, quia statim, postquam conversi sunt, alios vocant, ut Andreas Petrum. Propterea dicit: *Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant a Ioanne et secuti fuerant Iesum* [13]; ideo hunc specialiter nominat, ut fructum suae praedicationis ostendat. Ideo subdit fructum.

79. (Vers. 41.). *Invenit hic primum fratrem suum Simonem;* quia studiose eum quaerebat, ut ad inventum thesaurum eum perduceret. Ideo dicit: *Et dixit* [14] *ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Invenimus sicut boni mercatores *margaritam*, sicut boni cultores *thesaurum*

---

[1] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1, ubi pro *esse* textus originalis *haberi.* — Sequitur Luc. 10, 1.

[2] Vers. 29.

[3] Vers. 12.

[4] Vers. 7: Sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus etc. — Superius voci *patientiae* plures codd. praefigunt *doctrinae*, B H I K M *doctrinae et.*

[5] Vers. 5; ibid. v. 6: Et vidi: et ecce... Agnum stantem tanquam occisum etc.; v. 12: Dignus est Agnus, qui occisus est etc.

[6] Vers. 21.

[7] Vers. 3. — Chrysost., in Ioan. homil. 18. (alias 17.) n. 3: *Quid quaeritis?* Quid hoc est? qui novit corda hominum, cui cogitationes nostrae patent, hic interrogat? Sed non, ut discat — quomodo enim id dici possit? — sed ut per interrogationem illos sibi magis conciliet maioremque indat fiduciam illosque colloquio dignos ostendat. — Inferius multi codd. omittunt *eorum.*

[8] Bonelli hic notat: Quippe ea verba non sunt Ioannis evangelistae, sed interpretis. Unde illis caret Chrysost., homil. 17. [n. 3.] in Ioan. Evang. c. 1. — Cyrill. Alexandr., in hunc locum: Docte ei occurrunt interrogati. Primum enim magistrum ipsum vocant, clare significantes, se velle aliquid discere. Tum rogant, ut domum suam indicet, tanquam ibi opportune dicturi quod sit operae pretium; nolebant enim, ut credibile est, de rebus gravissimis obiter tantum colloqui.

[9] Vers. 6.

[10] Vers. 19. seq.

[11] Ita etiam S. Thomas tam in Catena aurea quam in suo Comment.; Vulgata et D *et apud eum manserunt.*

[12] Vers. 18: Filioli, novissima hora est. — Sequitur Luc. 22, 28. — Superius pro *in quo* A B H I K L M *in qua.*

[13] Vulgata *eum.*

[14] Ita etiam S. Thomas in Catena; Vulgata *dicit.* — Sequitur Matth. 13, 44.

absconditum; Matthaei decimo tertio: « Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro » etc.

80. (Vers. 42.). *Et adduxit eum ad Iesum;* Apocalypsis ultimo [1]: « Qui audit dicat: Veni; et qui sitit veniat ». *Intuitus autem eum Iesus.* Tangitur hic quintum, scilicet *praedicationis discipulorum acceptatio*, quia Dominus acceptat et vocationem sive praedicationem Andreae, suscipiendo Petrum: propter quod nomen imponit tanquam suo discipulo. Ideo dicit: *Intuitus autem eum*, scilicet Petrum, *Iesus*, oculis scilicet benignitatis; de quo intuitu Genesis quadragesimo quarto [2]: « Adducite fratrem vestrum ad me, et ponam super eum oculos meos »; *dixit: Tu es Simon, filius Ioanna.* Nomen eius dicit, ut aliud imponat: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus;* Beda [3]: « Sciendum, quod Syriaca lingua *Cephas*, Graeca et Latina *Petrus*, et in utraque lingua a petra derivatum est ». Ideo dicit ei Dominus Matthaei decimo sexto: « Tu es Petrus, et super hanc petram », a qua scilicet tu nomen accepisti, hoc est super me, « aedificabo Ecclesiam meam »; primae ad Corinthios decimo: « Petra autem erat Christus ». *Tu vocaberis Petrus*, id est, a firma petra Christo, quem ardenter amabis, nomen accipies [4].

Quinto, fructificationis acceptatio.

Quaestiones.

81. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de testimonio isto ultimo: *Ecce, Agnus Dei:*

1. Quia, cum nihil plus addiderit, videtur insufficiens fuisse testimonium, quia hoc potest dici de quolibet Sancto, maxime de Apostolis; Lucae decimo [5]: « Ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos ».

2. Item, quare potius nomine *agni* quam alterius animalis ipsum describit?

Respondeo: Dicendum, quod *Agnus* dictus est a Ioanne, quia in agno fuit *praefiguratus*, Exodi duodecimo [6], et *praedictus* a Prophetis, Isaiae decimo sexto. Et quia Evangelium consonare debet Legi, ideo nomine *agni* demonstratus est a Ioanne. Resp. ad 2.

82. Sed adhuc restat quaestio: quare praefiguratus fuit nomine *agni* sive in *agno?* Quaest. incidens.

Responsio huius est: ratione *innocentiae;* unde Exodi duodecimo [7]: « Erit sine macula, masculus, anniculus ». Ratione *patientiae;* Isaiae quinquagesimo tertio [8]: « Tanquam agnus coram tondente se obmutuit ». Ratione *utilitatis magnae*, quia *totus* utilis; quia ovis tribuit [9] lac in potum, carnem in cibum, lanam in vestimentum, pellem in ornatum. Resp. Rationes 3.

Quod ergo obiicitur, quod alii sunt agni; dicendum, quod innocentia Christi differt ab aliis: quia ipse sine macula, quia eius macula *nulla* fuit; sed alii Sancti sunt sine macula, quia eorum maculae sunt *abstersae* per gratiam. Ad 1.

83. Quaest. II. Quaeritur de perhibitione huius testimonii. Dicitur enim, quod *Ioannes stabat* et coram *duobus discipulis* testimonium perhibuit.

Contra: 1. Ioannes erat missus ad praenuntiandum Christum: ergo videtur, quod non deberet *stare*, sed circumire, ut nomen Christi annuntiaret.

2. Item videtur invidus, quia tantum *duobus*, cum omnibus deberet dicere, *ut omnes crederent per illum* [10].

Respondendum est, quod testimonium Ioannis ad hoc, quod ei crederetur, debuit esse *authenticum*, *placitum* sive acceptum et *non suspectum:* quia *authenticum*, ideo stabat, non circuibat; quia *acceptum*, ideo non quibuscumque, sed quaerentibus et scire volentibus testimonium exhibebat; quia *non* Resp. Testimonii conditiones 3.

---

[1] Vers. 17.

[2] Vers. 21. — Beda, II. Homil. homil. 23. in natali S. Andreae Apostoli: Intuitus est Simonem Iesus non exterioribus solum oculis, sed et interno Divinitatis intuitu, iuxta illud beati Samuelis [I. Reg. 16, 7.]: *Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor.* Vidit cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cuius merito cunctae esset praeferendus Ecclesiae. Vidit, quia, vocante Andrea, fervente ad se amore pervolaverit, ideoque venientem mox familiari affatur eloquio: *Tu es*, inquiens, *Simon, filius Ioanna* [ita legunt etiam B. Albert., card. Hugo et S. Thomas; August. vero *filius Ioannis;* Vulgata *filius Iona*]... Simon ergo *obediens*, Ioanna dicitur *Domini gratia* etc.

[3] In Marc. 3, 16: Idem ergo Graece sive Latine *Petrus*, quod Syriace *Cephas*. Et in utraque lingua nomen a petra derivatum est; haud dubium, quin illa, de qua Paulus [I. Cor. 10, 4.] ait: *Petra autem erat Christus*... Cuius alias alludens etymologiae dixit [Matth. 16, 18.]: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* [Duo hi loci Scripturae allegantur etiam inferius a S. Bonav.]. Cfr. Homil. in nota praecedente allegata.

[4] August., I. Retract. c. 21. n. 1: In quo [libro contra Epistolam Donati] dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in *illo* tanquam in petra fundata sit Ecclesia... sed scio, me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur, et accepit claves regni caelorum. Non enim dictum est illi: Tu es *petra*, sed *Tu es Petrus. Petra* autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector. Cfr. Beda, II. Homil. homil. 23. in natali S. Andreae Apostoli. — Ed. contra codd. post *erat Christus* addit *Vel: super te petram.* — Prima expositio Augustini procul dubio ipsi litterae est conformior et nunc a viris catholicis communiter contra haereticos defenditur (cfr. Bellarmin., I. De Romano Pontifice c. 10.).

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 3. seqq., ubi de agno paschali immolando. — Isai. 16, 1: Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae etc.

[7] Vers. 5: Erit autem agnus absque macula etc.

[8] Vers. 7. Cfr. supra pag. 262, nota 4.

[9] Codd. omittunt *quia ovis tribuit*, incongrue, nisi subinde cum N legatur: *lac in potum, caro... lana... pellis in ornatum.*

[10] Supra v. 7.

suspectum, non se ad annuntiandum ingerebat; unde dicit Chrysostomus [1]: « Quod suspectum esset testimonium, si ita se ingereret ad praedicandum, et Iudaei fuissent provocati ad contradicendum ».

84. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicunt: *Rabbi, ubi habitas?* Et Dominus eis ostendit hospitium. — *Contra:* Matthaei octavo [2]: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Ibi dicitur, quod non habebat hospitium.

Respondeo: Dicendum, quod *habere habitaculum* est duobus modis: vel per *proprietatem possessionis*, sicut habent divites homines; vel per *quietem inhabitationis*, sicut habent omnes, qui declinant ad aliquam domum ad manendum. Primo modo non habuit tanquam pauper; secundo modo habuit tanquam quietus; non enim erat gyrovagus [3]. Resp. cum distinctione.

85. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Erat unus ex discipulis illis Andreas.* — Quare Andream nominavit, non alium discipulum? Et si alterum tacuit, quare non Andream?

Respondeo: Dicendum, quod ratio exprimendi nomen *Andreae* magis quam alterius fuit duplex, scilicet quia insignior erat, ut dicit Chrysostomus [4], et ut ostendat, Petrum per Andream esse vocatum. Et in hoc mira patet dispensatio: quia voluit maiores et seniores vocare per minores, et sapientes per simplices. Unde Petrum vocat per Andream, et Nathanaelem sapientem per Philippum rusticum [5]. Resp.

86. Quaest. V. Quaeritur de hoc quod dicitur: *Tu vocaberis Cephas*, utrum hoc nomen ei tunc imponat? — Quod non, videtur:

1. Per interlinearem [6]: « Nondum imponit ei nomen, sed praesignat ».

2. Item Marci tertio [7] dicitur, quod Dominus vocavit duodecim; et tunc « imposuit Simoni nomen Petrus ».

3. Item Matthaei decimo sexto [8] dicitur, quod tunc imposuit, quando confessus fuit.

Respondetur communiter, quod hoc nomen *Petrus* hic fuit *praesignatum*, Marci tertio *impositum*, Matthaei decimo sexto *confirmatum*. — Sed Augustinus [9] huic solutioni contradicit dicens, quod hoc nomen fuit Petro impositum, quando ab Andrea ductus est ad Christum; et Beda similiter dicit super Marci tertio [10], quod non tunc impositum, sed ante. Resp. 1. Non probatur.

Propter hoc dicendum, quod modo fuit ei *impositum*, sed tamen non fuit *vulgatum*; quia adhuc non ex tunc appellabatur ab aliis *Petrus*, sed alio nomine suo priori; sed post, Marci tertio, voluit, quod hoc nomine vocaretur; Matthaei vero decimo sexto haec nominatio celebris redditur per dignitatem nomini congruentem. Resp. 2

87. Quaest. VI. Item quaeritur: quare Dominus imposuit nomen Petro in sui vocatione magis quam aliis? — Videtur, quod acceptor fuerit personae, quia dignitatem nominis contulit sine merito [11].

Ad hoc respondet Pelagius, quod hoc fecit propter maiorem naturalium strenuitatem, quam vidit in Petro; unde dicitur: *Intuitus eum Iesus;* et Pelagius dicit, quod per naturalia contingit mereri [12]. Resp. Pelagii reprobata.

Ad hoc respondendum, quod Deus videt non solum exteriora, sed etiam interiora; non solum quae sunt, sed etiam quae futura sunt: in signum ergo, quod erat futurus pastor Ecclesiae, nomen ei Resp. auctoris.

---

[1] In Ioan. homil. 18. (alias 17.) n. 3: Alioquin autem, si circumeundo ista dixisset, haec humano studio peracta visa fuissent, ac praedicatio deinceps in suspicionem venisset. — Pro *ad praedicandum* plures codd. *in praedicandum*, N *praedicando*.

[2] Vers. 20.

[3] Luc. 10, 7: In eadem autem domo manete... Nolite transire de domo in domum.

[4] In Ioan. homil. 18. (alias 17.) n. 3: Cur ergo alterius nomen non profert? Quidam dicunt, eum qui hoc scripsit, ipsum esse, qui secutus est; alii contra, quia ille non ex conspicuis erat, nihil praeter necessaria sibi dicendum esse putasse. Quid enim utilitatis ex indicato nomine, quando neque septuaginta duo discipulorum nomina proferuntur?... Andreae autem meminit ob aliam causam. Quaenam illa? Ut, cum audieris, Simonem, ubi cum illo audisset: *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (Matth. 4, 19.), non dubitasse de tam inexspectata promissione, discas, fratrem eius iam ante fidei fundamenta iecisse. Cfr. Beda, in hunc locum: Andreas minor erat Simone Petro, et tamen non quaeritur aetatis ordo, sed fidei; Iesum primus invenit. — Inferius pro *mira*, quod habent E N, A B D G H I K L M *maxime*, C *maxima*, ed. cum nonnullis codd. *misericordiae*.

[5] Cfr. infra n. 90. et 101.

[6] Scilicet Glossam. Verba Glossae attribuit S. Thomas (Catena aurea) Alcuino. Chrysost, in Ioan. homil. 19. (alias 18.) n. 2: *Tu es Simon, filius Ionae, tu vocaberis Cephas* etc. A praesenti futurum credibile reddit.

[7] Vers. 13. seq.: Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit... Et fecit, ut essent duodecim cum illo etc Ibid. v. 16: Et imposuit Simoni nomen Petrus. — Ed. perperam *Matth. quarto dicitur, quod Dominus vocavit quatuor, et tunc* etc.

[8] Vers. 16. seqq.: Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus etc.

[9] Libr. II. de Consensu Evangelist. c. 17. n. 34: Non est autem [quod Ioannes dicit] contrarium ei loco, ubi Matthaeus narrat, Dominum dixisse Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Neque enim hoc nomen tunc accepisse intelligendus est, sed tunc potius, quando ei Ioannes dictum esse commemorat: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus,* ut eum hoc nomine appellaret postea Dominus dicens: *Tu es Petrus.* Non enim ait: Tu vocaberis Petrus, sed *Tu es Petrus;* quod ei iam dictum erat antea *Tu vocaberis.* Cfr. in Ioan. Evang. tr. 7. n. 14.

[10] Vers. 16: Non nunc primum Simoni Petri nomen indidit, verum longe ante, cum a fratre Andrea ad se adductum intuitus dixit: *Tu es Simon, filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (Ioan. 1, 42.). Sed cum, volens Evangelista nomina duodecim Apostolorum enumerare, necesse haberet Petrum dicere; breviter intimare curavit, quia non hoc ante vocaretur, sed ita eum Dominus cognominaverit, quamvis non tunc, sed quando Ioannes ipsa Domini verba posuit, intentos videlicet reddens auditores.

[11] Beda, in Ioan. 1, 42: Necdum aliquid Petrus fecerat, et iam nomen meruit mutare. Nunquid plus crediderat Andrea? etc.

[12] Cfr. August., I. de Gratia Christi et de pecc. orig. contra Pelagium et Coelestium, c. 41. n. 45, ubi docet, quod Pela-

imponitur. — Quod vero dicit Pelagius: « Intuitus est naturalium strenuitatem »; Victor [1] reprobat; unde dicit: « Non propter fundamentum naturalium maius superaddit aedificium virtutis, sicut mentitus est Pelagius, hinc trahens fomentum erroris; sed intuitus est oculo misericordiae et benignitatis ».

88. Quaest. VII. Quaestio est etiam: quare modo nomina non mutantur his qui religionem ingrediuntur, vel etiam his qui convertuntur ad Christum?

Ad hoc respondet Chrysostomus [2], quod mutatio
Resp. nominis fiebat in virtutum incitamentum. Quoniam igitur modo nomen unum habemus, quod maxime est ad virtutem incitativum; ideo illo nomine contenti esse debemus; et hoc nomen est christianitatis, quia omnes dicimur *Christiani*. — Tamen adhuc servat mutationem nominis Romana Ecclesia in summo Pontifice.

De manifestatione Verbi per se ipsum.

89. *In crastinum* etc. Ista pars, quae incipit ab illo loco [3]: *Hoc est testimonium Ioannis* etc., in qua agitur de Verbi manifestatione, divisa fuit in duas partes. In prima agitur de manifestatione Verbi facta per vocem Ioannis usque ad locum istum. Deinceps vero usque ad finem undecimi [4] agitur de manifestatione facta *per ipsum Verbum*. Et quia manifestatio respectum habet ad eos quibus fit, et ad eum, de quo fit; ideo haec pars habet duas partes. In prima agitur de manifestatione, secundum quod respicit conditiones a parte eorum *quibus fit*. In secunda agitur de manifestatione, secundum quod respicit conditiones a parte *Verbi manifestati;* et incipit illa pars in principio quinti capituli [5]: *Post haec erat dies.*

Divisio in duas partes.

Primo, de hac manifestatione quoad conditiones a parte eorum quibus fit.

Prima pars habet quatuor partes secundum quatuor genera personarum, quibus se manifestat. In prima manifestat se suis *discipulis*. In secunda parte manifestat se *Iudaeis*, in medio secundi capituli [6]: *Post haec descendit* etc. In tertia manifestat se *Samaritanis*, in principio quarti capituli: *Ut ergo cognovit Iesus* etc. In quarta parte manifestat se *Galilaeis*, circa finem quarti capituli, ibi: *Post duos dies exiit.*

Subdivisio in quatuor partes.

Prima manifestatio, quae est facta discipulis.

Prima pars, in qua manifestat se suis *discipulis*, habet duas: in prima agitur de discipulorum *vocatione;* in secunda, de *manifestatione* facta discipulis vocatis, ibi [7]: *Et die tertio nuptiae factae sunt.*

Divisio in duo membra.

Vocatio igitur discipulorum a Domino facta describitur hoc ordine. Primo notatur *vocatio simplicis;* secundo, *vocatio sapientis;* tertio, *vocati attractio;* quarto, *attracti confirmatio.* — *Vocatio* ergo *simplicis*, scilicet Philippi, primo facta a Domino describitur, quia ab ipso Domino de Galilaea vocatus est. Propterea dicit:

De 1. membro quatuor.

90. (Vers. 43.). *In crastinum*, scilicet post conversionem Andreae et Petri, *voluit exire in Galilaeam et invenit Philippum*, non casualiter, sed ex proposito invenitur quod perditum est. Sic Dominus discipulos suos invenit prius perditos, quia a perditione eripuit; Lucae decimo quinto [8]: « Mulier, quae perdidit drachmam unam, quaerit diligenter, donec inveniat ». *Et dicit ei: Sequere me*, tanquam servus dominum, tanquam discipulus magistrum, ut

Primum.

---

gius « adiutorium gratiae, quae proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo... ut videlicet [per evangelicam doctrinam] tanquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrii, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamvis et ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adiuvet gratia ». Ibid. c. 45. n. 49. explicat illud Luc. 22, 61: *Et conversus Dominus respexit Petrum* etc., et dicit, quod quia Iesus erat intus, Petrus vero foris in atrio, « non potest dici, quod corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit. Et ideo quod ibi scriptum est: *Respexit eum Dominus*, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum » etc. Cfr. III. de Consensu Evang. c. 6. n. 26; Serm. 284. (alias 1. inter editos ex maioris Carthusiae mss.) n. 6. et Serm. 285. (alias 4. inter editos ex maioris Carthusiae mss.) n. 3.

[1] De quo vide supra pag. 246, nota 7. Cfr. etiam verba Bedae supra pag. 263, nota 2. allegata.

[2] In Ioan. homil. 19. (alias 18.) n. 3: « Sed tunc [tempore veteris testamenti et adventus Christi] diversa singuli nomina accipiebant; nunc autem *unum* omnes habemus illis omnibus maius, quando *Christiani* appellamur et filii Dei et amici et corpus unum. Illa quippe appellatio plus quam aliae omnes nos excitat diligentioresque ad virtutem exercendam efficit ». Ibid. n. 2. modum assignat, quo ante institutionem Ecclesiae christianae mutatio nominum fiebat, scil. vel ex *rebus*, v. g. Gen. 17, 5: *Nec ultra vocabitur nomen tuum* Abram, *sed appellaberis* Abraham, *quia patrem multarum gentium constitui te;* vel ex *virtute* in illis hominibus ex prima aetate collucente, v. g. Marc. 3, 17: *Et imposuit eis* [Iacobo et Ioanni] *nomina Boanerges, quod est filii tonitrui;* vel ex *virtute* illis hominibus postea augenda, ut factum est in Simone, qui vocatus est Petrus, super quem fundata est Ecclesia.

[3] Vers. 19. n. 44.

[4] Scilicet usque ad 11, 47, quo incipit secunda pars principalis, quae agit de *passione;* cfr. supra v. 6. n. 17. — Ed. perperam legit *usque ad finem vigesimi primi*, scil. usque ad finem Evangelii Ioannis.

[5] Vers. 1.

[6] Vers. 12; tertia est 4, 1; quarta est 4, 43.

[7] Cap. 2, 1.

[8] Vers. 8, seq. — Subinde post *Et dicit ei* Vulgata addit *Iesus.*

possis consequi; ad Philippenses tertio [1]: « Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum ». Et tangit Evangelista locum, unde erat Philippus oriundus, ad maiorem manifestationem. Propterea dicit:

91. (Vers. 44.). *Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri.* Ed ideo intelligendum, quod motus est sequi, quia vidit illos sequentes. Cortina enim cortinam trahit, secundum quod Exodi vigesimo sexto [2] in compositione tabernaculi signatum est. — *Moraliter* vero *Philippus* os lampadis interpretatur, *Bethsaida* domus venatorum [3]. Per *os* sapientia notatur eloquentiae, de qua Lucae vigesimo primo [4]: « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri ». Per *lampadem,* honestas conversationis, Matthaei quinto: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant » etc. Per *venatores,* praedicatores; Ieremiae decimo sexto: « Mittam eis venatores multos, et venabuntur eos ». In vocatione igitur Philippi de Bethsaida significatur, quod qui assumit officium praedicationis debet habere sapientiam eloquentiae et honestatem vitae, « quia, cuius vita despicitur, restat, ut eius praedicatio contemnatur [5] ». Moraliter.

92. (Vers. 45.). *Invenit Philippus* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *vocatio sapientis,* quae facta est mediante simplici. Propterea dicit: *Invenit Philippus Nathanael.* Sicut ipse inventus fuerat a Christo, sic et Nathanaelem invenit; Beda [6]: « Vide venatorem istum, quantum capiendis animabus esset intentus ». Unde et sequitur: *Et dicit ei: Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetae;* supple: scripserunt; aliqui libri [7] habent *et Prophetis,* et debet suppleri littera: *Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetis:* scriptum est. *Invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth.* Iste erat Christus, qui praenuntiatus fuit a Lege et Prophetis; Deuteronomii decimo octavo [8]: « Prophetam suscitabit tibi Dominus de gente tua » etc.; Isaiae septimo: « Ecce, Virgo concipiet et pariet filium » etc. Hunc dicebat *filium Ioseph, reputatione;* Lucae tertio: « Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph ». Et hoc quidem dixit Nathanaeli, tanquam ei qui peritus erat in Lege et Prophetis. Et hoc patet ex ipsius responsione. Secundum.

93. (Vers. 46.). *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei Philippus: Veni et vide.* Ista littera legitur *remissive* [9], ut sit sensus, quod aliquid potest esse boni a Nazareth, propter illud quod scribitur Matthaei secundo [10]: « Quod scriptum est per Prophetam, quoniam Nazaraeus vocabitur », et accipitur de Isaiae undecimo, secundum Hebraicam veritatem; ubi nos habemus: « Flos de radice eius ascendet », ipsi habent: « Nazaraeus ». Ideo hoc intelligens Nathanael tanquam peritus asseruit. — Aliter legitur *interrogative,* quasi dubitans quaerat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* scilicet tantum bonum, quia — sicut scribitur Michaeae quinto [11]: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus » etc. — de Bethlehem nasciturus erat Christus. Ideo Iudaei dixerunt infra septimo: « Nunquid a Galilaea venit Christus »? Sive legatur *remissive,* sive *interrogative,* asserit hic Philippus et hortatur, ut veniat. Propter quod sequitur: *Dicit ei Philippus: Veni et vide;* Chrysostomus [12]: « Philippus divitias, quas invenit, per verba demonstrare non potens, ad inventum ducit thesaurum fratrem suum ». Et intelligendum, quod secutus est Philippum. Expositio 1. Expositio 2.

94. (Vers. 47.). *Vidit Iesus Nathanael* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *attractio vocati.* Attrahit per *commendationem* et per *secretorum revelationem.* Per *commendationem;* unde dicit: *Vidit Iesus Nathanael venientem ad se,* scilicet per admonitionem Philippi simplicis; *et dicit de eo: Ecce, vere Israelita, in quo dolus non est.* Ideo dolus non est, quia, cum sit sapiens, non erubuit sequi simplicem; quia quod credebat in corde, hoc protu- Tertium. Attractio duplex. Prima.

---

[1] Vers. 12.

[2] Vers. 3. seqq.: Quinque cortinae sibi iungentur mutuo etc.

[3] Duplex haec etymologia occurrit apud Hieron., Libr. de Nom. Hebraic. novi test. de Matth. et Luca; cfr. 1 et 2. Originian. Lexicon nominum Hebraicorum (in appendice tomi 3. S. Hieron.). — Plures codd. *venationis,* ed. *venationis sive venatorum.*

[4] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5 16. et Ier. 16, 16.

[5] Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1.

[6] In Ioan. Evang. 1, 44: Venator et ille qui, antequam ad praedicationis officium ordinaretur a Domino, quantum capiendis ad vitam animabus esset intentus, mox sponte praedicando monstravit. *Invenit enim Nathanael* etc.

[7] Quos secutus est S. Thomas in suo Comment. in hunc locum. — Inferius vocibus *scriptum est* ed. praemittit *supple.*

[8] Vers. 15. Codd. pro *tibi* et *tua* substituunt *vobis* et *vestra.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 7, 14. et Luc. 3, 23.

[9] Sive, ut S. Thomas (in hunc locum), *assertive.* August., in Ioan. Evang. tr. 7. n. 15: Ambas autem pronuntiationes potest ista vox sequi, sive sic pronunties tanquam confirmans: *A Nazareth potest aliquid boni esse;* et ille [Philippus]: *Veni et vide;* sive sic dubitans et totum interrogans: *A Nazareth potest aliquid boni esse? Veni et vide.* Cum ergo sive illo modo, sive isto pronuntietur, non repugnent verba sequentia etc.

[10] Vers. 23: Quod dictum est per Prophetas: Quoniam etc. (haec lectio ab Hieron. approbatur in hunc locum). — Sequitur Isai. 11, 1. Cfr. Hieron. in hunc locum et Epist. 57. (alias 101.) n. 7: Nam in eo loco, ubi nos legimus atque transtulimus: *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet* (Isai. 11, 1.), in Hebraeo iuxta linguae illius ἴδίωμα ita scriptum est: *Exiet virga de radice Iesse, et Nazaraeus de radice eius crescet.*

[11] Vers. 2. — Seq. locus est Ioan. 7, 41.

[12] In Ioan. homil. 20. (alias 19.) n. 1: Non sine periculo tantis rebus temere fides habetur. Quod ergo habes [Philippe] argumentum? Idem ipsum, inquit, quod Andreas. Nam ille, cum thesaurum, quem repererat, enuntiare non valeret neque verbis declarare, fratrem, quem reperit, illo adducit. Sic et iste, quomodo ille sit Christus... non dicit, sed ducit illum ad Iesum etc.

lit ore, quia non veniebat voluntate tentandi, sed studio proficiendi; quocontra Proverbiorum duodecimo [1]: « Dolus in corde cogitantium mala ». Sed Nathanael non credit commendationi suae, nisi super hoc audiat *certitudinem*, quia non debet homo esse pronus credere de se bona. Ideo

95. (Vers. 48.). *Dicit ei Nathanael: Unde me nosti?* Quid me sic commendas? Et Dominus attra- Secunda. hit per *secretorum revelationem;* ideo sequitur: *Respondit Iesus et dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Ad litteram*: ipse in loco secreto, ut in horto, erat, unde eum Philippus vocavit. Vel: *ficus* dicitur consuetudo peccandi, ut primi parentes sub fici foliis se texerunt, Genesis tertio [2]; ubi est prius visus a Domino et quaesitus, quam ipse Dominum quaereret. Hac revelatione Nathanael attractus est; unde sequitur eius fidelis confessio.

96. (Vers. 49.). *Respondit Nathanael et dixit ei: Rabbi, tu es Filius Dei*, quantum ad Divinitatem, quia nosti secreta cordis; Ieremiae decimo septimo [3]: « Ego Dominus scrutans corda et renes ». *Tu es rex Israel*, quantum ad humanitatem. Similiter confessa est turba, infra duodecimo: « Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel ».

97. (Vers. 50.). *Respondit Iesus* etc. Tangitur Quartum. hic quartum, scilicet iam *attracti confirmatio;* confirmat enim eum per promissionem ostensionis maiorum; propter quod dicit: *Respondit Iesus et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis;* et ita pro modico es tractus ad fidem. *Maius his videbis;* infra quinto [4]: « Maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini ». Et specificat illud *maius.*

98. (Vers. 51.). *Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, quia* [5] *videbitis caelum apertum*, secundum quod dicitur Matthaei tertio, quod Ioannes vidit, quod caeli aperti sunt super eum. *Et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis. Ad litteram* Angeli ad ipsum descenderunt, secundum quod dicitur Matthaei quarto [6]: « Accesserunt Angeli et ministrabant ei »; *spiritualiter* vero, ut dicit Augustinus, quod dictum est Nathanaeli modo impletur in Christianis, quia, postquam Deus homo ascendit, credentibus in eum aperitur aditus caeli, et vident Angelos, id est praedicatores, *ascendentes*, dum arcana Deitatis considerant; *et descendentes*, dum humana de eo praedicant. Ista visio signata est Genesis vigesimo octavo [7], ubi dicitur, quod Iacob vidit Dominum innixum scalae et Angelos ascendentes et descendentes.

Quaestiones.

99. Quaest. I. Sed quaeritur hic de adventu Domini in Galilaeam: quare dicitur hic, quod *in crastinum*, post testimonium Ioannis, venit in Galilaeam?

Contra: 1. Alii Evangelistae dicunt, quod statim *ductus est in desertum a Spiritu*, Matthaei quarto [8] et Marci primo.

2. Item ibidem [9] dicitur, quod *Iesus venit in Galilaeam, postquam Ioannes traditus est;* sed constat, quod adhuc non erat traditus, sicut dicitur infra tertio, quod Ioannes longo post tempore baptizavit.

Ad hoc respondet Augustinus in libro de Con- Resp. cordia Evangelistarum secundo [10], quod duplex fuit adventus Domini in Galilaeam. Primus fuit post testimonium Ioannis, antequam missus fuit in carcerem; et de hoc omnes alii Evangelistae tacent. Secundus vero fuit, postquam Ioannes missus est in carcerem, et de hoc dicitur infra quarto capitulo [11] In primo adventu fecit miraculum de mutatione aquae in vinum in nuptiis, in secundo adventu miraculum de filio reguli.

1. Quod ergo dicitur, quod ductus est in deser- Ad 1. tum; intelligendum est, quod testimonium illud fuit datum post reditum Domini de deserto.

100. Quaest. II. Item quaeritur de *vocatione* discipulorum, quia dubitatur similiter.

1. Dicitur enim hic, quod vocati fuerunt, antequam Ioannes traderetur. Matthaeus [12] vero dicit, quod post traditionem Ioannis vocati fuerunt.

---

[1] Vers. 20. Cfr. supra pag. 202, nota 7.

[2] Vers. 7. — Beda, in Ioan. 1, 48: Sed quia primi parentes nostri, reatu praevaricationis confusi, *de fici sibi foliis succinctoria fecerunt* (Gen. 3, 7.); potest haec arbor fici non incongrue male dulcorata generi humano consuetudinem peccandi signare etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 7. n. 21. — Superius pro *Vel* N *Moraliter*, ed. *Vel mystice.*

[3] Vers. 10: Ego Dominus scrutans cor et probans renes. — Sequitur Ioan. 12, 13. Cfr. Cyrill. Alexandr., in Ioan. 1, 49.

[4] Vers. 20. — Inferius pro *illud* C E *quod est illud*, ed. *quod est illis.*

[5] Vulgata omittit *quia.* — Sequitur Matth. 3, 16: Et ecce, aperti sunt ei caeli.

[6] Vers. 11. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 7. n. 23; XII. contra Faustum, c. 26; Serm. 122. (alias 40. de Verbis Domini) c. 2. n. 2. seqq. — Inferius pro *arcana Deitatis* plures codd. *arcana Dei.*

[7] Vers. 12. seq.

[8] Vers. 1. et Marc. 1, 12. — Superius pro *Contra* plures codd. *quoniam.*

[9] Marc. 1, 14. — Seq. locus est Ioan. 3, 23. et 24.

[10] Cap. 18. n. 42: Unde intelligitur, hos tres Evangelistas non Ioanni evangelistae contraria narrasse, sed praetermisisse primum Domini adventum in Galilaeam, postea quam baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum [Ioan. 2, 1. seqq.]; tunc enim nondum erat traditus Ioannes; eum vero adventum eius in Galilaeam connexuisse narrationibus suis, qui post Ioannem traditum factus est; de quo eius reditu in Galilaeam ipse Ioannes evangelista sic loquitur [c. 4, 1. seqq.]: *Ut ergo cognovit Iesus.... reliquit Iudaeam et abiit iterum in Galilaeam.*

[11] Vers. 3. et 43. seqq., ubi etiam de sanatione filii reguli. — Inferius pro *miraculum de mutatione aquae in vinum in nuptiis*, quod praebet D, N *vinum de aqua*, alii codd. et ed. *miraculum de nuptiis.*

[12] Cap. 4, 12. seqq.

2. Item Matthaeus dicit, quod vocavit Petrum et Andream *de navi*, ut dicitur Matthaei quarto [1]; hic dictum est, quod ad testimonium Ioannis venerunt ad eum, primo Andreas, deinde Petrus.

Respondeo: Dicendum, sicut dicit Augustinus [2], Resp. quod Ioannes servat ordinem historiae de *tempore* vocationis, sed Matthaeus illud dicit per *recapitulationem*.

2. Quod obiicitur de *modo* vocationis, dicendum Ad 2. ad hoc, quod discipuli Domini dupliciter sunt vocati: uno modo ad fidem, alio modo ad perfectionem. Primo modo vocati fuerunt [3] Petrus et Andreas, ut Dominum cognoscerent et in eum crederent testimonio Ioannis. Secundo modo vocati sunt de navibus, ut omnia relinquerent et Christum sequerentur. De prima loquitur hic Ioannes, de secunda vero loquitur Matthaeus [4].

101. Quaest. III. Item, de *loco* vocationis: quia Dominus vocavit discipulos de Galilaea, quaerit Chrysostomus [5], cum Iudaei essent peritiores in Lege; unde est hoc, quod de Ierosolymis non elegit? — Et iuxta hoc quaeritur: quare vocavit Nathanaelem per Philippum medium? — Et iterum, cum Nathanael esset persona tam sancta, ut Dominus dicit, et etiam in Lege peritissimus; talem Dominus videtur debuisse constituere in Apostolum. — *Si dicas*, quod voluit eligere simplices: ergo si « omnis Christi actio nostra est instructio [6] », videtur, quod nos debemus eligere praelatos simplices et idiotas.

Ad hoc docet nos respondere Apostolus primae Resp. ad Corinthios primo [7]: *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, et ea quae non sunt.* Et ratio huius est, ut confundat alta mundi, et *ut non glorietur in conspectu eius omnis caro*, et ut ostendatur, totum, quod factum est per Apostolos, esse virtutis divinae, non humanae prudentiae. Hinc est, quod Galilaeos elegit Apostolos et piscatores et rusticos simplices; quia, sicut dicit Chrysostomus [8], Galilaea habet incolas rusticanos. Hinc etiam est, quod per se vocavit Philippum simplicem et per illum sapientem fratrem [9]. Hinc est etiam, quod Nathanaelem, magnum doctorem in Lege, non fecit Apostolum [10]. Hinc est, quod Paulum non inter primos Apostolos vocavit; sed *novissime omnium tanquam abortivo visus est et ei* [11], ut humiliaretur.

Quod ergo obiicis, quod nos deberemus eligere Ad ult. simplices; respondendum, quod Dominus elegit simplices, ut faceret sapientes; sed quia non est in potestate nostra facere sapientes, ideo sapientes factos debemus nobis praeficere.

102. Quaest. IV. Item quaeritur de obedientia Apostolorum, quia statim secuti, nullis visis signis. — Videtur, quod stulte moti fuerunt, sicut dicitur hic de Philippo et de aliis; unde haeretici [12] reprehendunt Matthaeum.

Responderi potest, quod illuminati fuerunt inte- Resp. duplex. rius; vel etiam dicendum, quod exterius fuerunt inducti, quidam *testimonio*, ut Andreas et eius socius; quidam *miraculo*, ut dicitur de Petro Lucae quinto [13]; quidam *exemplo*, et sic Philippus, quia vidit Petrum et Andream compatriotas suos sequentes, quos noverat esse bonos.

103. Quaest. V. Item quaerit Beda [14]: cum Nathanael vocet Christum *Filium Dei*, unde est hoc, quod ipse se vocat *filium hominis?*

Respondet Beda [15], quod « iusto dispensationis moderamine hoc actum est, ut, cum utraque natura commemoratur, ipse suam humilitatem, ille eius altitudinem fateatur »; ut per hoc innotescat utraque natura in Christo, et exemplum humilitatis donetur, unde homo semper in se humilia recognoscat et dicat. Quod maxime est contra eos qui habentes aliquos consanguineos nobiles, cum quaeritur de origine, non respondent nomen patris, sed avun-

---

[1] Vers. 18. seqq.

[2] Libr. II. de Consensu Evangelist. c. 17. n. 39: An forte Matthaeus quod praetermiserat recapitulavit? quia non ait ipse: *Post hoc* ambulans iuxta mare Galilaeae vidit duos fratres, sed sine ulla consequentis temporis differentia: *Ambulans autem*, inquit, *iuxta mare Galilaeae vidit duos fratres* etc. Proinde fieri potest, ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius praetermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quo Ioannes [2, 12.] dicit, et ipsum, Matrem et discipulos eius venisse... Quo enim ordine vocati sint *omnes duodecim* Apostoli, in Evangelistarum narrationibus non apparet etc. De hoc cfr. August., III. de Doctr. christiana, c. 36. n. 52.

[3] Plures codd. *fuerant*, N *sunt*.

[4] Cfr. S. Thomas, Comment. in Ioan. c. 1. lect. 15. in fine.

[5] In Ioan. homil. 20. (alias 19.) n. 1, ubi docet, mirum esse, quod discipuli « ex Galilaea essent, unde nec Propheta prodibat [Ioan. 7, 52.], neque aliquid boni exibat; rustica quippe gens erat, agrestis, aspera ».

[6] Cfr. tom. IV. pag. 83, nota 1.

[7] Vers. 26. seqq., ubi post *Deus* in Vulgata plura adduntur; inter alia: *Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Ibid. v. 29: *Ut non glorietur* etc.

[8] Cfr. supra nota 5.

[9] Vide supra pag. 266, nota 12.

[10] Ut etiam dicit Glossa *ordinaria*, quae est secundum August., in Ioan. Evang. tr. 7. n. 17. et Enarrat. in Ps. 65. n. 4. Idem docet Gregor., XXXIII. Moral. c. 16. n. 32 Bonelli notat: Nostro ergo interpreti minime probabatur opinio eorum qui putant, Nathanaelem esse ipsummet Apostolum Bartholomaeum, adeo ut nomen proprium eiusdem Apostoli fuerit *Nathanael*, cognomen *Bartholomaeus*, id est filius Ptolomaei.

[11] Epist. I. Cor. 15, 8.

[12] Porphyrius et Iulianus Augustus, ut allegat Hieron., I. Comment. in Matth. 9, 9.

[13] Vers. 3. seqq., ubi de captura piscium.

[14] In Ioan. 1, 51. — Chrysost., in Ioan. homil. 21, n. 1, contendit, quod Nathanael non sicut Petrus confessus sit Christum ut verum Filium Dei per naturam, sed ut Filium Dei per gratiam adoptionis; nam verbis *Tu es Filius Dei* addidit *tu es rex Israel.* Verus « Filius autem Dei non Israelis tantum, sed etiam orbis totius rex est ».

[15] Loc. cit., ubi tamen pro *natura commemoratur* substituitur *eiusdem mediatoris Dei et Domini nostri vel ab ipso Domino, vel ab homine puro esset commemoranda substantia*, ac dein nonnulla adiiciuntur. — Post *humilitatem* D addit *et humanitatem.*

culi, vel alicuius famosi consanguinei. Dominus noster Iesus Christus, cum sit nobilis ex parte Patris, sed infimus ex parte Matris, vocat se *filium hominis* saepe, raro se *filium Dei*, nisi necessitate compulsus. Et nota ad differentiam aliorum, quod alii dicuntur filii hominum, qui sunt ex commixtione seminum generati; Christus vero unicum solum habuit parentem, et ideo recte filium hominis se appellat [1].

Capitulum II.

De 2. membro quinque.

1. *Et die tertio* [2] *nuptiae* etc. Postquam descripta est discipulorum vocatio, describitur hic facta per Verbum et de Verbo incarnato *manifestatio;* unde Glossa [3] dicit, quod post ostensiones factas per Ioannem ipse Dominus miraculo se ostendit. — Hanc igitur manifestationem describit Evangelista hoc ordine. Primo innuitur miraculi faciendi *occasio;* secundo vero, miraculi *impetratio;* tertio, mirabilis aquae in vinum *conversio;* quarto, miraculi *approbatio;* quinto, Christi *manifestatio* et discipulorum *aedificatio,* quibus Dominus per hoc miraculum se ipsum manifestare dignatus est.

Expositio literalis. Primum.

(Vers. 1.). Primo igitur innuitur *miraculi faciendi occasio,* quae fuit, quod in nuptiis Dominus erat praesens cum discipulis. Propter quod dicit: *Et die tertio,* scilicet post discipulorum vocationem [4], *nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae;* tangitur locus. *Et erat Mater Iesu ibi;* non dicitur, quod fuerit vocata, quia ratione affinitatis ivit tanquam officiosa, sicut etiam abiit in montana ad Elisabeth ad serviendum ei, ut dicitur Lucae primo [5]. Ratione huius vocatus fuit etiam Dominus. Propterea dicit:

2. (Vers. 2.). *Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias.* Chrysostomus [6]: « Vocatus est ad nuptias, non ut aliquis magnus, sed ut consanguineus, et ipse ut humilis invitationem non respuit, sed ivit », iuxta quod docet Lucae decimo quarto: « Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco ».

Secundum.

3. (Vers. 3.). *Et deficiente vino.* Tangitur hic secundum, scilicet *miraculi impetratio,* quae facta est a Matre miserante sponsi inopiam. Propterea dicit: *Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent;* quasi dicat: Tua abundantia supple eorum inopiam; sciebat enim, quod esset « dives in misericordia [7] » et potentia, quamvis appareret egenus; secundae ad Corinthios octavo: « Cum esset dives in omnibus, factus est pro nobis egenus ». Sed Dominus, innuens Matri, quod non poterat hoc ipsa praecipere secundum quod mater, nec ipse facere secundum quod eius filius, nec debebat facere, nisi cum adesset tempus proprium; hinc sequitur:

4. (Vers. 4.). *Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier?* Glossa [8]: « Id est, quae natura est mihi et tibi communis, secundum quam hoc faciam »? *Mulierem* vocat, non a fragilitate, sed a natura et sexu. Haec enim est illa mulier, de qua Proverbiorum ultimo [9]: « Mulierem fortem quis inveniet »? Quasi dicat: Hoc petere potens es ut sancta mulier, non praecipere ut mater, nec adhuc oportet facere. *Nondum venit hora mea,* id est meae clarificationis et passionis, de qua infra decimo septimo: « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum ». Sed Mater sciens, hanc responsionem non esse ex indignatione, sed ex humilitate et instructione, fiducialiter praecipit; unde sequitur:

5. (Vers. 5.). *Dicit Mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Sciebat enim, quod posset; sciebat etiam, quod sciret; sciebat, quod vellet, quia semper ei obediebat; unde Lucae secundo [10]: « Descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis », Iesus scilicet parentibus; et ex hoc certa erat, quod faceret. Ideo dicit: *Quodcumque dixerit vobis, facite,* tanquam boni ministri, ut miraculum consequamini, sicut et Naaman, quarti Regum quinto [11]: « Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, facere debuisses ». *Facite, quodcumque dixerit vobis;* non diffidatis; infra undecimo: « Si credideris, videbis gloriam Dei ».

Tertium.

6. (Vers. 6.). *Erant autem hydriae sex* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *miraculi operatio.* Et quia Deus omnia facit in certo « pondere, numero et mensura [12] »; dicit mensuram, in qua hoc miraculum factum est. Propter quod dicit: *Erant autem ibi hydriae lapideae sex. Hydriae* sunt vasa aquae receptibilia; Genesis vigesimo quarto [13]: « Da mihi

---

[1] Cfr. Breviloq. p. IV. c. 3.

[2] Vulgata *Et die tertia.* — De 1. membro vide superius n. 89. seqq.

[3] Scilicet *ordinaria,* quae dicitur esse Augustini: Post ostensionem Christi per testimonia Ioannis ipse se miraculo ostendit.

[4] Scilicet Andreae etc.; cfr. Epiphan., II. de Haeres. haeres. 51. n. 15. Lyranus autem: *Et tertia die,* scilicet a vocatione Philippi et Nathanaelis etc. Vide infra n. 14.

[5] Vers. 39.

[6] In Ioan. homil. 21. (alias 20.) n. 1, ubi haec sententia, aliis tamen verbis, ponitur. Cfr. infra n. 15. — Sequitur Luc. 14, 10.

[7] Eph. 2, 4. — Seq. locus est II. Cor. 8, 9: Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

[8] Scilicet *interlinearis:* Augustinus [cfr. in Ioan. Evang. tr. 8. n. 9.]: Quid est commune Deitati meae et tibi Matri secundum carnem?

[9] Vers. 10. — Seq. locus est Ioan. 17, 1. Cfr. infra n. 17. — Inferius voci *Nondum* D praemittit *quia.*

[10] Vers. 51.

[11] Vers. 13; Vulgata verbo *facere* praefigit *certe.* — Sequitur Ioan. 11, 40.

[12] Sap. 11, 21.

[13] Vers. 17: Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua. — Beda, in Ioan. 2, 6: Hydriae vocantur vasa aquarum receptui parata; Graece enim aqua ὕδωρ dicitur.

pauxillum aquae de hydria tua ». Hae hydriae *positae secundum purificationem Iudaeorum,* id est secundum morem Iudaeorum ad se purificandum. De hoc more, Marci septimo [1]: « Et a foro redeuntes, nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum et urceorum ». *Capientes singulae metretas binas vel ternas. Metreta* dicitur a *metron,* quod est mensura [2], et vocatur hic mensura communis et usitata, sicut Parisius sextarium vini dicimus. Secundum has igitur mensuras factum est miraculum ad Domini imperium; propter quod subdit:

7. (Vers. 7.). *Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.* Et intelligendum, quod cum impletae fuerunt, Domini virtute in vinum conversa est aqua; ideo *impleri* praecepit, ut plenum opus faceret, secundum quod in conditione rerum, Genesis primo [3], « vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona »; et Deuteronomii trigesimo secundo: « Dei perfecta sunt opera ».

8. (Vers. 8.). *Et dixit* [4] *eis Iesus.* Tangitur hic Quartum. quartum, scilicet *miraculi approbatio,* in approbatione vini facta testimonio architriclini, cuius erat de vino probare. Propter quod dicit: *Et dixit eis Iesus,* scilicet ministris: *Haurite nunc et ferte architriclino. Et tulerunt,* secundum eius imperium, scilicet ideo ad ipsum praecepit ferri, quia nuptiis praeerat et iudicabat de huiusmodi architriclinus. « Triclinium, id est, tres ordines discumbentium, altitudine distantes [5] »; inde *architriclinus,* quia praeerat convivio ordinis trium mensarum; vel *architriclinus,* princeps trium camerarum; vel generaliter, qui praeest servientibus, ut dicit Chrysostomus [6]. Ad hunc praecepit ferri, ut de vino iudicaret; propter quod dicit:

9. (Vers. 9.). *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam,* id est vinum factum ex aqua; *et non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus,* ut scilicet ipsum redarguat et vinum commendet et extollat.

10. (Vers. 10.). *Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit; primum,* id est in principio; *et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est,* quia tunc non valent diiudicare, sed omne vinum dicunt bonum. *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc;* id est usque ad finem, et ita inordinate et contra morem fecisti. Malus mos erat iste, quia contra veritatem et contra sobrietatem; unde ad Ephesios quinto [7]: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini Spiritu sancto, loquentes » etc.

11. (Vers. 11.). *Hoc initium signorum.* Tangitur hic quintum, scilicet *divinae gloriae manifestatio* et *fidei discipulorum aedificatio.* Ratione *manifestationis suae* dicit: *Hoc initium signorum fecit Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam;* Glossa [8]: « Id est latentem Divinitatem »; infra decimo quarto: « Ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum ». — Ratione *aedificationis discipulorum* dicit: *Et crediderunt in eum discipuli eius,* id est, firmius crediderunt. Beda [9]: « Discumbente Domino ad nuptias, vinum defecit, ut, vino meliori per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur in illo latentis gloria Dei, et credentium in eum fides aucta proficeret ».

Quintum tangit duo. Primum. Secundum.

12. *Allegorice:* Triplex est *dies* secundum triplex tempus, naturae scilicet, Legis et gratiae. In hoc *tertio* nuptiae factae sunt inter Christum et Ecclesiam in carnis assumtione, de quibus Matthaei vigesimo secundo [10]: *Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* In his nuptiis *sex hydriae aquae* insipidae et sine nutrimento conversae sunt in vinum sapidum et iucundum: quia *umbra Legis* in veritatem; ad Hebraeos decimo [11]: *Umbram habens Lex futurorum bonorum* etc. — *Varietas sacrificiorum* in unitatem; ad Hebraeos decimo: *Omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam* etc. — *Asperitas poenarum* in levitatem; Actuum decimo quinto [12]: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum* etc.? — *Aenigmata* in lucem; secundae ad Corinthios tertio: *Usque in hodiernum diem velamen est positum super cor eorum, nos autem, revelata facie gloriam Domini speculantes* etc. — *Terrores* in amorem; ad Romanos octavo [13]: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed*

Expositio allegorica. Quid sex hydriae.

---

[1] Vers. 4. Post *foro* auctoritate D addidimus *redeuntes.*

[2] August., in Ioan. Evang. tr. 9. n. 7: Μετρον enim mensuram dicunt Graeci; inde appellatae *metretae.* — De *sextario,* quod secundum diversos locos diversae erat capacitatis, cfr. Du Cange, Glossarium etc. — Pro *sextarium* ed. *septarium.*

[3] Vers. 31. — Sequitur Deut. 32, 4.

[4] Ita etiam S. Thomas in Comment. super hunc locum; Vulgata *dicit.*

[5] Ita Beda, in hunc locum. Raban., XIV. de Universo, c. 20: « Triclinium est coenaculum a tribus lectulis discumbentium dictum ». Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 38: Triclinium quidam dicunt fuisse domum tricameratam, vel tres habentem testudines, sub quibus discumbebant; vel forte tres erant ibi mensarum ordines, ut in refectoriis fieri solet.

[6] In Ioan. homil. 22. (alias 21.) n. 2.

[7] Vers. 18. seq., ubi Vulgata *implemini,* plures codd. *inebriamini.*

[8] Scilicet *interlinearis.* Cfr. paulo inferius verba Bedae. — Sequitur Ioan. 14, 21.

[9] In Ioan. Evang. 2, 1, ubi pro *in illo latentis gloria Dei* textus originalis *gloria latentis in homine Dei.*

[10] Vers. 2: Simile factum est etc. — Haec allegorica expositio *trium* dierum est secundum Bedam, in Ioan. Evang. 2, 1.

[11] Vers. 1.; ibid. v. 11. 12. est seq. locus, in quo a codd. plura omittuntur.

[12] Vers. 10. — Sequitur II. Cor. 3, 15. et 18: Nos vero omnes, revelata etc. Plurimi codd.: Usque *hodie* velamen etc.

[13] Vers. 15: Non enim accepistis etc.

accepistis spiritum adoptionis filiorum etc. — *Promissiones* in adeptionem; Lucae primo [1] in cantico Zachariae: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.* — Et Notandum. haec facta sunt ad preces Virginis, ipsa intercedente; Lucae primo: *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum.*

13. *Moraliter: Nuptiae* istae sunt Dei et animae Expositio moralis. in ipsa reconciliatione animae ad Deum, de quibus *Osee* secundo [2]: *Sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus.* — Ad has nuptias faciendas *venit Dominus Iesus*, sed invitatus; Apocalypsis tertio [3]: *Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo.* — *Vinum* in his nuptiis *deficit;* hoc vinum est interna devotio, de quo in Psalmo [4]. *Vinum laetificatcor hominis;* et Matthaei nono: *Nemo mittit vinum novum in utres veteres.* Illud vinum *deficit*, cum homo efficitur aridus et indevotus, sicut dicit anima sancta in Psalmo: *Anima mea sicut terra sine aqua* Notandum. *tibi.* — Sed ad preces Virginis, quae compatitur miseris, Deus *implet hydrias aqua* compunctionis, quae convertitur in dulcedinem devotionis; unde Exodi decimo quinto [5] dicitur, quod aquae Marath *in dulcedinem conversae sunt.*

Nota igitur, quod *hydria*, in qua hauritur aqua, De sex hydriis. est consideratio; *hydria vacua* est consideratio defectus et vacuitatis [6], quam incurrit homo per peccatum. Ista hydria *impletur aqua*, cum homo ex consideratione tali lacrymis perfunditur. — Est igitur Prima. prima hydria consideratio defectus *cognitionis;* Tobiae quinto [7]: *Quale mihi gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video?* — Secunda. Secunda hydria, consideratio *defectus circumspectionis* circa hostem; secundae ad Corinthios undecimo [8]: *Timeo autem, ne, sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* — Tertia. Tertia est consideratio defectus *internae consolationis;* Ieremiae secundo [9]: *Vide, quam malum et amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum.* — Quarta est consideratio defectus *virtutis ad re-* Quarta. *sistendum:* Psalmus [10]: *Dereliquit me virtus mea et lumen oculorum, et ipsum non est mecum.* — Quinta est consideratio defectus *stabilitatis ad per-* Quinta. *manendum;* Genesis octavo [11]: *Sensus et cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* — Sexta est consideratio defectus *securitatis ad ex-* Sexta. *spectandum;* Ecclesiastis nono [12]: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.*

Tunc *implentur* istae hydriae *usque ad sum-* De impletione. *mum aqua*, quando anima poenitens lavat per singulas noctes ex his considerationibus lectum suum [13]. Et ex aqua *vinum fit optimum* devotionis, de quo De conversione. Zachariae nono: *Quid bonum, et quid pulcrum eius nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* In hoc convertitur aqua compunctionis; unde sancta anima in Psalmo [14]: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi.*

Quaestiones.

14. Incidit hic quaestio inter expositores.

Quaest. I. Primo de *tempore* nuptiarum; dicitur enim a quibusdam, quod factae fuerunt eodem die, quo Dominus baptizatus. Sed quomodo potest hoc stare, cum dicatur, quod *die tertio factae sunt*, postquam Dominus venit de Iudaea?

Respondent, quod eodem die, anno revoluto [15]. Resp. 1. — Sed tunc repugnat sequens littera; dicitur enim Improbatur. infra eodem [16], quod *descendit Capharnaum*, et quod non mansit ibi diu, quia erat proximum Pascha: ergo nuptiae istae factae fuerunt prope Pascha, non ergo in Epiphania. — Quod si conceditur, in contra- Difficultas. rium est mos Ecclesiae, quia Ecclesia eodem die tria festa celebrat.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum est, Resp. auctoris. hic sunt diversae opiniones, et utraque probabilis et sustineri potest. Si enim velimus sustinere, quod fa- Solutio 1.

---

[1] Vers. 68; ibid v. 30. est seq. locus. [2] Vers. 20.

[3] Vers. 20. Codd. legunt: *Ego sto... si quis aperuerit* etc. — Pro *sed invitatus* D *sed non invitatus.*

[4] Psalm. 103, 15. — Duo seqq. loci sunt Matth. 9, 17. et Ps. 142, 6.

[5] Vers. 25: Quod [lignum a Domino ostensum Moysi] cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt.

[6] Cod. D *vanitatis.*

[7] Vers. 12, ubi pro *esse potest* B et Vulgata *erit.*

[8] Vers. 3. — Pro *circa hostem* plures codd., ut D E F H I K L, *contra hostem.*

[9] Vers. 19: Scito et vide, quia malum etc.

[10] Psalm. 37, 11.

[11] Vers. 21. Vulgata *humani cordis* pro *hominis.* — Ed. omittit *ad permanendum.*

[12] Vers. 1. — Voci *exspectandum* ed. praemittit *praemium.*

[13] Respicitur Ps. 6, 7: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum etc. — Sequitur Zach. 9, 17: Quid bonum eius est, et quid etc.

[14] Psalm. 29, 12.

[15] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 37: Quidam dicunt, quod circa proximum Pascha post baptismum convertit Dominus aquam in vinum, ideo quia Ioannes [2, 13. seqq.] consequenter post hoc miraculum narrat, eum ascendisse in Hierusalem et eiecisse ementes et vendentes de templo, quod nunquam ab eo factum dicunt nisi in Pascha. Sed eis obviat Ecclesiae consuetudo, quae in Epiphania factum esse tenet et quotannis solemnizando memorat. Fuerunt etiam qui dicerent, quod eadem die, qua baptizatus est, fecerit hoc miraculum. Sed Matthaeus [4, 1.] ait: *Tunc Iesus ductus est in desertum*, et Marcus [1, 12.]: *Statim expulit Iesum Spiritus in desertum.* Habet enim Ecclesia, quod eadem die, sed revolutis annis, haec tria facta sunt. Adventus Magorum tredecima die primi anni [Christi]; baptismus eadem die tricesimi anni vel tricesimi primi anni; mutatio aquae eadem die revoluto anno. Cfr. card. Hugo, qui hanc ultimam opinionem tenet, et S. Thom., Comment. in Ioan. 2. lect. 1. n. 1.

[16] Cap. 2, 12. et 13.

ctum fuerit hoc miraculum post baptismum Domini et reditum eius de deserto et adventum in Galilaeam [1]; dicemus, quod fuit prope Pascha. — Nec obstat
Difficultas solvitur. mos Ecclesiae, quia Ecclesia simul ista tria celebrat de stella et columba et vino mutato, quia Dominus in his tribus primo innotuit; vel quia aquae mutatio significat vim regenerativam aquis collatam, Domino
Solutio 2. baptizato [2]. — Si autem velimus sustinere aliam opinionem, respondebimus, quod cum dicitur, quod *post haec* [3] *descendit Capharnaum*, intelligendum, quod non statim *post haec;* sed aliquanto tempore interposito, ita quod Pascha appropinquabat.

15. Quaest. II. Quaestio est de eo cuius fuerunt nuptiae. — Et quod fuerunt *Ioannis*, dicitur in Prologo supra [4], et Augustinus dixit in Glossa similiter super principium. — Sed *contra* hoc opponit
Obiect. Victor [5]: « Cum virginitas sit perpetuae incorruptionis meditatio, non est credendum, quod Ioannes, cui testimonium de virginitate perhibetur, unquam consenserit in actum carnis ».

Respondendum ad hoc, quod quia maior auctoritas in hoc concurrit, tenendum, quod fuerunt Ioannis [6]. Et huius signum potest haberi ex littera: quia Ioannes erat consanguineus Domini, et ob hanc causam ipse et Mater eius ad nuptias sunt vocati [7].

Resp.

Quod ergo obiicit Victor, dupliciter solvitur:
Solutio obiectionis duplex. uno modo, quod non consenserit in carnis actum sive copulam carnalem absolute; sed, sicut Maria Virgo, dispositioni sancti Spiritus se commisit, ut sic virgo, qui erat Virginem servaturus, in modo virginitatis cum Virgine conveniret [8]. — Aliter respondetur, quod esto, quod consenserit absolute, *virtus* non est minuta, quia licite consensit; similiter *dignitas virginitatis*,
Virginitas perditur tripliciter. quia, cum virginitas dicat incorruptionem mentis et carnis, potest tripliciter perdi: aut perditur incorruptio *utriusque*, et tunc perditur aeternaliter et temporaliter; aut perditur incorruptio *mentis tantum*, et tunc perditur recuperabiliter; aut incorruptio *corporis tantum*, et tunc perditur temporaliter, sed non aeternaliter, quia gloriam virginitatis habebit; sed tamen, sicut dicit Leo Papa [9], non debent tales inter sacras virgines se computare. Quia igitur Ioannes carne mansit incorruptus, etsi mens consentiret, postmodum in idem rediit.

16. Quaest. III. Quaeritur de hoc, quod Dominus voluit ire ad nuptias. — Et videtur, quod non debuerit. Si enim locus nuptiarum est locus comessationis; et ipse Dominus omnem comessationem debuit fugere: ergo nec illuc ire.

Respondeo: Dicendum, quod ivit, ut *fidem* Resp.
astrueret et *haeresim* exstirparet. *Fidem* discipulo- Finis duplex.
rum vocatorum firmavit per miraculum, fidem etiam sponsi adeptus est. *Haeresim* exstirpavit, scilicet Iuliani [10], qui nuptias damnat. Quocontra Dominus voluit esse praesens et nuptias firmare et approbare miraculo. Si vero Dominus vocatus ire recusasset, tunc videretur haeresi illi favisse et nuptias damnasse.

17. Quaest. IV. Quaeritur de responsione Domini ad Matrem: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.*

1. Aut enim divina [11] Virgo petebat *petendum*, aut *non petendum*. Si petebat *petendum:* ergo non debuit ei ita acriter respondere. Si petebat *non petendum:* ergo petentem non debuit exaudire.

2. Item, quid est quod dicit: *Nondum venit hora?* Aut enim *venit*, et ita falsum dicit; aut *non venit*, et ita male facit, quod ante horam facit.

3. Item, ex hoc arguunt haeretici, quod Dominus fuit subiectus fato et astris [12].

---

[1] Cfr. supra c. 1. n. 99.

[2] Vide supra c. 1. n. 64. — Superius D omittit *primo*.

[3] Vulgata (c. 2, 12.): *Post hoc* etc.

[4] Prooem. n. 12. — De *Glossa Augustini super principium* vide quae diximus supra pag. 243, nota 2. In hac Glossa sive Prologo legitur: Iste siquidem est Ioannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit (cfr. supra pag. 245, nota 2. verba Bedae).

[5] De quo cfr. supra pag. 246, nota 7. — In eius sententia respicitur definitio virginitatis ab August., de Sancta Virginitate, c. 13. n. 12, data: Virginalis integritas... in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio. Cfr. IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 1.

[6] Alii putant, nuptias has fuisse *Simonis Cananaei* sive Zelotis; cfr. Nicephor., VIII. Histor. eccles. c. 30, cui annuit Baronius, I. ad an. 31. n. 30-32, ubi etiam reiicit opinionem, quae tenet, quod nuptiae fuerunt Ioannis. Alii existimant, ipsas fuisse *Bartholomaei*, alio nomine Nathanaelis (cfr. supra pag. 268, nota 10.), qui fuit de Cana. — Superius pro *maior* non pauci codd. et ed. *maiorum*.

[7] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 38: Quidam autumant, has nuptias fuisse Ioannis evangelistae, et ideo vocata Maria, quia matertera eius, et Dominus, quia consobrinus eius.

[8] Cfr. IV. Sent. d. 28. q. 6, ubi in principio responsionis etiam de seq. solutione.

[9] Epist. 12. (alias 1.) ad episcop. Africanos, c. 8. (et 11.): Laudabiliores erunt... si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Cfr. Gratian. C. *Illae autem famulae Dei* (14.), C. 32. q. 5. — Servavimus cum ed. *Leo Papa* (ed. addit *de corruptis per violentiam)*, quia sententia de hac re apud Leonem invenitur et IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. circa finem ipsi a S. Bonav. tribuitur. Codd. substituunt *Hieronymus*, cuius Gratian., loc. cit. C. *De pudicitia* (6.), hanc affert sententiam (ex II. Comment. in Matth. 11, 30.): Finge in persecutione aliquam virginem prostitutam; haec apud Evangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur, in Lege quasi corrupta repudiatur.

[10] August., I. contra Iulianum Pelagian. c. 2. n. 4: « Tu autem dicis, nuptias sine dubitatione damnari » etc. Beda, I. Homil. homil. 13. in Dominica secunda post Epiphan.: Porro Tatiani et Marciani ceterorumque qui nuptiis detrahunt perfidia, quam sit damnabilis, insinuat. — Inferius pro *firmare* plures codd. *affirmare*.

[11] Plures codd. *Domina*.

[12] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 8. n. 10, ubi docet, quod ex his verbis mathematici « conantur convincere Christianos, quod sub hora fatali vixerit Christus ». Mathematici sunt illi, « qui, ut ait August. (83 Qq. q. 45. n. 1.), temporum numeros motu caeli ac siderum pervestigarunt ». — E codd. hoc arg. supplevimus.

Respondeo: Dicendum, quod Domini responsio
Resp. non fuit *insultatoria*, sed *instructoria*. Ostendit enim, qua ratione Matri petenti satisfaciat. Unde in
Tria considerandа. petitione tria considerantur: *petens*, et haec est Mater Domini; *pro quibus* petit, quia pro consanguineis pauperibus; *quid* petit, quia miraculum. Dominus ostendit in responsione, quod hoc non debebat petere ut *mater;* quia non ex natura ab ipsa tracta hoc poterat, ideo dicit ei *mulier*, non dicit *mater* [1]. Non debebat petere pro *consanguineis*, tanquam curam habens parentum carnalium; ideo dicit: *Quid mihi et tibi est?* Ostendit, quod miraculum non est faciendum propter indigentiam, sed ad manifestandam suam gloriam, cuius manifestandae nondum erat necessitas; ideo dicit: *Nondum venit hora mea.* Quia tamen petens mulier *sancta* erat; quia illi, pro quibus petebat, *pauperes* erant; quia discipulis *gloria* manifestanda erat: ideo exaudit eam.

2. Quod obiicitur de hora, intelligendum, non-
Ad 2. dum venerat hora perfectae manifestationis, qualis fuit circa mortem: de hora, dicit Augustinus [2], non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi; unde infra decimo: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et nemo eam tollit a me.*

Secunda manifestatio, quae facta est Iudaeis.

18. *Post haec* [3] *descendit* etc. Manifestavit se supra Dominus discipulis. In hac parte usque ad quartum capitulum agitur de manifestatione facta Iudaeis, quibus se tripliciter manifestat, scilicet *signo, verbo* et *Sacramento.* Ideo habet haec pars tres partes.

In prima agitur de manifestatione facta per *si-*
Divisio. *gnum* virtutis; in secunda, per *verbum* eruditionis, ibi [4]: *Erat autem quidam homo ex Pharisaeis;* in tertia, per *Sacramentum* regenerationis, ibi: *Post haec venit Iesus in Iudaeam.*

Prima pars habet duas partes. In prima mani-
Manifestatio per signum dividitur. festat se signo *auctoritatis;* in secunda, signo *virtutis et potestatis*, ibi [5]: *Responderunt Iudaei et dixerunt.*

Signum *auctoritatis* fuit in potestativa trans-
Primo, de signo auctoritatis quatuor. gredientium correctione, quae describitur hoc ordine. Primo innuitur *Domini ad corripiendum expeditio;* secundo vero, manifesta *Iudaeorum transgressio;* tertio, *transgredientium correctio;* quarto, *correctionis approbatio.*

19. (Vers. 12). Domini *ad corripiendum ex-* Expositio literalis. Primum.
peditio in hoc notatur, quod descendit Capharnaum, ut ibi Matrem et fratres relinqueret; propterea dicit: *Post haec*, scilicet quae narrata sunt, *descendit Capharnaum ipse et Mater eius et fratres eius et discipuli eius.* Cum omnibus descendit, quia ad habitandum ibi venit; Matthaei quarto [6]: « Relicta civitate Nazareth, venit et habitavit Capharnaum ». Ideo cum omnibus descendit, ut expeditius ascenderet; propterea dicit: *Et ibi manserunt non multis diebus.* Et ratio huius subditur:

20. (Vers. 13.). *Et prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam.* Et propterea ad se praeparandum descendit; Chrysostomus [7]: « Ideo descendit, paulo post Ierosolymam ascensurus, ut non ubique fratres et Matrem traheret ». Ascendit autem secundum morem Iudaeorum et mandatum Legis; Deuteronomii decimo sexto [8]: « Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum coram Domino ». Et licet Dominus non esset Legi subiectus, observabat tamen, ne videretur contrarius.

21. (Vers. 14.). *Et invenit in templo.* Tangitur Secundum.
hic secundum, scilicet *Iudaeorum manifesta transgressio*, quia de templo fecerant forum; propter quod dicit: *Invenit in templo vendentes oves et boves et columbas.* Hoc enim introduxerat avaritia sacerdotum, ut volentibus offerre non deesset oblatio. *Et nummularios sedentes*, supple: invenit; et hos introduxerant sacerdotes, ut volentibus offerre non deesset pretium; et sic totaliter avaritiae deserviebant. Ideo conquerebatur Dominus per Ieremiam sexto [9]: « A maiore usque ad minorem omnes avaritiae student ».

22. (Vers. 15.). *Cum fecisset quasi flagellum.* Tertium.
Tangitur hic tertium, scilicet *Domini potestativa correctio*, quia non tantum *verbo* corripuit, sed etiam *facto.* Propterea dicit: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis*, scilicet ad percutiendum, *omnes eiecit de templo, oves quoque et boves*, tanquam indignos esse in templo; sicut dixit Dominus ad Sobnam, templi praepositum, Isaiae vigesimo secundo [10]: « Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te ». *Et nummulariorum effudit aes et mensas subvertit.* Et sic aspere corripuit *facto.* Corripuit etiam *verbo*, et hoc vendentes columbas. Propterea subdit:

23. (Vers. 16.). *Et his qui vendebant columbas, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere do-*

---

[1] Cfr. supra n. 4. — Superius pro *debebat* A *debeat*, B N *debuit.*

[2] In Ioan. Evang. tr. 8. n. 10. et 12. — Sequitur Ioan. 10, 18: Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso et potestatem habeo ponendi eam.

[3] Vulgata *Post hoc.*

[4] Cap. 3, 1, ubi Vulgata omittit *quidam;* ibid. v. 22. est seq. locus.

[5] Vers. 18.

[6] Vers. 13, in cuius fine Vulgata *et habitavit in Capharnaum maritima.*

[7] In Ioan. homil. 23. (alias 22.) n. 1: Quia paulo post iturus erat Ierosolymam, ideo tunc abiit, ne Matrem et fratres ubique secum traheret.

[8] Vers. 16, ubi Vulgata *in conspectu Domini* pro *coram Domino*, et pro *per annum* multi codd. *in anno.*

[9] Vers. 13: A minore quippe usque ad maiorem omnes etc.

[10] Vers. 19.

mum Patris mei domum negotiationis. De hac domo dicitur in Psalmo [1]: « Domum tuam, Domine, decet sanctitudo », non negotiatio. Augustinus [2]: « Si talia prohibet in loco orationis, quanto magis potationes et ebrietates et cetera consimilia »? Ideo praecipit in Regula sua [3], quod « in oratorio nihil fiat praeter id, ad quod institutum est ».

Quartum. 24. (Vers. 17.). *Recordati sunt discipuli.* Hic notatur quartum, scilicet *correctionis approbatio* facta per Scripturam. Propterea dicit: *Recordati sunt vero discipuli eius,* non tunc, sed post resurrectionem, cum intellexerunt Scripturam; tunc, inquam, recordati sunt, *quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me,* in illo Psalmo sexagesimo octavo [4]: « Salvum me fac, Deus ». De huius zeli comestione dicit Augustinus [5]: « Ille comeditur zelo domus Dei, qui omnia, quae videt ibi perversa, corrigere cupit, emendare non quiescit; si emendare non potest, tolerat et gemit ».

Expositio mystica de tribus. Primum. 25. *Mystice* sunt hic tria notanda, scilicet *adventus Domini* in templum, *inventio transgressorum* et *eorum eiectio.* — De *adventu* Hieronymus [6]: « Secundum mysticum intellectum Iesus quotidie ingreditur templum Patris et eiicit omnes de Ecclesia, habens unius criminis vendentes pariter et ementes. Scriptum est enim: *Gratis accepistis, gratis date* », Secundum. Matthaei decimo. — *Invenit vendentes boves;* Beda [7]: « *Boves* sunt praedicatores, quibus aratur et seminatur terra Domini semine verbi »; primae ad Corinthios nono: *Non alligabis os bovi trituranti.* Item Beda [8]: « Hos *vendunt* qui non divino amore, sed quaestus intuitu verbum praedicationis audientibus impendunt ». — *Invenit etiam vendentes oves.* « *Oves,* sicut dicit Beda [9], sunt opera pietatis et misericordiae. Has *vendunt,* qui humanae laudis gratia opera pietatis exercent, sicut hypocritae ». — *Invenit vendentes columbas.* « *Columbae* sunt dona Spiritus sancti », quia super Christum in specie columbae apparuit, Matthaei tertio [10]. « Has columbas *vendunt* qui acceptam Spiritus sancti gratiam ad *pretium* dant; qui impositionem manuum, qua Spiritus sanctus accipitur, etsi non ad quaestum pecuniae, ad vulgi tamen *favorem* tribuunt; qui sacros ordines non ad vitae meritum, sed ad *gratiam* largiuntur ». — *Invenit nummularios;* Beda [11]: « Nummos mutuo dant in templo qui non simulate caelestibus, sed aperte terrenis rebus in Ecclesia deserviunt, sua quaerentes, non quae Iesu Christi »; ad Philippenses secundo: *Omnes quaerunt quae sua sunt.* — *Eiecit vendentes oves et boves,* Tertium. ut dicit Beda [12], « quia talium vitam pariter et doctrinam ostendit esse reprobam ». — *Nummulariorum effudit aes et mensas subvertit;* « quia damnatis in fine reprobis, etiam ipsarum rerum, quas dilexerant, tollet figuram, secundum quod scriptum est: *Transibit mundus et concupiscentia eius* », primae Ioannis secundo [13]; et: *Praeterit figura huius mundi,* primae ad Corinthios septimo. — *Columbas auferri* praecepit; Hieronymus in Matthaeum [14]: « *Cathedras* eorum *evertit,* quia talium negotiatorum sacerdotium destruit ». Hinc est, quod sacri Canones [15] simoniacam haeresim damnant, et eos sacerdotio privari praecipiunt, qui de sacerdotio pretium quaerunt.

---

[1] Psalm. 92, 5.

[2] In Ioan. Evang. tr. 10. n. 4: Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebant in templo, quod emebatur, ut offerretur in templo; et tamen eiecit inde illos. Quid si ibi ebriosos inveniret? Quid faceret Dominus?... Sinegotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri?

[3] Scilicet in Regula ad servos Dei, n. 3: In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit (D addit haec ultima verba).

[4] Vers. 10. — B. Albert., in hunc locum: « *Recordati sunt discipuli eius,* supple: post resurrectionem, cum, sicut dicitur Luc. 24, 45, *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* ». Eodem modo explicat Rupert. abbas Tuitiens.: « Ex tunc recordati sunt, hoc de illo esse scriptum, ex quo aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas ». Glossa autem *interlinearis: Recordati sunt* etc., hoc viso.

[5] In Ioan. Evang. tr. 10. n. 9: « Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quae forte ibi videt perversa satagit corrigi, cupit emendari, non quiescit » etc. Cum nostra lectione, quae est codd., convenit B. Albert.

[6] Libr. III. Comment. in Matth. 21, 12. seq.: « Ceterum secundum mysticos intellectus quotidie Iesus ingreditur templum Patris et eiicit omnes, tam episcopos et presbyteros et diaconos quam laicos et universam turbam de Ecclesia sua, et unius criminis habet vendentes » etc. In fine allegatur Matth. 10, 8.

[7] In Ioan. Evang. 2, 14: *Boves* quippe doctrinam vitae caelestis, *oves* opera munditiae et pietatis, *columbae* sancti Spiritus dona designant; quia in marium boum iuvamine solet ager exerceri; ager autem est cor caelesti excultum doctrina et suscipiendis verbi Dei praeparatum rite seminibus. — Sequitur I. Cor. 9, 9. Cfr. Gregor., XXXV. Moral. c. 16. n. 39.

[8] Loc. cit. in praecedente nota: *Vendunt* autem boves qui verbum Evangelii non divino amore, sed terreni quaestus intuitu impendunt.

[9] Loc. cit.; pro *sicut sunt hypocritae* textus originalis: de quibus Dominus [Matth. 6, 5.] ait: *Quia receperunt mercedem suam.* — Pro *Has vendunt* plures codd. *Haec vendunt.*

[10] Vers. 16. — Haec expositio est secundum Bedam, loc. cit.

[11] Loc. cit. — Inferius allegatur Phil. 2, 21.

[12] Loc. cit. Textus originalis omittit *pariter et doctrinam.*

[13] Vers. 17: Et mundus transit etc. Haec expositio praebetur a Beda, loc. cit. — Sequitur I. Cor. 7, 31.

[14] Cap. 21, 12: « *Cathedrasque vendentium columbas evertit,* qui vendunt gratiam Spiritus sancti... Iuxta simplicem intelligentiam columbae non erant in cathedris, sed in caveis, nisi forte columbarum institores sedebant in cathedris. Quod penitus absurdum est, quia in cathedris magistrorum magis dignitas indicatur, quae ad nihilum redigitur, cum mixta fuerit lucris ». Haec verba, ut videtur, Glossa *ordinaria* sic exponit: *Et cathedras vendentium* etc., quae magistrorum sunt, id est, sacerdotium eorum destruit qui de impositione manus, per quam Spiritus sanctus datur, pretium accipiunt. Hinc est, quod haeresis Simonis damnatur. Ad litteram autem absurdum est dicere, institores columbarum in cathedris sedere. — Ed. legit: *Columbas auferri praecepit, et secundum Hieronymum in Matthaeum cathedras vendentium columbas evertit, qui vendunt gratiam Spiritus sancti; quia talium* etc.

[15] Cfr. Gratian., C. 1. q. 1, ex qua plura allegantur IV. Sent. d. 25. a. 1. q. 3. et 4.

QUAESTIONES.

26. Quaest. I. Quaeritur hic de ordine historiae. Hic enim dicitur, quod haec eiectio fuit statim post primum miraculum; Matthaei vero vigesimo primo [1] narratur, hoc fuisse circa passionem, quando sedit super asellum.

Ad hoc respondet Augustinus de Concordia Evan- Resp. gelistarum [2], quod bis hoc factum est, sed primum commemoratum est a Ioanne, secundum ab aliis. — Et per hoc solvuntur repugnantiae, quae possent obiici, quia ibi duriori modo corripit et alia verba dicit quam hic [3].

27. Quaest. II. Item quaeritur de inventione ovium in templo. Sacerdotes non patiebantur, quod immundi homines intrarent in templum; quanto ergo minus de ovibus et bobus, quae templum foedarent? Multo minus videtur probabile.

RESPONDEO: Dicendum, quod quatuor atria erant Resp. in templo: primum erat sacerdotum; secundum, mundorum virorum; tertium, mundarum mulierum; quartum, immundorum et gentilium. Et quodlibet istorum large appellabatur *templum*, et in hoc quarto invenit huiusmodi animalia [4].

28. Quaest. III. Item quaeritur de correctione. Quia dicitur Matthaei decimo quinto [5]: *Sinite illos; caeci sunt et duces caecorum;* non videtur curasse de Iudaeorum correctione. Ut quid ergo tam acriter eos modo redarguit, cum essent incorrigibiles?

RESPONDEO: Dicendum, quod etsi sciret eos in- Resp. corrigibiles, volebat tamen zelum suum erga domum Dei ostendere, ut praelatis exemplum daret et ut Patri se consonum ostenderet et Legis amicum, *quam non venit solvere, sed ut adimpleret* [6].

29. Quaest. IV. Item quaeritur: quare illos qui vendebant columbas, solo verbo corripuit, alios etiam facto? Et videtur, quod magis, quia per illos simoniaci designantur [7], qui sunt acrius corripiendi.

RESPONDEO: Ad hoc est ratio *litteralis*, quia Resp. columbae minus dehonestabant templum; *mystica* vero ratio est, quia per illos intelliguntur simoniaci, qui non sunt parva poena *corripiendi*, sed *sententialiter de Ecclesia eiiciendi;* vel quia per *columbam* intelligitur donum Spiritus sancti, quod non est eiiciendum.

30. Quaest. V. Item quaeritur de hoc: cum Iudaei essent multi et furiosi, et Christus unicus et inermis; quomodo non surrexerunt in eum et occiderunt [8], quando ita eiiciebat eos et res eorum?

Ad hoc dicunt aliqui, quod etsi mali essent, Resp. 1. tamen erant hypocritae; et ideo, ut non ostenderent avaritiam nec malitiam, nec turbatos se ostendunt nec eum laedunt. — Hieronymus [9] aliter respondet, Resp. 2. quod « igneum quiddam atque sidereum radiabat ex oculis eius, et Divinitatis maiestas lucebat in facie », immutans eorum animum, ut non audeant in ipsum mittere manum. Unde Hieronymus maius reputat istud signum quam de Lazari suscitatione, quod unus homo inermis tot expulit et non expavit [10].

31. Quaest. VI. Quaeritur etiam de hoc quod dicit, quod *zelus* fuit in Christo. Si enim zelus importat iram, et ira perturbationem, et in Christo non potuit esse perturbatio: ergo nec zelus.

Ad hoc respondet Victor [11], quod *zelus* dicitur Resp. Victoris. dupliciter: uno modo importat animi perturbationem, quemadmodum et ira, et sic non fuit in Christo; Isaiae quadragesimo secundo [12]: *Non erit tristis neque turbulentus.* Alio modo *zelus* idem est quod fervens amor, et sic fuit in Christo; unde dicit Glossa Augustini [13]: « Bonus zelus est fervor animi, quo mens, abiecto timore humano, pro defensione veritatis accenditur ».

---

[1] Vers. 1-13.

[2] Libr. II. c. 67. n. 129: Unde manifestum est, non semel, sed iterum hoc esse a Domino factum; sed illud primum commemoratum a Ioanne, hoc ultimum a ceteris tribus.

[3] Chrysost., in Ioan. homil. 23. (alias 22.) n. 2: Alius autem Evangelista (Matth. 21, 13.) narrat, eiicientem illum dixisse: Nolite facere domum Patris mei *speluncam latronum*, hic vero dicit v. 16. *domum negotiationis*, non contraria loquentes, sed demonstrantes, ipsum id bis fecisse... Quapropter vehementioribus usus verbis, *speluncam* vocavit, non item nunc initio, sed moderatiore increpatione utitur; unde verisimile fit, id ipsum bis fecisse. — Cod. D *modo corripuit... dixit.*

[4] Ita etiam B. Albert., Postilla in Ioan. 2, 14. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, lib. III. Reg. c. 14-17, ubi haec quatuor atria describuntur (ex Flavio Iosepho); ipse autem ponit, quod in platea atrii *secundi* « vendebantur animalia et volucres ad offerendum, et mensae nummulariorum stabant ibi, quas evertit Dominus... Hoc atrium secundum saepe in Evangelio dicitur *templum*, ubi dicitur, quod oves et animalia vendebantur in templo (Matth. 21, 12.), et quod Iesus docebat in templo (Luc. 19, 47.) » etc.

[5] Vers. 14.

[6] Matth. 5, 17: Nolite putare, quoniam veni solvere Legem... non veni solvere, sed adimplere.

[7] Beda, in Ioan. Evang. 2, 16: Venditionem columbarum de templo auferri praecipit, quia gratia Spiritus gratis accipi, gratis debet dari etc. Cfr. supra n. 22. et 25. — Superius post *magis* sola ed. bene supplet *illos debuit corripere.*

[8] Ed. *et non ceciderunt.*

[9] Libr. III. Comment. in Matth. 21, 15. Ibid. etiam habetur seq. sententia Hieron.

[10] Ed. *et exterruit.*

[11] Vide supra pag. 246, nota 7. Sed addendum est id quod postea invenimus, scil. Alcuinum, contra Felicem, lib. V. c. 6, allegare eundem, ut videtur, Victorem sic: « Victor episcopus Capuae in *Libro Sponsorum*, capitulo vigesimo quarto »; et paulo inferius: « Idem quoque Victor episcopus ex opere Cyrilli in Libro ad Augustas, cuius initium est: *Qui divinum praedicant et caeleste mysterium* ».

[12] Vers. 4.

[13] Scilicet Glossa *ordinaria;* cfr. supra pag. 274, nota 5. verba Augustini. — Praedicta distinctio zeli ab August. insinuatur pluribus in locis; sic II. de Diversis Qq. ad Simplician. q. 2. n. 3: Zelum quoque Dei non repudiemus et aspernemur, cum scriptum invenimus; sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris et morbidam perturbationem animi, remaneatque illud solum iudicium, quo corruptio castitatis [sensu largiore pro *puritate* animae] impunita esse non sinitur, et

32. *Responderunt Iudaei* etc. Manifestavit se Dominus signo auctoritatis; hic se manifestat *signo potestatis*, non exhibito, sed petito et promisso. Et hoc signum fuit mirabilis sui resuscitatio, et proceditur hoc ordine. In hac manifestatione primo ponitur huius signi *postulatio;* secundo, postulati *oblatio;* tertio, oblati *expositio;* quarto, consequens fidei Iudaeorum *aedificatio* et per hoc Christi manifestatio.

Secundo, de signo potestatis quatuor.

(Vers. 18.). Primo ergo describitur *signi postulatio*, quae facta est a Iudaeis videntibus, quod tantae auctoritatis se ostenderet. Propterea dicit: *Responderunt ergo Iudaei,* Domino scilicet corripienti, *et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia haec facis?* Quaerunt signum potestatis; primae ad Corinthios primo [1]: « Iudaei signa quaerunt ». Simile dixerunt Matthaei vigesimo primo: « Dic nobis: In qua potestate haec facis »? Et stulte quaerebant, quia ipsum factum magnum signum erat; Chrysostomus [2]: « O insania! Signone opus erat, ut ea quae male fiebant, cessare faceret? Zelum vero talem accipere pro domo Dei nonne maximum signum virtutis erat »?

Expositio literalis. Primum.

33. (Vers. 19.). *Respondit Iesus et dixit eis.* Tangitur hic secundum, scilicet *signi petiti oblatio;* et offert etiam eis signum maximae virtutis de resuscitatione sui; propter quod dicit: *Solvite templum hoc,* scilicet occidendo; *solvite,* id est, solvetis [3], *et in tribus diebus excitabo illud,* id est, suscitabo quasi de somno. *Mors* enim in Scriptura dicitur dormitio, et *resurrectio* excitatio; Psalmus [4]: « Ego dormivi et soporatus sum » etc. *Diebus tribus,* scilicet per synecdochen; Osee sexto: « Vivificabit nos post duos dies, et in die tertia suscitabit nos », scilicet in capite.

Secundum.

34. (Vers. 20.). *Dixerunt ergo ei* [5] *Iudaei.* Tangitur hic tertium, scilicet *signi oblati expositio,* quia non de templo materiali hoc dicebat, sed de templo corporis sui; et Iudaei intelligebant de materiali. Propter quod dicit: *Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Quasi dicant: hoc omnino est incredibile et tibi impossibile. Intelligendum, quod templum in prima aedificatione fuit consummatum in septem annis [6], sed in secunda propter guerras et impedimenta sub Zorobabel per annos quadraginta sex. De hoc Dominus non intelligebat; ideo dicit:

Tertium.

35. (Vers. 21.). *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Si enim corpora nostra « templum sunt Spiritus sancti », primae ad Corinthios sexto [7]; quanto magis corpus Christi, « in quo Divinitas corporaliter inhabitat », secundum quod dicitur ad Colossenses secundo. Et hanc intelligentiam spiritualem non habebant nec Iudaei nec carnales discipuli, sed post resurrectionem. Ideo dicit:

36. (Vers. 22.). *Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat,* de corpore suo. Tunc enim aperuit illis sensum ad intelligendum; Lucae ultimo [8]: « Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas ». *Et* ex tunc *crediderunt Scripturae* [9], in qua scilicet praefigurata est Christi resurrectio, ut Iona; *et crediderunt etiam sermoni, quem dixerat Iesus,* quia hac ratione praedicebat; infra decimo quarto [10]: « Nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis ».

37. (Vers. 23.). *Cum autem esset Ierosolymis.* Tangitur hic quartum, scilicet *fidei Iudaeorum aedificatio* ad aspectum signorum potestatis. Intelligendum enim, quod multa fecit, licet Evangelista non descripserit, sicut dicit Chrysostomus [11]. Propterea dicit: *Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo,* ad quem scilicet ascenderat; *multi credide-*

Quartum.

---

assurgimus, ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Cfr. Lib. contra Adimant. Manich. discip. c. 11. et l. contra Adversarium Legis et Proph. c. 20. n. 40. Vide etiam III. Sent. d. 15. a. 2. q. 3. — Plurimi codd. *Augustinus,* ed. *Glossa,* D *Glossa Augustini,* quam lectionem elegimus, quia veritati magis est consona; nam in Augustino non haec *verba* inveniuntur, sed tantum sententia; et iam a Strabone Glossa, quae verba ista continet, Augustino tribuitur.

[1] Vers. 22. — Sequitur Matth. 21, 23: Dicentes: In qua etc.

[2] In Ioan. homil. 23. (alias 22.) n. 2.

[3] Cfr. infra n. 40.

[4] Psalm. 3, 6. — Seq. locus est Osee 6, 3. — De *tribus diebus* cfr. III. Sent. d. 22. q. 3.

[5] Vulgata et B omittunt *ei.*

[6] Lib. III. Reg. 6, 38: Aedificavitque [Salomon] eam annis septem. — De aedificatione templi sub Zorobabel cfr. I. Esdrae, c. 3-6. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, lib. Iudith, c. 3: Cum audisset itaque Zorobabel hunc [Darium] regnare, fiducialiter aggressus est reaedificare templum, Aggaeo et Zacharia exhortantibus populum (I. Esdrae 5, 1. seqq.)... Igitur anno secundo Darii, mense octavo, instabant operi et compleverunt illud anno septimo Darii, qui erat quadragesimus sextus regni Persarum, secundum quod dictum est in Evangelio (Ioan. 2, 20.): *Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc,* id est, a prima licentia, quam dedit Cyrus, redeundi et reaedificandi templum [II. Paral. 36, 23.] usque ad septimum annum Darii, quo consummatum est, tot anni fluxerunt. Vide Bedam, in Ioan. Evang. 2, 20, et August., XVIII. de Civ. Dei, c. 26. Alii, ut Baronius (I. an. Christi 31. n. 38. et 39.) censent, hic agi de templo ab Herode restituto.

[7] Vers. 19. — Sequitur Col. 2, 9: Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

[8] Vers. 45.

[9] Ionae 2, 1; cfr. supra n. 33. verba Osee. Cod. N allegat etiam Ps. 15, 10: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

[10] Vers. 29.

[11] In Ioan. homil. 17. (alias 16.) n. 3. explicat verba Ioan. 1, 31. seqq. et dicit: Unde conjecturare possumus, et haec et alia longe plura silentio missa fuisse; quod hic ipse Evangelista in fine libri [Ioan. 21, 25.] significavit. Tantum enim abfuit, ut magnum aliquid de illo confingerent... miracula vero alia aliis narrantibus omiserunt, alia simul omnes tacuerunt. Cfr. Origenes, Comment. in Ioan. tom. 10. n. 30: Quin hoc etiam quaerendum est, quot *signa ipsius multi videntes crediderunt in eum.* Non enim scriptum est, signa fecisse Ierosolymis, nisi fortasse facta signa scripta non fuerunt.

runt in nomine eius, videntes signa, quae faciebat. Fides eorum signis innitebatur; infra septimo [1]: « De turba autem multi crediderunt in eum, videntes signa, quae faciebat »; et quia signis innitebantur, ideo in fide infirmi erant. Propterea dicit:

38. (Vers. 24.). *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis;* non quia timeret, sed quia eorum infirmitatem cognosceret. Et quomodo hoc sciret, ostendit: quia non ut homo *relatione*, sed ut Deus *interna visione; eo quod ipse nosset omnes;* primi Regum decimo sexto [2]: « Homines vident ea quae parent, Deus autem intuetur cor ».

39. (Vers. 25.). *Et quia non erat opus, ut quis ei testimonium* [3] *perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine;* Ieremiae decimo septimo: « Ego Dominus scrutans corda et renes »; ad Hebraeos quarto: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis ».

Quaestiones.

40. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod Dominus dicit Iudaeis: *Solvite.* Videtur, quod eis imperavit [4], ut se ipsum occiderent.

Respondeo: Dicendum, quod Scriptura imperativo modo aliquando utitur *imperative,* ut ibi: *Deum time et mandata eius observa,* Ecclesiastae ultimo [5]. Aliquando *praedictive,* ut hic; Glossa: « *Solvite,* id est, solvetis ». Aliquando *consultive;* Matthaei decimo nono [6]: *Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Aliquando *permissive;* Matthaei octavo: *Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos.* Aliquando *ironice;* Ioannis decimo tertio: *Quod facis fac citius,* dixit Dominus ad Iudam de proditione.

Resp.

Sensus imperativi quintuplex.

41. Quaest. II. Item quaerit Chrysostomus [7] de hoc, quod Dominus signum de resurrectione semper respondet Iudaeis; ut Matthaei duodecimo et decimo sexto dicitur, quod *non dabitur eis signum nisi signum Ionae prophetae.* Cum enim ipsi non intelligerent, ad quid eis hoc signum dabat? Et si dabat, quare non sic dabat, ut intelligerent?

Respondeo: Dicendum, quod signum hoc dabat eis, quia *summum* et quia *occultum: summum,* quia a morte posse liberare se ipsum etiam post mortem, hoc est omnium novorum novissimum, nobilissimum [8] et mirabilissimum. Quia etiam *occultum,* dabat eis et aenigmatice dicebat, quia iusto iudicio ita se manifestabat, ut lateret, quousque post resurrectionem se manifestaret. Si enim omnino fuisset manifestatus, nequaquam fuisset mortuus; ideo mittit eos ad tempus resurrectionis. Et ideo loquebatur eis aenigmatice et etiam discipulis, quia, etsi tunc non intelligerent, postmodum carius erant intellecturi [9].

Resp.

Ratio duplex.

42. Quaest. III. Quaestio est: quare Dominus se templum dicit et templo se comparat?

Et respondet Augustinus [10], quod hoc non solum est propter inhabitationem Divinitatis, sed etiam propter similitudinem ad templum: quia, sicut templum quadraginta sex annis aedificatum est, sic foetus conceptus quadraginta sex diebus formatur, et illis multiplicatis per senarium, nascitur. — Sed hoc nihil [11] valet ad propositum, ut videtur; quia corpus Christi ab instanti conceptionis fuit perfectum, et anima perfecta, et usum habuit liberi arbitrii.

Resp. 1.

Non probatur.

Propter hoc dicendum, quod corpus perfici est duobus modis: vel *organizatione,* vel *mole.* Corpora alia a corpore Christi infra illud tempus vel in illo tempore aedificantur et perficiuntur, id est, ad perfectionem tendunt *organizatione* et *mole;* corpus vero Christi tantum *mole,* non membrorum distinctione [12].

Resp. auctoris.

---

[1] Vers. 31, ubi post *in eum* Vulgata: *et dicebant: Christus, cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam quae hic facit?* — Ed. hunc locum sicut et verba *Fides eorum signis innitebatur* omittit.

[2] Vers. 7: Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem etc.

[3] Vulgata: *Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium.* — Duo seqq. loci sunt Ier. 17, 10. (cfr. supra pag. 267, nota 3.) et Hebr. 4, 12.

[4] Cod. E *imperaverit.*

[5] Vers. 13. — Sequitur Glossa *interlinearis:* Non imperat, sed quasi diceret: Vos solvetis. Cfr. Cyrill. Alexandr., in hunc locum: Non hortatur autem illos ad patrandam caedem, cum ait: *Solvite templum hoc,* sed quoniam id eos certo facturos sciebat, rem futuram figurate indicat.

[6] Vers. 21. — Ed. hoc tertium membrum omittit. — Duo loci seqq. sunt Matth. 8, 31, ubi Vulgata *in gregem porcorum;* et Ioan. 13, 27.

[7] In Ioan. homil. 23. (alias 22.) n. 2: *Quod signum ostendis nobis?...* ad miraculum patrandum evocant, ut factum eius coarguant; ideo signum non dat illis. Immo, cum prius accessissent signum petentes, hoc respondet: *Generatio prava et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Ionae* (Matth. 16, 4.). Sed tunc clarius, nunc autem magis aenigmatice. Illud autem agit ob extremam illorum insaniam. — Subinde allegatur Matth. 12, 39. et 16, 4.

[8] Ex D supplevimus *nobilissimum.*

[9] Chrysost., loc. cit.: Multa huiusmodi loquitur, quae audientibus sint obscura, sed post futuris clara. Cur hoc? Ut cum rei praedictae finis adveniret, probaretur, ipsum iam olim id praescivisse etc. — Pro *carius* ed. *clarius;* cfr. infra c. 3. n. 28: Ut etiam secretum ut carius habeat.

[10] Libr. 83 Qq. q. 56. et IV. de Trin. c. 5. n. 9. Cfr. supra pag. 151, nota 9.

[11] Ed. *non satis.*

[12] Cfr. III. Sent. d. 3. p. II. a. 3. per totum.

Capitulum III.

1. *Erat autem quidam*[1] *homo* etc. Supra manifestavit se Dominus Iudaeis signo virtutis, hic secundo manifestat se *verbo eruditionis*, et hoc instruens omnes Iudaeos in persona Nicodemi principis Iudaeorum. Et quia verbum eruditionis tradi non debet nisi auri attendenti; ideo primo hic notatur *diligentia Nicodemi;* secundo vero, *doctrina Domini*, ibi[2]: *Respondit Iesus et dixit ei: Amen.*

Secundo, manifestatio per verbum eruditionis.

Divisio in duo membra.

Describitur ergo Nicodemus a quadruplici conditione, ut ostendatur idoneus ad disciplinam: describitur a *vitae honestate*, ab *officii dignitate*, a *discendi sollicitudine*, a *discendi aptitudine.*

De primo quatuor.

2. (Vers. 1.). Describitur igitur a *vitae honestate* primo, cum dicitur: *Erat homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine. Ex Pharisaeis,* quae secta erat probabilior et honestior super omnes sectas Iudaeorum; unde Apostolus gloriatur ad Philippenses tertio[3]: « Secundum legem Pharisaeus ». — Describitur etiam ab *officii dignitate*, cum dicitur: *Princeps Iudaeorum.* Unde et ipse restitit furori Iudaeorum; infra septimo[4]: « Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab eo prius »? — Describitur etiam a *discendi sollicitudine*, cum dicitur:

Primum.

Secundum.

Tertium.

3. (Vers. 2.). *Hic venit ad Iesum nocte.* Ideo nocte venit, ut quietius posset instrui et doceri, quia tunc hora est quieta; unde in Psalmo[5]: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi ». — Describitur a *discendi aptitudine*, cum dicitur: *Et dixit ei*, scilicet Iesu: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister.* Aptus enim erat doceri, quia doceri venerat et Christum perfectum doctorem credebat et eius discipulus esse volebat, et propter hoc *magistrum* vocabat, sicut discipuli; infra decimo tertio[6]: « Vos vocatis me *magister* et *Domine* ». Et ratio, quare hoc dicit, infertur: *Nemo potest*[7] *haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ideo patet, quod erat ex his, de quibus dictum est supra secundo: « Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa, quae faciebat ». Signa erant ratio credendi, quod esset a Deo; unde infra nono dixit caecus: « Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quidquam ».

Quartum.

Quaestiones.

4. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicitur, quod *Nicodemus* erat *princeps Iudaeorum* et *credebat* in Iesum; quia dicitur infra septimo[8]: *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum?* Quasi dicat: non.

Respondeo: Dicendum, quod Nicodemus *credidit* et erat *ex principibus.* Et illud verbum, quod dicitur infra septimo, fuit verbum Pharisaeorum, qui decepti fuerunt. Nicodemus enim credebat, etsi non palam, tamen occulte[9].

Resp.

5. Quaest. II. Item quaeritur: cum hora illa sit hora malefactorum, quia *qui male agit odit lucem*[10]; unde est hoc, quod Nicodemus venire voluit *nocte?* Et videtur, quod inordinate venerit.

Respondeo: Dicendum, quod in causa fuit *verecundia* quaedam, *infirmitas* et *diligentia.* De *verecundia*, Victor[11]: « Nocte venit, quia magister in Israel palam discere erubuit ». De *infirmitate*, Chrysostomus[12]: « Adhuc Iudaica detinebatur infirmitate; propterea et nocte venit, trepidans in die hoc facere ». De *diligentia* dicit Beda[13]: « Nocte venit, cupiens secreta allocutione mysteria fidei percipere, cuius iam aliquatenus rudimenta perceperat ».

Resp. Ratio triplex.

6. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo potest haec signa facere, quae tu facis, nisi*

---

[1] Vulgata omittit *quidam.*

[2] Vers. 10. et 11.

[3] Vers. 5. — August., Serm. 106. (alias 30. de Verbis Domini) c. 2. n. 2: Pharisaei isti Iudaei erant quasi egregii Iudaeorum. Nobiliores enim atque doctiores tunc Pharisaei vocabantur. Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli) c. 3. n. 5: Primarii quidam erant et quasi ad nobilitatem Iudaicam segregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisaei. Nam dicitur hoc verbum quasi segregationem interpretari, quomodo in Latina lingua dicitur egregius quasi a grege separatus. S. Thom., Comment. in Ioan. 3. lect. 1. n. 1, dicit, quod quia Pharisaei nobiscum magis conveniebant, credendo scil. resurrectionem et existentiam spiritualium creaturarum, eorum opinio *probabilior* erat et magis veritati propinqua, quam opinio Sadducaeorum, qui nec resurrectionem futuram nec spiritum esse credebant.

[4] Vers. 51.

[5] Psalm. 118, 62.

[6] Vers. 13.

[7] Vulgata: *Nemo enim potest.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 2, 23. (ubi post *signa* Vulgata addit *eius*) et 9, 33. (Vulgata omittit *homo*, et pro *posset* substituit *poterat*).

[8] Vers. 48. Vulgata addit *aut ex Pharisaeis?*

[9] Beda, in Ioan. Evang. 7, 48: Caeci enim facti sunt Pharisaei doctores, illuminati sunt populi Legem nescientes et in auctorem Legis credentes. Nicodemus tamen, unus ex Pharisaeis... et ipse quidem non incredulus, sed timidus (nam ideo et nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat et sciri timebat) respondit Iudaeis: *Nunquid lex nostra iudicat* etc.

[10] Ut dicitur infra v. 20.

[11] Vide supra pag. 275, nota 11. Glossa *ordinaria:* Nox significat litteram Legis, vel ignorantiam cordis, vel timorem. Et *nocte* ideo forsitan venit, quia *magister in Israel* palam discere erubesceret, vel pro metu Iudaeorum.

[12] In Ioan. Homil. 24. (alias 23.) n. 1.

[13] In Ioan. Evang. 3, 1: Venit ad Iesum nocte, cupiens secreta eius allocutione plenius discere mysteria fidei, cuius aperta ostensione signorum aliquatenus iam rudimenta perceperat.

fuerit Deus cum eo. — Contra: Matthaei septimo [1]: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, in nomine tuo daemonia eiecimus* etc.

Resp. 1. Respondent quidam ad hoc, facientes vim in verbo: *Nisi fuerit Deus cum illo.* Differt enim dicere: Deus est cum homine, et homo cum Deo; sicut videtur velle Augustinus dicere in libro Confessionum [2]: « Mecum eras, sed ego non eram tecum ». Sic et in proposito homo est cum Deo, quando habet caritatem, per quam adhaeret Deo; sed Deus cum homine, quando aliquem specialem effectum et donum facit in homine. Sic est cum illis Non solvit. quibus tribuit virtutem faciendi miracula. — Sed istud non solvit, quia Nicodemus hoc non intendebat dicere, immo vere, quod esset a Deo [3].

Resp. auctoris. Propterea dicendum, quod etsi boni et mali faciant miracula, distinguuntur tamen hi ab illis, *modo* scilicet et *fine*: *modo*, quia boni per publicam iustitiam, mali per signa publicae iustitiae; *fine*, quia boni ad aedificationem, mali ad gloriam [4]. Et quia Nicodemus in modo faciendi et fine miracula distinguebat; maxime hoc scire poterat in Christo, quia non per invocationem faciebat miracula [5].

De secundo membro sive de doctrina Christi. 7. *Respondit Iesus et dixit ei* etc. Descripta est diligentia Nicodemi, describitur hic *doctrina Christi*, in qua docet Nicodemum, quomodo possit pervenire ad salutem, quia hoc quaerere venerat. Et Divisio triplex. habet haec pars tres partes secundum tria, quae ipsum docet. Primo docet ipsum, quae *via salutis;* secundo, quod *salutis principium*, ibi [6]: *Nemo ascendit in caelum;* tertio, quod est *salutis impedimentum*, ibi: *Non enim misit Deus Filium suum* etc.

Primo, de via salutis tria. Primo igitur docet, quae sit *via salutis:* quoniam Sacramentum regenerationis, in cuius instructione procedit hoc ordine. Primo exprimit *necessitatem regenerationis;* secundo, *modum regenerandi;* tertio, *modum intelligendi.*

Expositio litteralis. 8. (Vers. 3.). *Necessitatem* igitur *regenerationis* exprimit ipsi Nicodemo addiscere cupienti. Propter quod dicit: *Respondit Iesus et dixit ei*, scilicet Nicodemo de nocte venienti et quaerenti: *Amen, amen dico tibi: Nisi quis natus fuerit denuo*, id est regeneratus, *non potest videre regnum Dei* [7]. Et secundum hoc patet, quod regeneratio *necessaria* est ad salutem. Primum.

Nativitas quadruplex. Nativitas *naturae;* Ioannis decimo sexto [8]: « Mulier, cum parit, tristitiam habet; sed cum peperit, non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum ». — *Culpae;* ad Ephesios secundo [9]: « Eramus natura filii irae »; *natura*, id est corruptione naturae; ideo Iob tertio: « Pereat dies, in qua natus sum ». — *Gratiae;* primae Ioannis ultimo [10]: « Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed gratia Dei custodit ipsum »; et hoc fit per Sacramentum. — *Gloriae;* Iob undecimo [11]: « Cum te consumtum putaveris, orieris ut lucifer ». — Hic igitur Secundum. dicit necessariam nativitatem Sacramenti et gratiae.

9. (Vers. 4.). *Dicit ad eum Nicodemus.* Tangitur hic secundum, scilicet *modus regenerandi*, qui est *spiritualis.* Sed Nicodemus, aestimans, ipsum esse carnalem, dubitat et quaerit: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Quasi: hoc est impossibile, de sene iuvenem fieri; Iob septimo [12]: « Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur; et consumti sunt absque ulla spe ». Impossibilitas etiam est a parte generantis; unde dicit: *Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci?* Adhuc carnalis erat, et ideo carnaliter intelligebat; primae ad Corinthios secundo [13]: « Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei ». Sed Dominus ipsum retrahit ab intelligentia carnali ad spiritualem; propter quod dicit:

10. (Vers. 5.). *Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;*

---

[1] Vers. 22.

[2] Libr. X. c. 27. n. 38. — Card. Hugo, in hunc locum: Respondeo, quod nullus facit signa, *nisi fuerit Deus cum eo*, sed non sequitur propterea, quod ipsi sint cum Deo; quia hominem esse cum Deo ponit imitationem hominis ad Deum in aliquo, scilicet in voluntate; Deum vero esse cum homine, secundum quod hic sumitur, nihil dicit nisi virtutem Divinitatis ostensivam, et hanc potest etiam malus habere; et ideo bene dicit: *nisi fuerit Dominus cum eo*, et non dicit: nisi fuerit cum Deo.

[3] Dicit enim: *Scimus, quia a Deo venisti magister.*

[4] August., 83 Qq. q. 79. n. 4: Sed et diverso fine et diverso iure [miracula] fiunt. Illi [magi] enim faciunt quaerentes gloriam suam, isti [Sancti] quaerentes gloriam Dei... boni Christiani [faciunt miracula] per publicam iustitiam, mali Christiani per signa publicae iustitiae. Cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 2. in fine. — Ed. *ad inanem gloriam.* Plurimi codd. post *Et* omittunt *quia.*

[5] Beda, in Luc. 5, 13: *Volo, mundare* etc. Nihil medium est inter opus Dei atque praeceptum, quia in praecepto est opus etc. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 24. (alias 23.) n. 2.

[6] Vers. 13; v. 17. est seq. locus.

[7] Ed. superius omittit *addiscere cupienti... Nicodemo*, et hic addit: « *Amen, amen*, nominaliter Apoc. 3, 14: Haec dicit: Amen, id est veritas; verbaliter Ier. 28, 6: Fiat; Hebraice *amen* adverbialiter; et sic in proposito *amen*, id est vere, *nisi quis* » etc. Ad haec verba Bonelli notat: « Sic in margine ms. codicis; nec secus idem interpres ad finem Expositionis Orationis Dominicae » etc. Codd. nostri communiter haec omittunt; cod. N exhibet illa in principio v. 5. post *Respondit Iesus: Amen, amen.* — Pro *Nisi quis natus* Vulgata *Nisi quis renatus.*

[8] Vers. 21; vide infra hunc locum, ubi codd. cum Vulgata conveniunt. — Superius ante *Nativitas naturae* in cod. M secunda manus supplevit: *Et notandum, quod quadruplex est nativitas. Est enim;* Gorranus (ed. Coloniae 1587): *Nota: multiplex est nativitas, videlicet naturae, culpae, gratiae et gloriae.*

[9] Vers. 3. — Seq. locus est Iob 3, 3.

[10] Vers. 18, in cuius fine Vulgata *sed generatio Dei conservat eum.*

[11] Vers. 17.

[12] Vers. 6. — Post *Quasi* ed. cum nonnullis codd. supplet *diceret.*

[13] Vers. 14.

quasi dicat: non intelligo de nativitate, quae est ex ventre, sed quae est ex aqua; non intelligo de nativitate, quae est ex semine, sed quae est ex Spiritu sancto; quia illa carnalis et manifesta, ista *spiritualis* et *occulta*. Propterea dicit:

Generatio spiritualis.

11. (Vers. 6.). *Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est.* Ideo, sicut generatio ex carne est carnalis, ita generatio ex spiritu est *spiritualis;* supra primo [1]: « Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt ». Nec tantum est spiritualis, immo etiam *occulta;* et ideo non debet mirari Nicodemus animalis, si non intelligit. Propterea dicit:

Et occulta.

12. (Vers. 7.). *Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo,* quamvis non intelligas.

13. (Vers. 8.). *Spiritus ubi vult spirat; ubi vult,* dando gratiam; ad Romanos nono [2]: « Cuius vult miseretur, et quem vult indurat ». *Et vocem eius audis,* in praedicatoribus; Matthaei decimo [3]: « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ». *Et nescis, unde veniat, aut quo vadat;* Iob nono: « Si venerit ad me, non videbo eum; et si abierit, non intelligam ». *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu,* scilicet spiritualis et occultus; ad Romanos sexto [4]: « Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus ». Sicut sepultura et mors et vita est spiritualis, ita etiam generatio.

Tertium.

14. (Vers. 9.). *Respondit Nicodemus.* Tangitur hic tertium, scilicet *modus intelligendi* hanc regenerationem spiritualem, quem quia non habebat Nicodemus, ideo dubitat et quaerit; unde dicit: *Respondit Nicodemus et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri?* Et in hoc notatur diligentia in Nicodemo, qui non cessavit a quaerendo, donec intelligeret; Chrysostomus [5]: « Si Iudaei audissent, statim deridentes recederent »; et ideo meretur a Domino plenius edoceri qui motus est per intellectus captivationem et fidem. Ideo humiliat eum; propter quod dicit:

15. (Vers. 10.). *Respondit Iesus et dixit ei: Tu es magister in Israel, et haec ignoras?* Quasi dicat: te doctorem magnum reputas, et tamen ignoras fidei initia; ad Hebraeos quinto [6]: « Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus indigetis, ut doceamini, quae sint elementa exordii sermonum Dei »; quasi dicat: si vis intelligere, oportet te humiliare et credere; quia, si hoc non credis, nec maiora intelligere poteris. Propterea dicit:

16. (Vers. 11.). *Amen, amen dico tibi, quia nos* [7] *quod scimus loquimur;* « *nos,* id est ego et mei Apostoli », ut dicit Glossa; vel *nos* pluraliter mysterium Trinitatis innuit. *Et quod vidimus testamur;* infra octavo [8]: « Quod vidi apud Patrem meum, hoc loquor »; et ita credendum esset mihi; sed tamen vos non creditis. Ideo subdit: *Et testimonium nostrum non accipitis;* infra quinto [9]: « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me ». Et si non accipitis in parvis quae dixi neque creditis, multo minus nec in magnis. Ideo subdit:

17. (Vers. 12.). *Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?* Quasi dicat: non; et ideo *modus intelligendi* est per fidem credere minora, antequam perveniatur ad sublimia; primae ad Corinthios tertio [10]: « Tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam ». Si autem lac non susciperent, quomodo escam suscipere possent? — Ex praedictis igitur patet, quod [11] *regeneratio* est *necessaria,* est *spiritualis* et *occulta,* et quod *nullus potest intelligere,* nisi credat.

Epilogus.

Quaestiones.

18. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Nisi quis natus* [12] *fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.*

Contra: 1. Si hoc *erat praeceptum:* ergo nullus salvari potest nisi baptizatus *ex aqua et Spiritu sancto.* — *Contra:* Multi Martyres fuerunt, qui non baptizati fuerunt. — Item, multi sunt, qui habent fidem et morte praeveniuntur; sed dicitur infra eodem [13]: *Omnis, qui credit in Filium Dei, non perit:* ergo si non baptizetur, adhuc salvabitur.

2. Quod si *non est praeceptum:* ergo male dicit, quod *non potest introire in regnum Dei* [14], quia *videre* hic accipitur pro visione patriae.

---

[1] Vers. 13.

[2] Vers. 18.

[3] Vers. 20. — Sequitur Iob 9, 11. Cfr. supra pag. 256, nota 3. — Pro *Et nescis* Vulgata *Sed nescis.*

[4] Vers. 4. Codd. omittunt *a mortuis.*

[5] In Ioan. homil. 24. (alias 23.) n. 2, ubi explicatur v. 3: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit* etc.: Hoc si Iudaei audissent, deridentes discessuri erant; hic autem discendi studium prae se tulit. — Epist. II. Cor. 10, 5: Et in *captivitatem* redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

[6] Vers. 12.

[7] Vulgata omittit *nos.* — Sequitur Glossa *interlinearis: Nos,* ego scilicet cum Prophetis et Apostolis. Cyrill. Alexandr., in Ioan. 3, 11: In plurali numero testis personam Servator extulit, puta, quod in se ipso Patrem habeat ac Spiritum natura, ut quodam modo iuxta legem Moysaicam [Deut. 19, 15.] in ore duorum et trium testium verbum firmetur. Cfr. Haymo, Homil. de Tempore, homil. 108. in octava Pentecostes.

[8] Vers. 38. Vulgata omittit *hoc;* plures codd.: *Quae vidi... haec loquor.*

[9] Vers. 43.

[10] Vers. 2.

[11] Plures codd. *quomodo.*

[12] Plures codd. cum Vulgata *renatus.*

[13] Vers. 15: Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

[14] Vers. 5; v. 3. dicitur: *non potest videre regnum Dei.*

Respondeo: Dicendum, quod est baptismus *flu-*
Resp. *minis, flaminis* et *sanguinis*. Dicendum ergo, quod secundum legem communem omnes tenentur baptizari, quia *praeceptum* est. Si autem intervenit impossibilitas; aut adest gratia sive baptismus flaminis vel sanguinis, aut non; si sic, supplet illum baptismum, quando non est possibilitas. Si vero non adest, impossibilitas non excusat nec facit, ut salvetur, non propter transgressionem *praecepti*, sed propter *maculam originalis*, quae deleta non est per gratiam. — Et sic patet, quod illi qui habent fidem formatam, salvantur, cum morte praeveniuntur [1].

19. Quaest. II. Item quaeritur, utrum ex tunc fuerit necessarium baptizari. — Quod *sic*, videtur:

1. Quia tunc promulgata fuit sententia, quod sine hoc non erat salus.

2. Item, si tunc non fuit institutus, quando ergo fuit institutus baptismus?

Respondet magister Hugo [2] et distinguit triplex
Resp. tempus gratiae: quoddam, in quo cucurrit circumcisio tantum, ut ante adventum Christi; quoddam, in quo baptismus tantum, ut post manifestationem Evangelii; quoddam, in quo utrumque mixtim, ut tempore medio, et tunc habebat effectum suum circumcisio, et pro tempore illo non erat necessarium baptizari, nec Dominus hic sententialiter promulgavit regenerationis necessitatem, sed quod facturus erat revelavit amico [3].

2. Quod quaeritur: quando institutus fuit bapti-
Ad 2. smus? dicendum, quod *materialiter*, cum baptizatus fuit Christus; *formaliter*, cum resurrexit et formam dedit, Matthaei ultimo [4]; *effective*, cum passus fuit, quia inde habuit virtutem; sed *finaliter*, cum eius necessitatem praedixit et utilitatem, ut hic: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc.

20. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod natum est ex carne caro est.*

1. Ergo *et quod natum est ex spiritu spiritus est*: ergo quod nascitur ex sancto, sanctum: ergo sanctus homo generat sanctum hominem, scilicet filium; quod manifeste falsum est, immo [5] peccatorem.

2. Item, si quod nascitur ex spiritu est spiritus, ergo quod nascitur ex Deo Deus est; sed omnes sumus ex Deo nati, sicut dicitur primae Ioannis quinto [6]: ergo omnes sumus dii.

Respondeo: Dicendum, quod haec intelligenda Resp.
est *per se*: quod nascitur ex carne generante, scilicet secundum quod caro, est *carnale*; similiter de spiritu, est *spirituale*.

1. Quod obiicit de viro sancto, respondetur, Ad 1.
quod carnaliter generat, ideo generat carnalem. Unde etsi sit purgatus secundum quod *persona*, non tamen, secundum quod est *generationis principium*. Exemplum Augustini [7] est de grano mundo, quod generat granum in paleis.

2. Quod dicit de spiritu, illud dicitur non per Ad 2.
essentiam, sed per *conformitatem* et adhaerentiam; primae ad Corinthios sexto [8]: *Qui adhaeret Deo unus spiritus est.*

21. Quaest. IV. Quaeritur de hoc quod dicit: *Spiritus ubi vult spirat, et nescis, unde veniat.* — *Contra*: Bernardus in Canticis [9] dicit, quod debet homo cognoscere tempus visitationis spiritualis.

Chrysostomus [10] respondet, quod hoc dixit de Resp. 1.
vento, quia homo non habet eius cognitionem, multo minus spiritualis nativitatis. — Sed Augustinus [11] istam Resp. 2.
expositionem respuit, quia bene scit homo, quod auster venit a meridie et tendit in septentrionem; ideo exponit de Spiritu sancto.

Quod ergo dicitur: *Nescis, unde veniat*, fa- Expositio loci.
cienda est vis in verbo. Non dicit: nescis, *quando* veniat, quia bene potest scire per fervorem et teporem, *quando* venit; sed nescis, *unde veniat*, utrum scilicet ad retribuendum in praesenti bona, quae homo gessit, vel ad augenda merita; nescis, *quo vadat*, utrum *longe*, nunquam reversurus, vel *prope*, illico rediturus. Ideo dicit Bernardus [12], quod semper timendum: « Time », inquit, « cum arriserit, time, cum abierit, et cum denuo revertetur ».

22. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si terrena dixi vobis* etc.: quae sunt ista *terrena*? quia totum est spirituale, quod locutus est, nihil terrenum.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 4. p. II. a. 1. q. 1. et 2.

[2] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 4. Cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[3] Hugo a S. Vict., loc. cit. c. 5: Quando igitur Christus Nicodemo nocte ad se venienti dixit [Ioan. 3, 3. et 5.]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei*, amico revelatum est consilium. Quando vero postea dixit [Matth. 28, 19.]: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, informandis omnibus expositum est praeceptum. Cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. dub. 1.

[4] Vers. 19. — Cfr. IV. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. in fine.

[5] Ed., contradicentibus codd., perperam addit *frequenter*.

[6] Vers. 1. seqq.: Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est etc.

[7] Libr. III. de Peccator. meritis et remissione etc. c. 8. n. 16, ubi ad refellendos eos qui dicunt, filios ex parentibus fidelibus sive baptizatis non esse baptizandos, varia exempla ab ipsis explicanda exhibet, inter quae est etiam illud de *palea*: Vicissimque interrogarem, ut... ipsi explicarent... quomodo etiam palea, quae opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu, qui de purgato tritico nascitur. Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2. et IV. Sent. d. 4. p. I. a. 1. q. 2. in corp.

[8] Vers. 17: Qui autem adhaeret Domino etc. Cfr. I. Sent. d. 31. p. II. a. 2. q. 1.

[9] Serm. 57. n. 1. seqq.

[10] In Ioan. homil. 26. (alias 25.) n. 2.

[11] In Ioan. Evang. tr. 12. n. 5. et 7. Cfr. I. Sent. d. 27. p. II. q. 2. ad 4.

[12] Serm. in Cantic. serm. 54. n. 9.

Ad hoc respondet Chrysostomus [1], quod *terrena,* quae dixit, sunt illa quae dixit de *spiritu,* id est de vento; sed Augustinus [2] exponit de suscitatione templi, quam praedixerat in praecedenti capitulo, scilicet secundum quod de terra erat, sive intelligatur de templo materiali, sive de corpore Christi, quia de terra nostra sumtum est. — Potest responderi aliter, quod *terrena* vocat ea quae praedicta sunt, non absolute, sed quia parva in respectu dicendorum.

Resp. 1. et 2.

Resp. 3.

23. *Et nemo ascendit in caelum.* Determinavit supra salutis viam, hic determinat *salutis principium,* ut per hoc plene satisfiat Nicodemo quaerenti, quomodo illa possint fieri. Et describitur hic salutis principium hoc ordine: primo determinatur, quod est *principium salvans;* secundo, quis *modus salvandi;* tertio, quae *ratio movet ad salvandum.*

Secundo, de salutis principio tria.

(Vers. 13.). Principium salvans nos est ille qui solus potest introire in caelum per se, et omnes per illum; et hic est Christus Dominus. Propterea dicit: *Et nemo ascendit in caelum,* id est, nemo habet virtutem illuc ascendendi; *nisi qui descendit de caelo,* per assumtionem humanitatis; *Filius hominis, qui est in caelo,* per praesentiam et immensitatem Divinitatis: ergo omnis, qui ascendit et salvatur, ascendit per eum. De hac potentia ascendendi et descendendi ad Ephesios quarto [3]: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia ». De existentia eius in caelo supra primo: « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ». Ipse est, qui facit ascendere a morte ad vitam; infra octavo: « Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis ».

Expositio litteralis. Primum.

24. (Vers. 14.). *Et sicut Moyses exaltavit* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *quomodo* Filius Dei *salvat,* quoniam per passionem. Ideo dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto;* Numerorum vigesimo primo [4]: « Fecit Moyses serpentem aeneum et posuit illum pro signo, quem percussi aspicientes sanabantur ». *Ita exaltari oportet Filium hominis,* scilicet in crucis patibulo, ut omnes in eum aspicientes per fidem sanentur. Ideo dicit:

Secundum.

25. (Vers. 15.). *Ut omnis, qui credit in eum* [5], *non pereat, sed habeat vitam aeternam;* infra undecimo: « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum ». Optime describit passionem in relatione ad figuram, ut fiat credibilior; et optime praecessit figura, quia, sicut ibi non sanabantur per serpentem nisi aspicientes, sic nec per Christum nisi in eum credentes.

26. (Vers. 16.). *Sic enim Deus* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *ratio movens* ad sic salvandum; et haec fuit immensitas divini amoris ad hominem perditum. Propter quod dicit: *Sic enim Deus dilexit mundum,* id est hominem mundanum et peccatorem; *ut Filium suum unigenitum daret;* ad Ephesios secundo [6]: « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo ». Ideo *nimia,* quia plus dedit, quam oportuit; ad Romanos octavo [7]: « Et qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum ». *Daret,* inquam, pro omnibus quantum ad *sufficientiam,* sed quantum ad *efficaciam* pro electis et credentibus [8]. Ideo subdit: *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Aliis non valet passio nisi credentibus, quia, sicut dicitur ad Hebraeos undecimo [9], « sine fide impossibile est placere Deo ».

Tertium.

Quaestiones.

27. Quaest. I. Sed quaestio hic incidit primo de hoc quod dicit: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo.*

Contra: 1. Omnes Sancti ascendunt, et tamen nullus descendit.

2. Item, corpus Christi ascendit in caelum, et tamen non descendit de caelo.

3. Item obiicitur: si hoc intelligitur de Christo; aut intelligitur secundum naturam *divinam,* aut *humanam.* Secundum *humanam,* non; quia illa non descendit de caelo, et praeterea tunc, cum loquebatur, non erat in caelo. Secundum *divinam* non potest, quia non ascendit, quia maior esse non potuit nec locum mutavit.

---

[1] In Ioan. homil. 27. (alias 26.) n. 1: Terrestria vero hic quidam putant ventum significare, ac si diceret: Si exemplum ex terrenis dedi, nec tamen obtemperastis; quomodo poteritis sublimiora discere?

[2] In Ioan. Evang. tr. 12. n. 7: Quid ergo dixit terrenum, quod non credebant homines? An illud quod de templo resuscitando dixerat [2, 19.]? Corpus enim suum de terra acceperat et ipsam terram de terreno corpore susceptam parabat suscitare. Non ei creditum est terram suscitaturo. *Si terrestria,* inquit, *dixi vobis et non creditis, quomodo, si caelestia dixero, credetis?* Hoc est, si non creditis, quia templum possum resuscitare deiectum a vobis, quomodo credetis, quia per Spiritum possint homines regenerari?

[3] Vers. 10. Codd. omittunt *super omnes caelos.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 18. et 8, 36. Cfr. III. Sent. d. 22. dub. 4.

[4] Vers. 9: Fecit ergo Moyses... quem cum percussi aspicerent, sanabantur. — Inferius pro *sanentur* D *salventur,* F *sanemur.*

[5] Vulgata *in ipsum.* — Sequitur Ioan. 11, 25. et 26.

[6] Vers. 4. seq. Vulgata *in Christo.* Cfr. III. Sent. Prooemium.

[7] Vers. 32: Qui etiam proprio etc.

[8] Simili modo III. Sent. lit. Magistri, d. XX. c. 5: Obtulit [Christus se] pro *omnibus* quantum ad pretii sufficientiam, sed pro *electis* tantum quantum ad efficientiam, quia praedestinatis tantum salutem effecit. Cfr. ibid. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. et 3. ac q. 3. in corp.

[9] Vers. 6. — Superius post *passio* G I K L M supplent *Christi.*

Respondent quidam, quod exceptio hic non tantum comprehendit Christum, qui est caput, immo totum corpus Christi; et illi omnes et soli, qui ad corpus eius pertinent, ascendunt [1]. — Sed hoc non potest stare, quia corpus non descendit de caelo [2].

Resp. 1. non probata.

Propterea intelligendum, quod *ascendere* hic dicitur propria virtute, non aliunde data, et sic solus Christus potuit [3].

Resp. auctoris.

2. Quod obiicit de corpore, respondet Augustinus [4], quod non obstat, quia corpus est tanquam indumentum; unde si aliquis descendit nudus de monte et ascendit vestitus, dicimus: nemo ascendit, nisi qui descendit; sic et in proposito.

Ad 2.

3. Quod quaerit: secundum quam naturam hoc dicitur? respondeo: Dicendum, quod in illa oratione tria dicuntur de una hypostasi: *ascendere* convenit ei ratione humanae naturae; *descendere*, ratione divinae relate ad humanam, quia se humiliavit assumendo carnem; *esse* vero *in caelo*, ut tunc, secundum divinam pure. Et sic non potest totum retorqueri ad unam naturam, sed ad unam hypostasim [5].

Ad 3.

28. Quaest. II. Item quaerit Chrysostomus [6] de hoc quod dicit: *Sicut exaltavit* etc.: quare, cum exprimat passionem, non dixit *pendere in cruce*, ut apertius loqueretur?

Respondeo: Dicendum, quod Dominus revelabat passionis mysterium Nicodemo ut *honestum*, ut *credibile*, ut *secretum*: ut *honestum*, ne homo adhuc carnalis despiceret et horreret; ideo dixit *exaltari*, non *suspendi*. Ut *credibile*, ut fidem adhiberet; ideo per figuram praecedentem mirabilem passionis effectum mirabilem insinuat. Ut etiam *secretum*, ut carius habeat; et ideo non explanat, sed relinquit ei locum meditandi, et per hoc proficiendi et ad donum intellectus perveniendi [7].

Resp.

29. Quaest. III. Quaestio est de hoc quod dicit: *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat.* Ergo nullus, qui habet fidem, damnabitur, quantumcumque malus. — *Si tu dicas*, quod intelligitur de fide formata: ergo secundum hoc nullus, qui habet fidem formatam, potest damnari.

Respondeo: Dicendum, quod hic loquitur de fide vera; vera autem fides excludit fictionem duplicem. Fides enim est ficta, aut quia credit, sed *non amat*; aut quia credit et amat, sed *non perseverat.* Vera est igitur fides, quae quod credit amat et perseverat; et omnis talis salvabitur [8].

Resp. Fictio duplex.

30. *Non enim misit Deus.* Supra determinavit, quae sit salutis via, et quod salutis principium; hic tertio iam determinat, quod est *salutis impedimentum.* Et primo ostendit, quod impedimentum nostrae salutis *non est ex parte Dei*; secundo, quod *est ex parte defectus fidei*; tertio vero, quod *est ex parte defectus operis boni.*

Tertio, de salutis impedimento tria.

(Vers. 17.). Ostendit igitur primo, quod *non est ex parte Dei* nostra damnatio, cum dicit: *Non enim misit* etc.; et debet ita continuari ad praecedens: vere dixi, quod Deus dedit Filium, *ut omnis, qui credit in eum, habeat vitam aeternam*, non, inquam, ut damnetur. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum*, scilicet ipsum condemnando, *sed ut salvetur mundus per ipsum*; primae Ioannis tertio [9]: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris », ideo ad propitiandum, non ad damnandum.

Expositio litteralis. Primum.

31. (Vers. 18.). *Qui credit in eum non iudicatur.* Tangitur hic secundum, quod damnatio et iudicium venit *ex parte defectus fidei.* Et hoc ostendit per hoc, quod qui credit non iudicabitur, sed qui non credit iam est iudicatus. Propter hoc dicit: *Qui credit in eum*, scilicet in Dei Filium, *non iudicatur*; infra quinto [10]: « In iudicium non veniet, sed transiet de morte ad vitam ». *Qui autem non credit iam iudicatus est*, id est, pro damnato

Secundum.

---

[1] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 39: Quod autem dixit: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo*, sensus est: Nemo ascendit nisi Christus cum corpore suo. Vel secundum tropum, quo dicimus, Dominum facere quae per eum facimus; et est sensus: Nemo ascendit, nisi quem Deus ascendere facit. Cfr. Beda, in hunc locum, ubi etiam resp. ad 3. insinuatur. — Supplevimus ex D *qui ad corpus eius pertinent.*

[2] Bonelli notat: Nisi videlicet eo sensu, quo inquit interpres noster Exposit. in cap. 3, 21. S. Lucae: « *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo*, id est, nisi sit membrum Christi, qui descendit de caelo » etc. Namque, ut ait etiam S. Thomas, Comment. in Ioan. Evang., ad hunc textum [lect. 2. n. 4.]: Propterea Filius Dei de caelis descendit, ut nos faciendo membra sua ad ascensum caelorum praepararet; nunc quidem in spe, tandem vero in re. Eph. 2, 6: *Qui resuscitavit nos et consedere nos fecit in caelestibus in Christo Iesu.*

[3] Cfr. III. Sent. d. 22. dub. 4.

[4] Serm. 263. (alias 174. de Tempore et 90. de Diversis) n. 3: Corpus, inquiunt, quod non descendit de caelo, quomodo potuit ascendere in caelum? Quasi ille dixerit: Nihil ascendit in caelum, nisi quod de caelo descendit; sed ait: *Nemo ascendit, nisi qui descendit.* Hoc enim ad personam, non ad personae habitum retulit. Descendit sine corporis indumento, ascendit cum corporis indumento... Quis enim vel in montem, vel in murum, vel in aliquem superiorem locum dicit non eum solum, qui descenderit, ascendisse, si, cum descendisset exutus, ascendat indutus, aut cum descendisset inermis, ascendat armatus etc. Cfr. de Agone christiano, c. 25. n. 27.

[5] Cfr. Beda, in hunc locum. — Pro *sed ad* E H I K L M *licet ad.*

[6] In Ioan. homil. 27. (alias 26.) n. 2: Cur autem non clare dixit, se crucifigendum esse, sed ad veterem figuram auditores remisit?

[7] Cfr. Chrysost. loc. cit., ubi etiam triplex ratio affertur: Primum, ut discerent veterum cum novis cognationem... deinde, ut intelligas, ipsum non invitum ad mortem venisse; ad haec autem, ut disceres, nullum ipsi ab illa re damnum importari, et hinc multis ipsum salutem parere.

[8] Matth. 10, 22: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

[9] Vers. 16, ubi: In hoc cognovimus caritatem Dei; et 4, 10: Quoniam ipse etc.

[10] Vers. 24; Vulgata *venit, sed transiit a morte in* etc.

habetur; *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei;* quia, sicut dictum est Actuum quarto [1], « non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ». Et ideo qui in eius nomine non credit merito est damnatus.

32. (Vers. 19.). *Et hoc est iudicium* [2] etc. Tan- Tertium. gitur hic tertium, scilicet quod impedimentum salutis et ratio damnationis et iudicii est *ex parte defectus operis boni*, ratione cuius homo refugit salutem. Propterea dicit: *Et hoc est iudicium;* Glossa [3]: « Id est causa damnationis »; *quia lux venit in mundum*, id est Verbum incarnatum; infra duodecimo: « Ego lux in mundum veni, ut qui credit in me in tenebris non maneat ». *Et dilexerunt homines magis tenebras*, scilicet erroris, *quam lucem*, veritatis; Iob vigesimo quarto: « Ipsi fuerunt rebelles lumini ». Et ratio huius caecitatis est defectus operis boni; propter quod dicit: *Erant enim eorum mala opera.* Et quod malum opus sit ratio fugiendi lucem, ostendit.

33. (Vers. 20.). *Omnis enim, qui male agit, odit lucem;* Iob vigesimo quarto [4]: « Oculus adulteri observat caliginem ». *Et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius*, id est, manifestentur esse mala; ad Ephesios quinto: « Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem illa redarguite; omnia autem, quae arguuntur, a lumine manifestantur ». Sed e contrario bonum opus ducit ad lucem. Ideo dicit:

34. (Vers. 21.). *Qui autem facit veritatem venit ad lucem;* Matthaei quinto [5]: « Nemo abscondit lucernam sub modio, sed super candelabrum »; quia bona opera lux sunt. Unde et subdit: *Ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* In Deo fiunt, quae in caritate; primae Ioannis quarto [6]: « Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo », qui est summa lux, et ideo ad eius honorem sunt revelanda; Matthaei quinto: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est ».

QUAESTIONES.

35. Quaest. I. Sed incidit hic quaestio primo de hoc quod dicit, quod *non misit Filium suum in mundum, ut iudicet.* — *Contra:* Habetur infra quinto [7]: *Pater omne iudicium dedit Filio.*

RESPONDEO: Est duplex adventus: *primus* et *se-* Resp. *cundus*, primus *misericordiae*, secundus *iustitiae.* In *primo* venit ad propitiandum, non ad iudicandum, sed in *secundo* venturus est ad iudicandum.

36. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui non credit iam iudicatus est.*

CONTRA: Si *Deus non iudicat bis in id ipsum* [8]; et infideles iam sunt iudicati: ergo in die iudicii non iudicabuntur. — *Si dicas*, quod iudicati sunt merito; similiter mali Christiani.

RESPONDEO: Est iudicium *praesentis punitionis;* Resp. et hoc omnes mali iudicantur — quia « non est de- Iudicium triplex. decus peccati sine decore iustitiae [9] » — maxime infideles, quia infidelitas magna poena est sibi. Est iudicium *extremae discussionis*, et hoc non iudicabuntur infideles. Et est iudicium *futurae retributionis.* Primo iudicantur omnes mali; secundo, mediocriter boni et mali; ultimo, omnes boni et omnes mali. Dicitur ergo infidelis *iam iudicatus* vel propter excaecationem, vel quia non iudicabitur per discussionem, ut dicit Gregorius [10].

37. Quaest. III. Item obiicitur de hoc quod dicit: *Omnis, qui male agit, odit lucem.*

CONTRA: « Omnes homines naturaliter desiderant *scire* [11] », sicut et *beati esse;* sed malitia operis non inducit odium beatitudinis: ergo nec lucis.

RESPONDEO: dicendum, quod lux dupliciter potest Resp. cum distinctione. considerari: aut ratione effectus *primi*, secundum quod est principium cognitionis, et sic a nullo oditur; aut ratione effectus *secundi*, qui est turpitudinem manifestare, quod quia omnes mali abhorrent, ideo et lucem quantum ad hunc effectum. Sed *beatitudo* non habet effectum in anima contrarium alicui naturali desiderio, ut ostendit Augustinus [12].

38. Quaest. IV. Item [13], si *qui male agit non*

---

[1] Vers. 12: Nec enim aliud nomen est etc.

[2] Vulgata: *Hoc est autem iudicium.*

[3] Scilicet *interlinearis.* Theophylact., in hunc locum: Ostendit hoc loco infideles omni excusatione destitutos. Ista enim condemnatio est, inquit, quia venit ad eos lux, et neque sic ad illam accesserunt. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 12, 46. et Iob 24, 13.

[4] Vers. 15. — Sequitur Eph. 5, 11, ubi Vulgata omittit *illa*, et 13, in quo pro *omnia autem, quae arguuntur*, codd. vel *qui* [E *quae*] *enim arguuntur*, vel *qui enim arguitur* etc.

[5] Vers. 15.

[6] Vers. 16. — Seq. locus est Matth. 5, 16. [7] Vers. 22.

[8] Nahum 1, 9. secundum septuaginta interpretes; Vulgata: Non consurget duplex tribulatio. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XV. c. 1.

[9] Ut dicit August., III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44. Cfr. supra pag. 140, nota 1.

[10] Libr. XXVI. Moral. c. 27. n. 50. Cfr. supra pag. 128, nota 2. et IV. Sent. d. 47. a. 1. q. 3. in corp.

[11] Aristot., I. Metaph. c. 1. — De desiderio *beatitudinis* cfr. supra pag. 6, nota 12. et pag. 116, nota 8. ac IV. Sent. d. 49. p. I. q. 2.

[12] Praeter locos supra pag. 116, nota 8. citt. cfr. X. Confess. c. 20. n. 29. seqq., ubi etiam c. 23. n. 34. praenotatam distinctionem *lucis* insinuat: Cur autem *veritas* parit odium... cum ametur beata vita, quae non est nisi gaudium de veritate, nisi quia sic amatur veritas, ut, quicumque aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatem, et quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem etc. Cfr. I. Sent. in Prolog. Magistri, dub. 6. — Fide D supplevimus *ut ostendit Augustinus.*

[13] Codd., D excepto (cfr. nota praeced. in fine), addunt *obiicit Augustinus;* ed., quae sequitur codd., allegat *in Ioan.*

venit ad lucem: ergo nullus unquam peccator convertitur ad fidem.

Respondendum, quod quamdiu diligit manere in Resp. malo opere, ad lucem non venit; sed si incipiat malum odire, tunc potest ad lucem venire; et sic veniunt peccatores per contritionem.

Tertio, manifestatio per regenerationis Sacramentum. 39. *Post haec venit Iesus* etc. Manifestavit se Dominus Iudaeis virtutis signo et eruditionis verbo; hic manifestat se *regenerationis Sacramento*, recipiendo Iudaeos ad baptismum. Et quia tam Dominus quam Ioannes baptizabat, et tamen solus Dominus regenerabat; ideo primo introducitur Christi et Ioannis *purificatio;* secundo, de praecellentia nascens *quaestio,* ibi [1]: *Facta est ergo quaestio;* tertio vero, *quaestionis terminatio,* ibi: *Respondit Ioannes.*

Divisio in tria membra.

Expositio literalis. Primo, de duplici purificatione. Baptismus Christi. 40. (Vers. 22.). Describitur ergo *Christi purificatio* per baptismum primo, per quam Iudaeis se manifestat; ideo dicit: *Post haec,* id est post praedictas manifestationes, *venit Iesus et discipuli eius in Iudaeam terram,* ut scilicet Iudaeis se manifestum faceret per baptismum. Unde et subdit: *Et illic demorabatur cum illis* [2], scilicet discipulis, *et baptizabat;* secundum quod Ioannes ei testimonium perhibuerat supra primo: « Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat »; nec ipse solus baptizabat, immo etiam eius praecursor. Propter quod dicit:

Baptismus Ioannis. 41. (Vers. 23.). *Erat autem Ioannes* [3] *baptizans in Aennon iuxta Salim,* id est Salem, quod fuit castrum Melchisedech, ad Hebraeos septimo. Et ratio subditur: *Quia erant illic aquae multae.* Bona ratio, quia baptizabat Ioannes tantum in aqua; Marci primo [4]: « Ego baptizavi vos aqua », dicebat Ioannes. *Et veniebant,* ad eum, *et baptizabantur,* etiam Christo baptizante; Matthaei tertio: « Exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem, et baptizabantur ab eo ».

42. (Vers. 24.). *Nondum enim missus erat* [5] *Ioannes in carcerem;* quia tunc cessavit eius baptismus, absente magistro; erat enim temporalis. De incarceratione Ioannis Matthaei decimo quarto: « Herodes tenuit Ioannem et alligavit eum et misit in carcerem » etc.

Secundo, de exorta quaestione. 43. *Facta est ergo quaestio* [6] etc. Hic introducitur ex duplici purificatione *procedens quaestio,* quae ortum habuit a discipulis Ioannis calumniantibus Iudaeos, quod, relicto Ioannis baptismate, ibant ad Christum. Propter quod dicit:

(Vers. 25.). *Facta est ergo quaestio ex discipulis Ioannis,* quasi ab ipsis trahens originem, *cum Iudaeis,* contradicentibus, scilicet *de purificatione:* ubi scilicet esset maior purificatio, utrum in baptismo Ioannis, vel Christi. Et dicebant discipuli Ioannis, baptismum Ioannis esse maiorem, Iudaei e contrario. Propter hoc, videntes, se non posse praevalere, ipsum Christum per invidiam accusant. Propter quod subdit:

44. (Vers. 26.). *Et venerunt ad Ioannem et dixerunt ei: Rabbi! qui erat trans Iordanem tecum,* tecum erat tanquam minor, quia tu ipsum baptizasti, quem etiam exaltasti; unde subdunt: *Cui testimonium perhibuisti;* supra primo [7]: « Ioannes testimonium perhibet de ipso » etc.; *ecce, hic baptizat,* quasi, officium tuum usurpat. Et ut provocent in aemulationem, addunt: *Et omnes veniunt ad eum,* quasi de te amplius non curantes. Aemulatione movebantur. Simile fecit Iosue; Numerorum undecimo [8] de viris prophetantibus dixit Moysi: « Domine mi, prohibe eos. Et Moyses respondit: Quare tu aemularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum »?

Quaestiones.

45. Quaest. I. Sed incidit hic quaestio primo de hoc quod dicit, quod Iesus baptizabat. — Contra: Infra quarto [9]: *Iesus non baptizabat, sed discipuli eius:* ergo est ibi contradictio.

Respondeo: Dicendum, quod ille facit, cuius Resp. auctoritate fit; unde *facere aliquid,* hoc est dupli-

---

Evang. tr. 12. n. 13, ubi dicit: « Fratres mei, quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum. Omnium mala opera invenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem et venerunt ad lucem?... Sed *dilexerunt,* inquit, *tenebras magis quam lucem.* Ibi posuit vim; multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua; quia qui confitetur peccata sua et accusat peccata sua iam cum Deo facit » etc. In Comment. sub nomine Bonav. in ed. Vaticana vulgato legitur: Item quaeritur: *Qui male agit non venit ad lucem.* Qualiter hoc? quaerit *Chrysostomus* [in Ioan. homil. 28. alias 27. n. 2.]: « Nonne publicani et peccatores venerunt ad Deum », et multi alii, qui poenituerunt, ut mulier peccatrix? Falsum ergo ait, ut videtur, quod *qui male agit non venit ad lucem.* Et ad hoc respondet, quod « non ait: Qui male egit non venit, scilicet in praeterito, sed *qui male agit,* hoc est, qui semper vult volutari peccati gurgite; talis enim non vult se subiicere legibus Dei ».

[1] Vers. 25. Ita etiam August., in Ioan. Evang. tr. 13. n. 8; Vulgata *Facta est autem quaestio.* — Seq. locus est ibid. v. 27.

[2] Nonnulli codd. et Vulgata *eis.* — Sequitur Ioan. 1, 33, ubi post *descendentem* Vulgata addit *et manentem super eum.*

[3] Vulgata: *Erat autem et Ioannes.* — Hebr. 7, 1: Hic enim Melchisedech, rex Salem etc. Cfr. Hieron., Epist. 73. (alias 126.) n. 7. seqq., ubi ipse contra Iosephum Flavium et alios contendit, Salem sive Salim non esse Ierusalem, « sed oppidum iuxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchisedech... de quo [Salem] in posteriore quoque parte Geneseos [33, 17. seq.] scriptum est: *Venit Iacob in Socoth... et transivit in Salem civitatem regionis Sichem* etc.

[4] Vers. 8. — Seq. locus est Matth. 3, 5. et 6.

[5] Vulgata *fuerat.* — Mox post *quia tunc* ed. addit *secundum Chrysostomum* (cfr. in Ioan. homil. 29. alias 28. n. 1; vide etiam IV. Sent. d. 2. a. 2. q. 1. et dub. 5.). — Subinde allegatur Matth. 14, 3, ubi pro *misit* Vulgata *posuit.*

[6] Vide supra notam 1.

[7] Vers. 15.

[8] Vers. 28: Domine mi, Moyses, prohibe eos; v. 29: At ille: Quid, inquit, aemularis etc.

[9] Vers. 2. Cfr. infra pag. 286, nota 5.

citer, scilicet *auctoritate*, vel *ministerio*. Christus baptizabat *auctoritate*, sed discipuli eius *ministerio* [1]; vel baptizabat interius, discipuli autem exterius.

46. Quaest. II. Sed tunc est quaestio: unde est hoc, quod Dominus in propria persona non baptizabat exterius? — Et videtur, quod deberet, ut aliis praeberet exemplum et formam et modum.

Respondeo: Dicendum, quod ipse aliis praebuit
Resp. modum et docuit, sed tamen non baptizabat causa
Ratio duplex. vitandi *erroris* et *praesumtionis*: *erroris*, quia credidissent homines, quod alii, qui non essent ab eo baptizati, vere baptizati non essent; *praesumtionis*, ne baptizati ab ipso extollerentur et despicerent baptizatos a discipulis et per hoc baptismum discipulorum.

47. Quaest. III. Item quaeritur: cum baptismus Ioannis esset praeparatorius ad baptismum Christi [2], et adveniente veritate, cessat umbra; videtur, quod debuit cessare baptizare, ex quo Christus incepit.

Respondeo: Dicendum, quod cessavit, sed non
Resp. statim. Et ratio fuit quadruplex: ne videretur ei
Ratio quadruplex. contrarius; ne videretur instabilis; ne videretur indignanter tulisse; ne discipulos suos in invidiam et zelum mitteret [3].

48. Quaest. IV. Item quaeritur: quis baptismus potior, utrum Christi, vel Ioannis? — Quod Ioannis, videtur:

1. Quia Christus fuit baptizatus baptismo Ioannis: ergo sicut nobilius fuit Melchisedech sacerdotium sacerdotio Levi, quia Levi fuit a Melchisedech decimatus [4]; eadem ratione videtur de baptismate.

2. Item, *Christus non baptizabat, sed discipuli eius* [5]; sed discipuli Christi non erant maiores Ioanne: ergo nec baptismus discipulorum Christi maior baptismate Ioannis.

3. Item quaeritur, utrum baptismus ille daret
Quaest. gratiam? — Et quod non, videtur; quia dicitur infra
Duplex ratio. septimo [6]: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* et si aliquis baptizatus fuisset mortuus ante passionem, non intrasset regnum Dei.

Respondeo: Dicendum, quod secundum Chry-
Resp. 1. sostomum [7] baptismus discipulorum Christi ante passionem fuit tantum praeparatorius, sicut et baptismus Ioannis; unde uterque erat expers gratiae. — Tamen Beda et Augustinus [8] dicunt, quod « baptizavit Ioannes, et rebaptizatum est; baptizavit Iudas, et rebaptizatum non est ». Unde dicunt, quod baptismus ille gratiam dabat, et ideo nobilior, quia nobilioris efficaciae. Resp. 2.

1. Quod ergo obiicitur, quod Christus fuit baptizatus; dicendum, quod baptismus Ioannis nullum omnino in Christum habuit effectum [9]. Ad obiect.

2. Quod obiicitur, quod discipuli baptizabant; dicendum, quod verum est, *exterius;* sed tamen in eo baptismo Christus baptizabat interius; non sic autem in baptismate Ioannis.

3. Quod obiicitur: Spiritus nondum erat datus; Ad quaest.
intelligendum est de datione *visibili* et aperta, quomodo dabatur per manuum impositionem, non de datione invisibili [10].

Quod obiicit, quod non evolaret baptizatus mor- Ad ult. rationem.
tuus; dicendum, quod non erat propter defectum gratiae in baptismo, sed quia pretium eius nondum erat solutum. — Et si obiiciat, quod baptismus ha- Obiicitur.
bet efficaciam a passione [11]; intelligendum, quod efficaciam habet *collationis gratiae* a virtute divina ibi invisibiliter operante, a passione vero quantum ad *ianuae apertionem* [12]. Vel: si nondum erat passus, tamen fides passionis erat praesens, ratione cuius efficaciam habebat, licet non aperiendi ianuam, tamen dandi gratiam [13].

49. *Respondit Ioannes et dixit.* Posita est supra [14] Christi et Ioannis per baptismum purificatio et ex hoc procedens dubitatio; ponitur hic *quaestionis terminatio* facta a Ioanne, discipulis requirentibus. Unde determinat, quod Christus est regenerator, non ipse; et procedit hoc ordine. Primo Ioannes se ipsum humiliat et Christo postponit per *considerationem fragilitatis humanae;* secundo Christum sibi praeponit in *baptizandi potentia;* tertio, in *praedicandi sapientia;* quarto vero, in *omnis gratiae excellentia.* Tertio, de quaestionis terminatione quatuor.

50. (Vers. 27.). Primo igitur se humiliat per Primum.
considerationem fragilitatis humanae contra discipulos volentes, quod se ipsum et baptismum suum magnificaret. Propter quod dicit: *Non potest homo*

---

[1] Cfr. supra c. 1. n. 71. Resp. 2. August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 3: An utrumque verum est, quia et Iesus baptizabat et non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat. Praebebant discipuli ministerium corporis, praebebat ille adiutorium maiestatis.

[2] Vide supra c. 1. n. 58.

[3] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 29. (alias 28.) n. 1.

[4] Cfr. Hebr. 7, 1. seqq.

[5] Ioan. 4, 2: Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.

[6] Vers. 39.

[7] In Ioan. homil. 29. (alias 28.) n. 1.

[8] In Ioan. Evang. 1, 33: *Hic est qui baptizat* etc., tr. 5. n. 18. — De Beda cfr. in Ioan. Evang. 1, 33; 3, 22. et 4, 2. — Ed. legit: *Tamen Beda dicit, quod in illo baptizandi actu contulit Christus aquis vim regenerativam contactu carnis suae. Et Augustinus dicit, quod baptizavit Ioannes* etc.

[9] Cfr. supra c. 1. n. 64. — Pro *in Christum* plures codd. *in Christo*.

[10] Vide explicationem infra 7, 39. et ibid. Quaest. II.

[11] Cfr. supra n. 19.

[12] Cfr. III. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. et d. 19. a. 1. q. 1.

[13] Vide supra c. 1. n. 42. — Bonelli hic notat, S. Bonav. in ea fuisse sententia, quod baptismus ante passionem Christi fuerit institutus (cfr. supra n. 19.), et Christi baptismum ante mortem Christi expiasse peccata (sicut etiam August. contra Chrysostomum censet).

[14] Vers. 22. et 25.

accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo; Iacobi primo [1]: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum ». Et ita, cum sim ego purus homo, non possum mihi attribuere, nisi quod mihi datum est; et propterea Christi officium non mihi attribuo, sed praeconis; primae ad Corinthios quarto: « Quid habes, quod non accepisti »?

31. (Vers. 28.). *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus;* supra primo [2]: « Et confessus est, quia non sum ego Christus ». *Sed quoniam missus sum ante illum,* tanquam vox ante verbum; supra primo: « Ego vox clamantis in deserto: Dirigite » etc.

Secundum. 32. (Vers. 29.). *Qui habet sponsam* etc. Ostendit hic secundo Christum sibi praepositum in *potentia baptizandi.* Illius enim est *baptizare,* cuius est *regenerare;* et illius *regenerare,* qui habet sponsam, ex qua generet. Propterea dicit: *Qui habet sponsam sponsus est,* et ex ea generare potest et baptizare; ad Ephesios quinto [3]: « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae ». Beda [4]: « Christus est sponsus, sponsa est Ecclesia de gentibus congregata; secundae ad Corinthios undecimo: Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo ». Illius igitur est regenerare; mei autem non est regenerare nec invidere, sed potius gaudere tanquam amici. Ideo subdit: *Amicus autem sponsi, qui stat,* per gratiam, *et audit illum,* per inspirationem internam, *gaudio gaudet propter vocem sponsi. Gaudio gaudet,* id est, plene gaudet, quia vult secum gaudere. *Amicus;* infra decimo quinto [5]: « Vos amici mei estis » etc. *Stat;* ad Romanos decimo quarto: « Suo Domino stat, aut cadit ». *Audit;* Psalmus: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus » etc. *Gaudio gaudet;* ad Philippenses ultimo: « Gaudete in Domino semper » etc. Et hoc modo gaudebat Ioannes tanquam amicus, non dolebat ut invidus [6]. Ideo dicit: *In hoc ergo gaudium meum impletum est,* id est perfectum, scilicet tunc gaudium est impletum, cum habet quod desiderat; infra decimo sexto [7]: « Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum ».

53. (Vers. 30.). *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hoc optimum est signum [8], cum quis gaudet de alterius exaltatione cum sua depressione. *Illum oportet crescere,* in morte, quia exaltatus in cruce; *me autem minui,* in amputato capite. Vel: *illum oportet crescere,* in fama, ut credatur Christus; *me autem minui,* ut qui credor Christus credar eius praecursor. Vel: *illum oportet crescere,* in baptizando et in numero discipulorum; *me minui,* quia baptismus eius et discipulatus eius in proximo cessare debebat, sed Christi e contrario ampliari. De hac ampliatione gaudebat Apostolus ad Philippenses primo [9]: « Sive per occasionem, sive per veritatem annuntietur Christus, in hoc gaudeo, sed et gaudebo ». Rationem autem, quare Christum oportet crescere, reddit, quia *desursum venit;* propter quod dicit:

Notandum. Expositio triplex. Ratio.

54. (Vers. 31.). *Qui desursum venit super omnes est;* Glossa [10]: « Ideo merito crescit », et propter hoc omnibus supereffertur; Psalmus: « Omnia subiecisti sub pedibus eius » etc.

Tertium. *Qui de terra est de terra loquitur.* Hic tertio praeponit sibi Christum in *praedicandi sapientia,* quia Ioannes ut terrenus de terrenis loqui poterat, sed Christus caelestia. Propterea dicit: *Qui de terra est de terra loquitur;* talis est Ioannes, qui in peccatis conceptus. *Qui de caelo venit super omnes est,* in dignitate docendi; Christus de caelo venit; primae ad Corinthios decimo quinto [11]: « Primus homo de terra terrenus, secundus de caelo caelestis »; ideo *de caelo,* quia spiritualis, quia sublimis Deitate; infra octavo: « Vos de deorsum estis, ego de supernis sum ». Et quia de supernis est, de supernis loquitur certitudinaliter. Propter quod dicit:

55. (Vers. 32.). *Et quod vidit et audivit, hoc testatur,* tanquam certus. *Vidit,* ut Dei sapientia, quia se ipso vidit; *audivit,* ut Filius accipiendo a Patre; infra decimo quinto [12]: « Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Et licet eius doctrina sit excellentissima, tamen a carnalibus despicitur. Propterea subdit: *Et testimonium eius nemo accipit,* id est nullus homo *mundanus;* infra de-

---

[1] Vers. 17. — Seq. locus est I. Cor. 4, 7.

[2] Vers. 20. — Mox pro *Sed quoniam* Vulgata *Sed quia.* Subinde allegatur Ioan. 1, 23.

[3] Vers. 25. seq., ubi Vulgata omittit *eam.*

[4] In Ioan. Evang. 3, 29: Ille est sponsus verus, sponsa vero sancta Ecclesia ex omnibus congregata gentibus, de qua Apostolus [II. Cor. 11, 2.] ait: *Despondi vos* etc.

[5] Vers. 14. — Tres seqq. loci sunt Rom. 14, 4; Ps. 84, 9. et Phil. 4, 4.

[6] Chrysost., in Ioan. homil. 29. (alias 28.) n. 2: Idcirco, quod putaret illos haec aegre ferre, se amicum sponsi dicit esse, ostendens, se non modo non aegre ferre, sed admodum gaudere... Si sponsa [populus] ad sponsum [Christum] non accederet, tunc dolerem; non vero nunc, cum nostra completa sunt etc.

[7] Vers. 24. — Superius pro *id est* multi codd. *et.* Chrysost., in Ioan. homil. 29. (alias 28.) n. 3: *Hoc ergo gaudium meum impletum est,* id est, perfectum est opus meum etc.

[8] Plures codd., ut F I K L, et ed. addunt *verae dilectionis.*

[9] Vers. 18. — Superius post *quia baptismus* ed. prosequitur *meus et discipulatus in proximo cessare debet* etc.

[10] Scilicet *interlinearis.* — Sequitur Ps. 8, 8.

[11] Vers. 47. — Seq. locus est Ioan. 8, 23.

[12] Vers. 15. — Superius pro *se ipso* C *a se ipso,* D *de se ipso,* ed. *se ipsum.*

cimo quinto[1]: « Et viderunt et oderunt et me et Patrem meum »; sed *spirituales*, qui accipiunt, de doctrina eius certi fiunt. Propterea dicit:

56. (Vers. 33.). *Qui autem acceperit*[2] *eius testimonium signavit, quia Deus verax est*, id est, tanquam sigillum in corde certitudinaliter imprimet.

57. (Vers. 34.). *Quem enim misit Deus verba Dei loquitur;* et sic verax est, sicut Deus; infra septimo[3]: « Si quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar ».

Non enim ad mensuram etc. Hic quarto praeponit Christum sibi in *gratiae excellentia*, quia omnes in gratia excellit, et ista excellentia est ratio praedictorum. Propterea dicit: *Non enim ad mensuram.* Vere dixi, quod ipse *est sponsus*, ipse *caelestia loquitur*, et *super omnes est: Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, scilicet Christo; non *ad mensuram certam*, sicut aliis[4]. Et rationem subdit: Quartum.

58. (Vers. 35.). *Pater enim diligit Filium et omnia dedit in manu eius;* Matthaei undecimo[5]: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo ». Et ideo nullus salvatur nisi per Filium. Propterea subdit:

59. (Vers. 36.). *Qui credit in Filium habet vitam aeternam*, in merito scilicet; *qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam*, non habebit gloriam, sed poenam. Unde dicit: *Sed ira Dei manet super eum;* infra duodecimo[6]: « Qui spernit me et non accipit verba mea habet qui iudicet eum », *ira*, scilicet vindictae, de qua Proverbiorum sexto: « Zelus et furor viri in die vindictae non parcet » etc.; vel *ira*, id est culpa originalis, per quam filius irae; ad Ephesios secundo: « Eramus natura filii irae ».

Quaestiones.

60. Quaest. I. Sed quaerit Chrysostomus[7] hic primo de hoc, quod Ioannes vocat se *sponsi amicum*, cum supra non fuerit ausus dicere se dignum servum; supra primo: *Cuius non sum dignus* etc.

Respondet Chrysostomus[8], quod responsiones aptantur interrogationibus; et supra Ioannes incitabatur ad *ambitionem;* et ideo se humiliavit et indignum servum vocavit. Hic incitatur ad *aemulationem;* et ideo se amicum vocat et gaudere de bono eius dicit. Resp.

61. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit Ioannes: *Qui de terra est de terra loquitur.* — Hoc dixit pro se, et videtur, quod inconvenienter dixerit; quia ipse non loquebatur *terrena*, sed *caelestia*.

Chrysostomus[9] respondet ad hoc, quod hoc non dixit *absolute*, sed *comparative;* non quia essent terrena, sed quia terrena erant comparata doctrinae Christi. — Augustinus[10] respondet, quod propositio illa intelligenda est secundum se sive cum reduplicatione: *Qui de terra est*, secundum quod terrenus, *loquitur de terra;* si autem de caelestibus, hoc est secundum quod spiritu imbutus, desursum venit. Resp. 1. Resp. 2.

62. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit: *De caelo venit* etc. — Videtur ex hoc, quod Christus non assumserit carnem humanam, sed caelestem; aut si humanam, quare non dicitur venire de terra ut alii homines?

Respondet Augustinus[11]: « *De caelo* sive desursum, hoc est de altitudine humanae naturae ante peccatum primi parentis ». — Sed hoc videtur consonare illi haeresi, quod aliqua particula mansit in Resp. 1. Difficultas.

---

[1] Vers. 24.

[2] Ita etiam card. Hugo, B. Albert., S. Thomas; Vulgata: *Qui accepit.*

[3] Vers. 17. Hunc locum ab ed. omissum e codd. supplevimus.

[4] Cfr. infra n. 63.

[5] Vers. 27.

[6] Vers. 48. — Duo seqq. loci sunt Prov. 6, 34. seq. et Eph. 2, 3.

[7] In Ioan. homil. 29. (alias 28.) n. 2: Quare qui ait [1, 27.]: *Non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti,* se amicum eius nunc dicit?

[8] Loc. cit., ubi tamen haec responsio aliis e hibetur verbis. — Inferius pro *ambitionem* ed. *abiectionem.*

[9] In Ioan. homil. 30. (alias 29.) n. 1. — Inferius ex D substituimus *comparata* pro *comparatione.*

[10] In Ioan. Evang. tr. 14. n. 6: Quomodo ergo [Ioannes] *de terra loquitur?* Sed de homine dicebat. Quantum ad ipsum hominem pertinet, *de terra est et de terra loquitur;* si autem aliqua loquitur divina, illuminatus est a Deo. Nam si non esset illuminatus, terra terram loqueretur etc. — Inferius pro *reduplicatione* plures codd. *duplicatione.*

[11] Haec verba habentur in Glossa *ordinaria* in hunc locum, quae a Strabone et etiam a S. Thoma (Catena aurea) tribuuntur *Alcuino*, a Magistro Sententiarum (III. Sent. d. XVI. c. 4.) autem *Augustino.* Glossa haec ait: « *Qui desursum*, id est de altitudine humanae naturae ante peccatum primi parentis, quia de illa altitudine assumsit Verbum Dei humanam naturam et non assumsit culpam, cuius assumsit poenam. Qui enim *de caelo*, id est de Patre, *venit*, duobus modis *super omnia est:* primo, super omnem humanitatem, quia de ipsa, priusquam peccaret, venit; secundo, iuxta altitudinem Patris, cui est aequalis ». Cfr. August., Serm. 362. (alias 121. de Diversis) c. 14. n. 16, ubi exponit, quomodo Christus sit homo de caelo caelestis, scil. quia ipse non terrenus est, id est non secundum terrenam concupiscentiam generatus et absque peccato. « Quamvis de terra Christus assumserit carnem... non tamen terrenus, sed caelestis homo et de caelo dicitur. Si enim suis hoc fidelibus per gratiam praestitit, ut recte dicat Apostolus [Phil. 3, 20.]: *Nostra enim conversatio in caelis est*, quanto magis ipse caelestis homo et de caelo dicendus est, in quo nullum unquam peccatum fuit. Propter peccatum enim dictum est [Gen. 3, 19.] homini: *Terra es et in terram ibis.* De caelo ergo caelestis homo ille rectissime dicitur, cuius conversatio de caelo nunquam recessit » etc. Cfr. de Fide ad Petrum (inter opera August.), c. 2. n. 15. Vide etiam III. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 3. et 4.

Adam incorrupta, quae per successiones usque ad Virginem traducta est, et de illa facta est caro Christi [1].

Propter hoc sane intelligendum est verbum,
Resp. quod illud dicitur per quandam *assimilationem*: quia, sicut caro in Adam ante peccatum fuit pura et sine macula, sic Christus carnem immaculatam assumsit. Et notandum, quod *terram* non vocat hic naturam *passibilem*, sed *corruptam* et generatam per corruptionem vitiosam [2], secundum quam non est Christus genitus, sed per virtutem divinam Spiritus sancti conceptus; ideo *desursum*.

63. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum.* — Aut intelligit de Christo secundum *divinam* naturam, aut secundum *humanam*; secundum *divinam* naturam non potest, quia ipse non recipit Spiritum, immo ab ipso [3] procedit. Si secundum *humanam*; *contra*: Gratia Christi hominis est creata; sed omnia creat Deus in certo *pondere, numero et mensura* [4], unde nihil creatum est infinitum: ergo ad mensuram.

Respondeo: Dicendum, quod est mensura *limitationis*, et est mensura *divisionis*. Mensuram limitationis voco, qua unumquodque creatum finitum est in sua *substantia* et *virtute* et limitatum. Mensuram *divisionis* voco determinationem alicuius ad aliquem actum, secundum illud primae ad Corinthios duodecimo [5]: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus*, quando scilicet gratia datur alicui ad aliquem effectum determinatum, sicut dicit Apostolus. Christus gratiam habuit ad mensuram *primo* modo, quia gratia eius non fuit infinita; *secundo* modo habuit non ad mensuram, quia non fuit in eo arctata ad aliquam operationem, sed ad omnem, sicut caput habet omnes sensus. Unde Chrysostomus [6]: « *Spiritum* hic dicit *actionem Spiritus*; haec enim est, quae dividitur ». Unde patet, quod loquitur de mensura per gratiarum divisionem. Resp. cum distinctione.

64. Quaest. V. Item de hoc quod dicit: *Qui credit habet vitam aeternam*; quia, si habet, non credit.

Respondeo: *Habere spiritualia* est per amorem; Resp.
et tunc perfecte habentur, quando perfecte amantur [7].

Capitulum IV.

Tertia manifestatio, quae facta est Samaritanis.

1. *Ut ergo cognovit Iesus* etc. Manifestavit se Dominus supra discipulis et Iudaeis; in hac parte manifestat se *Samaritanis*, et hoc praedicando et an-
Divisio. nuntiando eis verbum salutis. Et habet pars ista duas partes. In prima notatur *praedicandi opportunitas*; in secunda, *praedicationis forma*, ibi [8]: *Venit mulier de Samaria*, ubi Dominus Samaritanae incipit
Subdivisio. praedicare. — Opportunitas autem erat ex parte *loci*,
Primo, opportunitas. et haec quidem fuit duplex, scilicet ad *transeundum* et ad *quiescendum*.

2. (Vers. 1.). Tangitur ergo primo opportunitas
Expositio literalis. loci *ad transeundum*. Cum enim vellet ire a Iudaea
Ex parte loci opportunitas prima. in Galilaeam, necesse habebat transire per Samariam. Propterea dicit: *Ut ergo cognovit Iesus, quia audierant* [9] *Pharisaei*. Audierant, inquam, a discipulis Ioannis, qui tanquam invidi et detractores referebant; supra tertio: « Dixerunt: Omnes vadunt ad illum »; audierant, inquam, *quod Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Ioannes*. Et ex hoc manifestum erat eis, quod ipse erat maior et celebrior Ioanne [10], et iam eis manifestatus. Hoc audierunt, quia sic relatum fuerat.

3. (Vers. 2.). *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius*, ne provocarentur ad invidiam.

4. (Vers. 3.). *Reliquit Iudaeam et abiit iterum in Galilaeam*; quia semel abierat, supra primo [11]. Chrysostomus: « Recessit Dominus non timoris gratia, sed abscindens eorum livorem atque invidiam »; unde infra septimo: « Ambulabat Iesus in Galilaeam; non enim volebat in Iudaeam ire, quia quaerebant eum Iudaei interficere ». Sic facta praedicatione Iudaeis, ostendit se opportunitas praedicandi Samaritanis; unde dicit:

5. (Vers. 4.). *Oportebat autem, eum transire per mediam* [12] *Samariam*. Et sic aderat loci oppor-

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. in corp., ubi etiam August. dictum explicatur.

[2] Ed. contra codd. legit sic: *Et notandum, quod terram nominat hic naturam passibilem, non corruptam per generationem corruptione vitiosa.*

[3] In ed. additur *et Patre Spiritus sanctus.*

[4] Sap. 11, 21. [5] Vers. 4. seqq.

[6] In Ioan. homil. 30. (alias 29.) n. 2: Quid vero significat illud: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum?* Nos omnes, ait, ad mensuram Spiritus operationem accepimus; per *Spiritum* enim hic operationem intelligit; haec quippe ea est, quae distribuitur; hic vero totam illam sine mensura habet operationem. Cfr. III. Sent. d. 13. a. 1. q. 2. — Inferius post *divisionem* ed. addit *respectu nostri.*

[7] Cfr. infra c. 4. n. 27. et supra pag. 52, nota 2. — Responsio haec est secundum codd., quibus suffragatur etiam Gorranus; ed. autem sic habet: *Responsio: Habere sempiternam vitam nunc est in spe per amorem imperfectum; sed tunc perfecte habetur, quando perfecte amatur, scilicet in patria, ubi non creditur, sed habetur.*

[8] Vers. 7.

[9] Vulgata et C *audierunt.* — Sequitur Ioan. 3, 26: *Dixerunt ei* [Ioanni]... *et omnes veniunt ad eum.*

[10] Ed. *Ioannes*, quae etiam paulo superius pro *ipse erat* cum nonnullis codd. substituit *ipse esset.*

[11] Vers. 43. — Verba Chrysost. habentur in Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 1. Subinde allegatur Ioan. 7, 1.

[12] Vulgata omittit *mediam*, quod etiam exhibent card. Hugo, B. Albert., S. Thomas (Catena aurea). — Sequitur Luc. 17, 11.

tunitas ad transeundum; Lucae decimo septimo: « Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam ». Sicut transibat, sic redire oportebat.

Item, secunda. 6. (Vers. 5.). *Venit ergo.* Tangitur hic opportunitas loci *ad quiescendum,* quia lassus erat, et locus amoenus se offerebat; unde locum describit a civitate, cum dicit: *Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar; Sichar* in lingua Chaldaica, *Sichem* in Hebraea [1]. Haec est civitas, ubi Simeon et Levi occiderunt viros in ultionem stupri sororis, Genesis trigesimo quarto [2]. Et haec civitas erat, supple; *juxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph, filio suo;* Genesis quadragesimo octavo: « Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo ». Et hic locus opportunus erat ad *quiescendum,* quia amoenus. Propterea dicit:

7. (Vers. 6.). *Erat autem ibi fons Iacob,* id est, quem Iacob invenerat, secundum quod dicitur infra eodem [3]. Et Christus indigebat quiete; ideo dicit: *Iesus, fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem;* quia locus frigidus erat, et calor iam erat. Ideo subdit: *Hora autem* [4] *erat quasi sexta;* et ideo fatigatus erat longo itinere, ex ieiunio et calore. Unde ipse Dominus dicit in Psalmo: « Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus ».

Expositio allegorica. 8. *Allegorice. Iesus,* relicta Iudaea, *transit per mediam Samariam in Galilaeam;* quia, Iudaeis excaecatis, Christus migravit ad Patrem; *Galilaea* enim transmigratio interpretatur [5]; ad Romanos undecimo: *Caecitas contigit in Israel, ut plenitudo gentium intraret;* et Actuum decimo tertio: *Dixerunt Paulus et Barnabas* Iudaeis: *Vobis oportebat primum loqui verbum; sed quoniam repulistis illud et indignos vos iudicastis aeternae vitae; ecce, convertimur ad gentes. — Iesus, fatigatus ex itinere, sedet hora sexta;* quia Filius Dei carnem nostram cum poenalitatibus assumsit sexta aetate, sicut dicit Augustinus [6]; Ieremiae decimo quarto: *Quare sicut colonus futurus es in terra et sicut viator declinans ad manendum?* — Super puteum *aquae sedet;* quia super fluenta gratiae requiescit, ut effundat in se credentibus; infra septimo [7]: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

Christus fons gratiae. 9. Notandum, quod *Christus* dicitur *sedere supra fontem;* quia ipse est, in quo requiescit fons omnis gratiae; unde recte per *fontem illum* intelligitur; Genesis secundo [8]: *Fons ascendebat de terra et irrigabat universam superficiem terrae.* Iste est Christus, a quo procedit quadruplex flumen sive aqua, scilicet aqua *munditiae.* De hac aqua Ezechiel trigesimo sexto [9]: *Effundam super vos aquam mundam* etc.; et sic Christus dicitur *fons munditiae;* iste est baptismus; Zachariae decimo tertio: *Erit fons patens domui David et habitatoribus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae.* Baptismus enim mundat peccatorem et menstruatam, quia delet peccatum originale et actuale. — Aqua *sapientiae;* Ecclesiastici decimo quinto [10]: *Aqua sapientiae salutaris potavit illum;* et haec est sacra doctrina. Et sic Christus dicitur *fons sapientiae* Ecclesiastici primo: *Fons sapientiae, verbum Dei in excelsis.* Iste irrigat corda doctorum; Proverbiorum quinto: *Deriventur fontes tui foras* etc. — Aqua *gratiae;* de qua infra septimo [11]: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Et sic dicitur Christus *fons gratiae;* infra eodem: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* haec est gratia, Ieremiae secundo. — Aqua *vitae,* de qua infra eodem [12]: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Et sic dicitur Christus *fons vitae;* Psalmus: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen;* et Apocalypsis septimo: *Agnus deducet eos ad vitae fontes aquarum.*

Quadruplex aqua. Prima est munditiae. Secunda, sapientiae. Tertia, gratiae. Quarta, vitae.

Hae omnes a Christo procedunt. Omnes aquae istorum fontium procedunt a Christo; unde Isaiae duodecimo [13]: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* sed non procedunt nisi in humiles et valles; Psalmus: *Qui emittis fontes in convallibus,* id est in humilibus.

---

[1] Hieron., in Lib. Hebraic. Qq. in Gen. 48, 22: *Et ego dedi tibi Sicimam praecipuam super fratres tuos, quam accepi de manibus Amorrhaeorum in gladio meo et sagitta.* Sicima [vel Sichima] iuxta Graecam et Latinam consuetudinem declinata est. Alioquin Hebraice *Sichem* dicitur, ut Ioannes quoque evangelista testatur (4, 5.), licet vitiose, ut *Sichar* legatur, error inolevit, et est nunc *Neapolis,* urbs Samaritanorum. Cfr. Epist. 108. (alias 27.) n. 13.

[2] Vers. 25. seqq., ibid. 48, 22. est seq. locus, cuius versionem secundum Hieron. vide in nota praecedente. Cfr. Iosue 24, 32.

[3] Vers. 12. — Inferius post *Iesus* Vulgata addit *ergo.*

[4] Vulgata omittit *autem,* quod tamen exhibent card. Hugo, B. Albert. et S. Thomas. — Subinde allegatur Ps. 87, 16.

[5] Hieron., de Nominibus Hebraic. novi testam. ex Luca: *Galilaea,* volutabilis, aut transmigratio perpetrata, vel rota. — Duo seqq. loci sunt Rom. 11, 25: *Caecitas ex parte contigit* [codd. nostri *intravit*]... *donec plenitudo* etc.; et Act. 13, 46, ubi Vulgata *repellitis... iudicatis.*

[6] In Ioan. Evang. tr. 15. n. 9. et 83 Qq. q. 64. n. 2. De *sex* aetatibus cfr. Breviloq. Prolog. § 2. — Sequitur Ier. 14, 8.

[7] Vers. 38.

[8] Vers. 6, ubi pro *et irrigabat* Vulgata *irrigans.* De quatuor capitibus fluminis ib. v. 10. seqq.

[9] Vers. 25. — Seq. locus est Zach. 13, 1.

[10] Vers. 3. Pro *potavit* Vulgata *potabit.* — Duo seqq. loci sunt Eccli. 1, 5. et Prov. 5, 16.

[11] Vers. 38, ubi post *in me* Vulgata addit *sicut dicit Scriptura.* — Sequuntur Ioan. 4, 13. seq. (cfr. infra n. 21. 22.) et Ier. 2, 13: Me dereliquerunt, fontem aquae vivae etc.

[12] Vers. 13. — Duo loci seqq. sunt Ps. 35, 10. et Apoc. 7, 17.

[13] Vers. 3. Cfr. Prooem. in I. Sent. — Subinde allegatur Ps. 103, 10. August., in hunc locum (serm. 2. n. 10.): Colles et montes tumores terrarum sunt; valles autem vel convalles, humilitates terrarum. Noli contemnere humilitates; inde fluunt fontes: *Emittis fontes in convallibus.*

10. Nota, quod *diabolus* sedet super fontem *immunditiae*, de quo Levitici vigesimo [1]: *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo et revelaverit turpitudinem eius, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Mulier *menstrua* et *immunda* est caro nostra; cum illa coit qui eius desideriis satisfacit. — *Imitationis perversae;* Proverbiorum vigesimo quinto [2]: *Fons turbatus pede et vena corrupta, iustus cadens coram impio.* Impius enim, dum considerat in iusto mala et bona, relinquens bona, imitatur mala. — *Curiositatis vanae;* Ecclesiastici vigesimo sexto [3] dicitur de anima curiosa: *Sicut viator sitiens ad omnem fontem os aperiet et ex omni aqua bibet;* quia curiosi totum volunt scire et de omni sapientia tentare. — *Damnationis aeternae;* Apocalypsis octavo [4]: *Stella magna ardens cecidit in fontes aquarum, et nomen stellae dicitur absinthium;* quia diabolus de caelo empyreo incidit in summam calamitatem poenarum, ad quas trahit omnes suos potatores.

Ex opposito 4 aquae diaboli. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Quaestiones.

11. Quaest. I. Ad intelligentiam litterae primo quaeritur de hoc quod dicit: *Ut cognovit Iesus.* — Aut hoc dicit secundum *divinitatem*, aut secundum *humanitatem;* quocumque modo hoc dicat, videtur falsum, quia Christus omnia scivit a nativitate: ergo post nihil cognoscere incepit.

Respondetur ad hoc, quod sicut Christus dicitur *ignorare*, quia non facit nos scire, sicut de die iudicii [5]; sic dicitur aliquid *primo cognoscere*, quia cognoscere se primo ostendit. Unde hoc prius *novit*, sed tamen tunc primo *ostendit.* — Vel respondendum, quod Christus prius sciebat *praescientia*, sed postmodum scivit *relatione*: et hoc non erat inconveniens secundum humanam naturam [6].

Resp. Aliter.

12. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dominus reliquit Iudaeam* propter Pharisaeos iam cognoscentes. — Videtur, quod timuerit et quod fugerit.

Ad hoc respondet Chrysostomus [7], quod non timore, sed propter *scandalum* eorum vitandum et zelum *invidiae.*

Resp. 1.

Sed tunc *obiicitur:* 1. Quia « veritas doctrinae non est dimittenda propter *scandalum* [8] »; unde non dimisit eis dicere veritatem propter scandalum, in multis locis, ut Matthaei decimo quinto; quare nunc propter scandalum dimittit?

Obiicitur et quaeritur.

2. Item, si propter *invidiam;* quaero: quare magis invidebant Christo quam Ioanni, cum Ioannes similiter baptizaret?

Respondeo: Dicendum, quod triplici ex causa reliquit Iudaeam, scilicet propter *scandalum vitandum*, propter *fructum augendum* et propter *exemplum dandum.* Propter *scandalum*, ne Iudaei efficerentur per zeli accensionem peiores; sed haec non fuit tota causa, immo etiam propter *fructum*, quia ibi parum profecisset et alibi multum profecit; et tunc relinquenda est praedicatio propter scandalum, quando alibi plus fructificari potest. Propter *exemplum* etiam dimisit, sicut dicit Augustinus [9], ut ostendat nobis, esse licitum persequentium furorem declinare.

Resp. 2. ad 1. Ratio triplex.

2. Quod quaerit: quare magis persequebantur Christum quam Ioannem? responsio est, quia Ioannes non baptizabat in nomine suo, sed in nomine Christi venturi, Christus vero in nomine suo; unde docebat et baptizabat sicut potestatem habens [10]. Quoniam igitur Pharisaei invidi nullum volebant habere superiorem, ideo magis invidebant.

Ad 2.

13. Quaest. III. Item quaerit Augustinus [11]: Quomodo dicit Evangelista: *Fons Iacob*, cum infra dicatur *puteus?*

Respondet Augustinus [12], quod « omnis *puteus* est *fons*, sed non convertitur. Ubi enim emanat aqua de terra in superficie, est tantum *fons;* ubi in profundo, et *fons* et *puteus* dicitur ».

Resp.

14. *Venit mulier de Samaria.* Determinata opportunitate praedicandi [13], determinatur hic *manifestatio* facta per praedicationem. Et quia manifestatio haec primo facta est *specialiter*, secundo vero *communiter;* ideo primo agitur de praedicatione facta *mulieri;* secundo, de praedicatione facta *Samaritanis*, ibi [14]: *Reliquit ergo mulier hydriam suam* etc.

Secundo, praedicationis forma. Divisio.

Et quia non est efficax praedicatio fidei nisi cum consensu liberi arbitrii; et liberum arbitrium non consentit, nisi excitetur a Deo [15]: ideo Dominus primo mulierem *excitat;* secundo, excitatae et con-

Primo, manifestatio specialis. Subdivisio in 2 membra.

---

[1] Vers. 18. — Superius post *super fontem* ed. addit *quia in ipso est fons.*

[2] Vers. 26. — Inferius ed. omittit *relinquens bona.*

[3] Vers. 15, ubi Vulgata omittit *omnem*, et subinde legit *et ab omni aqua proxima bibet.* — E codd. supplevimus *dicitur de anima curiosa.*

[4] Vers. 10. et 11, ubi a Vulgata plura interiiciuntur. — A cod. E (prima manu) omittuntur quae in n. 9. et 10. habentur, a secunda manu tamen adiuncta sunt.

[5] Matth. 24, 36. et Marc. 13, 32. Cfr. IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 4. ad 1.

[6] Vide III. Sent. d. 14. a. 3. q. 2.

[7] In Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 1. Cfr. supra n. 4.

[8] Cap. *Qui scandalizaverit*, X. (lib. V. tit. 41. c. 3.) de Regulis iuris: Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda (secundum Bedam, in Marc. 9, 41.). — Sequitur Matth. 15, 12. seqq., ubi discipuli dixerunt Christo: Scis, quia Pharisaei audito verbo hoc scandalizati sunt?... Sinite illos, caeci sunt etc. — E codd. supplevimus: *unde non dimisit... scandalum.*

[9] In Ioan. Evang. tr. 15. n. 2.

[10] Respicitur Matth. 7, 29: Erat enim docens eos sicut potestatem habens etc. — Propositionem seq. omittit ed.

[11] In Ioan. Evang. tr. 15. n. 5.

[12] Loc. cit.

[13] Ed. *opportunitate loci ad praedicandum.*

[14] Vers. 28.

[15] Cfr. Breviloq. p. V. c. 2. et 3.

sentienti *veritatem fidei annuntiat*, ibi [1]: *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam* etc. —

De 1. membro tria. Excitat igitur Dominus mulierem hoc ordine, scilicet primo *petendo obsequium;* secundo, *promittendo* vel offerendo *beneficium;* tertio, *explicando beneficium oblatum.*

Expositio litteralis. Primum. 15. (Vers. 7.). Primo excitat *postulando obsequium potus*, quem mulier ministrare poterat, quia aquam haurire venerat. Propterea dicit: *Venit mulier de Samaria haurire aquam;* et ita potum dare poterat, et Christus indigebat et ideo petebat. Ideo sequitur: *Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.* Indigebat quidem potu, quia non erat qui ministraret; unde dicit:

16. (Vers. 8.). *Discipuli autem* [2] *eius abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Bene dicit *emerent*, non gratis quaererent, quia non fuisset ibi qui daret; unde dicitur Lucae nono: « Intraverunt discipuli in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi; et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem ».

Secundum. 17. (Vers. 9.). *Dicit ergo ei mulier.* Hic secundo excitat eam *promittendo* vel offerendo *beneficium;* quia mulier considerans, ipsum esse Iudaeum, noluit impendere obsequium, sed magis quaestionem ingerit. Propterea ait: *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana*, a qua scilicet potum petiverat: *Quomodo tu, Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana?* « Ipsum esse Iudaeum ex habitu cognovit », ut Glossa [3] dicit. Et rationem huius quaestionis subiungit Evangelista: *Non enim coutuntur Iudaei Samaritanis*, ipsos immundos reputantes, quia gentiles erant; unde Genesis quadragesimo tertio [4]: « Illicitum est Aegyptiis comedere cum Hebraeis, et profanum putant huiuscemodi convivium ». Quia ergo mulier non fuerat mota ad obsequium faciendum, allicit eam Dominus promittendo beneficium; propter quod dicit:

18. (Vers. 10.). *Respondit Iesus et dixit ei: Si scires donum Dei. Donum Dei* est Spiritus sanctus, de quo Actuum secundo [5]: « Poenitemini, et baptizetur unusquisque vestrum, et accipietis donum sancti Spiritus ». Spiritus sanctus dicitur *donum*, quia non debet vendi; Actuum octavo: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri ». Si hoc, inquam, cognosceres, *et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere*, quoniam scilicet ipse dator sancti Spiritus; non fecisses quaestionem, sed doni postulationem. Ideo dicit: *Tu forsitan petisses ab eo; forsitan* non est nota dubitationis, sed libertatis arbitrii [6]; et ille petitioni tuae satisfecisset. Ideo dicit: *Et ille dedisset tibi aquam vivam; tibi*, petenti, *dedisset;* Matthaei septimo [7]: « Omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur ». *Aquam vivam* vocat gratiam fidei, quae vivere facit; Habacuc secundo: « Iustus meus ex fide vivit ».

Tertium. 19. (Vers. 11.). *Dicit ei mulier.* Tangitur hic tertium, scilicet *explicatio doni* vel beneficii oblati. Mulier enim carnaliter de dono temporali intelligebat; et propterea dubitabat et explicari petebat. Propter hoc ait: *Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est;* et ideo non potes dare de aqua putei huius; sed etiam aliunde quomodo habere potes? Unde sequitur: *Unde ergo habes aquam vivam?* ista scilicet nobiliorem.

20. (Vers. 12.). *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob?* Simile infra octavo [8]: « Nunquid tu maior patre nostro Abraham »? *Qui dedit nobis puteum;* ideo dedit, quia invenit. De hoc puteo Genesis vigesimo nono: « Profectus est Iacob, venit in terram orientalem et vidit ibi puteum, cuius os grandi lapide claudebatur ». Nec tantum aliis dedit, sed etiam ad proprium usum habuit, quasi meliorem non habens. Ideo dicit: *Et ipse ex eo bibit et filii eius et pecora eius.* Habetur Genesis vigesimo nono [9], quod Iacob ibi adaquavit pecora. Mulier ergo, carnaliter intelligens et Domini potentiam nesciens, non alliciebatur. Ideo explicat Christus donum; ideo dicit:

21. (Vers. 13.). *Respondit Iesus et dixit ei: Omnis, qui biberit ex aqua hac*, scilicet visibili et materiali, *sitiet iterum;* et ideo non est magnum hanc dare, nec ego hanc promitto. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum;* infra sexto [10]: « Qui credit in me non sitiet in aeternum ». Et ratio subditur, quare non sitiet:

22. (Vers. 14.). *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam; salientis*, quia illuc salire facit, ubi est fons *indeficiens;* Psalmus [11]: « Apud te est fons vitae » etc.; fons etiam *perfecte reficiens;* unde in Psalmo: « Inebria-

---

[1] Vers. 15.

[2] Ita etiam S. Thomas in Catena aurea; Vulgata et B *enim*. — Sequitur Luc. 9, 52. seq.

[3] Scilicet *interlinearis*. Chrysost., in Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 4: « Et unde illum Iudaeum esse novit? Ex habitu (σχήματος) forte, aut ex sermone ». Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 58: Cognoscens ex fimbriis pallii, Dominum Iudaeum esse.

[4] Vers. 32.

[5] Vers. 38. Vulgata: Poenitentiam, inquit, agite etc.; deinde aliqua addit. — Seq. locus est ibid. 8, 20. Cfr. supra c. 2. n. 25. et n. 29.

[6] B. Albert., in hunc locum: *Tu forsitan;* hoc non dubitando est dictum, sed propter liberi arbitrii mobilitatem in muliere, quod Deus in nullo cogit etc. Cfr. infra 5, 46. et supra in Sap. 13, 6.

[7] Vers. 8. — Sequitur Habac. 2, 4: Iustus autem in fide sua vivet. Cfr. Hebr. 10, 38.

[8] Vers. 53. — Subinde allegatur Gen. 29, 1. seq.

[9] Vers. 11: Et adaquato grege etc.

[10] Vers. 35. Vulgata: sitiet unquam. — Inferius pro *quare* plures codd., ut D E F I K L M N, *vere*.

[11] Psalm. 35, 10. — Duo seqq. loci sunt Ps. 35, 9. et Isai. 55, 1; ubi Vulgata: qui non habetis etc. — Superius pro *indeficiens* non pauci codd. *sufficiens*.

buntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos ». Ad hanc aquam invitat Dominus Isaiae quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes, venite ad aquas; et qui non habet argentum » etc.

Epilogus. — Sic igitur mulierem excitavit *petendo obsequium, offerendo beneficium, explicando donum oblatum.*

QUAESTIONES.

23. Quaest. I. Quaeritur hic: cum Dominus praecipiat discipulis suis, ut in *civitates Samaritanorum* non ingrediantur nec *in viam gentium*, Matthaei decimo [1], et etiam Matthaei decimo quinto dicat: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel;* unde est hoc, quod Dominus modo praedicat Samaritanis? Videtur enim contraire praecepto suo, et ex hoc malum exemplum dare.

Resp. RESPONDEO: Dicendum, quod hoc Dominus discipulis prohibuit, non quia malum esset, sed ne Iudaeos, ad quos primo venerat, scandalizaret. Ideo praecepit, quod non ex proposito principali ad eos irent, unde nec Dominus se ingessit. Sed quia *vult, omnes homines salvos fieri* [2], et opportunitas se obtulit, et mulier ad eum venit; ideo verbum praedicationis aperuit.

24. Quaest. II. Item quaeritur: 1. Cum Iudaei reputent Samaritanos immundos, et Dominus Legem custodiebat; unde est hoc, quod a Samaritana bibere petebat?

2. Praeterea, ipse sciebat eius responsionem, antequam peteret; et sciebat, quod ipsa potum non daret: ergo frustra et stulte petebat.

Resp. Respondet Chrysostomus [3], quod Dominus reputabat pro indifferenti huiusmodi observantias custodire, ut dicitur Matthaei decimo quinto, quod nihil extrinsecum inquinat hominem; et ideo non dimisit petere ab illa, quamvis esset Samaritana.

Ad 2. 2. Quod obiicis, quod sciebat, quod non daret; dicendum, quod sciebat, quod ei prudenter responderet, et ut ex illa responsione occasionem docendi haberet, ideo petiit.

25. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *discipuli iverant in civitatem, ut cibos emerent.*

CONTRA: 1. Discipuli erant Iudaei: ergo non debebant Samaritanis communicare.

2. Item, Dominus praecepit eis, ut non habeant argentum, Matthaei decimo [4]; quomodo igitur iverunt emere, si pecuniam non habebant?

Resp. RESPONDEO: Dicendum, quod discipuli didicerant a Domino, nihil esse immundum vel [5] commune. — Vel dicendum, quod aliqui cibi erant indifferentes quoad Iudaeos et Samaritanos, ut panis et poma; et tales cibos iverant emere.

Ad 2. 2. Quod obiicit, quod non habebant, unde emerent; dicendum, quod non adhuc missi erant miracula facere et praedicare. — Praeterea erant in terra ignota, ubi panem et alios cibos gratis non invenirent; ideo pro necessitatis tempore argentum portabant.

26. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod mulier dicit: *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob? — Contra:* Ex hoc videtur implicare, quod Iacob esset pater Samaritanorum; et hoc falsum est, quia ipsi missi fuerant a rege Assyriorum [6].

Pater dicitur quadrupliciter. RESPONDEO: Dicendum, quod *pater* aliquando dicitur propter *temporis antiquitatem*, sicut dicimus senes viros *patres;* aliquando *auctoritate,* sic praelatos et viros authenticos dicimus *patres;* aliquando *beneficio* vel *educatione,* sic *patres* dicimus, a quibus beneficia percipimus; aliquando *generatione,* sic illos qui genuerunt [7]. Mulier dicit Iacob *patrem* tribus rationibus praehabitis.

27. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. — Contra:* Aut intelligit de siti *corporali,* aut de *spirituali;* si de *corporali,* falsum, quia sitiunt qui gratiam habent; si de *spirituali,* adhuc falsum videtur; Ecclesiastici vigesimo quarto [8]: « Qui bibunt adhuc sitient ».

Resp. RESPONDEO: Dicendum, quod de siti spirituali loquitur [9]. Quaedam enim sitis est *non habiti,* ut habeatur; quaedam *habiti,* ut amplius habeatur; quaedam est *perfecte habiti,* ut continuetur. Prima est in concupiscentia; secunda, in gratia; tertia vero, in gloria. Hic loquitur de prima siti, ideo etc. Sitis enim gratiae non est rei *non habitae;* quia, sicut dicit Augustinus [10], qui habet donum aeternum, amando habet, licet non *perfecte.* Sitis triplex.

28. *Dicit ad eum mulier* etc. Excitavit Dominus mulierem ad consentiendum; hic iam mulieri consentienti et petenti *verbum fidei proponit ad cre-*

---

[1] Vers. 5: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; ibid. 15, 24. est seq. locus. — Inferius e codd. supplevimus *Videtur enim... dare.*

[2] Epist. I. Tim. 2, 4. — Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 2.

[3] In Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 4. — Inferius allegatur Matth. 15, 11: Non quod intrat in os coinquinat hominem; v. 20: Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.

[4] Vers. 9: Nolite possidere aurum neque argentum etc.

[5] Ed. *sed.* Cfr. Act. 10, 14: Nunquam manducavi omne commune et immundum.

[6] Vide IV. Reg. 17, 24. seqq. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 2.

[7] Ed. cum nonnullis codd. *qui nos genuerunt;* eadem ed. inferius voci *tribus* praemittit *primis.*

[8] Vers. 29: Qui bibunt me etc.

[9] Cod. D *intelligit.*

[10] Libr. 83 Qq. q. 35. per totam, ex qua supra pag. 52, nota 2. nonnulla attulimus. Cfr. supra c. 3. n. 64. Libr. de Utilitate credendi, c. 15. n. 33, August. dicit, quod « adipisci certissimum ac summum bonum nemo possit, nisi id plene perfecteque dilexerit ». Cfr. I. de Doctr. christiana, c. 38. n. 42, et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 1, ubi discrimen inter delicias corporales et spirituales exponitur. — Pro *donum aeternum* E N *bonum aeternum,* D omittit *aeternum.*

De 2. membro tria.

dendum. Quia mulier, etsi esset excitata, non tamen erat illuminata; ideo Dominus non statim verbum fidei proponit, sed hoc ordine procedit: primo *revelat secretum;* secundo *manifestat dubium;* tertio vero *aperit fidei sacramentum.*

Expositio literalis. Primum.

29. (Vers. 15.). Mulieri igitur iam petenti aquam ita promissam et ex hoc consentienti *revelat secretum;* propter quod ostendit petitionem mulieris: *Dicit ei*[1] *mulier* etc. Ita promiserat ei Dominus aquam indeficientem; hanc petit mulier: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire.* Et sitis erat ei poenalis et labor hauriendi; et ideo petebat donum Dei, quia, sicut dicit Gregorius[2], « mala, quae nos hic premunt, ad Deum ire compellunt ». Propterea Dominus vocat oppressos Matthaei undecimo: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ». Mulieri igitur sic petenti Dominus *aperit secretum,* sed non statim, ne indignetur, quia conviciosum; sed occasionem dicendi quaerit, unde sequitur:

30. (Vers. 16.). *Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum,* non per matrimonium, sed per abusum, *et veni huc.* Non hoc dicebat, quia crederet, eam habere virum, sed ut respondenti secretum de viro revelet. Unde:

31. (Vers. 17.). *Respondit mulier et dixit: Non habeo virum.* Ex hac veraci responsione Dominus, occasione accepta, subdit secreti revelationem. Unde et sequitur: *Dicit ei Iesus: Bene dixisti; non habeo virum,* quia verum confessa est.

32. (Vers. 18.). *Quinque enim viros habuisti,* ecce, revelat praeterita, *et hunc quem habes, non est tuus vir; hunc,* id est *hic;* antiptosis est[3]. Revelat praesentia, et ut non indignetur, verum commendat: *Hoc vere dixisti.* In quo traditur forma praedicatoribus, ut, cum volunt audientibus dicere aspera, immisceant et dulcia; unde Paulus hanc formam servabat primae ad Corinthios undecimo[4]: « Laudo, inquit, vos? in hoc non laudo »; non enim omnino reprehendebat.

Expositio mystica.

33. *Mystice. Mulier* est pars inferior rationis; *vir* eius naturalis et legitimus est pars superior, recte diiudicans; primae ad Corinthios undecimo[5]: *Vir est imago et gloria Domini, mulier autem est gloria viri.* — Haec mulier reprehenditur, quod habuit *quinque viros,* quando quinque carnis sensibus in infantia deservivit, qui ei principabantur tanquam viri[6]. *Pueri* sunt qui sequuntur desideria iuvenilia, propter quod dicit Apostolus secundae ad Timotheum secundo[7]: *Iuvenilia desideria fuge.* Haec desideria iuvenilia, etsi videantur dulcia, tamen sunt aspera; unde significantur per quinque iuga boum; Lucae decimo quarto: *Iuga boum emi quinque,* scilicet quinque sensuum gravia desideria. — Primus vir, *gustus;* huic serviunt gulosi, in quorum persona Ecclesiastae secundo[8]: *Melius est comedere et bibere et ostendere animae suae bona;* Isaiae vigesimo secundo: *Comedamus et bibamus.* — Secundus, *tactus;* huic serviunt *luxuriosi,* in quorum persona Sapientiae secundo[9]: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae.* — Tertius, *olfactus;* huic deserviunt *deliciosi,* in quorum persona dicitur Sapientiae secundo[10]: *Unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis* etc. — Quartus, *visus;* huic deserviunt *avari;* Ecclesiastici decimo quarto[11]: *Insatiabilis est oculus cupidi in partem iniquitatis; non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.* — Quintus, *auditus;* huic deserviunt *curiosi;* Actuum decimo septimo[12]: *Athenienses ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.*

De quinque sensibus.

Redarguitur de viro sexto *non suo.* Hic vir est *error,* quo anima abducitur et seducitur. Hoc igitur

---

[1] Vulgata *ad eum.* — Superius verbo *ostendit* plures codd. praefigunt *Dominus,* D vero post *mulieris* supplet *Evangelista;* ed. legit *Propter quod audit petitionem mulieris dicentis.*

[2] Haec sententia formata videtur ex iis quae Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 9, proponit in explicatione parabolae de invitatis ad coenam, qui se excusarunt; ubi dicitur (Luc. 14, 23.): *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Ibi Gregor. inter alia dicit: Qui ergo huius mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt atque a praesentis vitae desideriis corriguntur, quid isti, fratres mei, nisi compelluntur, ut intrent? Cfr. III. Moral. c. 9. n. 15. et XXIII. c. 24. n. 46. seq. August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 17: Ad laborem indigentia cogebat [Samaritanam], et laborem infirmitas recusabat. Utinam audiret [Matth. 11, 28.]: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* etc.

[3] Hilar., II. de Trin. n. 31: « Cui [Domino] post multum sermonem aquae vivae et quinque virorum et nunc eius qui esset *alienus,* mulier respondit: *Domine, animadverto, quod propheta es* » etc. Simili modo exponit August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 20. Alii autem censere videntur, etiam quinque viros fuisse illegitimos; sic Cyrill. Alexandr., in hunc locum: Utiliter autem responsum eius probat, quo dixit, virum se non habere, tametsi a tam multis fuerat corrupta etc. — In prima explicatione manifeste est *realis antithesis.* Si quis verba *antithesis est* velit referre ad illam substitutionem accusativi pro nominativo, tunc *antithesis* esset *figura grammaticalis,* qua, ut dicit Forcellini, « *littera* [et hic *casus*] ponitur pro littera ». — Pro *hunc* Vulgata (ed. recentior) et alii communiter et recte *nunc.*

[4] Vers. 22.

[5] Vers. 7, ubi Vulgata *Dei* pro *Domini.* Cfr. II. Sent. d. 16. a. 2. q. 2. ad 1. 2, ubi in nota adiecta allati sunt loci, in quibus August. eandem dat expositionem, de qua cfr. ibid. lit. Magistri, d. XXIV. c. 5. seqq.

[6] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 21. seq.

[7] Vers. 22. — Seq. locus est Luc. 14, 19. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 4: Quid in quinque iugis boum nisi quinque corporis sensus accipimus? — Superius pro *iuvenilia* E N *sensibilia.* Quae sequuntur post verbum Apostoli II. Tim. 2. usque ad *Redarguitur* omittuntur ab E primitus, sed ab altera manu addita sunt.

[8] Vers. 24: Nonne melius... bona de laboribus suis? — Sequitur Isai. 22, 13.

[9] Vers. 8. seq.

[10] Vers. 7. seq.

[11] Vers. 9, ubi pro *in partem* Vulgata *in parte.*

[12] Vers. 21. Cfr. supra pag. 16, nota 1.

errore reiecto, hortatur Dominus, ut vocet *virum*, id est naturale rationis iudicium, ut possit fidei sacramenta percipere, et non sit *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* [1]. Tali animae dat Dominus *aquam salientem in vitam aeternam.* Haec est aqua *gratiae*, quae a Deo descendit; ideo ad Deum salire facit; proprietas enim aquae est, ut tantum ascendat, quantum descendit [2].

Expositio literalis. Secundum.

34. (Vers. 19.). *Dicit ei mulier.* Tangitur hic secundum; postquam enim revelavit secretum, *manifestat dubium.* Mulier enim videns, quod Dominus esset cognitor secretorum, suam dubitationem terminandam proponit; propter quod ait: *Dicit ei mulier: Domine, video, quia propheta es tu*, quia scilicet nosti secreta, et ita potes respondere dubitationi [3].

35. (Vers. 20.). *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, scilicet Abraham et Iacob [4]; *et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Si igitur patres sunt imitandi, quomodo ergo vos hoc dicitis, quasi morem patrum contemnentes? Hoc dicebant Iudaei propter illud Deuteronomii duodecimo [5]: « Cave, ne in omni loco offeras Domino, sed in loco, quem elegerit Dominus ». Huius quaestionis dubio Dominus satisfacit, ostendens, quod neque ibi neque in Iudaea perfecte adorabant; ideo ait:

36. (Vers. 21.). *Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, quia veniet* [6] *hora, quando neque in monte hoc neque Ierosolymis adorabitis Patrem.* Ista hora est *tempus gratiae*, in quo debet evacuari error gentilium et umbra mandatorum legalium. De hac hora ad Romanos decimo tertio [7]: « Hora est iam nos de somno surgere; nox praecessit, dies autem appropinquavit » etc. Haec hora locum orationis non determinat alicubi, sed ubique; primae ad Timotheum secundo: « Volo, viros orare in omni loco, levantes puras manus » etc. Et licet nec hic nec Ierosolymis perfecte nunc adoretur, tamen melius Ierosolymis. Ideo dicit:

37. (Vers. 22.). *Vos adoratis quod nescitis;* quia Legem non habetis; item, Deum simul et idola colitis et Deum localem creditis; quarti Regum decimo septimo [8] dicitur de Samaritanis, quod serviebant Deo terrae et idolis suis. *Nos adoramus quod scimus; nos*, scilicet Iudaei; *quia salus ex Iudaeis est*, id est Christus salvator; ad Galatas tertio: « Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius ». Quia ergo nec Ierosolymis perfecte adoratur, docet mulierem, quando et quomodo perfecte adoretur, ne eam detineat in suspenso. Ideo dicit:

38. (Vers. 23.). *Sed venit hora.* Dixi, quod non perfecte adoratis, quia Deum *localem* creditis; nec Iudaei perfecte, quia *sub figuris. Sed venit hora*, scilicet gratiae, *et nunc est*, quia Christus iam venerat; *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate: in spiritu*, contra localitatem et corpulentiam; *in veritate*, reiecta umbra; secundum quod dicebat Apostolus secundae ad Corinthios tertio [9]: « Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, transformamur in eandem imaginem a claritate » etc. Quod sint isti veri adoratores, ostendit dicens: *Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum;* supple: sicut dictum est, *in spiritu et veritate.* Notandum.

39. (Vers. 24.). *Spiritus est Deus*, non corpus, ut vos creditis; Isaiae quadragesimo [10]: « Cui similem existimastis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei »? *Et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* ut sic ei conformentur, ut sint in *spiritu*, non in carne; ad Romanos octavo: « Qui in carne sunt Deo placere non possunt »; sint in *veritate*, non in fictione; Sapientiae primo: « Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum ».

Tertium.

40. (Vers. 25.). *Dicit ei mulier.* Hic iam tertio, ex quo manifestavit dubium, *aperit fidei sacramentum.* Mulier enim, a Domino instructa, ad Christum et tempus gratiae oculum considerationis elevat; propter quod ait: *Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia* [11]. Sciebat hoc mulier; quia Samaritani Legem admittebant, credebant, maxime quia Christus in Lege promittebatur non tantum Iudaeis, sed et gentibus; Genesis quadragesimo nono [12]: « Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium ». Ex quo igitur mulier per-

---

[1] Psalm. 31, 9. — Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 22: Hic vir [intellectus sive mens, quae illuminatur luce superiore, ibid. n. 19. et 21.] quinque illis viris in ista muliere non successerat. Ubi enim non succedit ille, error dominatur. Nam cum coeperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab errore... Error autem iste non erat legitimus vir, sed adulter; ideo ei Dominus ait: *Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti* etc. Cfr. Origen., in Ioan. tom. 13. n. 9.

[2] Vide infra 7, 39. quaest. I. et Prooem. in I. Sent.

[3] E codd. supplevimus *quia scilicet... dubitationi.*

[4] Samaritani enim dicunt, in monte Garizim adorasse Abraham ibique filii sui sacrificium parasse (cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 32. alias 31. n. 2.); a Iacobo, e Mesopotamia reduce, in eodem monte altare positum fuisse, et iuxta ipsum in Sichem habitasse (Gen. 33, 18. seqq.). Origenes, in Ioan. tom. 13. n. 12, allegat Deut. 27, 12: Et stabunt ad benedicendum populo super montem Garizim, Iordane transmisso, Simeon, Levi etc.

[5] Vers. 13. et 14: Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo quem etc.

[6] Ita etiam card. Hugo et B. Albert., Vulgata *venit.*

[7] Vers. 11. seq. — Sequitur I. Tim. 2, 8. Non pauci codd.: *Volo, viros in omni loco levare* etc.

[8] Vers. 33. et 41. — Seq. locus est Gal. 3, 16, in quo pro *dictae* plures codd. *datae.*

[9] Vers. 18.

[10] Vers. 18, ubi Vulgata et C: Cui similem fecistis Deum etc. — Duo seqq. loci sunt Rom. 8, 8. et Sap. 1, 5.

[11] Codd. legunt: *Scio, quod Messias venit, et ille nobis annuntiabit omnia.*

[12] Vers. 10. — Superius pro *quia Christus* non pauci codd. satis bene *quod Christus.*

ducta est usque ad Christum et in eum iam parata credere; quid restat, nisi ut Dominus aperiat ei se ipsum? Propter hoc sequitur:

41. (Vers. 26.). *Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Similiter Dominus respondit caeco infra nono [1], cum caecus quaereret, quis esset Dei Filius, in quem deberet credere, Dominus respondit: « Vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est ». Iam fide pronuntiata, terminatur praedicatio et colloquium, quia discipuli revertuntur. Ideo subdit:

42. (Vers. 27.). *Et continuo venerunt discipuli eius et mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Admirabantur eius clementiam et dignationem; Augustinus [2]: « Bonum admirabantur, non malum suspicabantur ». Et haec admiratio non duxit in quaestionem, sed in reverentiam et timorem. Ideo dicit: *Nemo tamen dixit ei* [3]*: Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea? Quid quaeris?* quasi, quae est huius locutionis necessitas? *Quid loqueris?* quae scilicet est huius locutionis utilitas? « Verbum enim, quod caret ratione iustae necessitatis vel piae utilitatis, ut dicit Gregorius [4], otiosum est ».

Quaestiones.

43. Quaest. I. Incidit hic quaestio primo de hoc quod dicit: *Venit hora, quando neque in monte hoc neque Ierosolymis adorabitis Patrem.*

1. Si hoc verum est: ergo non deberent construi templa ad orationem.

2. Item, si eos qui adorant, *in spiritu* oportet adorare: ergo peccant, qui ad orandum faciunt imagines corporales.

Respondeo: Dicendum, quod conditiones orationis quaedam sunt *essentiales*, ut recta intentio et iusta petitio; quaedam *accidentales*, ut tempus et locus. Dico igitur, quod Dominus non dixit, locum determinatum ab oratione vera esse resecandum ut superfluum; sed cognoscendum, non esse de orationis essentia, quia veri adoratores ubique Deum adorant. Et licet non sit *necessarius* locus, non tamen est *superfluus;* valet enim ad *memoriam* habendam, ad *devotionem* excitandam, ad *unitatem* servandam, ad *societatem Angelorum* obtinendam, quia *praevenerunt principes coniuncti psallentibus* [5].

Resp. ad 1. cum distinctione.

Notandum.

2. Quod obiicit de imaginibus, dicendum, quod modo non obsunt, quia non creditur, aliquid in eis esse *divinum,* nec Deum esse ibi *corporaliter,* sed solum *significative* [6].

Ad 2.

44. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod Dominus de se et [7] de Iudaeis dicit: *Nos adoramus quod scimus. — Contra:* Infra octavo [8]*: Neque me scitis neque Patrem meum* scitis, dicit Dominus Iesus Iudaeis.

Respondeo: Infra de infidelibus intelligit, qui erant Iudaei solo nomine; hic autem de Iudaeis veris loquitur, qui re et merito *Iudaei* appellantur [9].

Resp.

45. Quaest. III. Item quaeritur: cum « verbum abbreviatum fecerit Dominus super terram [10] »; unde hoc est, quod Samaritanam per tot verba protraxit?

Respondet Chrysostomus [11], quod si statim dixisset mulieri: Ego sum Christus, videretur delirare; et ideo paulatim tanquam bonus doctor provexit et nobis exemplum tribuit, ut non dedignemur paucis auditoribus praedicare, quando ipse uni vetulae tam longum sermonem fecit.

Resp.

46. Quaest. IV. Item quaeritur: cum discipuli dubitarent, et Petrus audacter soleret a Domino quaerere [12]; quare non quaesierunt a Domino, quid loqueretur?

Ad hoc est responsio, quod si quaesissent, viderentur iam ipsum habere suspectum; ideo timebant argui de stulta quaestione et de indisciplina; et ideo non fuerunt ausi quaerere.

Resp.

47. *Reliquit ergo hydriam suam* etc. Iam terminata est pars, in qua Dominus praedicavit et se ostendit mulieri Samaritanae singulariter et private; hic incipit secunda pars, in qua Dominus *communiter Samaritanis* praedicat et eis se ipsum manifestat. Et quia haec manifestatio partim facta est praeconio mulieris, partim sermone Christi, et hoc discipulis audientibus, qui ad hoc idem debebant esse solliciti; ideo proceditur in hac manifestatione secundum hunc ordinem. Primo enim notatur *diligentia mulieris* ad nomen Christi annuntiandum; secundo, *desiderium Christi* ad [13] suscipiendum; tertio, *animatio discipulo-*

Secundo, manifestatio communis, Samaritanis facta.

Subdivisio.

---

[1] Vers. 37.

[2] In Ioan. Evang. tr. 15. n. 29: Bonum enim mirabantur etc.

[3] Vulgata omittit *ei.*

[4] Libr. VII. Moral. c. 17. n. 58: Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione iustae necessitatis, aut intentione piae utilitatis caret. Cfr. I. Homil. in Evang. homil. 6. n. 6.

[5] Psalm. 67, 26.

[6] Cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 2.

[7] Ed. omittit *de se et.*

[8] Vers. 19.

[9] Glossa *ordinaria* in hunc locum: *Nos* Iudaei non omnes, sed electi *adoramus quod scimus* etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 26. Vide etiam Rom. 2, 28. seq., in quem locum Glossa *ordinaria:* Iudaeus interpretatur *confitens;* qui enim vere credit et recte confitetur vere est Iudaeus. Glossa *interlinearis:* Iudaeus est nomine et natione qui labiis confitetur et corde est remotus (secundum Haymon. in hunc locum). — Secundum Hieron., de Nomin. Hebraicis novi testam. ad Rom. *Iuda* (a quo Iudaei) confitens sive glorificans interpretatur; vel ut ibid. vet. testam. de Gen. dicitur: *Iuda* laudatio sive confessio.

[10] Ut dicitur in Regula FF. Minor. c. 9, quo respicitur Rom. 9, 28: Quia verbum breviatum faciet Dominus super terram.

[11] In Ioan. homil. 33. (alias 32.) n. 2: Quae si initio non quaerenti mulieri dixisset, visus fuisset ei delirare et futilia loqui. Nunc autem paulatim illi memoriam revocans, opportune sese revelat.

[12] Cfr. infra 21, 21. — Pro *soleret* plures codd. *solebat.*

[13] Ed. addit *vocatos,* quod etiam infra n. 51. habetur.

rum ad praedicandum; quarto, *Samaritanorum devotio* ad credendum, ad quam ordinantur omnia, quae hic determinantur.

48. (Vers. 28.). Primo igitur describitur *strenuitas diligentiae mulieris*, quam habuit ad manifestationem nominis Christi et conversionem suae gentis, quia statim ivit annuntiare veritatem, quam perceperat; propter quod dicit: *Reliquit ergo hydriam suam mulier.* Audito verbo fidei, reliquit hydriam, ut citius curreret et annuntiaret, ne forte Dominus recederet; vel quia prae fervore oblita eius, pro quo venerat, Christum praeconizare volebat. Unde Chrysostomus [1]: « Docet nos haec mulier in spiritualium auditione omnia contemnere temporalia ». *Et abiit in civitatem*, ad vulgandum scilicet nomen Christi. Unde et sequitur: *Et dicit hominibus illis:*

Primo, de mulieris diligentia.

49. (Vers. 29.). *Venite et videte hominem, qui dixit mihi* [2] *quaecumque feci.* Eos attrahebat per hoc, quod secreta revelaverat; non dixit: Venite et videte prophetam; sed vitam suam divulgat, ut omnes evellat et attrahat. *Nunquid ipse est Christus?* Non asseruit, ne decepta videretur; non asseruit, sed dubitando proposuit, ut ipsi pariter dubitent, et per hoc veniant certificari. Chrysostomus [3]: « Nolebat ex propria admonitione eos inducere, sed ex auditione illius »; propter quod excitati veniunt. Unde sequitur:

50. (Vers. 30.). *Exierunt* [4] *de civitate et veniebant ad eum.* Recte *exibant*, quia Christus ante portam erat tanquam ignotus et extra portam passus est; unde ad Hebraeos ultimo: « Christus extra portam passus est; exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes ». In hoc innuitur, quod qui volunt doceri a Christo debent relinquere civitatis tumultum; Ieremiae quadragesimo octavo [5]: « Relinquite civitates et habitate in petra, habitatores Moab »; quia dicitur in Psalmo: « In terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi ».

Notandum.

51. (Vers. 31.). *Interea rogabant* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *Christi desiderium ad vocatos suscipiendum;* quia eorum salutem desiderat ut cibum, immo amplius quam cibum corporalem in tempore indigentiae, quando erat famelicus. Propterea dicit: *Interea*, id est, dum mulier ivit, et Samaritani veniebant; *rogabant eum discipuli eius* [6], quasi de Magistro solliciti, *dicentes: Rabbi, manduca;* quia cibos attulerant, et hora comedendi iam transierat. Chrysostomus [7]: « Videntes eum fatigatum ex itinere et calore et ieiunio, rogabant, ut manducaret »; sed Dominus magis cibum spiritualem desiderans quam corporalem, manducare recusat. Propter quod dicit:

Secundo, de Christi desiderio.

52. (Vers. 32.). *Ille autem dixit* [8] *eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis;* illum huic praefero. Illum nesciebant discipuli, quia erat spiritualis, cum ipsi essent carnales; primae ad Corinthios secundo: « Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei ». Ideo patet, quod nesciebant, quia carnaliter intelligebant. Unde ait:

53. (Vers. 33.). *Dicebant ergo discipuli ad invicem: Nunquid aliquis attulit illi* [9] *manducare?* Augustinus: « Quid mirum, si mulier illa non intelligebat *aquam?* Ecce, discipuli non intelligunt *escam* ». Et quia magistri est docere discipulos non intelligentes, ideo sequitur explanatio.

54. (Vers. 34.). *Dicit eis Iesus: Meus cibus est,* quem scilicet vos nescitis, *ut faciam voluntatem eius qui misit me.* Voluntas Dei nostra salus; infra sexto [10]: « Haec est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam ». Hanc voluntatem volebat Dominus consummare per opus redemptionis; ideo dicit: *Ut perficiam opus eius. Opus Dei* dicitur per excellentiam opus misericordiosissimae reconciliationis; unde in Psalmo [11]: « Miserationes eius super omnia opera eius ». *Opus* igitur *Dei* est nostra ad Deum per fidem conversio; infra sexto: « Opus Dei est, ut credatis in eum, quem ille misit ».

Tertio, de discipulorum animatione duo.

55. *Nonne vos dicitis* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *animatio discipulorum ad praedicandum* propter salutem Samaritanorum. Et ad hoc animat eos tum ex consideratione *habilitatis eorum ad credendum*, tum ex consideratione *mercedis praedicatorum.*

Primum.

(Vers. 35.). Ad considerandam *habilitatem credentium* instigat sub parabola dicens: *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Ad litteram aestas erat propinqua [12]; et hoc quidem dicunt homines, cum vident, tempus metendi

---

[1] In Ioan. homil. 34. (alias 33.) n. 1.

[2] Vulgata addit *omnia.*

[3] In Ioan. homil. 34. (alias 33.) n. 1.

[4] Vulgata *Exierunt ergo.* — Sequitur Hebr. 13, 12. seq.

[5] Vers. 28. — Seq. locus est Ps. 62, 3.

[6] Vulgata omittit *eius.* — Superius pro *in tempore* C et ed. *etiam tempore.*

[7] In Ioan. homil. 34. (alias 33.) n. 1.

[8] Vulgata *dicit.* — Subinde allegatur I. Cor. 2, 14.

[9] Vulgata et N *ei.* — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 15. n. 31, ubi pro *non intelligunt* textus originalis *nondum intelligunt.*

[10] Vers. 40.

[11] Psalm. 144, 9. — Sequitur Ioan. 6, 29: Hoc est opus Dei, ut etc.

[12] Rupert. abbas Tuitiens., in hunc locum: « Ex hoc, inquam, colligimus, quia circa mensem, qui apud nos Februarius dicitur, hunc transitum [Dominus] fecit. Mense siquidem, qui apud nos Maius dicitur, plena messis in illis est regionibus. Unde et in festivitate Hebdomadarum, quae et *Pentecostes* dicitur, novum sacrificium, id est panes primitiarum... secundum Legem offerri iubebantur ». Card. Hugo autem, in hunc locum, ait: Et secundum hoc patet, hiemis tempore hoc factum esse, in Novembri scilicet vel Decembri vel circa hoc, quia in *Pascha* offerebantur primitiae frugum maturarum ». Diversitas opinionum hac de re fundatur in diversitate solemnitatum, qui-

appropinquare, quod per totum annum exspectant [1]. *Ecce, dico vobis: Levate oculos*, id est considerationem, *et videte regiones*, id est multitudines gentilium; *quia albae sunt ad messem*, id est propinquae ad fidem, quia parati ad credendum, si est qui annuntiet; Matthaei nono [2]: « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ». Sic igitur animat ex consideratione promptitudinis ad credendum; animat etiam ex consideratione *fructus metentium*. Ideo dicit: Secundum.

56. (Vers. 36.). *Et qui metit mercedem accipit*, non temporalem, sed aeternam. Unde dicit: *Et congregat fructum in vitam aeternam*, « ubi neque aerugo nec tinea demolitur, nec fures effodiunt nec furantur », Matthaei sexto [3]. De hac mercede dicitur Lucae sexto: « Gaudete et exsultate; ecce enim, merces vestra multa est in caelo ». Et haec merces est communis et metentium et seminantium. Ideo dicit: *Ut et qui seminat* etc. Bene dico, quod fructum congregat qui metit non seminanti tantum, sed etiam sibi; *ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit;* Psalmus [4]: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exsultatione » etc. Et rationem reddit, quare tam metentes quam seminantes gaudere debent; quia secundum proverbium alii sunt isti et illi. Ideo dicit:

57. (Vers. 37.). *In hoc verbum verum est*, scilicet quod consuevit dici: *Quia alius est qui seminat, alius* [5] *qui metit;* nam seminaverunt Prophetae, sed post messuerunt Apostoli, et hoc quidem Domini beneficio et imperio, cuius erat messis. Ideo dicit:

58. (Vers. 38.). *Ego misi vos metere quod non laborastis.* De hac messione et missione Matthaei nono [6]: « Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ». *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis;* quia fructus praedicationis eorum colligitis; primae Petri primo: « Revelatum est » Prophetis, « quia non sibi ipsis » prophetabant, « vobis autem annuntiabant ea quae nunc nuntiata sunt vobis ».

59. (Vers. 39.). *Ex civitate autem illa.* Tangitur hic *Samaritanorum devotio ad credendum*, quae inchoata est in sermone mulieris; propter quod dicit: *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum.* Et ratio subditur: *Propter verbum mulieris testimonium perhibentis*, de eius Divinitate: *Quia dixit mihi* [7] *quaecumque feci.* Ad testimonium mulieris crediderunt Samaritani, sed Iudaei recusaverunt credere Ioanni; unde Dominus dixit Iudaeis Matthaei vigesimo primo: « Amen dico vobis, quod publicani et meretrices praecedent vos in regno Dei ». Et licet non crederent firmiter, credebant tamen devote. Ideo subdit: Quarto, de Samaritanorum devotione.

60. (Vers. 40.). *Cum ergo venissent ad eum* [8] *Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret;* Lucae ultimo: « Mane nobiscum, quoniam advesperascit »; quocontra Iudaei eum expulerunt. Chrysostomus [9]: « Pharisaei, multa signa videntes, non solum non crediderunt, sed a regione abiecerunt ». Unde Matthaei octavo dicitur, quod « tota civitas Gerasenorum exiit obviam Iesu, et viso eo, rogabant eum, ut transiret a finibus eorum ». Et Dominus Samaritanorum precibus condescendit; unde dicitur: *Et mansit ibi duos dies*, ad fidem eorum confirmandam et multiplicandam; quod et fecit. Unde dicit:

61. (Vers. 41.). *Et multo plures crediderunt* [10] *propter sermonem eius.* Nec mirum, quia, sicut dicit ei Petrus infra sexto, « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». Nec tantum multiplicavit, sed etiam confirmavit. Unde sequitur:

62. (Vers. 42.). *Et mulieri dicebant: Quia iam non propter loquelam tuam credimus*, quasi mendicantes rationem humanam; *ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi;* id est, audiendo scivimus, quia, sicut dicitur ad Romanos decimo [11], « fides ex auditu, auditus autem

---

bus messes addebantur, quae, ut Bonelli ex Gordonio notat, erant tres: « Prima in Paschate, quando instante messe hordeacea colligebatur manipulus ex spicis primo natis. Altera in Pentecoste, quando quarundam frugum plena messis erat. Tertia in festo Tabernaculorum Augusto mense, quando erat messis triticea ». Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, lib. Numer. c. 43. 44. et 47.

[1] Card. Hugo, in hunc locum: *Quod adhuc quatuor menses sunt* etc. Quasi diceret: Homines semper solent dicere, qui desiderant tempus messis: ecce, messis venit. Et dicunt hoc quatuor adhuc mensibus intermediis, sicut modo communiter dicitur in quolibet anno circa Pascha vel Pentecoste: ecce, parum deest usque ad Augustum. — Subinde post *oculos* Vulgata addit *vestros*.

[2] Vers. 37. et 38. — Inferius post *Sic igitur* e codd. addidimus *animat ex consideratione promptitudinis ad credendum.*

[3] Vers. 20. — Seq. locus est Luc. 6, 23. Codd. allegant Matth. 5, 12, ubi similis sententia habetur.

[4] Psalm. 125, 6.

[5] Vulgata *In hoc enim... et alius est.* — Pro hoc proverbio allegatum invenimus a S. Thoma, in hunc locum (lect. 4. n. 4.), Lev. 26, 16; alii addunt Mich. 6, 15. — Chrysost., in Ioan. homil. 34. (alias 33.) n. 2: Prophetae quidem laborarunt, vos autem laborum ipsorum fructum decerpitis. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 15. n. 32. — Inferius post *cuius erat* E N, quos secuti sumus, addunt *messis*, ed. *auctoritas.*

[6] Vers. 38. — Seq. locus est I. Petr. 1, 12, ubi pro *annuntiabant* Vulgata *ministrabant.*

[7] Vulgata addit *omnia.* — Subinde allegatur Matth. 21, 31.

[8] Vulgata *illum.* — Sequitur Luc. 24, 29.

[9] In Ioan. homil. 35. (alias 34.) n. 1: Iudaei vero, etiam visis miraculis, non modo non illum apud se retinuerunt, sed etiam ipsum expulerunt. — Subinde allegatur Matth. 8, 34.

[10] In Vulgata additur *in eum.* — Seq. locus est Ioan. 6, 69. Codd. omittunt *ad quem ibimus.*

[11] Vers. 17, ubi Vulgata et B *Christi* pro *Dei.* Cfr. III. Sent. d. 24. a. 2. q. 3. ad 1. — Superius post *humanam* ed. addit *abs te.*

per verbum Dei ». *Vere Salvator mundi,* non tantum Iudaeorum; unde supra tertio [1]: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » etc. Ideo primae Ioannis secundo: « Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi ». Iste signatus est per Ioseph, de quo dicitur Genesis quadragesimo primo, quod « Pharao vertit nomen eius vocavitque eum lingua Aegyptiaca *Salvatorem mundi* ».

Quaestiones.

63. Quaest. I. Incidit hic quaestio: cum dicatur in Psalmo [2]: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis;* et testimonium mulieris sit vanum et fragile, sicut sexus infirmus; videtur, quod Dominus non debuerit per mulierem se ipsum Samaritanis manifestare.

Respondeo: Dicendum, quod Christus non accipit
Resp. humanum testimonium propter suam indigentiam, sed
Ratio 1. solum propter indigentiam audientium [3]. Quia igitur testimonium mulieris minime erat suspectum Samaritanis, voluit Dominus per mulierem eis innotescere, non quia eius testimonium haberet robur, sed quia
Ratio 2. Samaritanis credibile. — Alia ratio fuit ad Iudaeorum duritiam condemnandam in iudicio: quia ipsi non crediderunt Ioanni Baptistae, sed Samaritani uni mulierculae, sicut ipse Dominus dicit eis, quod *regina austri et Ninivitae surgent in iudicio* contra Iudaeos, Matthaei duodecimo [4].

64. Quaest. II. Item quaeritur de testimonio mulieris, quod dixit: *Venite et videte virum, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci. — Contra:* Non dixit ei nisi de viris, quos habuerat. Aut ergo mulier plura non fecerat, quod falsum est; aut [5] mentiebatur et falsum dicebat.

Respondeo: Dicendum, quod mulier, quando hoc
Resp. dixit, non tantum respexit ad sermonem dicentis, sed ad sapientiam, per quam dicebat. Et sicut ei unum secretum dixerat, eadem virtute poterat dicere *omnia, quaecumque fecerat.* Ideo mulier volens Christi virtutem exprimere, dixit in universali etc.

65. Quaest. III. Item obiicitur: cum lex evangelica non sit umbrae vel figurae, sed potius veritatis apertae; unde est hoc, quod Dominus discipulis suis loquitur in parabolis? — Videtur, quod sic non deberet loqui, sed aperte.

Respondeo: Dicendum, quod *loqui in figuris* Resp. cum distinctione. est dupliciter: aut ita, quod veritas ibi claudatur et *non explicetur* audientibus; et hoc dicit umbram et obscuritatem, et hoc pertinet ad legem veterem, non ad novam. Alio modo est *loqui in similitudinibus,* ita quod similitudo illa *explicetur* et manifestetur; et tunc non est loqui in umbra, sed potius in luce; et hoc modo loquitur Dominus, ut res obscure pro- Ratio triplex. posita in figura per expositionem clare intelligatur, et sensus humanus humilietur, et veritas ardentius ametur et firmius teneatur. Veritas enim aliquantulum latens gratior efficitur, dum aperitur [6].

66. Quaest. IV. Item obiicitur de hoc, quod Dominus nostram salutem suum vocat *cibum,* similiter fidem nostram supra [7] vocavit suum *potum.* — Hoc non videtur debite dictum. *Cibus* enim conservat eum qui cibatur; sed Christus conservat nos, non nos Christum: ergo non sumus *cibus Christi.*

Respondeo: Dicendum, quod triplex est in cibo Resp. proprietas. Prima est, quod vehementer desideratur; Triplex proprietas cibi. secunda, quod per ipsum ille qui cibatur, reficitur; tertia, quod cibus in corpus traiicitur. — Ratione Notanda applicatio. primae proprietatis est Christus *cibus noster,* quia eum desideramus, et nos *suus,* quia ipse nostram salutem desiderat [8]. Ratione secundae proprietatis, quia nutrit et reficit, Christus est *cibus noster,* non e converso. Ratione tertiae nos sumus *cibus Christi,* quia ipse traiicit nos in corpus suum; unde Augustinus [9] dicit, quod in cruce manducavit latronem.

67. Quaest. V. Est etiam quaestio: cum Dominus videret eos habiles ad credendum, quid est, quod tantum per *duos dies* apud eos voluit morari? — Videtur, quod amplius et diutius debuisset cum eis esse.

Respondeo: Dicendum, quod hoc fecit propter Resp. vitandum scandalum Iudaeorum, ne indignarentur, quod eis relictis, transiret ad alienigenas.

68. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod Dominus dicit discipulis suis: *Alius est qui seminat, alius qui metit;* unde dicit Apostolos *messores,* non *seminatores.*

Sed contra: 1. *Verbum Dei est semen* [10]: ergo qui praedicat *seminat;* sed Apostoli fuerunt praedicatores: ergo etc.

2. Item, secundae ad Corinthios nono [11]: *Qui parce seminat parce et metet:* ergo qui nihil seminat nihil metit.

---

[1] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt I. Ioan. 2, 2. et Gen. 41, 45.

[2] Psalm. 92, 5.

[3] Cfr. supra c. 1. n. 21.

[4] Vers. 41. et 42.

[5] Cod. N addit *plura fecit et.*

[6] Chrysost., in Ioan. homil. 34. (alias 33.) n. 1: Audi vero, quo pacto non ubique omnia cito revelet, sed primo auditorem in dubitationem coniiciat, ut, postquam quaerere incepit, quid sit illud quod dicitur, cum dubitando laborat, libentius id quod quaerebat expositum accipiat et ad audiendum magis excitetur.

[7] Vers. 10.

[8] Chrysost., in Ioan. homil. 34. (alias 33.) n. 1: Hominum salutem hic cibum vocat, ostendens, cum quanta cura nobis provideat; ut enim nos cibum, ita ille nostram salutem desiderat.

[9] Enarrat. in Ps. 68. serm. 1. n. 9, ubi de confessione boni latronis ait: Confessione effudit ex se saniem et factus est aptus cibo Domini. Cfr. IV. Sent. d. 9. a. 1. q. 2. ad 3.

[10] Luc. 8, 11.

[11] Vers. 6.

3. Item videtur, quod Apostoli non sint *messores*, sed *Angeli;* unde Matthaei decimo tertio[1]: *Messis est consummatio saeculi, messores sunt Angeli:* non ergo Apostoli.

Respondeo: Dicendum, quod haec tria tempora habent ordinem: tempus *legis* Moysaicae, *gratiae* et *gloriae*. Tempus *gratiae* est sicut fructus respectu temporis *legis* Moysaicae; tempus *gloriae* est sicut fructus respectu temporis *gratiae*. — Secundum hoc, quia *messis* dicit collectionem fructus, duplex est messis: prima in tempore *gratiae;* et huius sunt messores Apostoli, sed seminatores Prophetae, qui de hac gratia praedixerunt et populum exspectare fecerunt[2]. Alia est in tempore *gloriae;* et huius sunt messores Angeli, et seminatores Apostoli quoad aliquos, sed omnes quoad se ipsos. — Et procedunt rationes per diversas vias, quia Dominus loquitur de messe gratiae.

Resp.

Duplex messis.

Ad obiecta.

Quarta manifestatio, quae facta est Galilaeis.

69. *Post duos autem dies* etc. Manifestavit se supra Dominus discipulis, Iudaeis et Samaritanis; hic incipit quarta pars huius partis, in qua manifestat se ipsum *Galilaeis,* suis compatriotis, tanquam durioribus ad credendum. Et proceditur in hac manifestatione, quae facta est per miraculum, hoc ordine. Primo insinuatur in Galilaeis *defectus reverentiae* ad honorandum; secundo, *defectus fidei* ad credendum; tertio vero, *impetratio miraculi;* quarto, ex hoc *aedificatio fidei.*

Subdivisio.

Primo igitur insinuatur *defectus reverentiae* ad Christum honorandum. Quia enim erant compatriotae Christi, ideo ad eorum irreverentiam amovendam venit ad eos Christus, ut in miraculis se ostendat eis. Propterea dicit:

Primo, de defectu reverentiae.

(Vers. 43.). *Post duos autem dies,* quibus scilicet fuit in Samaria, *exiit inde et abiit in Galilaeam,* patriam scilicet suam, ut eos duriores converteret. Ideo subdit:

70. (Vers. 44.). *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit,* id est, tanquam verum asseruit, *quia propheta in patria sua honorem non habet;* Lucae quarto[3]: « Nemo propheta acceptus est in patria sua ». Glossa dicit, quod quia in primo adventu in Galilaeam honorem non habuerat, ideo adhuc secundo revertitur, ut vel sic saltem in eum credant per signa. Iam enim quodam modo habilitati erant per signa, quae Ierosolymis viderant. Propterea dicit:

71. (Vers. 45.). *Cum ergo venisset in Galileam, exceperunt eum Galilaei,* quasi paulisper honorare coeperunt; ad Philippenses secundo[4]: « Excipite Epaphroditum cum omni gaudio in Domino et eiusmodi cum honore habetote ». Et ratio subditur: *Cum vidissent omnia, quae fecerat Ierosolymis in die festo; vidissent,* inquam; *et ipsi enim ascenderant*[5] *ad diem festum.* Ista enim omnia, quae viderunt, fuerunt signa et miracula; supra secundo: « Cum esset Ierosolymis in die festo, multi crediderunt in eum, videntes signa, quae faciebat ».

72. (Vers. 46.). *Venit ergo iterum in Cana Galilaeae;* scilicet ut vel sic credant; *ubi fecit aquam vinum,* quod fuit signorum suorum initium, per quod innotuit discipulis; unde Glossa[6]: « Hoc miraculum pauci crediderant, id est discipuli »; supra secundo: « Hoc initium signorum fecit Iesus in Cana Galilaeae, et crediderunt in eum discipuli eius ».

73. *Et erat quidam regulus.* Tangitur hic secundum, scilicet *defectus fidei* ad credendum. Sicut quodam modo *honorabant,* quodam modo *non;* ita etiam quodam modo *credebant,* quodam modo *non.* Et hoc patet in hoc, quod regulus non credebat, eum posse sanare filium nisi praesens. Propter quod dicit: *Erat quidam regulus,* a regni scilicet parvitate[7]; *cuius filius infirmabatur Capharnaum,* et ita in Domini absentia.

Secundo, de defectu fidei.

74. (Vers. 47.). *Hic cum audisset, quia Iesus venit*[8] *a Iudaea in Galilaeam,* quia fama adventus eius percrebuerat; Marci primo: « Processit rumor eius statim in omnem regionem Galilaeae »; *abiit ad eum,* per devotionem; Matthaei octavo[9]: « Accessit ad eum centurio, rogans eum » etc. *Et rogabat eum, ut descenderet,* per praesentiam corporalem; supra secundo[10]: « Descendit Capharnaum ipse et Mater eius » etc. *Et sanaret filium eius,* per potentiam mirabilem; Lucae sexto: « Virtus de illo exibat et sanabat omnes ». *Incipiebat enim mori,* per impotentiam naturalem; quarti Regum vigesimo dictum est Ezechiae: « Morieris tu et non vives », secundum causas scilicet inferiores. Et quia iste regulus, etsi petebat, non tamen firmiter credebat; ideo Dominus eum arguit incredulitatis. Propter quod dicit:

75. (Vers. 48.). *Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* et ita ad

---

[1] Vers. 39.

[2] Cfr. supra v. 37. n. 57.

[3] Vers. 24. — Glossa, quae subinde allegatur, est *ordinaria* in v. 43. et 44; cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 16. n. 1. seqq. et Beda, in Ioan. 4, 44.

[4] Vers. 29.

[5] Vulgata *venerant.* — Sequitur Ioan. 2, 23.

[6] Scilicet *ordinaria* in v. 43: « Unde supra [2, 11.] viso signo, *crediderunt in eum discipuli eius,* non alii ». Cfr. Beda, in Ioan. 4, 46.

[7] Glossa *interlinearis: Regulus,* propter parvitatem vel regni vel fidei. Cfr. Beda, in hunc locum.

[8] Vulgata *adveniret.* — Seq. locus est Marc. 1, 28. Cfr. supra c. 1. n. 99.

[9] Vers. 5. — Chrysost., in Ioan. homil. 35. (alias 34.) n. 2: Quidam putant, hunc [regulum] ipsum esse, qui memoratur a Matthaeo; sed alius esse probatur non ex dignitate modo, sed etiam ex fide. Cfr. infra n. 85.

[10] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Luc. 6, 19. et IV. Reg. 20, 1. Cfr. supra pag. 61, nota 8.

credendum duri estis. *Signa* sunt minora, sed *prodigia* sunt maiora miracula. De hac Iudaeorum duritia infra duodecimo [1]: « Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum »; econtra Samaritani solo verbo crediderunt, ut probatum est [2].

Tertio, de impetratione miraculi.

76. (Vers. 49.). *Dixit* [3] *ad eum regulus.* Tangitur hic tertium, scilicet *impetratio miraculi*, quae, etsi non fieret propter fidem perfectam, est tamen facta propter parentis instantiam. Unde et regulus iterum petit: *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Quia instanter petiit, obtinuit; Matthaei septimo [4]: « Omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur »; et Lucae undecimo: « Et si non dabit, quia amicus eius sit, propter improbitatem tamen illius surget et dabit quotquot habet necessarios », panes scilicet. Ideo subditur:

77. (Vers. 50.). *Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit*, id est, sanus factus est. Ideo dicit *vivit*, quia ab infirmitate mortali convaluerat. Et hoc quidem homo meruit, quia, quamvis nondum crederet in Christum, credidit tamen verbo Christi. Ideo dicit: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, et ibat;* Glossa [5]: « Sic meruit salutem filio ». Unde Dominus Marci nono viro roganti pro salute filii dixit: « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti »; id est, impetrari ab eo possunt.

Quarto, de aedificatione fidei.

78. (Vers. 51.). *Iam autem eo descendente.* Tangitur hic quartum, scilicet *aedificatio fidei*, quae facta est ex cognitione virtutis et miraculi, quod cognovit ex relatione servorum. Propter quod dicit: *Iam autem eo descendente, occurrerunt ei servi eius*; bonum scilicet nuntium habentes, non sustinuerunt, quousque domum perveniret. *Occurrerunt* prae gaudio festinanter, sicut servi domino; Matthaei vigesimo quinto [6]: « Ecce, sponsus venit, exite obviam ei ». *Et nuntiaverunt ei, quod filius eius viveret*, id est, curatus esset.

79. (Vers. 52.). *Interrogabat ergo horam, qua melius habuerat* [7], ut per horam recognoscat in filio Christi potentiam. *Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris;* et ex hoc cognovit Christi virtutem. Unde sequitur:

80. (Vers. 53.). *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus vivit*, et ita, quod ipsius verbo virtuoso sanatus fuit; iuxta illud Sapientiae decimo sexto [8]: « Non herba neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine ». Et ex hac cognitione sequitur *aedificatio fidei.* Ideo dicit: *Et credidit ipse et domus eius tota.* Iam fide perfecta ipse credidit huic secundo signo, qui tamen propter primum non crediderat. Ideo subiungit Evangelista:

81. (Vers. 54.). *Hoc iterum secundum signum fecit Iesus; secundum*, scilicet respectu illius quod fuit in nuptiis; *cum venisset a Iudaea in Galilaeam*, ut, quia per primum non crediderant, per secundum credant; Exodi quarto [9] dixit Dominus Moysi: « Si non crediderint neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis ».

Expositio moralis.

82. *Moraliter.* Hic considerandum est, quis *regulus*, quis *reguli filius*, qua *infirmitate* detinetur, qua *hora* sanatur. — *Rex* dicitur superior pars rationis, cui totum regnum animae est commissum ad iudicandum; unde in Psalmo [10]: *Et nunc, reges, intelligite.* Iste dicitur *regulus* a iustitiae parvitate, quando animam male et pueriliter regit; Ecclesiastae decimo [11]: *Vae terrae, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt!* — Huius *regis filius* dicitur inferior pars rationis, quae eiusdem naturae est et ab ipsa docenda; Ecclesiastici trigesimo [12]: *Qui docet filium suum laudabitur.* — Hic regis filius *infirmatur febre*, quando ratio sequitur concupiscentiam, quae est tanquam febris calida et putrida; Ecclesiastici vigesimo tertio [13]: *Anima calida quasi ignis ardens, non exstinguetur, donec aliquid glutiat.* Concupiscentia haec tanquam febris hominem inquietat, modo per calorem, modo per frigus; Isaiae quinquagesimo septimo: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum.* — Iste *liberatur hora septima diei. Dies* hic potest dici Christus, quia ipse est sol lucens super terram; infra octavo [14]: *Ego sum lux mundi.* — *Horae* istius diei sunt diversi status Christi, ex quorum consideratione anima a diversis aegritudinibus liberatur.

Quid 12 horae.

Hora prima.

83. Prima hora est *incarnatio*, et haec liberat a *superbia* illuminando ad humilitatem, quia humiliavit se in incarnatione; ad Philippenses secundo [15]: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* — Secunda est *nativitas*, et haec liberat ab *avaritia* illuminando ad paupertatem, quia Christus natus est pauper, sicut dicitur Lucae secundo [16]: *Peperit Filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia*

Secunda.

---

[1] Vers. 37. — Multi codd. omittunt *miracula.*

[2] Supra v. 39. seqq.

[3] Vulgata *Dicit.* — Inferius pro *parentis* ed. *petentis.*

[4] Vers. 8. — Sequitur Luc. 11, 8.

[5] Scilicet *interlinearis*, quae ut ed. addit *et sibi.* Beda, in hunc locum: Incipiebat enim fidem habere in sermone Iesu, et ideo sanitatem meruit filii, et qui ex parte dubius venit fidelis recessit; et ideo sanitatem meruit filii. — Subinde allegatur Marc. 9, 32.

[6] Vers. 6. — Inferius post *Et nuntiaverunt ei* Vulgata prosequitur *dicentes, quia filius* etc.

[7] Vulgata *horam ab eis, in qua melius habuerit.*

[8] Vers. 12: Neque herba etc. — Superius post *Iesus* multi codd. addunt *Vade.*

[9] Vers. 8: Si non crediderint, inquit, tibi, neque etc.

[10] Psalm. 2, 10. Cfr. supra n. 33.

[11] Vers. 16: Vae tibi, terra, cuius etc.

[12] Vers. 2.

[13] Vers. 22. — Sequitur Isai. 57, 20.

[14] Vers. 12.

[15] Vers. 7.

[16] Vers. 7.

Tertia. *non erat eis locus in diversorio.* — Tertia, *circumcisio*, et haec liberat ab *inobedientia* illuminando ad obedientiam. Cum enim Christus non esset Legi subiectus, tamen se Legi subiecit; unde de eo recte dicitur illud Apostoli primae ad Corinthios nono [1]: *Cum essem liber ex omnibus, omnium me*
Quarta. *servum feci.* — Quarta est *apparitio*, et haec liberat ab *invidia* illuminando ad doctrinae communicantiam, quia ipse tunc notitiam sui gentibus revelavit; Sapientiae septimo [2]: *Laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, quam sine invidia communico et honestatem illius non ab-*
Quinta. *scondo.* — Quinta est in templo *oblatio*, et haec liberat ab *ingratitudine* illuminando ad orationem, quoniam tunc ipse Dominus in templo oblatus est in signum, quod per gratitudinem se totum debet homo offerre; Lucae secundo [3]: *Tulerunt puerum Iesum*
Sexta. *in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* — Sexta est ipsius *baptizatio*, et haec liberat ab *immunditia* illuminando ad vitae novitatem, quia Christus lavatus est in Iordanis flumine; Matthaei tertio [4]: *Venit Iesus a Galilaea in Iordanem, ut baptizaretur ab eo;* primae Petri tertio: *Salvos facit baptisma, non*
Septima. *carnis depositio sordium* etc. — Septima est in ieiunio *tentatio*, et haec liberat a *febre* filium reguli illuminando ad carnis mortificationem, quia tunc Christus carnem suo ieiunio maceravit; Matthaei quarto [5]: *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo; et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esu-*
Octava. *riit.* — Octava est *passio*, et haec liberat ab *iracundia* illuminando ad patientiam, quia Christus in patiendo fuit patientissimus; primae Petri secundo [6]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*
Nona. — Nona est *ad inferos descensio*, et haec liberat a *duritia* illuminando ad misericordiam, quia Dominus misertus est his qui erant *in tenebris et umbra mortis* [7]; Zachariae nono: *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu.* Maxima mi-
Decima. sericordia est sanguinem pro captivis dare. — Decima est in sepulcro *requietio*, et haec liberat a *mundi pressura* illuminando ad pacem, quia Christus in sepulcro quievit; Psalmus [8]: *In pace in idipsum dormiam et requiescam;* et iterum: *In pace factus est locus eius.* — Undecima, *resurrec-* Undecima.
tio, et haec liberat a *vitae vetustate* illuminando ad vitae novitatem, quia tunc Christus novus homo factus est; ad Romanos sexto [9]: *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* — Duodecima, *ascen-* Duodecima.
sio, et haec liberat ab *amore terrenorum* illuminando ad desiderium aeternorum, ad quae Christus nos praecessit; ad Colossenses tertio [10]: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*

Quaestiones.

84. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit, quod *propheta in patria sua honorem non habet.*

Contra hoc: 1. Quia homo non honoratur, nisi ubi cognoscitur: ergo si cognoscitur inter compatriotas, non inter alienigenas; videtur, quod magis honoretur in patria sua quam in aliena.

2. Item videmus, quod David propheta in patria sua regni honorem habuit. — Item videtur, quod Christus habuerit honorem. Dicitur enim in littera [11], quod *exceperunt eum Galilaei:* ergo honoraverunt.

Respondeo: Dicendum, quod propter duplicem Resp.
rationem non honoratur propheta in patria sua: tum Duplex ratio.
ratione *generationis carnalis*, tum ratione *conversationis familiaris*. Ratione *generationis;* quando enim habet patrem et matrem ignobiles et viles et pauperes, sicut Christus credebatur habere, ratione horum despicitur [12]. Ratione *conversationis familiaris*, quia familiaritas parit contemptum; ideo, cum parentes Christi pauperes nossent et eius educationem, nihil divinum in eo esse credebant.

1. Quod ergo obiicit, quod notitia facit homi- Ad obiecta.
nem honorari; dicendum, quod notitia *virtutis* adiuvat, sed notitia *originis* et *infirmitatis* impedit.

2. Quod obiicit de David et aliis prophetis, respondendum, quod «a raro contingentibus non debet ratio pronuntiari [13]». Et quia hoc raro contingit, ideo etc. — Quod obiicitur, quod exceperunt; re-

---

[1] Vers. 19.

[2] Vers. 12. seq. Post *sapientia* Vulgata plura addit.

[3] Vers. 22.

[4] Vers. 13, ubi Vulgata post *Iordanem* addit *ad Ioannem.* — Seq. locus est I. Petr. 3, 21. — Superius pro *novitatem* ed. *puritatem.*

[5] Vers. 1. et 2.

[6] Vers. 21. et 22.

[7] Luc. 1, 79. — Sequitur Zach. 9, 11.

[8] Psalm. 4, 9. et subinde Ps. 75, 3.

[9] Vers. 4.

[10] Vers. 1. seq. — Cfr. infra c. 11, 19, ubi etiam aliae explicationes *horarum duodecim* ponuntur.

[11] Vers. 45. — Superius post *honorem* ed. addit *in patria sua.*

[12] Origenes, in Ioan. tom. 13. n. 54: Proinde conviciantium sunt etiam hae voces [Matth. 13, 55. et 56.]: *Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater eius dicitur Maria, et fratres eius sunt apud nos? Unde ergo huic haec omnia?*

[13] Chrysost., in Ioan. homil. 35. (alias 34.) n. 2: Quid ergo? inquies, an non multos videmus, qui apud populares suos admirationi habentur? Videmus utique; sed per ea quae raro contingunt, non est sententia ferenda. Quod si quidam in patria sua honorem sunt consecuti, multo magis in aliena; consuetudo namque contemptum parere solet.

spondet Augustinus [1], quod exceperunt *exterius* corporaliter, sed non interius per fidem; et hunc honorem Dominus non requirit. Non enim facit Dominus vim de festo brachiali, sed de mente fideli.

85. Quaest. II. Item quaerit Gregorius [2] de isto regulo, utrum crederet, an non? — Quod non, videtur:

1. Quia Dominus increpat eum: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.*

2. Hoc ipsum arguitur per litteram [3]: quia petebat, quod descenderet, quasi nisi in praesentia sanare non posset.

Sed contra hoc est: si non credidit, quomodo salutem filii postulavit a Domino?

Respondeo: Dicendum, quod *credidit*, sed *semiplene: credidit*, in Christo esse virtutem ad salvandum filium; sed *non credidit*, in eo esse Divinitatem, per quam posset ubique. Unde fides fuit, cum petiit salutem; sed defectus fidei, cum requirebat praesentiam corporalem [4]. Resp.

86. Quaest. III. Item quaerit dictus Gregorius [5]: unde est, quod Dominus ad servum centurionis ire se obtulit, ad filium reguli, cum rogaretur, ire recusavit?

Respondeo: Dicendum, quod hoc fuit ad aedificationem *fidei* et *morum: fidei*, quia, dum se obtulit centurioni, ipsius fidei devotionem nobis manifestavit; dum retraxit se a filio reguli, curando eum in absentia, ad *Divinitatis fidem* invitavit. Ad *aedificationem* vero *morum*, ut nostram superbiam constringeret, qui magnos veneramur et parvos despicimus, Dominus se obtulit ire ad centurionis servum, et recusavit ire ad reguli filium [6]. Resp.

Capitulum V.

Secundo, de manifestatione Verbi quoad conditiones a parte ipsius Verbi manifestati.

1. *Post haec erat* etc. Terminata est illa pars principalis, in qua agitur de manifestatione Verbi incarnati, secundum quod respicit conditiones a parte eorum quibus fit manifestatio; hinc incipit secunda pars principalis, in qua agitur de manifestatione Verbi incarnati, secundum quod respicit conditiones *a parte ipsius Verbi manifestati* [7]. Ostendit enim, quod ipse Dei Filius, qui est Patris Verbum, manifestat se *curatorem, conservatorem, directorem* et *vivificatorem.* Divisio in 4 membra.

Primo igitur ostendit se *curatorem* in praesenti capitulo. Secundo, *conservatorem* in sexto capitulo, ibi [8]: *Post haec abiit* etc. Tertio, *directorem* a principio septimi usque ad undecimum, et incipit ibi: *Post haec ambulabat Iesus in Galilaeam* etc. Quarto vero, perfectum *reparatorem* in Lazari resuscitatione, in principio undecimi, ibi: *Erat autem quidam languens Lazarus.*

Primo, Filius Dei se manifestat curatorem.

2. Praesens igitur capitulum, in quo manifestat se *curatorem* per mirabilem paralytici liberationem, habet quatuor partes secundum quatuor, quae determinantur ibi. In prima enim tangitur *miraculosa curatio.* In secunda, *curationis calumniatio*, ibi [9]: *Erat autem Sabbatum.* In tertia, *calumniationis confutatio*, ibi: *Respondit itaque Iesus et dixit eis.* In quarta, *confutationis corroboratio*, et hoc per multa testimonia, ibi: *Si ego testimonium perhibeo* etc. Membri 1. subdivisio.

Mirabilis igitur curatio secundum litteram describitur a quatuor: primo, a *congruentia temporis;* secundo, a *dispositione loci;* tertio, a *necessitate languentis;* quarto, a *potestate curantis.* Primo, de miraculosa curatione quatuor.

3. (Vers. 1.). Primo igitur describitur a *congruentia temporis*, quia tempus festivum erat, in quo beneficia Dominus consuevit impendere. Propterea dicit: *Post haec*, scilicet quae supra narrata sunt, *erat dies festus Iudaeorum.* Chrysostomus [10] dicit, quod iste dies festus erat Pentecostes, qui erat medius inter Pascha et Scenopegiam, id est solemnitatem tabernaculorum. *Et ascendit Iesus Ierosolymam*, sicut habebant in consuetudine omnes Iudaei; Lucae secundo [11]: « Ascenderunt Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi ». Expositio litteralis. Primum.

4. (Vers. 2.). *Est autem Ierosolymis.* Hic secundo tangitur *dispositio loci*, ubi facta est curatio, quia in loco curationis, qui erat piscina probatica; propter quod dicit: *Est autem Ierosolymis probatica piscina*, id est pecualis, quia ibi lavabantur hostiae Secundum.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 16. n. 3, ubi docet, paucos tantum ex Galilaea ob miracula facta in eum credidisse. — Superius post *Quod obiicitur, quod* ed. supplet *Galilaei*, quae etiam inferius ante *requirit* omittit cum pluribus codd. *non*, et substituit *exteriori* pro *brachiali.* Du Cange, Glossarium etc. recenset « *festa brachiorum*, quae et *manualia* dicuntur; inferioris ordinis et minoris solemnitatis festa, in quibus ea tantum opera prohibebantur, quae sine *equis et carrucis* fieri non possunt.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 28. n. 1.

[3] Vers. 49: Domine, descende etc.

[4] Eodem modo respondet Gregor. loc. cit.

[5] Loc. cit. n. 2. — De filio centurionis cfr. Luc. 7, 1. seqq.

[6] Hanc secundam rationem insinuat etiam Gregor. loc. cit. Cfr. Ambros., V. Expos. in Luc. 7, 6. n. 84.

[7] Cfr. supra c. 1. n. 89.

[8] Vers. 1; tertia pars est 7, 1; quarta 11, 1.

[9] Vers. 9; tertia pars est v. 18; quarta v. 31.

[10] In Ioan. homil. 36. (alias 35.) n. 1: Quod festum? Pentecostes, ut mihi videtur. Cfr. supra pag. 297, nota 12. Irenaeus, II. contra Haeres. c. 22. n. 3. (alias c. 39.), censet, quod fuit dies festus Paschae.

[11] Vers. 42: Ascendentibus illis Ierosolymam etc.

pecudum; et erat haec piscina iuxta templum et ab hoc officio denominationem acceperat. Ideo dicit: *Quae cognominatur Hebraice Bethsaida*, id est domus pecudum, quia hoc habebat officium [1]. Habebat etiam ornatum; unde dicit: *Quinque porticus habens.* Et quare hos habebat, ratio redditur.

5. (Vers. 3.). *In his iacebat multitudo magna languentium*, et per naturam incurabilium; unde dicit: *Caecorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquae motum*, ut scilicet sanarentur per divinae gratiae beneficium, quod impendebatur in Angeli descensu. Ideo dicit:

6. (Vers. 4.). *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam*, ad sanandum scilicet; et huius descensus subdit *signum: Et movebatur aqua*, ut aquam viderent qui Angelum videre non poterant; et divinum subdit *effectum: Et quicumque prior descendebat* [2] *in piscinam post motionem aquae*, tanquam sollicitior, *sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate*, sine distinctione, quia, sicut dicitur Actuum decimo, « non est personarum acceptor Deus » etc.

7. (Vers. 5.). *Erat autem quidam homo* etc. Tertium. Tangitur hic tertium, scilicet *languentis necessitas*, quia diu *infirmus* fuerat et omni *auxilio destitutus.* Diu *infirmus* fuerat, unde dicit: *Erat autem homo quidam ibi; quidam*, qui [3] in miseria singularis, *triginta octo annos habens in infirmitate sua.* Ecce, infirmitatis longitudo, qua Dominus motus est misereri et quaerere et alloqui eum. Unde dicit:

8. (Vers. 6.). *Hunc cum vidisset Iesus iacentem*, infirmitate opprimente, *et cognovisset, quia iam multum temporis* [4] *haberet*, in poenalitate miseriae; *dicit ei*, per benignitatem misericordiae: *Vis sanus fieri?* per virtutem divinae potentiae. Non hoc quaerebat, quia de voluntate dubitaret, sed ut eius indigentiam manifestaret. Quod et fecit sua responsione; ideo subdit:

9. (Vers. 7.). *Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinum;* et ita pauper sum, et non est qui adiuvet; Psalmus [5]: « Tribulatio proxima est, et non est qui adiuvet », et ego ex me sum impotens. Unde subdit: *Dum venio ego, alius ante me descendit;* et ita sanari non possum, quia non sanatur nisi unus et ille qui prior descendit. Et sic innuitur languentis necessitas.

10. (Vers. 8.). *Dicit ei Iesus.* Tangitur hic quar- Quartum. tum, scilicet *curantis potestas*, quia solo praecepto sanat. Ideo dicit: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula; surge*, per valetudinem; *tolle grabatum tuum*, per fortitudinem; *et ambula*, per sanitatis certitudinem. Quod et factum est; unde et subdit:

11. (Vers. 9.). *Et statim sanus factus est homo* [6]; ecce, valetudo; *et sustulit grabatum suum;* ecce, fortitudo; *et ambulabat;* ecce, sanitatis certitudo. Et hoc totum factum est Christi verbo; Psalmus: « Ipse dixit, et facta sunt »; unde Esther decimo tertio dixit Mardochaeus: « Domine, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita » etc.

12. *Moraliter.* Notandum est hic, quae sit ista Expositio moralis. *piscina quinque habens porticus*, qui sunt *infirmi*, et *quomodo curantur.* — *Piscina*, quae ex aquis pluvialibus congregatur, poenitentia est, in qua est effusio lacrymarum pro amissione supernorum. De hac pluvia Ieremiae quinto [7]: *Non dixerunt: Metuamus Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam*, id est compunctionem pro malis commissis, *et serotinam*, pro bonis omissis. Haec pluvia descendit ad valles, non est in montibus et superbis; secundi Regum primo: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos.* — Haec *piscina* poenitentiae *habet quinque porticus*, in quibus requiescit Significantur 5 considerationes. *multitudo languentium* [8]; quia quinque sunt considerationes, quae debent facere hominem in poenitentia permanere.

13. Prima consideratio, *reatus peccati*, quo se Prima. obligavit ad poenam; Psalmus [9]: *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* — Secunda consideratio, *severitatis iu-* Secunda. *dicii;* Ecclesiastici secundo [10]: *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini;* ad He-

---

[1] Hieron., Lib. de situ et nominibus locorum Hebraic., de Evangeliis: « *Bethesda*, piscina in Ierusalem, quae vocabatur προβατικὴ, et a nobis interpretari potest pecualis. Haec quinque quondam porticus habuit, ostendunturque gemini lacus, quorum unus hibernis pluviis impleri solet; alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lavari a sacerdotibus solitas ferunt, unde et nomen acceperit ». In nota adiecta dicitur, quod *Bethesda* etymologice significet vel *domum misericordiae*, vel *domum effusionis*, quod in eam aquae templi effunderentur. — De etymologia nominis *Bethsaida* vide locos supra pag. 266, nota 3. allegatos, ubi secundum Hieron. est idem ac « *domus frugum*, vel *domus venatorum* », secundum alios vero « *domus cibi*, vel *domus oleae* ». — Inferius pro *hos* multi codd. *hoc.*

[2] Vulgata *Et qui prior descendisset.* — Subinde allegatur Act. 10, 34.

[3] Cod. B *quia*, H *id est qui*, ed. legit: *Quidam dicit, quia iste in* etc. Inferius pro *misereri* B *misericordia*, nonnulli alii codd. *miseria.*

[4] Vulgata *tempus.* — Inferius pro *eius indigentiam* ed. *suam indigentiam ipse languens.*

[5] Psalm. 21, 12, ubi pro *et non* Vulgata *quoniam non.* Vulgata etiam inferius post *Dum venio* addit *enim.* Superius post *piscinam* ed. prosequitur *id est, ita pauper sum, ut non sit qui adiuvet.*

[6] Vulgata addit *ille.* — Subinde allegantur Ps. 148, 5. et Esther 13, 9. Cfr. supra pag. 279, nota 5.

[7] Vers. 24. — Seq. locus est II. Reg. 1, 21. — Inferius post *Haec pluvia* ed. prosequitur *tantum descendit ad valles, id est ad humiles, non est in montibus, id est superbis.* Cfr. supra pag. 290, nota 13.

[8] Ita D (F a secunda manu); alii codd. vel ut ed. *requiescitur*, vel *requiescit*, cui in A et M secunda manus addidit *poenitens* (ita etiam Gorranus).

[9] Psalm. 37, 18. — Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 1.

[10] Vers. 22. — Sequitur Hebr. 10, 31. — Superius pro *severitatis* plures codd. *severitas.*

braeos decimo: *Horrendum est incidere in manus*
Tertia. *Dei viventis.* — Tertia consideratio, *opportunitatis loci*, quia post non erit locus poenitentiae; Ecclesiastae nono [1]: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu*
Quarta. *properas.* — Quarta est consideratio *incertitudinis diei extremi;* Ecclesiastae nono [2]: *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo super-*
Quinta. *venerit.* — Quinta est consideratio *incertitudinis status sui*, quia nescit, utrum aliquid fecerit Deo placitum; ideo dicebat in Psalmo [3]: *Et dixi: Nunc coepi;* Ecclesiastici decimo: *Omnis potentatus brevis vita.*

14. Infirmi sunt: *caeci* per ignorantiam peccan-
Species tres infirmorum quid sint. tes; Matthaei decimo quinto [4]: *Caeci sunt et duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* — Sunt *claudi*, qui peccant per impotentiam; ad Hebraeos duodecimo [5]: *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicetis.* — Sunt *aridi*, qui peccant per malitiam vel duritiam; Ecclesiastici tertio [6]: *Cor durum male habebit in novissimo;* Ecclesiastici trigesimo septimo: *O praesumtio nequissima! unde creata es cooperire aridam malitia et dolositate illius?*

Hi *sanantur* in *adventu Angeli*, id est visita-
Modus sanationis. tionis divinae; Iob trigesimo tertio [7]: *Increpat per dolorem in lectulo* etc. — *Post commotionem aquae*, id est lacrymationis internae; Threnorum secundo [8]: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* — *Per descensum* in piscinam aquae, id est humilitatem poenitentiae; Isaiae quadragesimo septimo [9]: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra; non est solium filiae Chaldaeorum.*

Quaestiones.

15. Quaest. I. Quaeritur hic de virtute istius piscinae:

1. Unde hanc virtutem habebat, et qua ratione illi piscinae sic continue collata erat?

2. Item, cum tanta esset virtus, unde est hoc, quod Scriptura de eo [10] mentionem non facit? Videtur, quod negligentia scriptorum fuerit. — *Si dicas*, quod apparuit haec virtus prope Christi passionem; quaeritur tunc: quare prope passionem apparuit, et quare adveniente passione cessavit?

Respondent quidam, quod in piscina illa erat li- Resp. 1.
gnum crucis, quod tunc temporis coepit apparere et supernatare; ideo ad nobilitandum suae passionis trophaeum voluit Dominus miraculum illud ostendere, et *prope* passionem, quia tunc coepit natare; et non *post* passionem, quia lignum inde extractum fuit. — Sed quia hoc de Scripturis auctoritatem non Non approbatur.
habet, eadem ratione, qua probatur, destruitur [11].

Propter hoc dicunt alii, quod in aqua illa nulla Resp. 2.
erat virtus, sed Angelus descendens secundum certum tempus hoc faciebat in aqua per virtutem sibi a Domino datam. — Dicendum igitur, quod haec virtus Ad quaesita.
data erat Angelo in aqua ad figuram baptismi, in quo fit ablutio per aquam et sanatio per Spiritum [12]. Et ideo prope baptismum praemissa fuit, et adveniente baptismate, cessavit. Ideo, quia parvo tempore duravit et tarde incepit, Scriptura de hoc mentionem non fecit. — Et sic patet responsio ad omnia Ad obiecta.
obiecta.

16. Quaest. II. Item quaeritur: 1. Cum aeque facile esset Domino curare omnes, sicut unum, et ipse sit largissimus; quare non dabat aquae illi effectum curandi omnes?

2. Item, de ipso Domino quaeritur similiter: quare tantum unum curavit, cum aeque facile omnes, sicut unum, curare posset?

Respondeo: Dicendum, quod illa sanatio corpo- Resp.
ralis magis erat in signum quam in beneficium illius cuius erat; ordinabatur enim ad animae curationem. Quia ergo ordinabatur ad eam designandam et praefigurandam, debuit eo modo fieri, quo optime significaret. Et quia sanatio in Ecclesia non est nisi in unitate fidei et caritatis, ideo tantum unus curabatur [13].

---

[1] Vers. 10.

[2] Vers. 12. — Superius pro *consideratio incertitudinis* ed. *incertitudo.*

[3] Psalm. 76, 11. — Sequitur Eccli. 10, 11, pro quo nonnulli codd. Eccle. 9, 1: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.*

[4] Vers. 14.

[5] Vers. 13.

[6] Vers. 27; ibid. 37, 3. est seq. locus, in cuius fine legit D *aridam malitiam et dolositatem.*

[7] Vers. 19. seqq.

[8] Vers. 19.

[9] Vers. 1.

[10] Codd. B C E et ed. *de ea.*

[11] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 81: Traditur a quibusdam, quod regina Saba vidit in spiritu in domo saltus [cfr. III. Reg. 7, 2.], quae Nethota dicebatur [i. e. *pigmentaria*, pars inferior lapidea, in qua reponebantur aromata et pigmenta ad usus templi et domus regiae], lignum dominicae crucis et nuntiavit Salomoni, cum iam recessisset ab eo, quod in eo moreretur quidam, pro quo occiso perirent Iudaei et perderent *locum et gentem* [Ioan. 11, 48.]. Quod timens Salomon defodit illud in terra, ubi post facta est piscina. Appropinquante autem tempore passionis Christi, superenatavit, quasi praenuntians Christum, et exinde coepit motio praedicta. Sed hoc non est authenticum. Cfr. ibid. in III. Reg. c. 22. et 26.

[12] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 36. (alias 35.) n. 1. — Inferius pro *baptismate* ed. *baptizante.*

[13] August., Serm. 125. (alias 15. ex Sirmondianis) n. 6: Quare autem unus [tantum sanabatur]? Quia unica est Ecclesia per totum orbem terrarum, unitas salvatur... Ab unitate ergo noli recedere, si non vis immunis esse ab ista salute. Cfr. Beda, in Ioan. 5, 4. — Superius pro *cuius erat* I *qui curabatur.*

Quod ergo obiicitur, non valet, quia non tan-
Ad obiecta. tum erat in beneficium, sed etiam in signum [1].

17. Quaest. III. Sed tunc ulterior est quaestio: Si misericordiae est misereri miseriae [2], ergo ubi maior miseria, magis debet inclinari misericordia: non ergo debebat sanari qui prior descendebat, sed qui magis indigebat.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum est [3],
Resp. signum erat curationis animae; et quia anima curatur a Deo secundum suam dispositionem ad suscipiendum gratiam, non secundum gravitatem in culpa; ideo qui prius et sollicitius descendebat prius sanitatem obtinebat.

18. Quaest. IV. Item quaeritur: cum Dominus paralytico Matthaei nono [4] suadeat confidentiam et ab aliis, quos sanavit, fidei confessionem exposcat; unde est hoc, quod ab isto nihil omnino quaerit?

Respondeo: Dicendum quod intelligimus: cum
Resp. 1. Dominus aliquem curavit, non solum in corpore, sed etiam in anima, totum scilicet, sanum reliquit.
Distinctio infirmorum. — Propter hoc notandum, quod quidam erant, qui ex culpa in aegritudinem inciderant; et quia hi sanari debebant in anima, et anima non sanatur [5] nisi per fidem Christi; a talibus Dominus confessionem fidei requirebat. — Alii erant, qui ad gloriam Dei manifestandam infirmi erant, ut caecus natus, infra nono [6], et Lazarus mortuus, infra undecimo; et a talibus Dominus confessionem fidei non requirebat, immo mera liberalitate sanabat; et de talium curatione mirabili agit Ioannes. Quia igitur iste talis fuit, ideo fidem non requisivit.

Sed quia haec solutio est contra Glossam [7], ideo
Resp. 2. dicendum, quod solum requirit fidem ab his qui quaerunt salutem.

19. *Erat autem Sabbatum* etc. Postquam de-
Secundo, de curationis calumniatione quinque. scripta est miraculosa paralytici curatio, describitur hic secundo *curationis calumniatio;* in cuius descriptione [8] procedit Evangelista hoc ordine. Primo insinuatur *curati reprehensio;* secundo, *calumniae in curantem devolutio;* tertio, *curantis manifestatio;* quarto, *manifestati persecutio;* quinto, in *persecutione obstinatio.*

20. (Vers. 9.). Insinuatur ergo primo *curati re-* Expositio litteralis. Primum.
prehensio ex hoc, quod tollebat grabatum in die Sabbati, in qua sanus factus fuerat. Propter quod innuens occasionem calumniandi dicit Evangelista: *Erat autem Sabbatum in die illa,* scilicet in qua curatus fuerat et grabatum portabat, et occasione huius Iudaei eum reprehendebant. Ideo subdit:

21. (Vers. 10.). *Dicebant ergo Iudaei ei qui sanus factus fuerat* [9], ipsum calumniando: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Tollere enim grabatum* opus servile videbatur, quod prohibitum erat fieri in Sabbato; Levitici vigesimo tertio: « Dies septimus erit celebrior et sanctior; omne opus servile non facietis in eo ».

22. (Vers. 11.). *Respondit eis.* Tangitur hic se- Secundum.
cundum, scilicet *calumniae in curantem devolutio,* quia ille infirmus sanatus se excusat per mandatum curantis. Ideo dicit: *Qui me sanum fecit,* per potestatem, *ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula,* per propriam praecipiens auctoritatem. Et certe, qui tantam habebat potestatem bene habuit tanti mandati auctoritatem; unde dixit Matthaei nono [10]: « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam ». Si peccata poterat dimittere, ergo in praecepto de Sabbato dispensare. Sed Iudaei, hoc non attendentes, de ipso interrogant, ut eum possint calumniari. Propter quod dicit:

23. (Vers. 12.). *Interrogaverunt ergo eum: Quis est homo ille,* homo infirmus, non Deus omnipotens, *qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum et ambula?* qui contra Legem praecepit, non per virtutem sanavit. Mala quaerunt, bona tacent; Proverbiorum undecimo [11]: « Bene surgit diluculo qui quaerit bona; investigator malorum opprimetur ab eis ». Et quia male quaerunt, ideo in inquisitione deficiunt. Ideo dicit:

24. (Vers. 13.). *Is autem, qui sanus effectus fuerat, nesciebat, quis esset;* ideo in inquirendo necesse habuerunt deficere; Psalmus [12]: « Defecerunt scrutantes scrutinio ». Ideo dictum est Iudaeis infra

---

[1] Hanc responsionem e codd. supplevimus.

[2] Gregor., XX. Moral. c. 29. n. 63: Misericordia autem a misero corde vocata est, eo quod unusquisque intueatur quempiam miserum atque ei compatiens, dum dolore animi tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet, cui intendit. Cfr. tom. IV. pag. 960, nota 5. Vide etiam infra 8, 9.

[3] In solutione quaest. praeced.

[4] Vers. 2: Confide, fili etc.; ibid. v. 26. seqq. agitur de sanatione duorum caecorum, quibus Iesus dicebat: Creditis, quia hoc possum facere vobis?... Secundum fidem vestram fiat vobis.

[5] Ed. legit: *et quia hi sanari debebant in corpore et anima, non sanabantur.*

[6] Vers. 3; ibid. 11, 4. est seq. locus. Cfr. Glossa *ordinaria* in Matth. 9, 2. et 5, quae ex dictis Hieron. et Bedae in hunc locum formata est. Vide etiam Bedam, in Ioan. 5, 14.

[7] Scilicet *ordinariam* (ex Beda), quae ad v. 14. ait: Innuit, quod propter peccata languebat. — Chrysost., in Ioan. homil. 37. (alias 36.) n. 2. censet, quod Christus ideo non requisivit fidem ab hoc infirmo, « quia ille nondum sciebat, quis ipse esset. Neque enim ante, sed post miracula hoc facere solet. Nam ii qui in ceteris potestatem eius viderant, iure hoc audiebant; qui vero nondum didicerant, quis esset, sed ex signis docendi erant, post illa edita ad fidem vocantur » etc. Cfr. infra n. 26. — Inferius post *quaerunt* (D *quaerebant*) ed. addit *ab ipso.*

[8] Ita E N; alii codd. et ed. *calumniationc.*

[9] Vulgata: *illi qui sanatus fuerat.* — Subinde allegatur Lev. 23, 8.

[10] Vers. 6.

[11] Vers. 27: Bene consurgit... bona; qui autem investigator malorum est etc.

[12] Psalm. 63, 7. — Sequitur Ioan. 7, 36.

septimo: « Quaeretis me, et non invenietis »; quia non quaerebant ad habendum, sed ad persequendum.

25. *Iesus autem* [1] *declinavit.* Tangitur hic ter-
Tertium. tium, scilicet *Christi quaesiti et non inventi manifestatio,* quae facta est non in turba, sed in ecclesia. Ideo dicit: *Iesus autem declinavit a turba constituta in loco,* scilicet a multitudine, quae erat in loco curationis; ideo nesciebat eum ille, quia in turba remanserat.

26. (Vers. 14.). *Postea invenit eum Iesus in templo,* quando scilicet a turba recesserat. Augustinus [2]: « In turba positus non cognovit Iesum, sed post in templo »; in quo docemur, ut, quisquis ad visionem Dei vult pervenire, fugiat turbam suorum affectuum et nequitiam hominum et adeat internae orationis templum. Unde in suscitatione puellae praecepit, eiici turbam tumultuantem, Matthaei nono [3]. Et quia Domini misericordia nos praevenit, non dicit, quod *ipse* invenerit Iesum, sed quod *Iesus invenit eum;* unde nec cognovit ipsum nisi per eius eruditionem, quam dedit [4]. Propterea subdit: *Dicit ei Iesus,* instruens ut bonus medicus: *Ecce, sanus factus es,* recolit beneficium; *iam noli peccare,* dissuadet peccatum; *ne deterius tibi aliquid contingat,* comminatur periculum; Lucae undecimo: « Facta sunt novissima hominis illius peiora prioribus ».

27. (Vers. 15.). *Abiit ille homo.* Tangitur hic
Quartum. quartum, scilicet *Christi manifestati persecutio.* Cognoverunt enim Iudaei, illo homine referente, quod Christus eum sanum fecisset. Unde dicit: *Abiit ille homo et nuntiavit Iudaeis,* qui scilicet ab eo quaesierant, *quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Non hoc dixit detrahendo vel accusando, sed nomen Christi annuntiando; unde Glossa [5]: « Annuntiat iste salutem Iudaeis, ut sequantur; sed illi e contrario persequuntur ». Ideo subdit:

28. (Vers. 16.). *Propterea persequebantur Iudaei Iesum, quia haec faciebat in Sabbato.* Videbatur enim Legem eorum velle destruere et Domino, qui praeceptum de custodiendo Sabbato dederat, contraire; infra nono [6]: « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit »; Lucae sexto: « Observabant scribae et Pharisaei Iesum, si in Sabbato curaret ».

29. (Vers. 17.). *Iesus autem respondit.* Tangi-
Quintum. tur hic quintum, scilicet *in persecutione obstinatio,* quae consecuta est ad Domini responsionem ostendentis, se non solvere Sabbatum. Propter quod dicit: *Iesus autem respondit eis,* scilicet Iudaeis persequentibus: *Pater meus usque modo operatur,* etiam in Sabbato, et tamen non solvit Sabbatum; *et ego operor,* scilicet Patri cooperando etiam in Sabbato. Si ergo Deus non solvit Sabbatum, nec ego solvo; Matthaei duodecimo [7]: « Dominus est Filius hominis etiam Sabbati »; et quia *Dominus,* potest in eo sine reprehensione aliqua operari. Ex hac responsione Iudaei sunt in malitia obfirmati, ex qua debuerunt pacificari. Propterea subdit, scilicet propter istam responsionem:

30. (Vers. 18.). *Propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere;* quia non poterant responsioni contradicere, quaerebant eum interficere; infra septimo [8]: « Quid me quaeritis interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis »? *Quia non solum solvebat Sabbatum,* secundum suam sententiam, *sed etiam Patrem suum dicebat Deum; suum,* singulariter; *aequalem se faciens Deo,* quod ipsi reputabant blasphemiam; infra decimo [9]: « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum »; *faciens,* quasi non esset, sed se Deum faceret.

Quaestiones.

31. Quaest. I. Sed quaeritur hic: cum praeceptum de Sabbato sit praeceptum de prima tabula, in quibus, sicut dicit Bernardus [10], non potest Deus dispensare; videtur, quod Dominus male fecerit solvendo Sabbatum. — *Si dicas,* quod in praecepto est aliquid *morale* et aliquid *caeremoniale;* et secundum quod *morale* spectat ad primam tabulam, et sic non solvit; secundum quod *caeremoniale* non spectat ad Decalogum, et sic solvit [11];

Tunc 1. est quaestio: quid est in eo *morale,* et quid *caeremoniale?*

2. Item est quaestio: quare praeceptum tertium magis habet secum annexam observantiam caeremonialem quam aliquod aliud mandatum decalogi? — Et videtur, quod non deberet ei admisceri, sicut nec umbra veritati.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum est, Resp.
mandatum de Sabbato aliquid habet *morale,* habet

---

[1] Ita etiam August., in Ioan. Evang. tr. 17. n. 11, quem sequuntur card. Hugo, B. Albert. et Thomas; Vulgata *enim.*

[2] In Ioan. Evang. tr. 17. n. 11: In turba non eum vidit, in templo vidit. — De seq. propositione cfr. Beda, in Ioan. 5, 10.

[3] Vers. 24. Cfr. supra c. 4. n. 50.

[4] Cfr. supra pag. 306, nota 7. — Inferius pro *Dicit ei Iesus* Vulgata *Et dixit illi.* Subinde allegatur Luc. 11, 26: Et fiunt novissima etc.

[5] Scilicet *interlinearis.* Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 17. n. 12: Ille annuntiabat, et illi insaniebant; ille salutem suam praedicabat, illi salutem suam non quaerebant.

[6] Vers. 16. — Seq. locus est Luc. 6, 7.

[7] Vers. 8.

[8] Cap. 7, 20: Quid me quaeritis interficere? Ibid. 8, 40: Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.

[9] Vers. 33.

[10] In Lib. de Praecepto et dispens. c. 3. n. 6. seq. Cfr. I. Sent. d. 47. q. 4. in corp.

[11] E codd. supplevimus *secundum quod caeremoniale... solvit.*

etiam aliquid *caeremoniale;* et ideo in Lege non tantum ponitur inter moralia, sed etiam inter caeremonialia.

1. Quod ergo quaerit, quid sit in eo morale et
Ad quaesita. caeremoniale; dico, quod in mandato illo praecipitur homo *vacare Deo,* ut templum illius fiat per dilectionem, et hoc est *morale.* Ulterius est ibi *significatio diei,* et praeter hoc *quietatio* ab omnibus operibus servilibus; et ista duo sunt *caeremonialia* [1].

2. Quod quaeritur: quare magis habet coniunctam caeremoniam? respondet Augustinus, ad Ianua-
Ratio 1. rium [2], quod est praeceptum dilectionis, quia tertium praeceptum respicit tertiam in Trinitate personam, et praecipitur ibi dilectio. Ut ergo ostendatur, quod omnia caeremonialia sunt referenda ad dilectionem Dei et proximi et ad illum finem exponenda; ideo dilectionis mandato observantiam caeremonialem ad-
Ratio 2. iunxit. — Alia ratio potest reddi, quod in dilectionis mandato mandata cetera diriguntur et implentur [3].
Ratio 3. — Rursus, in vacando Deo et considerando legem divinam diligens efficitur homo in eiusmodi observantia legis. Quia ergo in hoc mandato praecipitur dilectio et Deo vacatio, omnium mandatorum observantia pendet ex hoc; et ideo, hoc neglecto et in oblivionem tradito, cetera negligerentur. Ideo, ne *oblivioni traderetur,* significavit Dominus diem; ne etiam ob alia *negligeretur,* ab omnibus aliis cessare praecepit; et hoc *caeremoniale.*

32. Quaest. II. Item quaeritur, utrum Dominus mandatum de Sabbato solverit quantum ad observantiam caeremonialem. — Quod non, videtur: quia non prohibetur ibi nisi opus servile; et Dominus nullum opus servile in eo faciebat; unde Lucae decimo quarto [4] Dominus ostendit, quod non solvit.

Quod autem solverit, videtur: quia Iudaei propter hoc eum persequebantur.

Respondeo: Dicendum, quod observatio eius
Resp. cum distinctione. quod erat caeremoniale in Sabbato, triplex erat, scilicet *spiritualis, litteralis* et *consuetudinalis. Spiritualem* non solvit nec solvere potuit, sed implevit; *litteralem* solvere potuit, non tamen solvit, quia nullum opus servile fecit [5]; *consuetudinalem* solvit et solvi praecepit: *solvit,* quando *fecit lutum ex sputo* [6]; *solvi praecepit,* quando grabatum praecepit sustolli. Hoc enim non erat contra observantiam litteralem, sed consuetudinalem et superinductam.

33. Quaest. III. Item obiicitur de hoc quod dicit Evangelista, quod *Iudaei persequebantur Iesum, quia haec faciebat in Sabbato:* si Dominus aeque bene hoc facere poterat in aliis diebus, ut in Sabbato; videtur, quod Dominus ipse sibi persecutionem excitaverit Iudaeorum nulla causa opportuna.

Respondeo: Dicendum, quod ratio huius fuit Resp.
doctrinae veritas [7]. Quia enim observantiae caere- Ratio 1.
moniales debebant in Christi adventu cessare, ipse, qui magister fuit veritatis, *debuit* hoc docere et per suam vitam ostendere, ut apud nos veritas Evangelii remaneret. — Secunda ratio fuit divini *iudicii seve-* Ratio 2.
ritas: quia, sicut dicitur infra nono [8], *in iudicium ego veni in mundum* etc. Quia ergo ex hoc mali excaecabantur ad procurandam Christi mortem, quae fuit nostra salus; boni vero illuminabantur ad credendum, eum esse qui Legem dederat et solvere potRatio 3.
erat: ideo etc. — Tertia ratio *communis necessitas,* quia tunc pauperes et simplices conveniebant ad synagogas, quos debebat Dominus attrahere per miracula.

34. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod Dominus respondit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor. — Contra:* Genesis secundo [9]: *Requievit Deus ab omni opere, quod patrarat:* ergo videtur, quod sit ibi contradictio.

Respondeo: Dicendum, quod est opus primae Resp. cum distinctione.
conditionis, et hoc consistit in *creatione* eorum quae spectant ad complementum universi et includit in se *creationem, distinctionem* et *ornatum;* et hoc perfectum fuit in sex diebus. Ab hoc opere Deus requievit. Aliud est opus *conservationis* [10]; et quia res non possunt conservari in se ipsis, quia natae sunt per naturam corrumpi; consistit hoc opus in *transmutatione* et *propagatione* et *animarum creatione;* et hoc opere operatur Deus et cooperatur naturae cooperanti. Et de hoc opere intelligit hic, a quo non cessat in Sabbato [11].

35. *Respondit itaque Iesus* etc. Supra descripta Tertio, de calumniationis confutatione.
est miraculosa curatio et eius calumniatio; hic incipit tertia pars capituli, in qua determinatur *calumniationis confutatio.* Confutat enim Dominus Iudaeos ipsum calumniantes de opere curationis; et hoc ostendendo suam in operando omnipotentem potentiam. — Et dividitur haec pars in duas, quia Divisio in 2 membra.
primo ostenditur eius potentia et declaratur in *generali;* secundo vero, in *speciali,* ibi [12]: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit.*

Filii igitur Dei *potentia* hoc ordine declaratur Primo, de potentia in generali quatuor.
et manifestatur. Primo notatur *potestatis origo;* se-

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 3. et de Decem praeceptis (tom. V.) collat. 4.

[2] Epist. 55. (alias 119.) c. 11. n. 20. Cfr. III. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. in corp.

[3] Vide Rom. 13, 8. seqq. — Superius fide codd. addidimus *dilectionis mandato... potest reddi, quod.*

[4] Vers. 2. seqq., ubi, sanato hydropico in die Sabbati, proponit eis quaestionem de bove aut asino ex puteo die Sabbati extrahendo, si in illum ceciderit. — Superius pro *ibi* L *in Lege,* et pro *prohibetur* plures codd. *prohibebatur.*

[5] Sed opera misericordiae; cfr. Beda, in Luc. 14, 5.

[6] Ioan. 9, 6.

[7] Codd. A B D H I K L *necessitas.* Inferius pro *apud nos* ed. *apud omnes.*

[8] Vers. 39.

[9] Vers. 2.

[10] Permulti codd. *conservando.*

[11] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XII. c. 5. in fine; d. XV. c. 7, et ibid. Comment. a. 2. q. 3; Breviloq. p. II. c. 2.

[12] Vers. 24. — Pro *declaratur* N *declaratio.*

cundo, *potentiae magnitudo;* tertio, *magnitudinis declaratio;* quarto vero, *declarandi ratio.*

Expositio litteralis. Primum.

36. (Vers. 18. 19.). Primo igitur notatur *potentiae Filii Dei origo.* Dicit enim Filius Dei, quod a se ipso non habet potentiam operandi, sed a Patre. Propterea dicit: *Respondit itaque Iesus et dixit eis,* scilicet Iudaeis persequentibus et calumniantibus: *Amen, amen dico vobis,* id est vere et certitudinaliter, *non potest Filius a se facere quidquam.* Sicut enim non habet *esse* a se, sed a Patre; sic nec *operari* a se, sed a Patre; infra octavo [1]: « A me ipso facio nihil ». *Nisi quod viderit Patrem suum facientem,* id est, solum hoc potest, quod a Patre potente accepit, ut posset; infra octavo: « Ego quae vidi apud Patrem meum, haec loquor ». Et ita, quidquid potest, a Patre potest, et nihil aliud potest, nisi quod a Patre accepit, ut posset.

Secundum.

37. *Quaecumque enim* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *potentiae magnitudo,* in hoc, quod quamvis Filius accipiat *posse* a Patre, tamen ita magnum *posse* habet, ut Pater. Ideo dicit: *Quaecumque enim;* bene dixi, quod Filius facit « quod videt Patrem facientem »; *quaecumque enim ille facit* [2], *haec et similiter Filius facit: similiter,* uniformiter et concorditer; *similiter,* quia aeque potenter. Unde ad Colossenses primo de Filio dicitur: « Omnia per ipsum et in ipso creata sunt »; quia, sicut dicitur supra primo, « sine ipso factum est nihil ».

Notandum.

Et *ratio* indivisionis in opere est indivisio in essentia et in dilectione. Ideo dicit:

38. (Vers. 20.). *Pater enim diligit Filium.* Bene dixi, quod Filius potest omnia facere, quae et Pater; *Pater enim diligit Filium.* Ideo summe *diligit,* quia summe unum; infra decimo [3]: « Ego et Pater unum sumus »; et quia summe unum, ideo omnia *communicat* Filio; ideo subdit: *Et omnia demonstrat ei, quae ipse facit; omnia demonstrat,* id est, omnis operationis potentiam communicat. Et

Notandum.

huius communicationis ratio est unitas et dilectio; supra tertio [4]: « Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius ».

Tertium.

39. *Et maiora his* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *magnitudinis potentiae declaratio,* quae fit per magnitudinem operum, quae Dominus Iudaeis ostensurus erat per Filium. Ideo dicit: *Et maiora his,* supple: quae vobis ostensa sunt, *demonstrabit ei opera,* id est, per eum demonstrabit vobis, *ut vos miremini,* prae magnitudine, supple; infra decimo [5]: « Multa bona opera ostendi vobis ». Et quae sint ista opera, ostendit: quia suscitatio mortuorum. Unde dicit:

40. (Vers. 21.). *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat,* per potentiam omnipotentem; *sic et Filius quos vult vivificat,* per potentiam ei aequalem; infra undecimo [6] habetur de Lazari suscitatione in corpore, et de suscitatione in anima dicitur: « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ». Exemplum suscitationis corporalis habetur similiter Lucae septimo.

Quartum.

41. (Vers. 22.). *Neque enim Pater iudicat quemquam.* Tangitur hic quartum, scilicet *declarandi potentiam ratio;* quare scilicet Deus potentiam suam declarat in Filio et per Filium. Ut ostendat eum sibi aequalem et aeque honorandum; et ideo tribuit Filio *iudicium.* Propter quod dicit: *Neque enim Pater;* bene dixi [7], quod « maiora his demonstrabit opera, ut vos miremini », quia etiam propter hoc iudicium tribuit. Ideo dicit: *Neque enim Pater iudicat quemquam,* in iudicio scilicet apparendo, *sed omne iudicium dedit Filio;* Actuum decimo: « Ipse est constitutus a Deo iudex vivorum et mortuorum ». Et ratio huius redditur Filii honorificatio; unde dicit:

42. (Vers. 23.). *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* De hoc Proverbiorum septimo [8]: « Fili, honora Dominum, et valebis; praeter eum ne timueris alienum ». Filius Dei est honorandus et timendus ratione iudiciariae potestatis, quia « potest et animam et corpus perdere in gehennam », Matthaei decimo [9]. Et ratio, quare vult Filium Pater honorari: quia honor Filii est Patris; ideo dicit: *Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum;* infra octavo: « Honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me ». Augustinus [10]: « Si minor crederetur Filius Patre, Pater inhonoraretur, quia vel invidus nollet genuisse aequalem, vel infirmus non posset ».

Quaestiones.

43. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Filius non potest a se facere quidquam.*

---

[1] Vers. 28; ibid. v. 38. est seq. locus. Cfr. infra n. 43. seqq.

[2] Vulgata *fecerit.* — Duo seqq. loci sunt Col. 1, 16. et Ioan. 1, 3. — Inferius pro *uniformiter* plures codd. *misericorditer,* et pro *concorditer* ed. *conformiter,* M legit *misericorditer, iuste et ideo conformiter.*

[3] Vers. 30. — Superius pro *Bene* A K *Unde.* Inferius post *Filio* ed. supplet *Pater.*

[4] Vers. 35. — Pro *communicationis* E H N O *communicantiae.*

[5] Vers. 32.

[6] Vers. 44; ibid. v. 25. est seq. locus. Subinde allegatur Luc. 7, 15, ubi de resuscitatione filii unici viduae in Naim.

[7] Vers. 20. — Sequitur Act. 10, 42. Cfr. IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 1.

[8] Vers. 1, ubi haec verba omissa a Vulgata a septuaginta interpretibus addita sunt.

[9] Vers. 28. — Subinde allegatur Ioan. 8, 49.

[10] In Ioan. Evang. tr. 19. n. 6: Ibi tollis honorem Patri, ubi minorem das Filio. Quid enim aliud tibi videtur ita sentienti, nisi quia Pater aequalem sibi Filium generare aut noluit, aut non potuit? Si noluit, invidit; si non potuit, defecit. Cfr. II. contra Maximin. c. 15. n. 5. — Pro *crederetur* ed. et aliqui codd. *creditur,* alii omittunt *Patre.*

Contra: Potentior est qui potest a se, quam qui ab alio; sed Pater potest a se ipso, Filius ab alio: ergo Pater est potentior Filio. — *Si tu dicas:* Maioritas potentiae consistit in virtute, non consistit in modo habendi, et *habere a se* dicit solum modum habendi, non virtutem, et ita non sequitur, quod Pater sit potentior Filio; *obiicitur,* quod nobiliori modo habetur quod habetur a se, quam quod ab alio: ergo si Pater habet potentiam a se, nobiliori modo habet eam quam Filius, qui habet ab alio.

Respondetur ad hoc, quod *habere ab alio* est duobus modis, per *participationem* scilicet, vel per solam *emanationem. Habere ab alio per participationem* minus nobilis modus est; modus enim participationis modo habendi per essentiam non aequatur. Alio modo est *habere ab alio tantum per emanationem,* ita quod ille qui emanat, habet per *essentiam,* sicut ille qui dat; et hoc nullam omnino ponit ignobilitatem, immo omnimodam aequalitatem. *Habere enim a Patre* ita nobilitatis est in Filio, sicut *generare* in Patre. Et sic patet illud [1].

Resp. cum distinctione.

44. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Filius nihil potest, nisi quod viderit Patrem facientem;* et iterum, quod *Pater demonstrat Filio quaecumque facit.*

1. Ergo si per naturam prius est aliquid, quam videatur [2]; prius Pater operatur, et post Filius ad eius operationem tanquam ad exemplar.

2. Item, si Pater nihil omnino potest sine Filio operari, quomodo dicit, quod Filius operatur, sicut videt Patrem operantem?

Respondeo: Dicendum, quod idem dicitur, cum dicitur: Pater demonstrat Filio, et: Filius videt Patrem operantem; solum differentia est quoad terminos. Intelligendum autem, quod ista verba translata sunt a creaturis ad Deum. Duplicem autem importat verbum *demonstrandi* similiter et *videndi* proprietatem. Una scilicet est *emanatio cognitionis;* quia video te sic operantem, relinquitur in me cognitio operandi; alia est *exemplaritas antecessionis;* sic [3] operatio tua et demonstratio praecedit meam cognitionem tanquam exemplar. Dico ergo, quod ratione primae conditionis transfertur ad divina, scilicet ratione *emanationis,* ratione *antecessionis* non. Unde *Patrem demonstrare Filio* non est, quod Pater prius cognoscat quam Filius, sed quod Pater dat Filio; similiter *Filium videre Patrem operantem* non est, quod Pater prius operetur, sed quod Filius habet a Patre [4].

Resp. Duplex proprietas.

45. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit.*

Contra: 1. Pater generat Filium: ergo Filius generat Filium. — *Si dicas,* quod *generare* non dicit operationem, sed relationem; *obiicitur,* quod *mittere Filium* dicit operationem: ergo si, quamcumque operationem facit Pater, hanc facit et Filius; si Pater mittit Filium: ergo et Filius [5].

2. Item, si Trinitas omnino est indivisa in substantia et operatione; cum *manifestatio* et *apparitio* fiat per operationem, quomodo potest *apparere* vel se manifestare Trinitas in aliqua suarum hypostasum determinate? Nullo modo videtur.

Intelligendum ad haec, quod quaedam verba dicta de Deo dicunt *puram relationem,* sicut *generare;* quaedam *puram* [6] *actionem,* sicut *creare;* quaedam *actionem et relationem,* sicut *mittere;* quaedam *actionem et significationem,* sicut *apparere.* — Dico igitur, quod quando dicitur: *Quaecumque Pater facit,* intelligitur quantum ad *operationem,* quae communis est et essentialis. Si igitur inferatur verbum significans *mere actionem,* illatio bona est; si vero *mere relationem,* illatio omnino sophistica per figuram dictionis [7]. Si autem verbum significans *actionem et relationem;* etsi ratione *actionis* teneret illatio, fallit ratione *relationis* inclusae, sicut *mittere* et *incarnari.* Similiter de verbo importante *actionem et significationem,* fallit ratione *significationis.* Sicut enim dicit Augustinus [8], etsi omnis actio et species sit a tribus, tamen alia specialiter significat Patrem, alia Filium. — Exemplum est de hoc nomine *intelligentia,* quod profertur operatione trium potentiarum, scilicet memoriae, intelligentiae et voluntatis, et tamen alteram illarum significat. Sic et est in proposito et sic patet [9].

Resp. Species & verborum. Notandum. Exemplum.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 19. p. I. q. 2. Vide etiam ibid. d. 7. q. 2.

[2] Codd. *videri,* incongrue, nisi post *prius est* addatur *esse.*

[3] Plures codd. et ed. *sicut.*

[4] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 23. n. 7. Vide etiam I. Sent. d. 6. q. 3.

[5] Ed. addit *mittit Filium.* Pro *si Pater* non pauci codd. *sed Pater.*

[6] Non pauci codd. *pure.*

[7] De qua vide Aristot., I. Elench. c. 3. (c. 4.).

[8] Lib. contra Sermonem Arian. c. 14. n. 9. seqq., ubi etiam [c. 16.] seq. exemplum his verbis proponitur: Tria itaque ista in hominis anima cogitemus: memoriam, intelligentiam, voluntatem; ab his tribus fit omne, quod facimus... nihil enim agimus, quod non haec tria simul agant. Deinde, cum de singulis loquimur, etiam quod ad singula pertinet ab omnibus agitur. Neque enim sermonem, quem de sola memoria facimus, memoria sola facit, sed intelligentia voluntasque cooperantur eum, quamvis ad solam memoriam pertinentem. Hoc et de duobus ceteris videre facillimum est. Nam quidquid de se ipsa intelligentia loquitur, sine memoria et voluntate non loquitur; et quidquid de se ipsa voluntas dicit aut scribit, sine intelligentia memoriaque non facit etc. Cfr. Lib. de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 35. Vide etiam I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. et 2; Itiner. mentis in Deum (tom. V.) c. 3. — Ed. inferius post *alia Filium* prosequitur *alia Spiritum sanctum. Exemplum est de hominis anima, quae una existens principium est trium operationum, scilicet* etc. (Gorranus: Exemplum est de nomine intelligentia, quae una existens etc.) Pro *quod profertur* D *quae profertur.*

[9] Cfr. Breviloq. p. I. c. 5. et 6. — Ed. *patent obiecta.*

46. Quaest. IV. Item quaeritur de ratione illa, quod *Pater omnia demonstrat Filio*, quia *Filium diligit. Demonstrare Filio* hoc est Filium generare, ut dicit Augustinus [1]. Aut ergo *diligere* sumitur ibi *notionaliter*, aut *essentialiter*. Si *notionaliter*, falsa est, quia communis spiratio non est ratio emanandi per generationem, quia generatio secundum rationem intelligendi prior [2]. Si *essentialiter*, adhuc falsa, quia essentia non est ratio emanationis nec relationis; tunc enim Filius generaret.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur: *Pater* Resp. *omnia demonstrat Filio*, et dico, quod *demonstrat*, et dico, quod *omnia*. Dico igitur, quod ratio *demonstrandi omnia* est *dilectio*, non quia demonstrandi *simpliciter*, sed quia demonstrandi *omnia* [3]. *Dilectio* enim accipitur *essentialiter* et dicit unitatem summam Patris ad Filium; et quia summa est unitas in *essentia*, ideo omnimoda indivisio in *operatione;* et ideo necesse est, quod in omnibus Filius Patri cooperetur. Ideo bene dicit: *Omnia demonstrat*, quia summe *diligit* [4].

47. *Amen, amen dico vobis, quia qui* etc. De- Secundo, de potentia in speciali. claravit Dominus suam potentiam in communi; hic incipit eam declarare *in speciali*, descendens ad *potentiam vivificandi* et ad *potentiam iudicandi;* Divisio in 2 membra. ideo habet haec pars duas partes. In prima declarat suam potentiam in *vivificando;* in secunda, suam potentiam in *iudicando*, ibi [5]: *Et potestatem dedit ei iudicium facere* etc. Potentia vivificandi respicit *benignitatem misericordiae;* potentia iudicandi *severitatem iustitiae.*

Potentiam igitur *vivificandi* hoc ordine descri- Primo, de potentia vivificandi tria. bit, primo scilicet, *quos* vivificat; secundo, *quomodo* vivificat; tertio, *qua virtute* vivificat. Et primum respicit *obiectum*, secundum respicit *actum*, tertium vero *virtutem*. In his tribus consistit potentiae perfecta cognitio, scilicet in virtute, opere et obiecto.

48. (Vers. 24.). Primo ergo determinat, *quos* Expositio literalis. Primum. *vivificat*, vita scilicet animae, quoniam non omnes, sed credentes. Hi sunt qui verbum Dei audiunt et audito credunt [6]; ideo dicit: *Amen, amen dico vobis*, id est vere; *quia qui verbum meum audit*, se ad fidem disponendo, quia, ad Romanos decimo, « fides ex auditu »; *et credit ei qui misit me*, audito consentiendo; infra duodecimo: « Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me »; ille quidem *habet vitam aeternam;* supra tertio: « Qui credit in Filium Dei habet vitam aeternam », vitam aeternam, non poenam. Unde etiam subdit: *Et in iudicium non venit*, in iudicium scilicet mortis; *sed transit de morte ad vitam* [7]; *de morte*, id est de praesenti vita, quae mors est, transit ad vitam aeternam sine iudicio condemnationis; supra tertio: « Qui credit in eum non iudicatur ». Vita vero praesens *mors* dicitur, quia, sicut dicitur ad Romanos octavo, « corpus mortuum est propter peccatum ». Ab hac morte transeunt ad vitam iusti, quibus temporaliter mori *transire* est; infra decimo tertio [8] de Christo capite: « Sciens, quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem ». De hoc iusti in Psalmo gloriantur: « Et laetentur omnes, qui sperant in te; in aeternum exsultabunt, et habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto ».

49. (Vers. 25.). *Amen, amen dico vobis.* Secundum. Tangitur hic secundum, scilicet *quomodo vivificat*, scilicet per internam inspirationem, quam qui audit vivificatur; ideo dicit: *Venit hora et nunc est*, scilicet gratiae, quae *nunc est;* de qua ad Romanos decimo tertio [9]: « Hora est, iam nos de somno surgere », de somno scilicet peccati et mortis; *quando mortui*, per culpam, *audient vocem Filii Dei*, per internam inspirationem; ad Ephesios quinto: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus ». *Et qui audierint vivent*, per gratiam, quia sermo eius vivificat audientes; infra decimo [10]: « Oves meae vocem meam audiunt, et ego vitam aeternam do eis »; et hanc *verbo* do et conservo; Deuteronomii octavo: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei ».

50. (Vers. 26.). *Sicut enim Pater* etc. Tangi- Tertium. tur hic tertium, *qua* scilicet *virtute vivificat*, quoniam virtute propria secundum Divinitatem sibi a Patre datam per generationem; unde dicit: *Sicut enim* etc. Bene dixi, quod Filius *vivificat; sicut enim Pater habet vitam in semetipso*, id est per essentiam; *sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*, id est per essentiam, non per participationem. Et quia illud quod est vita per essentiam, omnibus influit vitam, ut dicit Dionysius [11]; ideo Fi-

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 21. n. 4: Sic ergo demonstrat Pater rem, quam facit, Filio, ut in Patre videat omnia Filius, et in Patre sit omnia Filius. Videndo enim natus est et nascendo videt etc. Ibid. tr. 23. n. 9: Pater ostendit Filio quod facit, et ostendendo Filium gignit.

[2] Cfr. Breviloq. p. I. c. 3. De seq. propositione cfr. I Sent. d. 5. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1.

[3] Codd. brevissime legunt: *non quia demonstrandi, sed quia omnia.* Superius post *Filio* M addit *duo dico.*

[4] Cfr. supra n. 38. et I. Sent. d. 11. q. 2. — Ed. *Filium diligit.*

[5] Vers. 27.

[6] Cfr. Matth. 13, 19. seqq. — Subinde allegantur Rom. 10, 17; Ioan. 12, 44. et 3, 36.

[7] Edd. Vulgatae habent vel *transit*, vel *transiit*, vel *transiet*, unde factum, quod etiam nos, non eadem semper ed. usi, diversimode hunc textum allegavimus; cfr. supra pag 125, nota 9. et pag. 283, nota 10. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 3, 18. et Rom. 8, 10.

[8] Vers. 1. — Sequitur Ps. 5, 12. seq. Cfr. supra Comment. in Sap. 3, 1. in fine. — Retinuimus cum ed. verba Psalmi, quae a codd. omittuntur.

[9] Vers. 11. — Seq. locus est Eph. 5, 14.

[10] Vers. 27. et 28. — Subinde allegatur Deut. 8, 3. Cfr. Matth. 4, 4. et Luc. 4, 4.

[11] De Div. Nom. c. 6. per totum. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 11, 25. et 14, 6. Cfr. I. Sent. d. 20. a. 1. q. 2. ad 3. et Prooem. in III. Sent. — Mox vocibus *se ipso* D M praefigunt *de.*

lius potens est se ipso dare vitam. Unde infra undecimo: « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet »; similiter infra decimo quarto: « Ego sum via, veritas et vita »; non sum vivens *aliena* vita, sed sum vita *aliis dando vivere.*

51. *Et potestatem dedit ei.* Declaravit potentiam suam in vivificando, hic declarat suam potentiam *in iudicando;* et hoc quidem facit hoc ordine. Primo enim tangit, *qua virtute* iudicat; secundo, *quos* iudicat; tertio, *quomodo* iudicat, secundum illa tria, secundum quae descripta est *potentia vivificandi.*

Secundo, de potentia iudicandi tria.

(Vers. 27.). Primo ergo determinat, *qua virtute iudicat,* quoniam potestate sibi secundum humanitatem a Patre collata. Propterea dicit: *Et potestatem dedit ei,* scilicet Pater Filio, *iudicium facere, quia Filius hominis est;* ideo in humanitate, ut possint eum *reprobi videre* in iudicio, qui Deum videre non possunt; Apocalypsis primo [1]: « Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt »; ideo in humanitate, quia *in humanitate iudicatus est;* Iob trigesimo sexto: « Causa tua quasi impii iudicata est, iudicium causamque recipies ».

Primum.

52. (Vers. 28.). *Nolite mirari hoc.* Tangitur hic secundum, scilicet *quos iudicat;* quia, licet omnes debeat suscitare, non tamen omnes iudicabit, sed malos [2]; unde dicit: *Nolite mirari hoc,* scilicet quod dictum est [3], quod « potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est »; *quia venit hora,* scilicet finis saeculi; Iob decimo quarto: « Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum »; *in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Si mortui audient, constat, quod resurgent ad eius vocem; primae ad Thessalonicenses quarto [4]: « Ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi ». Et licet omnes resurgant, non tamen omnes iudicabuntur; ideo dicit:

Secundum.

53. (Vers. 29.). *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae;* quia ad hoc resuscitabuntur, ut vivant; *qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii,* id est damnationis, hos scilicet iudicabit Dominus; secundi Machabaeorum septimo [5]: « Potius est, ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, ab ipso iterum esse resuscitandos; tibi autem resurrectio non erit ad vitam »; dicitur Antiocho; *non ad vitam,* sed ad iudicium; primae ad Corinthios quinto [6]: « Eos qui foris sunt, iudicabit Deus », qui foris sunt per malam vitam; Danielis duodecimo: « Multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ».

54. (Vers. 30.). *Non possum ego a me ipso.* Tangitur hic tertium, scilicet *quomodo iudicat:* quia iuste, non secundum suam voluntatem a voluntate Dei declinando, sicut homines, qui pervertunt iudicium [7]. Ideo dicit: *Non possum ego a me ipso facere quidquam,* et ita nec iudicare; sed *sicut audio, iudico,* id est, sicut a Patre accipio, et ex hoc sequitur, quod iuste iudicat. Ideo dicit: *Et iudicium meum iustum est,* quia non declinat a regula iustitiae per discordiam voluntatis; et hoc est: *Quia non quaero voluntatem meam,* in iudicando scilicet, *sed voluntatem eius qui misit me,* id est Dei Patris, qui iustus est; unde infra octavo [8]: « Qui misit me verax est »; et post: « Quae placita sunt ei facio semper »; et ideo *iuste,* quia, Deuteronomii trigesimo secundo, « Deus fidelis et absque ulla iniquitate, iustus et rectus »; in Psalmo: « Iustus Dominus in omnibus viis suis » etc.

Tertium.

Quaestiones.

55. Quaest. I. Quaeritur hic: secundum quam naturam data est Filio iudicandi potestas? — Quod secundum *humanam,* videtur:

1. Per litteram [9]: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*

2. Item, Augustinus [10]: « Potestatem iudicii dedit ei in carnem mittendo ».

Sed contra: 1. Deuteronomii trigesimo secundo [11]: *Mea est ultio, et ego retribuam,* dicit Dominus: ergo solius Dei est vindicta: ergo si *iudicium* est vindicta, est ergo Filii secundum divinam naturam.

2. Et hoc ostenditur per litteram [12]: *Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut et Patrem;* sed Filius non est honorificandus sicut Pater secundum humanam naturam, sed solum secundum divinam: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod potestas iudicandi est duplex, scilicet *auctoritatis* et *ministerii.* Prima

Resp. cum distinctione.

---

[1] Vers. 7. — Sequitur Iob 36, 17. Cfr. IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 1-3.

[2] Cfr. infra n. 53. et 57. et supra pag. 128, nota 2. et pag. 284, nota 10. — Ed. *malos tantum.*

[3] Vers. 27. — Sequitur Iob 14, 12.

[4] Vers. 16. — Inferius post *iudicabuntur* ed. addit *iudicio damnationis;* cfr. loci in nota 2. allegati.

[5] Vers. 14. — Superius pro *damnationis* D *condemnationis.*

[6] Vers. 13. — Sequitur Dan. 12, 2.

[7] Cfr. Deut. 24, 17. et 27, 19.

[8] Vers. 26. et 29. — Sequuntur Deut. 32, 4. et Ps. 144, 17.

[9] Vers. 27.

[10] In Ioan. Evang. tr. 22. n. 11: Deinde, quia homo factus, quid illi dedit? *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*

[11] Vers. 35. Cfr. Rom. 12, 19: Scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.

[12] Vers. 22. et 23.

est totius Trinitatis, ministerii vero est Filii sedentis et apparentis in iudicio, et hoc secundum humanam naturam, et de hac hic loquitur [1].

1. Quod ergo obiicit: Mihi vindicta etc., non excludit Filium incarnatum, sed hominem purum.

2. Quod obiicit de honorificatione, dicendum, quod persona Filii propter humiliationem incarnationis videbatur descendisse; ideo Pater voluit, quod in eadem humanitate, in qua apparebat humilis, iudicaret, ut nemo ipsum incarnatum contemneret, sed sicut Patrem timeret tanquam eum cuius sententia inviolabilis perseverat; unde iudicium per humanitatem facit timeri per Divinitatem [2].

56. Quaest. II. Item quaeritur, utrum solius Filii sit iudicare. — Quod sic, videtur per litteram: *Pater omne iudicium dedit Filio;* et Actuum decimo [3]: *Ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum;* et primae ad Corinthios quarto: *Qui iudicat me Dominus est:* ergo si ipse solus est Dominus noster, ipsius solius est iudicare.

Contra: 1. Primae ad Corinthios undecimo [4]: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur:* ergo nostrum est iudicare nos.

2. Item, quod ad alios, videtur Matthaei decimo nono [5]: *Sedebitis super sedes duodecim* etc. dictum est Apostolis; item, primae ad Corinthios sexto: *Nescitis, quia Angelos iudicabimus?*

Ad hoc dicendum, quod in iudicio est *examinatio,* est *approbatio,* est etiam *sententiae latio* sive definitio. — Primus actus, scilicet *examinationis,* ad omnes pertinet, et ratione huius dicit Apostolus, quoniam debent *se probare,* id est examinare. — Secundus, scilicet *approbationis,* vel *reprobationis,* ad perfectos pertinet, quia ipsi approbabunt et reprobabunt, et eorum comparatione mali reprobabuntur; sed hoc non in praesenti, sed in futuro; unde Apostolus dicit, tale iudicium in praesenti tempore esse *ante tempus;* primae ad Corinthios quarto [6]: *Nolite ante tempus iudicare.* — Tertius actus, scilicet *definitionis,* est solius Filii, quia ipse sententiam promulgabit. Hoc actu non utitur aliquis nisi usurpative et temerarie; unde Dominus prohibet Matthaei septimo [7]: *Nolite iudicare;* et Apostolus ad Romanos decimo quarto: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* — Dico igitur, quod quando dicit, quod *Pater omne iudicium dedit Filio,* intelligitur de iudicio *definitionis,* non *examinationis* vel *approbationis* [8].

Resp. — Primus actus iudicii. — Secundus. — Tertius.

57. Quaest. III. Item quaeritur de iudicandis, qui scilicet iudicabuntur. — Quod *mali* tantum, videtur ex littera [9]: *In iudicium non venit, sed transit;* et supra tertio: *Qui credit in eum non iudicatur.*

Contra: Secundae ad Corinthios quinto [10]: *Omnes stabimus ante tribunal Christi.*

Respondeo: Dicendum, quod iudicium *definitionis* accipitur *communiter,* et sic comprehendit sententiam salutis et poenae, et sic *omnes* iudicabuntur; accipitur *proprie* pro damnatione, et sic accipitur hic: *Procedent qui mala egerunt in resurrectionem iudicii,* id est damnationis; similiter supra tertio [11]. Resp. cum distinctione.

58. Quaest. IV. Item [12], de modo iudicandi:

1. Quod iudicat, sicut audit. — *Contra:* Isaiae undecimo [13]: *Non secundum auditum aurium arguet.*

2. Item dicit [14], quod non secundum suam *voluntatem,* sed *Dei:* ergo voluntas sua discordat a voluntate Dei.

Respondeo ad primum: Non iudicat secundum auditum exteriorem et relationem [15], sed secundum interiorem et paternae illuminationis. Resp. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod hoc habet duas causas veritatis: *non quaero voluntatem meam* singularem, aut quia habet, sed non quaerit; aut quia non habet nec quaerit; et in hoc sensu loquitur, et ipse obiicit sic in primo sensu [16]. Resp. ad 2.

59. *Si ego testimonium perhibeo* etc. Haec est quarta pars capituli, in qua determinatur praedictae *confutationis corroboratio,* quae facta est multiplici testimonio hoc approbante, quod supra Dominus dixit. Et haec pars habet duas: quia primo adducitur *testimoniorum certitudo;* secundo vero, Iudaeorum non credentium *reprehensio,* ibi [17]: *Et non vultis venire ad me.* Quarto, de confutationis roboratione. — Divisio in duo membra.

Prima pars habet duas: quia primo Dominus, etsi possit suum testimonium adducere, *renuit;* secundo, testimonia aliorum *adducit,* ibi [18]: *Vos misistis* etc. Primo, de testimoniorum certitudine duo.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 1, ubi etiam solutio obiectionum insinuatur.

[2] Ed. *facit revereri Divinitatem.*

[3] Vers. 42. — Seq. locus est I. Cor. 4, 4.

[4] Vers. 31.

[5] Vers. 28. — Sequitur I. Cor. 6, 3. — Superius post *ad alios* ed. supplet *pertinet iudicare.*

[6] Vers. 5. — Superius pro *eorum comparatione* ed. *approbabuntur boni et;* subinde pro *in futuro* C *in fine.*

[7] Vers. 1. — Sequitur Rom. 14, 4.

[8] Cfr. supra Comment. in Sap. 3, 8; IV. Sent. d. 47. a. 1. per totum et d. 48. a. 1. q. 1.

[9] Vers. 24. — Sequitur Ioan. 3, 18. — Superius pro *de iudicandis* codd. *de iudicatis.*

[10] Vers. 10: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Cfr. Rom. 14, 10: Omnes stabimus etc.

[11] Cfr. supra n. 52.

[12] Ed. *Item quaeritur de modo iudicandi. Dicit enim: Sicut audio, iudico: ergo iudicat* etc.

[13] Vers. 3.

[14] Supra v. 30.

[15] Ed. cum pluribus codd. *relationis.*

[16] Ed. legit: *Aut quia habet, sed non quaerit solam; aut quia Pater contrariam nec habet nec quaerit. Et in hoc utroque sensu Christus loquitur, et quod obiicitur sic pariter solvitur.* De duabus causis veritatis (secundum Aristot.) cfr. tom. III. pag. 252, nota 7.

[17] Vers. 40.

[18] Vers. 33.

Primo, renuit dare suum testimonium.

(Vers. 31.). Renuit ergo *testimonium suum,* quia ipsi non crederent tanquam incertum; unde dicit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum,* id est, non est efficax ad credendum, maxime si ego solus; unde infra octavo [1]: « Dixerunt ei Pharisaei: Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum ». Nec tamen desunt mihi testimonia vera; unde subdit:

60. (Vers. 32.). *Alius est, qui testimonium perhibet de me,* scilicet Pater, vel etiam Ioannes, et de utroque recte intelligitur quod sequitur: *Et scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me;* quia tanquam certus testificatur. Pater enim verum dat testimonium, quia, sicut dicitur infra octavo [2], « qui misit me verax est ». Ioannes similiter certus; unde supra primo dixit Ioannes: « Ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei »; Proverbiorum duodecimo: « Qui quod novit loquitur iudex iustitiae est, qui autem mentitur testis est fraudulentus ».

Secundo, adducit 4 aliena testimonia.

61. *Vos misistis* etc. Renuit Dominus testimonium suum, hic secundo adducit *testimonium alienum.* Et quia in ore plurium testium est testimonium firmum [3], ideo pars ista habet quatuor partes secundum quatuor testimonia, quae adducit. Primum est *Ioannis;* secundum est *operis;* tertium, *divinum;* et quartum, *Scripturarum.* Et distinguuntur haec testimonia: quia primum est *pronuntiatum,* secundum *exhibitum,* tertium *inspiratum* et quartum *scriptum.*

De primo testimonio.

(Vers. 33.). Primo igitur adducit *testimonium Ioannis,* quod eis fuerat perhibitum ad suam petitionem; ideo dicit: *Vos misistis ad Ioannem;* non ille se ingessit, sed ad vestram petitionem respondit, supra primo [4]: « Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ad eum » etc. *Et* ille *testimonium perhibuit veritati,* tanquam testis fidelis; Proverbiorum decimo quarto: « Testis fidelis non mentietur ». Et ne videretur Dominus humanum testimonium mendicare, subdit:

62. (Vers. 34.). *Ego autem ab homine testimonium non accipio,* supple: propter meam indigentiam; Psalmus [5]: « Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges »; sed recolo propter salutem vestram. Unde et dicit: *Sed haec dico, ut vos salvi sitis,* scilicet per testimonium eius credendo in me, quia, sicut dicitur Marci ultimo, « qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ». Et vere ad Ioannis testimonium credere debuissent; unde et subdit:

63. (Vers. 35.). *Ille erat lucerna ardens,* per gratiam, *et lucens,* per doctrinam; vel: *ardens,* per internam caritatem, *lucens,* per exteriorem vitae honestatem. Bernardus [6]: « Ardere tantum parum est, lucere vanum, sed lucere et ardere perfectum ». Ideo optime Ioannes signatus est per Eliam; Ecclesiastici quadragesimo octavo: « Surrexit Elias quasi ignis, et verbum eius quasi facula ardebat ». Tali igitur sic perfecte lucenti fides adhibenda erat, quod Iudaei non fecerunt; unde dicit: *Vos autem voluistis exsultare ad horam in luce eius,* ut scilicet eius doctrinae et testimonio crederetis et vitam imitaremini, quam ad modicum vidistis; Matthaei undecimo [7]: « Venit Ioannes non manducans neque bibens, et dicunt: Daemonium habet »; Matthaei vigesimo primo: « Venit ad vos Ioannes in via iustitiae, et non credidistis ei. Publicani autem et meretrices crediderunt ei ».

De secundo.

64. (Vers. 36.). *Ego autem habeo testimonium.* Tangitur hic secundum *testimonium,* scilicet *operum,* quod praedicto maius est. Propterea dicit: *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne,* quia magis est motivum ad credendum in me. *Ipsa enim opera* [8], *quae dedit mihi Pater,* quia ab ipso accepi *esse* et *operari; ut perficiam ea,* id est, perfecte faciam; quia « Dei perfecta sunt opera », Deuteronomii trigesimo secundo. *Ipsa opera, quae ego facio,* per virtutem propriam, *testimonium perhibent de me, quia Pater misit me,* sicut Deus Filium suum, quia ei tanta opera communicavit; infra decimo quinto [9]: « Si non venissem et opera in eis non fecissem, quae nemo alius fecit; peccatum non haberent ». Istis operibus credendum, quod Pater misit eum; infra decimo quarto: « Pater in me manens ipse facit opera »; et iterum: « Si mihi non creditis, operibus credite ».

De tertio.

65. (Vers. 37.). *Et qui misit me Pater* etc. Tangitur hic tertium *testimonium,* scilicet *divinum,* quod et *paternum* dicit; propter quod ait: *Et qui misit me Pater,* per incarnationem, *testimonium perhibuit de me,* per internam inspirationem; quia, sicut dicitur infra sexto [10], « nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum ». Unde voce intelligibili revelat

---

[1] Vers. 18. — Superius pro *incertum* plures codd. *in Deum.*

[2] Vers. 26. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 1, 34. et Prov. 12, 17.

[3] Cfr. Deut. 17, 6; 19, 15. et Matth. 18, 16.

[4] Vers. 19. — Sequitur Prov. 14, 5.

[5] Psalm. 15, 2. — Seq. locus est Marc. 16, 16.

[6] In Serm. in nativ. S. Ioan. Bapt. n. 3: Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum [plurimi codd. nostri *sanctum,* in C a secunda manu correctum: *parum*], ardere et lucere perfectum. — Subinde allegatur Eccli. 48, 1.

[7] Vers. 18; ibid. 21, 32. est seq. locus. — Superius post *testimonio* ed. addit *tantum ad horam,* et subinde habet *quemadmodum* loco lectionis fere omnium codd. *quam* [D *qui,* L *quem*] *ad modicum,* quos sequitur etiam Gorranus.

[8] Vulgata *Opera enim.* — Sequitur Deut. 32, 4.

[9] Vers. 22. et 24; duo loci, qui inferius alligantur, sunt ibid. 14, 10. et 10, 38.

[10] Vers. 44. Cfr. infra hunc loc. cit. — Subinde pro *intelligibili* ed. *intellectuali.*

et testificatur, quam Iudaei carnales nec audire poterant nec ipsum loquentem videre. Ideo dicit: *Neque vocem eius unquam audistis*, per mentis revelationem; sicut Petrus audivit, Matthaei decimo sexto [1]: « Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis ». *Neque speciem vidistis*, per apertam visionem; Exodi trigesimo tertio: « Non videbit me homo et vivet »; et supra primo: « Deum nemo vidit unquam ».

66. (Vers. 38.). *Et verbum eius non habetis in vobis manens*, scilicet per fidem; unde et ratio subditur: *Quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Et ille quem misit, Verbum est et in cordibus manet per fidem; ad Ephesios tertio [2]: « Habitare Christum per fidem in cordibus vestris »; Isaiae nono: « Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel »; non mansit in Iacob, quia « sui eum non receperunt ».

67. (Vers. 39.). *Scrutamini Scripturas.* Tan-
De quarto. gitur hic *testimonium* quartum, scilicet *Scripturarum*, ad quod monet Dominus et excitat ad diligentiam et spiritualem intelligentiam; propter quod dicit: *Scrutamini Scripturas*, id est, interiorem intellectum perspicite, quia, sicut dicit Apostolus secundae ad Corinthios tertio [3], « littera occidit, spiritus autem vivificat ». Et rationem, quare debent perscrutari, subdit: *In quibus vos putatis vitam aeternam habere*, id est, per quas putatis cognoscere, et per hoc vitam aeternam habere, quia per illas putatis Deum cognoscere, qui est vita aeterna; Sapientiae decimo quinto [4]: « Nosse te consummata iustitia est, et scire iustitiam tuam et virtutem tuam radix est immortalitatis ». Has Scripturas Christus dicit sibi testificari; unde et subdit: *Illae sunt, quae testimonium perhibent de me*, omnes scilicet Scripturae veteris testamenti; Lucae ultimo [5]: « Oportet, impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me », dixit Dominus Iesus; Actuum decimo octavo dicitur de Apollo, quod « vehementer Iudaeos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Iesum Christum [6] ».

---

[1] Vers. 17. — Inferius post *Neque speciem* Vulgata addit *eius*. Sequuntur Exod. 33, 20. et Ioan. 1, 18.

[2] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Isai. 9, 8. et Ioan. 1, 11.

[3] Vers. 6. — Subinde pro *In quibus vos putatis* Vulgata *quia vos putatis in ipsis*.

[4] Vers. 3. — Pro *et per hoc... qui* ed. *quod*.

[5] Vers. 44. — Sequitur Act. 18, 28.

[6] In editione deinde ponitur in ipso textu sine inscriptione sequens schema, quod, quia non invenitur in codd. (excepto E, qui habet inferius simile schema), in calce poni debuit.

Testimonia Christo exhibita:

a divinis personis	a persona Patris, Ioan. 5, 37: Et testimonium perhibuit de me qui misit me Pater.
	a persona Filii, Ioan. 8, 18: Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso.
	a persona Spiritus sancti, Ioan. 15, 26: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.
	a tota Trinitate simul, I. Ioan. 5, 7: Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.
a Scripturis	a Scriptura Moysaica, et de hac loquitur hic (v. 39. 46.): Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me. Et post: De me ille, scilicet Moyses, scripsit.
	a Scriptura prophetica, Act. 10, 43: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.
	a Scriptura evangelica, Ioan. 19, 35: Et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Et 21, 24: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his etc.
a creaturis	a creatura intellectuali, scilicet Angelo, qui perhibet testimonium obsequendo, supra 1, 51: Videbitis caelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.
	a creatura rationali, scilicet homine, Ioan. 12, 17: Testimonium perhibebat illi turba, quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento.
	a creatura insensibili obediente, Matth. 21, 19: Maledixit ficulneae, et continuo arefacta est.
ab Angelis annuntiantibus	incarnationis adventum, Luc. 2, 10. 11: Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.
	resurrectionis triumphum, Luc. 24, 4: Ecce, duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti.
	ascensionis regressum, Act. 1, 10: Ecce, duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.
ab hominibus	praecedentibus, sicut a Ioanne, supra 1, 29, et Simeone et Anna, Luc. 2, 27: Venit Simeon in spiritu in templum etc.
	concomitantibus, Apostolis, Ioan. 15, 27: Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.
	subsequentibus, scilicet Martyribus, qui in eius testimonium mortui sunt, ut Stephanus, Act. 22, 20; 7, 58. seqq. cum effectu.
ab inferioribus obedientibus	venienti, Matth. 8, 27: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?
	patienti, Luc. 23, 45: Obscuratus est sol, et velum templi scissum est medium; et Matth. 27, 51: Petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt.
	resurgenti, Matth. 28, 2: Ecce, terraemotus factus est magnus. Gregorius [I. Homil. in Evang. homil. 10. n. 2.]: « Terra, eo resurgente [textus originalis: *moriente*], contremuit ».

QUAESTIONES.

68. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.*

CONTRA: 1. Numerorum vigesimo tertio [1]: *Non est Deus ut homo, ut mentiatur:* ergo si Christus est Deus, ergo etc.

2. Item, infra octavo [2]: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est;* et hic dicit, quod *non est verum:* ergo etc.

Respondetur ad hoc tripliciter. Prima responsio
Resp. 1. est, faciendo vim in *subiecto:* si ego secundum *humanam* naturam testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum; est tamen verum
Non solvit. secundum *divinam.* — Sed istud non solvit, quia, sicut nec secundum *divinam* mentitur, ita nec secundum *humanam.*

Propterea respondetur, ut fiat vis in *attributo:*
Resp. 2. *testimonium meum non est verum,* id est, non est efficax nec acceptabitur tanquam verum; tamen verum est, quia verum dico. Et sic accipitur, ita ut dicatur verum secundum *rem,* sed non verum secundum *Iudaeorum acceptionem* [3].

Aliter respondetur, quod verbum istud intelli-
Resp. 3. gendum est praecise: *si ego testimonium perhibeo de me ipso,* supple: ego solus, testimonium meum non est efficax; sed si ego cum alio, efficax est; unde dicit infra [4]: *Quia non sum solus.* Ideo, cum supra se suo testimonio commendasset, suam ostendens virtutem; ad hoc roborandum adducit aliena testimonia.

69. Quaest. II. Item quaeritur de *testimonio operum: Opera,* inquit, *quae ego facio, testimonium perhibent de me.* — Sed eadem opera fecerunt Prophetae, ut miracula, eadem Apostoli ipsum sequentes et maiora [5]: ergo si per opera poterat sufficienter cognosci, quod esset Christus, eadem ratione de quolibet.

RESPONDEO: Dicendum, quod miracula bonorum
Resp. et malorum discerni possunt, sicut dicit Augustinus [6]. Cognoscere igitur poterant, quod miracula Christi et opera essent boni viri et sancti; sed Christus dicebat, se esse Deum; sed nullus bonus homo, manens bonus, potest se Deo facere aequalem, immo fur est: ergo si Christum cognoscere poterant *sanctum* per opera, et per verba, quod esset *Christus;* opera fuerunt sufficiens testimonium, quod Christus diceret verum, ac per hoc, quod esset Christus. Similiter de aliis bonis, quod ipsi dicerent *verum;* sed ipsi non dicebant de se [7], sed de Christo, ut Apostoli.

Aliter dicitur, quod opera non fuerunt testimo- Aliter.
nium *cogens,* sed *inducens,* et similiter testimonium Ioannis et Scripturae; sed testimonium Patris per revelationem est *compellens* [8].

70. Quaest. III. Quaeritur de *testimonio Patris.* — Dicit enim, quod *neque vocem eius audistis neque speciem vidistis;* dicit Iudaeis.

CONTRA: Nonne multi aderant, quando Lucae tertio [9] vox de caelo facta est sensibiliter: *Tu es Filius meus dilectus?* — Item, Deuteronomii quinto: *Vocem eius audivimus de medio ignis.* — Item, Exodi vigesimo: *Vos vidistis, quod de caelo locutus sum vobis.*

RESPONDEO: Dicendum, quod dupliciter loquitur Resp. cum distinctione.
Deus, et dupliciter apparet: uno modo *in se* et *per se;* et sic loquitur per internam mentis revelationem modo quodam indicibili [10], sed tamen quodam modo intelligibili, et sic non loquitur malis; alio modo *per subiectam creaturam,* et sic locutus est in Legis datione. Hoc secundo modo *viderunt* in subiecta creatura et *audierunt* sensibiliter, sed primo modo non; et de hoc loquitur hic. Unde Augustinus dicit super hoc [11]: *Pater testimonium perhibet:* « Qui me exterius oculis hominum visibilem exhibuit interius corda hominum ad me cognoscendum accendit ».

71. Quaest. IV. Quaeri etiam potest de *sufficientia et ordine* istorum testimoniorum. — Et notan- Solutio.
dum, quod primum testimonium, scilicet Ioannis, fuit *inducens;* secundum, scilicet operum, *promovens;* tertium, scilicet Patris, *compellens* [12]; quartum, scilicet Scripturae, *in veritate stabiliens.* Et ex his resultat unum testimonium completum et perfectum, et gradatim ordinantur secundum dictas conditiones.

72. *Et non vultis venire ad me* etc. Posita est te- Secundo, de Iudaeorum reprehensione quatuor.
stimoniorum certitudo [13], hic ponitur *Iudaeorum non credentium reprehensio.* Reprehendit autem Dominus

---

[1] Vers. 19. [2] Vers. 14.

[3] Ita card. Hugo, in hunc locum. — Superius pro *ita* ed. *infra.*

[4] Cap. 8, 16. — Cfr. supra v. 31. seqq. — Superius pro *intelligendum est* D *intelligitur.*

[5] Cfr. infra 14, 12. — Inferius post *ratione* ed. addit *videtur dicendum.*

[6] Libr. 83 Qq. q. 79. n. 1. et 4; cfr. supra pag. 279, nota 4.

[7] Ed. addit *quod dii essent;* in textu nostro supple: illud.

[8] Codd. D I K L *comprimens,* A B C E F *complens,* quod etiam inferius n. 71. maior pars codd. et Gorranus pro *compellens* (idem ac *cogens*) substituunt. Tom. V. pag. 54. 55. idem testimonium vocatur *astringens.*

[9] Vers. 22. — Duo seqq. loci sunt Deut. 5, 26. et Exod. 20, 22.

[10] Ita A E F M N; ed. *invisibili,* H *indiscernibili,* plures alii codd. *indiscibili.* Inferius post *et sic* in E primitus additum fuit *videtur quod.*

[11] Vers. 37. — Sententia August. habetur in Glossa *ordinaria* super v. 35, ubi haec verba adduntur: Etiam omnes Prophetae et Apostoli sunt lucernae; Christus verum lumen, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [Ioan. 1, 9.]. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 6. seqq. et tr. 23. n. 3. — De praecedentibus cfr. II. Sent. d. 10. a. 3. q. 2. in corp.

[12] Vide supra notam 8.

[13] Vide supra n. 59.

Iudaeos a quatuor: primo scilicet a *defectu amoris divini;* secundo, a *caecitate amoris*[1] *falsi;* tertio, ab *appetitu honoris vani;* quarto, a *defectu fidei.*

Expositio literalis. Primum.

(Vers. 40.). Primo igitur reprehendit eos a *defectu amoris divini,* cuius signum est, quod ipsi ad eum non veniunt, quem Deus misit; unde dicit: *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ita sufficientia testimonia habeo, tamen ad me venire non vultis, immo odientes fugitis; infra octavo[2]: « Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum ». Nec ipsos arguit, quod non veniunt propter gloriam suam; unde dicit:

73. (Vers. 41.). *Claritatem ab hominibus non accipio,* sed a Patre; infra decimo septimo[3]: « Pater, clarifica Filium tuum »; ideo vos non arguo propter amorem gloriae propriae, sed propter defectum dilectionis divinae; unde dicit:

74. (Vers. 42.). *Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis,* immo magis odium; infra decimo quinto[4]: « Nunc viderunt et oderunt et me et Patrem meum ». Et tales sunt digni reprehensione, quia carent veste nuptiali; Matthaei vigesimo secundo: « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem »?

Secundum.

75. (Vers. 43.). *Ego veni in nomine* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *caecitas amoris falsi:* quia non receperunt humilem, sed recipient superbum; unde dicit: *Ego veni in nomine Patris mei,* ipsius scilicet gloriam quaerens, non meam; infra octavo[5]: « Ego gloriam meam non quaero ». *Et non accepistis me; me* scilicet humilem; supra primo: « In propria venit, et sui eum non receperunt ». *Si alius venerit in nomine suo,* ut antichristus, qui quaeret gloriam propriam, quia dicitur secundae ad Thessalonicenses secundo[6]: « Extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ». *Illum accipietis,* iusto scilicet Dei iudicio excaecati; secundae ad Thessalonicenses secundo: « Mittet eos Deus in operationem erroris, ut credant mendacio ». Et ratio huius est, quia noluerunt credere veritati.

Tertium.

76. (Vers. 44.). *Quomodo vos potestis credere* etc. Hic tertio reprehendit ab *appetitu honoris vani,* ratione cuius erant inhabiles ad credendum in veritatem, quia quaerebant vanitatem; propter quod dicit: *Quomodo vos potestis credere,* scilicet veritati, *qui gloriam ab invicem accipitis,* adhaerendo vanitati? Gloria enim humana vanitas est; Isaiae quadragesimo[7]: « Omnis caro foenum, et omnis gloria eius tanquam flos foeni »; et ex appetitu vanitatis redditur homo inhabilis ad fidem veritatis; unde in Psalmo: « Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium »? Sic quaeritis gloriam falsam, *et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis,* gloriam scilicet veram. Haec a solo Deo est; Psalmus[8]: « Gratiam et gloriam dabit Dominus ». Propterea dicitur secundae ad Corinthios decimo: « Qui gloriatur in Domino glorietur; non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat ».

Quartum.

77. (Vers. 45.). *Nolite putare.* Tangitur hic quartum, scilicet *defectus fidei in Iudaeis,* non tantum ad credendum Christo, verum etiam Moysi; propter quod non tantum accusabantur a Christo, sed etiam a Moyse. Propterea dicit: *Nolite putare, quod*[9] *ego accusaturus sim vos apud Patrem;* quia non veni accusare, sed condonare. Unde et ipse *propitiatio* est, non *accusator;* primae Ioannis secundo: « Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ». Nec tamen carent accusatore; ideo dicit: *Est alius, qui accusat vos, Moyses, in quo speratis*[10], tanquam eius discipuli; infra nono: « Nos Moysi discipuli sumus; nos scimus, quia Moysi locutus est Deus ». Ille vos accusat, quia scilicet ei non creditis. Unde dicit:

78. (Vers. 46.). *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; forsitan* nota est libertatis; et vere *mihi; de me enim ille scripsit;* Deuteronomii decimo octavo[11]: « Prophetam suscitabit vobis Dominus de gente vestra; ipsum audietis, sicut et me ». Et ille vos accusabit, quia in eum non creditis. Unde dicit:

79. (Vers. 47.). *Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Quasi dicat: non; Lucae decimo sexto[12]: « Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ».

Quaestiones.

80. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Claritatem ab hominibus non accipio.*

---

[1] Retinuimus cum ed. *àmoris,* pro quo fere omnes codd. *erroris;* idem recurrit infra n. 75.

[2] Vers. 43.

[3] Vers. 1. Cfr. 12, 28.

[4] Vers. 24. — Sequitur Matth. 22, 12. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 9.

[5] Vers. 50; ibid. 1, 11. est seq. locus. — Pro *non accepistis* Vulgata *non accipitis.*

[6] Vers. 4, ubi etiam v. 10. habetur seq. locus.

[7] Vers. 6, ubi pro *foeni* N cum Vulgata *agri.* — Sequitur Ps. 4, 3. — Inferius pro *homo,* quod praebent D E M N, alii codd. et ed. *ratio.*

[8] Psalm. 83, 12. — Seq. locus est II. Cor. 10, 17. seq.

[9] Vulgata *quia.* — Subinde allegatur I. Ioan. 2, 2. — Inferius post *accusator* N addit *fratrum,* quo nomine appellatur diabolus Apoc. 12, 10: « Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei » etc. Pro primo *propitiatio* ed. cum pluribus codd. *propitiator.*

[10] Vulgata *vos speratis.* — Sequitur Ioan. 9, 28. et 29.

[11] Vers. 15. Cfr. Act. 7, 37. — De significatione *forsitan* cfr. supra pag. 292, nota 6. Glossa *interlinearis: Forsitan et mihi,* irrisio incredulí, non dubitatio Dei. — Post *nota est libertatis* ed. prosequitur *et naturae et meriti. De me enim* etc.

[12] Vers. 31.

1. Quia infra ultimo [1] dicitur de Petro: *Significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Homines igitur clarificant Deum.

2. Item, ad Philippenses primo [2]: *Magnificabitur Christus in corpore meo sive per mortem, sive per vitam.*

Respondeo: Dicendum, quod differt dicere *clarificari in homine* et *per hominem* et *ab homine.* Clarificari *in homine* est suam claritatem homini revelare; clarificari *per hominem* est per illum aliis propalari [3]; clarificari *ab homine* est gloriam aliquam ab homine sibi dari et augeri. Primis duobus modis est verum, sed tertio falsum [4]. Resp. cum distinctione.

81. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ego non accusabo vos apud Patrem.*

Contra: 1. Iustus est Christus et non potest non esse iustus: ergo sicut eius est laudare bonos, ita etiam accusare malos.

2. Item, Ieremiae vigesimo nono [5]: *Ego sum iudex et testis:* ergo si veri testis est accusare malos etc.

Respondeo: Dicendum, quod Christus, quantum in se est, morte sua se obtulit; et quia pro omnibus, ideo in quantum est de se, neminem accusat; unde Glossa [6] dicit: « Sanguis Christi neminem accusat, sed clamat veniam, sanguis Abel vindictam », doctrina Moysi vindictam. Unde intelligendum, quod ipse non accusat *ex se*, sed *ex causa nostra* [7]. — Vel dicendum, quod non primo et principaliter accusat; sed magis principaliter Moyses, cui non credunt praedicenti Christum [8]. Resp. Aliter.

82. Quaest. III. Item quaeritur de argumento Domini: *Si non creditis litteris Moysi, quomodo verbis meis credetis?* — Videtur esse locus *a minori* [9] negando.

Respondeo: Etsi sit minus *simpliciter*, non tamen *Iudaeis* minus, sed maius. Resp.

Capitulum VI.

Secundo, Filius Dei se manifestat conservatorem.

1. *Post haec abiit Iesus trans mare* etc. In praecedenti capitulo ostendit se Dominus curatorem, in hac parte ostendit se *conservatorem.* Et quia ipse est conservator corporum et spirituum, et per visibilia pervenitur ad invisibilia [10]; primo ostendit se conservatorem *corporum;* secundo vero, *spirituum,* ibi [11]: *Altera die turba.* Divisio.

Primo se manifestat conservatorem corporum.

Conservatorem igitur *corporum* se ostendit mirabiliter reficiendo corporaliter; quae mirabilis refectio describitur quantum ad tria: primo, quantum ad *antecedentia;* secundo, quantum ad *concomitantia,* ibi [12]: *Dicit ergo Iesus: Facite* etc.; tertio, quantum ad *consequentia,* ibi: *Illi autem homines, cum vidissent* etc. Subdivisio in 3 membra.

Antecedentia autem, quae fuerunt causa sive occasio [13] faciendi miraculum, sunt quatuor: primum, *superveniens multitudo;* secundum vero, *loci et temporis aptitudo;* tertium, *defectus pretii* ad ciborum emptionem; quartum, *insufficientia cibi* ad multitudinis refectionem. Primo, antecedentia sunt quatuor.

2. (Vers. 1.). Prima igitur occasio faciendi miraculum fuit *superveniens multitudo,* quae secuta est Christum extra patriam suam ad videnda eius miracula. Propter quod dicit: *Post haec* [14] *abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis; mare Galilaeae* dicitur a regione, *Tiberiadis* a civitate. Expositio litteralis. De primo.

3. (Vers. 2.). *Et sequebatur eum multitudo magna;* et ratio huius subditur: *Quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur.* Propter haec signa videnda sequebantur Christum, quia, sicut dicitur primae ad Corinthios primo [15], « Iudaei signa quaerunt »; et cum vident signa, magnificant Deum; Lucae quinto: « Repleti sunt timore et ecstasi dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie ». Propter haec signa attrahuntur Iudaei et etiam confirmantur; Exodi decimo quarto: « State et videte magnalia Domini, quae facturus est ».

---

[1] Vers. 19.

[2] Vers. 20.

[3] Ed. haec duo membra ita coniungit: *Clarificari in homine et per hominem est in illo et per illum aliis propalari.*

[4] Gorranus hanc propositionem ita exhibet: Deus itaque clarificatur *in homine* et *per hominem,* sed non *ab homine.* Cfr. supra n. 73.

[5] Vers. 23.

[6] Scilicet *interlinearis* (apud Petr. Lombard. et Lyranum ex Gregor., XIII. Moral. c. 23. n. 26. Cfr. etiam Haymo) in Hebr. 12, 24: *Et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel,* quia iste veniam, ille vindictam, iste salutem, immo et persequentibus veniam, cum inquit [Luc. 23, 34.]: *Pater, ignosce* etc.; ille damnationem clamat.

[7] De hac distinctione cfr. tom. I. pag. 728, nota 2. verba Damasceni. Allegatur etiam pro ipsa Matth. 25, 42: Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.

[8] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 41. (alias 40.) n. 2: Tantum enim abest, ut Legi repugnem, ut is qui vos accusaturus est, nullus alius sit quam is qui Legem vobis dedit etc.

[9] Vide tom. I. pag 835, nota 5. — Ed. prosequitur *ad maius. Negando respondeo; nam etsi* etc.

[10] Cfr. Rom. 1, 20.

[11] Vers. 22. — Ante *ibi* fide codd. C D N omisimus *et incipit secunda pars.*

[12] Vers. 10: *Dixit ergo* etc.; ibid. v. 14. est tertium: *Illi ergo homines* etc.

[13] Ed. *origo.*

[14] Ut nonnulli putant, non statim post ea quae in cap. praecedenti narrata sunt, sed post unum fere annum. Cfr. infra n. 5.

[15] Vers. 22. — Duo seqq. loci sunt Luc. 5, 26. et Exod. 14, 13. — Pro *vident signa, magnificant* D *viderent signa, magnificabant.*

4. (Vers. 3.). *Abiit*[1] *ergo in montem.* Notatur De secundo. hic secunda occasio, scilicet *loci et temporis aptitudo. Locus* aptus erat ad miraculum faciendum, quia desertus erat, in quo erat refectionis defectus; ideo dicit: *Abiit ergo in montem Iesus et ibi sedebat cum discipulis suis.* Locum, quem Ioannes vocat *montem* propter altitudinem, vocat Matthaeus *desertum* propter solitudinem; Matthaei decimo quarto[2]: « Secessit Iesus in navicula in locum desertum seorsum ». Et iste locus ad faciendum miracula erat aptus, quia non erat ibi cibus; unde dicitur Matthaei decimo quarto, quod dixerunt discipuli Domino: « Desertus est locus; dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas ». — Erat etiam aptitudo *temporis,* quia Pascha; unde dicit:

5. (Vers. 4.). *Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum;* in hoc Dominus fecerat miracula, et illa nunc debebat renovare, quia novum Pascha debebat facere. Notandum, ut dicit Chrysostomus[3], quod « a Paschate incarcerationis Ioannis usque ad hoc fluxerat annus unus, licet Evangelista pauca narret de hoc », quia alii narraverunt.

6. (Vers. 5.). *Cum sublevasset ergo oculos* etc. De tertio. Notatur hic tertia occasio, scilicet *defectus pretii* ad emendum cibos, unde reficiatur tanta multitudo; et ad hunc defectum manifestandum quaerit Dominus a Philippo de pretio. Propterea dicit: *Cum sublevasset ergo oculos Iesus,* per misericordiae benignitatem, quia, sicut dicitur in Psalmo[4], « oculi Domini super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius ». *Et vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum,* propter devotionem; unde dicitur Matthaei decimo quarto, quod « secutae sunt eum turbae pedestres de civitatibus ». *Dicit*[5] *ad Philippum,* per providentiae circumspectionem; primae Petri ultimo: « Ipsi cura est de vobis ». *Unde ememus panes, ut manducent hi?* ad corporum refectionem, quasi dicat: Nunquid habemus sufficiens pretium ad emendum? Nec ipse argento indigebat; Isaiae quinquagesimo quinto: « Venite, emite absque argento ». Hoc non quaerebat, quia dubitaret, sed ut Philippum probaret; unde dicit:

7. (Vers. 6.). *Hoc autem dicebat tentans eum,* non dubitans; *ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Ideo dixit, ut probaret et probando ostenderet, quod pretium deficeret. Ideo sequitur responsio Philippi.

8. (Vers. 7.). *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat;* et ita magnum pretium erat necessarium, et ipsi pauperes erant et non habebant etiam parvum; omnia enim reliquerant, secundum quod dixit Petrus Matthaei decimo nono[6]: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te » etc.; et Actuum tertio: « Argentum et aurum non est mihi ».

9. (Vers. 8.). *Dicit ei unus ex discipulis eius* etc. De quarto. Notatur hic quarta occasio, scilicet *insufficientia cibi* ad tantae multitudinis refectionem. Cum enim essent quinque millia, non habebant panes nisi quinque; et hoc notatur in responsione Andreae. Propterea ait: *Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri,* Domino scilicet a Philippo quaerenti de turbarum refectione:

10. (Vers. 9.). *Est hic puer unus, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces;* tot, inquit, panes nos habemus, sed non sufficiunt; ideo dicit: *Sed haec quid sunt inter tantos?* In quo notatur mira inopia Domini et discipulorum, quod paucos panes habebant et viles; unde et frequenter cum Domino passi sunt famem; Matthaei duodecimo[7]: « Abiit Iesus per sata; discipuli autem eius esurientes coeperunt vellere spicas et manducare ».

11. *Moraliter. Panes quinque,* quos habet puer, Expositio moralis. sunt quinque refectiones affectus, quae ortum habent ex quinque considerationibus intellectus: ex Consideratio prima. consideratione *proprii peccati,* panis *compunctionis,* de quo in Psalmo[8]: *Cibabis nos pane lacrymarum* etc. Iste est panis, de quo Iudicum septimo: *Videbatur mihi quasi panis subcinericius ex hordeo.* — Ex consideratione *passionis Christi,* panis Secunda. *afflictionis;* Deuteronomii decimo sexto[9]: *Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Aegypto, ut memineris diei egressionis tuae de Aegypto* etc.; Threnorum tertio: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absinthii et fellis.* — Ex consideratione *defectus fratrum,* panis *compassionis;* Ecclesiastae undecimo[10]: *Mitte panem super transeuntes aquas,* scilicet tribulationis. Sine hoc nullus debet praefici; Isaiae quarto: *Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque vestimentum; nolite constituere me principem populi.* — Ex consi- Quarta. deratione *supplicii aeterni,* panis *tremoris;* Tobiae secundo[11]: *Manducavit panem cum luctu et tremore,* memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: *Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum.* — Ex con- Quinta.

---

[1] Vulgata *Subiit.* Subinde ex D supplevimus *faciendum.*

[2] Vers. 13; ibid. v. 15. est seq. locus.

[3] In Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 1. Cfr. supra pag. 276, nota 11. et pag. 318, nota 11.

[4] Psalm. 32, 18. — Sequitur Matth. 14, 13.

[5] Vulgata *Dixit.* — Duo seqq. loci sunt I. Petr. 5, 7. et Isai. 55, 1.

[6] Vers. 27. — Subinde allegatur Act. 3, 6.

[7] Vers. 1. — Cod. C post n. 10. continuat: *Allegorice sic:* Puer unus etc., ut infra n. 19, ubi e converso idem exhibet seq. n. 11.

[8] Psalm. 79, 6. — Sequitur Iud. 7, 13. — Superius voci *panis* ed. praemittit *conficitur.*

[9] Vers. 3. — Seq. locus est Thren. 3, 19.

[10] Vers. 1. Cfr. supra Comment. in hunc locum. — Subinde allegatur Isai. 3, 7, pro quo ed. 4, 1: *Panem nostrum comedemus.* Eadem ed. pro *praefici* substituit *refici.*

[11] Vers. 5. — Sequitur Amos 8, 10; cfr. Tob. 2, 6.

sideratione *dilationis praemii*, panis *devotionis*, qui est in perfectis; Psalmus [1]: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?*

QUAESTIONES.

12. Quaest. I. Incidit hic quaestio de *contrarietate* litterae:

1. Quia dicitur Matthaei decimo quarto [2], quod *discipuli accesserunt ad Dominum* et dixerunt ei, quod turbas dimitteret; et dicitur similiter Matthaei eodem, quod Dominus respondit discipulis: *Non habent necesse ire;* hic dicitur, quod petiit a Philippo consilium eos reficiendi.

2. Item obiicitur, quia dicitur, quod Philippus dicit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt* etc.; Marci sexto [3] dicitur, quod discipuli dixerunt: *Euntes emamus ducentis denariis panes, et demus illis manducare.*

RESPONDEO secundum Augustinum [4], quod con-
Resp. trarietas solvitur ex hoc, quod frequenter unus dicit quod alter omittit. Et intelligendum est, quod discipuli primo iverunt ad Dominum, et post Dominus inspexit turbas et allocutus est Philippum; et tunc Philippus respondit, et alius Evangelista responsionem Philippi attribuit aliis, ut Marcus, per synecdochen. Et deinde Dominus quaesivit, quot panes haberent [5]; et hoc Ioannes omittit; et respondit Andreas, quod quinque. Et hoc Ioannes dicit de Andrea specialiter; alii attribuunt pluribus, quia in persona plurium loquebatur.

13. Quaest. II. Est etiam quaestio de *ratione* litterae. — Cum Philippus non esset dispensator, sed Iudas; videtur, quod Dominus debuisset a Iuda quaerere, non a Philippo.

Respondet Chrysostomus [6], quod illa quaestio
Resp. 1. fuit ad probandum et instruendum, quia Philippus magis indigebat doctrina, sicut patet infra decimo quarto, quando quaesivit: *Ostende nobis Patrem;*
Resp. 2. ideo magis ab ipso quaesivit. — Aliter potest dici, quod Philippus erat circa illam patriam oriundus; unde et turbis notus erat, et ideo de ipsis magis sollicitus; et ideo credendum, quod ipse primo Dominum de turbis sollicitavit, et post Dominus ab ipso quaesivit.

14. Quaest. III. Est etiam quaestio de *veritate* litterae, quia dicitur hic: *Hoc autem dixit tentans eum.*

CONTRA: 1. Iacobi primo [7]: *Deus neminem tentat;* unde ibidem: *Deus intentator est.*

2. Item, tentatio est via in peccatum; sed Deus neminem ad peccatum inclinat. — *Si dicas*, quod tentat non ad malum inclinando, sed probando, iuxta illud Psalmi [8]: *Proba me, Domine, et tenta me;* sed *contra:* Eius est probare vel experimentum sumere, qui hominem non cognoscit; ergo si Deus hominem cognoscit, non tentat nec probat.

RESPONDEO: Dicendum, quod est tentatio *ad malum inclinans*, et haec est a carne, mundo, diabolo, non a Deo; et est tentatio *probans*, et haec potest esse tripliciter: aut ut innotescat *probanti*, aut ut innotescat *aliis*, aut ut probatus innotescat *sibi ipsi.* — Primo modo non tentat Deus, sed homo; Ecclesiastici decimo tertio [9]: *Ex multis loquelis tentabit te.* Secundo modo tentat Deus virum perfectum ad exemplum; Genesis vigesimo secundo [10]: *Tentavit Deus Abraham.* Tertio tentat imperfectum ad humilitatis meritum, quia homo humiliatur, dum sibi eius infirmitas innotescit; Psalmus [11]: *Proba me, Domine, et tenta me.*

Resp. cum distinctione.

Subdistinctio.

15. *Dicit* [12] *ergo Iesus.* Postquam determinata sunt antecedentia ad mirabilem refectionem, hic notantur *concomitantia*, quae sunt tria: primum, *sessio discumbentium;* secundum, *multiplicatio panum;* tertium, *collectio fragmentorum.*

Secundo, concomitantia tria.

(Vers. 10.). Primo igitur notatur *sessio discumbentium* ad Christi imperium; unde ait: *Dicit ergo Iesus*, scilicet discipulis: *Facite homines discumbere*, hoc est, ut comedant, residere; *discumbere* enim vel *recumbere* proprie est comedentium; unde Lucae decimo quarto [13]: « Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe » etc. Et locus ad recumbendum erat aptus; unde dicit: *Erat autem foenum multum in loco.* Et in illo loco convenienti fecerunt discipuli eos recumbere; ideo dicit: *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia; quasi* dictum est, quia forte aliquis deerat vel supererat; sed quia Scriptura non facit vim in minutiis, alii dicunt, quod quinque millia; Matthaei decimo quarto [14]: « Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis parvulis et mulieribus ».

Expositio litteralis. Primum.

---

[1] Psalm. 41, 4.

[2] Vers. 15; ibid. v. 16. est seq. locus.

[3] Vers. 37.

[4] Libr. II. de Consensu Evangelist. c. 46. n. 96, in quo tota responsio insinuatur.

[5] Marc. 6, 38: Quot panes habetis?

[6] In Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 1: Cur ergo Philippum interrogat? Sciebat, qui discipuli plus doctrina egerent. Hic enim est, qui postea dicit [Ioan. 14, 8.]: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Ideo prius illum instituit etc.

[7] Vers. 13, ubi etiam est seq. locus.

[8] Psalm. 25, 2. — Superius pro *inclinando, sed* N *sed ad bonum.*

[9] Vers. 14: Ex multa enim loquela etc.

[10] Vers. 1.

[11] Psalm. 25, 2. — Vide Chrysost., in Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 2. Cfr. etiam II. Sent. d. 21. a. 2. q. 1. et dub. 3. et 4.

[12] Vulgata *Dixit.*

[13] Vers. 10.

[14] Vers. 21. — Superius vocibus *in minutiis* ed. interserit *talibus.*

16. (Vers. 11.). *Accepit ergo Iesus* etc. Tangitur Secundum. hic secundum, scilicet *multiplicatio panum*, quae impetrata est in *gratiarum actione* et consummata in *panum distributione*. Ideo dicit: *Accepit ergo Iesus panes*, ad multiplicandum; manus enim potestativa est; unde Numerorum undecimo[1] dixit Dominus Moysi: « Nunquid invalida est manus Domini? Iam nunc videbis, utrum sermo meus compleatur ». *Et cum gratias egisset*, ad sanctificandum; primae ad Timotheum quarto[2]: « Nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem ». *Distribuit discumbentibus*, scilicet ad comedendum, per Apostolos, ut scilicet diversis darent secundum suam voluntatem; Esther primo[3]: « Rex statuerat, praeponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet ». *Similiter ex piscibus, quantum volebant*, id est usque ad saturitatem; Exodi decimo sexto: « Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus ».

17. (Vers. 12.). *Ut autem impleti sunt.* Tan- Tertium. gitur hic tertium, scilicet *collectio fragmentorum*, ne scilicet perirent; propter quod dicit: *Ut autem impleti sunt*, id est saturati, *dixit discipulis suis: Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant.* Quia enim panis in usum hominum factus est, tunc fragmenta pereunt, quando in usum hominum non assumuntur; Psalmus[4]: « Panis cor hominis confirmet ». Et discipuli Domini imperium exsequuntur; unde dicit:

18. (Vers. 13.). *Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos;* ecce, mensura et plena mensura. Chrysostomus[5]: « Ego multiplicationem panum non solum admiror, sed certitudinem eius quod superfluit, et quod pares erant cophini numero Apostolorum, in quo doctrina Apostolorum per totum orbem erat distribuenda ex reliquiis doctrinae Christi ». *Collegerunt*, inquam, *et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his qui manducaverant.* Has reliquias fecit colligi, ut appareret abundantia; unde in Psalmo[6]: « In reliquiis tuis praeparabis vultum eorum ».

19. *Allegorice.* Puer unus habebat quinque pa- Expositio allegorica. nes hordeaceos et duos pisces, qui in duodecim cophinos reliquiarum sunt multiplicati. *Puer* iste est Moyses, lator Legis, qui *puer* dicitur, quia famulus; ad Hebraeos tertio[7]: *Moyses in omni domo fidelissimus*, tanquam famulus. — *Panis* est eruditio verbi; Deuteronomii octavo[8]: *Non in solo pane vivit homo, sed ex omni verbo, quod procedit ab ore Dei.* — *Quinque* igitur *panes* sunt verba, de quibus Apostolus primae ad Corinthios decimo quarto[9]: *Malo loqui quinque verba in sensu meo* etc.; Hieronymus: « Quinque verba sunt quinque libri Moysi, de quibus Apostolus loquitur ». — Isti panes *multiplicantur*, dum multiplex eorum intelligentia a Domino aperitur; Lucae ultimo[10]: *Incipiens a Moyse, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* — Ex horum multiplicatione remanent *duodecim cophini fragmentorum*, id est doctrina duodecim Apostolorum, qui dispersi per orbem, iuxta illud Psalmi[11]: *In omnem terram exivit sonus eorum;* et Marci ultimo: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.*

Quaestiones.

20. Quaest. I. Quaeritur de multiplicatione panum. Si enim Dominus suam potentiam[12] manifestare volebat; et maioris potentiae est panes creare quam multiplicare, quia illud ex nihilo, hoc ex aliquo; et aeque facile erat Domino utrumque: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod utrumque est po- Resp. tentiae infinitae, tam multiplicatio ex tam parva materia in tantam quantitatem, quia hoc erat potentiae infinitae, quam creatio. Magis tamen multiplicavit, quam creavit, ut ora haereticorum concluderet, qui dicunt, haec visibilia ad Deum tenebrarum, non ad Deum lucis pertinere[13]. Ut ergo ostenderet, quod ipse esset, qui omnia visibilia creaverat, iam creata voluit multiplicare.

---

[1] Vers. 23. — Superius post *manus enim* ed. supplet *Domini*.

[2] Vers. 4. seqq.: *Nihil reiiciendum... actione percipitur* etc.

[3] Vers. 8. — Sequitur Exod. 16, 12.

[4] Psalm. 103, 15.

[5] In Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 3: Cur non turbis gestanda dedit illa [fragmenta], sed discipulis? Quia hos maxime instituere volebat, qui futuri erant doctores orbis... Eademque de causa factum est, ut cophini discipulis numero pares essent... Ego vero non modo miror panum copiam, sed cum copia fragmentorum numeri quoque accurationem, quod neque plus neque minus redundare curaverit, sed quantum voluit etc. — Retinuimus cum ed. vocabulum *certitudinem*, quod cum codd. etiam habet S. Thomas (Caten. aurea).

[6] Psalm. 20, 13.

[7] Vers. 2. Cfr. Num. 12, 7. — Vide Glossam *ordinariam* in Ioan. 6, 9.

[8] Vers. 3. Cfr. Matth. 4, 4. et Luc. 4, 4.

[9] Vers. 19. — Hieron., Epist. 53. (alias 103.) n. 8: Hucusque Pentateuchus; quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus [I. Cor. 14, 19.] in Ecclesia gloriatur. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 24. n. 5. seq.

[10] Vers. 27.

[11] Psalm. 18, 5. — Sequitur Marc. 16, 15. Cfr. supra n. 18. — De transpositione, quam faciunt aliqui codd., vide supra n. 10. pag. 319, notam 7.

[12] Ed. cum pluribus codd. *omnipotentiam*.

[13] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. dub. 2. et p. II. q. 1; d. 34. a. 1. q. 1, ubi opinio Manichaeorum refellitur. — Chrysost., in Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 2: Neque enim subiecta materia opus habebat, sed ne creatura videretur aliena esse ab ipsius sapientia, id quod perperam Marcionistae dicebant, ipsa creatura ad miracula patranda usus est.

Quaest. incidens solvitur.

Utrum autem Deus multiplicaverit panes, novam aliunde apponendo materiam, vel creando; vel illam extendendo; dubium esse videtur, nec hoc determino. Sine praeiudicio tamen dicendum, quod fuit ibi multiplicatio sine creatione et extrinseci appositione; nec fuit extensio materiae tantum, sicut est per virtutem agentis naturalis, sed simul fuit crementum in *materia et forma* per virtutem infinitam; et hoc non habet simile in natura, sicut nec creatio [1].

21. Quaest. II. Quaeritur hic: cum Dominus, supra secundo [2], optimum vinum fecerit, unde est hoc, quod panem hordeaceum et vilem turbis distribuit?

Resp. cum duplici ratione.

Respondeo: Dicendum, quod ratio fuit *litteralis* ex hoc, quod supra *transmutavit* aquam in [3] vinum et optimam formam dedit; hic *multiplicavit* et auxit; ideo, forma manente, perfectam quantitatem dedit, quia ultra necessitatem duodecim cophinos. — *Spiritualis* ratio est: quia per quinque panes quinque libri Moysi intelliguntur; doctrina autem Moysi aspera est et dura: et ideo panes *hordeaceos* multiplicavit [4].

22. Quaest. III. Item quaerit Chrysostomus [5]: propter quid in hoc miraculo faciendo gratias egit, cum in aliis non fecerit? — Videtur in se ostendisse impotentiam.

Resp.

Responsio est, quod illud non fecit propter miraculum impetrandum, sed propter consuetudinem, quam habebat, in principio comestionis gratias agere et escas benedicere; in quo nos instruxit, quod cum gratiarum actione et oratione debemus sumere cibum [6].

23. Quaest. IV. Item quaestio est: cum omne superfluum sit evitandum; et Dominus omnia fecerit in certo *pondere et mensura* [7]: ergo videtur, quod non debuerit ultra sufficientiam panes multiplicare.

Resp.

Respondeo: Dicendum, quod etsi fuerint ultra *necessitatem*, non tamen ultra *utilitatem*, immo utilitas fuit *refectionis* et nostrae *eruditionis: refectionis*, quia postmodum discipuli manducaverunt; *eruditionis*, ut cognoscamus, quod Deus ultra nostram indigentiam potest et paratus est dare; cognoscamus etiam, miraculum fuisse verum; et ex certo numero superantium fragmentorum Apostolorum intelligamus doctrinam et eius fructum multum [8].

Duplex utilitas.

Secundo, consequentia sunt quatuor.

24. *Illi autem* [9] *homines* etc. Descripta sunt supra antecedentia ad mirabilem refectionem et concomitantia; hic describuntur *consequentia*, quae sunt quatuor, scilicet *turbarum devotio* ad Christum honorandum; *absconsio Domini* ad honorem fugiendum; *descensus discipulorum* ad transfretandum; *adventus Christi* ad succurrendum.

Expositio litteralis. Primum.

(Vers. 14.). Primum ergo consequens ad praedictum miraculum fuit *turbarum devotio* ad Christum honorandum, et hoc, cognoscentes eum per signum, quod fecerat; unde dicit: *Illi ergo homines, cum vidissent, quod Iesus fecerat signum*, id est, considerassent signi magnitudinem, *dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*, id est Christus, qui exspectabatur tanquam Dominus totius mundi. Hoc propter signa dicebant; infra septimo [10]: « Nunquid Christus, cum venerit, plura signa faciet, quam quae hic facit »?

Secundum.

25. (Vers. 15.). *Iesus ergo.* Tangitur hic secundum, scilicet *absconsio Domini* ad honorem fugiendum, quem praevidit turbas sibi velle offerre. Propterea dicit: *Iesus ergo, cum cognovisset*, tanquam Deus scilicet, *quia venturi erant* [11], *ut raperent eum*, quasi violenter, *et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*, quasi prae celeritate discipulos non exspectans. Volebant enim eum rapiendo regem facere ante tempus, sicut ipse dicit infra decimo octavo [12]: « Regnum meum non est de hoc mundo ». Augustinus: « Fugit Christus, cum eum voluerunt facere regem; omnia enim bona terrena contempsit homo Christus, ut contemnenda monstraret; omnia mala sustinuit, ut nec in illis quaereretur felicitas, nec in istis timeretur adversitas ».

Tertium.

26. (Vers. 16.). *Ut autem sero factum est* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *discipulorum descensus* ad recedendum; volebat enim Dominus turbas

---

[1] Cfr. Hug. a S. Vict., l. de Sacram. p. VI. c. 37. et V. Alleg. in nov. test. in hunc locum. [2] Vers. 10.

[3] E cod. M (a secunda manu) supplevimus *aquam in*.

[4] August., in Ioan. Evang. tr. 24. n. 5: Breviter ut curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi, merito non triticei, sed hordeacei, quia ad vetus testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam eius vix perveniatur; vestitur enim eadem medulla tegmine paleae, et ipsa palea tenax et inhaerens, ut cum labore exuatur. Talis est littera veteris testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum etc.

[5] In Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 2: Sed cur paralyticum sanaturus, mortuum suscitaturus, mare sedaturus non precatur; hic vero, cum de panibus agitur, id facit?

[6] Chrysost., loc. cit.: Ut doceat, ante cibum gratias esse Deo agendas. Alioquin autem in minimis id facere solet, ut discas, illum non quod indigeat ita facere; si enim indiguisset, potius id in maioribus fecisset.

[7] Sap. 11, 21. Voci *pondere* N (M a secunda manu) praefigit *numero*.

[8] Cfr. supra pag. 321, nota 5. verba Chrysost., qui etiam in Ioan. homil. 42. (alias 41.) n. 3, dicit, quod fragmenta « et probarunt, rem non esse imaginariam, et ex iis quae comederant, superfuisse ».

[9] Vulgata *ergo*, quod etiam codd. paulo inferius exhibent.

[10] Vers. 31.

[11] Vulgata *essent*.

[12] Vers. 36. Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1. ad 1. — Sententia August. habetur Lib. de catechiz. rudib. c. 22. n. 40: Omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret; et omnia terrena sustinuit mala, quae sustinenda praecipiebat, ut neque in illis quaereretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur... Noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separaverat etc.

latenter dimittere, ut ipsum non invenirent; ideo praemisit discipulos suos, ut descendentes de monte transfretarent. Propterea dicit: *Ut autem sero factum est,* haec est hora redeundi ad hospitium; *descenderunt discipuli eius ad mare,* ut scilicet transfretarent.

27. (Vers. 17.). *Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum. Venerunt,* id est, venire coeperunt, per anticipationem dictum. Ideo *venerunt,* quia ibi Dominus habitabat; Matthaei quarto [1]: « Descendit Capharnaum et habitavit ibi ».

Quartum. *Et tenebrae iam factae* etc. Tangitur hic quartum, scilicet *adventus Christi* ad succurrendum, quia ipsi erant in periculo constituti propter obscuritatem noctis et tempestatem maris; ideo dicit: *Et tenebrae iam factae erant;* ecce, periculum noctis, et maxime quia deerat ductor; ideo dicit: *Et nondum* [2] *venerat ad eos Iesus;* ideo erant in periculo; infra duodecimo: « Qui ambulat in tenebris nescit, quo vadat ». Erat etiam periculum tempestatis; propterea dicit:

28. (Vers. 18.). *Mare autem, magno vento flante, exsurgebat.* Mare enim exsurgit ad ventum; unde Ionae primo [3]: « Misit Dominus ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna ». Et quia Dominus prope est « his qui tribulato sunt corde »; ideo infertur adventus Domini ad succurrendum. Propterea dicit:

29. (Vers. 19.). *Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta; quasi* dicit propter incertitudinem spatii in mari; *viderunt* [4] *Iesum ambulantem super mare et proximum navi fieri,* ad succurrendum; sed non cognoverunt eum; ideo subditur: *Et timuerunt;* et ratio huius redditur Marci sexto: « Putaverunt, phantasma esse ». Et quia confortat Dominus corda timida, ideo subdit:

30. (Vers. 20.). *Ille autem dixit* [5] *eis: Ego sum,* scilicet qui protego; *nolite timere.* Cum Dominus adest, non est timendum, iuxta illud Psalmi: « Dominus protector meus; a quo trepidabo »? Et ex hoc confisi sunt.

31. (Vers. 21.). *Voluerunt ergo accipere eum in navim,* agnoscentes et secure gaudentes; *et statim fuit navis ad terram, in quam ibant,* id est ad quam, quia Dominus omnipotens ibi erat, qui a nave non portabatur, sed portabat; ad Hebraeos primo [6]: « Portans omnia verbo virtutis suae »; et *statim,* quia Sapientiae duodecimo: « Subest enim tibi, cum volueris, posse ». Unde triplex fuit miraculum, scilicet super mare ambulatio, tempestatis quietatio et ad portum velocissima applicatio. Triplex miraculum.

32. *Spiritualiter* notandum, *quae villa,* ad quam vadunt, *quomodo transeunt* et *quo ductore* perveniunt. — *Villa,* ad quam vadunt, Capharnaum, quae interpretatur *villa pulcherrima* [7]. Haec est caelestis patria, in qua summa pulcritudo, ut dicitur de Sanctis Sapientiae quinto [8]: *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* — Ad hanc villam *transitur per mare,* id est per tribulationum amaritudines; Actuum decimo quarto [9]: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* — Per hoc mare transvehit *navicula poenitentiae,* in qua homo salvatur, iuxta illud Actuum vigesimo septimo [10]: *Nisi in navi manseritis, vos salvi fieri non potestis;* similiter: *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini,* Ecclesiastici secundo. — Haec *navicula concutitur,* cum tentationum flatibus vexatur; Matthaei septimo [11]: *Venerunt flumina, et flaverunt venti.* — *Navigantes* vident Dominum *ambulantem,* sicut hic; *pugnantes* vident *stantem,* Actuum septimo [12]; *contemplantes, sedentem,* Isaiae sexto: *Vidi Dominum sedentem.* — Sed *adest* Dominus et *ad portum perducit,* iuxta illud Isaiae quadragesimo tertio [13]: *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te;* et secundum illud Psalmi: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum; longitudine dierum replebo eum et ostendam illi salutare meum.* Expositio spiritualis.

Quaestiones.

33. Quaest. I. Quaeritur hic primo de hoc quod turbae dicunt de Christo: *Hic est vere Propheta,* utrum dicant *verum,* vel *falsum.* — Quod *verum,* videtur: quia dicitur Deuteronomii decimo octavo [14]:

---

[1] Vers. 13.

[2] Vulgata *Et non.* — Sequitur Ioan. 12, 35. — Paulo ante pro *ductor* D *ductio.*

[3] Vers. 4. — Subinde allegatur Ps. 33, 19.

[4] Vulgata *vident.* — Inferius allegatur Marc. 6, 49. Codd. allegant Matth. 14, 26, ubi habetur: Dicentes, quia phantasma est. — August., in Ioan. Evang. tr. 25. n. 6: Sufficeret *viginti quinque,* sufficeret *triginta,* maxime quia aestimantis erat, non affirmantis.

[5] Vulgata *dicit.* — Subinde sequitur Ps. 26, 1.

[6] Vers. 3. — Seq. locus est Sap. 12, 18. — Superius post *portabat* ed. supplet *eam.*

[7] Secundum Hieron., Lib. de nomin. Hebraic. novi test. Luc.: *Capharnaum,* ager vel villa consolationis. Sed Beda, Exposit. in Ioan., dicit ad c. 2, 12: Capharnaum vero villa pulcherrima interpretatur, significans hunc mundum etc.

[8] Vers. 17. Cfr. supra Comment. in hunc locum.

[9] Vers. 21.

[10] Vers. 31. — Sequitur Eccli. 2, 22.

[11] Vers. 27.

[12] Vers. 55, ubi de Stephano dicitur, quod viderit « Iesum stantem a dextris Dei ». Cod. C legit *sicut Stephanus, Act. 7.* — Seq. locus est Isai. 6, 1. — Superius post *stantem* ed. addit *sive adiuvantem.*

[13] Vers. 2. — Sequitur Ps. 90, 15. et 16.

[14] Vers. 15. In quem locum Glossa *ordinaria* (ex Rabano): Licet historialiter de Prophetis accipi possit, qui post Moysen in populo Israel repleti sunt Spiritu Dei; melius tamen de Domino Prophetarum accipitur, de quo turbae ab ipso satiatae dixerunt [Ioan. 6, 14.]: *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Et alibi [Luc. 7, 16.]: *Propheta magnus surrexit in nobis.* — Pro *intelligit* ed. *intelligitur.*

Prophetam suscitabit vobis Dominus; et Glossa dicit, quod ad litteram intelligit de Christo.

Sed contra: Prophetia non est comprehensorum, qui vident in claritate, sed isti vident in speculo [1]: si ergo Christus fuit comprehensor, non ergo est propheta.

Respondeo: Dicendum, quod *propheta* dicitur dupliciter: vel ratione interioris inspirationis et revelationis, et sic importat secum coniunctam ignorantiam; dicitur etiam propheta ratione infallibilis et veracis denuntiationis. Ratione primi non dicitur Christus propheta, sed ratione secundi, quia verum dixit in omnibus et infallibiliter.

Resp. cum distinctione.

34. Quaest. II. Quaeritur de hoc, quod Dominus *fugit in montem.*

1. Si enim ipse erat rex, ergo recipiendus erat ut rex, et ipse debebat velle, quod sui eum reciperent, ut debebant: ergo non debebat fugere, immo se offerre.

2. Item, quando salus populi pendet ex aliquo electo, talis non debet se absentare: ergo si salus populi ex Christo, ergo etc.

3. Item, quare *solus fugit,* cum prius non solus ascenderit, sed ipse et discipuli eius?

Respondeo: Dicendum, quod Christus recipitur ut rex, quando recipitur, ut regnet in corde per fidem; sed quia illi de fide et salute non curabant, sed de temporali refectione: ideo se iuste absentat.

Resp. ad 1.

2. Et per hoc patet solutio ad sequens: quia non pendebat salus populi ex regno Christi carnali, sed ex regno spirituali.

Ad 2.

3. Quod quaeritur: quare *solus fugit?* respondeo: propter *accelerationem* alios non exspectavit; propter *absconsionem* societatem habere noluit; propter *instructionem,* ut ostendat, quod in susceptione honorum ab amicis familiaribus non est petendum consilium, quia in hoc verificatur illud Michaeae septimo [2]: *Inimici hominis domestici eius.*

Ad 3.

35. Quaest. III. Quaeritur de descensu discipulorum:

1. Quia dicitur, quod *descenderunt, cum sero factum est;* quomodo Magistrum solitarium reliquerunt? — Videtur, quod reprehensibiles fuerunt.

2. Item dicitur, quod *discipuli venerunt Capharnaum;* quia Marci sexto [3] dicitur, quod praecepit eis, ut venirent *Bethsaidam.*

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Matthaeus [4], Dominus *compulit discipulos suos ascendere in navim;* ideo non fuerunt reprehensibiles, quia Domino obediverunt.

Resp. ad 1.

2. Quod obiicitur de contrarietate, dicendum, quod Marcus nominat villam proximam, sed Ioannes, ad quam ire intendebant.

Ad 2.

36. Quaest. IV. Quaeritur etiam de ambulatione Domini super mare:

1. Ex qua parte fuerit miraculum vel *aquae* supportantis, vel *corporis* superincedentis.

2. Et quare etiam hoc miraculum non ostendit turbis?

Respondeo: Quidam dicunt, quod fuit ex parte *corporis,* et quod pro tempore illo dotem assumsit agilitatis; hoc dicit magister Hugo [5]. — Alii dicunt, quod ex parte *aquae,* quae sub pedibus Creatoris se calcabilem praebuit; et accipitur a Gregorio [6]. — Sed melius est, quod utroque in sua natura et proprietate salvato, divina virtute corpus supereffere-batur aquis.

Resp. ad 1. triplex.

Resp. auctoris.

2. Magis autem manifestavit discipulis quam turbis, quia, sicut discipuli praecellebant in intelligentia verborum ut magistri, sic etiam in aspectu miraculorum; unde multa in secreto ostendit eis.

Ad 2.

Secundo, manifestat se conservatorem spirituum.

37. *Altera die turba* etc. Ostendit supra Dominus, se esse conservatorem [7] refectione corporali; in hac parte ostendit, se esse conservatorem *refectione spirituali.* Et quoniam nemo reficitur spiritualiter nisi consentiens; et liberum arbitrium non consentit, nisi alliciatur et excitetur [8]: ideo haec pars duas habet, quia primo fit *turbarum excitatio,* secundo vero proponitur eis *spiritualis refectio,* ibi [9]: *Dixerunt ei: Domine, semper da nobis panem* etc.

Subdivisio in 2 membra.

Excitatio igitur *turbarum* hoc ordine describitur. Primo notatur turbarum ad quaerendum Dominum Christum *sollicitudo;* secundo vero, inordinate quaerentium *correctio;* tertio, dubitantium *instructio;* quarto, superbientium *humiliatio.*

Primo, de excitatione turbarum quatuor.

Insinuatur ergo primo *turbarum sollicitudo* ad Christum quaerendum proveniens ex viso miraculo; et quia eum nesciebant, ideo quaerebant, quia nesciebant, quando et quomodo recesserat. Propterea dicit:

De primo.

---

[1] Epist. I. Cor. 13, 12: Videmus nunc per speculum in aenigmate. — Pro *sed isti* ed. *sed prophetae.*

[2] Vers. 6. [3] Vers. 45.

[4] Cap. 14, 22. Cfr. August., II. de Cons. Evang. c. 47. n. 100.

[5] B. Albert., Postilla in Ioan. 6, 19, sententiam Hug. a S. Vict. sic proponit: « Dominus tunc dotes duas, spiritualitatem et agilitatem ad tempus assumsit, sicut claritatem assumsit in monte transfigurationis et impassibilitatem in die Coenae, quando corpus suum ad manducandum exhibuit ». Ultima huius sententiae pars ab ipso Hug. explicite ponitur II. de Sacram. p. VIII. c. 3; et ex iis quae ibid. generaliter de dote impassibilitatis dicta sunt, aliae partes fortasse sunt deductae. Cfr. IV. Sent. d. 44. p. II. a. 2. q. 2. in corp., ubi in nota (10.) adiecta allegavimus Innocent. III, qui in IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 12, Hugonis sententia relata, praedictas dotes eodem explicat modo.

[6] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 10. n. 2, ubi dicit, quod mare « sub plantis eius se calcabile praebuit ».

[7] Ed. hic addit *corporum,* et inferius post *conservatorem* supplet *animarum.*

[8] Cfr. infra v. 52. quaest. III. et supra c. 4. n. 52.

[9] Vers. 34.

Expositio literalis.

38. (Vers. 22.). *Altera die turba, quae stabat trans mare; stabat,* inquam, per *exspectationem;* unde dicere poterant illud Petri, Matthaei decimo septimo [1]: « Domine, bonum est nos hic esse », ideo non statim recesserant; *trans mare,* ubi scilicet refecti fuerant. *Vidit,* per *considerationem,* secundum illud [2]: « Dedi tibi cor sapiens et intelligens ». *Vidit, quod navicula alia non erat ibi nisi una,* in qua scilicet Iesus potuisset transire, nec in illa transivit. *Et, vidit* supple, *quia non introisset Iesus cum discipulis suis in navim, sed solum discipuli abiissent.* Et quia eum non inveniebant, mirabiliter eum transisse credebant; et quaerere volebant et poterant, quia naves advenerant. Propterea subdit:

39. (Vers. 23.). *Aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade,* a civitate, a qua denominabatur lacus ille; *iuxta locum, ubi manducaverant panem, gratias agentes Deo* [3], quia sic manducandum est.

40. (Vers. 24.). *Cum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, nec discipuli eius;* et ipsi propter Iesum venerant; *ascenderunt naviculas* [4] *et venerunt Capharnaum, quaerentes Iesum;* ideo eum quaerebant, quia eos refecerat in praesentia, secundum illud Ecclesiastici [5]: « Qui edunt me adhuc esurient ». In *ligno* quaerebant, qui salutem operatus est, iuxta illud Sapientiae decimo quarto: « Exiguo ligno committunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem, liberati sunt ».

Secundum.

41. (Vers. 25.). *Et cum invenissent* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *inordinate quaerentium correctio.* Quaerunt enim Iudaei Iesum et ei invento quaestionem faciunt; propterea dicit: *Et cum invenissent eum trans mare,* qui transire eum non viderant; *dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?* Ex admiratione quaerunt, nescientes, quomodo venerit; et tempus curiose quaerunt; sicut discipuli, Matthaei vigesimo quarto [6]: « Dic nobis, quando haec erunt »? Et Dominus non respondet inquisitioni, sed inordinate quaerentium intentioni. Propterea subdit:

42. (Vers. 26.). *Respondit* [7] *Iesus et dixit: Amen, amen dico vobis: Quaeritis me, non quia vidistis signa,* quae feci, ut per signa veniatis ad fidem, et ita nihil spirituale quaeritis, sed carnale; *sed quia ex panibus meis,* id est a me multiplicatis, *manducastis et saturati estis.* Et hoc Iudaei carnales requirebant, scilicet corporis saturitatem, sicut et patres eorum; Exodi decimo sexto [8]: « Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium et comedebamus panem in saturitate ». Et quia inordinate quaerebant, ideo Dominus eos *dirigit et ordinat.*

43. (Vers. 27.). *Operamini,* id est, operose requirite, *non cibum, qui perit,* id est carnalem; quia primae ad Corinthios sexto [9]: « Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et has destruet »; Matthaei decimo quinto: « Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit » etc.; *sed cibum* [10], *qui permanet in vitam aeternam,* id est cibum spiritualem. Iste cibus est verbum Dei, qui in aeternum permanet; unde Isaiae quadragesimo dicitur: « Verbum Domini manet in aeternum »; et ideo dat vitam aeternam; infra eodem: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». Hunc cibum dat Christus; propterea dicit: *Quem Filius hominis dabit vobis,* tanquam bonus pastor; infra decimo [11]: « Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet ». Et quod ipsius sit hunc cibum dare, ostendit: *Hunc enim Pater signavit Deus; signavit,* signo sui testimonii ipsum esse suum Filium ostendit, qui possit vitam et cibum dare; Matthaei tertio [12], in baptismo: « Hic est Filius meus dilectus ».

Alia expositio.

Vel: *signavit,* id est, proprio signo *discrevit* ab aliis, ut sit singularis et « in omnibus primatum tenens [13] ».

Triplex discretio.

Discrevit enim Pater Christum triplici discretione, scilicet *Verbi unione,* supra primo [14]: « Verbum caro factum est »; *donorum plenitudine,* supra tertio: « Non ad mensuram dat Deus spiritum »; *peccati immunitate,* supra primo: « Ecce, Agnus Dei; ecce, qui tollit peccata mundi ». Ista signatio praesignata est Aggaei ultimo [15]: « Assumam te, Zorobabel, serve meus, dicit Dominus, et ponam te quasi signaculum; quia te elegi, dicit Dominus exercituum ». Per *Zorobabel* intelligitur *Christus;* ideo de agno, Exodi decimo tertio: « Erit quasi signum in manu tua ».

---

[1] Vers. 4.

[2] Ita ed., citans III. Reg. 3, 12. Codd., qui hoc loco valde dissentiunt et corruptionem ostendunt; plerique in hoc conveniunt, quod post *considerationem* habent: *Deuter. 29.* (v. 4.): *Non dedit tibi* (Vulgata: vobis) *Dominus cor intelligens.* Alii pauci prorsus omittunt locum Scripturae. — De praeced. propositione cfr. infra n. 39. — Inferius Vulgata legit: *Vidit, quia navicula... sed soli discipuli eius abiissent.*

[3] Vulgata *Domino.* — Cfr. supra n. 2. 16. et 22.

[4] Vulgata *in naviculas.* — Inferius pro *in praesentia* ed. *in penuria,* D legit *quia eos reficiebat in praesenti.*

[5] Cap. 24, 29. — Sequitur Sap. 14, 5. Cfr. supra Comment. in hunc locum. — Inferius post *quaerebant* ed. supplet *eum,* et post *operatus est* addit *in ligno.*

[6] Vers. 3.

[7] Vulgata hic addit *eis,* et inferius omittit *meis.*

[8] Vers. 3.

[9] Vers. 13. — Seq. locus est Matth. 15, 17.

[10] Vulgata omittit *cibum.* Duo seqq. loci sunt Isai. 40, 8. et Ioan. 6, 69.

[11] Vers. 9.

[12] Vers. 17.

[13] Coloss. 1, 18. August., in Ioan. Evang. tr. 25. n. 11: *Signare* quid est, nisi proprium aliquid ponere? Hoc est enim signare, imponere aliquid, quod non confundatur cum ceteris. Signare est signum rei ponere. Cuicumque rei ponis signum, ideo ponis signum, ne confusa cum aliis a te non possit agnosci. *Pater ergo eum signavit.* Quid est *signavit?* Proprium quiddam illi dedit, ne ceteris comparetur hominibus etc.

[14] Vers. 14; ibid. 3, 34. et 1, 29. sunt duo seqq. loci.

[15] Vers. 24. Cfr. Collat. in Hexaëm (tom. V.) collat. 14. n. 26. — Subinde allegatur Exod 13. 9.

44. (Vers. 28.). *Dixerunt ergo*[1]*: Quid faciemus* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *dubitantium instructio;* non enim intelligentes Christi correctionem, incipiunt dubitare et quaerere. Propter hoc ait: *Dixerunt ergo ad eum,* scilicet Iudaei: *Quid faciemus, ut operemur opera bona Dei?* Ideo quaerebant de operatione, quia per illam volebant venire in refectionem. Is enim est ordo; secundae ad Thessalonicenses ultimo[2]: « Qui non laborat non manducet »; Proverbiorum duodecimo: « Qui operatur terram suam saturabitur panibus ». Et Dominus quaerentes eos instruit; unde subdit: Tertium.

45. (Vers. 29.). *Respondit Iesus et dixit eis,* scilicet quaerentibus et dubitantibus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Hoc est opus* bonum, principium omnium bonorum operum, quoniam dicitur ad Hebraeos undecimo[3]: « Sine fide impossibile est placere Deo ». Qui vult bene operari a fide debet incipere; Genesis decimo quinto: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam ».

46. (Vers. 30.). *Dixerunt ergo ei* etc. Tangitur hic quartum, scilicet *contemnentium et superbientium humiliatio;* nolebant enim Christo credere per signa, quae viderant, quasi maiora signa vidissent patres eorum. Propterea dicunt: *Quod ergo tu signum facis, ut videamus et credamus tibi?* Non enim credunt Hebraei, nisi signa videant; primae ad Corinthios primo[4]: « Iudaei signa quaerunt ». *Quid operaris?* Quasi dicant: quid magnum fecisti? Modicum est, quod fecisti respectu eius quod factum est in deserto. Quartum.

47. (Vers. 31.). *Patres nostri manducaverunt manna in deserto,* non panem hordeaceum, sed caelestem; unde et subdunt: *Sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare.* Scriptum est in Psalmo[5]: « Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia ». Sic efferebantur de miraculo ostenso patribus, contemnentes miraculum Christi; et Dominus eos humiliat ostendens, quod Scriptura illa non est impleta per Moysen, sed impletur per ipsum. Propterea subdit:

48. (Vers. 32.). *Dicit*[6] *ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo,* sicut illa Scriptura loquitur; non, inquam, *vere,* sed *typice,* quia, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo, « omnia in figura contingebant illis ». *Sed Pater meus dat vobis panem verum de caelo;* et ideo ab ipso petimus: « Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie », Matthaei sexto. Et rationem huius reddit:

49. (Vers. 33.). *Panis enim verus*[7] *est, qui de caelo descendit et dat vitam mundo;* et hic panis non fuit manna, sed Christus; infra decimo: « Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant ». *Descendere de caelo,* hoc est in carnem venire; unde Augustinus[8]: « Verbum, quod erat panis Angelorum, dum descendit in carnem, vertitur in lac parvulorum ».

Quaestiones.

50. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Quaeritis me, non quia vidistis signa. — Contra:* Supra eodem[9]: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa* etc.

Respondeo: Dicendum, quod contrarietas haec solvitur dupliciter: uno modo per relationem ad *diversa tempora:* quia illi iidem, qui primo secuti sunt propter *signa,* postmodum refecti, secuti sunt propter *escas.* Alio modo solvitur per relationem ad *diversas personas:* quia utrumque verum est; quidam enim sequebantur propter *signa,* quidam propter *escas.* — Unde notandum, quod quinque fuerunt causae, quare aliqui sequebantur Dominum, quae his versibus continentur: Resp. Duplex solutio. Quinque causae.

> Morbus, signa, cibus, blasphemia, dogma fuere
> Causae, cur Dominum turba secuta fuit[10].

51. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Operamini non cibum, qui perit.* Quaerit Chrysostomus[11]: utrum debeat homo operari pro cibo corporali? — Quod non, videtur:

Per litteram istam. — Item, Matthaei sexto[12]: *Nolite solliciti esse, quid manducetis* etc. — Item, Lucae decimo[13] reprehendit Dominus Martham, quae circa cibum corporalem sollicita erat. Ergo non videtur, quod debeat homo pro cibo corporali operari.

Contra: Primae ad Thessalonicenses quarto[14]: *Operamini manibus vestris, sicut praecepimus*

---

[1] Vulgata addit *ad eum,* quod etiam codd. paulo inferius exhibent. Subinde post *opera* Vulgata omittit *bona.*

[2] Vers. 10. — Sequitur Prov. 12, 11.

[3] Vers. 6. — Seq. locus est Gen. 15, 6.

[4] Vers. 22. [5] Psalm. 77, 25.

[6] Vulgata *Dixit.* — Subinde allegantur I. Cor. 10, 11. et Matth. 6, 11.

[7] Pro *verus* Vulgata *Dei.* — Sequitur Ioan. 10, 10.

[8] Enarrat. in Ps. 119, n. 2: Quomodo ergo cibum mater comedit, ut per carnem traiiciat ad infantem lac factum, sic cibus Angelorum Dominus, *Verbum caro factum est* [Ioan. 1, 14.], et factus est lac. Et dicit Apostolus [I. Cor. 3, 2.]: *Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis.* Ergo dando lac descendit ad parvulos, et quia descendit, descendentem dedit etc. Cfr. in Ps. 30. enarrat. 2. n. 9.

[9] Vers. 2.

[10] In Comment. a Vaticana ed. sub nomine Bonav. impresso additur:

> Morbus, amor, mira, sapientia, virtus et ira:
> His egit varias plebs tibi, Christe, vias.

[11] In Ioan. homil. 44. (alias 43.) n. 1.

[12] Vers. 31.

[13] Vers. 41.

[14] Vers. 11.

vobis. — Item, secundae ad Thessalonicenses ultimo[1]: *Qui non laborat non manducet;* ubi etiam Apostolus dicit, se praebuisse exemplum.

Respondeo: Dicendum, quod bonum est operari
Resp. pro habendo cibo corporali, sicut dicitur[2]: *Labores manuum tuarum manducabis; beatus es* etc.
Triplex inordinatio. Sed circa hanc manuum operationem triplex contingit esse inordinatio: in *intentione*, ut cum finaliter hunc cibum requirit, et Dominus hoc prohibet hic; in *sollicitudine*, ut quando absorbetur mens circa terrena, et sic prohibet Dominus in Matthaeo; in *tempore*, ut quando debet vacare auditioni verbi Dei, vacat operi vel cibo corporali; et sic Christus reprehendit Martham, quae debuisset audire Dominum praedicantem[3].

52. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Opus Dei est, ut credatis in eum quem ille misit.*

Contra: Dicit Apostolus ad Romanos tertio[4]: *Arbitramur, hominem iustificari per fidem sine operibus Legis:* ergo credere non est *opus.*

Respondeo: *Opus* accipitur *communiter* ad opus
Resp. cum distinctione. *operans* et ad opus *operatum, spirituale* et *corporale, interius* et *exterius;* alio modo *proprie* secundum alteram horum differentiam. Primo modo *credere* est *opus*, secundo modo minime[5].

53. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Moyses non dedit vobis panem de caelo:*

Quia dicitur Sapientiae decimo sexto[6]: *Paratum panem de caelo praestitisti eis.*

Respondent quidam, quod est caelum *empyreum*
Resp. 1. et est *aëreum;* a primo non habuerunt panem, sed
Non solvit. a secundo[7]. — Haec solutio non solvit, quia Christus non fuit panis de caelo empyreo; et praeterea dicitur in Psalmo[8]: *Panem Angelorum manducavit homo*, sed panis Angelorum non est de *aëre.*

Respondeo: Dicendum, quod *manna* cibus fuit
Resp. 2. materialis et de caelo materiali, gerens tamen *figuram* cibi veri, caelestis et spiritualis[9]. Auctoritates ergo, quae dicunt illum cibum *caelestem*, intelligendae sunt secundum *figuram* et typum[10]; oppositae vero secundum *veritatem* apertam.

54. *Dixerunt ergo ad eum.* Excitavit Dominus Iudaeos ad quaerendam spiritualem refectionem, hic iam excitatis et petentibus *tribuit instructionem.* Et quoniam Christus est panis reficiens secundum divinam naturam et secundum humanam, ideo haec pars habet duas. In prima agitur de refectione huius caelestis panis secundum *divinam* naturam; in secunda, quantum ad *humanam*, ibi[11]: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est* etc.

Secundo, de spirituali refectione instructio.

Divisio in 2 membra.

Prima pars habet duas partes. In prima ponitur *instructio* ad Iudaeorum petitionem; in secunda vero, *instructionis confirmatio* propter Iudaeorum murmurationem, ibi[12]: *Murmurabant ergo Iudaei* etc.

Primo, de caelesti pane sec. diviuam naturam duo.

Instruit igitur Iudaeos de huius panis caelestis refectione hoc ordine: primo ostendit, *quis sit* iste panis reficiens; secundo vero, *qui* hoc pane *reficiuntur;* tertio, *quare* illos et non alios *reficit.*

Instruit de tribus.

55. (Vers. 34.). Primo igitur ad Iudaeorum petitionem docet, *quis sit* iste panis reficiens; propter quod introducit Iudaeos petentes: *Dixerunt ergo ad eum*, Iudaei scilicet: *Domine, semper da nobis hunc panem;* quia eis promiserat panem *vivum*, ideo petunt, ut non esuriant, sicut mulier aquam; supra quarto[13]: « Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire ». Sic igitur petentibus Dominus *spiritualem* panem ostendit.

De primo.

56. (Vers. 35.). *Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitae*, id est panis *dans vitam;* quia ipse est Sapientia, de qua Ecclesiastici quarto[14]: « Sapientia filiis suis vitam inspirat »; nec tantum est vitam dans, immo etiam *satians* et affectum et intellectum; unde dicit: *Qui venit ad me*, per caritatem scilicet, *non esuriet;* Matthaei undecimo: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ». *Et qui credit in me non sitiet in aeternum*[15], quia, sicut dicitur supra quarto, « qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non si-

---

[1] Vers. 10. Ibid. v. 9: Ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. — Post *exemplum* ed. addit *in eo, quod ipse manibus suis laborabat.*

[2] Psalm. 127, 2.

[3] Cfr. Chrysost., homil. 44. (alias 43.) n. 1.

[4] Vers. 28.

[5] Glossa *ordinaria* (cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 25. n. 12.): *Hoc est opus Dei.* Fides per dilectionem operans [Gal. 5, 6.] est opus, quia, si desit facultas, non quaeritur nisi voluntas. Merito etiam fides, quae per dilectionem operatur, opus dicitur, quae est initium et finis totius boni.

[6] Vers. 20. — Ed. subiungit *I. Cor. 10, 3: Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt.*

[7] Card. Hugo: *De caelo,* non empyreo, sed de caelo aëreo, secundum quod dicitur: *Volucres caeli comederunt illud,* Matth. 13, 4; et in Psalmo 17, 14: *Intonuit de caelo Dominus.* Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 45. (alias 44.) n. 1: Non ergo de caelo manna erat, quomodo igitur de caelo dicitur esse? Quemadmodum *volucres caeli* [Ps. 8, 9.] dicit Scriptura; ac rursum: *Et intonuit de caelo Dominus* [Ps. 17, 14.].

[8] Psalm. 77, 25. — Ed. legit: *quia manna non fuit panis de solo caelo aëreo; et propterea etiam dicitur in Psalmo: Panem etc.* — Christus non fuit de caelo *empyreo,* sed de caelo *Trinitatis;* cfr. B. Albert., in hunc locum: *Pater meus,* qui est in caelo Trinitatis... *dat vobis... panem verum... de caelo* Trinitatis, quia dedit vobis me, qui cibus sum in vitam aeternam vegetans etc.

[9] Cfr. supra Comment. in Sap. 16, 20. et IV. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2. — Ed. legit: *de caelo materiali, scilicet aëreo, per Angelos tamen praeparatus et etiam gerens figuram cibi veri* etc.

[10] Chrysost., in Ioan. homil. 45. (alias 44.) n. 1: Panem autem *verum* vocat illum, non quod falsum esset miraculum de manna, sed quoniam hoc typus erat, non ipsa veritas. Cfr. supra n. 48.

[11] Vers. 52.

[12] Vers. 41.

[13] Vers. 15.

[14] Vers. 12. — Sequitur Matth. 11, 28.

[15] Pro *in aeternum* Vulgata *unquam.* — Subinde allegatur Ioan. 4, 13. et 14.

tiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ». —
Notandum. Et notandum, quod *caritas pascit*, quia est in affectu, qui magis unitur; *fides potat*, quia respicit actum intellectus, qui minus unitur. Et propterea, quemadmodum potus ducit cibum per membra, sic fides et operatio intellectus viam dirigit virtutibus existentibus in affectu, in quo est cibatio [1].

57. (Vers. 36.). *Sed dixi vobis.* Hic notatur se-
De secundo. cundum, *qui* scilicet *hoc pane reficiuntur:* quia non increduli, sed fideles a Deo electi et vocati. Propterea dicit: Ita dixi, quod « qui venit ad me non esuriet »; sed vos, quia non creditis, refici non potestis; unde ait: *Sed dixi vobis: Quia et vidistis me et non creditis.* Supra tertio [2] dixit: « Nos quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis »; item supra quinto: « Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis »? Item supra eodem: « Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia de panibus meis manducastis ». Et quia *non creditis*, refici non potestis. Unde Beda [3]: « Panem de caelo desideratis? Ante vos habetis et non comeditis », quia non creditis; sed illi comedunt, qui electi a Deo sunt et vocati credunt. Unde dicit:

58. (Vers. 37.). *Omne, quod dat mihi Pater,* per aeternam electionem et temporalem vocationem;
De datione. *ad me veniet*, per fidem et dilectionem. De hac *datione* in Psalmo [4]: « Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam ». Has postulavit Dominus infra decimo septimo: « Pater, quos dedisti mihi, serva
De adventu. eos in nomine tuo » etc. De isto *adventu* ad Christum dicitur Isaiae secundo: « Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas ». Ad hunc adventum hortatur Isaias quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes, venite ad aquas ». Sic venientes reficit; unde et subdit: *Et eum qui venit ad me, non eiiciam foras; non eiiciam*, sed reficiam; *non eiiciam foras*, sed *introducam*, iuxta illud Canticorum secundo [5]: « In-
Alia expositio. troduxit me in cellam vinariam » etc. — Vel: *non eiiciam* eum, sed *intrabo* ad eum; Apocalypsis tertio: « Ecce, ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, introibo ad eum et coenabo cum illo ». Et in hoc
Notandum. ostenditur Dei *iustitia*, quia non reficit nisi venientes, et *benignitas*, quia omnes suscipit et nullum abiicit.

59. (Vers. 38.). *Quia descendi de caelo* etc. De tertio. Tangitur hic tertium, *quare* scilicet *reficit* tantum praedestinatos et a Deo vocatos. Ratio est conformitas voluntatis suae ad divinam; propterea dicit: *Quia descendi de caelo*, carnem assumendo, *non ut faciam voluntatem meam*, a Patre discordando; *sed voluntatem eius qui misit me*, per omnia ipsi obediendo; unde ad Philippenses secundo [6]: « Factus est obediens » Patri « usque ad mortem, mortem autem crucis »; supra quinto: « Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me ». Sed voluntas Patris est, ut electi et vocati hoc pane reficiantur; propter quod subdit:

60. (Vers. 39.). *Haec est enim voluntas Patris mei, qui misit me* [7], *ut omne, quod dedit mihi*, per electionem; ad Romanos octavo: « Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui »; *non perdam ex eo*, per reprobationem, iuxta illud primae ad Corinthios primo: « Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo ». *Sed resuscitem illud in novissimo die*, ad aeternae beatitudinis participationem; ad Romanos octavo [8]: « Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra ». Hanc voluntatem implevit pro parte; infra decimo octavo: « Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam ». Et quia sic eligit nos Deus, ut per merita fidei beatitudinem consequamur; ut ostendat arbitrii nostri cooperationem, iterum repetit:

61. (Vers. 40.). *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium*, secundum humanitatem, *et credit in eum*, per sui arbitrii libertatem, quia, sicut dicit Augustinus [9], « non potest homo credere nisi volens »; *habeat vitam aeternam*, in praemium; *et ego resuscitabo eum in novissimo die*, et ita hanc vitam consequetur per Filium; ad Ephesios secundo [10]: « Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu »; et hoc *in novissimo die*, quia, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo quinto, « novissima omnium destruetur inimica mors ».

Quaestiones.

62. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Qui venit ad me non esuriet* [11].

---

[1] Cfr. Collat. in Hexaëm. collat. 17. et 18.

[2] Vers. 11; duo seqq. loci sunt ibid. 5, 44. et 6, 26.

[3] In Ioan. 6, 35.

[4] Psalm. 2, 8. — Subinde allegantur Ioan. 17, 11; Isai. 2, 3. et 55, 1.

[5] Vers. 4. — Seq. locus est Apoc. 3, 20.

[6] Vers. 8. — Sequitur Ioan. 5, 30.

[7] Vulgata: *Haec est autem voluntas eius qui misit me Patris.* — Duo seqq. loci sunt Rom. 8, 29. et I. Cor. 1, 19.

[8] Vers. 11. — Subinde allegatur Ioan. 18, 9. — Inferius pro *sic eligit* plures codd., ut F G H I K L M, *sic elegit.*

[9] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 2. Cfr. I. Retract. c. 23. n. 3. Vide tom. III. pag. 493, nota 3. — Inferius pro *hanc vitam consequetur* ed. *habeat vitam consequenter.*

[10] Vers. 5. seq. — Sequitur I. Cor. 15, 26.

[11] Ed. *Eum... non eiiciam*, ut habetur v. 37; qua lectione ordo quaestionum inverteretur, quia seq. quaestio respicit v. 36, haec autem v. 35.

CONTRA: Habetur infra eodem [1], quod *multi ex discipulis eius abierunt retro;* et constat, quod prius ad ipsum venerunt: ergo falsum dicit.

RESPONDEO: Intelligendum est de illis qui ve- Resp. nerunt corde perfecto, non ficto; et isti sunt, qui veniunt cum caritate perseverante; alioquin habentur, ac si non venerint, eo quod *omnes iustitiae in oblivionem dantur* [2].

63. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Vidistis me et non creditis.* — Videtur, quod nihil dicat, quia fides est earum rerum quae non videntur hypostasis [3]: ergo nihil potest eos reprehendere de hoc, quod non credunt, cum videant. — *Si dicas,* quod *videre* secundum humanitatem est, sed *credere* secundum Divinitatem; hoc nihil est, quia visio humanitatis potius impedit fidem Divinitatis, quam adiuvet: ergo non debet eos arguere ex hoc.

RESPONDEO: Dicendum, quod intelligit de visione Resp. non humanitatis purae vel infirmae, sed de visione virtutis et potentiae in effectu. Et quoniam videbant divinam virtutem [4] in effectu, ideo credere debebant.

Quod obiicit, quod visio repugnat fidei; dicen- Ad obiect. dum, quod verum est de visione essentiae, sed non est verum de visione, quae est in effectu tanquam in speculo, quia fidei est videre *per speculum et in aenigmate* [5].

64. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.*

CONTRA: Infra decimo septimo [6]: *Nemo ex eis quos dedisti mihi, periit nisi filius perditionis:* ergo aliquis periit ex sibi datis.

RESPONDEO: Dicendum, quod vis potest fieri in Resp. 1. cum distinctione. hoc quod dicit *dedit,* quia *dare* est dupliciter: vel secundum *praesentem iustitiam,* et sic datus fuit Iudas, et sic periit; vel *dare* est secundum *electionem aeternam,* et sic dati sunt praedestinati, ex quibus nullus perit [7].

Aliter respondetur, quod fiat vis in hoc quod Resp. 2. dicit *perdam,* quia ipse Christus diligentissime custodit; unde nullus perit propter defectum pastoris; sed quia neminem invitum salvat, aliqui pereunt propter malitiam suam. Unde Christus non eos *perdit,* sed ipsi se.

65. *Murmurabant ergo Iudaei* etc. Posuit su- Confirmat instructionem, de qua quatuor. pra [8] instructionem ad Iudaeorum petitionem, hic secundo ponit *confirmationem* ad compescendam eorum murmurationem; et procedit in hac parte hoc ordine: primo ponitur *Iudaeorum murmuratio;* secundo vero, *murmurationis cohibitio;* tertio, *erroris amotio;* quarto, *veracis doctrinae confirmatio.*

(Vers. 41.). Insinuatur ergo primo *Iudaeorum* Expositio litteralis. Primum. *murmuratio* de hoc, quod Dominus se de caelo dixerat descendisse; propter quod dicit: *Murmurabant ergo Iudaei de illo.* Murmuratio est occulta detractio; unde Chrysostomus [9]: « Non aperte, sed occulte contradicebant, quia signum de panum multiplicatione adhuc recens erat ». Morem patrum suorum servabant, de quibus Numerorum decimo quarto: « Usquequo multitudo haec pessima murmurat contra me »? Et subdit de quo murmurabant: *Quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Ipsi enim quaerebant panem temporalem ad manducandum; unde, quia spe sua frustrati erant in hac responsione, ideo murmurabant.

66. (Vers. 42.). *Et dicebant: Nonne hic est* [10] *filius Ioseph?* Lucae tertio: « Erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph »; *cuius nos novimus patrem et matrem,* de terris, non de caelis; Matthaei decimo tertio: « Nonne hic est fabri filius, et mater eius dicitur Maria, et fratres eius et sorores apud nos sunt »? *Quomodo ergo dicit hic, quia de caelo descendi?* cum sciamus, eum natum esse in terris. Et sic verificatum est illud quod dictum est supra quarto [11]: « Propheta in patria sua honorem non habet ». Quia enim cognoscebant temporalem generationem, negabant aeternam; et quia contempserunt Christum humilem, non potuerunt videre sublimem.

67. (Vers. 43.). *Respondit ergo Iesus et dixit* Secundum. *eis.* Tangitur hic secundum, scilicet *murmurationis cohibitio.* Cohibet enim eos a murmuratione; unde dicit: *Nolite murmurare ad invicem* [12]; et vere, quia nihil prodest; Sapientiae primo: « Custodite vos a murmuratione, quae nihil prodest », sed obest; primae ad Corinthios decimo: « Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt ». Et ratio, quare non debent murmurare, est, quia Christum non intelligunt; et quia eum non intelligunt, stulte reprehendunt; et vere non intelligunt, quia non credunt; et non credunt, quia non eis est a Patre datum. Propterea dicit:

68. (Vers. 44.). *Nemo potest venire ad me,* per fidem et dilectionem et cognitionem; *nisi Pater, qui*

---

[1] Vers. 67.

[2] Ezech. 33, 13: Etiam si dixero iusto, quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur etc.

[3] Damasc., IV. de Fide orthod. c. 10: « Fides est eorum quae sperantur hypostasis, rerum redargutio, quae non videntur », quae definitio est eadem cum illa quam proponit Apostolus Hebr. 11, 1; de quo cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 5. ad 1. et dub. 1. — Ed. legit *quae non videntur, ut dicit Apostolus ad Hebr. 11.*

[4] Cod. D *naturam divinam.*

[5] Epist. I. Cor. 13, 12. Cfr. III. Sent. d. 24. a. 2. q. 1. et 3. — Superius post *essentiae* ed. addit *divinae.*

[6] Vers. 12.

[7] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. et III. Sent. d. 31. dub. 2.

[8] Vers. 34.

[9] In Ioan. homil. 46. (alias 45.) n. 1. — Sequitur Num. 14, 27.

[10] Vulgata addit *Iesus.* — Duo seqq. loci sunt Luc. 3, 23. et Matth. 13, 55. seq.

[11] Vers. 44. Cfr. ibid. n. 83.

[12] Vulgata *in invicem.* — Subinde allegantur Sap. 1, 11. (cfr. supra Comment. in hunc locum) et I. Cor. 10, 10.

misit me, traxerit eum, per *revelationem,* sicut Petrus, cui dicitur Matthaei decimo sexto [1]: « Beatus es, Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in caelis ». Ita Pater trahit ad me per *revelationem. Et ego resuscitabo eum in novissimo die,* per *redemptionem* et liberationem a morte; primae ad Corinthios decimo quinto: « Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur ». Et ut magis eis silentium imponat, confirmat per Scripturam.

69. (Vers. 45.). *Scriptum est in Prophetis: Erunt* [2] *omnes docibiles Dei,* id est, omnes docebuntur a Deo; *in Prophetis* dicitur, quia in pluribus invenitur; Ieremiae trigesimo primo: « Dabo legem meam in visceribus eorum et in cordibus eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum »; item, Isaiae quinquagesimo quarto [3]: « Ponam omnes filios tuos doctos a Domino »; et Ioelis secundo: « Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae, senes vestri somnia somniabunt ».

Omnis, qui audivit a Patre etc. Tangitur hic
Tertium. tertium, scilicet *erroris amotio.* Quia enim dixerat, quod omnes docentur a Deo; ne quis crederet, quod videant Deum, a quo docentur, dicit, quod non *vident,* sed *audiunt.* Unde dicit: *Omnis, qui audivit a Patre meo* [4] *et didicit,* per inspirationem, iuxta illud Psalmi: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus »; ille, inquam, *venit ad me,* per fidem et dilectionem, iuxta illud Apocalypsis ultimo: « Et qui audit dicat: Veni ».

70. (Vers. 46.). *Et* [5] *non quia Patrem vidit quisquam,* scilicet mortalis et passibilis, quia Exodi trigesimo tertio dicitur: « Non videbit me homo et vivet »; *nisi is qui est a Deo, hic videt Patrem.* Hic est unigenitus Filius, de quo supra primo: « Deum nemo vidit unquam, sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris » etc.

71. (Vers. 47.). *Amen, amen dico vobis* etc.
Quartum. Hic ponitur *praecedentis instructionis* [6] *confirmatio;* unde iterat quod dixerat et adverbium affirmandi geminat; propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis,* id est, vere, vere dico: *Qui credit in me habet vitam aeternam;* et hoc probat, quoniam ipse est panis, qui vivificat credentes; unde dicit:

72. (Vers. 48.). *Ego sum panis vitae;* et hoc credentibus, quia, sicut dicitur Proverbiorum tertio [7], « lignum vitae est his qui apprehenderint eam »; scilicet per *fidem;* « et qui tenuerit eam beatus », qui tenuerit per *comprehensionem.* Et quod sit *panis vitae,* ostendit per effectum, quia scilicet dat *vitam gratiae* et *vitam gloriae;* vitam *gratiae,* quam non dabat panis ille typicus; unde dicit:

73. (Vers. 49.). *Patres vestri manducaverunt manna in deserto,* per quadraginta annos scilicet, sicut dicitur Deuteronomii octavo [8]: « Dedit tibi cibum manna, quod ignorabas »; *et mortui sunt,* morte scilicet culpae et infidelitatis; ad Hebraeos quarto: « Non profuit eis sermo auditus, non admixtus fidei ».

74. (Vers. 50.). *Hic est panis de caelo descendens,* per incarnationem, *ut, si quis ex eo* [9] *manducaverit,* per fidem et dilectionem; *non moriatur,* per praevaricationem; quia, sicut dicitur Habacuc secundo, « iustus in fide sua vivit ». Sicut fides a morte liberat, sic etiam dilectio; primae Ioannis tertio: « Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit manet in morte ». Nec tantum dat vitam *gratiae,* immo etiam vitam *gloriae;* propter quod subdit:

75. (Vers. 51.). *Ego sum panis vivus,* per essentiam, quia vitam habens in semetipso; supra quinto [10]: « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso ». *Qui de caelo descendi,* per misericordiae abundantiam; Exodi tertio: « Vidi afflictionem populi mei in Aegypto et dolorem eius et descendi, ut liberem eum ».

76. (Vers. 52.). *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,* per gloriam. De hac comestione Canticorum quinto [11]: « Comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi »; hoc erit in gloria. Ab huiusmodi comestione prohibitus est peccator in figura Adae; Genesis tertio: « Nunc ergo, ne forte sumat de ligno vitae et comedat et vivat in aeternum ».

Quaestiones.

77. Quaest. I. Quaeritur hic primo de hoc quod dicit, quod *Iudaei murmurabant.*

1. Dominus sciebat, quod Iudaei de doctrina veritatis cadere debebant in murmurationem: ergo

---

[1] Vers. 17. — Sequitur I. Cor. 15, 21. et 22. — Pro *sicut Petrus* C M *sicut Petrum.*

[2] Vulgata *Et erunt.* — Seq. locus est Ier. 31, 33. et 34.

[3] Vers. 12. seq. — Sequitur Ioel. 2, 28.

[4] Vulgata omittit *meo.* — Duo seqq. loci sunt Ps. 84, 9. et Apoc. 22, 17.

[5] In Vulgata deest *Et,* ac infra substituit ipsa *vidit* pro *videt.* — Subinde allegantur Exod. 33, 20. et Ioan. 1, 18.

[6] Ed. *veracis doctrinae* (ut supra n. 65.). Inferius pro *vere, vere* D G K M *nunc vere.*

[7] Vers. 18.

[8] Vers. 3. Ibid. v. 2: Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum etc. Cfr. Exod. 16, 35: Filii autem Israel comederunt man quadraginta annis etc. — Sequitur Hebr. 4, 2.

[9] Vulgata *ex ipso.* — Duo seqq. loci sunt Habac. 2, 4. (cfr. Hebr. 10, 38.) et I. Ioan. 3, 14.

[10] Vers. 26. — Sequitur Exod. 3, 7. et 8.

[11] Vers. 1. Cfr. Bernard., de Diligendo Deo, c. 11. n. 31. et 33. — Subinde allegatur Gen. 3, 22.

cum sciret, doctrinam non proficere; cum esset medicus salutis, non debuit dare.

2. Ad hoc facit quod scribitur Matthaei septimo [1]: *Nolite sanctum dare canibus neque spargere margaritas ante porcos;* ad hoc ipsum Proverbiorum nono: *Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit*: ergo videtur, quod talibus non deberet dari instructio, qui cadunt in detractionem.

Respondeo: Sicut dicit Augustinus in libro de Resp. Bono perseverantiae [2], salus unius boni praeferenda est multis malis; hoc elicitur ex verbis eius; unde dicit ibidem, quod cum scimus, doctrinam nostram prodesse bonis, etsi sciamus, inde scandalizari malos, non debemus tacere. Quoniam igitur opportuna erat doctrina de pane vitae et perutilis valde bonis, et [3] qui tunc aderant et nobis, qui legimus; et tempus se offerebat, quia mirabilis et magna refectio facta fuerat: ideo bene fecit docendo, non Ad obiect. propter malos, sed propter bonos. — Unde solvendum, quod etsi Dominus malis loqueretur, tamen erudiebat bonos.

78. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Omnis, qui audivit a Patre; non quia Patrem viderit* etc.

Contra: 1. Constat, quod hic loquitur de *videre* et *audire* ipsius intellectus; sed in intellectu non differt *visus* et *auditus*, et qui audit intelligibiliter videt intelligibiliter [4]: ergo si auditur Pater interius, et videtur.

2. Praeterea, *si dicas*, quod *aliud* [5]; certum est, quod *intelligere* est *videre;* qui igitur audit, aut intelligit, aut non; si intelligit, videt; si audit et non intelligit et venit ad auditum: ergo venit non intelligens tanquam brutum.

Respondeo, quod *visio* respicit loquentem, sed Resp. *auditus* locutionem; proprie *locutio* Dei *inspiratio* Notanda doctrina. Dei est, secundum quod hic accipitur. Haec inspiratio effectus Dei est in anima; hunc effectum potest anima in se ipsa cognoscere, quamvis non plene cognoscat, a quo est. Unde dicendum, quod illam inspirationem et *videt* et *audit*, sed tamen ex hoc non sequitur, quod videat *Deum*. Unde optime dicit: *Omnis, qui audit a Patre*, id est inspirationem provenientem a Patre, et *illam*, inquam, videt, sicut et audit. Sed non ex hoc sequitur, quod videat *inspirantem;* quia auditus non *eum* respicit, sed *effectum*, sicut et visus [6].

79. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.*

Contra: 1. *Tractio* est motus violentus [7]; omne meritum est voluntarium: ergo nullus meretur, cum facit aliquid tractus.

2. Item, si non potest nisi *tractus*, ergo non est in sua potestate ad Deum venire; et si hoc: ergo cum nullus sit reprehensibilis, si non facit impossibile, nullus est reprehensibilis, si ad Deum non venit.

3. Item, cum *trahere* sit totius Trinitatis, quod est per revelationem, quae proprie est Filii, vel Spiritus sancti; quomodo attribuitur Patri? quia non per *proprietatem*, nec per *appropriationem* [8].

Respondeo: Dicendum, quod est *manere in se*, Resp. et hoc naturae est institutae; *descendere* vel *inclinari infra se*, hoc naturae corruptae; sed *supra se elevari*, hoc est naturae per gratiam sublimatae [9]. Unde *stare* est naturae, *descendere* culpae, *ascendere* gratiae. — Quoniam igitur natura corrupta est et ad malum prona; si supra se elevetur, non tantum erit *elevatio*, sed propter inclinationem ad contrarium, *tractio*. Quia igitur omnis, qui ad Deum venit, *supra se elevatur;* nemo venit, nisi *trahatur*. Propterea bene dicit: *Nemo venit* etc. Explicantur 3 verba.

1. Quod obiicit de motu violento, respondetur, Ad 1. quod est tractio *coactionis* exterioris, et est tractio *inductionis;* prima violentiam ponit, secunda minime. — Vel aliter: est tractio *affectionis*, secundum quod dicit Augustinus [10], quod poeta dicit: « Trahit sua quemque voluptas »; et haec meritoria est et demeritoria; et est tractio *contra voluntatem*, et hac non trahit, et de hac non loquitur.

2. Ad secundum dicendum, quod non est in Ad 2. plena potestate venire, sed in potestate est se ad divinum auxilium praeparare [11].

3. Quod appropriat Patri, dico, quod appropria- Ad 3. tio fit in Trinitate ratione *intelligentiae dandae*, ra-

---

[1] Vers. 6. — Seq. locus est Prov. 9, 7.

[2] Cap. 16. n. 40. et c. 17. n. 44. seqq.

[3] Ed. *et eis*.

[4] Cfr. Aristot., III. de Anima, text. 4. seqq. (c. 4.), ubi docet, intellectum, « quoniam omnia intelligit, immixtum esse », i. e. facultatem inorganicam; organica enim facultas propter materialem organizationem limitata est et ad certam obiectorum speciem determinata. — Lectionem, quam exhibemus, est EF; alii codd. legunt *et qui audit intellectum* [fortasse *intellectu*] *videt intellectum* [*intellectu*], ed. *nam qui audit intelligit, et qui videt intelligit.*

[5] Ed. omittit *aliud* (supple: est). Subinde pro *intelligere est videre* B *intelligitur etiam videtur* [multi alii codd. incongrue: *intelligitur etiam videre*], E *intelligimus, videmus.*

[6] Cfr. Collat. in Hexaëm. collat. 2. n. 10. Ex hoc loco illustratur doctrina, quam Bonav. de modo cognitionis humanae ex parte Dei cooperantis exhibet diversis in locis.

[7] Vide Aristot., VII. Phys. text. 10, de quo tom. II. pag. 618, nota 2.

[8] Ed. legit: *Trinitatis, quia tamen est per revelationem, quae per appropriationem est Filii... quomodo attribuitur Patri non per proprietatem, sed per appropriationem?*

[9] Cfr. Itinerar. mentis in Deum, c. 1. n. 1.

[10] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 4, ex Virgil. Ecloga 2. Plurimi codd. substituunt mendose *voluntas* pro *voluptas*, quod habent etiam EF. — De hac solutione cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 5. et IV. Sent. d. 17. p. I. a. 1. q. 2. ad 2. — Inferius post *non trahit* ed. supplet *Deus hominem.*

[11] Cfr. II. Sent. d. 28. a. 1. et 2. et Breviloq. p. V. c. 2. — Superius post *potestate* ed. addit *hominis ad gratiam Dei.*

tione *erroris amovendi*, ratione *humilitatis ostendendae* [1]. Sic dico, quod hoc tertio modo Filius ea quae sunt Trinitatis, Patri appropriat, ut nos humiliari doceat; et sic patet.

80. Quaest. IV. Quaeritur de hoc quod dicit: *Erunt omnes docibiles Dei:*

1. Quia hoc certissime falsum est in omni statu.

2. Item, quomodo verum est illud quod dicitur Ioelis secundo [2]: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem;* et similiter illud Isaiae: *Ponam omnes filios tuos doctos a Domino?*

Resp. 1. non probata.

Respondeo secundum Augustinum [3], quod *omnes* distribuit pro *generibus* singulorum. — Sed tunc auctoritas parum valeret ad propositum.

Resp. 2.

Propter hoc aliter exponitur, quod qui docti erunt docebuntur a Deo, et nullus nisi per ipsum; ideo *omnes docibiles* [4]. Et sic auctoritas valet ad propositum.

Secundo, de caelesti pane secundum naturam humanam tria.

81. *Et panis, quem ego dabo.* Supra ostendit Dominus, se esse panem reficientem secundum *divinam* naturam; hic ostendit secundum *humanam*. Et quoniam hoc videbatur falsum et asperum sive durum, ideo haec pars habet tres partes. Primo ponitur *instructio* fidelium; secundo, ipsius *confirmatio* propter Iudaeorum litigium, ibi [5]: *Litigabant ergo Iudaei* etc.; tertio, ipsius *explanatio* propter discipulorum scandalum, ibi: *Haec dixit in Synagoga docens* etc.

Expositio literalis. Primo, instructio.

(Vers. 52.). *Instructio* brevis ponitur, in qua carnem suam dicit esse panem; propter quod dicit: *Et panis* etc.; ita ego sum panis secundum Divinitatem; sum etiam panis secundum carnem; unde dicit: *Et panis, quem ego dabo,* scilicet ad reficiendum, secundum quod petimus in oratione dominica: « Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie », Matthaei sexto [6]; *caro mea est,* quae scilicet reficit; primae ad Corinthios decimo: « Panis, quem frangimus, nonne corpus Domini est »? *Pro mundi vita,* data scilicet est caro Christi, cum supplicio est exposita, iuxta illud Threnorum tertio [7]: « Dabit percutienti se maxillam », immo totum corpus; unde Isaiae quinquagesimo: « Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus »; et non tantum ad percutiendum, immo etiam ad immolandum; unde ad Ephesios quinto: « Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo ».

Secundo, confirmatio.

82. *Litigabant ergo Iudaei.* Posita est instructio, hic secundo ponitur propter Iudaeorum litigium *confirmatio.* Et primo ponitur Iudaeorum *litigatio;* Divisio. secundo, *doctrinae confirmatio,* ibi [8]: *Dixit ergo eis Iesus.*

De Iudaeorum litigatione.

(Vers. 53.). *Litigatio* igitur erat de hoc, quod carnem suam *panem* dixerat; quod ipsi carnaliter intelligebant. Propterea dicit: *Litigabant ergo Iudaei.* Primo *murmurabant,* sed modo *litigant,* quando alto et aperto sermone contradicunt. Litigiosi erant Iudaei, quod non debent esse servi Dei; unde secundae ad Timotheum secundo [9]: « Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes ». *Ad invicem dicentes: Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum?* Quasi dicant: hoc est impossibile, nisi se interficiat. Similiter petebat supra [10] Nicodemus: « Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci »? Unde stulte hoc petebant; Chrysostomus [11]: « Quomodo potest carnem dare, petis? Propter quid in panibus non dixisti, quomodo quinque panes in tot extendit »?

De doctrinae confirmatione quatuor.

83. *Dixit ergo eis Iesus.* Posita est Iudaeorum litigatio, hic ponitur *doctrinae confirmatio.* Confirmat igitur quod dixerat, carnem suam esse panem, hoc ordine: primo ponitur manducationis carnis Christi *necessitas;* secundo, manducationis *utilitas;* tertio, refectionis *veritas;* quarto vero, *dignitas.*

Primum.

(Vers. 54.). Primo igitur ostenditur *manducationis necessitas,* quia sine illa non est salus; propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis,* id est in veritate: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* tanquam verum panem, *et biberitis eius sanguinem,* tanquam verum potum; *non habebitis vitam in vobis,* vitam scilicet gratiae, de qua dicitur in Psalmo [12]: « Vivifica me secundum verbum tuum ».

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 34. q. 3. et Breviloq. p. I. c. 6. — Superius pro *Quod appropriat* A *Quod appropriatur.* Inferius pro *Trinitatis* non pauci codd. *Deitatis* vel *Divinitatis.*

[2] Vers. 28. — Sequitur Isai. 54, 12. et 13.

[3] Enchirid. c. 103. n. 27, ubi docet, verbum Apostoli [I. Tim. 2, 4.]: *Qui omnes homines vult salvos fieri,* duplici modo posse exponi, scil. 1° « tanquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit »; 2° « aut certe sic dictum est: *Qui omnes homines vult salvos fieri,* non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse poenitentiam, si fecisset; sed ut *omnes homines* omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum: reges, privatos, nobiles, ignobiles » etc. Cfr. de Corrept. et gratia, c. 14. n. 44. Vide etiam I. Sent. d. 46. q. 1. in corp. — De distributione *pro generibus singulorum,* (v. g. omne animal fuit in arca Noe), cui opponitur distributio *pro singulis generum,* cfr. Petr. Hispan., Summul. tr. *de Restrictione.* — Ed. omittit *secundum Augustinum.*

[4] Praeter notam praeced. vide supra c. 1. n. 30, ubi similis explicatio occurrit. — Ed. superius post *quod* addit *omnes Ecclesiae filii,* et hic subiungit *Et secundum Augustinum* [in Ioan. Evang. tr. 26. n. 7.]: *Qui omnes? Omnis, qui audit a Patre meo et didicit, venit ad me* [Ioan. 6, 45.]. Chrysost., in Ioan. homil. 46. (alias 45.) n. 1. ita respondet: Cur aliqui non credunt? Quia illud de *pluribus* dictum est. Alioquin autem non omnes prorsus, sed omnes, *qui voluerint,* per prophetam significantur. Magister enim omnibus proponitur, paratus ad sua tradenda, qui doctrinam suam omnibus effundit.

[5] Vers. 53; seq. locus est v. 60.

[6] Vers. 11. — Sequitur I. Cor. 10, 16.

[7] Vers. 30. — Duo loci seqq. sunt Isai. 50, 6. et Eph. 5, 2.

[8] Vers. 54.

[9] Vers. 24. [10] Cap. 3, 4.

[11] In Ioan. homil. 46. (alias 45.) n. 2.

[12] Psalm. 118, 107. — August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 13: Vis ergo et tu vivere de spiritu Christi? In corpore esto Christi... non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi.

Augustinus: « De spiritu Christi non vivit nisi corpus Christi. Si igitur vis vivere de spiritu Christi, esto in corpore Christi ». Qui autem manducat corpus Christi est in corpore Christi; qui igitur non manducat non vivit; quia dicitur infra eodem [1]: « Qui manducat meam carnem in me manet ».

Secundum. 84. (Vers. 55.). *Qui manducat* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *manducationis utilitas*: quia qui manducat carnem [2] vivificatur in *anima* et *corpore*: in *anima*; unde dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam; habet*, inquam, in merito; vel *habet*, quia iam quodam modo habere incepit; Isaiae quinquagesimo quinto [3]: « Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra; inclinate aurem vestram et venite ad me, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles ». — Dat etiam vitam *corporalem*; unde et subdit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, in illa hora, de qua supra quinto [4]: « Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii ».

Tertium. 85. (Vers. 56.). *Caro enim mea* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *refectionis veritas*. Vere enim reficit caro Christi, quia verus est cibus, et ideo vitam dat. Propterea dicit: *Caro enim mea vere est cibus;* ita vere dixi, quod habet vitam qui manducat; *caro enim mea vere est cibus*, non phantastice, sicut cibi corporales, qui ad momentum reficiunt et deficiunt. *Et sanguis meus vere est potus*, quia sitim aufert omnino; supra eodem [5]: « Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam ». Et quod caro eius sit verus cibus

Maior et minor rationis. reficiens et vivificans, ostendit tali ratione: qui manet in me vivit propter me; sed qui manducat meam carnem manet in me: ergo qui manducat meam carnem vivit propter me. Huius rationis primo ponit *minorem*, cum dicit:

Minor. 86. (Vers. 57.). *Qui manducat meam carnem*, spirituali manducatione, *et bibit meum sanguinem in me manet*, per dilectionem; primae Ioannis quarto [6]: « Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo »; *et ego in eo*, per inhabitationem; infra decimo quarto: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». Posuit *minorem*, subdit probationem *maioris*, illius scilicet, quod qui manet in Filio vivit propter illum. Hanc manifestat in simili [7].

Probatio maioris. 87. (Vers. 58.). *Sicut misit me vivens Pater; vivens*, per essentiam; *et ego vivo propter Patrem*, scilicet quia ab ipso vitam habeo; supra quinto [8]: « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso », et hoc a Patre in ipso manente; infra decimo quarto: « Ego in Patre, et Pater in me est »; et ex hoc habetur *maior*: Qui manet in me etc. Et ex hoc infertur *conclusio*: *Et qui manducat me, et ipse vivet propter me;* quia scilicet manet in vita manducando, vere propter me vivit, quia, sicut infra undecimo [9] dicitur, « ego sum resurrectio et vita ».

Conclusio.

Quartum. 88. (Vers. 59.). *Hic est panis* etc. Tangitur hic quartum, scilicet *refectionis dignitas*, quae excellit illam patrum refectionem, quam supra laudabant Iudaei, et quia *nobilior*, et quia *permanentior*: *nobilior*, quia iste de caelo; unde dicit: *Hic est panis, qui de caelo descendit;* supra eodem [10]: « Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo », et ita nobilior est. Est etiam *permanentior*, quia ille conservabat *temporaliter*, iste vero *aeternaliter;* unde dicit: *Non sicut patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt*, et ita *temporaliter* conservati, quia in quadraginta annis mortui in deserto, secundum illud Psalmi [11]: « Quadraginta annis offensus fui generationi illi » etc.; Numerorum decimo quarto: « Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta et portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto ». Sed iste *aeternaliter;* unde dicit: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum;* ille scilicet, qui digne manducat, *vivet in aeternum*, quia, secundum quod dicitur primae ad Corinthios undecimo [12], « qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit »; qui manducat digne vivet in aeternum. Saepe promittit vitam aeternam, et ut appetant cibum illum, et ut ab amore terrenae vitae eos abstrahat ad aeternam. Sicut enim dicitur Matthaei decimo [13]: « Qui amat animam suam plus quam me non est me dignus »; Deuteronomii trigesimo: « Elige tibi vitam ».

Refectio nobilior.

Item, permanentior.

---

[1] Vers. 57.

[2] Ed. *quia qui Christi digne manducat carnem et bibit sanguinem.*

[3] Vers. 2. seqq.

[4] Vers. 28. et 29.

[5] Vers. 35.

[6] Vers. 16. — Sequitur Ioan. 14, 23.

[7] Pro *in simili* ed. cum paucis codd. *in similitudine.*

[8] Vers. 26. — Seq. locus est Ioan. 14, 10.

[9] Vers. 25. — Post *vere propter me* ex D supplevimus *vivit.*

[10] Vers. 32.

[11] Psalm. 94, 10. — Sequitur Num. 14, 33.

[12] Vers. 29.

[13] Vers. 37: Qui amat patrem aut matrem plus quam me etc.; v. 39: Qui invenit animam suam perdet illam etc. Cfr. Luc. 14, 26: Si quis venit ad me et non odit patrem... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. — Seq. locus est Deut. 30, 19.

QUAESTIONES.

89. Quaest. I. Quaeritur de *litigatione Iudaeorum;* de qua quaerit Chrysostomus [1]: unde est hoc, quod supra in occulto *murmurabant*, sed modo *litigant* in aperto?

Respondeo [2] ad hoc, quod est ex duplici causa: Resp. tum quia mali homines et seductores et discoli in Ratio duplex. peius proficiunt, quanto magis eis veritas explicatur; tum etiam, quia illud quod supra [3] dictum erat de Divinitate, etsi videretur falsum, tamen non erat inhumanum; sed quod modo dixerat de carne sua manducanda non tantum falsum, sed inhumanum et immundum, quod Iudaei refugiunt; ideo *litigabant.*

90. Quaest. II. Quaeritur hic de *manducatione* corporis Christi et carnis suae. — Et quod non manducetur, videtur:

1. Quia quod manducatur atteritur et masticatur; sed caro Christi impassibilis dentibus non potest atteri: ergo nec manducari.

2. Item, quod manducatur in manducantem convertitur; sed corpus Christi non convertitur in nos, sed nos in ipsum: ergo ipsum non manducamus, sed ipse nos.

RESPONDEO: In manducatione tria sunt, quae reResp. cum distinctione. Subdivisio. perimus, scilicet *masticatio, incorporatio* et *conservatio. Masticatio* est duplex secundum duplicem manducationem: quia est *manducatio sacramentalis*, et in hac est *masticatio sacramentalis*, quia species masticata est; est etiam *manducatio spiritualis*, et in hac est *masticatio spiritualis*, quae est spiritualis discussio per fidem. Est ibi [4] rursus *incorporatio*, qua corpori Christi incorporamur; est etiam *conservatio*, qua per Christi spiritum conservamur, sicut membra corporis per animam. De his tribus dicit Augustinus [5]: « O sacramentum pietatis! o signaculum unitatis! o vinculum caritatis! Qui vult vivere accedat, credat, incorporetur, vivificetur ».

1. Per hoc patet primum: quia est ibi masticaAd 1. tio non carnalis, sed spiritualis, vel sacramentalis.

2. Quod obiicitur, quod non nobis incorporatur; Ad 2. dicendum, quod ultimus effectus cibi est *conservare;* et quia, etsi nos incorporemur Christo manducando, quia tamen manducando conservamur per ipsum, recte ipse dicitur *noster cibus* [6].

91. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nisi manducaveritis carnem* etc. — Ex hoc videtur, quod Sacramentum eucharistiae sit necessitatis, et quod nullus sine eo possit salvari.

CONTRA: Aut intelligit de vita *gratiae*, aut de vita *gloriae: gratiae* non, quia qui vult digne accedere prius debet habere vitam gratiae: ergo eam non habet per manducationem; nec vitam *gloriae*, quia, si potest habere vitam gratiae sine manducatione, potest et gloriae.

Respondetur ad hoc secundum Augustinum [7], Resp. quod *credere* est manducare; unde: « ut quid paras dentem et ventrem? Crede tantum, et manducasti ». Secundum hoc igitur attendendum, quod est manducatio *spiritualis*, et est manducatio *sacramentalis; spiritualis* est per fidem et caritatem, *sacramentalis* sub Sacramento. Sine sacramentali potest esse salus, nec est necessitatis, quantum est de institutione Sacramenti; *spiritualis* est de necessitate [8].

92. Sed obiicitur: 1. de parvulis baptizatis, qui Difficultates duae. salvantur nec unquam manducaverunt sacramentaliter nec spiritualiter.

2. Item, addit manducationi carnis potum sanguinis, ergo sine potu sanguinis nulli salvantur; sed soli sacerdotes sumunt sanguinem [9]: ergo ipsi soli salvantur.

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut dictum est [10], Ad 1. duplex est effectus manducationis, scilicet *incorporatio* et *conservatio.* Nullus salvatur nisi membrum Christi, et nisi conservetur a Christo; unde nullus sine *effectu* manducationis salvatur; ideo dicitur manducatio *necessaria.* — Quia vero in parvulis divina lar- Ad 1. gitate potest esse *effectus* manducationis sine manducatione; ideo salvantur etiam sine manducatione quacumque [11]. In adultis vero non potest esse *incor-*

---

[1] De *litigatione* Iudaeorum et de hac quaestione nihil invenimus apud Chrysost., qui de *murmuratione* agit in Ioan. homil. 46. (alias 45.) n. 1. seq. — Supra v. 41: Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi etc.

[2] Ed. cum pluribus codd. *Respondet*, E F H *Respondendum*, N et Gorranus *Respondeo.* Inferius pro *seductores et discoli* (non pauci codd. *et discipuli*) ed. *stulti.*

[3] Vers. 27. seqq.

[4] Ita E N, ed. et alii codd. *igitur.*

[5] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 13, ubi pro *signaculum* textus originalis *signum*, qui etiam post *vivere* sic prosequitur: *habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur.*

[6] Cfr. supra c. 4. n. 66. Vide etiam IV. Sent. d. 9. a. 1. q. 1-3; Breviloq. p. VI. c. 9.

[7] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12.

[8] Cfr. IV. Sent. d. 12. p. II. a. 2. q. 1, ubi ad 1. dicitur: Nam verbum Ioannis, sive Domini in Ioanne intelligitur de manducatione *spirituali*, quae est per fidem et caritatem, sine qua nemo adultus salvatur; et haec etiam est in parvulo aliquo modo quantum ad incorporationem. — Si verba *nec est necessitatis* intelliguntur de *necessitate medii*, communi theologorum consensu probantur; si vero de *necessitate praecepti divini* quoad *adultos*, antiqui Scholastici, et ipse S. Thomas in suo Comment. in Sentent. Lombardi non admittebant, existere proprie *praeceptum divinum* communicandi *sacramentaliter.* Sed in sua Summa (III. q. 80. a. 11.) S. Thom. tenuit oppositam sententiam, quae post Concil. Trident. facta est communis. De hac controversia cfr. IV. Sent. d. 12. p. II. a. 2. q. 1. scholion.

[9] Ed. addit *non vero fideles.*

[10] Quaest. II. n. 90.

[11] Conc. Trid. sess. 21. c. 4. docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiae communionem; siquidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam iam filiorum gratiam illa aetate amittere non possunt.

poratio sive conservatio sine manducatione *spirituali*, quae est per fidem et caritatem, sed potest esse sine *sacramentali*. Ideo haec est necessaria adultis, sacramentalis vero, etsi non sit de necessitate, tamen multam praestat utilitatem, quia virtute Sacramenti augetur in nobis omne bonum [1].

Ad 2. 2. Quod ergo obiicitur de carne et sanguine, exponit Augustinus [2] de potu et cibo *spirituali;* unde « vult, intelligi *cibum et potum* societatem corporis et membrorum, quae est sancta Ecclesia in praedestinatis et vocatis sanctis et fidelibus eius », extra quam nullus salvatur.

93. Quaest. IV. Item de *utilitate* quaeritur: *Qui manducat meam carnem* etc.

1. Multi enim manducant, qui tamen moriuntur et damnantur, sicut Iudas.

2. Item, sicut Filius vivit propter Patrem viventem, sic dicitur in littera [3], quod nos vivimus propter Filium; sed Filius non manducando vivit: ergo pari ratione et nos; aut si nos manducamus Filium, quare non manducat ipse Patrem?

Respondeo: Dicendum ad primum, quod duplex Resp. fuit ex isto verbo haeresis exorta: una, quae dixit, Duplex haeresis. quod ex quo quis manducat Christi corpus, non poterit damnari, dum tamen *credens* manducaret. Sed haec est irrationalis manifeste propter Iudam. — Alii dixerunt, quod qui semel *digne* manducaret post nunquam damnaretur; et haec manifeste falsa, quia, sicut per Scripturam probari potest, multi fuerunt boni in Ecclesia, qui postmodum sunt damnati [4].

Ideo catholice intelligendum est: *qui manducat,* scilicet *digne,* et ab illa dignitate non recedit vivet in aeternum.

Ad 2. 2. Ad aliud dicendum, quod non est omnino simile, licet adducatur pro simili. Filius enim dicitur *vivere propter Patrem,* quia a Patre habet vitam et quia manet in Patre, sed non quia participatione Patris fiat melior; nos vero vivimus per Filium, quia ab ipso habemus vitam, et a Filio manente in nobis et participatione eius meliores sumus. Ideo, quia non manet in nobis nisi per manducationem, ideo manducamus, ut vivamus et meliores efficiamur [5].

94. Quaest. V. Item quaeritur de *dignitate* huius manducationis. Dicit enim, quod manducantes hunc panem *non morientur*, sicut manducantes manna.

Contra: Hoc aut intelligit de vita *spirituali*, aut *corporali;* si de *spirituali*, nihil dicit, quia patres sancti, qui comederunt manna, non sunt spiritualiter mortui. Si de *corporali*, similiter; quia qui manducat hunc panem non vivit corporaliter, sed moritur. — *Si dicas*, quod *indigne* manducantes manna sunt mortui spirituali morte, et hos vocat *patres* eorum; similiter indigne manducantes corpus Christi moriuntur morte spirituali; primae ad Corinthios undecimo [6]: *Qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit.* — Propterea quae- Quaest. incidens. ritur: quid est *manducare indigne*, et quare peccat manducans indigne?

Respondeo: Dicendum, quod cibus iste praepo- Resp. 1. nitur illi cibo ratione vivificationis dupliciter: tum Ratio duplex. quia ille non poterat vivificare, nisi per istum quem signabat; ideo dicitur de iustis, quod *omnes eandem spiritualem escam manducaverunt,* primae ad Corinthios decimo [7]; sed qui solum ad illum habebant oculum mortui sunt spiritualiter, quia tantum carnaliter gustaverunt. Ita respondet Augustinus [8].

Aliter potest dici, quod manna ordinabatur ad Resp. 2. conservationem vitae *corporalis*, sed hic ad conservationem vitae *spiritualis*. Et vult Dominus dicere, quod ille panis solummodo vitam corporalem continuabat ad tempus, sed iste vitam spiritualem continuat in aeternum in *digne* sumentibus; et ideo illo [9] est dignior. — *Indigne* vero accipientes pec- Ad quaest. incid. cant, et convertitur eis panis in venenum, et isti sunt qui remorsum habent mortalis peccati. Ratio, quare peccant, est contemptus, quia tantum hospitem inducunt in tam vile hospitium [10]. — Quomodo autem *digne* accipiatur, docet Augustinus [11]: « Innocentiam, inquit, ad altare apportate; peccata, si sint quotidiana, saltem non sint mortifera; antequam ad altare accedatis, dicatur: *Dimitte nobis debita nostra* etc. Tunc securi accedite; panis est, non venenum ».

95. *Haec dixit in Synagoga* etc. Supra posita Tertio, de explanatione instructionis sex. est instructionis confirmatio propter Iudaeorum liti-

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 12. p. II. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 2. ad 3. — Superius post *sine sacramentali* ed. addit *manducatio spiritualis.*

[2] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 15. Cfr. etiam IV. Sent. d. 11. p. II. a. 1. q. 2. ad 1. 2.

[3] Vers. 58.

[4] Cfr. III. Sent. d. 31. a. 1. q. 1. et IV. Sent. d. 14. p. II. a. 1. q. 1, ubi similis opinio erronea de caritate et poenitentia ponitur, scilicet quod qui semel veram caritatem et poenitentiam habet ipsam nunquam perdat. — Superius pro *et haec manifeste falsa* C N *et hoc est manifeste falsum.*

[5] August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 19: Non ait: Sicut manduco Patrem, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui est natus aequalis, sicut participatione Filii per unitatem corporis eius et sanguinis, quod illa manducatio potatioque significat, nos efficimur meliores etc.

[6] Vers. 29.

[7] Vers. 3. Cfr. supra pag. 327, nota 10. — Superius post *illi cibo* fere omnes codd. addunt *spirituali*, et subinde post *signabat* ed. subiungit *tum quia hic vivificat magis.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 11: Quare *manducaverunt et mortui sunt?* Quia quod videbant credebant, quod non videbant non intelligebant. Ideo *patres vestri*, quia similes estis illorum... manducavit manna et Moyses... et mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt etc.

[9] Maior pars codd. *ille.* — Cfr. supra n. 88.

[10] Cfr. IV. Sent. d. 9. a. 2. q. 2. in corp. et d. 12. p. II. a. 1. q. 1. in corp.

[11] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 11, ubi textus pro *saltem* substituit *vel*, et post *accedatis* prosequitur: attendite, quid dicatis [Matth. 6, 12.]: *Dimitte nobis* etc., securus accede, panis etc.

gium; hic ponitur *explanatio* propter discipulorum scandalum; et proceditur hoc ordine. Primo enim innuitur *discipulorum murmuratio;* secundo, ob murmurationem *doctrinae explanatio;* tertio redditur *murmurandi ratio;* quarto, *non credentium retrocessio;* quinto, *credentium confirmatio;* sexto, *confirmatorum discretio.*

(Vers. 60.). *Discipulorum murmuratio* erat ex Primum. hoc, quod dixerat, carnem suam dari ad manducandum, et quod sine hoc non erat salus. Propter quod dicit: *Haec dixit in Synagoga docens, in Capharnaum,* id est in communi, et ideo multi saevierunt; infra decimo octavo [1]: « Ego semper docui in Synagoga ».

96. (Vers. 61.). *Multi ergo ex discipulis eius, audientes,* quod nunc scilicet dictum est de manducatione carnis, *dixerunt: Durus est hic sermo,* id est crudelis et inhumanus, humanam carnem manducare; *quis* [2] *potest eum audire?* Non dicunt *credere,* sed *audire,* propter horribilitatem; ideo non poterant audire, quia aures eorum aggravatae erant, iuxta illud Isaiae sexto: « Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava » etc.

97. (Vers. 62.). *Sciens autem Iesus* etc. Tan- Secundum. gitur hic secundum, scilicet propter murmurationem *doctrinae explanatio;* et licet murmuratio esset in occulto, tamen Dominum non latebat; unde dicit: *Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius;* non relatione hoc cognovit, sed *apud se;* infra decimo sexto [3]: « Dixerunt discipuli: Nunc scimus, quia scis omnia, et non est opus, ut quis te interroget ». Sciens ergo murmurationem et volens eam abscindere, explanat quod dixerat, hoc non esse intelligendum *carnaliter,* sed *spiritualiter.* Ostendit ergo, quod non est *carnaliter* intelligendum, tum quia *falsum,* tum Opinio eorum est falsa. quia *inutile.* Propterea *dixit eis: Hoc vos scandalizat* [4], quod scilicet dixi de manducatione meae carnis, quia carnaliter ipsam dividendam creditis; sicut Pharisaei, Matthaei decimo quinto: « Scis, quia Pharisaei, audito hoc verbo, scandalizati sunt »? Et hoc falsum; unde subdit:

98. (Vers. 63.). *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius* [5] — defectiva est constructio — tunc scietis, quia caro non est per frusta dividenda, quia totus Christus integer erit in caelo; Augustinus [6]: « Totus integer est in caelo; manet integer sub Sacramento, manet integer in corde tuo ». — Non solum intellectus eorum erat *falsus,* sed *inutilis;* unde: Item, inutilis.

99. (Vers. 64.). *Spiritus est qui vivificat, caro* autem, id est carnalis intelligentia, *non prodest quidquam;* secundae ad Corinthios tertio [7]: « Littera occidit, spiritus autem vivificat »; et ideo non sunt verba carnaliter intelligenda, quia non prosunt, sed spiritualiter, ut sic prosint. Unde *verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* quia spiritualiter intellecta vivificant; unde ad Hebraeos quarto [8]: « Vivus est sermo Dei et efficax »; *vivus* est, quia vivificat; unde Deuteronomii octavo: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei ». Sed non vivificant nisi spiritualiter intelligentem; unde Augustinus [9]: « Intellexisti spiritualiter? *Spiritus et vita sunt.* Intellexisti carnaliter? *Spiritus et vita sunt,* sed non *tibi* sunt ».

100. (Vers. 65.). *Sed sunt quidam.* Hic tangi- Tertium. tur tertium, scilicet *murmurationis ratio,* quare scilicet discipuli murmurabant: quia fidem non habebant; sed hoc non omnes, sed quidam, qui a Deo electi non erant. Propterea dicit: *Sed sunt quidam ex vobis;* ita sunt verba spiritualiter intelligenda, sed quidam ex vobis non intelligunt; unde *quidam non credunt.* Et hoc non dicit ex coniectura, sed ex certa scientia. Propterea dicit Evangelista: *Sciebat enim Iesus ab initio, qui essent credentes* [10]; supra secundo: « Ipse enim sciebat, quid esset in homine »; Ecclesiastici vigesimo tertio: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes ». *Et quis traditurus esset eum;* unde non fuit traditus ut ignorans, quemadmodum alii homines. Ideo hoc dicit Evangelista, ne videatur Christus deceptus, admittendo discipulos instabiles et discipulos insidiantes, ut proditorem. Ratio autem, quare non credebant, erat, quia, etsi essent vocati exterius et secundum praesentem iustitiam, non tamen secundum electionem aeternam; et hanc supra [11] dixit et repetit.

---

[1] Vers. 20. — Superius post *et ideo* ed. addit *contra eum.*

[2] Vulgata *et quis.* — Subinde allegatur Isai. 6, 10.

[3] Vers. 30.

[4] Vulgata interrogative: *Hoc vos scandalizat?* S. Thom., Comment. in Ioan. 6, 63. (lect. 8. n. 2.) ait: Quasi dicat: de hoc non debetis scandalizari. Vel potest legi *remissive* [cfr. supra c. 1. n. 93.], quasi dicat: Scio, quod de hoc scandalizamini. — Sequitur Matth. 15, 12.

[5] Vulgata interrogative: *Si... ubi erat prius?* — Glossa *ordinaria* in hunc locum: Suspenditur oratio; quasi dicat: tunc intelligetis, quod non eodem modo, quo putatis, erogo corpus, et quod haec gratia morsibus non consumitur, sed spirituali gratia me illis dando ipsos in corpus meum converto etc.

[6] Haec sententia tribuitur Augustino in C. *Qui manducant* (58.), C. *Invitat* (70.) et C. *Qui manducat me* (75.), de Consecrat. d. 2; editores tamen notant, quod haec sententia non apud Augustinum inveniatur, sed in Glossa *ordinaria* (iam apud Strabum) in I. Cor. 10, 16. et apud Bedam in eundem locum (Commentarium istud sive collectio sententiarum Augustini in Epistolas S. Pauli in Patrol. Lat. Migne habetur in tom. 119. inter opera Flori Diaconi). Vide IV. Sent. lit. Magistri, d. XII. c. 3. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 27. n. 3. seq.

[7] Vers. 6. Cfr. infra n. 109. et IV. Sent. d. 10. p. I. q. 1. ad 5.

[8] Vers. 12. — Sequitur Deut. 8, 3. Cfr. Matth. 4, 4. et Luc. 4, 4.

[9] In Ioan. Evang. tr. 27. n. 6.

[10] Vulgata *non credentes.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 2, 25. et Eccli. 23, 28.

[11] Vers. 39. n. 60. et n. 64.

101. (Vers. 66.). *Et dicebat: Propterea dixi vobis: Nemo*[1] *potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo;* supra eodem: « Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum ». *Venire* enim ad Filium « datum est optimum et donum perfectum », ideo « desursum », Iacobi primo.

Quartum. 102. (Vers. 67.). *Et*[2] *ex hoc multi discipulorum.* Hic tangitur quartum, scilicet *non credentium retrocessio;* unde dicit: *Ex hoc,* id est post hoc, vel *ex hoc,* id est occasione huius increpationis et instructionis, *multi discipulorum eius abierunt retrorsum,* non per *imitationem,* sicut dictum est Petro Matthaei decimo sexto[3]: « Vade retro me, satana », sed per *indignationem.* Unde non tantum corde recesserunt, sed etiam corpore; unde *et iam non cum illo ambulabant.* Ideo multi recesserunt, et pauci remanserunt, quia, secundum illud Matthaei vigesimo[4], « multi sunt vocati, pauci vero electi »; et quia pauci electi ad regnum Dei, ideo pauci sunt, qui non retrocedant, secundum illud Lucae nono: « Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei ».

Quintum. 103. (Vers. 68.). *Dixit ergo Iesus ad duodecim.* Tangitur hic quintum, scilicet *credentium et electorum confirmatio;* et haec quidem facta est in fideli confessione Petri; ideo ponitur *inquisitio Domini* et *responsio Petri.* Inquirit Dominus a duodecim, quos specialiter elegerat: *Nunquid et vos vultis abire?* me derelinquendo, secundum quod praecedentes faciunt; Ieremiae secundo[5]: « Me dereliquerunt, fontem aquae vivae ». Sed quaerit, non quia dubitet, sed ut fidem Petri in exemplum firmitatis adducat.

104. (Vers. 69.). *Respondit*[6] *ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus?* Quasi dicat: non volumus abire, quia tibi similem non possumus invenire; Psalmus: « Non est similis tui in diis, Domine ». Nec propter haec verba debemus abire; unde dicit: *Verba vitae aeternae habes,* aliis non credentibus erant dura et mortifera, sed Petro et aliis credentibus erant vita. Et ratio subditur:

105. (Vers. 70.). *Et nos credimus*[7] *et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei.* Similem confessionem fecit Matthaei decimo sexto: « Tu es Christus, Filius Dei vivi », « qui in hunc mundum venisti ». *Credimus,* dicit, et post *cognovimus,* quia fides est via in cognitionem. « Nisi enim credideritis, non intelligetis », Isaiae septimo.

Sextum. 106. (Vers. 71.). *Respondit eis Iesus.* Notatur hic sextum, scilicet *remanentium discretio.* Ostendit Dominus, quod etsi nullus de duodecim recederet, non tamen omnes fideles permanerent; propter quod dicit: *Respondit*[8] *Iesus,* confessioni Petri, quam pro omnibus dixerat: *Nonne ego duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Iudas dicitur *diabolus,* quia ipsius suggestionibus consensit; Psalmus de Iuda: « Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris eius » etc. Unum notat de malitia, ut ceteri timeant; et exponit Evangelista, de quo intelligebat, scilicet de Iuda; unde dicit:

107. (Vers. 72.). *Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotis*[9]*; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.* Hoc dictum est, ut timerent et ut non mirarentur de aliis, qui recesserant, quia non ita specialiter electi erant. De hac electione duodecim dicitur Matthaei decimo[10]: « Et convocatis duodecim, dedit eis potestatem » etc.; Lucae sexto: « Elegit duodecim ex ipsis » etc. Electio ista praefigurata est Iosue quarto: « Elige tibi duodecim viros singulos » etc.

Quaestiones.

108. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit: *Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* — Hoc non potest dici secundum *humanam* naturam, quia secundum illam non erat in caelo prius; similiter nec secundum *divinam,* quia secundum illam adhuc erat in caelo, cum loquebatur; unde supra tertio[11]: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.*

Resp. Respondeo, quod illud dictum est, comparando Filium Dei secundum *divinam* naturam post carnis assumtionem, in qua videbatur esse humiliata, ad se ipsam ante assumtionem; quia tunc non poterat cogitari tanquam infirmus[12]. Idem est ergo, ac si diceret: si videritis Filium hominis ascendere, id est tantum clarificari, ut credatur Patri esse aequalis.

109. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Caro non prodest quidquam.* — Si enim nihil prodest: ergo non debet dari ad manducandum nec

---

[1] Vulgata *Quia nemo.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 44. et Iac. 1, 17.

[2] Vulgata omittit *Et,* ac substituit inferius *retro* pro *retrorsum.*

[3] Vers. 23. — Superius post *imitationem* ed. addit *post Christum, sed post satanam.* Inferius pro *multi recesserunt* E F G I K L *multi retrocesserunt.*

[4] Vers. 16. — Sequitur Luc. 9, 62.

[5] Vers. 13.

[6] Vulgata addit *ergo.* — Seq. locus est Ps. 85, 8.

[7] Vulgata *credidimus.* — Tres seqq. loci sunt Matth. 16, 16, Ioan. 11. 27. et Isai. 7, 9. (ultimus est secundum septuaginta interpretes; Vulgata vero legit: Si non credideritis, non permanebitis). — Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 47. (alias 46.) n. 2. in fine.

[8] Vulgata addit *eis.* — Inferius allegatur Ps. 108, 6.

[9] Vulgata: *Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem.*

[10] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Luc. 6, 13. et Iosue 4, 2.

[11] Vers. 13.

[12] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 27. n. 4.

Opinio haeretica. est vere cibus. Propter hoc dicunt haeretici, quod verba ista intelligenda sunt spiritualiter, ita quod non carnaliter; nec intelligendum, quod ad litteram sumamus carnem Christi sub Sacramento. Et dicunt, discipulos suos fuisse reprehensos, qui hoc cogitabant; unde dicunt, quod non est in Sacramento altaris nisi sicut in signo [1].

Resp. Sed pessime intelligunt, quia, dum renuunt carnem, fugiunt veritatem. Etsi enim verba Christi sint spiritualiter intelligenda, tamen nihilominus debent esse vera. Propter hoc dicendum, quod caro, quam traxit de Virgine, est verus cibus. — Quod

Expositio 1. autem dicitur, quod *non prodest quidquam*, intelligitur dupliciter: vel quia nihil prodest *sine spiritu;* sicut enim carbo non comburit nisi ignitus, tamen ignitus urit; sic caro Christi, si separetur a

Expositio 2. Verbo, non accendit, sed Verbo coniuncta est tanquam ignitus carbo [2]. — Aliter respondetur, quod *caro nihil prodest* secundum *carnalem intelligentiam*, sic intelligendo, quod Christus carnem suam daret dividendo sicut carnes in macello, et materialiter masticando sub forma carnis. Talis, inquam, intelligentia *non prodest;* sed quod vera caro sine sui sectione in Sacramento comeditur [3].

110. Quaest. III. Item quaeritur de responsione Petri:

1. Quare Petrus solus respondit et magis quam alii?

2. Item, quare non est laudata eius confessio, sicut Matthaei decimo sexto [4]?

3. Item videtur, quod mentitus fuerit, saltem pro Iuda, quia ipse pro omnibus loquebatur.

Respondeo: Dicendum, quod Petrus omnibus fuit ferventior, sicut patet in verbis suis, et audacter Domino loquebatur; alii non ita audebant; et ideo erat os Apostolorum et in quaerendo et in respondendo, et ideo pro omnibus respondit. Resp. ad 1.

2. Ad aliud dicit Chrysostomus [5], quod respondit hic pro omnibus; et quia fides Iudae non erat laudabilis, ideo laudatus non est. Ad 2.

3. Nec tamen est mentitus, licet falsum dixerit, quia pio errore decipiebatur, bene iudicando de suis coapostolis. Ad 3.

111. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Unus ex vobis diabolus est.* — Quaerit Chrysostomus [6]: quare non sunt contristati, sicut infra decimo tertio, cum dixit: *Unus ex vobis me tradet?*

Respondeo, quod infra non tam sunt contristati pro culpa, quam pro Domini iniuria, quae erat sibi a suo discipulo inferenda; hic autem solum expressit malitiam [7]. Resp.

112. Quaest. V. Item, quare non abiecit eum, ex quo diabolus erat, et sciebat, quod semper futurus esset malus?

Respondet Augustinus [8], quod « malis operibus bene utitur Deus, sicut homo male utitur bonis ». Ideo hominem reprobum elegit Iudam, ut per eum dispensatio divinae misericordiae in salutem mundi impleretur; et ostenderetur mirabilis patientia Dei, quod tam iniquum in tanto officio sustinebat; et ut nemo glorietur de praesenti vocatione. Resp. Triplex ratio.

Capitulum VII.

Tertio, Filius Dei se manifestat directorem et illustratorem tripliciter.

Divisio. 1. *Post haec* [9] *ambulabat Iesus* etc. Ostendit Dominus supra se curatorem et conservatorem; hic incipit tertia pars, in qua se manifestat et ostendit *directorem et illustratorem;* et haec pars extenditur usque ad undecimum capitulum. Ostendit Dominus se lucem et directorem tripliciter: primo, *verbo doctrinae;* secundo, *miraculo potentiae,* in principio noni, ibi [10]: *Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum;* tertio, *exemplo bonae vitae,* infra in principio decimi: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium.*

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 10. p. I. q. 1, ubi hic error refellitur.

[2] Secundum Damasc., IV. de Fide orthod. c. 13: Carbo non est simplex lignum, sed igni unitum; sic quoque panis communionis non simplex est panis, sed Divinitati unitus etc. Cfr. IV. Sent. d. 10. p. I. q. 1. ad 4; ibid. ad 5. Insinuatur secunda explicatio.

[3] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 27. n. 5, ubi duplex haec expositio exhibetur. Vide etiam III. Sent. d. 9. dub. 4.

[4] Vers. 17.

[5] In Ioan. homil. 47. (alias 46.) n. 3: Vide, quaeso, fratrum amantem, quomodo totius coetus causam agat; non dixit enim: Cognovi, sed *Cognovimus*... Quid ergo Christus? Non laudavit nec celebravit Petrum, quod tamen alibi fecit. Sed quid dicit? *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Quia enim ille dixerat: *Et nos credidimus*, excipit ex numero Iudam etc.

[6] In Ioan. homil. 47. (alias 46.) n. 4. — Subinde allegatur Ioan. 13, 21.

[7] Chrysost., loc. cit., censet, quod Petrus adhuc non audierat increpationem Christi [Matth. 16, 23.]: *Vade post me, satana*, ideoque nunc non timuit; sed postquam increpatus fuit, hac percepta voce: *Unus ex vobis tradet me*, iure timuit.

[8] In Ioan. Evang. tr. 27. n. 10: Sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic contra Deus bene utitur malis operibus hominum iniquorum. Cfr. XVIII. de Civ. Dei, c. 49.

[9] Vulgata addit *autem*.

[10] Vers. 1; seq. locus est 10, 1.

Primo se ostendit lucem et directorem verbo doctrinae.

Prima igitur pars, in qua manifestat se *directorem verbo doctrinae* [1], continet duo capitula, scilicet septimum et octavum, et dividitur in duas, quia primo tangitur *Doctoris propalatio;* secundo, *doctrinae communicatio,* ibi [2]: *Nonne Moyses dedit vobis Legem* etc.

Pars prima de Doctoris propalatione agit dupliciter.

Doctoris autem *propalatio* vel manifestatio necessaria erat ad hoc, quod doceret. Et quia praecesserat eius occultatio, ideo primo agitur de *Doctoris occultatione;* secundo, de *occulti manifestatione,* ibi [3]: *Iam autem die festo mediante* etc.

Primo, de Doctoris occultatione quatuor.

Doctoris igitur summi *occultatio* hoc ordine describitur. Quia enim facta est per Iudaeorum persecutionem, primo insinuatur *Iudaeorum perfidia* ad persequendum; secundo vero, *consanguineorum vanitas* ad honorem persuadendum; tertio, *Christi humilitas* ad latendum; quarto, *Iudaeorum curiositas* ad Christum quaerendum.

Expositio litteralis. Primum.

2. (Vers. 1.). Insinuatur ergo primo *Iudaeorum perfidia* ad Christum occidendum, propter quam Dominus in Galilaea stabat et Iudaeam reliquerat, vitans furorem persequentium. Propterea dicit: *Post haec,* scilicet quae dicta sunt de miraculo panum et doctrina Christi [4], *ambulabat Iesus in Galilaeam;* quia ibi non erant ita zelatores Legis, ac per hoc nec persecutores. *Non enim volebat in Iudaeam ambulare;* et ratio redditur: *quia quaerebant eum Iudaei*

---

[1] Sequens schema et verba *Quo autem* etc., quae ed. habet in fine cap. VI, desunt in codd.

Quo autem ad ea, quae dicta sunt supra (v. 69.) de doctrina Christi: *Verba vitae aeternae habes* etc., ac continuo infra (c. 7. n. 1.) de verbo doctrinae, nota:

Verbum Dei fructum habet in comparatione

- ad culpam:
  - purificans a macula, ad Eph. 5, 26. 27: « Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi »; unde Ioan. 15, 3: « Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis ».
  - salvificans ab ira, Iac. 1, 21: « In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras », salvare, inquam, ab ira; Rom. 5, 9: « Iustificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum ».
  - sanctificans ab immunditia, quae est culpae sequela, I. Tim. 4, 4. seq.: « Nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem »; non tantum cibi, sed homines, Ioan. 17, 17: « Sanctifica eos in veritate » etc.
- ad animam totam:
  - vivificans in gratiae collatione, Ioan. 5, 24: « Qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam » etc.; item, Ioan. 6, 64: « Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt »; et rursus v. 69: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ».
  - conservans in gratiae vegetatione, Deut. 8, 3: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei »; Ioan. 8, 52: « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum ».
  - beatificans in gratiae consummatione, quia beatitudo est gratia consummata, Luc. 11, 27. 28: « Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti... quin immo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud » etc.
- ad potentiam cognitivam:
  - illuminans ad credendum, Ps. 118, 105: « Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis ». Et non tantum illuminat, sed etiam facit lumen, Phil. 2, 15. seq.: « Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ».
  - fortificans ad confitendum, Ps. 32, 6: « Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum ». Qui prius negaverant per infirmitatem verbo firmati sunt ad confitendum auctoritate, Ps. 67, 12: « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa ».
  - inebrians ad alios erudiendum, Isai. 55, 10. seq.: « Quomodo descendit imber, aut nix de caelo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti » etc. Et post: « Sic erit verbum, quod egredietur de ore meo » etc. Unde comparatur semini, Luc. 8, 11: « Semen est Verbum Dei »; et Matth. 13, 23: « Qui in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum et intelligit et fructum affert »; et I. Petr. 1, 23: « Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum ».
- ad affectivam:
  - inflammans ad amorem, Ier. 23, 29: « Nunquid non verba mea sunt quasi ignis et quasi malleus conterens petram »? Ps. 118, 140: « Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud ».
  - delectans ad devotionem, Ps. 118, 103: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo »! Et hoc verbum dulce delectat, et ideo amicos generat, Eccli. 6, 5: « Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos ».
  - consolans ad bonorum exspectationem, Zach. 1, 13: « Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria ». Iste Angelus Christus, cuius verba consolantur per promissionem, Ioan. 15, 7: « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis ».

[2] Cap. 7, 19.

[3] Cap. 7, 14.

[4] Cap. praeced. Chrysost., in Ioan. homil. 48. (alias 47.) n. 1: Haec particula *Post haec* nihil aliud significat, quam multum postea temporis intercessisse. Inde vero liquet, quod cum in monte sederet, festum esset Paschae; hic autem Scenopegiae meminit, et quinque mensium spatio nihil aliud narravit vel docuit quam panum miraculum et concionem habitam iis qui comederant, etiamsi ille non cessaverit signa facere et concionari etc. — De *Galilaeis* cfr. supra c. 1. n. 101. — Pro *dicta* E N *praedicta.*

interficere, a diabolo excitati, in cuius figura, Exodi secundo [1], « quaerebat Pharao occidere Moysen, qui fugiens de conspectu eius » etc. Hos vitando, furorem vitare persequentium docuit, secundum illud Matthaei decimo: « Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam ».

3. (Vers. 2.). *Erat autem in proximo.* Notatur Secundum. hic secundum, scilicet *consanguineorum vanitas* ad persuadendum honorem terrenum et vanum; et ra- Rationes 3. tionem persuadendi accipiunt ab *opportunitate temporis, aedificatione proximi* et *exaltatione nomi-* Prima. *nis.* — *Opportunum tempus* aderat; unde dicit: *Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum Scenopegia* [2]. Istud erat festum tabernaculorum, quod debebat fieri in Septembri, secundum illud Levitici vigesimo tertio: « Mense septimo festa celebrabitis et habitabitis in tabernaculis » etc. Ex hac opportunitate fit ei persuasio; unde dicit:

4. (Vers. 3.). *Dixerunt autem fratres eius ad eum: Transi hinc et vade in Iudaeam. Fratres* isti erant Domini cognati vel consanguinei in secundo gradu; et secundum Chrysostomum [3] fuerunt Iacobus et Iudas, qui erant fratres Domini; sed melius est dicere, quod essent alii cognati, propter litteram sequentem [4]. Credendum est enim, quod isti duo Apo- Frater dicitur triplicister. stoli credebant in eum. — Nota, quod est frater *natura,* sic omnes fratres Christi sumus; Psalmus [5]: « Narrabo nomen tuum fratribus meis ». *Affectione,* sic boni; Matthaei duodecimo: « Qui sunt fratres mei? Omnis, qui fecerit voluntatem » etc. *Cognatione,* sic consanguinei, ut Iacobus; ad Galatas primo: Secunda. « Iacobum, fratrem Domini ». — Et rationem persuasionis aliam addunt, scilicet *proximi aedificationem;* propter quod dicunt: *Ut et discipuli tui videant opera tua, quae tu* [6] *facis;* discipuli, inquam, illi, qui scandalizati recesserant, ut videntes magna, quae faciebat in Galilaea, iterum redeant. De his dictum est supra sexto: « Multi ex discipulis eius abierunt retro ». — Et rationem tertiam subdunt, Tertia. *nominis* scilicet *manifestationem.*

5. (Vers. 4.). *Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse,* per opus illud, scilicet tales adhuc non recesserant a consideratione hypocritarum, de quibus dicitur Matthaei vigesimo tertio [7]: « Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus ». Ideo dicebant: *Si haec facis, manifesta te ipsum mundo,* id est, si vera sunt quae facis miracula ut Deus, manifesta te ipsum. Dubitando hoc dicunt, et rationem reddit Evangelista:

6. (Vers. 5.). *Neque enim fratres eius credebant in eum;* supra quarto [8]: « Non est propheta sine honore nisi in patria sua »; supra primo: « In propria venit, et sui eum non receperunt », et hoc propter familiaritatem; hac causa, quia familiaris erat fratribus suis, non credebant in eum.

7. (Vers. 6.). *Dixit* [9] *ergo eis Iesus.* Tangitur Tertium. hic tertium, scilicet *Christi humilitas* in latitando; propter quod se apud eos excusat, primo a *defectu* Duplex excusatio. *temporis opportuni;* non enim erat tempus opportunum sibi ad manifestationem. Propter quod dicit: *Tempus meum nondum advenit,* scilicet manifestationis meae; et ego congruitatem temporis considero; unde in Psalmo [10]: « Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo »; Ecclesiastae tertio: « Cuncta fecit Deus bona in tempore suo ». *Tempus autem vestrum semper est paratum,* id est gloriae mundi, quam affectatis; de quo tempore Ieremiae decimo septimo [11]: « Diem hominis non desideravi »; Ecclesiastici undecimo: « In die honoris tui ne extollaris ». — Sic igitur non mihi, sed vobis est opportunitas temporis; non mihi etiam, sed vobis est *exaltatio gloriae temporalis;* unde:

8. (Vers. 7.). *Non potest vos odisse mundus,* vituperando, quia ipsum et gloriam eius diligitis; *me autem odit,* inhonorando; ad Galatas ultimo [12]: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ». *Quia*

---

[1] Vers. 15. — Sequitur Matth. 10, 23.

[2] Ed. *Scenophegia* B. Albert., in hunc locum, ait: « *Scenophegia,* a scenos [σκηνή i. e. tabernaculum tectum; σκιά i. e. umbra], quod est umbra et phege [πηγνύναι], id est figere, quasi fixio tabernaculorum ». S. Thom., Comment. in Ioan. 6. lect. 1. n. 1: *Scenopegia* autem Graecum est, compositum ex scenos, quod est umbra, et phagim [φαγεῖν], quod est comedere; quasi dicat: Erat tempus, in quo comedebant in tabernaculis etc. Cfr. supra pag. 297, nota 12. — Subinde allegatur Lev. 23, 41. seq.

[3] In Ioan. homil. 48. (alias 47.) n. 2: Ex his enim, qui talia dicebant, primus fuit Ierosolymorum episcopus, beatus Iacobus, de quo Paulus [Gal. 1, 19.] dicit: *Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum, fratrem Domini.* Dicitur et Iudas mirabilis fuisse. — Superius pro *erant Domini cognati* ed. *dicuntur cognati.*

[4] Vers. 5-10. August., in Ioan. Evang. tr. 28. n. 3: Consanguinei Virginis Mariae fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis Scripturarum appellare fratres quoslibet consanguineos et cognationis propinquos, et extra usum nostrum, non quo more nos loquimur. Nam quis dicat fratres avunculum et filium sororis? Scriptura tamen etiam huiusmodi cognationes fratres appellat. Nam Abraham et Lot fratres sunt dicti [Gen. 14, 14.], cum esset Abraham patruus Lot; et Laban et Iacob fratres sunt dicti [Gen. 29, 15.], cum esset Laban avunculus Iacob etc.

[5] Psalm. 21, 23. — Duo seqq. loci sunt Matth. 12, 48. seq. et Gal. 1, 19.

[6] Vulgata omittit *tu.* — Subinde allegatur Ioan. 6, 67.

[7] Vers. 5. — Superius post *opus illud* ed. prosequitur *per quod videtur, quod tales adhuc non recesserant a consuetudine et moribus hypocritarum* etc.

[8] Vers. 44. (vide ibi lectionem Vulgatae); ibid. 1, 11. est seq. textus. Cfr. supra c. 4. n. 83.

[9] Vulgata *Dicit.*

[10] Psalm. 74, 3. — Sequitur Eccle. 3, 11, cuius explicationem vide supra in Comment.

[11] Vers. 16. — Seq. locus est Eccli. 11, 4. — Beda, in Ioan. 6, 6: Tempus vero gloriae Christi nondum venit, cum haec locutus est... *Tempus autem vestrum,* id est mundi gloria, *semper est paratum;* erit enim tempus gloriae. Qui venit in humilitate, veniet in altitudine; qui venit iudicandus, veniet iudicaturus etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 28. n. 6. 8.

[12] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Sap. 2, 12. et Amos 5, 10.

ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt, veritatem annuntiando; Sapientiae secundo: « Circumveniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis et contrarius operibus nostris et improperat nobis peccata Legis et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae »; Amos quinto: « Odio habuerunt corripientem in porta ». Ideo dixit quidam [1]: « Veritas odium parit ». Quia ergo vos mundus non odit;

9. (Vers. 8.). *Vos ascendite ad diem festum hunc;* quia vero odit me et persequitur, *ego autem non ascendam ad diem festum hunc* [2], *quia tempus meum nondum est impletum*; in quo pati debeam, de quo supra secundo: « Mulier, nondum venit hora mea ». Sicut in incarnatione observavit temporis plenitudinem, sic et in passione; ad Galatas quarto: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum » etc. Et sic eis se excusavit, ut posset latenter ascendere; unde et post eos solus ascendit, non stipatus multitudine consanguineorum.

10. (Vers. 9.). *Haec cum dixisset,* id est, se apud fratres excusasset, *mansit* [3] *in Galilaea,* donec scilicet ascenderent fratres eius.

11. (Vers. 10.). *Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto;* ideo *in occulto,* ut humanitatis ostenderet infirmitatem [4], et sic invitaret ad fidem. Vel: *in occulto,* ut doceat vanam vitare laudem; Matthaei sexto [5]: « Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi »; Gregorius: « Ita sit opus in manifesto, quatenus intentio maneat in occulto ».

12. (Vers. 11.). *Iudaei ergo quaerebant eum.* Quartum. Tangitur quartum, scilicet *Iudaeorum curiositas* ad quaerendum Christum, cum latenter ascendisset; quia prius manifeste ascendebat; ideo dicit: *Iudaei ergo quaerebant eum in die festo;* quia tunc consueverat ascendere, et ex odio quaerebant; unde subdit: *Et dicebant: Ubi est ille?* Non eum nomine proprio nominabant ex odio vel contemptu; quocontra Sapientiae primo [6]: « Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum ». Et ex hac inquisitione tacita fiebat collocutio de absente; unde dicit:

13. (Vers. 12.). *Et murmur multum erat in turba de eo,* et oriebatur ex controversia; unde subdit: *Quidam enim dicebant, quia bonus est,* ut parvuli; *alii autem* [7]: *Non, sed seducit turbas,* et isti erant Pharisaei maiores, qui vocaverunt eum *seductorem;* Matthaei vigesimo septimo [8]: « Recordati sumus, quia seductor ille dixit » etc.; infra eodem: « Nunquid et vos seducti estis »? Et licet esset controversia, erat sub murmure, non manifesta; unde dicit:

14. (Vers. 13.). *Nemo tamen palam de illo loquebatur propter metum Iudaeorum.* Sicut enim dicitur infra nono [9]: « Conspiraverant Iudaei, ut, si quis eum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret ». Ideo timebant; quocontra Matthaei decimo: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam ».

Quaestiones.

15. Quaest. I. Sed quaeritur hic: cum Dominus venisset non tantum docere, verum etiam pati, videtur, quod propter passionem vel persecutionem Iudaeorum non debuit a doctrina cessare: ergo nec Iudaeam relinquere, ubi maxime locus erat doctrinae.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus, etsi pati Resp. vellet et pati non timeret, tempus tamen passionis congruum praefixerat, et ante illud manibus persequentium se tradere non volebat; et ideo in Iudaeam non ambulabat [10].

16. Quaest. II. Sed quaeritur tunc secundo: cum Iudaei tempus determinatum a Domino non possent praevenire, videtur, quod ante illud non possent in eum manus mittere: ergo nec propter hoc debuit se absentare.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus sic se Resp. manifestavit bonis, ut tamen se celaret malis; et e Ratio 1. converso sic se occultavit malis, ut tamen non lateret bonos. Et ideo aliquando vicit per potentiam, aliquando per prudentiam, sicut dicitur Iob vigesimo sexto [11], quod *prudentia eius percussit superbum.* Et ideo, quamvis potenter posset cohibere, maluit tunc tamen sapienter declinare. — Alia ratio est, ut Ratio 2. in se ostenderet veram humanitatem; ideo aliquando potentem, aliquando infirmum se ostendebat. Unde

---

[1] Terentius in Andria, act. 1. scen. 1. v. 41:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

[2] Vulgata *non ascendo ad diemfestum istum.* — Subinde allegantur Ioan. 2, 4. et Gal. 4, 4.

[3] Vulgata *ipse mansit.*

[4] Chrysost., in Ioan. homil. 48. (alias 47.) n. 2: Si palam ascendisset rursusque illos quasi caecos continuisset, Divinitatem suam clarius exhibuisset ante tempus et magis inde revelasset eam. Cum vero putarent illi, ipsum metu detineri; contra ostendit, se et fidenter et prudenter agere et gnarum temporis, quo passurus esset; illo adveniente, se ultro Ierosolymam concessurum esse.

[5] Vers. 18. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 11. n. 1. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 28. n. 8.

[6] Vers. 1. — Inferius pro *collocutio* plures codd. *collatio.*

[7] Vulgata hic repetit *dicebant.* — Superius vocibus *ex controversia* ed. interserit *hoc inter eos.*

[8] Vers. 63. — Sequitur Ioan. 7, 47. — Inferius post *erat* C et ed. supplent *tamen.*

[9] Vers. 22. — Seq. locus est Matth. 10, 28.

[10] Cfr. supra nota 4. verba Chrysost.

[11] Vers. 12. — Superius pro *tamen,* quod bis occurrit, ed. *tantum,* et pro *aliquando* multi codd. *aut.* Post primum *aliquando* ed. supplet *Iudaeorum furorem.* — Vide locum in praecedente nota allegatum.

alia littera [1] habet: *Non enim poterat in Iudaea*
Ratio 3. *ambulare.* — Tertia ratio est nostra instructio, ut non miremur, si viri sancti timent et declinant pericula, nec etiam de nobis ipsis desperemus [2].

17. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ego non ascendam;* et post dicitur, quod cum illi ascendissent, *tunc et ipse ascendit.* — Videtur, quod faciat contrarium eius quod praedixerat.

Respondetur ad hoc multipliciter: primo sic:
Resp. 1. *Ego non ascendam,* scilicet vobiscum, *vos* autem
Non sufficit. *ascendite* [3]. — Sed haec expositio habet quaestionem, quare scilicet noluerit ascendere cum eis.

Propter hoc respondent alii et faciunt vim in
Resp. 2. hoc quod dicitur: *ad diem festum hunc; interlinearis* [4]: « Id est ad primum diem », qui erat so-
Non sufficit. lemnior, sed ad dies intermedios. — Sed hoc similiter habet quaestionem, quare scilicet non ascendat ad primum diem.

Ideo tertio modo exponitur, quod « sermones
Resp. 3. accipiendi sunt secundum materiam [5] »; et Dominus respondebat suasioni fratrum, quod se manifestaret. Propterea dicit: *Non ascendam* ad me ipsum manifestandum; ideo dicitur in littera: *Non ascendit in manifesto.* Et ideo non ascendit cum fratribus nec in primo die, ne ascensus eius esset manifestus [6].

18. Quaest. IV. Item quaeritur de responsione Domini, qua dicit: *Tempus meum nondum advenit.* — Quamvis hoc non debeat intelligi de fato [7], videtur tamen, quod operatio Domini a tempore dependeat; quod videtur inconveniens, cum sit omnipotens.

Respondetur uno modo, quod duplex est Do-
Resp. 1. cum distinctione. mini operatio: una secundum *Divinitatem*, et haec a tempore non dependet; alia vero secundum *humanitatem*, et haec certum tempus requirit. Et haec erat operatio redemptionis, et quantum ad hanc dicebat: *Tempus meum nondum advenit* [8].

Aliter respondetur, quod *determinato tempore*
Resp. 2. cum distinctione. *operari*, hoc est dupliciter: vel ex *indigentia*, vel ex *congruentia.* Primo modo arbores in aestate tempore determinato fructificant; secundo modo Deus miseretur et iudicat et salvat [9]. Unde quia tempus paschale redemptioni nostrae optime congruebat, ut Lex in Evangelio secundum optimam convenientiam finiretur: ideo tempus paschale exspectabat.

19. *Iam* [10] *die festo mediante.* Postquam actum Secundo, de Doctoris propalatione tria. est de occultatione, agitur de *Doctoris nostri propalatione*, qui supra latitaverat. Et proceditur hoc ordine: primo ponitur Doctoris *propalatio in docendo;* secundo, Iudaeorum *admiratio in audiendo;* tertio, doctrinae *commendatio in respondendo.*

(Vers. 14.). Ponitur ergo primo *Doctoris pro-* Expositio litteralis. Primum. *palatio;* propter quod dicit: *Iam autem die festo mediante*, et haec fuit « quarta dies festi », sicut dicit Glossa [11], quae est media septem dierum; *ascendit Iesus in templum et docebat*, in loco publico, non occulto, ne suspecta esset doctrina; infra decimo octavo: « Ego semper docui in Synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil ».

20. (Vers. 15.). *Et mirabantur Iudaei* etc. Hic Secundum. tangitur secundum, scilicet *Iudaeorum admiratio.* Ratio admirationis erat, sicut dicit Augustinus [12], quod « nunquam viderant eum litteras discentem, audiebant autem de Lege disputantem ». Propter quod dicit: *Et mirabantur Iudaei dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Unde poterat Dominus dicere illud Proverbiorum trigesimo [13]: « Sapientiam non didici, et novi scientiam Sanctorum »; Lucae secundo: « Mirabantur super prudentia et responsis eius ».

21. (Vers. 16.). *Respondit eis Iesus.* Hic ponitur tertium. Tertium, scilicet *Christi responsio*, qua admirationi eorum satisfacit, ostendens, se non habere scientiam per acquisitionem, sicut habent alii homines, sed a sua origine. Propter quod dicit: *Mea doctrina*, scilicet quam doceo, *non est mea*, id est a me, vel ad meam gloriam, vel a me acquisita; *sed eius qui*

---

[1] Chrysost., in Ioan. homil. 48. (alias 47.) n. 1: *Non enim poterat* [εἶχεν ἐξουσίαν i. e. habebat potestatem] *in Iudaea ambulare...* Quid dicis, beate Ioannes? Non poterat qui potest omnia, quae vult? qui dixit [Ioan. 18, 4.]: *Quem quaeritis*, et eos retro pulsos prostravit?... Cum enim dixit: *potestatem non habebat*, quasi de homine loquitur, multa humano more agente; cum vero dicit, ipsum in medio eorum stetisse nec apprehensum fuisse, Divinitatis utique potestatem indicat. Nam fugiebat ut homo, apparebat ut Deus, utrumque vere repraesentans etc. — Textus arab. habet *Quoniam non valebat* etc.; Brug. *Non poterat* etc.

[2] August., in Ioan. Evang. tr. 28. n. 2: Infirmitati nostrae praebebat exemplum. Non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, ut dixi, ut aliquis fidelis eius absconderet se etc. Cfr. supra pag. 291, nota 9.

[3] Chrysost., in Ioan. homil. 48. (alias 47.) n. 2: Non dixit simpliciter *Non ascendam*, sed addit *nunc*, id est vobiscum.

[4] Quae dicit: « Quia non ascenderat cum fratribus, unde dixit: *Non ad hunc*, quem vultis, id est primum vel secundum; ascendit autem post in medio die festivitatis ». Cfr. infra v. 14. n. 19, et Chrysost., in Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1.

[5] Ex Aristot.; cfr. supra pag. 72, nota 7. — Ed. legit *secundum subiectam materiam et secundum intentionem proferentis.*

[6] Cfr. supra v. 8. et 10.

[7] Vide supra pag. 272, notam 12. — Superius pro *responsione* plures codd. *ratione*, et inferius pro *dependeat* E N *dependeret.*

[8] Cfr. supra 2, 4. n. 4.

[9] Vide supra c. 2. n. 17. quaest. IV. in Responsione.

[10] Vulgata *Iam autem.*

[11] Scilicet *interlinearis:* Mediatis illis diebus, id est quarta die festi. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 28. n. 8: Consequentia [v. 14.] docebunt, sic eum ascendisse mediato die festo, id est mediatis illis diebus, ut etiam palam doceret. Cfr. supra nota 4. — Pro *occulto* E F G H I K M N *occulte.* — Subinde allegatur Ioan. 18, 20.

[12] In Ioan. Evang. tr. 29. n. 2.

[13] Vers. 3, ubi pro *et novi* Vulgata *et non novi.* — Seq. textus est Luc. 2, 47: Stupebant... super etc. C N allegant 4, 22: Mirabantur omnes de his quae procedebant ex ore ipsius.

misit me, id est a Patre, qui misit me. Omnia enim, quae habet Filius, a Patre accipit; supra quinto [1]: « Non possum a me ipso facere quidquam », ita nec docere quidquam. Et quia haec responsio manifesta non erat nisi his qui recte audiunt; et hi sunt, qui audiunt, ut faciant: propterea dicit:

22. (Vers. 17.). *Si quis voluerit voluntatem eius*, scilicet Dei Patris, *facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar;* quia aliter nec me nec doctrinam meam potest cognoscere vere. Ideo dicitur primae Ioannis secundo [2]: « Qui dicit, se Deum nosse, et mandata eius non custodit, mendax est ». Et sic *commendabilis ab origine*, et est etiam *commendabilis a fine* in hoc, quod in docendo non quaerit gloriam propriam; et hoc manifestat sic:

23. (Vers. 18.). *Qui loquitur a semetipso propriam gloriam quaerit;* sed qui quaerit propriam gloriam, mendax est, quia alienum sibi usurpat; Isaiae quadragesimo octavo [3]: « Gloriam meam alteri non dabo »; sed ego in docendo propriam gloriam non quaero, sed quaero gloriam eius qui misit me: ideo doctrina mea verax est. Propterea dicit: *Qui autem quaerit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, et iniustitia in eo* [4] *non est.* Christus gloriam Divinitatis quaesivit, non suae humanitatis, quia ei omnis gloria debetur; primae ad Timotheum primo: « Regi saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria » etc. *Est iustus et verax*, quia e contrario usurpare sibi alienum honorem est falsitas et iniustitia. Sic usurpabit antichristus, de quo dicitur secundae ad Thessalonicenses secundo [5]: « Exaltabitur et extolletur super omne, quod dicitur Deus [6] ».

Quaestiones.

24. Quaest. I. Sed quaeritur hic: cum Dominus occulte Ierusalem ascenderit propter vitandum furorem Iudaicum; unde est, quod palam docet in templo?

Respondet Augustinus [7], « quod latebat, erat causa exempli; quod palam loquitur et non tenetur, est indicium potestatis ». Resp. 1.

Aliter potest dici, quod ipsa sua doctrina furorem declinabat Iudaicum, dum eos elevat in admirationem [8]. Resp. 2.

---

[1] Vers. 30. — Inferius pro *docere quidquam* [B C G N omittunt *quidquam*] ed. *docere quemquam.*

[2] Vers. 4. — Inferius post *Et sic* ed. supplet *doctrina Christi*, sed propter contextum melius supplendum esse videtur *Christus;* cfr. v. seq.

[3] Vers. 11.

[4] Vulgata *qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo* etc. — Sequitur I. Tim. 1, 17. — Inferius vocibus *Est* [multi codd. *Et*] *iudex* ed. praefigit *Ergo.*

[5] Vers. 4. Cfr. August., in Evang. Ioan. tr. 29. n. 8.

[6] Quae sequuntur in ed. desunt in codd.: De huiusmodi autem doctrina nota, quod est:

commendabilis comparate

ad discipulum

communis audientibus, Ioan. 18, 20: « Ego palam locutus sum mundo; ego semper in Synagogis docui » etc.; et Matth. 28, 19: « Euntes docete omnes gentes baptizantes eos » etc.

fidelis credentibus, est enim verax, Matth. 22, 16: « Scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces ». Haec veritas non omnibus patet, sed credentibus, supra 3, 33: « Qui accepit testimonium eius signavit, quia Deus verax est ».

utilis obtemperantibus, Isai. 48, 17: « Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas »; et Sap. 8, 7: « Sobrietatem enim docet et sapientiam et iustitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus »; II. Tim. 3, 16: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum » etc.

sublimis perfectos esse volentibus, in cuius rei signum Dominus cum doctrinam perfectis tradidit, in montem ascendit, Matth. 5, 1. seqq.: « Ascendit Iesus in montem, et cum sedisset, docebat discipulos suos dicens: Beati pauperes spiritu » etc.

ad Magistrum

admirabilis singularitate, quia solus sine *doctore*, Ioan. 7, 14. seq.: « Ascendit Iesus in templum et docebat, et mirabantur Iudaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit »? Solus sine *maiore*, Matth. 7, 28. seq.: « Admirabantur turbae super doctrina eius; erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum et Pharisaei ».

investigabilis profunditate; in eo enim sunt omnes thesauri sapientiae, ad Rom. 11, 33: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius »! Eccli. 24, 46: « Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam » etc.; Marc. 4, 2: « Docebat turbas in parabolis multa »; et Matth. 13, 3: « Locutus est eis multa in parabolis ».

invariabilis uniformitate, Matth. 24, 35: « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt ». Econtra doctrina haereticorum variatur; unde Eph. 4, 14: « Iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae » etc.; Hebr. 13, 9: « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci ».

irreprehensibilis sanctitate, quia id ipsum, quod docuit, fecit; unde Act. 1, 1: « Coepit Iesus facere et docere »; nec tantum fecit, immo sustinuit, et sic doctrinam suam commendabilem facit; Prov. 19, 11: « Doctrina viri per patientiam noscitur ».

[7] In Ioan. Evang. tr. 29. n. 2: Illud enim, ut lateret, erat causa exempli, hoc potestatis.

[8] Chrysost., in Ioan. homil. 49. (alias 48.) n. 1: Quid docuerit, non narrat Evangelista; id solum dicit, quod mirabiliter sit locutus, quod ipsos demulserit et mutarit; tanta dictorum virtus erat. Qui vero dicebant *Seducit turbam* mutati iam admirabantur, ideoque sic loquebantur: *Quomodo scit litteras qui non didicit?*

25. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit, quod litteras non didicit et litteras sciebat:

1. Quomodo ipsi sciebant, quod Dominus litteras sciret?

2. Item, cum Dominus exemplum deberet nobis dare non solum humilitatis in opere, verum etiam in cognitione; videtur, quod sicut propter nostrum exemplum fuit baptizatus et circumcisus, quod debuerit esse discipulus prius quam doctor. — *Si dicas*, quod nihil potuit addiscere, cum omnia sciret; *obiicitur* quod dicitur ad Hebraeos quinto [1]: « Didicit ex iis quae passus est, obedientiam ». Si didicit obedientiam, quare non scientiam?

Resp. Respondet Glossa [2], quod quae dicebat auctoritate Scripturae dicebat; ideo sciebant, ipsum scire litteras. Sciebant etiam, ipsum non didicisse, quia eius educationem, ut dicit Augustinus [3], et locum et parentes cognoverant.

Ad 2. 2. Quod obiicit, quod debuit discere; dico primo, quod non eguit nec egere debuit, quia omnes passiones nostras assumere debuit praeter ignorantiam et peccatum; quia nobis omnino et saluti nostrae essent inutiles. Nec in hoc *exemplum* dare debuit, quia in hoc, quod disceret, se ostenderet ignorantem, et tunc opus esset simulatum [4]. — Quod ergo dicit de *circumcisione*, dicendum, quod erat ad distinguendum; ne igitur alterius ritus et gentis videretur, ideo observavit circumcisionem et baptismum Ioannis, ut aquas sanctificaret et innotesceret [5]. — Quod obiicit, quod *didicit;* breviter dicendum, quod *discere* uno modo est in ignoti notitiam per doctrinam devenire, alio modo *discere* est cognitum experiri. Primo modo non didicit, quia ponit ignorantiam; secundo modo didicit, quia ponit passiones, quas Christus assumsit et expertus est [6].

26. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Mea doctrina non est mea:*

1. Quia ita removetur a se, et ideo falsa [7] videtur.

2. Item, quomodo per hoc satisfit Iudaeis? Quia similiter possem ego dicere istud, quod mea doctrina non est a me, sed a Deo, quia *omnis sapientia a Domino Deo est* [8].

Resp. 1. Respondet Chrysostomus [9], quod doctrinam suam dicit non esse a se inventam, sed a Patre esse; unde sensus est: mea doctrina, scilicet quam doceo, non est mea, sed a Patre est. — Ad 2. Et in hoc satisfacit quaestioni eorum, mittendo eos ad Patrem, et sedat eorum furorem per humilitatem; unde *sua* erat doctrina, quia est ipsa sapientia per essentiam; sed *non suam esse* dicebat, quia ab alio accepit.

Quaest. incidens. Sed quare non simpliciter dixit: Ego sum ipsa sapientia, sed humiliavit se?

Quinque causae. Quinque causas assignat Chrysostomus [10]: prima, ut ostendat, se esse ab alio et Filium, non ingenitum. — Secunda, ut ostendat, se non esse Deo contrarium, sicut erit antichristus, qui *extolletur super omne, quod dicitur Deus* [11]. — Tertia, ut ostendat, se esse hominem verum. — Quarta, propter audientium imbecillitatem. — Quinta, ad docendum humilitatem, iuxta illud ad Romanos undecimo [12]: *Noli altum sapere.*

Resp. 2. Aliter respondetur, quod contradictio ista solvitur secundum regulam Augustini [13], aspiciendo ad duplicem naturam, ut sit sensus: mea doctrina secundum Divinitatem non est mea secundum humanitatem. Illud dicitur *nostrum*, quod a nobis est acquisitum, et sic satisfacit quaestioni.

Resp. 3. Tertio modo fit vis in hoc quod est *meum;* *meum* enim dicit libertatem possidendi et principium efficiendi [14], ut *ager meus, liber meus*, quem feci. Distinctio. Sed hoc potest dupliciter dici: vel *simpliciter*, vel *discretive* [15], sicut et *mei* et *mihi*. *Simpliciter* ergo loquendo, doctrina illa erat Christi, qui eam libere possidebat et ab ipso ad audientes emanabat. Sed non erat *discretive* Christi solius, quia et haec eadem erat *Patris*, et etiam haec eadem erat *a Patre*. — Aliter. Vel aliter respondeo: est triplex *meum: meum* secundum *naturam* vel originem, *meum* secundum divinam naturam vel humanam, *meum simpliciter*, vel *discretive*.

Pars secunda agit de doctrinae communicatione dupliciter.

27. *Nonne Moyses dedit* etc. Haec est secunda pars, in qua agitur de *doctrinae communicatione*.

---

[1] Vers. 8.

[2] Scilicet *interlinearis: Et docebat*, utens auctoritate Scripturarum... *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit*, in eius educatione sciebant eum nunquam didicisse.

[3] In Ioan. Evang. tr. 29. n. 2: Et unde admiratio? Quia multi noverant, ubi natus, quemadmodum fuerit educatus; nunquam eum viderant litteras discentem etc.

[4] Cfr. III. Sent. d. 15. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1.

[5] Vide infra n. 35. et supra c. 1. n. 64. ad 2. — Codd. legunt *ideo observavit de baptismo Ioannis* etc.

[6] Cfr. III. Sent. d. 14. a. 3. q. 2. et d. 15. a. 2. q. 1. ad 2. — Superius post *cognitum* plures codd. addunt *cognito*, vel *cognoscendo*.

[7] Supple: propositio. — Ed. substituit *falsum*. Pro *ita* D E H *idem*.

[8] Eccli. 1, 1.

[9] In Ioan. homil. 49. (alias 48.) n. 2.

[10] Loc. cit.: Cur autem humilia loquatur, multae sunt causae; puta, ne ingenitus putetur esse, ne Deo adversarius, ut carnem induisse credatur, ut infirmitati auditorum consulat, ut modestiam sectari et iactantiam fugere doceat.

[11] Epist. II. Thess. 2, 4.

[12] Vers. 20.

[13] In Ioan. Evang. tr. 29. n. 3. seqq. — Inferius post *naturam* ed. supplet *in Christo*.

[14] Cfr. I. Sent. d. 18. q. 6. in corp., ubi similis distinctio affertur, scil. *possessionis* et *causalitatis*.

[15] Vide infra 8, 54, ubi de pronomine *ego discretive*. Priscian., XII. Grammat. c. 2: Et possessiva quidem egent adiectione nominum ad plenam significationem, primitiva vero non semper. Itaque perfectum ad discretionem est: ego quidem affui, tu autem non aderas; deficiens vero quantum ad discretionem: affui quidem, non aderas autem.

Et quia duplex « est opus sapientis: manifestare mentientes et non mentiri de quibus novit [1] »; ideo primo confutat *Iudaeorum perversitatem;* secundo *doctrinae suae manifestat nobilitatem*, infra octavo [2]: *Iterum locutus est eis Iesus: Ego sum lux mundi.*

Primo, confutatio Iudaeorum fit quadrupliciter.

Prima pars habet quatuor partes. Primo enim confutat *malignantes in corde;* secundo vero, *obloquentes in ore*, ibi [3]: *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis;* tertio, *insurgentes per potentiam*, ibi: *Audierunt ergo Pharisaei;* quarto, *insidiantes per malitiam*, ibi: *Iesus autem perrexit*, in principio octavi.

Contra malignantes in corde quatuor.

Malignantes igitur confutat hoc ordine. Primo ponitur ipsa *redargutio;* secundo, *Iudaeorum recalcitratio;* tertio, *redargutionis explicatio;* quarto, *a malo revocatio.*

Expositio literalis. Primum.

(Vers. 19.). *Redarguit* ergo eos Dominus de occulta cordis malitia, quod ipsum occidere volebant contra Legis mandatum; propterea dicit: *Nonne Moyses dedit vobis Legem?* quam observare tenemini per vestram promissionem, secundum illud Exodi vigesimo quarto [4]: « Cuncta, quae praecepit nobis Dominus, faciemus ». *Et nemo ex vobis facit Legem?* Psalmus: « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum »; quia iam *corde* eam praevaricati estis; quod ostendit revelans cordis malitiam.

28. (Vers. 20.). *Quid me quaeritis interficere?* cum Lex praecipiat in decalogo: « Non occides », Exodi vigesimo [5] et Deuteronomii quinto; et hoc innocentem. Propterea quaerit: *Quid me quaeritis interficere? Quid?* id est propter quam causam, quasi dicat: sine causa; Exodi vigesimo tertio [6]: « Innocentem et iustum non interficies ».

Secundum.

Respondit turba. Tangitur hic secundum, scilicet *Iudaeorum recalcitratio*, quia crimen non agnoscunt, sed arguenti conviciantur. Propterea dicitur: *Respondit turba*, non unus, sed tota multitudo, *et dixit: Daemonium habes.* Hoc ei obiecerunt Matthaei duodecimo [7] et infra octavo; ecce, convicium. Chrysostomus [8]: « Irae verbum est et furoris et animae inverecundantis ». *Quis te quaerit interficere?* Quasi dicant: nullus. Mentiuntur, quia ipsi habent daemonium et filii sunt diaboli, qui « mendax est et pater eius ».

29. (Vers. 21.). *Respondit Iesus et dixit eis.* Tangitur hic tertium, scilicet *redargutionis explicatio*, quia propter hoc, quod sanaverat in Sabbato, volebant eum occidere; unde dicit: *Unum opus feci, et omnes miramini.* Opus hoc fuit curationis paralytici; de hoc mirabantur, quod fecerat, et indignabantur, quod in Sabbato; supra quinto [9]: « Persequebantur Iudaei Iesum, quia hoc faciebat in Sabbato », quasi solveret Legem. Ideo ostendit Dominus, quod non solvit Legem, per *locum a maiori* [10], et facit tale argumentum: si circumcisio, quae non est ex Lege, sed ex Patribus, Sabbatum non solvit, quia opus nobile est: ergo cum salus totius hominis sit opus nobilius, multo minus solvet. Propter quod dicit:

Tertium.

Argumentum.

30. (Vers. 22.). *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, id est, non quia fuit sibi praeceptum primo, sed Abrahae; Genesis decimo septimo [11]: « Circumcidetur ex vobis omne masculinum ». *Et in Sabbato circumciditis hominem*, propter illud quod ibidem scriptum est: « Infans octo dierum circumcidetur »; et tamen non creditis Legem solvere, sed observare. Ex hoc arguit per *locum a maiori*, quia magis videtur, quod circumcisio solvat quam perfecta salus.

31. (Vers. 23.). *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur Lex Moysi; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato?* Quasi dicat: cum sit licitum et Sabbatum non solvat, non est iusta indignatio vestra, quia, secundum illud ad Romanos decimo [12], « aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam ».

Quartum.

32. (Vers. 24.). *Nolite iudicare* etc. Hic tangitur quartum, scilicet *a malo revocatio;* propter quod dicit: *Nolite iudicare secundum faciem*, accipiendo humanam faciem. De bono iudice Isaiae undecimo [13]: « Non secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum auditum aurium arguet ». *Sed iustum iudicium iudicate*, secundum merita, non secundum faciem personarum. Augustinus [14]: « Ille non iudicat personaliter, qui diligit aequaliter ». Et quia inaequaliter diligebant, quia magis curabant de exterioribus; ideo iniuste iudicabant; unde dicitur Matthaei vigesimo tertio [15]: Vos Pharisaei « mundatis quod

---

[1] Aristot., I. Elench. c. 2. (c. 1.). — Superius pro *communicatione* ed. *commendatione;* cfr. tamen supra n. 1.

[2] Vers. 12.

[3] Vers. 25; seq. locus est v. 32, in quo Vulgata omittit *ergo*, pro quo infra in ipsa explicatione fere omnes codd. substituunt *autem*, quod subinde etiam omittunt. Tertius locus habetur 8, 1.

[4] Vers. 7. — Sequitur Ps. 13, 3.

[5] Vers. 13. et Deut. 5, 17. — Immediate post pro *et hoc* C N *et etiam*, ed. *et hunc quidem.*

[6] Vers. 7.

[7] Vers. 24. et Ioan. 8, 52. — Superius pro *crimen* [scil. Christum interficiendi] ed. *Christum.*

[8] In Ioan. homil. 49. (alias 48.) n. 2. in fine. — Subinde allegatur Ioan. 8, 44. — Inferius post *pater eius* ed. addit *id est mendacii*, quod codd. omittunt.

[9] Vers. 16.

[10] Cfr. tom. I. pag. 835, nota 5. Vide Chrysost., in Ioan. homil. 49. (alias 48.) n. 3.

[11] Vers. 10; ibid. v. 12. est seq. locus.

[12] Vers. 2.

[13] Vers. 3.

[14] In Ioan. Evang. tr. 30. n. 8: Quis est qui non iudicat personaliter? Qui etc. — Inferius post *diligebant* ed. addit *et.*

[15] Vers. 25. — Sequitur Luc. 16, 15.

de foris est »; et iustificabant se coram hominibus; Lucae decimo sexto: « Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra ».

QUAESTIONES.

33. Quaest. I. Sed quaeritur hic, utrum circumcidendum esset in Sabbato. — Et quod sic, videtur hic dicere Dominus. Et ratio est, quia octavo die debebat fieri [1].

Sed CONTRA: Praeceptum de Sabbato maximum erat inter omnia praecepta Legis et pluries repetitum [2]: ergo praeceptum minus debet cedere maiori. Debebant ergo cessare, ne circumciderent in Sabbato.

RESPONDEO: Dicendum, quod praeceptum de Sab- Resp. bato magnum est et circumcisioni non obviabat, quia non prohibebat opus salutis, sed servitutis: unde in Sabbato exponebatur Lex [3], quia doctrina opus est salutare; et ideo circumcisioni non cedebat, sed simul utrumque praeceptum currebat.

34. Quaest. II. Item quaeritur de argumento Domini, quod circumcisio non solvebat Sabbatum, multo minus nec paralytici curatio [4]. — Videtur argumentum istud nihil valere:

1. Quia circumcisio erat in praecepto nec poterat differri, sed curatio in alio die poterat fieri.

2. Praeterea, circumcisio opus erat *spirituale* quantum ad hoc, quod mundabat ab originali; sed curatio illa fuit opus *corporale*, quia aegritudo erat corporalis.

RESPONDEO: Dicendum, quod Lex Moysi circum- Resp. cisionem non praecepit, sed supposuit quasi a digniori; unde dicitur Exodi duodecimo [5]: *Si quis peregrinorum voluerit in vestram transire coloniam, circumcidetur.* Sed Sabbatum in Lege praeceptum est et non auferebat circumcisionem, quae a Patribus erat: ergo multo minus nec curationem a Deo, quamvis non esset praecepta.

2. Ad aliud dicendum, quod curatio illa para- Ad 2. lytici non tantum erat vel fuit *corporalis*, sed etiam *spiritualis*; unde dictum est ei [6]: *Iam amplius noli peccare.* Et ideo dicitur in littera: *Totum hominem sanum feci*, scilicet interius et exterius; esto etiam, quod tantum exterius in corpore, tamen adhuc opus erat pietatis, et utique pietatis opera tanquam spiritualia Lex reputabat. Unde in Sabbato licebat eleemosynam dare. Si enim licebat asinum adaquare [7], magis eleemosynam dare, maxime infirmum liberare.

35. Quaest. III. Sed quaeritur: quare circumcisio fuit data ante Legem? propter hoc quod dicit: *Non ex Moyse* etc.

Dicendum, quod causa dationis circumcisionis Resp. una praecipua fuit distinctio populi, de quo nasciturus erat Christus, a nationibus; et quia primo vocatus est Abraham, cui facta est repromissio, ideo ab illo inchoavit [8]. — Sunt et aliae causae circum- Aliae 5 cau- sae. cisionis dandae, quare data fuerit populo Dei magis quam aliud signum, quae his versibus continentur:

> « Est signum, meritum, distinguit, sive medetur,
> Circumcisa caro significatque, docet ».

Est *signum* fidei Abrahae, *meritum* obedientiae, *distinguit* populum, *medetur* contra originale, *significat* octavam resurrectionis, *docet* castitatem [9].

36. *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis.* Con- Contra obloquentes quatuor. futavit malignantes, hic *confutat obloquentes;* et procedit hoc ordine. Primo ponitur ipsa *oblocutio;* secundo, *obloquentium confutatio;* tertio, *confutatorum obstinatio;* quarto, parvulorum seu *minorum aedificatio.*

(Vers. 25.). Primo ergo ponitur *oblocutio* illo- Expositio litteralis. Primum. rum qui magis cognoscere debebant; et isti erant qui in civitate regia manebant; propter quod dicit: *Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis*, qui conscii erant machinationis Pharisaeorum: *Nonne hic est, quem quaerebant Iudaei interficere* [10]? tanquam malum; erant enim de illis, de quibus Proverbiorum primo dicitur: « Pedes illorum ad malum currunt, et festinant, ut effundant sanguinem ».

37. (Vers. 26.). *Et ecce, palam loquitur, et nihil ei dicunt*, et ex hoc admirantur et ex admiratione, cum deberent excitari ad fidem, procedunt in mendacem oblocutionem: *Nunquid vere cognoverunt principes, quoniam* [11] *hic est Christus?* Quasi dicant: suspicari possunt, sed vere scire non possunt; unde subdit:

38. (Vers. 27.). *Sed hunc scimus, unde sit*, quia a Nazareth; supra primo [12]: « Invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth ». *Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit;* et ita derogabant eius origini. Hoc dicebant propter illud quod scribitur Isaiae quinquagesimo tertio: « Generationem eius

---

[1] Cfr. Gen. 17, 12. supra n. 30. allegatus.

[2] Vide Exod. 20, 8; 31, 13. seqq. et Deut. 5, 12. seqq.

[3] Cfr. Luc. 4, 16. seqq.; Act. 13, 14. seq. et 15, 21. — Cfr. supra c. 5. n. 31-33. — Inferius pro *circumcisioni* ed. cum paucis codd. *circumcisio.*

[4] De qua supra 5, 9.

[5] Vers. 48. Cfr. supra n. 30.

[6] Supra 5, 14. Cfr. supra c. 5. n. 18. princip. Resp.

[7] Luc. 13, 15: Hypocritae, unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio et ducit adaquare?

[8] Cfr. Gen. 12, 1. seqq. et 17, 1. seqq., ubi etiam de institutione circumcisionis. — Superius post *nationibus* ed. addit *aliis.*

[9] Vide Glossam *ordinariam* in Ioan. 7, 22, quae a Strabone et S. Thoma (in Catena aurea) Alcuino tribuitur, et in qua recensentur tres ex praedictis causae, scil. 1. 3. et 6. Cfr. etiam IV. Sent. d. 1. p. II. a. 2. et dubia.

[10] Vulgata *quem quaerunt interficere.* — Sequitur Prov. 1, 16.

[11] Vulgata *quia.*

[12] Vers. 45. — Duo seqq. loci sunt Isai. 53, 8. et Sap. 18, 14. (cfr. supra Comment. in hunc locum).

quis enarrabit »? quasi generatio Christi sit indicibilis, et ita imperscrutabilis; vel quia occulte venit; Sapientiae decimo octavo: « Dum medium silentium tenerent omnia » etc.

Secundum. 39. (Vers. 28.). *Clamabat ergo* etc. Hic ponitur secundum, scilicet *obloquentium confutatio*. Hos quidem obloquentes de Christi generatione confutat, duplicem suam ostendens generationem: *temporalem*, quam ipsi sciebant, et *aeternam*, quam ipse sciebat. Propter *temporalem* dicit: *Clamabat ergo Iesus, docens in templo*, ut attonitos faceret mussitantes; unde Proverbiorum primo [1]: « Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam »; quia aperte et libere docet; Isaiae quinquagesimo octavo: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam ». *Et dicens: Et me scitis, et unde sim scitis*, secundum generationem *temporalem*; unde Matthaei decimo tertio: « Mater eius dicitur Maria »; et hoc sciebant, quod erat homo et quod ex Maria natus; hoc dictum est secundum generationem *temporalem*. Sed quantum ad *aeternam* dicit, quod ipse est ab alio, quem ipsi nesciunt; propter quod dicit: *Et a me ipso non veni*, in quo notatur a Patre processio; *sed est verus, qui misit me*, quia Deus est; est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, secundum illud Psalmi [2]: « Omnis homo mendax »; Numerorum vigesimo tertio: « Non est Deus ut homo, ut mentiatur ». *Quem vos nescitis;* supra quinto: « Testimonium perhibuit de me qui misit me Pater, neque vocem eius audistis neque speciem vidistis ».

Generatio temporalis.

Generatio aeterna.

40. (Vers. 29.). *Ego autem scio eum, et si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis, mendax* [3]; qui mentimini dicentes, vos ignorare nativitatem *temporalem;* ego vero non mentior, ut dicam, me nescire *aeternam. Ego enim scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit;* tanquam Filius cognoscit Patrem; Matthaei undecimo [4]: « Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ». *Scio eum*, per apertam cognitionem; supra primo: « Deum nemo vidit » etc. *Ab ipso sum*, per generationem; infra decimo sexto [5]: « Exivi a Patre et veni in mundum ». *Et ipse me misit*, per incarnationem; Isaiae sexagesimo primo: « Spiritus Domini super me » etc.

Tertium. 41. (Vers. 30.). *Quaerebant ergo eum apprehendere.* Notatur hic tertium, scilicet *confutatorum obstinatio.* Quia enim ostenderat eos mendaces et ignorantes, ideo in malo confirmati et non valentes verbo resistere, *quaerebant ergo eum apprehendere* quidam scilicet maiores, sicut dicit Chrysostomus [6]. Sed tamen effectum non habuit eorum malitia, divina faciente potentia. Non enim apprehenderunt Christum, veritatem, sed mendacium; Ieremiae octavo [7]: « Apprehenderunt mendacium et noluerunt reverti »; unde dicit: *Sed nemo misit in eum manus*, ad capiendum scilicet, *quia nondum venerat hora eius*, in qua pati dignaretur. Unde Augustinus [8]: « Non dixit horam, qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi »; de qua dicitur infra decimo septimo: « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum ».

Quartum. 42. (Vers. 31.). *De turba autem multi crediderunt in eum.* Tangitur hic quartum, scilicet in *parvulis fidei aedificatio*, unde dicit: *De turba autem multi crediderunt in eum*, non de principibus et maioribus; Matthaei undecimo [9]: « Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis »; primae ad Corinthios primo: « Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes » etc. Et subditur vera confessio: *Et dicebant: Christus, cum veniet* [10], *nunquid plura signa faciet, quam quae hic facit?* Unde quia signa maxima et multa eis visa sunt, credebant et confitebantur, quod alius non esset exspectandus; infra decimo quinto: « Si non fecissem in eis opera, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent ».

Quaestiones.

43. Quaest. I. Sed quaeritur primo de hoc quod dicunt, quod *Christus cum venerit, nemo scit, unde sit.* — Falsum videntur dicere, quia ex Scripturis habebant, quod *ex semine David et de Bethlehem castello;* sicut dicitur infra eodem capitulo [11].

Resp. 1. Respondendum ad hoc, quod doctores Legis secundum diversas Scripturas coniiciebant, Christum non sic nasciturum quemadmodum alii; unde scire poterant, quod ex virgine, et tamen ignorare modum [12]. Unde Scriptura *modum* generationis Christi innuit esse occultum, sed *ipsam propaginem* manifestavit et *locum.* Et ipsi sciebant de Christo Domino, unde esset, quia de Maria Virgine; sed ignorabant quomodo, quia credebant, quod per Ioseph.

---

[1] Vers. 20. — Subinde allegantur Isai. 58, 1. et Matth. 13, 55.

[2] Psalm. 115, 11. — Sequuntur Num. 23, 19. et Ioan. 5, 37.

[3] Praedicta verba exhibentur etiam a card. Hug., B. Albert., S. Thom. et Lyrano; omittuntur autem hic a Vulgata, quae ipsa exhibet 8, 55, et substituit *novi* pro *scio*, et *non scio* pro *nescio*. — Inferius post *temporalem* ed. addit *Christi venturi.*

[4] Vers. 27. — Seq. locus est Ioan. 1, 18.

[5] Vers. 28. — Sequitur Isai. 61, 1.

[6] In Ioan. homil. 50. (alias 49.) n. 2: Quaerebant ergo illum apprehendere et interficere. Quinam? Non multitudo, quae principatum non affectabat nec invidia corripiebatur, sed sacerdotes. — Ed. *maiores sive sacerdotes.*

[7] Vers. 5. — Subinde Vulgata legit: *Et nemo misit in illum manus* etc.

[8] In Ioan. Evang. tr. 31. n. 5. Vide supra pag. 273, notam 2, ubi in loco cit. haec sententia non verbotenus, sed quoad sensum tantum occurrit. — Sequitur Ioan. 17, 1.

[9] Vers. 25. — Seq. locus est I. Cor. 1, 26.

[10] Vulgata *venerit.* — Subinde allegatur Ioan. 15, 24.

[11] Vers. 42. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 31. n. 2.

[12] Isai. 7, 14: Ecce, Virgo concipiet etc.; Luc. 1, 34: Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud etc. — Pro *et tamen* non pauci codd. *et propterea*, C N *et ideo.*

Aliter autem exponitur iuxta duplicem generationem, scilicet *temporalem* et *aeternam*. Sciebant aliquo modo *temporalem*, aliquo modo ignorabant; sed *aeternam* simpliciter ignorabant [1].

Resp. 2.

44. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Hunc autem scimus, unde sit;* quia infra [2] dicitur: *Hunc nescimus, unde sit:* ergo contradicunt sibi.

Respondet Chrysostomus [3], quod non est mirum, si plebs tumultuans contradicat sibi, quia non erat stabilitas in verbis eius.

Resp. 1.

Aliter dicitur, quod hoc dicitur de *simplici* notitia; sed infra de notitia *approbationis*, quia nesciebant ipsum tanquam approbatum a Deo, sicut Moyses, cui *locutus est Deus*, sicut ibidem [4] dicitur.

Resp. 2.

45. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Clamabat Iesus* etc.; quia dicitur Isaiae quadragesimo secundo [5]: *Non clamabit, et non audietur vox eius foris.*

Respondeo: Est clamor *impatientiae* et *contentionis*, et de hoc intelligit Isaias [6]; et est clamor *affectuosae praedicationis*, et sic accipitur hic.

Resp. cum distinctione.

46. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Me scitis. — Contra:* Infra octavo [7]: *Si me sciretis, et Patrem meum sciretis:* ergo nesciebant eum.

Respondeo: Duplex erat cognitio de Christo: quaedam per *sensum exteriorem*, sicut quod esset et homo et natus in tali villa et ex tali parente, hoc sciebant; alia per *revelationem interiorem*, quae erat de invisibili Divinitate; et hac quidem nesciebant eum; et de hac dicitur Ioannis octavo.

Resp. cum distinctione.

47. *Audierunt autem* [8] *Pharisaei* etc. Confutavit Dominus malignantes in corde, mentientes in sermone; hic confutat *persequentes in opere* per potentiam. Et dividitur haec pars, quia primo ponitur *persequentium confutatio;* secundo, *Iudaicae machinationis destructio*, ibi [9]: *Ex illa ergo turba* etc.

Contra persequentes in opere agitur dupliciter.

Confutationem persequentium hoc ordine describit Evangelista. Nam primo ponitur *insidiarum praeparatio;* secundo, *ipsorum* per doctrinam *confutatio;* tertio, *confutatorum dubitatio;* quarto, non intelligentium *dubitantium* [10] *ad fidem vocatio.*

Primo, de eorum confutatione quatuor.

(Vers. 32.). Primo igitur ponitur *insidiarum praeparatio*, quae facta est a Pharisaeis et sacerdotibus propter invidiam, quia turba videbatur velle in eum credere. Propterea dicit: *Audierunt Pharisaei turbam murmurantem de illo haec*, quia palam loqui non audebat. *Et miserunt principes et Pharisaei ministros, ut apprehenderent Iesum* [11]. Pharisaei *audierunt*, quia ipsi erant observatores; sed ipsi et principes *miserunt*, quia erant potentiores. Simile dicitur Matthaei vigesimo secundo [12]: « Abeuntes Pharisaei consilium fecerunt, ut caperent Iesum in sermone; et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis »; Lucae undecimo: « Coeperunt Pharisaei graviter insistere et os eius opprimere de multis, insidiantes ei ».

Expositio litteralis. Primum.

48. (Vers. 33.). *Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *ministrorum persequentium confutatio*, qui armata manu venerant capere eum; et confutat eos, ostendendo eorum impotentiam dupliciter: primo, quia eum modo non possent *capere;* secundo, quia eum post modicum tempus non possent *invenire;* propter hoc dicit: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, scilicet vivens vita mortali; vel: *vobiscum sum*, per mortalis vitae conversationem; Lucae ultimo [13]: « Haec sunt verba, quae locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum ». *Et vado ad Patrem* [14], *qui me misit*, scilicet *vado* per passionem, infra decimo sexto; ideo me modo capere non potestis, quia non est adhuc tempus; infra decimo: « Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; et nemo tollit eam a me »; et sic modo non potestis me *comprehendere* nec postmodum *invenire*. Ideo subdit:

Secundum.

49. (Vers. 34.). *Quaeretis me et non invenietis;* quaeretis meum subsidium in vastatione Romanorum facta sub Tito et Vespasiano [15]. — Vel: *Quaeretis me*; per compunctionem et dolorem, *et non invenietis*, quia multi inciderunt in desperationem; tamen aliqui poenitentes quaesierunt et non inveneruntcorporaliter, sed spiritualiter; Actuum secundo [16]: « His auditis, compuncti sunt corde ». — Vel: *Quaeretis me et non invenietis*, in iudicio; Proverbiorum

Aliae 3 expositiones.

---

[1] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 31. n. 2. seq., et Chrysost., in Ioan. homil. 50. (alias 49.) n. 1.

[2] Cap. 9, 29.

[3] In Ioan. homil. 50. (alias 49.) n. 1: O nequitiam! o contradictionem! Non cum principibus calculum ferunt, sed aliam corruptam efferunt sententiam stultitia sua dignam. *Scimus*, inquiunt, *unde sit; Christus autem cum venerit, nemo sciet, unde sit...* Et rursum alii [Ioan. 9, 29.]: *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, unde sit.* Ebriorum verba considera etc. Cfr. homil. 51. (alias 50.) n. 2: Et diversae erant opiniones, ut in turba confusa; neque enim dictis adhibebant animum neque discendi cupidi erant.

[4] Cap. 9, 29. — De hac divisione cfr. l. Sent. d. 36. dub. 3. et d. 38. dub. 3.

[5] Vers. 2.

[6] Hieron., XII. Comment. in Isai. 42, 2: *Non clamabit*, erit enim mitis atque mansuetus.

[7] Vers. 19.

[8] Cfr. supra pag. 345, nota 3. — Inferius pro *sermone* N *ore*.

[9] Vers. 40.

[10] Ed. *sed dubitantium*.

[11] Vulgata *eum*. — Superius pro *audebat* plurimi codd. *audebant*.

[12] Vers. 15. seqq. — Sequitur Luc. 11, 53. et 54.

[13] Vers. 44.

[14] Vulgata *ad eum*. — Subinde allegantur Ioan. 16, 5. seqq. et 10, 17. et 18.

[15] Chrysost., in Ioan. homil. 50. (alias 49.) n. 2: Et ubinam quaesierunt eum Iudaei? Narrat Lucas [23, 49.], mulieres illum planxisse; et ut verisimile est, multi alii luxerunt eum ac post urbis excidium eius praesentiam optarunt, recordati nempe Christi et miraculorum eius.

[16] Vers. 37. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 31. n. 9.

primo[1]: « Mane consurgent et non invenient me, eo quod exosam habuerunt sapientiam ». — Vel aliter: *Quaeretis me*, voluntate nocendi; *et non invenietis*, potestate offendendi; quia dicetur ei post resurrectionem: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[2] ». Et ideo subdit, quod nocere non poterunt. *Et ubi sum ego, vos non potestis venire;* ideo non poteritis invenire, quia in caelo erat futurus; infra decimo quarto[3]: « Vado parare vobis locum, et iterum veniam et accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, et vos sitis ».

50. (Vers. 35.). *Dixerunt ergo Iudaei* etc. Hic
Tertium. tangitur tertium, scilicet consequens *Iudaeorum dubitatio* ex hoc, quod ipsum non intelligebant; unde dicunt: *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum?* Et colloquendo quaerunt de loco: *Nunquid in dispersionem gentium iturus est et docturus gentes?* « Hic dubitando, ut dicit Augustinus[4], prophetaverunt. Iturus enim erat ad gentes, non per praesentiam sui corporis, sed per Apostolos; Psalmus: Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi ». Et quia multum dubitabant, ideo iterant dubitationem.

51. (Vers. 36.). *Quis est iste*[5] *sermo, quem dixit: Quaeretis me et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire?* Ideo non merentur intelligere, quia noluerunt ad credendum se humiliare.

52. (Vers. 37.). *In novissimo autem die* etc.
Quartum. Tangitur quartum, scilicet *ad fidem invitatio,* cuius merito datur sapientia et intelligentia. Propterea dicit: *In novissimo autem die magni festi*[6]*;* hic erat octavus et ultimus, qui erat solemnis; *stabat Iesus et clamabat. Stabat,* per *immobilitatem;* Malachiae tertio[7]: « Ego Dominus et non mutor »; *clamabat,* per *caritatem;* Psalmus: « Laboravi clamans », ut excitaret ad veniendum: *Veniat et bibat,* secundum meam *largitatem. Si quis sitit, veniat et bibat;* Isaiae quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes venite ad aquas; venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac ». Et modus adveniendi describitur, quia est per *fidem;* unde dicit:

53. (Vers. 38.). *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

54. Quaerit Chrysostomus[8], ubi hoc dicat; et
Quaest. incidens solvitur. dicit, quod « nusquam hoc dicit », ad litteram, sed ad intellectum; Isaiae quinquagesimo octavo: « Eris quasi hortus irriguus et quasi fons aquarum, cuius non deficient aquae »; Proverbiorum quinto[9] secundum aliam translationem: « Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide ». Et dicit *flumina,* quia *flumen* dicit abundantiam et impetum, et pluraliter dicit. Unde Chrysostomus[10]: « Videbis manifeste impletum quod dicitur, si ad Stephani sapientiam, si ad Petri linguam, si ad Pauli cursum inspexeris; nihil enim eis resistebat, nec plebis furor nec tyrannorum insurrectio nec daemonum insidiae nec mortes quotidianae; sed sicut flumina omnia secum trahentes abibant ». Et quia hoc spiritualiter, non carnaliter erat dictum, ideo exponit Evangelista:

---

[1] Vers. 28. seq.

[2] Psalm. 109, 1.

[3] Vers. 2. seq. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 31. n. 9: Non dixit: *ubi ero,* sed *ubi sum.* Semper enim ibi erat Christus, quo fuerat rediturus; sic enim venit, ut non recederet... Nec dixit: *non poteritis,* sed *non potestis,* tales enim tunc erant, qui non possent etc.

[4] In Ioan. Evang. tr. 31. n. 10: Non enim sciebant quod dixerunt, sed quia ille voluit, prophetaverunt. Iturus enim erat Dominus ad gentes, non praesentia corporis sui, sed tamen pedibus suis. Qui erant pedes eius? Quos pedes conculcare volebat persequendo Saulus... Hoc ergo illi nullo modo intellexerunt, et tamen ex hac occasione salutem nostram praedixerunt, quod Dominus iturus esset ad dispersionem gentium et impleturus quod legebant et non intelligebant [Ps. 17, 45.]: *Populus, quem non cognovi* etc.

[5] Vulgata *hic.*

[6] Vulgata *die magno festivitatis.* — Chrysost., in Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1: At cur Evangelista sic expressit: *In novissimo die magno?* Etenim primus et ultimus magnus erat, medii autem potius in deliciis consumebantur. Cur ergo *In novissimo* dicit? Quia illo die omnes conveniebant. In primo non venit ille et causam dixit fratribus [supra v. 8. n. 8. et 16.]; sed nec in secundo nec in tertio quidpiam tale dicit, ne irrita forent verba, dum futurum erat, ut illi in deliciis essent. *Novissimo* autem *die,* quando recedebant domum, viatica ad salutem dat illis et clamat etc.

[7] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Ps. 68, 4. et Isai. 55, 1.

[8] In Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1: Et ubinam dicit Scriptura: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae?* Nusquam. Quid sibi vult ergo illud: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura?* Hic interpungendum est, ut illud: *Flumina de ventre eius fluent,* sit Christi sententia. — Sequitur Isai. 58, 11. — Ed. legit: *Et dicit, quod nusquam; et ideo sic debet subdistingui secundum ipsum:* Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, *supra* [5, 39.]: Scrutamini Scripturas, illae sunt quae testimonium perhibent de me; *et postea subsequatur:* Flumina de ventre etc. *Vel secundum aliam translationem hoc Scriptura nusquam dicit ad litteram, sed ad intelligentiam* [ita interpretatur Bonav.]. *Isaiae 58: Eris quasi* etc. (Cfr. Comment. in Ioan. a Vaticana ed. sub nomine Bonav. promulgatum, ex quo hoc additamentum videtur esse sumtum).

[9] Vers. 16. *Alia* haec translatio habetur in Vulgata. Sed quomodo sonat *prima* translatio? B. Albert., Postilla in Ioan. 7, 38. ait: « Prov. 5: *Deriventur fontes tui foris, et in plateis aquas tuas divide.* Ibi, *ut dicitur,* translatio Septuaginta habet *Flumina de ventre tuo fluant aquae vivae* ». Inspeximus translationem Septuaginta, quam prae manibus habemus, sed verba eo modo, quo a B. Alberto afferuntur, non invenimus. Notamus insuper, quod Hieron. in Prologo in Gen. inter textus, qui in Scriptura allegantur et explicite non inveniuntur, etiam recenset istum, et dicit, quod habeatur *in Proverbiis;* in margine ed. Maur. allegatur Prov. 18, 4: *Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiae.* (Septuaginta: Aqua profunda sermo in corde viri, flumen autem scaturit et fons vitae). — Ed. omittit *secundum aliam translationem.*

[10] In Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1, ubi post verba allegata sequitur: Ut ergo [aquam vivam] simul et nunquam deficere et ineffabiliter operari denotet, fontem et fluvios appellat; non unum fluvium, sed innumerabiles. Et illic salientem [Ioan. 4, 14.] pro inundante dixit. — Superius post *impetum* ed. addit *spiritualium gratiarum.*

55. (Vers. 39.). *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum;* de quo Actuum secundo [1]: « Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis ». Hunc accepturi erant, sed nondum acceperant. Propterea dicit: *Nondum enim Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* infra decimo sexto: « Si abiero, mittam vobis eum ».

QUAESTIONES.

56. Quaest. I. Sed quaeritur de hoc quod dicitur hic, quod *flumina de ventre* credentium *fluent aquae vivae.* Dicit [2] enim, quod hoc intelligitur de Spiritu sancto.

1. Sed Spiritus sanctus solum a Deo Patre Filioque procedit: non ergo fluit de ventre credentium.

2. Item, vir sanctus habens Spiritum non potest dare Spiritum sanctum, sed a Deo datur tantum [3]: non ergo fluit de ventre etc.

3. Item, quid nomine *ventris* intelligitur, pro- Quaest. incidens. pter quod dicit, quod *fluent de ventre?*

Respondet Chrysostomus [4], quod *flumina Spiritus sancti* dicuntur eius dona et gratiae. Gratia au- Notandum. tem recte dicitur *flumen fluens,* non quia ab uno fluat in alterum, sed quia, cum mentem intraverit, omni fonte magis manat nec deficit nec stat, sed *fluit* et *refluit. Fluit* a Deo et facit hominem *refluere* in Deum, iuxta proprietatem aquae, quae tantum ascendit in fluxu, quantum descendit. Propterea scribitur supra quarto [5]: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* ideo Ecclesiastae primo: *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.*

3. Quod quaeritur, quid per *ventrem* intelligaAd quaest. incid. tur; respondet Chrysostomus [6], quod *venter* cor dicitur, iuxta illud Psalmi: *Legem tuam in medio ventris mei.* Magis tamen dixit *ventrem,* ut significaret abundantiam gratiarum. — Glossa [7] vero exponit illud de fluxu doctrinae et consilii de ventre bonae conscientiae et piae, secundum illud: *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.*

57. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus nondum erat datus.*

CONTRA: 1. Prophetae prophetaverunt vera, sed non nisi per Spiritum sanctum: ergo habuerunt Spiritum sanctum; unde David [8]: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

2. Item, Apostoli faciebant miracula; sed Hieronymus [9] dicit, quod « non potuerunt miracula facere sine Spiritus sancti gratia ».

RESPONDEO: Dicendum, quod datio Spiritus san- Resp. cti triplex est: *manifesta, manifestior, manife-* Triplex datio. *stissima* [10]. *Manifesta* fuit in prophetantibus et miracula facientibus ante passionem; *manifestior* fuit in insufflatione post resurrectionem, quia in signo visibili, ut flatu, datus est; sed *manifestissima,* post ascensionem, quia in signo visibili et audibili; et secundum quod manifestius datus est, sic et abundantius.

Quod ergo dicitur, quod *nondum erat datus;* Expositio. intelligendum est: in evidentia et abundantia [11].

58. *Ex illa autem* [12] *turba.* Determinavit perse- Secundo, de persequentium dispersione tria. quentium per doctrinam Christi confutationem, hic determinat *persequentium dispersionem;* et hoc quidem facit hoc ordine. Primo insinuatur *dissensio turbarum audientium;* secundo vero, *reprehensio ministrorum redeuntium;* tertio, *reprehensio Pharisaeorum in malitia persistentium,* quae facta est a Nicodemo.

(Vers. 40.). Insinuatur igitur primo *multitudinis* Expositio litteralis. Primum. *dissensio* propter doctrinam Christi; propter quod dicit: *Ex illa turba, cum audissent hos sermones eius,* propter auditum doctrinae Christi quidam illuminati, *dicebant: Hic est vere Propheta,* quia tam sapienter loquebatur.

---

[1] Vers. 2. — Sequitur Ioan. 16, 7.

[2] Vers. 39: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

[3] Ut ostenditur I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2.

[4] In Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1: *Flumina de ventre eius fluent,* ubertatem et copiam gratiae subindicans... Alibi dixerat *vitam aeternam,* hic dicit *aquam vivam.* Vivam vocat eam quae semper operatur; Spiritus enim gratia, cum in animam in gressa et stabilita fuerit, plus quam fons quivis scaturit neque cessat vel evacuatur neque desinit.

[5] Vers. 14. — Seq. locus est Eccle. 1, 7, de quo vide supra Comment. Cfr. supra c. 4. n. 33. in fine. — Superius post *ascendit* ed. prosequitur *in refluxu, quantum in fluxu descendit.* Deinde addit hoc schema:

Nota fluxum et refluxum { in emanando scilicet Spiritum a Patre; in redeundo per actionem gratiarum; et in communicando per consilium et doctrinam.

[6] In Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1: Ventrem cor vocat, ut et alibi [Ps. 39, 9.] ait: *Et legem tuam in medio ventris mei* [Vulgata *cordis mei*].

[7] Scilicet *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 32. n. 4.): Venter est conscientia cordis, quae bibito spiritu purgata vivit et habet fontem. Et ipsa est fons vel fluvius, qui manat benevolentia, dum proximo vult consulere; qui bona sua putat sibi soli sufficere, non fluit ille fons. Cfr. I. Sent. d. 14. dub. 6. — Subinde allegatur Isai. 16, 11. Vide tom. III. pag. 791, notam 2, et tom. IV. pag. 321, notam 2. — Pro *fluxu* ed. *refluxu.*

[8] Psalm. 50, 13. Chrysost., in Ioan. homil. 51. (alias 50.) n. 1: Quomodo ergo Prophetae prophetarunt et innumera edidere miracula?

[9] In Glossa *ordinaria* Ioan. 7, 37: Audacter et tota libertate pronuntio, ex eo tempore, quo Apostoli Domino credidederunt, habuisse Spiritum sanctum nec potuisse signa facere absque Spiritus sancti gratia, sed pro modulo atque mensura etc.

[10] Cod. C hic et in seqq. *magna, maior, maxima.* Infra pro *secundum quod... sic* ed. *secundum hoc quanto... tanto.*

[11] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 32. n. 6. seqq. Vide etiam I. Sent. d. 15. p. II. dub. 3; II. Sent. d. 29. a. 3. q. 2. in corp.; IV. Sent. d. 7. a. 1. q. 1. ad 1. et d. 23. a. 1. q. 2. in corp. — Ed. hanc resp. ad obiect. omittit.

[12] Vulgata *ergo.*

59. (Vers. 41.). *Alii autem*[1] *dicebant: Hic est Christus;* et hi erant magis illuminati, unde divini erant; Matthaei decimo sexto: « Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi ». *Quidam autem dicebant,* in contrarium, scilicet excaecati ex lumine Scripturae: *Nunquid a Galilaea venit Christus?* Quasi dicant: non; unde et Nathanael dixit supra primo[2]: « A Nazareth potest aliquid boni esse »? Et moti sunt per Scripturam:

60. (Vers. 42.). *Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David?* secundi Regum septimo[3]: « Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum »; et Psalmus: « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam ». *Et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Michaeae quinto[4]: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda; ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel ». Et sic ad invicem contendebant; unde:

61. (Vers. 43.). *Dissensio itaque facta est in turba propter eum.* Ipse non erat causa, sed eorum malitia; Chrysostomus[5]: « Discissi sunt, non compuncti; malitia enim nulli vult cedere ». Propter istam dissensionem quidam volebant eum capere tanquam malum, quidam vero dimittere tanquam bonum; et ex ista contentione frustrata est machinatio Pharisaeorum, quia ministri manus non extenderunt ad capiendum eum, licet aliqui vellent. Propterea dicit:

62. (Vers. 44.). *Quidam autem ex ipsis,* scilicet ministris, *volebant apprehendere eum,* secundum imperium scilicet sibi datum; supra eodem[6]: « Miserunt Pharisaei et pontifices ministros, ut apprehenderent Iesum ». *Sed nemo misit in eum manus*[7], quia Deus misit; Psalmus: « Emitte manum tuam de alto »; et sic frustrati sunt a sua intentione. Et ratio huius est: quia « cogitationes hominum vanae sunt[8] », sed « consilium Domini manet in aeternum », quod quidem nondum decreverat apprehendendum Iesum Christum; Psalmus: « Dominus dissipat cohsilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum et reprobat consilia principum ».

63. (Vers. 45.). *Venerunt ergo ministri.* Tangitur hic secundum, scilicet *reprehensio ministrorum redeuntium,* quia nihil eorum fecerant, propter quae missi erant; ideo ab eis Pharisaei causam requirunt, ut eos redarguant. Propterea dicit: *Venerunt ergo ministri ad pontifices et Pharisaeos,* non adduxerunt tamen eum; *et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis eum*[9]? quia ad hoc missi fuistis; sic frustrati estis. Secundum.

64. (Vers. 46.). *Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur*[10]; quasi dicant: haec ratio est, quare non adduximus eum, quia magnitudine doctrinae suae perterriti sumus, quoniam *nunquam sic locutus est homo. Nunquam* sic *dulciter;* unde mulier eum audiens dixit: « Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti », Lucae undecimo[11]; et Canticorum quarto: « Mel et lac sub lingua eius ». *Nunquam* sic *doctrinaliter* et *sapienter;* unde Lucae secundo[12]: « Stupebant omnes super prudentia et responsis eius »; et Marci primo: « Stupebant super doctrina eius ». *Nunquam* sic *potenter;* Matthaei septimo: « Erat docens tanquam potestatem habens »; et ideo admirabantur super doctrina eius. *Nunquam* sic *utiliter;* supra sexto: « Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt »; et eodem: « Domine, verba vitae aeternae habes ». Locutus est dulciter. Sapienter. Potenter. Utiliter.

65. (Vers. 47.). *Responderunt ergo eis Pharisaei.* Audita ministrorum responsione, Pharisaei reprehendunt eos, quod doctrinae eius fidem adhibuerunt; unde dicunt: *Nunquid et vos seducti estis?* Et quod *seducti* erant[13], nituntur ostendere exemplo maiorum.

66. (Vers. 48.). *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum?* Quasi dicant: nullus; *aut ex Pharisaeis,* qui scilicet Legem sciunt; nulli scientes[14], sed ignorantes.

67. (Vers. 49.). *Sed turba haec, quae ignorat*[15] *Legem,* credit scilicet; et quia ignorant quod

---

[1] Vulgata omittit *autem.* — Sequitur Matth. 16, 13, in quem locum Glossa *ordinaria* (ex Beda secundum Hieron.): *Quem dicunt homines esse;* homines sunt, qui de Filio hominis loquuntur; *dii* enim, qui Deitatem intelligunt etc. Glossa *interlinearis: Vos autem* etc., discreti ab aliis, non homines, sed dii.

[2] Vers. 46.

[3] Vers. 12. seq. — Subinde allegatur Ps. 131, 11.

[4] Vers. 2.

[5] In Ioan. homil 51. (alias 50.) n. 2. in fine et n. 3: Nam etsi nihil aliud, hoc [scil. quod volebant apprehendere eum, et nemo misit super illum manus] saltem illos compungere debuisset; sed non sunt compuncti, ut ait Propheta [Ps. 34, 16.]: *Dissipati sunt nec compuncti.* Huiusmodi enim est malitia, nemini vult cedere etc. — Ed. cum nonnullis codd. *vult credere* pro *vult cedere;* deinde eadem addit ex Chrysost.: *ad unum aspicit solum, ut eum cui insidiatur, interficiat.*

[6] Vers. 32.

[7] Vulgata *super eum manus.* — Ed. hic cum Gorrano addit: *videlicet ad nocendum, quia Deus porrigebat illi manum ad defendendum, cui resistere nulla potest humana potentia, iuxta illud Psalmi* [143, 7.]: *Emitte manum* etc.

[8] Psalm. 93, 11. — Sequuntur Ps. 32, 11. et 10.

[9] Vulgata *illum.*

[10] Vulgata et C M omittunt *loquitur.*

[11] Vers. 27. — Sequitur Cant. 4, 11.

[12] Vers. 47. — Subinde allegantur Marc. 1, 22; Matth. 7, 29; Ioan. 6, 64. et 69.

[13] Ed. *Et quod seduci non debuerant* (Gorranus: Quod autem a Christo seduci non debuerant). In nostra lectione vis ponenda est in verbo *seducti,* scil. in errorem ducti.

[14] Ed. *Sed nihil scientes.*

[15] Vulgata *quae non novit.* — Seq. locus est Deut. 27, 26.

debent, et credunt quod non debent, *maledicti sunt;* Deuteronomii vigesimo septimo: « Maledictus qui non permanserit in sermonibus Legis huius ». Chrysostomus [1]: « Nihil veritate manifestius, nihil simplicius; attamen malignantibus nihil difficilius. Ecce enim, sapientes, scribae et Pharisaei, qui signa viderant et Scripturas legerant, veritate laesi sunt et excaecati sunt. Ministri vero, qui nihil viderant, ab una sola locutione capti sunt, et qui ligare venerant abierunt ligati ». Sed ipsos postmodum Pharisaei nitebantur a fide avertere; et propterea dicitur eis Matthaei vigesimo tertio [2]: « Vae vobis, scribae et Pharisaei! qui clauditis regnum caelorum ante homines; vos vero non intratis nec introeuntes sinitis intrare »; Lucae undecimo: « Vae vobis, Legisperiti! quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant, prohibuistis ».

Notandum.

68. (Vers. 50.). *Dixit Nicodemus* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *redargutio Pharisaeorum* facta auctoritate Legis, per quam ostenditur, quod non debuerunt eum capere, quia nondum erat adiudicatus morti per Legem. Ideo *dixit Nicodemus*, scilicet discipulus *ille, qui venit ad Iesum* [3] *nocte, qui unus erat ex ipsis*, scilicet Pharisaeis; supra tertio: « Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine » etc.

Tertium.

69. (Vers. 51.). *Nunquid Lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab eo* [4] *prius et cognoverit, quid faciat?* Quasi dicat: non; Deuteronomii decimo septimo: « Cum audiens inquisieris diligenter » etc. Hanc legem observabat Iob, vigesimo nono: « Causam, quam nesciebam, diligenter investigabam ». Hanc legem observabant Romani; Actuum vigesimo quinto: « Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem prius, quam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina ».

70. (Vers. 52.). *Responderunt et dixerunt* [5], quia incorrigibiles erant; et quamvis non possent calumniari verbum, calumniantur Nicodemum quasi deceptum, quod ipse in Christum crederet. Propterea dicunt: *Nunquid et tu Galilaeus es?* Id est, in Galilaeum credis — sicut dicuntur *Christiani*, quia credunt in Christum; unde Iulianus apostata [6] vocabat Christianos Galilaeos pannosos — et stulte in eum credis. Unde dicunt: *Scrutare Scripturas et vide, quoniam* [7] *a Galilaea propheta non surgit*, ille quem exspectamus. *Contra:* Augustinus: « Non tantum a Galilaea surgit propheta, sed etiam Dominus Prophetarum »; ipse *Nazaraeus* dictus est, quia in Nazareth nutritus.

71. (Vers. 53.). *Et reversi sunt*, quia reprehensionem evitare et etiam conceptum malum consummare non poterant. Propterea dicit: *Et reversi sunt unusquisque in domum suam*, ita quod unus non remansit cum alio; unde Ecclesiastici vigesimo primo [8]: « Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illius flamma ignis »; Psalmus: « Dissipa gentes, quae bella volunt ».

Quaestiones.

72. Quaest. I. Sed hic quaeritur de ministris: si crediderunt, quare Christum non sunt secuti?

Et dicendum secundum Chrysostomum [9], quod crediderunt et praecones eius fuerunt; nec tamen secuti sunt, quia ad statum perfectionis non ascenderunt.

Resp.

73. Quaest. II. Sed quaeritur hic: quae magna et sublimia fuerat Dominus locutus, propter quae dicebant: *Nunquam sic locutus est homo?*

Respondet Chrysostomus [10]: « Cum mens, inquit, incorrupta fuerit, non est opus longis sermonibus; tale enim quid est veritas, quod quando invenit animam bene dispositam, mirabiliter adhaeret et allicit ».

Resp.

74. Quaest. III. Item quaeritur hic: cum Pharisaei omnia opera sua facerent in conspectu hominum et nollent mali iudicari [11]; quomodo sic iuris ordinem relinquebant, cum talis culpa sit manifesta?

Respondeo: Dicendum, quod ad iustum iudicium tria concurrunt: *iustus animus*, unde secundi Paralipomenon decimo nono [12]: *Cum diligentia cuncta facite, non enim est apud Deum iniquitas nec personarum acceptio nec cupido munerum.* — Secundum est *iusta causa;* Exodi vigesimo tertio [13]: *Innocentem et iustum non interficies;* et vigesimo

Tria requiruntur ad iustum iudicium.

---

[1] In Ioan. homil. 52. (alias 51.) n. 1. in principio.

[2] Vers. 13. — Subinde allegatur Luc. 11, 52.

[3] Vulgata: *Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum.* — Sequitur Ioan. 3, 1. seq.

[4] Vulgata *ab ipso.* — Tres seqq. loci sunt Deut. 17, 4; Iob 29, 16. et Act. 25, 16.

[5] Vulgata addit *ei.* — Inferius verbo *calumniantur* ed. praemittit *tamen.*

[6] Gregor. Nazianz., Orat. 4. (1. adversus Iulian.) n. 76: Novandum nobis cognomentum statim censuit, Galilaeos pro Christianis nominans, atque ut ita vocaremur publica lege decernens.

[7] Vulgata *quia.* — August., in Ioan. Evang. tr. 33. n. 2: « Dominus enim Galilaeus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes eius. Secundum Mariam dixi parentes... *Scrutare Scripturas et vide, quia propheta a Galilaea non surgit.* Sed Dominus Prophetarum inde surrexit ». Glossa *interlinearis:* Tamen Dominus Prophetarum inde surrexit, qui dicitur Nazaraeus.

[8] Vers. 10. — Seq. locus est Ps. 67, 31.

[9] In Ioan. homil. 52. (alias 51.) n. 1: Ministri vero una concione capti sunt... Quod venerint [ad Pharisaeos] longe maius fuit, quam si mansissent, sic quidem illorum molestia liberati fuissent; sed nunc Christi sapientiae sunt praecones maioremque exhibent fiduciam etc.

[10] In Ioan. homil. 52. (alias 51.) n. 1: Atqui non longam, sed brevem audierant [ministri] concionem. Mens enim sincera non longis opus habet sermonibus. Tanta est vis veritatis. — Post verba Chrysostomi ed. addit: *Et Augustinus* [in Ioan. Evang. tr. 33. n. 1.]: *Ille sic locutus est, quia Deus erat et homo.*

[11] Cfr. Matth. 23, 2. seqq. — Immediate post pro *sic* ed. *tam iustum.*

[12] Vers. 7. [13] Vers. 7. et 22, 18.

secundo: *Maleficos non patieris vivere.* — Tertium est *iustus ordo*, qui est per rectam inquisitionem; Deuteronomii decimo sexto [1]: *Iuste quod iustum est persequeris.*

Quoniam igitur Pharisaeis hypocritis inerat *iniustus animus*, quo mortem Christi sitiebant; et aberat *iusta causa*, quia per ius ipsum condemnare non poterant: ideo necessario cogebantur *ordinem iudicii* praeterire. — Quatuor autem sunt, quae maxime animum pervertunt, quae fuerunt in Pharisaeis, quae his versibus continentur:

Resp. ad quaest.

Causae 4, quae animum pervertunt.

> Quatuor ista: timor, odium, dilectio, census,
> Saepe solent hominum rectos pervertere sensus.

Et haec omnia fuerunt in Pharisaeis, ut patet inducendo. Contra haec quatuor dicitur Exodi decimo octavo [2]: *Elige tibi viros sapientes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam.*

75. Quaest. IV. Item quaeritur: cum Dominus, quantum est ex se, voluerit omnium fidem; quid est, quod ortum suum occultavit, ut crederetur esse natus in Nazareth, et propter hoc non crederetur Christus?

Respondeo: Dicendum, quod istud factum est *divino iudicio, divina dispensatione* et *Scripturae adimpletione. Divino iudicio:* quia tempore Herodis natum cognoverunt et despexerunt, immo in mortem consenserunt; ideo sibi nativitatis locum per conversationem in Nazareth celari meruerunt. — Secundo, ex *divina dispensatione:* quia voluit latere malos, ut patiendo a malis redimeret bonos. — Tertio, *Scripturae adimpletione:* quia Scriptura non tantum dicit, quod in Bethlehem natus, sed quod *Nazaraeus vocabitur*, sicut scribitur Matthaei secundo [3]. Et quia Iudaei non fuerunt Scripturas scrutati, ideo erraverunt [4].

Resp.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Capitulum VIII.

1. *Iesus autem perrexit* etc. Posita confutatione insurgentium per potentiam, ponitur hic *confutatio insidiantium per malitiam.* Quia non poterant occidere [5], quaerebant invenire occasionem, ut eum caperent in sermone. Et ideo proposuerunt quaestionem, ut Dominum caperent; sed ipsi e contrario capti sunt et confusi. Et describitur eorum confutatio hoc ordine. Primo enim ponitur *Christi instructio;* secundo vero, *Pharisaeorum malitiosa quaestio;* tertio, *Christi prudens responsio;* quarto, *Pharisaeorum confusio;* quinto, *mulieris liberatio.*

Contra insidiantes per malitiam afferuntur quinque.

2. (Vers. 1.). Introducitur ergo primo *Christi instructio*, quae erat *diligens, publica* et *authentica. Diligens,* unde dicit: *Iesus autem perrexit in montem Oliveti;* quia in Bethania hospitabatur in domo Mariae et Marthae; Lucae vigesimo primo [6]:

Primum.

Instructio diligens.

---

[1] Vers. 20. — De triplici hac conditione iusti iudicii vide Gratian. super C. *Episcopus, presbyter* (65.), C. 11. q. 3, de quo IV. Sent. d. 18. p. II. dub. 2.

[2] Vers. 21.

[3] Vers. 23. — Superius multi codd. *Scripturae adimpletio* pro *Scripturae adimpletione.*

[4] Refragantibus codd., ed. praebet sequens schema.

Est iudicium laudandum

- cum in iudice est
  - sapientia quantum ad intellectum. Hanc petebat Salomon, ut recte posset iudicare, III. Reg. 3, 9: « Dabis servo tuo cor docile, ut iudicare possit populum tuum »; et ibid. v. 28: « Timuerunt regem, videntes, sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium ».
  - puritas quantum ad affectum, II. Paralip. 19, 6. seq.: « Non hominis exercetis iudicium, sed Domini »; et post: « Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas nec personarum acceptio nec cupido munerum »; Eccli. 20, 31: « Xenia et dona excaecant oculos iudicum ».
  - honestas quantum ad actum, Rom. 2, 1: « Inexcusabilis es, o omnis homo, qui iudicas; in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae iudicas »; Matth. 7, 5: « Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui ».
  - auctoritas quantum ad officium, Rom. 14, 4: « Tu quis es, qui iudicas alienum servum »? Luc. 12, 14. dixit Dominus homini petenti, ut iudicaret: « Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos »?

    Sine auctoritate est iudicium *usurpatorium;* sine honestate, *praesumtuosum;* sine puritate, *iniquum;* sine sapientia, *temerarium.* Ideo ista quatuor notantur Exod. 18, 21. in illa auctoritate: « Provide de omni plebe viros », ecce, auctoritas quantum ad officium; « sapientes », ecce, sapientia quantum ad intellectum; « timentes Deum », ecce, puritas quantum ad affectum, quia timor Dei expellit voluntatem peccandi; « in quibus sit veritas » etc., ecce, honestas quantum ad actum.
- cum in ipso iudicio est
  - inquisitio cum diligentia, Iob 29, 16: « Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam »; II. Paralip. 19, 7: « Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite ».
  - definitio cum iustitia, Levit. 19, 15: « Non consideres personam pauperis nec honores vultum potentis; iuste proximo tuo iudica »; et Exod. 23, 3: « Pauperis quoque non misereberis in iudicio ».
  - exsecutio cum patientia, quia non debet commoveri; Sap. 12, 18: « Tu autem, dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas nos et cum magna reverentia disponis nos ».
  - punitio cum moderantia, Eccle. 7, 17: « Noli esse multum iustus, neque plus sapias, quam necesse est »; Deut. 25, 2: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus ».

[5] Ed. *Nam quia non poterant Christum occidere violentia.*

[6] Vers. 37. — Glossa *ordinaria* in Ioan. 8, 1: Quia mos ei erat die docere in templo, vespere reverti in Bethaniam, quae est in monte Oliveti.

« Erat diebus docens in templo, noctibus autem exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti ».

3. (Vers. 2.). *Et diluculo iterum venit in templum. Diligentia* notatur in hoc, quod *diluculo* veniebat; Sapientiae sexto [1]: « Praeoccupat eos qui se concupiscunt, ut eis se prior ostendat », et Proverbiorum octavo: « Qui mane vigilaverint ad me invenient me ». — Erat etiam *publica;* unde dicit: Item, publica. *Et omnis populus venit ad eum;* Lucae vigesimo primo [2]: « Omnis populus manicabat », id est, mane ibat, « ad eum in templo audire eum ». — Erat Authentica. etiam *authentica;* propterea dicit: *Et sedens docebat eos; sedens*, quia magistri est *sedere;* Matthaei vigesimo tertio: « Super cathedram Moysi *sederunt* scribae et Pharisaei »; *sederunt*, scilicet ad docendum, sic et ipse.

4. (Vers. 3.). *Adducunt ei* [3] etc. Tangitur hic Secundum. secundum, scilicet *malitiosa quaestio.* Quaestio erat de muliere deprehensa in adulterio, utrum esset secundum Legis imperium lapidanda; propter quod dicit: *Adducunt ei scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam;* ideo *scribae et Pharisaei*, quia sagaciores et magis invidebant; scribae invidebant sapientiae, sed Pharisaei bonitati; Lucae undecimo [4]: « Coeperunt Pharisaei et Legisperiti graviter insistere » etc. *Et statuerunt eam in medio*, quia de ea volebant inquirere.

5. (Vers. 4.). *Et dixerunt ei: Magister,* adulando dicunt, ut decipiant et se occultent; Chrysostomus [5]: « Magistrum vocant, cuius nolunt esse discipuli ». Simile dixerunt Matthaei vigesimo secundo: « Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces ». *Haec mulier modo deprehensa est in adulterio*, per facti evidentiam, vel per testes.

6. (Vers. 5.). *In Lege autem mandavit nobis Moyses, huiusmodi lapidare;* Deuteronomii vigesimo secundo [6]: « Si dormierit vir cum uxore proximi sui, uterque morietur », id est adulter et adultera. *Tu ergo quid dicis?* Hoc quaerebant, non studio quaerendi, sed dolo decipiendi; et hoc exprimit Evangelista:

7. (Vers. 6.). *Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent eum accusare.* Unde consimili modo quaerentibus respondit Dominus Matthaei vigesimo secundo [7]: « Quid me tentatis, hypocritae »? *Ut possent accusare eum*, sicut in passione; Matthaei vigesimo septimo: « Et cum accusaretur a senioribus et principibus, nihil respondit ».

Iesus autem, inclinans se [8]. Tangitur hic ter- Tertium. tium, scilicet *prudens Christi responsio.* Prudenter enim respondit, quia cum magna modestia. Modestus Modestus modo primo. enim fuit, *non accelerando* sententiam. Unde dicit: *Iesus, inclinans se, digito scribebat in terra*, scilicet exspectans, si quo modo resipiscerent a quaestione dolosa; *digito scribebat*, ut innueret, quod Legem digito scripserat, Deuteronomii nono [9] et Exodi trigesimo primo. — Modestus etiam fuit *in sententiando*, quia nec declinavit ad rigorem Legis, ut eam diceret occidendam, nec contradixit Legi, ut tribueret occasionem se accusandi; unde dicit: Secundo.

8. (Vers. 7.). *Cum autem* [10] *perseverarent interrogantes eum*, et a stultitia nollent desistere; *erexit se et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Inclinatus per misericordiam, *erexit se*, per iustitiam; *et dixit eis*, proferendo sententiam: *Qui sine* etc., infligendo poenam. In qua responsione modesta confutavit eos tanquam hypocritas, secundum illud Matthaei septimo [11]: « Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? Eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui ». — Modestus etiam fuit *post sen-* Tertio. *tentiae prolationem*, unde dicit:

9. (Vers. 8.). *Et iterum se inclinans, scribebat in terra*, ut sic confusis daret locum sine verecundia exeundi. Unde Beda [12]: « Coram tentatoribus inclinari et in terra scribere voluit, ut, ad aliud vultum intendens, liberum eis daret exitum, quos sua responsione percussos citius exituros quam plura interrogaturos praeviderat »; Ieremiae decimo septimo: « Omnes, qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur »; Ieremiae vigesimo secundo: « Terra, terra, audi sermonem Domini: Scribe virum istum sterilem ».

10. (Vers. 9.). *Audientes autem haec* [13] etc. No- Quartum. tatur hic quartum, scilicet *Pharisaeorum confusio*, quae manifestata est in eorum dispersione; propterea dicit: *Audientes autem haec*, scilicet tam prudentem et iustam responsionem; *unus post unum exibant, incipientes a senioribus.* Dispersi recedebant qui con-

---

[1] Vers. 14. (cfr. supra Comment.). — Sequitur Prov. 8, 17.

[2] Vers. 38. — Seq. locus est Matth. 23, 2.

[3] Pro *ei* Vulgata *autem.*

[4] Vers. 53.

[5] In Matth. (opus imperfect. inter opera Chrysost.) homil. 42: *Magister, scimus* etc. Magistrum eum vocant et veracem: magistrum, ut quasi honoratus et laudatus mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tanquam volens eos habere discipulos. Haec enim est hypocritarum prima potentia, simulata laudatio etc. — Sequitur Matth. 22, 16.

[6] Vers. 22.

[7] Vers. 18; ibid. 27, 12. est seq. locus. — Inferius codd. omittunt *sicut.*

[8] Vulgata *se deorsum.* — Immediate post e codd. supplevimus *Tangitur hic tertium* usque *scribebat in terra.*

[9] Vers. 10. et Exod. 31, 18. Cfr. n. 14. ad 2. — Inferius pro *ut tribueret* C et ed. *ne tribueret.*

[10] Vulgata *Cum ergo.* [11] Vers. 3. et 5.

[12] In Ioan. 8, 8: Coram tentatoribus improbis inclinari... ut alio suum vultum... daret exire, quos sua responsione perculsos... interrogaturos esse praeviderat. Cfr. Hieron., II. Dialog. adversus Pelagianos, n. 17: Dederat enim verecundiae eorum clementissimus iudex spatium recedendi. — Subinde allegantur Ier. 17, 13. et 22, 29. seq.

[13] Vulgata omittit *haec.* — Inferius pro *confusio* non pauci codd. perperam *confutatio;* cfr. supra n. 4

globati venerant, et seniores prius exibant, quia ipsi primi fuerant in culpa, ideo et in fuga; Danielis decimo tertio [1]: « Egressa est iniquitas a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum »; et omnes recesserunt, quia omnes confusi erant. Unde dicit: *Et remansit Iesus solus et mulier in medio stans. Solus remansit,* qui locum solitudinis requirit; Osee secundo [2]: « Adducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor eius »; vel quia solus erat offensus; Psalmus: « Tibi soli peccavi et malum coram te feci ». Augustinus [3]: « Duo remanserunt: miseria et misericordia »; et quia misericordia intuetur miseriam, ideo subdit:

11. (Vers. 10.). *Erigens autem se Iesus,* in quo notatur quintum, scilicet *mulieris accusatae misericors liberatio.* Et quia misericordia currit cum iustitia et non est contra iustitiam, quaerit Dominus ab ea de condemnatione et accusatione. Propterea *dicit* [4]*: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit?* Duo quaerit, et quia alterum est in evidenti de recessu accusatorum, respondet mulier quaestioni de condemnatione. Quintum.

12. (Vers. 11.). *Quae dixit: Nemo, Domine,* supple: me condemnavit, non est hominis condemnare; Matthaei septimo [5]: « Nolite condemnare » etc.; et ideo tibi relicta sum. Et sequitur misericors mulieris liberatio; unde dicit: *Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo;* ecce, *misericordia;* ad Romanos octavo: « Deus qui iustificat, quis est qui condemnet »? *Vade et amplius* [6] *noli peccare;* ecce, *iustitia,* quae sic absolvit a culpa, ut tamen non det libertatem redeundi ad culpam; Ecclesiastici quinto: « Misericordia et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius ». Unde Augustinus [7]: « Attendant qui amant in Domino mansuetudinem, et timeant veritatem; etenim *dulcis et rectus Dominus.* Amas, quod dulcis est? Time, quod rectus est. Tanquam mansuetus dicit: *Tacui;* sed tanquam rectus dicit: *Ut parturiens loquar* », Isaiae quadragesimo secundo. Ideo subdit: *Amplius noli peccare.*

Quaestiones.

13. Quaest. I. Sed incidit hic dubitatio: cum quaestio ista faciliter esset determinata ex Lege, et qui tentat debeat dubia quaerere; unde est hoc, quod talem quaestionem Pharisaei dolosi Domino proposuerunt?

Respondent quidam, quod videtur totum industria humana factum; unde dixerunt, quod hoc fuit immixtum Evangelio Ioannis, sicut historia Susannae Danieli [8]. In cuius rei testimonium adduxerunt, quod Chrysostomus de hoc nullam mentionem facit; unde saltat ad illud [9]: *Iterum locutus est Iesus* etc. — Sed Augustinus [10] et expositores nostri exponunt de serie Evangelii. — Quod vero Chrysostomus nihil dicit, causam nescio. Quidam dicunt, quod in antiquis libris Graecis non inveniebatur, quia Ioannes addidit Evangelio completo [11]. Resp. 1. Non probatur.

Propterea dicendum est, quod Pharisaei invidebant Domino de hoc, quod laudabatur de mansuetudine et iustitia simul, secundum illud Psalmi [12]: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam.* Ideo quaestionem proponunt, in qua necesse haberet declinare in rigorem iustitiae contra mansuetudinem, ut haberetur immitis, vel contradicere iustitiae Legis. Et quasi insolubile confecerant [13], ut, utralibet parte Resp. 2.

---

[1] Vers. 5.

[2] Vers. 14. — Seq. locus est Ps. 50, 6. — Inferius post *vel quia solus* ed. supplet *peccato mulieris.*

[3] In Ioan. Evang. tr. 33. n. 5: *Unus post unum omnes recesserunt.* Relicti sunt duo: *misera* etc. (ita ed. Maurina). — De seq. propositione cfr. supra pag. 306, nota 2.

[4] Vulgata *Dixit ei.*

[5] Vers. 1. (Cfr. Luc. 6, 37.). — Subinde allegatur Rom. 8, 33. seq. — Auctoritate C E N supplevimus *Non est hominis* [B *Non est bonum,* A H I K L M *Non est*] *condemnare.*

[6] Vulgata *et iam amplius.* — Sequitur Eccli. 5, 7, ubi [B *Non est bonum,* codd.: Misericordia ab illo cito proximat etc.

[7] In Ioan. Evang. tr. 33. n. 7. Allegantur Ps. 24, 8. et Isai. 42, 14, ubi August. ita legit: sed tanquam iustus: *Nunquid semper tacebo?* [secundum Septuaginta] *Misericors et miserator Dominus* [Ps. 85, 15.].

[8] Cap. 13. — Hieron. pluribus in locis (II. Apolog. adversus libros Rufini, n. 33. et Prolog. Comment. in Daniel.) dicit, historiam Susannae non contineri in volumine Hebraico.

[9] Vers. 12. Vide Chrysost., in Ioan. homil. 52. (alias 51.) n. 2. Ex homil. 60. (alias 59.) n. 5. nonnulli coniiciunt, hanc historiam eum laudasse, ubi dicit: Certe Dominus tuus non iustos modo alloquebatur... sed et Chananaeam... excepit... *aliambue meretricem,* quod Iudaei exprobrarunt, excepit et curavit, passusque est, ut impurae mulieris lacrymis pedes sui rigarentur, ut nos doceret humane peccatores excipere.

[10] In Ioan. Evang. tr. 33. n. 4. seqq. Cfr. Epist. 153. (alias 54.) c. 4. n. 9.

[11] Euseb., III. Histor. eccles. 39, recenset libros Papiae et in fine ait: Aliam quoque exponit historiam de muliere, quae multorum criminum coram Domino accusata est. Quae quidem historia *in Evangelio secundum Hebraeos* scripta habetur. — Licet in variis recentioribus editionibus textus Graeci Evangelii Ioannis a protestantibus publicatis historia haec omissa sit, ipsa tamen iure a catholicis ut genuina vindicatur. Invenitur enim in omnibus antiquis versionibus et manuscriptis, exceptis dumtaxat codicibus Graecis, qui serviebant pro publica lectione in Ecclesia; quae omissio facile explicari potest. Inde etiam patet ratio, quare Chrysostomus historiam illam non exposuerit. Cfr. Hieron., II. Dialog. adversus Pelagian. n. 17: In Evangelio secundum Ioannem in multis et Graecis et Latinis codicibus invenitur de adultera muliere, quae accusata est apud Dominum. August., II. de Coniugiis adulter. c. 7. n. 6: Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicae fidei, vel potius inimici verae fidei, credo, metuentes, peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis etc. — Superius non pauci codd. omittunt *Graecis.*

[12] Psalm. 44, 5.

[13] Ed. supplet *argumentum.* Subinde pro *utralibet* maior pars codd. *utraque;* deinde substituimus pro *obiectionem* auctoritate A F H I L *orationem;* quae lectio correspondet Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.): Hi omnes non ad orationem [οὐ πρὸς τὸν λόγον; ed. Firmin-Didot: ad argumentationem], sed ad hominem solvunt. Cfr. tom. I. pag. 131, nota 6.

data, suum obtinerent propositum; sed Dominus sapienter respondit ad hominem, non ad orationem.

14. Quaest. II. Item quaeritur de hoc, quod Dominus in prolatione suae sententiae scribebat in terra.

1. Videbatur enim factum puerile, quia non erat manens [1], nec aliquis poterat legere.

2. Item, quare *digito* scribebat?

3. Item, *quid* scribebat?

Respondeo: « *Moralis* ratio, quare *scribebat* Resp. ante sententiam et post *in terra*, ut doceat nos, Ratio 1. sicut dicit Beda [2], ut, « priusquam peccantem proximum corripiamus, et postquam castigationis ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne forte aut eisdem, quae reprehendimus, aut aliis simus peccatis irretiti ». — Ratio 2. Alia ratio, ut ostendat, quod sententia cum maturitate est proferenda et primo scribenda, et verba li- Ratio 3. mitanda secundum ordinem iuris [3]. — Tertia ratio, ut ostendat, quod invitus condemnat, et sententiam damnationis invitus et cum dolore debet homo pro- Ratio 4. ferre [4]. — Quarta ratio, ut locum desistendi daret a causa malitiosa; et hoc quidem spectat ad iudices [5].

3. Quod quaeritur: *quid* scribebat? Respondet Ad 3. Augustinus [6], quod illud scripsit, quod protulit; Ambrosius [7] vero dicit, quod scripsit: *Terra, terra, scribe viros abdicatos*, et tractum est de Ieremiae vigesimo secundo. Interlinearis [8] dicit, quod scribebat « peccata eorum ». Alii dicunt, quod scribebat litteras, in quibus quilibet posset legere peccata sua [9].

2. Quod quaeritur: quare scripsit *digito*? Ratio Ad 2. est *litteralis*, quia credo, quod non habebat alium calamum. Ratio etiam est *moralis* et *allegorica*: *moralis*, quia per *digitum* intelligitur discretio; voluit, quemquam se discrete examinare [10]; *allegorica*, ut significaret, quod ille erat, qui digito scripserat Legem, Exodi trigesimo primo [11].

15. Quaest. III. Item quaeritur de responsione Domini: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.*

Ex hac responsione videtur, quod nullus possit Obiicitur. aliquem accusare, quia *nullus mundus a sorde* [12], et nullus sine peccato; et si hoc, remanebunt scelera impunita. — *Si dicas*, quod Dominus intellexit de peccato *mortali;* tunc *obiicitur:* quia praeceptum est corripere fratrem et accusare [13]: ergo si nullus peccat faciendo ad quod tenetur, ergo si peccator tenetur accusare, quia non absolvitur propter culpam: ergo non peccat accusando. — *Si dicas*, quod peccat non in hoc, quod facit, sed in hoc, quod non *digne* facit; *obiicitur:* quia hoc non est opus privilegiatum [14].

Respondeo: Dicendum, quod peccator existens Resp. in mortali, qui alterum accusat, aut est peccator *notorius* eodem genere peccati; et tunc scandalizat, quantum in se est, et peccat peccato duplici, scilicet *scandali* et *contemptus*. Peccator autem *occultus*, De occulto. sive in eodem genere peccati, sive in alio; si scit, se habere peccatum, et considerat peccatum fraternum et iudicat et se ipsum negligit, peccat peccato *contemptus*, non in hoc, quod accusat, sed in hoc, quod De notorio peccatore.

---

[1] Ed. *scriptura manens*.

[2] In Ioan. 8, 9: Sed figurate nos admonet, quod et ante datam et post datam sententiam inclinans scripsit in terra, ut et priusquam peccantem etc.

[3] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Ioan. 8, 6: Docet tamen, antequam iudicium fiat, nos debere inclinare, id est condescendere in iudicio, aut faciendo uti discretione.

[4] Vide Bedam, in Ioan. 8, 6, ubi docet, Christum non statim tulisse iudicium, sed tunc tantum, « cum enixe rogatur ».

[5] Cfr. August., Serm. 13. (alias 94. de Tempore) c. 4. n. 4. seqq.

[6] Loc. in praeced. nota allegato c. 4. n. 4. seq.: « *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat.* Quando autem haec audivit [alias: audiunt], *digito scribebat in terra*, ut erudiret terram » etc. In Ioan. Evang. tr. 33. n. 5: « Quid ergo respondit?... *Qui sine peccato est vestrum*, inquit, *prior in illam lapidem mittat*... Nunc iam Dominus *in terra scribebat*, quia fructum quaerebat ». Card. Hugo, in Ioan. 8, 6: Quidam dicunt, et credo sicut Augustinus, quod scribebat id quod erat responsurus: *Qui sine peccato est vestrum* etc.

[7] Epist. 25. ad Studium, n. 4. Allegatur Ier. 22, 29. seq. ex translatione septuaginta interpretum; Vulgata: Terra, terra... scribe virum istum sterilem (cfr. supra n. 9.). — Retinuimus cum ed. et card. Hug. *Ambrosius*, pro quo multi codd. perperam *Chrysostomus*, E N *Hieronymus*, quem etiam Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 98. affert: Quid scribebat? Quidam dicunt id quod eis respondit. Hieronymus in quadam epistola ad Studiosum videtur eum velle scripsisse: *Terra, terra, scribe hos viros abdicatos;* vel: Terra terram accusat, in epistola ad Irenaeum [Ambros., Epist. 26. ad Irenaeum, n. 13: Hoc autem dixit et scribebat in terra. Quid? Utique dicens (Matth. 7, 3.): *Festucam, quae in oculo est fratris tui, vides; trabem autem, quaein oculo tuo est, non vides*].

[8] Hieron., II. Dialog. adversus Pelagian. n. 17: *At Iesus inclinans, digito scribebat in terra*, eorum videlicet, qui accusabant, et omnium peccata mortalium, secundum quod scriptum est in Propheta [Ier. 17, 13.]: *Relinquentes autem te in terra scribentur.*

[9] Cfr. card. Hugo, in Ioan. 8, 6. Glossa *ordinaria* in eundem locum ait: Quid scriberet in terra, sive verba eorum, sive quid aliud, non est definitum etc.

[10] Beda, in Ioan. 8, 6: « Per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, et subtilitas discretionis exprimitur ». Deinde adiungit, Christum per exemplum suum hic docuisse, quod proximum « nec ante reprehendendo iudicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reversi digito eam discretionis solerter exsculpamus, et quid in ea Creatori placeat, quidve displiceat, sedula examinatione dirimamus » etc.

[11] Vers. 18. — Ambros., Epist. 26. n. 14: *Scribebat* autem *in terra digito*, quo Legem scripserat. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 33. n. 5. et IV. de Consensu Evangelist. c. 10. n. 17.

[12] Iob 14, 4. secundum septuaginta interpretes; cfr. infra 9, 11. quaest. II.

[13] Matth. 18, 15. seqq. — August., Epist. 82. (alias 19.) n. 7: Quisquis enim hoc facit, quod facere debet, recte utique facit; et ideo falsum de illo dicit qui dicit, eum non recte fecisse, quod eum novit facere debuisse.

[14] Id est opus cuiusdam excellentiae et dignitatis v. g. martyrium etc. Cfr. II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1.

cum se deberet purgare et discutere, negligit et contemnit. Unde ita intelligendum est verbum Domini; et sic patet responsio ad illud [1].

16. Quaest. IV. Item quaeritur de absolutione mulieris.

1. Videtur, quod Dominus directe fecerit contra Legem: quia quam Lex damnabat [2] ipse absolvit, et adhuc tempus Legis et observantia durabat.

2. Item videtur, quod iniuste fecerit: quia nullam poenam imposuit, videtur, quod licentiam peccandi dederit [3].

Respondeo: Dominus non fecit *contra Legem*,
Resp. quia ipse erat *supra Legem* et poterat dispensare in praecepto Legis. Nec tamen *fecit contra*, quia accusatores non perstiterunt in accusando, et sola erat mulier et sine accusatore, et talem Lex non damna-
Notandum. bat. Unde prius repulit adversarios *lingua iustitiae*, et postmodum, quando sibi relicta est, levat *oculos misericordiae* [4]. Nec tamen eam condemnasset, si adversarii perstitissent, ut dicit Augustinus [5]: « Absit, ut ille damnaret, qui venit salvare ».

2. Ad aliud dicendum, quod Dominus erat, et
Ad 2. ideo totum poterat condonare; nec tamen condonando favit peccatis, quia prohibuit, ut amplius non peccaret; et hoc, quia, sicut dicit Augustinus [6], « damnavit Deus non hominem, sed peccatum ».

17. *Iterum ergo locutus est eis Iesus* [7]: *Ego sum lux mundi.* Confutata Iudaeorum perversitate, in hac secunda parte manifestat Dominus suae *doctrinae dignitatem et nobilitatem.* Nobilitas autem doctrinae suae consistit in hoc, quod liberat a *caecitate erroris*, a *servitute peccati*, a *damnatione mortis.* Primo ergo ostenditur, quomodo liberat a *caecitate erroris* et infidelitatis. Secundo, quomodo liberat a *servitute peccati*, ibi [8]: *Dixit ergo eis iterum Iesus* etc. Tertio, quomodo liberat a *damnatione mortis*, ibi: *Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum.* Secundo, doctrinae nobilitas ostenditur triplici-ter.

Primo igitur commendat suam doctrinam in hoc, quod liberat *a tenebrositate erroris*, et hoc quidem facit per hunc modum: primo insinuatur *doctrinae commendatio;* secundo, propter Iudaeorum reprehensionem *commendationis approbatio;* tertio, *manifestatio Iudaicae ignorantiae;* quarto vero, *evasio perfidiae.* Primo, quia liberat a caecitate erroris, de quo quatuor.

18. (Vers. 12.). Insinuatur igitur primo *doctrinae commendatio* in hoc, quod Dominus se comitantes et doctrinae suae adhaerentes dicit a tenebris liberari; propter quod dicit: *Iterum ergo locutus est eis Iesus;* quia eorum confutaverat perversitatem, rursus resumsit sermonem, ut doctrinae ostendat nobilitatem [9]. Expositio litteralis. Primum.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 19. dub. 4.

[2] Vide supra v. 5.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 33. n. 6: Quid est, Domine? Faves ergo peccatis?

[4] August., in Ioan. Evang. tr. 33. n. 6: Ille autem, qui adversarios eius repulerat lingua iustitiae, levans in eam oculos mansuetudinis, interrogavit eam: *Nemo te condemnavit?* Respondit illa: *Domine, nemo.* Et ille: *Nec ego te condemnabo.*

[5] Loc. in praeced. nota allegato, n. 5: Absit autem, ut diceret: lapidetur; venit enim non perdere quod invenerat, sed *quaerere quod perierat* [Luc. 19, 10.]

[6] Loc. cit. n. 6: *Vade, dëinceps iam noli peccare.* Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem. Nam si peccatorum fautor esset, diceret: Nec ego te damnabo; vade, vive, ut vis etc. Cfr. supra pag. 355, nota 7. — Divisionis, quae sequitur, membrum 1. vide c. 7. n. 27.

[7] Vulgata addit *dicens.*

[8] Vers. 21; v. 51. est seq. locus, ubi pro *gustabit* Vulgata *videbit.*

[9] Secundum Chrysost., (loc. cit.) qui non ponit historiam de adultera, sic continuatur ad finem praecedentis capituli, ubi dicebant Pharisaei, *quia ex Galilaea Propheta non surgit:* « Quid ergo Christus? Quia Galilaeam et Prophetam semper in ore versabant, omnes ab aliena opinione removens et ostendens, se non esse unum ex Prophetis, sed mundi Dominum, ait: *Ego sum lux mundi* ». Glossa *ordinaria* in Ioan. 8, 12: Repulsis tentatoribus, sanata culpa mulieris, apertius subdit, quid possit ex Divinitate, ne ambigant de eo homine, an possit peccata dimittere.

Sola ed. habet: Nota autem pro declaratione huius textus, quod

loquitur nobis Dominus

- per imaginationem nocturnam, Num. 12, 6: « Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum ».
- per inspirationem occultam, de qua in Psalmo (84, 9.) David: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus »; et Osee 2, 14: « Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius ».
- per miracula, Exod. 20, 18. 22: « Cunctus populus videbat voces et lampades », id est fulgura lucentia instar lampadarum, et post: « Vos vidistis, quod de caelo locutus sim vobis ».
- per documenta sive praecepta, Exod. 20, 1: « Locutus est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus » etc.
- per Scripturas, Ier. 36, 2: « Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversum Israel et Iudam » etc.
- per creaturas, Prov. 1, 20: « Sapientia foris praedicat »; quia in omnibus creaturis docet, etiam in formica; Prov. 6, 6: « Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius et disce sapientiam ».
- per creaturam insensibilem, sicut in columna, Exod. 33, 9: « Ingresso Moyse tabernaculum foederis, descendebat columna nubis loquebaturque cum Moyse » etc.
- per creaturam spiritualem, sicut per Angelum, Zach. 1, 13: « Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria ».
- per Spiritum sanctum, Matth. 10, 20: « Vos non estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ».
- per Filium suum unigenitum, Hebr. 1, 1: « Multifarie multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula ».

Commendat igitur doctrinam suam, *dicens: Ego sum lux mundi,* id est hominum existentium in mundo; supra primo [1]: « Illuminat omnem hominem » etc. *Ego sum lux mundi,* per *instructionem;* Ecclesiastici vigesimo quarto: « Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus ». *Qui sequitur me,* per *intellectus captivitatem;* secundae ad Corinthios decimo [2]: « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi »; talis sequitur; infra duodecimo: « Qui mihi ministrat me sequatur ». *Non ambulat in tenebris,* per *erroris excaecationem;* ad Ephesios quarto [3]: « Non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui »; infra duodecimo: « Ambulate, dum lucem habetis, ut tenebrae vos non comprehendant ». *Sed habebit lumen vitae,* per divinae *claritatis visionem; sed habebit,* quia in *futuro* erit lux vitae, quae non poterit exstingui; sed *modo* potest; unde in Psalmo [4]: « Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen ». Vel ideo dicit *habebit,* quia nunc ambulamus per fidem, sed tunc habebimus per speciei comprehensionem [5]; in praesenti vero non comprehenditur, nisi carne obumbretur. Unde Bernardus [6]: « Splendorem illius aeternae lucis nullus ferre posset aspectus, nisi obumbraretur levi nubecula carnis »; ideo, ait, esse dictum Lucae primo: « Virtus Altissimi obumbrabit tibi ».

19. (Vers. 13.). *Dixerunt ergo ei Pharisaei.* Secundum. Tangitur hic secundum, scilicet *commendationis approbatio* propter Iudaeorum reprehensionem. Reprehendebant enim eum, quia se ipsum commendabat. Propterea dicunt: *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum,* id est, non tanquam verum est acceptandum; quia dicitur Proverbiorum vigesimo septimo [7]: « Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, non labia tua ». Ad hanc reprehensionem subdit Dominus suam responsionem; ideo ait:

20. (Vers. 14.). *Respondit Iesus et dixit eis,* Testimonium eius est certum. et defendit testimonium suum tanquam verum, quia *certum,* quia *legitimum;* propterea dicit: *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum,* quia sum Deus; Numerorum vigesimo tertio [8]: « Non est Deus quasi homo, ut mentiatur ». Ideo verum et acceptabile est, quia certum; unde dicit: *Quia scio, unde venio* [9] *et quo vado;* Proverbiorum duodecimo: « Qui quod novit loquitur iudex iustitiae est, qui autem mentitur testis est fraudulentus »; infra decimo tertio: « Sciens, quia a Deo exivit et ad Deum vadit ». Sed vos male arguitis; unde subdit: *Vos autem nescitis, unde venio, aut quo vado;* Psalmus [10]: « Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant ». Et quod nesciant illud, monstrat; unde dicit:

21. (Vers. 15.). *Vos secundum carnem iudicatis;* primae ad Corinthios tertio [11]: « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis »? sive iudicatis, quia ipsum purum hominem esse credebant et gloriam suam ut homo quaerere; et ideo eius testimonium arguebant. *Ego autem* [12] *non iudico quemquam,* in praesenti scilicet; supra tertio: « Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum ». *Non iudico,* condemnando, sicut vos me modo condemnatis; et hoc non, quia non possim vel nesciam, immo scio et possum; propterea dicit:

22. (Vers. 16.). *Et si iudico ego, iudicium meum verum est,* non carnale, non incertum neque secundum faciem; Isaiae undecimo [13]: « Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet »; et ideo in iudicio errare non possum: *Quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater.* Unde quia in iudicando ab ipso non discedo, ideo non erro; supra quinto [14]: « Non possum a me ipso facere quidquam, sed sicut audio, iudico, et iudicium meum iustum est ». — Non tantum testimonium meum est *certum,* sed etiam *legitimum,* quia secundum Legem erat sufficiens; unde dicit: Item, est legitimum.

23. (Vers. 17.). *Et in Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est,* id est acceptabile; Deuteronomii decimo nono [15]: « In ore duorum vel trium testium stat omne verbum ».

24. (Vers. 18.). *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater,* ideo testimonium meum non est repudiandum; primae Ioannis quinto [16]: « Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus ».

25. (Vers. 19.). *Dicebant ergo ei.* Tangitur hic Tertium. tertium, scilicet *manifestatio Iudaicae ignorantiae:*

---

[1] Vers. 9. — Sequitur Eccli. 24, 44.

[2] Vers. 5. — Subinde allegatur Ioan. 12, 26. — Superius pro *captivitatem* plures codd. *captivationem.* Inferius post *talis sequitur* ed. addit *me.*

[3] Vers. 17. — Seq. locus est Ioan. 12, 35.

[4] Psalm. 35, 10. — Superius e codd. supplevimus *Sed habebit lumen vitae, per divinae claritatis visionem.*

[5] Cfr. I. Cor. 13, 12. et II. Cor. 5, 7: Per fidem enim ambulamus et non per speciem. Vide August., in Ioan. Evang. tr. 34. n. 7.

[6] Serm. in Cantic. serm. 20. n. 7; serm. 31. n. 9. et serm. 48. n. 6. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 34. n. 4; vide etiam III. Sent. d. 3. p. I. dub. 2. — Inferius allegatur Luc. 1, 35.

[7] Vers. 2. — Ed. praemittit: *Supra quinto* [v. 31.]: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.*

[8] Vers. 19.

[9] Vulgata secundum textum Graecum *veni.* — Duo seqq. loci sunt Prov. 12, 17. et Ioan. 13, 3.

[10] Psalm. 81, 5. [11] Vers. 3.

[12] Vulgata omittit *autem.* — Sequitur Ioan. 3, 17. — Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 52. (alias 51.) n. 2: Et si iniuste iudicamus, inquiunt, cur non redarguis? cur non castigas? cur non condemnas? Quia non ad hoc veni, inquit etc. Vide August., in Ioan. Evang. tr. 36. n. 4.

[13] Vers. 3.

[14] Vers. 30.

[15] Vers. 15. [16] Vers. 7.

primo in *sua interrogatione*. Quia enim non intelligebant quod dicebat, quod Pater testificaretur de ipso Christo; ideo quaerunt: *Ubi est Pater tuus?* Non quaerunt, *quis* sit, sed *ubi* sit; et inordinate requirunt, quia ubique est; Ieremiae vigesimo tertio [1]: « Caelum et terram ego impleo »; ideo magis merentur reprehensionem quam satisfactionem; et ideo subditur: *Respondit eis Iesus.* Manifestatur eorum ignorantia in *Christi responsione*, qua eos reprehendit et ostendit, quod stulte requirunt de Patre, quia, ipsum ignorando Filium, Patrem nosse non possunt. Propterea dicit: *Neque me scitis neque Patrem meum scitis* [2]. Et ratio huius est, quia ego sum via cognoscendi Patrem; unde dicit: *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis;* quia Matthaei undecimo: « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare »; unde primae Ioannis secundo: « Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet; qui autem confitetur Filium et Patrem habet ».

26. (Vers. 20.). *Haec verba locutus est Iesus.* Quartum. Tangitur hic mirabilis *evasio Iudaicae perfidiae*, quia sic eos reprehendit et erat inter manus eorum, et eum non ceperunt; ideo dicit: *Haec verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo;* quia gazophylacium erat in dextera parte templi; *et nemo apprehendit eum*, et hoc divino miraculo, non humano consilio; *quia nondum* [3] *venerat hora eius;* illud verbum saepe repetit Evangelista, ut ostendat Christum propria voluntate captum et passum, ut dicitur infra decimo [4].

De triplici loco oblationum. Primus. Notandum est, quod *gazophylacium* dicebatur locus, ubi fiebant oblationes; et triplex erat locus ad hoc deputatus: unus dicebatur *gazophylacium*, ubi inferebantur oblationes ad sarta tecta templi; et dicitur *gazophylacium* a *gaza*, quod est divitiae, et a *phylaxe*, quod est *servare*. De hoc Lucae vigesimo primo [5]: « Respiciens Iesus vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium ». — Alius Secundus. locus sive repositorium dicebatur *corban* vel *corbona*, quod erat deputatum ad oblationes, quae contingebant sacerdotes; de quo Matthaei vigesimo septimo [6]: « Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est ». — Tertium repositorium di- Tertius. cebatur *musach*, ubi reponebantur tributa regum; quarti Regum decimo sexto: « Musach Sabbati ». — Vel aliter: *musach* ad oblationes solemnitatum, *corban* ad oblationes votivas, *gazophylacium* ad oblationes spontaneas.

Quaestiones.

27. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod Dominus dicit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est.*

Contra: Proverbiorum vigesimo septimo [7]: *Laudet te alienus, non os tuum; extraneus, non labia tua.* — Item, nullius testimonium recipitur pro se ipso, et Dominus dixit supra quinto [8]: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum;* ergo contradicit sibi.

Item quaeritur de hoc, quod Dominus nititur Quaest. incidens. testimonium suum approbare per Legem [9]: *quia duorum testimonium verum est.*

Sed 1. hoc argumentum videtur nihil valere, quia in Lege, quando aliquis testatur de se, et alius de eo, non reputantur nisi pro uno testimonio: ergo Filius secundum hoc non habebat nisi unicum testimonium.

---

[1] Vers. 24. — Inferius post *Respondit* Vulgata omittit *eis*, et subinde post *manifestatur* codd. omittunt *eorum*, pro quo Gorranus *Iudaeorum*.

[2] Vulgata non repetit *scitis*. — Duo seqq. loci sunt Matth. 11, 27. et I. Ioan. 2, 23.

[3] Vulgata *necdum*. Cfr. II. Sent. d. 14. p. II. a. 2. q. 3. ad 3. — Quod *gazophylacium* erat in dextera parte templi, insinuatur IV. Reg. 12, 9. Rupert. abbas Tuitiens., in Ioan. 8, 20, monet, Iesum haec locutum fuisse, et Pharisaeos eum occidere voluisse in gazophylacio, « videlicet celebri et pene solis principibus ac Pharisaeis accessibili loco. Nec enim vulgo, nisi singulis adventantibus et aera mittentibus, gazophylacium frequentabatur, principibus ac Pharisaeis circa lucra maxima laeto spectaculo considentibus ».

[4] Vers. 17. 18, quos ed., refragantibus codd., addit: Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollet eam a me, sed ego pono a me ipso et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.

[5] Vers. 1. — Raban., XV. Comment. in Ezech. 40, 17. seqq. (Migne, Patrol. Lat. tom. 110. col. 922.): « Quia sermone Graeco phylaxe *servare* dicitur, et gazae lingua Persica *divitiae* [cfr. Act. 8, 27.] vocantur, gazophylacium locus appellari solet, quo divitiae servantur ». Eodem modo explicat Glossa *ordinaria* in Ioan. 8, 20. et Beda, in Marc. 12, 41, qui tamen pro *phylaxe* substituit φυλάττειν. Cfr. IV. Reg. 12, 1. seqq., ubi Ioas pecuniam ex gazophylacio ad sarta tecta templi restauranda impendit.

[6] Vers. 6. — Seq. locus est IV. Reg. 16, 18, in quem locum Rabanus: Legi in cuiusdam libro, *musach Sabbati* expositum locum quendam vel aedificium quoddam esse positum in vestibulo templi Domini, ubi reges, quando in Sabbato orationis causa ad templum ibant, pecuniam pro eleemosyna immittebant, et ita *musach Sabbati* gazophylacium esse regum, sicut *corbonam* est sacerdotum. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, lib. IV. Reg. c. 25. et in Evang. c. 121, ubi etiam seq. explicatio datur: Tamen quidam aliter distinguunt, quia quandoque legitur *musach Sabbati*, et dicunt, in illa arca tantum reponi oblationes solemnium dierum; et quia corbam *votum* sonat [cfr. Marc. 7, 11: *Corban, quod est donum* etc., ubi Glossa *interlinearis:* Quod Deo vovi], dicunt, in corbonam reponi votiva; in gazophylacio aliorum dierum munera et spontanea.

[7] Vers. 2.

[8] Vers. 31. — Iustinian., XXII. Dig. de Testib. (tit. 5.) leg. *Nullus* idoneus testis in re sua intelligitur (10.). Idem dicitur III. Cod. Ne quis in sua causa (tit. 5.) lege unica: *Generali.* et IV. Cod. de Testib. (tit. 20.) leg. *Omnibus* (9.).

[9] Cfr. supra v. 17, ubi allegatur Deut. 19, 15, in quo etiam dicitur: Non stabit testis *unus* contra aliquem... sed in ore duorum etc. Chrysost., in Ioan. homil. 52. (alias 54.) n. 3: Apud homines enim, cum duo de re *aliena* testimonium ferunt, tunc testimonium verum habetur; hoc est enim duos testimonium ferre; si quis vero *de se* testimonium ferat, non iam duo testes sunt.

2. Item Pater eius erat persona coniunctissima; et talis persona secundum iura [1] ad testimonium non admittitur.

3. Item, infra decimo [2]: *Ego et Pater unum sumus*, ergo unum erant: non ergo duo testes; aut si duo testes, non unum sunt Pater et Filius.

Respondeo: Dicendum, quod ipse Filius Dei est
Resp. lux, sed omnis creatura est tenebra et potest, quantum est de se, obscurari. Quia ergo lucis est manifestare se et alia, ideo lux ipsa potest de se testimonium perhibere; sed creatura, quia tenebra est, alio manifestante indiget [3]. Item, quia lux est, non potest obscurari nec obliquari, ideo simul *iudicare* et *testificari* potest, simul etiam *laudare* et *laudari*. Quia vero creatura potest obliquari, non potest nec debet ista duo simul obtinere [4].

Illud igitur Proverbiorum dicitur ad homines
Ad obiecta. fragiles et pronos ad vanam laudem. — Illud quod dictum est supra quinto, intelligitur de Christo secundum humanam naturam [5].

Ad illud vero, quod obiicitur de testimonio se-
Resp. ad quaest. incid. cundum iura, similiter respondendum: quia nullus potest testificari pro se; sed si ita esset, quod aliquis pro se posset testificari, tunc sufficeret unum aliud [6] testimonium. Sed Christus poterat de se testimonium perhibere; et hoc supposito, suum argumentum bonum est.

2. Similiter de persona coniuncta: quia decli-
Ad 2. nare potest ad falsitatem, non recipitur testimonium; sed Pater caelestis, qui *verax est* [7], declinare non potest.

3. Quod autem obiicitur, quod Pater et Filius
Ad 3. unum sunt; dicendum, quod sunt unum in essentia et distinguuntur in personis. Quia ergo in veris testibus est distinctio personarum et concordia testimonii; et hoc ibi reperitur: ideo authenticum valde est testimonium.

28. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Neque me scitis* etc.; quia supra septimo [8]: *Et me scitis, et unde sim scitis.*

Et responsum est [9], quod illud dictum est secun-
Resp. dum *humanitatem;* hoc autem dictum est secundum *Divinitatem;* quia *qui videt Filium videt et Patrem.*

29. Quaest. III. Sed de hoc quaeritur: *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis;* quia si in Deo nulla cadit opinio, ergo nec dubitatio; quid est ergo hoc quod dicit *forsitan?*

Respondeo: Dicendum, quod hoc adverbio *for-* Resp.
sitan « arguitur hic infidelitas, non opinatur Divinitas [10] »; insinuatur etiam nobis humani arbitrii libertas.

30. *Dixit ergo iterum eis Iesus.* Ostensum est Secundo, quia liberat a peccato, de quo duo.
supra, quod doctrina Christi liberat a caecitate erroris, hic ostenditur et commendatur quod liberat *a servitute peccati.* Et dividitur haec pars: quia primo ostenditur, quod sine cognitione Christi *servitus perpetuatur;* secundo, quod per doctrinam et sermonem Christi homo *a servitute liberatur*, ibi [11]: *Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt.*

Primum ergo ostenditur hoc ordine: primo po- De perpetuitate servitutis quatuor.
nitur perpetuandae *servitutis comminatio;* secundo, propter Iudaeorum dubitationem *comminationis expositio;* tertio, *explicatio credibilium;* quarto, *multiplicatio credentium.*

(Vers. 21.). Primo ergo ponitur perpetuandae Expositio literalis. Primum.
servitutis comminatio; et haec est, quando homo moritur in peccato; et comminatur eis finalem impoenitentiam. Propterea dicit:

31. *Dixit ergo eis iterum Iesus: Ego vado,* scilicet ad Patrem per passionem; *et quaeretis me,* ad persequendum scilicet; *et in peccato vestro moriemini,* et ego eripiar de manibus vestris. Et ratio subditur: *Quo ego vado, vos non potestis venire,* quia non poterant in gloriam introire. Unde comminatus est eis mortem culpae et amissionem gloriae. Hoc dixit Dominus Iudaeis; simile dixit discipulis: « Quo ego vado, vos non potestis venire », infra decimo tertio [12]. Sed Iudaeis dixit *comminando*, discipulis praedixit *differendo;* unde post dixit Petro: « Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea ».

32. (Vers. 22.). *Dixerunt* [13] *ergo Iudaei.* Tan- Secundum.
gitur hic secundum, scilicet propter dubitationem Iudaeorum *comminationis expositio.* Dubitabant enim de illo quod dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire;* propterea dicunt: *Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit: Quo ego vado, vos non potestis venire?* Augustinus [14]: « Stulta verba, omnino insipientiae plena. Si enim semetipsum interficeret, nonne ipsi similiter possent? Si de morte locutus est,

---

[1] Iustinian., XXII. Dig. de Testib. (tit. 5.) leg. *Testis* idoneus pater filio, aut filius patri non est (9.). Ibid. leg. *Lege Iulia* (4.) decernitur, quod agnatus pro agnato, et cognatus pro cognato non sit admittendus ad testificandum. Cfr. IV. Cod. de Testib. (tit. 20.) leg. *Parentes* (5.). [2] Vers. 30.

[3] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 6.

[4] Vide August., in Ioan. Evang. tr. 22. n. 10.

[5] Ed. addit *in sensu ibi exposito.*

[6] Pro *aliud* B *ad*, ed. *absque alio*, Gorranus legit *unus ad.*

[7] Ut dicitur infra v. 26; cfr. infra n. 43.

[8] Vers. 28.

[9] Loc. cit.; cfr. ibid. n. 43-46. — Inferius allegatur Ioan. 14, 9: Qui videt me videt et Patrem.

[10] Ut dicit August., in Ioan. Evang. tr. 37. n. 3. Cfr. supra pag. 317, nota 11, ubi insinuatur etiam seq. explicatio.

[11] Vers. 31. — Superius voci *servitus* ed. praefigit *peccati.*

[12] Vers. 33; ibid. v. 36. est seq. locus. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 50. (alias 49.) n. 3; homil. 72. (alias 71.) n. 3. et homil. 73. (alias 72.) n. 1.

[13] Vulgata *Dicebant.*

[14] In Ioan. Evang. tr. 38. n. 3: Stulta verba et omnino insipientiae plena. Quid enim non poterant illo venire, quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum? Nunquid ipsi non erant morituri?... Si de morte hominis diceret, quis homo non moritur?

nonne omnes morituri erant »? Ob hanc dubitationem ponit Dominus suae comminationis explanationem; et duo dixerat, ideo duo explanat: primo illud quod dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Quia enim hoc dixerat de eundo ad Patrem per gloriam, ad quam non possent conscendere peccatores; ideo dicit:

33. (Vers. 23.). *Et dicebat eis: Vos de deorsum estis;* supra tertio [1]: « Qui de terra est de terra loquitur »; *ego autem de supernis sum,* et ideo ego sursum vado; et propterea *quo ego vado, vos non potestis venire;* quia, sicut dicitur supra tertio, « nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo »; ideo vos descenditis, ego autem ascendo. Rursus: *Vos estis de hoc mundo,* quia huic mundo adhaeretis per amorem; *ego autem* [2] *non sum de hoc mundo,* ideo ego relinquo vos in mundo, et « quo vado, vos non potestis venire »; infra decimo sexto: « Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». Sic explanat quod dixerat: *Quo ego vado;* hoc intelligendum est per virtutem, non per infirmitatem. Exponit etiam quod dixit [3]: *In peccato vestro moriemini;* unde istud replicat, ut explicet:

34. (Vers. 24.). *Dixi ergo vobis, quod* [4] *moriemini in peccatis vestris,* et explano, quomodo intelligo. *Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Si autem credideritis, non moriemini, *ab oppositis* est intelligendum; unde Augustinus [5]: « Reddita est spes desperantibus, excitatio facta est dormientibus »; supra tertio: « Qui incredulus est Filio non habet vitam, sed ira Dei manet super eum; qui autem credit in Filium Dei habet vitam aeternam ». Hoc promiserat.

35. (Vers. 25.). *Dicebant ergo* etc. Tangitur hic
Tertium. tertium, scilicet *explicatio credibilium.* Quia enim comminationem suam exposuerat, quod sine fide eius nullus poterat liberari a morte, dicens, quod in peccato essent morituri, nisi crederent, *quia ego sum* — hoc quidem implicite dixerat — ideo [6] quaerunt Iudaei explicari et in fide doceri. Propterea *dicebant ei: Tu quis es?* ex quo salvari non possumus, nisi in te credamus. Similiter quaerebant a Ioanne supra primo [7]: « Tu quis es »? Et sequitur responsio Christi, qua instruit Iudaeos, credere in se primo quae respiciunt creaturam per ipsum factam; secundo, quae respiciunt Patris personam, ibi [8]: *Et non cognoverunt.* — Primo namque est *creator;* propter quod ait: *Dixit eis Iesus: Principium,* id est, ego sum principium creans; quia omnia per ipsum acceperunt *esse,* sicut dictum est supra primo capitulo [9]: « In principio erat Verbum », et rursus: « Omnia per ipsum facta sunt ». — Est etiam *doctor; qui et loquor vobis;* ad Hebraeos primo [10]: « Novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula ». Similiter Dominus respondit Samaritanae quaerenti: « Ego sum, qui loquor tecum »; et caeco, infra nono. — Est etiam *iudex,* quamvis nunc non loquatur verba condemnationis, sed instructionis [11] et vocationis. Propterea dicit:

Primo, relate ad creaturam.

Est creator.

Est doctor.

Est iudex.

36. (Vers. 26.). *Multa habeo de vobis loqui; de* [12], id est contra vos, *et iudicare,* quae non remanebunt indiscussa, non ob malitiam, sed ob iustitiam. *Sed qui misit me verax est, et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo;* et ideo iudico veraciter; supra quinto [13]: « Sicut audio, iudico, et iudicium meum iustum est; quia non quaero voluntatem meam, sed eius qui misit me ». Et quia se manifestavit in comparatione ad *creaturam,* manifestat se in comparatione ad *Patris personam,* quam Iudaei intelligere non poterant; ideo dicit:

Secundo, relate ad Patrem.

37. (Vers. 27.). *Et non cognoverunt, quia Patrem eius dicebat Deum;* et quia non valebant intelligere altitudinem generationis, mittit eos ad infirmitatem passionis, cum dicit:

38. (Vers. 28.). *Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaveritis Filium hominis,* scilicet in cruce; infra duodecimo [14]: « Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum »; *tunc cognoscetis, quia ego sum,* scilicet distincta in Trinitate persona; ecce, *personalis distinctio;* Exodi tertio: « Ego sum, qui sum ». *Et a me ipso facio nihil,* scilicet hoc co-

---

[1] Vers. 31; ibid. v. 13. habetur seq. locus. — Vulgata post *ego* omittit *autem.*

[2] In Vulgata deest *autem.* — Sequuntur Ioan. 8, 22. et 16, 28. Cfr. etiam supra 7, 7.

[3] Supra v. 21.

[4] Vulgata *quia.* — Subinde pro *Si autem credideritis,* quod habent C E N, alii *Si enim* [B *vero,* ed. *ergo*] *credideritis.*

[5] In Ioan. Evang. tr. 38. n. 7. — Subinde allegatur Ioan. 3, 36.

[6] Ed., verbis transpositis: *ideo hoc quod eis implicite dixerat.*

[7] Vers. 19.

[8] Vers. 27.

[9] Vers. 1; ibid. v. 3. est seq. locus.

[10] Vers. 2. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 4, 26. et 9, 37: Qui loquitur tecum, ipse est.

[11] Plures codd., ut G H I K L M, et Gorranus *informationis.*

[12] Pro *de,* quod praebet C quodque ed. omittit, alii codd. et Gorranus *iudicando.* Ed. post *contra vos* addit *si non credideritis,* et post *indiscussa* sic prosequitur: *ad malitiam vestram puniendam et ad meam iustitiam ostendendam.* Vel multa habeo loqui vobis et iudicare, *id est docere ad vestram utilitatem, si credideritis* [secundum Glossam ordinariam]. *Ecclesiastae nono* [v. 2.]: Omnia in futurum servantur incerta. *Et Iob trigesimo quarto* [v. 12.]: Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet iudicium. — Adiungimus verba card. Hug., in hunc locum: *Multa habeo de vobis loqui,* id est, habeo in multis accusare, *et iudicare,* id est, de multis habeo vos punire. Aliqui habent *multa habeo vobis loqui,* quasi loquor vobis; et *multa habeo loqui vobis,* id est ad instructionem vestram et utilitatem, si volueritis, in praesenti; *et iudicare,* in futuro, id est condemnare, si non poenitueritis, quasi diceret: doctor sum et iudex.

[13] Vers. 30.

[14] Vers. 32. — Sequitur Exod. 3, 14. Cfr. I. Sent. d. 2. dub. 4.

gnoscetis; *sed sicut docuit me Pater, haec loquor*, id est, sicut accepi a Patre, quia Pater omnia dat Filio. Et in hoc ostenditur generationis emanatio a Patre; supra quinto [1]: « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem ». Non solum cognoscetis personalem distinctionem, sed etiam *essentiae indivisionem;* ideo dicit:

39. (Vers. 29.). *Et qui misit me mecum est*, propter essentiae unitatem, in qua non est divisio; infra decimo quarto [2]: « Nonne creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est »? *Et non reliquit me solum*, per voluntatem discordantem; *quia quae placita sunt ei facio semper.* Unde Filius non potest relinqui a Patre, quia non potest ei nec discordare nec displicere; Matthaei tertio [3]: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ». E contrario peccatores a Domino relinquuntur, quia ei displicent per peccata; secundi Paralipomenon duodecimo: « Vos reliquistis me, et ego reliqui vos ».

40. (Vers. 30.). *Haec illo loquente.* Tangitur hic
Quartum. quartum, scilicet *multiplicatio credentium* in Christum, quae facta est ad hanc instructionem; ideo dicit: *Haec illo loquente*, quae scilicet praedicta sunt, *multi crediderunt in eum;* quia sermo eius habebat efficaciam; supra quarto [4]: « Multo plures crediderunt propter sermonem eius ».

Quaestiones.

41. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *In peccatis vestris moriemini.* — Videtur, quod revelaverit eis damnationem suam, ergo cogebat eos desperare; et secundum hoc videtur, quod aliquis possit esse praescius suae damnationis [5]. — Sed hoc non videtur; quia scientia et revelatio donum est pietatis: ergo non cogit desperare.

Ad hoc respondetur tripliciter, quod hoc Domi-
Resp. 1. nus non dixit revelando, sed comminando; unde in-
Resp. 2. fra [6] addit conditionem: *nisi credideritis.* — Aliter dicendum, quod hoc Dominus non dixit hominibus, qui ei fidem adhiberent; ideo non cogebat desperare; unde hoc non dixit credentibus, sed incredulis. — Tertio modo dicitur, quod Dominus loquebatur mul- Resp. 3.
titudini; ideo generaliter accipiebatur verbum, et nemo specialiter pro se [7].

42. Quaest. II. Item, cum *principium* dicat rationem emanationis, quae primo et principaliter convenit Patri; unde est hoc, quod Filius sibi appropriat?

Respondeo: Dicendum, quod hoc nomen *prin-* Resp.
cipium aliquando accipitur *essentialiter*, secundum Triplex sensus principii.
quod dicit respectum ad creaturam, et sic tota Trinitas dicitur *principium;* aliquando *notionaliter*, et sic Pater et Filius sunt *unum principium* Spiritus sancti; aliquando *personaliter*, et sic *principium* dicit ipsam fontalem emanationem, quae reperitur in Patre. Et sic dicit Augustinus [8], quod « Pater est principium Divinitatis ». — Dicendum est igitur, quod hoc nomen *principium* secundum quod *essentiale* trahitur ad personam Filii dupliciter: uno modo per *proprietatem generationis*, et sic dicitur Filius *principium de principio*, id est genitum; alio modo per *proprietatem Verbi*, quia Filius est Verbum, et sic trahitur hic: *Ego principium, qui et loquor vobis* [9].

43. Quaest. III. Item quaeritur: cum *veritas* Filio approprietur, unde est hoc, quod Filius, de Patre loquens, sibi attribuit [10]?

Dicendum, quod *verax* dicitur, quia verba vera Resp.
dicit. Quia ergo Pater dicit Filium, qui est Verbum verum, cui veritas appropriatur, *verax* ratione originis connotatae recte potest appropriari Patri [11].

44. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non reliquit me solum, quia quae placita sunt ei facio semper. — Contra:* Matthaei vigesimo septimo [12] dixit Filius in passione: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?*

Respondeo: Dicendum, quod est *derelictio di-* Resp. Quadruplex derelictio.
spensationis, probationis, permissionis, aeternae

---

[1] Vers. 19.

[2] Vers. 11. — Inferius vocibus *quia quae* Vulgata interserit *ego*.

[3] Vers. 17. — Subinde allegatur II. Paralip. 12, 5.

[4] Vers. 41.

[5] Cfr. II. Sent. d. 4. a. 2. q. 2, ubi docetur, quod angelis malis non potuerit revelari ipsorum condemnatio.

[6] Vers. 24. — Inferius pro *qui ei fidem adhiberent* (ita E et ed.) alii codd. *qui ei per fidem adhaererent.*

[7] Vide August., in Ioan. Evang. tr. 38. n. 7, ex quo quaedam relata sunt supra v. 24. n. 34.

[8] Libr. IV. de Trin. c. 20. n. 29. De praecedentibus et seqq. cfr. supra pag. 246, nota 4.

[9] Cfr. I. Sent. d. 29. dub. 5. seq. — Superius pro *per proprietatem* A B I K L M *secundum proprietatem,* et subinde post *sic dicitur Filius* M legit *principium et principium de principio.*

[10] August., in Ioan. Evang. tr. 39. n. 7: Pater verax, Filius veritas, quid putamus esse amplius? Cogitemus, si possimus, quid est amplius, verax an veritas? De quibusdam quaeramus: Pius homo plus est, an pietas? Sed plus est ipsa pietas; pius enim a pietate, non pietas a pio... Si ergo plus pietas quam pius... nunquid dicturi sumus plus veritas quam verax? Si hoc dixerimus, Filium incipiemus dicere Patre maiorem. Ait enim apertissime ipse Dominus [Ioan. 14, 6.]: *Ego sum via et veritas et vita* etc. Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 4. et Breviloq. p. I. c. 6. — Pro *sibi attribuit* [scil. Patri veracitatem] ed. *ei attribuit.*

[11] August., loc. cit.: « Filius veritas, Pater verax; quid plus sit, quaero, sed aequalitatem invenio. Verax enim Pater non ab ea veritate verax est, cuius partem cepit, sed quam totam genuit ». Hoc explicat ibid. n. 8: Si est verax anima, est veritas apud Deum, cuius est particeps anima. Cuius particeps si non fuerit anima, *omnis homo mendax* [Ps. 115, 11.]; si omnis homo mendax, nullus homo de suo verax. Pater autem verax de suo est verax, quia genuit Veritatem. Aliud est: verax est homo iste, quia iam percepit veritatem; aliud est: verax Deus, quia genuit Veritatem etc. — Superius pro *quia verba* ed. *qui verba.*

[12] Vers. 46.

damnationis. Prima, *dispensationis,* fuit Filium passioni exponere ob generis humani salutem [1]. Secunda, *probationis,* est in iustis, sicut reliquit Dominus Iob in manu satan. Tertia est in peccantibus in praesenti. Quarta est in damnatis aeternaliter, quae est derelictio sine visitatione ulla. Verbum igitur Domini hic intelligitur de derelictione iracundiae, non de dispensatione divinae sapientiae [2].

De liberatione a servitute peccati agitur triplici-ter.

45. *Dicebat ergo Iesus* etc. Ostensum est, quod sine doctrina et fide Christi est in peccato perpetuatio; ostenditur hic secundo, quod per doctrinam Christi est *a servitute peccati liberatio.* Et dividitur haec pars in tres partes: quia primo a servitute peccati per doctrinam Christi *promittitur liberatio;* secundo *Iudaeorum evacuatur gloriatio,* ibi [3]: *Scio, quia filii Abrahae estis*; tertio ostenditur *Iudaeorum consequens indignatio,* ibi: *Responderunt Iudaei et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos?*

Primo, promittitur liberatio, de quo tria.

Primo ergo per doctrinam Christi promittitur et ostenditur *liberatio fieri* hoc ordine: primo *liberatio promittitur;* secundo *promissa a Iudaeis parvipenditur;* tertio *eis necessaria ostenditur.*

Expositio literalis. Primum.

46. (Vers. 31.). *Promittitur* ergo *liberatio* his qui in doctrina Christi permanent; propterea dicit: *Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei* [4]; et quia comminatione territi crediderunt, promissione alliciuntur, ut perseverent; unde dicit: *Si vos permanseritis in sermone meo;* infra decimo quinto [5]: « Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis »; non sicut illi, de quibus dicitur Lucae octavo: « Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt »; hi non reportant fructum; sed vos, si permanseritis, *vere discipuli mei eritis.*

47. (Vers. 32.). *Et vos* [6] *cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Tria dicit, quae faciunt hominem rectum. Primum est *rectitudo affectus,* et hoc notatur in discipulatu Christi; secundum, *rectitudo intellectus,* et hoc in cognitione veritatis; tertium, *rectitudo effectus* per liberationem a culpa, et hoc notatur in liberatione veritatis. Vel: *discipuli eritis* in via per imitationem; *veritatem cognoscetis* in animae beatificatione; et *veritate liberabimini ab omni corruptione* in animae et corporis felici unione; ad Romanos octavo [7]: « Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei ».

Tria faciunt hominem rectum.

48. (Vers. 33.). *Responderunt ei.* Tangitur hic secundum, scilicet quomodo *liberatio promissa a Iudaeis parvipenditur,* quia ipsi se liberos reputabant; unde gloriantur de *libertate* et non curant de *liberatione.* Propterea dicunt ei: *Semen Abrahae sumus et nemini servivimus unquam;* et ita [8] liberi sumus per naturam; *quomodo tu dicis: Liberi eritis,* quasi modo non simus liberi? Ideo dicebant se liberos, quia nati de Abraham per Isaac, qui filius fuit liberae, secundum quod dicitur ad Galatas quarto [9]: « Eiice ancillam et filium eius »; dictum est de Agar; « non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae », et tractum est de Genesis vigesimo primo.

Secundum.

49. (Vers. 34.). *Respondit eis Iesus.* Tangitur hic tertium, quia *necessitas liberationis ostenditur;* et ostendit eos *servos,* et quod habent opus *liberatione* et *quomodo liberantur.* — Quod ergo sint *servi* spiritualiter, ostendit tali ratione: *Qui facit peccatum servus est peccati;* sed vos facitis peccatum: ergo vos estis servi peccati. *Minorem* huius rationis tacet, quia infra [10] eam exprimit, et *conclusionem* tacet; sed proponit *maiorem* dicens: *Amen, amen dico vobis: Qui* [11] *facit peccatum servus est peccati.* Hoc probat beatus Petrus in secundae Canonicae secundo: « A quo quis superatus est, huius et servus est ». Haec est pessima servitus; unde Au-

Tertium.

Tria ostenduntur. Probatur, quod sunt servi.

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 21. a. 1. q. 1. ad 4.

[2] In derelictione *iracundiae* comprehenditur tertia et quarta species, et in *dispensatione divinae sapientiae,* prima et secunda, ut explicat ed., quae legit: *de derelictione tertia et quarta, quae est iracundiae, non de prima et secunda, quae est dispensationis divinae sapientiae.* Deinde eadem hoc loco addit verba et schema, quae sequuntur et in codd. desiderantur:

Et nota, quod

est derelictio
- dispensationis, Ps. 21, 2: « Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti »?
- probationis, Isai. 54, 7: « Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te ».
- permissionis, II. Paralip. 12, 1: « Dereliquit Legem Domini, et omnis Israel cum eo ».
- sempiternae damnationis, Ier. 16, 11: « Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, et abierunt post deos alienos » etc.; et I. Paralip. 28, 9: « Si dereliqueris eum, proiiciet te in aeternum ».

[3] Vers. 37; ibid. v. 48. est seq. locus: *Responderunt ergo Iudaei* etc.

[4] Vulgata addit *Iudaeos,* ed. *ex Iudaeis.* — Subinde pro *perseverent* fere omnes codd. *perseverarent.*

[5] Vers. 4. — Sequitur Luc. 8, 13.

[6] Vulgata omittit *vos.* — De triplici rectitudine hominis cfr. II. Sent. Prooem.

[7] Vers. 21. — Superius pro *Vel: discipuli eritis* ed. *Itaque vere discipuli eritis, quia,* et subinde pro *in animae et corporis felici unione* [E *felicitatione,* nonnulli alii codd. *felicitudine*] eadem ed. *animae et corporis.*

[8] Ed. *et si ita.*

[9] Vers. 30. Vide Gen. 21, 10.

[10] Vers. 37. seqq. — Inferius post *conclusionem* ed. cum nonnullis codd. addit *similiter.*

[11] Vulgata *Quia omnis qui.* — Sequitur II. Petr. 2, 19. Cfr. II. Sent. d. 44. a. 3. q. 1. in corp.

gustinus[1]: « O miserabilis servitus! Servus hominis aliquando, sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit; servus vero peccati quo fugit? Secum trahit malam conscientiam, quocumque eat; quia, quocumque vadit, a se non recedit ». — Sic patet, eos esse servos; et ex hoc probat, quod *indigent liberatione*, tali ratione: qui non manet in domo in aeternum indiget liberari ab eo qui manet, et per eum potest liberari; sed servus non manet, Filius autem manet: ergo servus per Filium indiget et potest liberari. Sed vos estis servi, ut supra[2] dictum est: « si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis ». Primae rationis ponit *minorem* propositionem, cum dicit:

Item, quod indigeant liberatione.

50. (Vers. 35.). *Servus non manet in domo in aeternum, Filius*[3] *manet in aeternum.* Augustinus exponit: Qui est servus peccati non manet in domo in aeternum, id est finaliter, quamvis possit esse de praesenti Ecclesia quantum ad numerum. Tales servi, etsi sint in domo cum bonis, tamen non habent vestem nuptialem; ideo eiiciuntur, secundum illud Matthaei vigesimo secundo[4]: « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem »? Et post subditur: « Proiicite eum in tenebras exteriores ».

51. (Vers. 36.). *Si ergo Filius vos liberaverit, vere liberi eritis,* ille, inquam, Filius solus est liber, quia solus sine peccato; unde in Psalmo[5]: « Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber ». Et ratio redditur infra decimo quarto: « Venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam ». Iste Filius liber, ut nos liberaret, factus est pro nobis quasi servus; ad Philippenses secundo: « Humiliavit semetipsum, formam servi accipiens » etc. Hic igitur nos *liberavit redimendo;* Isaiae quinquagesimo secundo[6]: « Gratis venundati estis, et sine argento redimemini »; quia, sicut dicitur primae Petri primo, « non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati et incontaminati, Christi Iesu ». Non, inquam, ut iterum simus servi, sed liberi; unde ad Galatas quinto: « Vos, inquit, fratres, in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem spiritus servite invicem ».

Item, de modo liberationis.

Quaestiones.

52. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicunt: *Semen Abrahae sumus et nemini servivimus unquam.*

Contra: 1. Servierunt Aegyptiis; unde Deuteronomii sexto[7]: *Eduxit vos Dominus de domo servitutis.*

2. Item, servierunt Nabuchodonosor in captivitate Babylonica per septuaginta annos[8]. — *Si dicas,* quod ipsi loquebantur de se, non de patribus; *obiicitur:* quia etiam tunc tributum reddebant Romanis; unde quaesierunt Matthaei vigesimo secundo[9]: *Licetne tributum dare Caesari, an non?*

Ad hoc est una responsio, quod ipsi mentiti sunt, sicut saepe solebant, et beneficiorum Dei obliti erant; unde Augustinus[10]: « O pellis inflata! non est ista magnitudo, sed tumor. Quomodo verum dixistis? Ioseph venundatus est, Prophetae in captivitatem ducti, populus in Aegypto in luto et latere serviebat, vos ipsi etiam tributa solvebatis ». Resp. 1.

Aliter respondetur, quod illud intellexerunt quantum ad morem, quem habebant inter se praecepto Legis; Levitici vigesimo quinto[11]: *Servus et ancilla sint vobis de nationibus, quae in circuitu vestro sunt.* Resp. 2.

Vel aliter dicendum, quod est *servitus conditionis per originem,* sicut filius servi est servus, et sic intelligebant, et isti dicuntur *servi de corpore;* et est *servitus oppressionis per dominium*[12], et de hac non intelligebant. Resp. 3.

53. Quaest. II. Sed quaeritur: cum peccator faciat omne, quod vult, iustus autem non; quomodo peccator dicitur *servus*?

Dicendum, quod peccator recte dicitur *servus peccati,* quia magna servitus est *sequi malam voluntatem;* et propter *conditiones serviles,* quae in peccatore reperiuntur, propter quas *servus* recte dicitur. — Servus enim *vilis est,* sic et peccator; Resp. In peccatore octo vilia.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 41. n. 4, ubi textus originalis post *O miserabilis servitus* plura addit et ultimam propositionem sic exhibet: *Secum se trahit, quocumque fugerit. Non fugit se ipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, immo non recedit a se; peccatum enim, quod facit, intus est.* Pro *Servus hominis aliquando, sui domini* permulti codd. *Servus autem,* CEN *Servus aliquando,* et subinde pro *vadit* plures codd. *vadat.*

[2] In expositione huius (34.) vers. — Sequitur v. 36.

[3] Vulgata tum post *Servus* tum post *Filius* addit *autem.* — August., in Ioan. Evang. tr. 41. n. 8: Ecclesia est domus, servus peccator est. Intrant multi in Ecclesiam peccatores. Non ergo dixit: *servus* non est in domo, sed: *non manet in domo in aeternum.* — Inferius post *id est* ed. legit *in Ecclesia finaliter, quamvis* etc.

[4] Vers. 12. seq.

[5] Psalm. 87, 5. et 6. — Duo seqq. ci sunt Ioan. 14, 30. et Phil. 2, 8.

[6] Vers. 3. — Subinde allegantur I. Petr. 1, 18. seq. et Gal. 5, 13.

[7] Vers. 13.

[8] Cfr. II. Paralip. 36, 21; Ier. 25, 12. et 29, 10.

[9] Vers. 17.

[10] In Ioan. Evang. tr. 41. n. 2. Respicitur ad Gen. 37, 28. (de Ioseph); IV. Reg. 24, 14. seqq. et Exod. 1, 14.

[11] Vers. 44.

[12] Iustinian., I. Institut. imperial. de iure person. (tit. 3.) § *Servi autem aut nascuntur, aut fiunt.* Nascuntur ex ancillis nostris; fiunt aut iure gentium, id est ex captivitate, aut iure civili, cum liber homo maior viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est. Cfr. II. Sent. d. 44. a. 3. q. 1. in corp. et IV. Sent. d. 36. a. 1. q. 3.

tertii Regum primo[1]: *Erimus ego et filius meus Salomon peccatores*, id est viles. — *Vilibus vescitur*, sic peccator; Lucae decimo quinto, filius prodigus *implere cupiebat ventrem de siliquis porcorum.* — *Vilia operatur*, sic et peccator; Exodi primo[2]: *Operibus duris luti et lateris omnique famulatu premebantur.* — *Viliter tractatur*, sic peccator; Ieremiae decimo sexto: *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem.* — *Alienus est a lucro;* Osee octavo[3]: *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam; quodsi fecerit, alieni comedent eam.* — *Alienus a Domini sui secreto*, sic peccator; infra decimo quinto: *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Peccatoribus non revelat, quia sunt in tenebris. — *Alienus ab honoris familiaritate;* ad Romanos octavo[4]: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* — *Alienus ab hereditate*, sic peccator; Iob vigesimo septimo: *Dives, cum dormierit, nihil secum afferet;* ad Galatas quarto: *Non erit heres filius ancillae cum filio liberae*[5].

Secundo, Iudaeorum evacuatur gloriatio, de quo quatuor.

54. *Scio, quia filii Abrahae estis.* Postquam ostensa est per doctrinam Christi liberatio, *evacuatur* hic *Iudaeorum gloriatio*, quia[6] gloriabantur se liberos per naturam; et hoc quidem Dominus facit hoc ordine. Primo innuit *duplex genus filiationis:* secundum *naturam* et *imitationem;* secundo ostendit, quod per *imitationem non sunt filii Abrahae;* tertio, quod *non sunt filii Dei;* quarto, quod *sunt filii diaboli.*

Expositio litteralis. Primum.

(Vers. 37.). Primo igitur innuitur *duplex genus filiationis:* per *naturam* et per *imitationem;* per *naturalem generationem*, cum dicit: *Scio, quia filii Abrahae estis*, secundum carnem scilicet geniti; Isaiae quinquagesimo primo[7]: « Attendite ad Abraham, patrem vestrum, et ad Saram, quae peperit vos »; et hunc patrem habetis per *generationem*, sed alium habetis per *imitationem;* unde dicit: *Sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis;* Ecclesiastici vigesimo primo[8]: « Cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit »; Proverbiorum nono. Et hoc quidem est opus iniquitatis, et secundum hoc alium patrem habetis, quem imitamini; unde:

55. (Vers. 38.). *Ego quod vidi apud Patrem meum, hoc*[9] *loquor*, ipsum imitando; ad Ephesios quinto: « Imitatores Dei estote sicut filii carissimi ». *Et vos quae vidistis apud patrem vestrum facitis;* unde patrem habetis per *imitationem.* Sicut hi habebant duplicem patrem: secundum *carnem* et *imitationem;* sic Abraham duo genera filiorum; ad

---

[1] Vers. 21. — Sequitur Luc. 15, 16.
[2] Vers. 14. — Seq. locus est Ier. 16, 13.
[3] Vers. 7. — Subinde allegatur Ioan. 15, 15.
[4] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Iob 27, 19. et Gal. 4, 30
[5] Sola ed. hoc loco habet verba et schema, quae sequuntur:

Nota quoad supra iam dicta ac infra dicenda, quod:

Verbum Dei est efficax
- ad facienda voluntaria, Eccle. 8, 3. seq.: « Omne, quod voluerit, faciet; et sermo illius potestate plenus est; nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis »?
- ad implenda promissa, Num. 11, 23: « Iam nunc videbis, utrum sermo meus opere compleatur ». Sermo sermonis virtute impletur, « quia dixit, et facta sunt » etc. [Ps. 148, 5.].
- ad dirigendos devios, Ps. 147, 15: « Qui emittit eloquium suum terrae, velociter currit sermo eius »; quia velociter facit currere et in nullam partem declinare.
- ad inflammandos tepidos, Ier. 20, 9: « Et dixi: Non recordabor eius neque loquar ultra in nomine illius; et factus est in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens ».
- ad arguendos malignos, qui sunt profundi corde, Hebr. 4, 12: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum » etc.
- ad expugnandos superbos; Sap. 18, 15: « Omnipotens sermo tuus, Domine, exsiliens de caelo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit ».
- ad condemnandos incredulos, Ioan. 12, 48: « Qui me spernit et non accipit verba mea habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die ».
- ad liberandos servos, Ioan. 8, 31. seq.: « Si vos permanseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et vos cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos ».
- ad curandos infirmos, Sap. 16, 12: « Neque herba neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia ».
- ad conservandos sanos, Sap. 16, 26: « Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus eos qui in te crediderunt, conservat ».
- ad protegendos tentatos, Prov. 30, 5: « Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se ».
- ad sanctificandos electos, Ioan. 17, 17: « Pater, sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est ».
- ad glorificandos perseverantes, Ioan. 8, 51: « Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum » etc.

[6] Codd. E N *qua.*
[7] Vers. 2.
[8] Vers. 17. — Ex *Prov. 9.* ed. allegat v. 7: *Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit, et qui arguit impium sibi maculam generat.* Codd. nullum textum proferunt. C E N allegant *Eph. 5, 1: Imitatores Dei estote* etc.; cfr. tamen seq. vers. n. 55.
[9] Vulgata omittit *hoc.* — Sequitur Eph. 5, 1. — Subinde post *unde* ed. addit *alium.*

Romanos nono[1]: « Non qui semen sunt Abrahae, hi omnes filii, sed qui filii sunt promissionis ».

Secundum. 56. (Vers. 39.). *Responderunt et dixerunt ei.* Hic tangitur secundum; ostenditur enim, quod *non sunt filii Abrahae per imitationem*, sicut ipsi gloriabantur; propter quod dixerunt ei: *Pater noster Abraham est.* Ideo hoc replicant, quia dixerat, quod faciebant opera patris; et ostendit Dominus, quod non intellexit de illo patre; ideo *dicit eis Iesus: Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite*, id est, si vultis esse filii per *imitationem*, sicut estis secundum *carnem;* opera Abrahae facite, alioquin frustra gloriabimini; Matthaei tertio[2]: « Et ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae ». Et quia opera Abrahae non facitis, *a destructione consequentis*, nec *filii eius* dicendi estis. Ideo dicit:

57. (Vers. 40.). *Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo*, et ita iustum et innocentem; *hoc* autem *Abraham non fecit*, quia iniquum est et Lege prohibetur; Exodi vigesimo tertio[3]: « Innocentem et iustum non interficies ». Ideo alius est pater, quem imitamini; propter quod subdit:

58. (Vers. 41.). *Vos autem*[4] *facitis opera patris vestri.* Chrysostomus: « Opera *Abrahae* fuerunt fides, obedientia, mansuetudo; *vestra,* infidelitas, impietas et crudelitas ».

Tertium. *Dixerunt itaque ei.* Tangitur hic tertium; ostenditur enim, quod *non sunt filii Dei.* Quia enim iam intellexerant, quod loqueretur de patre spirituali; ideo commendant, se esse filios Dei tanquam cultores eius, non idololatriae deditos, quae *fornicatio* dicitur in Scriptura; unde dicit: *Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione nati non sumus,* fornicantes cum idolis, secundum illud Ieremiae secundo[5]: « Sub omni ligno frondoso fornicata es »; et: « Polluisti terram fornicationibus tuis »; non sic nos, sed *unum patrem habemus Deum,* quem colimus iuxta imperium ipsius; Exodi vigesimo[6]: « Non habebis deos alienos coram me ». Hunc *non* habebant; Malachiae primo: « Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus »? Et quia inaniter gloriabantur, ostendit, quod non sunt filii Dei; unde subdit:

59. (Vers. 42.). *Dicit*[7] *eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me,* tanquam fratrem vestrum, quia spiritus adoptionis est spiritus amoris; ad Romanos octavo: « Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater ». *Ego enim a Deo*[8] *processi,* ut Filius scilicet per generationem; *et veni,* in mundum per incarnationem, et sicut ab illo sum genitus, ita etiam et missus; unde: *neque*[9] *a me ipso veni, sed ille me misit.* Non propria auctoritate veni; ad Hebraeos quinto: « Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret »; quocontra Ieremiae vigesimo tertio: « Currebant, et ego non mittebam eos »; item Exodi quarto: « Obsecro, Domine, mitte quem missurus es ». Et tamen me non diligitis; et hoc probat quaerens ab eis:

60. (Vers. 43.). *Quare,* inquit, *loquelam meam non cognoscitis?* scilicet credendo in me. Ratio huius erat odium, *quia non potestis audire sermonem meum,* propter odium et invidiam; Sapientiae secundo[10]: « Gravis est nobis ad videndum ».

Quartum. 61. (Vers. 44.). *Vos ex patre diabolo estis.* Tangitur hic quartum; ostenso enim, quod non sunt filii Dei, ostendit, quod sunt *filii diaboli,* ut sic omnis gloria eorum evacuetur. Et *proponit,* cum dicit: *Vos ex patre diabolo estis; ex* non dicit ibi *generationem,* sed *imitationem* exempli; Ezechielis decimo sexto[11]: « Pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea »; et primae Ioannis tertio: « Qui facit peccatum ex diabolo est ». — *Probat* hoc, quia eum imitantur; unde: *desideria patris vestri vultis facere.* Haec sunt desideria, de quibus primae ad Timotheum ultimo[12]: « Desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem ». Ostendit, quod imitantur eum in duobus, scilicet in *homicidio* et *mendacio*: in *mendacio* est curvitas intellectus, in *homicidio* affectus. Ideo dicit: *Ille homicida erat ab initio,* id est post humani generis initium; quia primum hominem ad mortem perduxit promittendo vitam et negando mortem; « Nequaquam, inquit, moriemini », Genesis tertio[13]; et Sapientiae secundo: « Deus creavit hominem in-

Argumentatio.

Imitatio in duobus.

In homicidio.

---

[1] Vers. 7. et 8.

[2] Vers. 9.

[3] Vers. 7. — Ed. cum nonnullis codd. inferius post *imitamini* addit *Ier. 2, 33: Quid uiteris bonam ostendere viam tuam* etc.

[4] Vulgata omittit *autem.* — Chrysost., in Ioan. homil. 54. (alias 53.) n. 3: Sed quaenam sunt eius [Abrahae] opera? Mansuetudo, modestia, obsequium. Vos contra inhumani et crudeles estis.

[5] Vers. 20; seq. locus est 3, 2. Cfr. IV. Sent. d. 39. dub. 3.

[6] Vers. 3. — Subinde allegatur Malach. 1, 6.

[7] Vulgata *Dixit ergo.* — Sequitur Rom. 8, 15. — August., in Ioan. Evang. tr. 42. n. 8: Dicitis Deum patrem, agnoscite me vel fratrem.

[8] Vulgata *ex Deo.* — August., loc. in praeced. nota cit.: Christi ergo missio est incarnatio. Quod vero de Deo processit Verbum, aeterna processio est... Adventus eius humanitas eius; mansio eius, Divinitas eius; Divinitas eius, quo imus; humanitas eius, qua imus. Nisi nobis fieret, qua iremus, nunquam ad illum manentem perveniremus.

[9] Vulgata addit *enim.* — Tres seqq. loci sunt Hebr. 5, 5; Ier. 23, 21. et Exod. 4, 13.

[10] Vers. 15. Cfr. supra Comment.

[11] Vers. 3. Vide August., in Ioan. Evang. tr. 42. n. 10; infra pag. 368, nota 4. — Sequitur I. Ioan. 3, 8. Cfr. I. Sent. d. 26. dub. 6.

[12] Vers. 9.

[13] Vers. 4. — Sequitur Sap. 2, 23. seq. — Superius pro *humani generis initium* ed. *humani generis iacturam.*

exterminabilem, invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum » etc. Et in hoc vos eum imitamini; sicut supra [1] dictum est, vultis me interficere.

In mendacio. — Imitamini etiam eum in *mendacio;* unde dicit: *Et in veritate non stetit;* immo ad falsitatem et vanitatem cecidit; Isaiae decimo quarto [2]: « Quomodo cecidisti de caelo, lucifer, qui mane oriebaris » ? *Quia veritas non est in eo.* Propter peccatum enim superbiae non recuperavit; Ezechielis vigesimo octavo: « Nihil factus es et non eris in perpetuum ». *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur,* quia a se habet, non alio suggerente. *Ipse autem mendax est et pater eius,* id est mendacii; Iob penultimo [3]: « Ipse est rex super omnes filios superbiae ». Augustinus: « Pater mendacii est diabolus, pater veritatis est Deus. Recedite a patre mendacii et currite ad patrem veritatis, amplectimini veritatem, ut accipiatis libertatem ». Huius patris filii sunt omnes mendaces, qui oderunt veritatem. Et tales erant Iudaei; et hoc probat Dominus, quod odiant veritatem; unde dicit:

62. (Vers. 45.). *Ego autem quia* [4] *veritatem dico, non creditis mihi,* et ita veritatem oditis; Psalmus: « Filii hominum, usquequo gravi corde » ? Et quia possent dicere: non discredimus propter odium veritatis, sed iniquitatis; ideo addit:

63. (Vers. 46.). *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quasi dicat: nullus potest. Propter hoc reprehenditur Iob, decimo quinto [5]: « Arguis verbis eum qui non est aequalis tibi ». Propter quid scilicet mihi non creditis ? *Si ego veritatem dico, quare non creditis mihi?* Hoc certe non est propter culpam meam, sed vestram malitiam; et hoc probat:

64. (Vers. 47.). *Qui ex Deo est verba Dei audit,* primae Ioannis quarto [6]: « Qui novit Deum audit nos; qui non est ex Deo non audit nos »; sed vos non auditis, et quare ? *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis,* sed magis ex diabolo; Ecclesiastici tertio [7]: « Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam »; quocontra Iudaei non audiebant; Actuum septimo: « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis ».

65. *Responderunt ergo Iudaei et dixerunt* [8]. Postquam ostensa est liberatio, et Iudaeorum evacuata est gloriatio; exprimitur hic *ipsorum indignatio* ad Domini reprehensionem. Et indignationis signum est *illatio convicii.* Primo ponitur *convicii illatio;* secundo, *patiens responsio;* tertio, *patientis responsionis ratio.* Tertio, describitur Iudaeorum indignatio per tria.

(Vers. 48.). Primo *conviciantur: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemonium habes?* Quia Dominus dixerat, quod non erant filii Abrahae, sed diaboli; ideo duplex reddunt convicium: primum contra primum [9]: *Samaritanus es,* non filius Abrahae; secundum contra secundum: *Daemonium habes,* non imitaris Deum, sed diabolum, cuius instructione doces et adiutorio signa facis; unde Matthaei duodecimo [10]: « In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia ». Primum. Duplex convicium.

66. (Vers. 49.). *Respondit Iesus.* Tangitur hic secundum, scilicet *patiens responsio,* quia non ad totum convicium respondet, sed ad partem. Unde dicit: *Ego daemonium non habeo,* cuius virtute opera faciam ad gloriam meam; *sed honorifico Patrem meum,* qui in caelis est; quia omnia in gloriam Patris faciebat, secundum illud Apostoli primae ad Corinthios decimo [11]: « Omnia in gloriam Dei facite ». *Et vos inhonorastis me,* inferendo contumeliam, et per consequens etiam inhonorastis Patrem; supra quinto: « Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui misit illum ». Secundum.

67. (Vers. 50.). *Ego* [12] *gloriam meam non quaero.* Tangitur hic tertium, scilicet *patientis responsionis ratio.* Non enim respondebat ad se glorificandum; sed ideo sustinebat eorum convicium, non quia verum, sed quia de gloria non curabat; propter quod dicit: *Ego gloriam meam non quaero,* et ideo contumeliae vestrae non respondeo; Hieronymus [13]: « Qui non quaerit gloriam non sentit contumeliam ». Ideo de contumelia illata non curo, sed tamen non credatis vos immunes a culpa et retributione digna; unde dicit: *Est qui quaerat et iudicet,* scilicet Pater, qui quaerit gloriam Filii; infra duodecimo [14]: « Et clarificavi et iterum clarificabo »; *et iudicet;* quasi dicat: eius iudicio reservo. Gregorius: « Filius illatas contumelias Patris iudicio reservat, ut nobis profecto insinuet, quantum patientes esse debemus, dum se adhuc ulcisci non vult et ipse qui iudicat ». Tertium.

---

[1] Vers. 37. et 40. — Ed. legit: Et *quia* in hoc vos etc.

[2] Vers. 12. — Seq. locus est Ezech. 28, 19. — Subinde pro *non recuperavit* ed. *eam perdidit nec recuperavit.*

[3] Vers. 25. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 42. n. 13.

[4] Vulgata *si.* — Sequitur Ps. 4, 3.

[5] Vers. 3, ubi Eliphaz his verbis reprehendit Iob. — Subinde pro *Si ego veritatem dico* Vulgata *Si veritatem dico vobis.* — Plurimi codd. et Gorranus verba superius posita *Quasi dicat: nullus potest* transponunt post *Propter quid scilicet mihi non creditis.*

[6] Vers. 6.

[7] Vers. 31. — Sequitur Act. 7, 51.

[8] Vulgata addit *ei.*

[9] Non pauci codd., ut A B F H I K L, *contra Patrem,* quam lectionem exhibet etiam Gorranus; sed, ut videtur, minus respondet contextui.

[10] Vers. 24.

[11] Vers. 31. — Sequitur Ioan. 5, 23.

[12] Vulgata *Ego autem.*

[13] Cfr. Epist. 108. n. 3, ubi virtutes Paulae describit et dicit: Latebat, et non latebat. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quae virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. — Inferius pro *digna* ed. *dignos.*

[14] Vers. 28. — Verba Gregorii habentur I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 2: Filius iniurias accipiens gloriam suam non quaerit. Illatas contumelias etc.

QUAESTIONES.

68. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicitur in littera: *Vos quae vidistis apud patrem vestrum, haec facitis.* — Nunquam enim diabolum viderant. — Et praeterea, nonne etiam per se ipsos poterant peccare?

RESPONDEO: Dicendum, quod etsi homo possit
Resp. per se ipsum peccati habere notitiam, pauca tamen aut nulla sunt, in quibus diabolus non interponat partes suas suggerendo. Et *videre* dicuntur opera patris diaboli, dum suggestiones eius vident in corde et complent in opere [1].

69. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Vos ex patre diabolo estis.* — Ex hoc arguit Manichaeus, quod Dominus non sit factor et creator hominum [2] malorum.

Ad hoc respondet Augustinus [3], quod *pater* hic
Resp. vocatur non qui generat per *originem*, sed per *imitationem*. Similiter haec praepositio *ex* non dicit hic originem in *esse primo*, sed *secundo*. Unde Augustinus [4]: « Hic *filii* dicuntur non nascendo, sed imitando ». Noluit Adam imitari Deum obediendo et imitatus est diabolum peccato consentiendo.

70. Item obiicitur de hoc quod dicit: *Ille homicida erat ab initio.* — Ex hoc opponit Manichaeus, quod malitia diaboli non habet initium; et sic videtur, quod duo sint principia: unum boni et alterum mali [5].

RESPONDEO: Dicendum, quod verbum illud quin-
Resp. que modis exponitur.

Uno modo sic: *homicida erat ab initio:* quia
Expositio prima, sed haeretica. sicut Verbum erat in principio, quia non habuit principium. — Sed haec est haeretica et eliditur per litteram; non enim dicit *in initio* [6], sed *ab initio*.

Alia expositio est, quod a suo initio factus est malus, sicut videtur dicere Psalmus [7]: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* — Et haec est haeretica, quia, sicut impossibile est, quod summe calidum infrigidet, sic quod summe bonum malum faciat; et illud verbum Psalmi et consimilia intelligenda sunt ex post facto [8]. Item, secunda.

Tertia expositio est haec: *homicida erat ab initio*, id est statim post initium, quia parva fuit mora inter creationem et lapsum; et ideo subditur: *Ille in veritate non stetit*, quia non perseveravit. Tertia.

Quarta expositio est haec: *homicida ab initio*, non suo, sed generis humani; unde Augustinus [9]: « Non posset homo occidi, nisi factus fuisset homo ». Quarta.

Quinta haec, quod *homicida ab initio:* quia Quinta, sed dubia.
in eodem instanti coepit esse a Deo et malus a se, sicut anima nostra, quae corpori infunditur. — Primae duae haereticae; secundae duae catholicae; ultima dubia et declinans ad haereticas, licet non sit haeretica; et ideo communiter non tenetur.

71. Quaest. IV. Item obiicitur de hoc quod dicit, quod diabolus est *pater mendacii.* — Ergo cum omne peccatum sit mendacium, videtur, quod sit unum principium peccati [10].

RESPONDEO: Dicendum, quod non est ponere Resp.
primum malum, quod quidem sit primum in genere *entis*, quasi non sit ab alio; sed est ponere Quid sit primum malum.
primum malum, ante quod non praecessit aliud malum; et hoc quidem est origo sequentium malorum, non semper *effective*, sed *occasionaliter* et *suggestive*. Ideo dicit: *Mendax est et pater eius*, scilicet mendacii [11].

72. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui ex Deo est.* — Aliqui [12] sumserunt robur erroris, quod boni spiritus sunt ex Deo *materialiter*.

---

[1] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 42. n. 2. — Superius pro *notitiam* sola ed. *nequitiam*.

[2] Plures codd., ut A B H I K L, *omnium*. — Vide August. loc. in seq. nota cit.

[3] In Ioan. Evang. tr. 42. n. 10. — Cfr. infra quaest. V. n. 72.

[4] Loc. cit.: « Unde ergo Iudaei filii diaboli? Imitando, non nascendo ». Ad quod probandum adducit Ezech. 16, 3: *Pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea*, quod dictum erat Iudaeis, licet ipsi de his gentibus originem non ducebant; « sed quia erant impii Amorrhaei et Cethaei, Iudaei autem imitati sunt impietates illorum; invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur ». Ibid. n. 11: *Vos*, inquit, *a patre diabolo estis*, et *desideria patris vestri vultis facere*. Ecce, unde filii eius: quia talia desideratis, non quia de illo nati estis. Quae sunt illius desideria? *Ille homicida erat ab initio*... Mortui sunt [primi homines] diabolum audiendo, quem non audissent, si Dominum audire voluissent; positus enim homo inter eum qui creavit, et eum qui lapsus est, obtemperare debuit Creatori, non deceptori.

[5] Cfr. August., loc. cit. in praeced. nota. Vide etiam II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1.

[6] De Verbo enim dicitur supra 1, 1: *In principio erat Verbum* etc.

[7] Psalm. 103, 26. — Subinde respicitur illud Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 19, ubi secundum versionem Vercellens.: Sicut contra ignis naturam est, ut infrigidet; sic contra naturam boni est, ut producat aliquid non bonum. Cfr. tom. II. pag. 113, nota 7. et tom. V. pag. 225, nota 1.

[8] Scilicet ipsum formatum fuisse bonum et post cecidisse ex propria voluntate etc. De hac opinione, sicut et de seqq. cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 4, et ibid. Comment. p. II. a. 1. q. 1. et 2.

[9] In Ioan. Evang. tr. 42. n. 11, ubi textus originalis *nisi prius fieret* pro *nisi factus fuisset*, et C *poterat* pro *posset*.

[10] Cfr. II. Sent. d. 5. a. 2. q. 2. fundam. 2.

[11] August., in Ioan. Evang. tr. 42. n. 13: Diabolus autem a se ipso mendax fuit: mendacium suum ipse genuit, a nemine audivit. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium... Nam tu forte mendax es, quia mendacium loqueris, sed non es pater eius. Si enim quod dicis a diabolo accepisti et diabolo credidisti, mendax es, pater mendacii non es; ille vero, quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacii, sicut Deus Pater est Veritatis. Cfr. etiam quaest. in praeced. nota allegata.

[12] Cfr. II. Sent. d. 17. a. 1. q. 1, ubi haec Manichaeorum opinio explicatur et refellitur.

Respondetur eis, quod hoc erroneum est dicere,
Resp. quod Deus alicuius sit *materia*, cum sit simplicissimus.

Sed tunc *obiicitur;* quia, si *ex* dicit ibi origi-
Obiicitur. nem et causam efficientem; et omnes sumus a Deo: omnes ergo audimus verbum Dei [1]. — Item, nonne ipsi audiebant?

Respondeo: Sicut praedictum est [2], *ex* dicit ori-
Solutio. ginem non quantum ad *esse primum*, sed quantum ad *esse secundum*, quod est *esse gratiae* et *culpae*, et hoc quidem secundum conformitatem et imitationem. Unde sensus est: *qui ex Deo est*, per conformitatem voluntatis, *verba Dei audit*, aure cordis, non corporis, quia sic [3] mali audiunt.

73. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc, quod Iudaei ista duo obiecerunt Christo magis quam alia. — Aliquam [4] rationem habebant, quare haec convicia magis dicerent.

Dicendum, quod eis videbatur, quod Christus
Resp. de utroque convicio. in observatione Legis quaedam faceret, quaedam transiret, ut Sabbatum et huiusmodi. Et quia Samaritani hoc faciebant, quia partim observabant, partim non [5]; ideo dixerunt eum *Samaritanum*. — Item, Dominus in doctrina sua quaedam dicebat valde sapientia et aliquando quaedam eis valde improbabilia, quia non intelligebant eum; ideo videbatur eis loqui tanquam homo alienatus: et ideo, quia daemonium inducit in mentis alienationem, dicebant, eum *daemonium* habere [6].

74. Quaest. VII. Item quaeritur: cum duo fuissent ei obiecta, quare Dominus tantum ad alterum respondit?

Respondet Gregorius [7], « quod alterum negavit,
Resp. 1. alterum tacendo consensit. *Samaritanus* enim interpretatur *custos*, et ipse custos erat, de quo Psalmus: *Nisi Dominus custodierit civitatem* » etc.

Aliter respondetur, quod certum erat, eum de
Resp. 2. Iudaeis natum; ideo non oportuit, eum respondere, quia evidenter erat falsum.

Tertio modo respondetur, quod illud de *Sa-*
Resp. 3. *maritano* tangebat *suum* vituperium, sed de *daemonio* tangebat vituperium *divinum*, et in Spiritum sanctum blasphemia erat, de qua dicitur Matthaei duodecimo [8], et derogabat gloriae Patris; ideo docuit nos Dominus sustinere *nostra* improperia, sed non *divina*. Et hoc patet ex responsione sua: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.*

75. *Amen, amen dico vobis.* Ostendit Dominus, Tertio, quia liberat a damnatione mortis, de quo quatuor. quod per doctrinam suam est liberatio a caecitate erroris et servitute peccati; hic iam tertio ostendit, quod per ipsam [9] est *liberatio a damnatione mortis.* Et hoc quidem ostenditur sic. Primo Iudaeis conviciantibus ostendit *sermonis sui efficaciam;* secundo contra argumentantibus ostendit *suam excellentiam;* tertio, admirantibus *suam aeternitatem;* quarto, persequentibus *suam patientem humilitatem.*

(Vers. 31.). Ponitur igitur primo *doctrinae Chri-* Primum. *sti commendatio* in hoc, quod ipsam servantes a morte eripiuntur, et hoc sine omni dubitatione; ideo dicit: *Amen, amen dico vobis*, scilicet ego Iesus in veritate hoc assero: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit* [10] *in aeternum.* Haec observatio est per custodiam mandatorum; Ecclesiastae octavo: « Qui custodit praeceptum non experietur quidquam mali »; et Sapientiae sexto: « Custoditio legum incorruptionis consummatio est. Incorruptio autem facit, esse proximum Deo ». Et talis mortem non *gustat* per experientiam, mortem scilicet aeternam, licet *videre* possit, secundum illud Isaiae ultimo [11]: « Egredientur et videbunt cadavera hominum, qui praevaricati sunt in me »; Matthaei decimo sexto: « Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo ».

76. (Vers. 32.). *Dixerunt ergo Iudaei.* Hic se- Secundum. cundo Iudaeis oppugnantibus monstrat *suam excellentiam*, quam impugnant docentem; unde dicunt: *Nunc cognovimus, quia daemonium habes;* bonum non poterant cognoscere, sed ad malum erant prompti; Ieremiae quarto [12]: « Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt ». Et hoc quidem volunt ostendere improbando Domini dictum, tum quia *falsum*, tum quia *superbum. Falsum* ipsum esse, De 1. ratione ostendunt hac ratione: *Abraham mortuus est et*

---

[1] Vers. 47: Qui ex Deo est verba Dei audit.

[2] Supra quaest. II. n. 69.

[3] Ed. addit *etiam*, C *sermonem*. — Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 1.

[4] Codd. B G K M addunt *enim*, ed. *utique*.

[5] Chrysost., in Ioan. homil. 31. (alias 30.) n. 2, dicit, quod Samaritani « non totas Scripturas reciperent, sed Moysis tantum libros, nec Prophetas multum curarent », et adiungit, quod Iudaei « ipsos quoque abominabantur. Unde et Christo exprobrabant his verbis: *Samaritanus es tu* » etc.

[6] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 55. (alias 54.) n. 1, ubi de Christo dicitur, quod quando « sublime quiddam dicebat, id furor esse ab insensatis existimabatur ». Vide etiam Theophylact. ad hunc loc.

[7] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 2. Allegatur Ps. 126, 1. — Pro *consensit* D habet *concessit*, sed etiam textus originalis *consensit*. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 43. n. 2, ubi aliis verbis eadem sententia profertur.

[8] Vers. 31. seq.: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur... qui autem dixerit contra Spiritum sanctum etc. — Chrysost., in Ioan. homil. 55. (alias 54.) n. 1: Cum dicebant: patrem habemus Deum... in illos invehebatur; cum autem daemoniacum appellabant, modeste locutus est, ut nos institueret, quatenus ea quae in Deum proferebantur, ulcisceremur, quae in nos autem, patienter ferremus. — Pro *de qua* non pauci codd. *sicut*.

[9] Non pauci codd. *ipsum;* sed vide membra divisionis supra n. 17.

[10] Vulgata *videbit*. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 8, 5. et Sap. 6, 19. seq.; cfr. supra Comment. in hos locos.

[11] Vers. 24. — Sequitur Matth. 16, 28.

[12] Vers. 22. — Superius pro *cognoscere* plures codd. *cogitare*.

Prophetae; et isti servaverunt sermonem Dei: falsum est ergo quod dicis: *Si quis sermonem meum servaverit* etc. Et argumentum illud est *a maiori*[1]: si enim servantes sermonem Dei mortui sunt; et non habuerunt immortalitatem de quibus magis videtur: ergo etc. Propterea dicunt: *Abraham mortuus est,* qui scilicet Domini sermonem servavit; unde Genesis vigesimo secundo[2] dictum est Abrahae: « In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae »; *et Prophetae mortui sunt,* quibus Dominus est locutus; Ecclesiastici quadragesimo sexto: « Ossa Prophetarum pullulant de loco suo ». *Et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum;* quasi dicant: aperte
De 2. ratione. *falsum* dicis; nec tantum falsum[3] loqueris, sed *superbe;* unde dicunt:

77. (Vers. 53.). *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est?* Quasi dicant: non es maior, et ipse mortuus est; Genesis vigesimo quinto[4]: « Deficiens aetate mortuus est senex et plenus dierum »; *et* etiam *Prophetae mortui sunt;* ita nec Abraham nec Prophetae potuerunt mortem evadere: multo minus nec tu. *Quem te ipsum facis?* Quasi dicant: quare te ipsum laudas et extollis? Et sic arguunt eum, quod se laudabat et falsum dicebat, quia se Abrahae praeponebat, cum nullus mortem evadat; secundi Regum decimo quarto[5]: « Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in ter-
Respondet Dominus. ram, quae non revertuntur ». — Ad hanc impugnationem respondet Dominus, ostendens suam excellentiam respectu Abrahae. Ante tamen, quam *dicat ex-*
Vitat arrogantiam. *cellentiam, vitat arrogantiam,* ne videatur hoc dicere per iactantiam; ideo respondendo asserit, se non quaerere propriam gloriam; et propterea dicit:

78. (Vers. 54.). *Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est,* id est, vana a vobis reputabitur, sicut vana reputatur gloria, qua quis se ipsum laudat et commendat; unde dixerunt ei supra eodem[6]: « Tu testimonium perhibes de te ipso, testimonium tuum non est verum ». Id est, *si ego* solus; *ego* discretive tenetur; secundae ad Corinthios decimo: « Non qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat ». Sed non *ego solus* me glorifico, immo alius mecum; propterea dicit: *Est Pater meus, qui glorificat me;* unde supra primo[7]: « Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre »; secundae Petri primo: « Speculatores facti illius magnitudinis; accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam » etc. *Quem vos dicitis, quia Deus vester est,* id est, quem Patrem dicitis esse Deum vestrum; et ita ei credere debetis; ipse est enim Deus Abraham et Isaac et Iacob, Exodi tertio[8]; sed non creditis; unde:

79. (Vers. 55.). *Et non cognovistis eum;* erant enim de illis, de quibus dicitur ad Titum primo[9]: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant ». *Ego autem novi eum,* et hoc quidem non ob iactantiam, sed propter veritatem dicendam. Unde: *Et si dixero, quia non scio eum; ero similis vobis, mendax;* et ideo oportet dicere, quia novi. Augustinus[10]: « Sic arrogantia vitetur, ut veritas non relinquatur ». Et ideo hoc iterum asserit: non dico, quia non novi, *sed scio eum et sermonem eius servo;* et hoc est vere nosse Deum, quia dicitur primae Ioannis secundo[11]: « Qui dicit, se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est ». Sic igitur *vitata arrogantia,* manifestat Dominus Manifestat excellentiam. suam *excellentiam:* quia non credebant, eum esse maiorem Abraham; ideo ostendit, se esse maiorem; ideo dicit:

80. (Vers. 56.). *Abraham, pater vester, exsultavit, ut videret diem meum; vidit et gavisus est,* tanquam de maiori. Gregorius[12] dicit, quod tunc exsultavit, quando tres viros vidit et unum adoravit, Genesis decimo octavo; unde Lucae decimo: « Beati oculi, qui vident quae vos videtis » etc. — Vel potest Aliter. dici aliter, quod Abraham *exsultavit, ut videret,* ad Domini vocationem, Genesis duodecimo[13]. — Sed *vidit et gavisus est,* in Domini *firma promissione,* Genesis Gavisus est. decimo quinto[14], ubi Dominus promisit, et « Abraham credidit, et reputatum est ei ad iustitiam »; et rursus in *confirmatione pacti,* in datione circumci-

---

[1] Cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.

[2] Vers. 18. — Subinde allegatur Eccli. 46, 14.

[3] Codd. E H *falso,* et pro *superbe* N *stulte.*

[4] Vers. 8. — Inferius post *ita* ed. addit *si,* et pro *nec tu* substituit *tu poteris evadere.*

[5] Vers. 14. Cfr. supra pag. 25, nota 2. — Inferius ex A B substituimus *ostendens* pro *ostendendo.*

[6] Vers. 13. — Subinde allegatur II. Cor. 10, 18. — De *ego discretive* cfr. supra pag. 344, nota 15.

[7] Vers. 14. — Sequitur II. Petr. 1, 16. seq.

[8] Vers. 6: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob; cfr. ibid. v. 15. et 16. — Superius pro *debetis* ed. cum pluribus codd. *deberetis.*

[9] Vers. 16.

[10] In Ioan. Evang. tr. 43. n. 15: Ergo arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur. — Inferius pro *asserit* ed. *asserens.*

[11] Vers. 4. — Inferius voci *quia* N praefigit *et.*

[12] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 3: Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura summae Trinitatis tres Angelos hospitio suscepit [Gen. 18, 2.], quibus profecto susceptis, sic tribus quasi uni locutus est etc. — Sequitur Luc. 10, 23.

[13] Vers. 1-3: Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui... faciamque te in gentem magnam... in te benedicentur universae cognationes terrae. — Pro *ad Domini vocationem* [B addit *gentium*] ed. *Domini benedictionem.*

[14] Vers. 1: His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere, Abram, ego protector tuus sum... [v. 5. seq.] Eduxitque eum foras et ait illi: Suspice caelum et numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo et etc.

sionis dicitur, quod Abraham risit, unde et gavisus est, Genesis decimo septimo [1].

81. (Vers. 57.). *Dixerunt ergo Iudaei ad eum.* Tertium. Hic tertio Iudaeis admirantibus *suam ostendit aeternitatem.* Mirabantur de hoc quod dixit, quod Abraham vidisset diem eius; unde dicunt: *Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti?* Quasi dicant: hoc omnino est impossibile. Et notandum, quod non dicunt: Abraham vidit te, sed tu Abraham, quasi semper maiorem reputantes Abraham. Chrysostomus [2] ponit *quadraginta,* quia secundum eorum aestimationem Dominus appropinquabat ad quadragesimum annum. Huic igitur admirationi subiungit Dominus suam responsionem, in qua suam ostendit aeternitatem. Et ideo non est mirum, si aliis det immortalitatem, quia etiam praecessit Abraham, sicut Creator creaturam; unde:

82. (Vers. 58.). *Dixit ergo* [3] *eis Iesus: Amen, amen dico vobis,* id est, in veritate assero; *antequam Abraham fieret,* sicut creatura in *esse* producitur, *ego sum.* Non dicit: *ego factus sum,* quia esse non coepit; non dicit: *ego fui,* quia *esse* eius non transit in praeteritum. Ideo dicitur Exodi tertio [4]: « Ego sum qui sum », quia *esse* eius est increatum et intransibile; unde Gregorius: « Praeteritum tempus Divinitas non habet, sed semper esse habet, ideo recte dicit: *sum,* non *fui* »; Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam ».

83. (Vers. 59.). *Tulerunt ergo lapides* etc. Hic Quartum. quarto Iudaeis persequentibus Dominus *suam ostendit humilitatem;* volebant enim eum lapidare; ideo dicit: *Tulerunt ergo lapides Iudaei* [5], *ut iacerent in eum.* Gregorius: « Ista aeternitatis verba mentes infidelium non ferentes, ad lapides cucurrerunt; et quem intelligere non poterant obruere quaerebant ». Ideo volebant eum occidere, quia videbatur blasphemasse; unde Levitici vigesimo quarto [6]: « Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo ». Hanc igitur persecutionem iniustam Dominus fugit humiliter, cum posset superare potenter; unde dicit: *Iesus autem abscondit se et exivit de templo,* secundum illud ad Romanos duodecimo [7]: « Non vosmetipsos defendentes, sed date locum irae »; et primae Petri secundo: « Cum malediceretur, non maledicebat ».

Quaestiones.

84. Quaest. I. Sed quaeritur hic: cum Iudaei scandalizati essent et non intelligerent Dominum, quia solum carnaliter sapiebant; unde est, quod Dominus non cessavit a praedicatione?

Respondeo: Dicendum, quod Dominus sic loque- Resp. batur, quod ipsi poterant spiritualiter intelligere, sed iusto Dei iudicio excaecati erant; nec tamen a praedicatione cessavit, quia, sicut dicit Gregorius [8], « cum perversitas malorum crescit, praedicatio non debet minui, sed augeri ».

85. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.*

Contra: 1. Qui potest testificari potest et laudare; sed supra eodem [9] dixit, quod de se posset testificari: ergo et se glorificare.

2. Item, opponit haereticus [10]: Pater glorificat Filium; Filius non potest se glorificare: ergo est minor Patre.

Respondeo: Dupliciter solvitur hoc: vel ita, Resp. duplex. quod hoc quod nunc dictum est, intelligatur secundum *humanam* naturam; vel ita, quod intelligatur *gloria nihil esse* non secundum veritatem, sed secundum Iudaeorum aestimationem [11].

86. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod non noverunt Patrem, cum dicatur in Lege [12]: *Deus tuus Deus unus est;* et hoc credebant.

Respondeo: Dicendum, quod *Pater* dicitur du- Resp. cum distinctione. pliciter: uno modo *essentialiter,* et sic Iudaei cognoverunt Patrem Deum, quia sic convenit toti Trinitati in comparatione ad creaturam. Alio modo

---

[1] Vers. 10-19; v. 17: Cecidit Abraham in faciem suam et risit etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 43. n. 16, ubi hoc exponit de die incarnationis Christi et de die aeternitatis, qui nescit ortum et occasum; Chrysost., in Ioan. homil. 55. (alias 54.) n. 2, qui idem explicat de die passionis et crucis, cuius figura praecessit in sacrificio Isaac.

[2] In Ioan. homil. 55. (alias 54.) n. 2: *Quadraginta annos nondum habes et Abraham vidisti?* Itaque quadraginta annos prope iam attigerat Christus.

[3] Vulgata omittit *ergo.*

[4] Vers. 14. — Sententia Gregorii habetur I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 3: Et quia praeteritum et futurum tempus Divinitas non habet, sed *semper esse* habet, non ait: Ante Abraham ego fui, sed: *Ante Abraham ego sum,* unde et ad Moysen dicitur: *Ego sum qui sum.* — Subinde allegatur Eccli. 24, 5. Cfr. I. Sent. d. 2. dub. 4. et Itinerar. mentis in Deum (tom. V.), c. 5. n. 2. seqq.

[5] Vulgata omittit *Iudaei.* — Verba Gregorii inveniuntur I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 3: Sed sustinere ista aeternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt etc.

[6] Vers. 16.

[7] Vers. 19. — Sequitur I. Petr. 2, 23.

[8] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 2, ubi textus originalis finem sic exhibet: *non solum praedicatio frangi non debet, sed etiam augeri.*

[9] Vers. 14.

[10] August., in Ioan. Evang. tr. 43. n. 14: Aliquando Ariani et de isto verbo calumniantur fidei nostrae et dicunt: Ecce, maior est Pater, quia utique glorificat Filium.

[11] Chrysost., in Ioan. homil. 55. (alias 54.) n. 2: « Quemadmodum enim dicit [supra v. 13.]: *Testimonium non est verum,* nempe secundum illorum opinionem; sic et hoc loco dicit: *Est qui glorificat me* ». August., loc. cit.: Haeretice, non legisti et ipsum Filium dicentem [infra 17, 4.], quod glorificet Patrem suum?... Pone pervicaciam, agnosce aequalitatem, corrige perversitatem.

[12] Deut. 6, 4.

dicitur *personaliter* in relatione ad Filium, et sic non cognoverunt, ut dicit Augustinus [1], sicut nec Filium.

87. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc, quod Dominus se abscondit. — Videtur, quod timuerit et imperfectus fuerit, quia imperfectorum est timere et fugere.

Respondeo: Abscondit se *in signum*, quod « veritas, quando non invenit humilem mentem, fugit », ut dicit Gregorius [2]. *In exemplum*, « ut, etiam quando resistere possumus, iram superbientium declinemus », sicut etiam dicit Gregorius. *Ad tempus opportunum servandum* abscondit se, qui inferius persecutionibus se obtulit, ut ostenderet se hominem verum: unde Augustinus [3]: « Tanquam homo a lapidibus fugit, sed vae illis! a quorum lapideis cordibus Deus fugit ».

Resp. Ratio triplex.

88. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Est qui quaerat et iudicet.* — *Contra*: Supra quinto [4]: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

Respondeo: Est iudicium *condemnationis* et *discretionis*; de primo supra [5], de secundo habetur hic.

Resp. cum distinctione.

Capitulum IX.

Secundo, Filius Dei se ostendit lucem et directorem miraculo potentiae.

1. *Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate.* Manifestavit Dominus in duobus praecedentibus capitulis se directorem verbo sapientiae, hic ostendit istud idem *miraculo potentiae.* Illuminando enim corporaliter significat, se illuminare spiritualiter, et hoc quidem facit in praesenti capitulo. Dividitur autem praesens capitulum in tres partes. Primo enim insinuatur *mirabilis caeci illuminatio;* secundo, *Pharisaeorum disceptatio* sive *calumniatio,* ibi [6]: *Et dixerunt ei: Ubi est ille* etc.; tertio, occasione illius disceptationis *spiritualis caeci illuminatio,* ibi: *Audivit autem Iesus* etc.

In parte prima insinuatur mirabilis caeci illuminatio.

In prima igitur parte duo describuntur: primo *mirabilis caeci illuminatio;* secundo vero, *ipsius publicatio,* ibi [7]: *Itaque vicini* etc.

Divisio.

Illuminationis igitur *miraculum* describit hoc ordine. Primo notatur divinae *bonitatis miseratio,* secundo, divinae *sapientiae dispensatio;* tertio, divinae *potentiae mirabilis operatio.*

Primo describitur caeci illuminatio per tria.

(Vers. 1.). Divinae *benignitatis miseratio* tangitur in hoc, quod Dominus oculo misericordiae respexit caecum; unde dicit: *Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate; vidit,* inquam, oculo misericordiae, secundum illud Threnorum primo [8]: « Vide, Domine, quoniam tribulor ». Vel: *vidit,* « studiose respexit, ut discipulis sensum inspiciendi tribueret », ut dicit Chrysostomus [9]; et propter hoc interrogaverunt discipuli.

Expositio litteralis. Primum.

2. (Vers. 2.). *Et interrogaverunt eum discipuli eius.* Tangitur hic secundum, scilicet divinae *sapientiae dispensatio,* quam volentes discipuli scire, interrogaverunt eum: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur?* Supponentes, quod divina sapientia non infligit poenam sine culpa, quaerunt, in quo fuerit culpa. Hoc quidem didicerant ex curatione paralytici, cui dictum fuit supra quinto [10]: « Ecce, sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat ». Sciebant, scriptum esse Exodi vigesimo: « Ego sum Deus fortis, zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem ». Et quia bene intendebant, sed male quaerebant; Dominus in responsione sua destruit quaestionem, cum dicit:

Secundum.

3. (Vers. 3.). *Respondit Iesus: Neque hic peccavit neque parentes eius* [11]; et tamen satisfacit quaerentibus: *Sed ut manifestentur opera Dei in illo;* ideo scilicet caecus natus est. Opera Dei manifestantur, quando Deus in suis operibus manifestatur. Haec sunt opera miraculosa; supra secundo [12]: « Manifestavit gloriam suam »; Ecclesiastae tertio: « Didici,

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 43. n. 15.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 18. n. 5. Ibid. n. 4. est seq. sententia: Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, nisi ut, etiam cum resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus? — Pro *possumus* ed. cum nonnullis codd. *non possumus.*

[3] In Ioan. Evang. tr. 43. n. 18. — Superius vocibus *abscondit se, qui inferius* [c. 18, 4.] *persecutionibus* [N *persecutoribus*] multi codd. praefigunt *unde Augustinus.*

[4] Vers. 22.

[5] Scilicet 5, 22; cfr. ibid. n. 55. seqq.; eadem distinctio affertur a Glossa *ordinaria* in Ioan. 8, 50.

[6] Vers. 12; ibid. v. 35. est seq. locus: *Audivit Iesus* etc.

[7] Vers. 8.

[8] Vers. 20. — Superius pro *benignitatis* C E F M N *bonitatis.*

[9] In Ioan. homil. 56. (alias 55.) n. 1: Ac quod egressus e templo ad hoc [sanandum caecum] data opera venerit, inde palam est, quod ipse caecum viderit, caecus vero ad ipsum non venerit. Et tam diligenter illum intuitus est, ut id discipuli adverterent et ad interrogandum inducerentur. Videntes enim eum studiose conspicientem, *interrogaverunt eum: Quis peccavit* etc.

[10] Vers. 14. — Sequitur Exod. 20, 5, de quo vide II. Sent. d. 33. a. 1. q. 1; ibid. d. 36. a. 2. et 3. agitur de relatione poenae ad culpam; cfr. etiam Breviloq. p. III. c. 5.

[11] Ed. addit: *non quia non peccaverunt, sed quia caecitas non erat poena peccati;* cfr. infra v. 11. quaest. II. n. 15, ubi de hac re specialis instituitur quaestio. Inferius pro *Opera Dei manifestantur, quando* eadem ed., interpunctione variata, legit: *ut opera Dei manifestentur, quoniam.*

[12] Vers. 11. — Subinde allegatur Eccle. 3, 14, de quo vide supra Comment. — Superius post *Haec* ed. addit *praecipue.*

quod opera, quae fecit Deus, perseverant in aeternum » etc. Ideo ad manifestationem caecus natus est, quia se offert opportunitas manifestandi; unde dicit:

4. (Vers. 4.). *Me oportet operari opera eius qui misit me.* Haec sunt opera miraculosa, quae Patri attribuit, quia sibi appropriatur potentia; infra decimo quarto [1]: « Pater in me manens, ipse facit opera »; supra quinto: « Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me ». Opportunitas faciendi haec opera durat, *donec dies est; veniet* [2] *nox, quando nemo potest operari;* tunc enim cessat opportunitas; Apocalypsis decimo quarto: « Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos »; et Ecclesiastae nono: « Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas ». Quis sit autem iste dies, hic explicat; unde dicit:

5. (Vers. 5.). *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Sicut igitur dies non est aliud quam praesentia lucis in terra, sic dies iste non est aliud quam praesentia Christi in mundo; Malachiae ultimo [3]: « Orietur vobis timentibus Deum sol iustitiae ». Ideo Dominus dicit infra duodecimo: « Ambulate, dum lucem habetis, ut tenebrae vos non comprehendant ».

Tertium.

6. (Vers. 6.). *Haec cum dixisset.* Tangitur hic tertium, scilicet divinae *virtutis mirabilis operatio* in hoc, quod sputo et luto opaco lumen reddit solo imperio. Ideo dicit: *Haec cum dixisset,* scilicet quae praedicta sunt; *exspuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos eius;* fecit quasi collyrium ad sanandum oculos; Apocalypsis tertio [4]: « Collyrio inunge oculos tuos, ut videas ».

7. (Vers. 7.). *Et dixit ei: Vade et* [5] *lava in natatoria Siloe.* « Siloe est fons ad radicem montis Sion, qui non iugibus aquis, sed in certis horis ebullit per concava terrarum ». Et quia hoc non sine mysterio praeceptum est, subdit Evangelista nominis interpretationem dicens: *Quod interpretatur Missus.* Chrysostomus [6]: « Ut discas, quoniam illic virtus mittentis operatur ». Et virtus exprimitur in effectu; unde subdit: *Et abiit* [7] *et lavit et venit videns;* in quo notatur effectus virtutis et obedientia caeci. Unde Chrysostomus: « Vide caeci mentem ad omnia obedientem; non enim in aliquo angustiatur quaerens, vel scandalizatur dicens: Quid opus est luto, cuius gratia inunxisti, cuius gratia lavari praecepisti? Sed nihil horum reputavit, sed ad omnia suasus obedivit ».

Expositio allegorica.

8. Secundum *allegoriam: saliva* sive sputum, quod ex ore procedit, quod etiam salsum est, significat Dei sapientiam, de qua Ecclesiastici vigesimo quarto [8]: *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita* etc. — *Terra,* caro Virginis; Psalmus [9]: *Terra nostra dabit fructum suum. — Saliva terrae coniungitur,* quando Dei Filius ex Virgine nascitur, et fit *lutum,* cum *Verbum caro factum est,* et hoc ad nostram reformationem, secundum Augustinum [10]. « Sicut Deus hominem de limo terrae formavit, ita per idem genus luti humanum genus reparavit ». — Hoc luto *inunguntur oculi nostri,* dum in Christum credentes illuminantur unctione sancti Spiritus, de qua primae Ioannis secundo [11]: *Unctio docebit vos de omnibus.* — Et *lavamur in aquis Siloe,* id est sacrae Scripturae, quae *cum silentio fluunt,* quia non strepitu verborum mundanae philosophiae fucantur vel colorantur, et in humilibus requiescunt et de montibus descendunt; Isaiae octavo [12]: *Aquas Siloe, quae fluunt cum silentio.*

---

[1] Vers. 10; seq. locus est 5, 36. — De appropriatis cfr. I. Sent. d. 34. q. 3. et Breviloq. p. I. c. 6.

[2] Vulgata *venit.* — Sequuntur Apoc. 14, 13. (vide IV. Sent. d. 20. p. I. q. 1. ad 1.) et Eccle. 9, 10, de quo cfr. supra Comment.

[3] Vers. 2. — Seq. locus est Ioan. 12, 35. — Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.): Dies est solis latio super terram. — Superius pro *Christi,* quod habet B, alii codd. et ed. *lucis.*

[4] Vers. 18. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 16.

[5] Vulgata omittit *et.* — Descriptio *Siloe* habetur in Glossa *ordinaria* apud Lyranum estque ex Hieron., Ill. Comment. in Isai. 8, 5. seqq., in quo textu plurimi codd. post *montis* omittunt *Sion.* Cfr. tom. V. pag. 413, nota 9.

[6] In Ioan. homil. 57. (alias 56.) n. 1: Neque enim metuendum erat, ne facti gloria Siloe referretur. Multi namque istic oculos laverant, qui nihil inde boni sunt consecuti. Hic enim virtus Christi omnia operatur; ideoque interpretationem hic adiicit Evangelista. Cum dixisset enim *in Siloe,* adiecit *hoc est Missus,* ut intelligas, illic a Christo curatum esse etc.

[7] Vulgata *Abiit ergo.* — Sententia Chrysost. habetur loc. in praeced. nota cit.

[8] Vers. 5. — Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 20: Saliva nobis est ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex capite defluit in ore.

[9] Psalm. 84, 13. August., in Ioan. Evang. tr. 27. n. 4: Filius enim hominis Christus ex Virgine Maria. Ergo Filius hominis hic coepit esse in terra, ubi carnem assumsit ex terra. Unde prophetice dictum erat: *Veritas de terra orta est* [Ps. 84, 12; idem dicit in Enarrat. huius loci n. 13.].

[10] In Ioan. Evang. tr. 44. n. 2: *Exspuit in terram,* de saliva sua *lutum fecit,* quia *Verbum caro factum est* [Ioan. 1, 14.]... *Quod interpretatur Missus.* Iam quis sit missus, agnoscitis; nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. — Glossa *ordinaria* in Ioan. 9, 6: *Et fecit lutum.* Sicut primum hominem de limo terrae formavit, ita per idem genus luti genus humanum reformavit [cfr. Chrysost., Cyrill. Alexandr. et Theophylact. in hunc locum]. De saliva *lutum fecit,* quia *Verbum caro factum est.* Saliva est sapientia, quae ex ore Altissimi prodiit. Terra est caro Christi. Cfr. tom. V. pag. 413, nota 10.

[11] Vers. 27. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 2, ubi *unctionem* intelligi vult de catechumeno, et *lotionem* de baptizato.

[12] Vers. 6. Cfr. supra pag. 290, nota 13. in fine. Vide etiam Collat. in Hexaëm. collat. 17. n. 27, ubi haec verba Isaiae eodem modo exponuntur, et Glossam *ordinariam* in Ioan. 9, 7. apud Lyranum. — Superius pro *sed in humilibus* substituimus cum codd. et Gorrano *et in humilibus.*

Expositio moralis.

9. Secundum *moralitatem: spuere* est peccati foeditatem extra nuntiare, ne forte putrescat; Psalmus [1]: *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae;* et Proverbiorum vigesimo octavo: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur. — Luto oculos inungere* est peccata frequenter considerare; Ieremiae trigesimo primo [2]: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines;* Isaiae trigesimo octavo: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae. — Lavari,* per lacrymas; Psalmus [3]: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo;* et Isaiae primo: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse.*

Secundo describitur miraculi manifestatio per tria.

10. *Itaque vicini* etc. Posita est et descripta mirabilis illuminatio, describitur hic *ipsius manifestatio,* et hoc ordine: primo inducitur *dubitatio;* secundo, *dubitantium certificatio;* tertio, *mirabilis illuminationis expressio.*

Primum.

(Vers. 8.). Inducitur ergo primo *dubitatio vicinorum,* qui ex admiratione immutationis visus non [4] cognoscere se dubitant illuminatum; propterea dicit: *Itaque vicini et qui viderant eum prius, quia mendicus erat,* sicut caeci mendicare solent. Tales personas miseras et contemptibiles et pauperes maxime Dominus benignus et humilis curabat; unde de consimili Lucae decimo octavo [5]: « Caecus quidam sedebat secus viam mendicans »; « *stans* autem Iesus » dicitur ibi quod illuminavit illum. Illi igitur, qui solebant eum videre, *dicebant: Nonne hic est, qui sedebat et mendicabat?* Dubitando hoc dicebant et in hac dubitatione dissentiebant; unde dicit: *Alii dicebant: Quia hic est,* considerantes corporis figuram.

11. (Vers. 9.). *Alii autem dicebant: Nequaquam, sed similis est ei;* considerantes visus immutationem, credunt alium, sed similem.

Secundum.

Ille autem [6] *dicebat.* Tangitur hic secundum, scilicet *dubitationis certificatio,* quae fit per caecum, qui se ipsum certitudinaliter cognoscebat; unde dicit: *Ille autem dicebat: Quia ego sum,* scilicet ille qui caecus mendicabat. Augustinus [7]: « Vox grata, ne damnaretur ingratus ». Non erubescebat caecus confiteri, se fuisse caecum, ad gloriam Dei; unde Ecclesiastici quarto [8]: « Est confusio adducens mortem », quae scilicet minuit gloriam Dei propter nostram; « et est confusio adducens gloriam et gratiam », et quae minuit nostram gloriam et manifestat ignominiam ad divinam gloriam manifestandam.

Tertium.

12. (Vers. 10.). *Dicebant ergo ei.* Tangitur hic tertium, scilicet *mirabilis illuminationis expressio,* et hoc ad inquisitionem dubitantium; unde dicit: *Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt oculi tui* [9]? ex quo tu es ille qui caecus erat. Et insinuat eis *auctorem* et *modum.*

13. (Vers. 11.). *Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus,* quia nondum credebat Deum, *lutum fecit et linivit oculos meos;* ecce, operatio; *et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe et lava;* ecce, eius praeceptio; *et abii et lavi et vidi* [10]; ecce, praecepti adimpletio et per illam illuminatio. Implendo enim mandatum Christi illuminatur homo, quia, sicut dicitur Proverbiorum sexto [11], « mandatum lucerna est, et lex lux », quae observata illuminat; Psalmus: « Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos [12] ».

Quaestiones.

14. Quaest. I. Sed incidit hic quaestio primo de hoc quod dicunt discipuli: *Quis peccavit, hic, aut parentes eius?* — Ex hoc videntur [13] implicare, quod filii puniantur propter peccata parentum.

Contra hoc est illud Ezechielis decimo octavo [14]: *Non portabit pater iniquitatem filii, nec filius iniquitatem patris:* ergo non debet filius propter pec-

---

[1] Psalm. 37, 6. — Pro seq. loco exhibent codd. tantum *Prov. 28,* ex quo ed. allegat v. 13. (quem retinuimus), post quem eadem ed. addit: *Glossa* [*interlinearis* in Ioan. 9, 6; de qua cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 2. n. 16.]: *Eccę, collyrium, quo ungitur genus humanum.* — Superius pro *putrescat,* quod habent B et ed., ceteri codd. *putrescant.*

[2] Vers. 21. — Sequitur Isai. 38, 15.

[3] Psalm. 6, 7. — Subinde allegatur Isai. 1, 16.

[4] Ed. cum B omittit *non.*

[5] Vers. 35; ibid. v. 40. seqq.: Stans autem Iesus iussit, illum adduci ad se... Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit etc.

[6] Vulgata *Ille vero.*

[7] In Ioan. Evang. tr. 44. n. 8, ubi pro *ingratus* (ita etiam card. Hugo et Gorranus) textus originalis et ed. *ingrata.*

[8] Vers. 25, ubi pro *mortem* Vulgata *peccatum.* — Inferius e pluribus codd., ut A B E G H L M, supplevimus *et quae minuit nostram gloriam.*

[9] Vulgata *aperti sunt tibi oculi?*

[10] Vulgata, superius posito *unxit* pro *linivit,* hic legit *et abii, lavi et video.* — Cyrill. Alexandr., in hunc locum: Ignorare quidem adhuc videtur Servatorem natura sua esse Deum. Neque enim tam exiliter et demisse de eo locutus esset, sed et de eo tanquam de aliquo Sanctorum et sentire videtur et loqui, idque ex obscuriore, ut par est, fama et sermonibus de illo etc.

[11] Vers. 23. — Sequitur Ps. 18, 9. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 23. n. 2, ubi de discipulis euntibus in Emmaus, qui Dominum coegerunt, ut maneret cum eis, ait: Audiendo ergo praecepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt, quia scriptum est [Rom. 2, 13.]: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores* etc.

[12] In E primitus hic quaedam addita sunt, quae non videntur esse genuina, tum quia in praecedente divisione huius partis non insinuatur *quartum* membrum, tum quia inferius explicatio v. 12. ponitur: *Et dixerunt ei.* Tangitur hic quartum, scilicet curatoris occultatio sive absentatio: propter quod, ubi esset, quaerebatur et a caeco nesciebatur. Ideo dicit: *Ubi est ille? Ait: Nescio;* quia se absentaverat, ut doceret vanam gloriam vitare. Unde simile fecit supra quinto in sanatione paralytici, ubi dicitur [v. 13.]: *Iesus declinavit a turba constituta in loco.* Chrysostomus [cfr. in Ioan. homil. 57. alias 56. n. 2.]: Docet nos fugere vanam gloriam. Non enim volebat in turba ostentari.

[13] Ed. cum nonnullis codd. *videtur;* M *implicari* pro *implicare.*

[14] Vers. 20.

catum parentum puniri. — Contrarium huius dicitur Exodi vigesimo[1]: *Vindicans peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem.*

Resp. 1. cum distinctione. RESPONDEO: Dicendum, quod duplex est poena peccati: quaedam *temporalis*, quaedam *aeterna*. Dico, quod poena *aeterna* non *punitur* filius propter iniquitatem patris; unde etsi parvuli non baptizati aeterna visione priventur, hoc non est propter peccatum patris tantum, sed[2] suum, quia quilibet habet originale. — De poena vero *temporali* intelligendum, quod filius portat iniquitatem patris; quia frequenter malus pater punitur in filio; ideo dicit: *Usque in tertiam et quartam generationem*, quia usque ad illam aetatem possunt parentes videre filios.

Resp. 2. Aliter dicunt aliqui, quod hoc intelligitur de filiis imitantibus scelus paternum, sed primum melius est[3].

15. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Neque hic peccavit* etc.

CONTRA[4]: *Nemo purus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram.*

Resp. Respondet Augustinus[5], quod littera illa est supplenda sic: « Non peccavit peccato, propter quod infligeretur haec poena caeco ». Et indiscrete petebant discipuli, ut dicit Chrysostomus[6], quia, antequam nasceretur, peccare non potuit, ut caecus nasceretur.

Obiicitur. Sed *obiicitur* tunc: 1. Quia, si omnis poena est propter culpam[7]; et iste non peccavit nec parentes eius: ergo iniuste caecus natus est, et poena iniuste inflicta.

2. Item Hieronymus super illud Ieremiae quarto[8]: *Viae tuae et cogitationes tuae fecerunt haec tibi;* dicit: « Quidquid supplicii nobis accidit, vitii nostri est ».

3. Item, *si dicas*, quod propter gloriam Dei; nunquid non aliter potuit manifestari gloria Dei quam sic? Et Deus propter suam gloriam non indiget *bonis* nostris[9], ergo multo minus *malis*.

Resp. RESPONDEO: Dicendum, quod est causa *sine qua non*, et hoc modo omnis poena habet culpam causam, quia, si non fuisset culpa, nulla prorsus esset poena. Alio modo est causa *meritoria*, et sic non omnis poena respicit culpam, et hoc modo loquitur hic Dominus. — Immo, sicut dicit Damascenus[10], aliquando poenae infliguntur *propter reatum culpae.* Quandoque *ad virtutis probationem et manifestationem*, sicut in Tobia et Iob, qui dicebat: *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus*, Iob decimo septimo[11]. Aliquando *ad virtutis conservationem*, sicut in Paulo, qui dicebat: *Datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogavi* etc., secundae ad Corinthios duodecimo[12]. Aliquando *propter divini consilii dispensationem*, sicut in Christo. Aliquando *ad divinae virtutis manifestationem*, sicut in hoc caeco. — Nec tantum propter Deum hoc factum est, sed propter nos instruendos et propter utilitatem caeci, quia occasione corporalis illuminationis est spiritualiter illuminatus; unde magna eius fuit utilitas[13].

Duplex causa. Ad obiect. 1. 2. Poenarum causae 5. Ad obiect. 3.

16. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit, quod *oportet eum operari, donec dies est.* — Sed Deo semper est *dies:* ergo nunquam cessat operari.

Resp. Dicendum, quod loquitur hic de operibus, quae operatur *propter nos* et *in nobis*, secundum illud Isaiae vigesimo sexto[14]: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Et quantum ad haec opera venit *nox*, quando clauditur nobis dies extremus, post quem nec nos operari poterimus, nec Deus *in nobis* nec *propter nos in malis;* unde Matthaei vigesimo secundo[15]: *Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.*

17. Quaest. IV. Quaeritur hic de modo curationis: 1. Cum Dominus alios curaverit solo imperio, unde est quod hoc facit luto?

2. Et quare praecipit lavari?

---

[1] Vers. 5.

[2] Ed. addit *etiam.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 1. q. 1; vide ibid. d. 30. a. 1. q. 2. ad 1.

[4] Iob 14, 4. secundum septuaginta interpretes; cfr. 15, 14. August., in Ioan. Evang. tr. 41. n. 9: Etiam ipse Iob quid dicit? *Quis enim mundus? Nec infans, cuius est unius diei vita super terram.* Cfr. Gregor., IX. Moral. c. 21. n. 32. et Leo, Serm. 20. in Nat. D. N. I. Chr. c. 1.

[5] In Ioan. Evang. tr. 44. n. 3: Si ergo et parentes eius habuerunt peccatum, et iste habuit peccatum; quare Dominus dixit: *Neque hic peccavit neque parentes eius... ut caecus nasceretur?* Habebant enim peccatum parentes eius, sed non ipso peccato factum est, ut caecus nasceretur.

[6] In Ioan. homil. 56. (alias 55.) n. 1: Falso nixa interrogatio. Quomodo enim peccasset, antequam nasceretur?

[7] August., III. de Lib. Arb. c. 18. n. 51: Omnis autem poena, si iusta est, peccati poena est et supplicium nominatur. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXXVI. c. 2.

[8] Vers. 18. In hunc locum Hieron.: Quidquid ergo nobis accidit, nostro accidit vitio, qui dulcem Dominum in amaritudinem vertimus et cogimus saevire nolentem. Cfr. tom. II. pag. 850, nota 1, ubi ex Ezech. 5, 16. similis sententia adducitur. — Post *vitii nostri est* ed. cum Glossa *ordinaria* in Ier. 4, 18. addit *non Dei.*

[9] Psalm. 15, 2: Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. — Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 56. (alias 55.) n. 1.

[10] Libr. II. de Fide orthod. c. 29, alio tamen ordine aliisque verbis. Vide Gregor., Praefat. libr. Moral. c. 5. Cfr. IV. Sent. d. 15. p. I. dub. 2. — Ed. sola hic addit *Poena bona est,* pro quo in margine allegat *Dialog. contra Manichaeos, n. 49.*

[11] Vers. 2. — Tob. 2, 12. seqq. et 12, 13.

[12] Vers. 7. seq.

[13] Vide II. Sent. d. 36. a. 2. q. 2.

[14] Vers. 12. Lectionem Vulgatae vide supra pag. 92, nota 9.

[15] Vers. 13. — August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 6: Quid dicemus de nocte ista? Quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit... Audi, quia et nox est. De quodam servo dicit: *Ligate illi manus et pedes et proïcite eum in tenebras exteriores.* Operetur ergo homo, dum vivit, ne illa nocte praeveniatur, ubi nemo possit operari etc. — Ed. omittit *in malis.*

Respondeo: Dicendum, quod ratio fuit *allegorica* et *moralis*, ut supra [1] dictum est, ad instructionem nostrae cognitionis et operationis; fuit etiam ratio *litteralis*. Quia enim iusto iudicio in adventu suo et caeci erant illuminandi, et Pharisaei excaecandi; lutum facit, in quo Sabbatum solvere videretur, et per hoc *sordidi magis sordescerent* [2], et ex hoc ipse caecus illuminaretur et purificaretur.

Resp. ad 1.

Ratio triplex.

2. Ad natatoria misit, ut miraculum esset publicum, sicut dicit Chrysostomus [3]; quia omnes concurrerunt ad tantum spectaculum, quod luto, unde alii excaecantur, caecus illuminatur [4].

Resp. ad 2.

In parte secunda describitur Pharisaeorum disceptatio.

18. *Et dixerunt ei: Ubi est ille?* Postquam insinuata est mirabilis caeci illuminatio, sequitur hic secunda pars, in qua describitur ex hoc oriens *Iudaeorum calumniatio*. Et dividitur haec pars in tres. In prima ostenditur, quomodo Pharisaei nituntur *Christum reprehendere*. Secundo, quomodo nituntur *miraculum negare*, ibi [5]: *Dicunt ergo iterum caeco: Tu quid dicis* etc. Tertio, quomodo, in his deficientes, nituntur *occultare*, ibi: *Vocaverunt ergo rursum hominem*.

Divisio in tria membra.

Primo ergo describitur, quomodo nituntur *reprehendere* miraculum cum auctoritate per hunc modum. Primo enim insinuatur *reprehendentium sollicitudo;* secundo, *reprehendendi occasio;* tertio, *ipsa reprehensio* [6].

Primo, de reprehensione miraculi tria.

(Vers. 12.). *Reprehendentium sollicitudo* in hoc notatur, quod curantem requirunt, et non invenientes, curatum non dimittunt; ideo dicit: *Et dixerunt ei: Ubi est ille?* scilicet curator. *Ait: Nescio.* Et quia curantem non possunt invenire, curatum ad Pharisaeos perducunt; ideo dicit:

Primum.

19. (Vers. 13.). *Adducunt eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat,* quia illi erant ad reprehendendum solliciti; Lucae sexto [7]: « Observabant scribae et Pharisaei, si in Sabbato curaret, ut invenirent, unde accusarent eum ».

20. (Vers. 14.). *Erat autem Sabbatum.* Tangitur hic secundum, scilicet *reprehendendi occasio,* quae erat *ex die festo* et *modo curandi. Ratione diei* dicit: *Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Iesus et aperuit oculos eius;* supra quinto [8]: « Propter hoc persequebantur Iudaei Iesum, quia hoc », scilicet opus curationis, « faciebat in Sabbato », quasi Legem contemnens. Alia occasio erat *ex modo curandi,* quem ideo quaerunt, quia nisi

Secundum.

---

[1] Vers. 7. n. 8. et 9.

[2] Apoc. 22, 11: Qui in sordibus est sordescat adhuc, et qui iustus est etc.

[3] In Ioan. homil. 57. (alias 56.) n. 1. — Inferius pro *concurrerunt* (ita CH) alii codd. *concurrerent*, ed. *cucurrerant*, Gorranus *concurrerant*.

[4] Ed. hoc loco addit duo schemata cum praecedentibus verbis:

Quo autem ad praedictum iudicium notandum:

quod iudicat Dominus
- in praesenti iudicio
  - discretionis, Ps. 42, 1: « Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me ». Ezech. 34, 20: « Ecce, ego ipse iudico inter pecus pingue et macilentum ».
  - probationis, I. Petr. 4, 17: « Tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei »; haec est tribulatio praesens; Eccli. 2, 5: « In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis ».
  - excaecationis, Ioan. 3, 18: « Qui non credit in Filium Dei iam iudicatus est »; et post (v. 19.): « Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem ».
- in futuro iudicio
  - accusationis, Rom. 2, 15. 16: « Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum ».
  - disceptationis, Ioel 3, 2: « Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Iosaphat, et ibi disceptabo cum eis »; et de hoc Matth. 25, 31.
  - definitionis, Dan. 7, 9: « Throni positi sunt, et antiquus dierum sedit », ad iudicandum scilicet, iuxta illud Ps. 9, 5: « Sedes super thronum qui iudicas aequitatem ».
  - condemnationis, Ioan. 5, 29: « Procedent qui mala egerunt in resurrectionem iudicii »; et I. Cor. 5, 13: « Eos qui foris sunt Deus iudicabit », id est condemnabit.

Iudicia Dei sunt
- admiranda, quia inscrutabilia, Rom. 11, 33: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius »!
- veneranda, quia irreprehensibilia, Iob 34, 10. 11. 12: « Absit a Deo impietas et ab Omnipotente iniquitas; opus enim hominis reddet ei et iuxta vias singulorum restituet eis. Vere enim non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet iudicium ».
- formidanda, quia inflexibilia, Prov. 6, 34: « Zelus et furor viri non parcet in die vindictae » etc.; I. Reg. 15, 29: « Triumphator in Israel non parcet et poenitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat poenitentiam ».
- recogitanda, quia consolatoria, Ps. 118, 52: « Memor fui iudiciorum tuorum a saeculo, Domine, et consolatus sum », propter iustitiae pulcritudinem; unde alibi, Ps. 18, 10: « Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa ».

[5] Vers. 17; v. 24. est seq. locus. — Superius post *calumniatio* C et ed. addunt *et disceptatio*. Subinde e codd. supplevimus primum divisionis membrum *quomodo Pharisaei nituntur Christum reprehendere. Secundo;* sed cum ed. retinuimus *miraculum* (cfr. infra n. 23.), quod codd. omittunt.

[6] Ed. *reprehendentium dissensio;* cfr. infra n. 22.

[7] Vers. 7.

[8] Vers. 16.

per confessionem caeci scire non possunt. Quaerunt de modo, ut, quia factum non valent reprehendere, calumnientur modum [1]; ideo dicit:

21. (Vers. 15.). *Et iterum interrogabant eum Pharisaei, quomodo videret* [2]; et modum quaerunt et modum audiunt; unde: *Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos meos, et lavi et modo video;* breviter repetit, quia ipsi iam ab aliis audierant, sed ad maiorem certitudinem ex ipsius ore requirebant. Et apparet hic constantia caeci, qui veritatem non timuit confiteri, servans illud Ecclesiastici quarto [3]: « Pro anima tua non confundaris dicere verum ».

22. (Vers. 16.). *Dicebant ergo ex Pharisaeis* Tertium. *quidam.* Tangitur hic tertium, scilicet in *reprehendendo dissensio;* unde dicit: *Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam,* fatui zelatores Legis; ad Romanos decimo [4]: « Aemulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam ». Dicebant: *Non est hic homo a Deo,* per conformitatem et complacentiam; *qui Sabbatum non custodit,* quod custodiri a Deo praeceptum est, Exodi vigesimo [5] et in pluribus aliis locis. *Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere?* Et isti erant magis illuminati; unde isti habebant aliquid luminis; sed alii obtenebrati; ideo sequitur, quod *schisma* [6] *erat inter eos,* id est divisio, iusto Dei iudicio dividentis lucem a tenebris et bonos a malis; propter quod dixit Matthaei decimo: « Non veni pacem mittere, sed gladium ».

23. *Dicunt ergo* [7] *caeco.* Tentaverunt supra Secundo, de negatione miraculi quatuor. Pharisaei Christum reprehendere; et quia in reprehendendo non poterant concordare, tentant et satagunt *miraculum negare.* Et hoc quidem describitur hoc ordine: primo notatur *Pharisaeorum versutia ad caecum tentandum;* secundo, *duritia ad credendum;* tertio, *diligentia ad quaerendum;* quarto, *parentum caeci timiditas ad respondendum.*

(Vers. 17.). Notatur ergo primo *Pharisaeorum* Primum. *versutia ad tentandum;* tentant enim caecum, quid de Christo sentiat, ut, si male, eum negare faciant Christi miraculum; si bene, verbis eius non credant. Propterea dicitur: *Dicunt ergo iterum caeco,* scilicet Pharisaei: *Tu quid dicis de eo* [8] *qui aperuit oculos tuos?* utrum scilicet sit bonus, vel malus; et malitiose requirunt, caecus autem respondit simpliciter. *Ille autem dixit, quia Propheta est;* Glossa [9]: « Constanter exprimit quod sentit », sicut turbae, Lucae septimo: « Propheta magnus surrexit in nobis ».

24. (Vers. 18.). *Non crediderunt ergo Iudaei* Secundum. *de illo, quia caecus* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *Iudaeorum duritia ad credendum;* ideo enim credere nolebant, propter hoc scilicet, quia Christum laudabat; ideo suspectum habebant. *Non crediderunt* [10], scilicet *donec vocaverunt parentes eius qui viderat;* sperabant enim per ipsos miraculum infirmare; unde Chrysostomus [11]: « A parentibus putabant abortivum facere miraculum »; unde semper rebellare nitebantur, secundum illud Iob vigesimo quarto: « Ipsi rebelles fuerunt lumini et ignoraverunt vias eius ».

25. (Vers. 19.). *Et interrogaverunt eos dicen-* Tertium. *tes.* Tangitur hic tertium, scilicet *Iudaeorum diligentia ad inquirendum;* quaerunt enim a pa- Quaerunt tria. rentibus tria: *personam, conditionem* et mirabilem *immutationem.* Propter quod dicitur: *Hic est filius vester?* Quaerunt de *persona. Quem vos dicitis, quia caecus natus est?* Id est, de quo dicitis, quia caecus natus est; interrogative quaerunt *conditionem. Quomodo ergo nunc videt?* Quaerunt *immutationem;* prudenter et diligenter requirunt, quia, sicut dicitur Lucae decimo sexto [12], « filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt ».

26. (Vers. 20.). *Responderunt parentes eius.* Quartum. Tangitur hic quartum, scilicet *parentum timiditas ad respondendum.* Et cum tria quaesivissent, ad duo respondent, ad tertium non audent respondere [13]. Ad hoc, utrum sit eorum filius et caecus natus; *responderunt eis parentes eius,* id est pater et mater, *et dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster et quia caecus natus est.* Et in hoc confutantur Pharisaei certissimo parentum testimonio; unde Chry-

---

[1] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 57. (alias 56.) n. 2.

[2] Vulgata: *Iterum ergo interrogabant... quomodo vidisset,* quae etiam inferius omittit *meos* et *modo.*

[3] Vers. 24. — Chrysost., in Ioan. homil. 57. (alias 56.) n. 2: Tu vero perpende, quomodo non turbetur caecus. Nam ubi primum interrogatus sine periculo respondit, non tam magna res erat veritatem profiteri; hoc vero mirum est, in maiori constitutum metu non negare, non contraria prioribus dicere.

[4] Vers. 2, ubi pro *quidem,* quod C N cum Vulgata omittunt, multi codd. *quidam.*

[5] Vers. 8; cfr. ibid. 31, 13; Levit. 19, 30; Deut. 5, 13. et 14.

[6] Vulgata *et schisma.* Inferius allegatur Matth. 10, 34. — Superius pro *obtenebrati,* cui voci ed. cum Gorrano praemittit *erant penitus,* C *obtenebrantur.*

[7] Codd. hic omittunt *iterum,* quod tamen inferius cum Vulgata exhibent.

[8] Vulgata *de illo.*

[9] Scilicet *interlinearis.* August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 9: Sed ille constanter quod sentiebat expressit. — Subinde allegatur Luc. 7, 16.

[10] Cod. B repetit hic *ergo Iudaei,* et post *scilicet* ed. supplet ex Vulgata *quia caecus fuisset et vidisset.*

[11] In Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 1: Per parentes se miraculum infirmare posse sperabant. — Inferius allegatur Iob 24, 13.

[12] Vers. 8.

[13] Chrysost., in Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 2: Cum tres essent interrogationes: si filius eorum esset, si caecus fuisset et quomodo visum recepisset, duo tantum confitentur, tertium non addunt; illudque ad veritatem firmandam conduxit, ut nemo alius, quam caecus curatus, qui fide dignus erat, haec confiteretur.

sostomus [1]: « Quis crederet, parentes talia mentiri de filio »? Et licet veritatem dixerint, tamen non totam; unde:

27. (Vers. 21.). *Quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis eius oculos aperuit, nos nescimus;* quia scilicet praesentes non fuimus, neque magis scimus quam vos, nec oportet nos interrogare, sed ipsum; unde dicunt: *Ipsum interrogate,* quia potest respondere; *aetatem habet, ipse de se loquatur;* quia ipse certior est nobis. Rationem huius responsionis assignat Evangelista. Illius responsionis ratio fuit timor Iudaicae conspirationis, unde dicit Evangelista:

28. (Vers. 22.). *Haec autem dixerunt parentes eius, quia* [2] *timebant Iudaeos;* Isaiae quinquagesimo primo: « Quis tu, ut timeas ab homine mortali et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet »? Et primi Machabaeorum secundo: « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis est ». Et ratio timendi redditur: *Iam enim conspiraverant Iudaei, ut, si quis eum confiteretur Christum* [3]*, extra synagogam fieret.* Conspiratio est colligatio in malum, sicut, Ieremiae undecimo, « inventa est coniuratio in viris Iuda et in habitatoribus Ierusalem ». Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum et *conspiraverant* nomen Christi delere; Ieremiae undecimo: « Eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius ».

29. (Vers. 23.). *Propterea parentes eius dixerunt: Aetatem* [4] *habet; ipsum interrogate;* adhuc enim erant de illis, de quibus dicitur infra duodecimo, quod « multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut de synagoga non eiicerentur ».

30. *Vocaverunt ergo rursum hominem* illum. Tertio, de occultatione miraculi quatuor. Iam frustrato conatu Pharisaeorum ad reprehendendum et negandum, hic conantur *ad miraculum obumbrandum,* ut ipsum Christo Domino non attribuatur, sed nomen eius taceatur. Ideo conantur hic caecum a confessione nominis Christi retrahere hoc ordine: primo scilicet *blanditiis;* secundo, *astutiis;* tertio, *conviciis;* quarto, *iniuriis.*

(Vers. 24.). Primo ergo conantur ipsum retrahere *blanditiis.* Primum. Blande enim admonent ipsum caecum, ut Christum non tanquam bonum credat hoc fecisse miraculum et illud confiteatur. Propterea dicit: *Vocaverunt ergo rursum hominem, qui caecus fuerat, et dixerunt ei: Da gloriam Deo,* scilicet confitendo veritatem. *Dare* enim *gloriam Deo* est veritatem de aliquo confiteri, quasi Deo praesente; Iosue septimo [5]: « Fili, confitere et da gloriam Deo ». Et veritas illa erat, ut hoc miraculum Christo non attribuat; propter quod dicunt: *Nos scimus, quia hic homo peccator est;* confitere igitur, te non ab hoc curatum, sed a Deo. Chrysostomus [6]: « Sub specie religionis hoc facere tentabant »; et tamen ad malum inducebant. Unde Augustinus [7]: « Negare quod accepisti non est gloriam Deo dare, sed Deum potius blasphemare ». Et licet blandiantur, non tamen praevalent; quia caecus admonitionem spernit et veritatem dicit. Unde:

31. (Vers. 25.). *Dicit homo ille* [8]*: Si peccator est, nescio; unum scio, quia, cum essem caecus, modo video.* Quasi dicat: auctorem non iudico, sed beneficium recognosco. Augustinus [9]: « Nec favet calumniae nec celat veritatem ». Sapienter caecus respondit, iuxta illud Ecclesiastici quinto [10]: « Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato et confundaris ».

32. (Vers. 26.). *Dixerunt ergo illi.* Tangitur hic secundum, quomodo scilicet tentant retrahere *per astutias;* ideo malitiose quaerunt, ut aliquid miraculo obiiciant; propter quod dicit: *Quid fecit tibi? Quomodo aperuit oculos tuos* [11]? Chrysostomus: « Curationis modum scrutantur, quemadmodum canes undique investigantes ». Sed in hac astutia reprehenduntur a caeco, ideo renuit respondere, sed arguit; unde subdit: Secundum.

33. (Vers. 27.). *Respondit eis: Iam dixi vobis, et audistis; quid iterum vultis audire?* Quasi dicat: si malitiose quaeritis, non respondebo; si autem studiose, respondebo; unde dicit: *Nunquid et vos vultis discipuli eius fieri?* Quasi dicat: credo, quod

---

[1] Loc. in praeced. nota cit. n. 1: O exsecrandi et plus quam exsecrandi! Ecquis pater haec de filio confinxerit?

[2] Vulgata *quoniam.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 51, 12. et I. Machab. 2, 62.

[3] Vulgata *esse Christum.* — Subinde allegantur Ier. 11, 9. seq. et v. 19.

[4] Vulgata et E *Quia aetatem.* — Sequitur Ioan. 12, 42.

[5] Vers. 19.

[6] In Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 2: Nec tamen palam et impudenter dicunt: Nega, Christum te sanasse, sed sub pietatis specie id volunt assequi. *Da gloriam Deo,* inquiunt.. id est, confitere, ipsum nihil fecisse.

[7] In Ioan. Evang. tr. 44. n. 11: « Quid est *da gloriam Deo?* Nega quod accepisti. Hoc plane non est gloriam Deo dare, sed Deum potius blasphemare ». Ita etiam ed.; Glossa *interlinearis:* Nega quod accepisti, quod est blasphemare, non gloriam Deo dare.

[8] Vulgata *Dixit ergo eis ille.*

[9] Ita codd.; ed. autem *Glossa* [interlinearis] *dicit;* ista apud Lyranum sic sonat: « Non patet calumniae nec veritatem celat ». S. Thom., Catena aurea in Ioan. c. 9. n. 4: *Alcuinus:* Sed ille, ut neque pateret calumniae neque veritatem celaret, non dixit: Scio eum iustum; nam sequitur: *Dicit ergo ille: Si peccator est, nescio* [Notamus, quod haec sententia in Commentario, qui nostro saeculo tribuitur Alcuino, non invenitur]. Card. Hugo in Ioan. 9, 25: Et hoc dicit, ut nec os pateat calumniae nec veritatem celet. — Ed. post *veritatem* addit: *Augustinus* [in Ioan. Evang. tr. 44. n. 13.]: *Confitetur libere, constanter, veraciter.*

[10] Vers. 14. — Post *Sapienter* ed. addit *itaque.*

[11] Vulgata *tibi oculos.* — Chrysost., in Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 2: Quia ergo non poterant illam evertere vel abolere, rursus ad modum curationis explorandum redeunt, velut si quipiam feram undique pervestigantes [in nota adiecta dicitur: Alii legunt: veluti si canes feram in tuto latentem undique pervestigantes], modo huc, modo illuc accurrant.

non vultis; sed si velletis, iterum dicerem; attendens illud Proverbiorum nono [1]: « Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit ».

Tertium. 34. (Vers. 28.). *Maledixerunt ergo* etc. Tangitur hic tertium, scilicet quod tentant retrahere *conviciis;* unde sic paulatim procedunt: *Maledixerunt ergo ei et dixerunt: Tu discipulus illius sis*, id est, maledicendo et conviciando dixerunt ei, quod esset Christi discipulus. Augustinus [2]: « In me sit ista maledictio; tale maledictum sit super nos et super filios nostros ». Discipulatum Christi contemnebant et ei praeferebant discipulatum Moysi; unde dicunt: *Nos* [3] *Moysi discipuli sumus*, non istius; et rationem subdunt:

35. (Vers. 29.). *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus*, sicut dicitur in Exodo et Levitico quasi per totum; Exodi trigesimo tertio [4]: « Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem ». *Hunc autem nescimus, unde sit;* ideo discipuli sumus illius quem Dominus approbat. Sed tamen falsum dicebant, quia, sicut dicitur supra quinto [5], « si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi ». Et in hac maledictione contra caecum non praevalent; immo arguit maledictionis rationem in hoc, quod dicebant, se nescire Christum; propter quod dicit:

36. (Vers. 30.). *Respondit ille homo et dixit eis: In hoc enim mirabile est, quod* [6] *vos nescitis, unde sit, et aperuit oculos meos.* Non dixit *impium*, ne provocaret eos, sed *mirabile*, quia ipse admirabatur eorum duritiam; et rationem reddit, quia vident signum evidentissimum et non credunt. Ideo verificatum est illud Isaiae sexto [7]: « Ut videntes non videant, et audientes non intelligant ».

37. (Vers. 31.). *Scimus* [8], *quia peccatores Deus non audit;* unde Isaiae primo Dominus ad peccatores: « Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam »; Iob octavo: « Deus non proiiciet simplicem nec porriget manum malignis ». *Sed si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit;* infra decimo quinto [9]: « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis »; primae Ioannis tertio: « Fiduciam habemus ad Deum, ut, quodcumque petierimus, accipiamus, quoniam mandata eius custodimus et ea quae sunt placita coram eo, facimus ». Sed hunc praecipue exaudit; et hoc probat:

38. (Vers. 32.). *A saeculo non est auditum, quod* [10] *quis aperuit oculos caeci nati;* sed hic aperuit: ergo est a Deo, quia *a destructione consequentis:*

39. (Vers. 33.). *Nisi esset hic homo a Deo, non posset* [11] *facere quidquam;* infra decimo quinto: « Sine me nihil potestis facere ».

Quartum. 40. (Vers. 34.). *Responderunt et dixerunt.* Tangitur hic quartum: quia non valentes retrahere blanditiis nec astutiis nec conviciis, aggrediuntur *iniuriis;* unde ex indignatione moti, *responderunt et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* qui scilicet iusti reputamur. Vere isti erant Pharisaei similes illi qui se in oratione laudabat, Lucae decimo octavo [12]. *Et eiecerunt eum foras*, pro veritate iniuriam intulerunt. Chrysostomus: « Vides praeconem veritatis, quanta passus est. Haec scripta sunt, ut et nos similiter imitemur ». Simile de Stephano Actuum septimo: « Et eiicientes eum extra civitatem, lapidabant ».

Quaestiones.

41. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod caecus dixit: *Si peccator est, nescio.* — Videtur fuisse mentitus, quia infra [13] ostendit, quod non erat peccator.

Resp. duplex. Respondetur dupliciter: ex Chrysostomo [14] primo, quod *nescio*, id est, modo non enuntio; vel *nescio*, quia ipsius vitam ignoro; porro ut homo caecus, et qui nunquam eum vidi nec secutus fui.

42. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* — *Contra:* Nonne audivit publicanum [15]?

---

[1] Vers. 7.

[2] In Ioan. Evang. tr. 44. n. 12, ubi textus originalis omittit primam propositionem: *In me sit ista maledictio*, quae habetur Gen. 27, 13. Plures codd. vocibus *super nos* praefigunt *semper*, quod non habetur in textu originali, cum quo ed. post *filios nostros* prosequitur: *Maledictum enim est, si cor discutias, non si verba perpendas.*

[3] Vulgata *Nos autem.* [4] Vers. 11.

[5] Vers. 46. — Chrysost., in Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 3: Vos enim neque Moysis neque huius discipuli estis. Si Moysis essetis, et Christi essetis. Ideo Christus supra dicebat illis: *Si crederetis Moysi* etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 12.

[6] Vulgata *quia.*

[7] Vers. 9; verba autem sunt ex Luc. 8, 10; cfr. infra 12, 40.

[8] Vulgata *Scimus autem;* ed. inferius post *non audit* addit *vel non exaudit.* — Duo seqq. loci sunt Isai. 1, 15. et Iob 8, 20.

[9] Vers. 7. — Sequitur I. Ioan. 3, 21. et 22.

[10] Vulgata *quia.* — Boeth., III. de Differentiis topicis, pro loco *ab antecedentibus et consequentibus* has maximas propositiones exhibet: Posito antecedenti, comitari quod subsequitur; perempto consequenti, perimi quod antecedit.

[11] Vulgata omittit *homo* et substituit *poterat.* — Subinde allegatur Ioan. 15, 5.

[12] Vers. 11. — Sententia Chrysost. habetur in Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 3. et 4, pluribus tamen additis. Sequitur Act. 7, 58.

[13] Vers. 31: Scimus autem, quia peccatores Deus non audit etc.

[14] In Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 2: *Si peccator est, nescio*, id est, nihil ea de re nunc dico neque sententiam fero; illud probe scio et pronuntio, si peccator esset, non talia fecisset. — De secunda responsione cfr. ibid. homil. 59. (alias 58.) n. 1. — Inferius e codd. supplevimus *porro.*

[15] August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 13: Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus, oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens, diceret [Luc. 18, 13.]: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste caecus illuminationem.

Respondetur dupliciter ex Glossa [1]: primo modo,
Resp. 1. ut fiat vis in hoc quod dicit: *peccatores non audit,* quia persistentes in peccato non audit, ad salutem
Resp. 2. scilicet. — Aliter respondet Glossa [2], quod caecus nondum inunctus erat nec interius illuminatus; et ideo falsum dixit, licet crederet verum dicere.

43. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quidquam. — Contra:* Multi mali faciunt miracula plura, sicut ipse Dominus dicit Matthaei septimo [3]: *Domine, nonne in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus?*

Respondetur, quod caecus intellexit, quod face-
Resp. duplex. ret propria auctoritate; vel potest responderi, sicut de priori [4].

44. Quaest. IV. Sed tunc quaeritur: cum Dominus omnem, quem sanavit exterius, sanaverit simul interius [5]; quare iste caecus non fuit interius illuminatus?

Responderi potest dupliciter: aut quod caecus
Resp. duplex. iste fidelis erat, sed tamen nondum fidem explicitam habebat, sicut catechumeni, et ideo infra [6] instruitur; aut quod non oportuit, eum tunc simul sanari interius, quia non ex culpa sua infirmabatur exterius, sicut Dominus testatur [7].

45. Quaest. V. Item quaeritur, quare dicant ei Pharisaei: *In peccatis natus es totus.*

Responderi potest, quod non dicunt ex ratione,
Resp. triplex. sed ex indignatione. Vel quia a peccatis, in quibus natus fuerat, non recesserat per religionem, sicut Pharisaei; vel propter caecitatem, quae erat poena peccati, vocabant eum in peccatis natum [8].

In tertia parte describitur spiritualis caeci illuminatio.

46. *Audivit Iesus.* Haec est tertia pars capituli, in qua, iam descripta mirabili caeci illuminatione et ludaeorum disceptatione, tertio introducitur de *spirituali illius illuminatione.* Hanc autem describit Divisio. Evangelista hoc ordine: primo enim notatur ipsius *caeci despecti vocatio benigna;* secundo, *consentientis illuminatio interna;* tertio vero innuitur ipsorum *Iudaeorum superborum excaecatio iusta.*

(Vers. 35.). Primo ergo insinuatur *caeci abiecti* Expositio litteralis. Primo, caeci vocatio. *vocatio benigna.* Eiecerunt enim eum Pharisaei, et Dominus suscepit; propter quod dicit: *Audivit Iesus, quia eiecerunt eum foras;* per se sciebat, sed nihilominus est ei relatum. *Et cum invenisset eum* Iesus, non casu, sed studio suscipiendi; Lucae decimo quinto [9]: « Accendit lucernam et quaerit diligenter, donec inveniat »; *dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* Quaerendo excitat et excitando vocat, ut abiectum suscipiat, secundum illud Psalmi [10]: « Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me »; Ieremiae quadragesimo nono: « Relinque pupillos tuos, et ego vivere te faciam ».

47. (Vers. 36.). *Respondit ille et dixit.* Tangi- Secundo, ipsius illuminatio interna. tur hic secundum, scilicet *consentientis instructio vel illuminatio interna.* Consensit enim caecus in fidem; unde dixit: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Quasi dicat: paratus sum credere; unde Chrysostomus [11]: « Verbum inquirentis est et desiderantis »; ideo instruitur. Propterea:

48. (Vers. 37.). *Dixit* [12] *ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. Vidisti,* per

---

[1] Apud Lyranum habetur in hunc locum ista tantum Glossa *interlinearis* [ex August., vide notam praeced.]: « Adhuc inunctus; quia peccatores Deus audit, ut publicanum confitentem ». Beda, in Ioan. 9, 30. seq. primo adducit verba Augustini: Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores etc. [vide notam praeced.]; deinde sublungit: Sed peccatoribus lavandum est cor poenitentiae lacrymis, ut exaudiantur, et fiet in corde illorum quod factum est in facie caeci huius; et sentient, Deum illos exaudire, qui, ut peccatores salvaret, venit in hunc mundum [Matth. 9, 13. et I. Tim. 1, 15.]. Cfr. IV. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. — Ed. omittit *ex Glossa.*

[2] Cod. D addit *interlinearis,* cuius verba vide in nota praecedente. Ed. pro *nondum inunctus* substituit cum dicta Glossa *adhuc inunctus,* C legit *quod caecus non interius illuminatus* etc. Cfr. Glossa *ordinaria* [ex August. in eundem locum] in v. 17: Adhuc inunctus in corde qui nondum Filium Dei confitetur, non tamen mentitur. Vide supra pag. 373, notam 11, ubi secundum Augustinum *inunctus* significat *catechumenum,* non *illuminatum.* — Ed. vocibus *nec interius* interserit *plene.*

[3] Vers. 22. Cfr. supra pag. 279, nota 4.

[4] Scilicet quaest. II. in fine. — Prima responsio insinuatur a Chrysost., in Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 3, ubi dicit, quod ex isto miraculo « palam est, illum virtute omnia superasse, eiusque potestatem plus quam humanam esse ».

[5] Cfr. supra 7, 23. n. 31. et 34. ad 2. Glossa *ordinaria* in Matth. 9, 2. [ex Hieron. in Matth. 9, 5. seq.]: Ecce, modus curationis: prius dimittit peccata, tollens causam morbi, post curat corpus.

[6] Vers. 35. seqq. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 2. et 15.

[7] Supra v. 3. Vide supra c. 5. n. 18.

[8] Chrysost., in Ioan. homil. 58. (alias 57.) n. 3: « *In peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Donec enim negaturum eum sperabant, fide dignum putantes, semel et iterum vocarunt... Cum porro nihil veritus vera loqueretur... tunc illum damnant. Quid porro sibi vult illud: *In peccatis natus es totus?* Hic illi caecitatem exprobant, ac si dicerent: A prima aetate in peccatis es, ac si ideo caecus fuisset; quod praeter rationem est » [cfr. supra n. 2. et 14. seq.]. Glossa *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 14.): « *In peccatis* etc., id est cum clausis oculis; quod dicunt esse pro peccatis parentum; sed Christus totum sanat, extra oculos, intus cor aperit ». Cyrill. Alexandr., in Ioan. 9, 2. seq., docet quod Christus etiam responsione sua « pessumdat nugas eorum, qui dicunt, animas, antequam in corpora venerint, peccare ». — Superius pro *per religionem, sicut Pharisaei* ed. *per religionem sectae Pharisaeorum,* cuius sectae, ut Bonelli notat, hic erat spiritus et fastus, quod se puros et sanctos secundum Legem arbitrabantur atque ceteros ceu impuros contemnebant.

[9] Vers. 8.

[10] Psalm. 26, 10. — Sequitur Ier. 49, 11.

[11] In Ioan. homil. 59. (alias 58.) n. 1: Optantis ac vehementer desiderantis verbum. — Pro *inquirentis,* quod etiam card. Hugo et S. Thomas (in Catena aurea, in hunc locum) exhibent, plures codd. cum Gorrano *requirentis.* Textus originalis: Ποθούσης καὶ σφόδρα ἐπιζητούσης ψυχῆς τὸ ῥῆμα.

[12] Vulgata *Et dixit.*

miraculosam operationem; *loquitur tecum*, per mirabilem instructionem; supra octavo [1]: « Ego principium, qui et loquor vobis ». Simili modo instruxit Dominus Samaritanam supra quarto: « Ego sum, qui loquor tecum ». Et quia « corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem »; ideo sequitur vera caeci illuminati confessio; et confessus est fidem suam *verbo*, dicens:

49. (Vers. 38.). *Credo* [2], *Domine*; et *devotionis obsequio*, unde: *Et procidens adoravit eum*, tanquam Deum, qui solus latria est adorandus; unde respondit Dominus diabolo Matthaei quarto: « Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies »; Deuteronomii sexto: « Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies ».

Tertio, Iudaeorum excaecatio.

50. (Vers. 39.). *Et dixit ei* [3] *Iesus*. Tangitur hic tertium, scilicet *Iudaeorum excaecatio iusta*, quam Dominus manifestat caeco, ad quam etiam manifestandam ipsum corporaliter illuminavit. Propterea dicit: *In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant. In iudicium*, scilicet discretionis, *ut qui vident*, id est, se videre reputant, sicut Iudaei, *caeci fiant*. De hoc iudicio dicitur ad Romanos undecimo [4]: « Nolo vos ignorare, fratres, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret »; et iterum ad Romanos nono: « Gentes, quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; Israel vero, sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit ». Et quod illud iudicium iustum sit, patet ex inquisitione Pharisaeorum et responsione Domini, in qua innuitur malitia et pertinacia Iudaeorum; quia, cum viderent, noluerunt credere et intelligere: et ideo iudicio Dei et suo peccato sunt excaecati [5]; ideo dicit:

51. (Vers. 40.). *Audierunt* [6] *quidam ex Pharisaeis, qui erant cum ipso*, id est, praesentes aderant; *et dixerunt: Nunquid et nos caeci sumus?* Indignabantur verbo Domini, quia credebant, propter se fuisse dictum, quia se sapientes reputabant: et ex hoc ipso ostendit Dominus divinum iudicium, quod *iuste* sunt excaecati; propter quod:

52. (Vers. 41.). *Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum*; quia tunc vos Dominus illuminaret; unde primae ad Corinthios tertio [7]: « Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens ». *Nunc autem dicitis: Quia videmus*, et vos sapientes reputatis; *peccatum vestrum manet*, scilicet infidelitatis, secundum illud ad Romanos primo [8]: « Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt ». Unde alloquitur Dominus Ieremiae quinto: « Audi, populo stulte, non habens cor, qui habentes oculos non videtis, et aures, et non auditis ». Et quia ipsi videntes noluerunt credere, ideo sunt excaecati; Psalmus: « Obscurentur oculi eorum, ne videant » etc.

Quaestiones.

53. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod Dominus quaerit, utrum credat *in Filium Dei*.

1. Constans est, quod stat ibi pro divina natura; sed post subdit: *Vidisti eum; eum* est relativum [9], ergo refert secundum divinam naturam: ergo caecus vidit divinam naturam.

2. Item, si fides est de his quae non videntur [10], quomodo hortatur Dominus, ut credat in eum quem videt?

Respondeo: Dicendum, quod idiomatum est communicatio propter convenientiam in una hypostasi [11]. Unde sicut dicitur idem mortuus et aeternus, sic idem, in quem credendum, quia aequalis Patri; idem qui loquitur et videtur, sed in forma servi [12]. Resp.

54. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *In iudicium ego veni in mundum;* quia supra tertio [13] dicitur: *Non misit Deus Filium suum, ut iudicet mundum.*

Respondetur, quod venit in iudicium *discretionis*, sed non *condemnationis* [14]. Resp. 1.

Aliter tamen potest dici, quod differt dicere *veni in iudicium*, et *ad iudicium*: *venire ad iudicium* Resp. 2.

---

[1] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 4, 26. et Rom. 10, 10.

[2] Vulgata *At ille ait: Credo*. — Sequuntur Matth. 4, 10. et Deut. 6, 13. — De *latria* cfr. III. Sent. d. 9. per totam.

[3] Vulgata omittit *ei*.

[4] Vers. 25. Etiam hic, sicut supra pag. 290, nota 5, codd. nostri *intravit* pro *contigit*. — Sequitur Rom. 9, 30. seq. — August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 17: *Quid est: qui vident, caeci fiant?* Qui se putant videre et medicum non quaerunt in sua caecitate permaneant. Ergo istam discretionem vocavit iudicium, cum ait: *In iudicium veni in hunc mundum*, quo discernit causam credentium et confitentium a superbis se videre putantibus, et ideo gravius excaecatis etc.

[5] Cfr. infra n. 54. et 55. — Superius voci *iudicio* ed. praefigit *iusto*.

[6] Vulgata *Et audierunt*, quae etiam inferius post *dixerunt* addit *ei*.

[7] Vers. 18. — Inferius pro *Nunc autem* Vulgata *Nunc vero*.

[8] Vers. 22. — Duo seqq. loci sunt Ier. 5, 21. et Ps. 68, 24. — Subinde verbo *alloquitur* ed. praefigit *tales*.

[9] Petr. Hispan., Summul. tr. *de Suppositione* etc.: Aliud est *relativum*, quod est ante latae rei recordativum; quia, ut vult Priscianus in maiore volumine [XII. Grammat. c. 4.], « relatio est ante latae rei recordatio » [sive ut Priscianus habet: repraesentatio]. — Superius pro *stat ibi* ed. *Filius Dei stat*. Subinde exhibemus lectionem plurimorum codd. *ergo refert* [supple: Filium Dei] *secundum divinam naturam*, a qua lectione discedunt Gorranus et ed. tantum in eo, quod omittant *secundum*; C N *ergo refert ad divinam*.

[10] Vide supra pag. 329, notam 3.

[11] Cfr. tom. III. pag. 14, nota 3. verba Damasceni.

[12] Respicitur Phil. 2, 6. seq.

[13] Vers. 17.

[14] Cfr. supra n. 50; c. 3. n. 30-37. et c. 5. n. 55. seqq.

dicit finalem intentionem ad iudicandum; sic non venit in primo adventu; sed *venire in iudicium* est ex adventu eius aliquod fieri iudicium in superbos, quia excaecantur ex eius adventu, quamvis ad hoc non veniat [1].

55. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.* — Videtur ergo, quod a Domino Iesu Christo sit [2] *excaecatio.* Et hoc quidem videtur dici debere per rationem: quia, si excaecatio est poena, et omnis poena iusta est, et quod iustum est bonum est, et quod bonum est a Deo est [3]: ergo excaecatio est a Deo.

Sed contra: 1. *Deus est lux* [4], sicut et calor: ergo si caloris non est infrigidare, nec lucis est obscurare: ergo nec excaecare.

2. Item, Deus appetit semper, suam imaginem sibi conformari: ergo si excaecatio deformat, Dei non est excaecare.

Resp. cum distinctione.

Respondetur, quod *excaecatio* potest considerari aut secundum *id quod est;* et sic *privatio* est et non habet causam efficientem, sed deficientem. Deus autem nullius est causa deficiens; et sic eius est causa malitia nostra; unde Sapientiae secundo [5]: *Excaecavit eos malitia eorum.* Quia tamen *excaecatio* et *induratio poenae* sunt, ponunt *esse* secundum id quod sunt; et *poena* secundum id quod est, iusta est, et sic, secundum id quod est, potest esse a Deo [6].

Alia distinctio.

Amplius videtur dicendum, quod dupliciter est aliqua poena *a Deo:* uno modo, sicut *ab ordinante;* et sic peccatum, quod est *poena* peccati, secundum quod est *poena,* a Deo est, et sic non est a Deo secundum *id quod est* [7], sed in quantum *poena.* — Alio modo aliqua poena dicitur esse *a Deo* secundum *id quod est,* et hoc vel *a Deo infligente;* et hoc modo *mors* et *poenae aliae* [8], per quas contingit mereri. — Alio modo, *a Deo aliquid subtrahente* nostro merito; et sic fomes a Deo. Cessavit enim Deus dare animae gratiam, per quam regeret carnem, et hoc merito nostro; qua gratia subtracta, caro ad inferius declinavit. — Tertio modo, sicut *a non apponente* nostris meritis; et sic *excaecatio* et *obduratio.* Aliquis enim *obduratur* in malo, quia a Domino non visitatur, iusto iudicio; aliquis *excaecatur,* quia interius non illuminatur; ita dicit Augustinus [9].

Subdistinctio.

Capitulum X.

Tertio Filius Dei se ostendit lucem et directorem exemplo bonae vitae.

1. *Amen, amen dico vobis* etc. Manifestavit Dominus supra [10] se directorem verbo sapientiae et miraculo potentiae; hic manifestat *exemplo bonae vitae.* Primis enim duobus modis dirigebat ut *doctor,* sed hic tertio dirigit ut *pastor.* In hoc igitur capitulo intendit Dominus se ostendere *verum et bonum pastorem;* et dividitur in duas partes: quia primo Dominus bonum pastorem *in proverbio et parabola demonstrat;* secundo vero *proverbium exponit et sibi adaptat,* ut per hoc se verum pastorem ostendat, ibi [11]: *Dixit ergo eis iterum Iesus.*

Divisio in duas partes.

Pars prima demonstrat bonum pastorem in parabola.

Describitur per quatuor.

Describit igitur bonum pastorem in proverbio hoc ordine: nam primo determinat boni et veri [12] pastoris *ingressum;* secundo, *indicium;* tertio, boni pastoris *officium;* quarto dicit, hoc proverbium *esse Iudaeis occultum.*

Primum.

2. (Vers. 1.). Primo igitur determinat boni et veri pastoris *ingressum* per comparationem ad suum

---

[1] Chrysost., in Ioan. homil. 56. (alias 55.) n. 1: Quidam vero dicunt, hanc particulam [*ut* in 9, 3: Ut manifestentur opera Dei] non esse causalem, sed ex eventu dici, ut quando dicit [Ioan. 9, 39.]: *In iudicium veni in hunc mundum, ut non videntes videant, et qui vident caeci fiant.* Non enim venit, ut videntes caeci fierent. Et rursum Paulus [Rom. 1, 19.]: *Nam quod notum est Dei manifestum est in illis, ut sint inexcusabiles;* etsi non ideo manifestaverit, ut excusatione privarentur, sed ut illam haberent etc.

[2] Ed. *fit,* C *fiat.*

[3] Cfr. supra pag. 116, nota 12. et pag. 375, nota 7.

[4] Epist. I. Ioan. 1, 5. Cfr. supra pag. 368, nota 7. verba Dionysii.

[5] Vers. 21. — August., XII. de Civ. Dei, c. 7: « Nemo igitur quaerat efficientem causam malae voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa affectio est, sed defectio ». Ibid. c. 8: Hoc scio, naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere, et ea posse deficere, quae ex nihilo facta sunt.

[6] Fide D supplevimus *potest esse a Deo.* Ed., variata interpunctione, legit: *iusta est. Secundum id quod est, amplius videtur dicendum* etc. [in propositione seq.]. Superius, omisso cum aliis codd. *sunt,* pro *ponunt* C E N *ponuntur,* B *possunt.*

[7] Ed., verbis transpositis, *et secundum quod est peccatum, sic non est a Deo* [Gorranus: et secundum quod est peccatum, sic non est a Deo, secundum illud quod est].

[8] Ed. cum Gorrano supplet *sunt a Deo.*

[9] Vide supra pag. 211, notam 4. Cfr. etiam I. Sent. d. 40. a. 4. q. 1. seq. et II. Sent. d. 36. per totam, praecipue a. 1. q. 1. et a. 3. q. 2, ubi loci diversi August. allegati sunt. In libro de Praedest. et gratia (inter opera August.) c. 4, praemisso, quod Deus in homine ipsam obdurationem sive duritiam cordis non operatur, sed ab ipso iuste meritoque reddi fateri debeamus, dicitur: « Indurare enim Deus dicitur eum quem mollire noluerit; sic etiam excaecare dicendus est eum quem illuminare noluerit; sic etiam repellere eum quem vocare noluerit ».

[10] Vide divisionis tria membra supra c. 7. n. 1.

[11] Vers. 7. — Superius post *primo Dominus* ed. perperam addit *se.*

[12] Ed. cum nonnullis codd. omittit *et veri.*

oppositum, quia « opposita iuxta se posita magis elucescunt [1] »; et ingressus pastoris est *per ostium*, sed furis per alium locum. Propterea dicit: *Amen, amen dico vobis* — sermonem continuat Dominus Pharisaeis loquens — *Qui non intrat per ostium in ovile ovium*, id est in Ecclesiam Dei, in qua grex dominicus continetur; *sed ascendit aliunde*, ut superbus et ambitiosus; *ille fur est et latro: fur*, quia alienum suum dicit; *latro*, quia bona alterius destruit et occidit. De hoc ascensu mali pastoris dicit Hieronymus [2]: « Laetamur ad ascensum, timeamus descensum; non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris est de excelsis corruisse ». Sic ascendit ille princeps latronum et ambitiosorum, de quo dicitur Isaiae decimo quarto [3]: « Ascendam in caelum, super astra caeli exaltabo solium meum ». Qui sic inordinate ingreditur fur est et non pastor.

3. (Vers. 2.). *Qui autem intrat per ostium pastor est ovium;* ille intrat per ostium, qui intrat per veritatem. De hoc introitu primae ad Thessalonicenses secundo [4]: « Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos »; et subditur ibidem: « Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiae neque quaerentes ab hominibus gloriam [5].

4. (Vers. 3.). *Huic ostiarius aperit.* Tangitur hic secundum, scilicet veri pastoris *indicium* in hoc, quod recognoscitur ab ostiario et grege. Propterea dicit: *Huic ostiarius aperit*, sciens, eum esse pastorem. Ostiarius iste est Christus, qui habet clavem; unde Isaiae vigesimo secundo [6]: « Dabo clavem domus David super humerum eius; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat ». *Et oves vocem eius audiunt*, quia bono pastori libenter obediunt; ad Hebraeos ultimo [7]: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri ». Secundum.

Et proprias oves vocat nominatim. Tangitur hic boni pastoris *officium*, quod est triplex: *vocare*, Tertium. Pastoris officium triplex.

---

[1] Cfr. supra pag. 86, nota 2. — Glossa *ordinaria* [secundum August., in Ioan. Evang. tr. 45. n. 2; cfr. etiam Chrysost., in Ioan. homil. 59. alias 58. n. 2.] continuationem huius cap. cum praecedente sic exhibet: Quia Pharisaei iactabant, se videre, quod possent, si oves Christi essent; Dominus contra eorum arrogantiam de grege suo et de ostio, quo intratur in ovile, similitudinem proponit, ostendens, quod nec sapientia nec observatio Legis nec bona vita quidquam valet nisi per eum etc.

[2] Libr. XIII. Comment. in Ezech. 44, 29. seq., ubi pro *descensum* et *de excelsis* textus originalis *ad lapsum* et *de sublimioribus*. — August., in Ioan. Evang. tr. 45. n. 6: *Qui non intrat... sed ascendit aliunde.* Vae misero, quia casurus est! Sit ergo humilis, per ostium intret; plano pede veniat, et non offendet. *Ille*, inquit, *fur est et latro.* Oves *suas* vult dicere oves alienas, ad hoc suas, id est furto ablatas, non ut salvet, sed ut occidat. Ergo *fur est*, quia quod alienum est suum dicit; *latro*, quia et quod est furatus occidit. Cfr. Enarrat. in Ps. 95. n. 3. et Serm. 137. (alias 49. de Verbis Domini) c. 4. n. 4. in fine.

[3] Vers. 13.

[4] Vers. 1; ibid. v. 5. et 6. seq. textus. — Glossa *ordinaria* [ex August., in Ioan. tr. 45. n. 5. seq.] in Ioan. 10, 1: *Per ostium*, id est per me, ut post [v. 9.] exponit. Haec ianua est humilis; qui per hanc vult intrare, oportet, ut se humiliet, ne, si erectus est, offendat in humilem ianuam.

[5] Sola ed. hic habet quae sequuntur:

Nota vero, quod

non ingreditur per ostium
- qui ingreditur malo modo, quia in Christo est
  - paupertas. Ab hoc ostio declinat qui ingreditur per *pecuniam*, ut simoniaci, III. Reg. 13, 33: « Quicumque volebat, implebat manum Ieroboam et fiebat sacerdos excelsorum ». Istis dicitur quod dixit Petrus Simoni Act. 8, 20: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri ».
  - humilitas. Ab hoc ostio declinat qui ingreditur per *potentiam*, ut potentes et superbi, Amos 6, 1: « Vae vobis! qui opulenti estis in Sion, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum, et confiditis in monte Samariae ». Istis dicitur quod dictum fuit ad Sobnam praepositum, Isai. 22, 17: « Ecce, Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus ».
  - veritas. Ab hoc ostio declinat qui ingreditur per *iustitiam falsam*, ut hypocritae, de quibus Osee 8, 4: « Ipsi regnaverunt, et non ex me » etc., quia ipsorum intentionem non approbavi. De talibus Matth. 23, 3: « Omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt ».
- qui ingreditur malo fine, ut
  - ad tondendum. Et hic est non pastor, sed *mercenarius*, Ezech. 34, 2. 3: « Vae pastoribus Israel! qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis et lanis operiebamini » etc. Talis praelatus *avarus*.
  - ad devorandum. Et hic est non pastor, sed *lupus*, Ier. 12, 9. 10: « Venite, congregamini omnes bestiae terrae, properate ad devorandum! Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis ». Talis est praelatus *austerus*.
  - ad dispergendum et rapiendum. Et hic est non pastor, sed *fur et latro*, Ier. 23, 1: « Vae pastoribus! qui dispergunt et dilacerant gregem pascuae meae, dicit Dominus ». Talis est praelatus *haereticus*, qui vulpi latrocinanti comparatur.

[6] Vers. 22. — Glossa *ordinaria* in Ioan. 10, 3: Ostiarius, id est Christus, qui se [est enim etiam *ostium*] aperit; vel Scriptura, quae ducit ad Christum, vel Spiritus sanctus, qui docet *omnem veritatem* [Ioan. 16, 13.]. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 46. n. 3. seq., ubi ostiarius esse dicitur vel *Christus*, vel *Spiritus sanctus;* Chrysost., in Ioan. homil. 59. (alias 58.) n. 2, qui docet, nihil obstare, « quominus hic ostiarium intelligamus Moysen; illi namque *Dei eloquia credita sunt* [cfr. Rom. 3, 2.] » etc. Theophylact., in Ioan. 10, 3, censet, ostiarium esse vel Moysen, vel Spiritum sanctum. Vide infra n. 13.

[7] Vers. 17.

educere et *dirigere;* nominatim *vocat* cognoscendo; *educit* ad pascua instruendo; sed *ante eas vadit* bonum exemplum praebendo. Hoc convenit pastori Christo per *excellentiam*, aliis per *imitationem*. Unde
Vocat. primo dicit: *Et proprias oves vocat nominatim*, scilicet Christus; secundae ad Timotheum secundo [1]: « Novit Dominus, qui sunt eius », et de *eius imitatione;* Proverbiorum duodecimo: « Novit iustus
Educit. animas iumentorum suorum ». *Et educit eas*, ad pascua, scilicet Christus; Ezechielis trigesimo quarto [2]: « Educam eos de populis et congregabo eos de terris et inducam in terram suam », quae scilicet erat lacte manans. Sic et *imitator Christi*, ut Moyses et Aaron; Psalmus: « Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron ».

5. (Vers. 4.). *Et cum proprias oves emiserit,*
Dirigit. *ante eas vadit*, bonum exemplum ostendendo praeit, ut Christus; Michaeae secundo [3]: « Ascendit pandens iter ante eos ». Unde dixit infra decimo tertio: « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis ». Sic et *imitator Christi;* unde primae ad Corinthios undecimo [4]: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ». Sed pauci sunt tales; unde Isaiae vigesimo quarto: « Erit sicut populus, sic
Horum effectus. sacerdos ». — Hoc triplex boni pastoris officium magnum habet effectum in ovibus, qui scilicet est ovium directio per *imitationem;* propter quod dicit: *Oves* [5] *illum sequuntur*, scilicet verum pastorem. *Oves* sunt simplices et humiles, de quibus dicit Hugo [6]: « Humilitas ovis est, ut praeesse non appetas et subesse diligas. Multi fugientes laborem volunt praeesse, subesse dedignantur; isti non sunt *oves* », quia non sequuntur. Ideo oves sequuntur, *quia sciunt vocem eius*, esse scilicet vocem consolationis, secundum illud Matthaei undecimo [7]: « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ». Bonus pastor ad reficiendum vocat.

6. (Vers. 5.). *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo*, hoc est malum pastorem vel lupum [8], *quia non noverunt vocem alienorum*, id est, non approbant. Isti alieni sunt pseudochristi et pseudoprophetae et pseudoapostoli, de quibus dicitur secundae ad Corinthios undecimo [9], quod « sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi ». Hos non sequuntur; moniti enim sunt a suo pastore; Matthaei septimo: « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces ».

7. (Vers. 6.). *Hoc proverbium dixit illis* [10] *Ie-* Quartum.
sus. Tangitur hic quartum, scilicet quod *proverbium fuit illis occultum;* unde dicit: *Hoc proverbium dixit illis Iesus. Illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis;* unde Matthaei decimo tertio [11]: « Ideo in parabolis loquor eis, ut videntes non videant, et audientes non audiant neque intelligant ».

8. Notandum, quod « *proverbium* secundum Quid sit proverbium. Chrysostomum [12] est sermo utilis, aliquid utilitatis continens in aperto, plurimum sensum retinens in occulto ». Secundum Basilium [13] « *proverbium* est moralis eruditio, emendatio vitiorum, vitae probabilis regula, humanos actus linea dirigens altiore ». Secundum communem dicendi modum *proverbium* est locutio generalis et brevis, aliud in sententia et aliud in verborum superficie continens [14]. — Notandum etiam ad intelligentiam praedictorum, quod veri

---

[1] Vers. 19. — Sequitur Prov. 12, 10. — Pro *et de eius imitatione* ed. *id est de eius imitatione.*

[2] Vers. 13. — Subinde allegatur Ps. 70, 21.

[3] Vers. 13. — Seq. locus est Ioan. 13, 15.

[4] Vers. 1. — Sequitur Isai. 24, 2.

[5] Vulgata *Et oves.*

[6] Libr. 1. Miscellan. tit. 101, ubi agitur *de Christo, ove et pastore bono:* Christus prius ovis fuit, postea pastor factus est. Ovis animal est mansuetum et mundum. In mansuetudine humilitas, in munditia castitas significatur. Humilitas duplex est: prima, qua praeesse non appetas; secunda, qua subesse diligas. Multi enim sunt, qui praeesse nolunt, fugientes laborem, non honorem; qui tamen subesse dedignantur, qui, quando in praecepto obedientiae murmurant, quasi ad passionem ducti, recalcitrant. Hi profecto oves non sunt nec imitatores illius, qui *sicut ovis ad occisionem ductus est et non aperuit os suum* [Isai. 53, 7.]. Cfr. ibid. tit. 128.

[7] Vers. 28.

[8] Ita etiam Gorranus; C N *sicut a lupo*, B *scilicet malo pastore vel lupo.*

[9] Vers. 13. — Sequitur Matth. 7, 15. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 59. (alias 58.) n. 3: Hic Theudae [sive Theodae] aut Judae asseclas dicit; nam *Quotquot*, [Act. 5, 36. 37.], in illos *crediderunt, dispersi sunt;* sive etiam futuros pseudochristos, qui multos postea seducturi erant. — Inferius pro *moniti* ed. cum Gorrano *semoti.*

[10] Vulgata *eis.*

[11] Vers. 13.

[12] Pro hac definitione proverbii allegatur *Chrysost.* etiam a B. Alberto (Postilla, in hunc loc.); a card. Hug. autem *Basilius*, qui homil. 12. in principium Proverbiorum, n. 2. ait: Proverbiorum nomen ab externis de sermonibus vulgatioribus usurpatum est, et de iis quae in viis ut plurimum dicuntur. Nam apud ipsos οἶμος via dicitur, unde etiam *paroemiam* definiunt verbum triviale vulgi usu tritum, et quod a paucis ad plura similia transferri potest. Apud nos vero paroemia est sermo utilis cum temperata obscuritate expressus, secundum ipsam litteram multum complectens utilitatis et multum intus intelligentiae occultans. Cfr. Chrysost., in Ps. 48. n. 2, ubi de *parabola* dicit, quod sit oratio aenigmatica, « quae aliud quidem significat, sed id non est apertum statim ex ipsis verbis, sed habet sensum intus latentem »; in Ioan. homil. 59. (alias 58.) n. 3: *Hoc proverbium*... cur obscure loquebatur? Ut attentiores redderet. Ubi autem illud effecit, obscuritatem tollit etc.

[13] Homil. 12. in principium Proverbiorum, n. 1: Proverbium enim morum est institutio et correctio affectuum, et in summa vitae est disciplina, eorum quae agenda sunt praeceptiones sanas ac cordatas complectens. — Pro *altiore*, quod etiam exhibet B. Albert. (Postilla, in hunc loc.), ed. *cautiores*, card. Hug. *cautiore.*

[14] De hac definitione, quam B. Albert. attribuit Hug. a S. Vict., cfr. Hieron., VI. Comment. in Ezech. 18, 2, ubi insinuat, proverbium et parabolam esse orationem, quae aliud in verbis sonat, aliud in sensu tenet; Comment. in Eccle. 12, 9, ubi dicit, quod Salomon « ad docendum populum proverbia

pastoris privatur officio qui per *ostium non ingreditur*, et hoc multipliciter.

Pars secunda exponit parabolam et applicat ad Christum.

9. *Dixit ergo eis iterum Iesus.* Haec est secunda pars capituli, in qua Dominus *proverbium* propositum *sibi adaptando explanat*, ostendens se
Divisio. verum pastorem quantum ad illa tria, quae praedicta sunt in proverbio: primo, *quoad veri pastoris ingressum;* secundo, *quoad veri pastoris affectum,* ibi [1]: *Ego sum pastor bonus;* tertio, *quoad pastoris indicium,* ibi: *Facta sunt encaenia* etc.

Primo ergo ostendit se verum pastorem *quoad*
Primo, de veri pastoris ingressu tria. *ingressum* hoc ordine: primo, quod *nullus nisi per ipsum recte ingreditur;* secundo, quod *per ipsum quicumque ingreditur, recte* [2] *ingreditur;* tertio, ipse non tantum est *via ingrediendi,* sed etiam *recte ingreditur.*

(Vers. 7.). Ostendit ergo primo, quod *nullus*
Expositio litteralis. Primum. *nisi per ipsum recte in ovile ingreditur;* propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis: Ego* [3] *sum ostium ovium; ego* discretive, et nullus alius, quia non est ingressus nisi per me; unde dicit:

10. (Vers. 8.). *Omnes, quotquot venerunt, fures sunt et latrones,* quia scilicet per me non intraverunt; et huius signum subdit: *Sed* [4] *non audierunt eos oves.* Istud ostium clausum fuit diu, sed in passione est reseratum, ut « plenitudo gentium intraret ». De hoc ostio Apocalypsis quarto [5]: « Post haec vidi; et ecce, ostium apertum in caelo »; vere apertum, quia, sicut dicitur supra sexto, « qui venit ad me, non eiiciam eum foras ».

11. (Vers. 9.). *Ego sum ostium.* Tangitur hic
Secundum. secundum, scilicet quod *quicumque per ipsum ingreditur, salubriter ingreditur.* Propterea dicit: *Ego sum ostium,* per quod scilicet salubriter intratur; et ratio subditur: *Per me si quis introierit, salvabitur;* de quo ingressu Matthaei septimo [6]: « Intrate per angustam portam. Quam angusta est porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam »! quia Christus fuit pauper et modicus. Per hoc ostium parvulum non intrant divites pleni divitiis; propter quod dicitur Matthaei decimo nono [7]: « Facilius est, camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum caelorum ». Ingressus iste est per *fidem* et *baptismatis Sacramentum;* quoniam haec est ianua virtutum, et illud Sacramentorum. Qui hoc modo ingreditur salvabitur; Marci ultimo [8]: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit ». *Et ingredietur et egredietur et pascua inveniet: ingredietur,* per contemplationem, quae revocat ad interiora; *et egredietur,* per actionem; Numerorum vigesimo septimo [9]: « Provideat Dominus Deus spiritum universae carnis, hominem, qui possit intrare et exire ante eos ». Vel, sicut exponit Augustinus [10], *ingredietur* ad contemplationem Divinitatis, *egredietur* ad aspectum humanitatis, *et pascua inveniet,* quia in omnibus reficitur, intellectus in contemplatione Divinitatis, et sensus in contemplatione humanitatis; de quibus pascuis Ezechielis trigesimo quarto [11]: « Pascam eos in montibus Israel, in pascuis uberrimis pascam eos ».
Aliter.

12. (Vers. 10.). *Fur non venit, nisi ut furetur.* Tangitur hic tertium, scilicet quod ipse Christus *ut verus pastor ingreditur,* non ut fur; propter quod dicit: *Fur non venit, nisi ut furetur,* bona temporalia extorquendo; *et mactet,* subditos temporaliter affligendo; *et perdat,* per malum exemplum in infernum praecipitando. *Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant,* id est ad conservandam vitam ut pastor; *ut habeant vitam,* scilicet gratiae, de qua vita supra sexto [12]: « Hic est panis de caelo descendens, qui dat vitam mundo »; *et abundantius habeant,* scilicet vitam gloriae, de qua infra decimo septimo [13]: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum ». Haec dicitur *abundans,* quia dici-
Tertium.

---

et parabolas composuerit, aliud habentes in medulla, aliud in superficie pollicentes ». Isidor., Prooemia in libr. vet. et novi testam., de libris Salomonis, n. 37: Sunt autem proverbia sub verbis aliis res alias explicantia vel significantia, quae aliter, quam dicuntur, intelliguntur, plus in virtute sententiarum quam in sono verborum, quae Graeci *paroemias* vocant [ed. antiquior addit *habentes*].

[1] Vers. 11; ibid. v. 22. est seq. locus: *Facta sunt autem encaenia* etc. — Inferius post *quoad* ed. addit *veri.*

[2] Ed. *salubriter,* quod etiam habetur infra n. 11.

[3] Vulgata *Quia ego.* — De *ego discretive* cfr. supra pag. 344, nota 15.

[4] Vulgata *Et.* — Subinde allegatur Rom. 11, 25: Donec plenitudo gentium intraret.

[5] Vers. 1. — Sequitur Ioan. 6, 37. [6] Vers. 13.

[7] Vers. 24. Cfr. supra pag. 383, nota 2. et 4.

[8] Vers. 16. Vide IV. Sent. d. 22. a. 3. q. 1. et 2.

[9] Vers. 16. et 17.

[10] Libr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 9. Vide tom. III. pag. 19, notam 5, ubi etiam alii indicati sunt loci. — Ed., etiam Gorrano contradicente, post *Augustinus* haec [ex August., in Ioan. Evang. tr. 45. n. 15.] adiungit: *Ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus; egredi autem, quando exterius aliquid operamur. Vel.*

[11] Vers. 13. seq. — Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 14. n. 5: *Ingredietur* quippe ad fidem, *egredietur* vero a fide ad speciem, a credulitate ad contemplationem, *pascua* autem *inveniet* in aeterna refectione. Cfr. XXX. Moral. c. 14. n. 49.

[12] Vers. 32. et 33. (ed. omittit ultimum vers.). — August., in Ioan. Evang. tr. 45. n. 15: Videtur enim mihi dixisse, *ut vitam habeant* ingredientes, *et abundantius habeant* egredientes... *Ego veni, ut vitam habeant,* hoc est fidem, quae per dilectionem operatur [Gal. 5, 6.), per quam fidem in ovile ingrediuntur, ut vivant, quia iustus ex fide vivit [Habac. 2, 4; Rom. 1, 17.]; *et abundantius habeant,* qui, perseverando usque in finem, per illud ostium, id est per fidem Christi, egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur, et abundantius habebunt vitam, veniendo quo pastor ille praecessit, ubi nunquam deinde moriantur etc.

[13] Vers. 3. — Subinde allegatur Luc. 6, 38.

tur Lucae sexto: « Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum ».

QUAESTIONES.

13. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc, quod Dominus se comparat hic *ostio*, quia supra [1] se comparavit *ostiario;* quomodo idem est *ostium* et *ostiarius* et *pastor?*

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut dicitur infra decimo quarto [2], Christus est *via, veritas et vita:* quia *via* ad Patrem, ideo *ostium;* quia vero *veritas,* quae docet viam, ideo *ostiarius;* quia *vita,* ideo *pastor,* qui pascit et conservat vitam [3]. Resp.

14. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quotquot venerunt, fures sunt.*

CONTRA: Venerunt Prophetae et Patriarchae et Ioannes Baptista: ergo secundum hoc omnes mali, ut dicunt haeretici [4].

Respondetur ad hoc, ut fiat vis in hoc quod dicitur *venerunt,* scilicet propria auctoritate, non divina, sicut pseudoprophetae, de quibus Ieremiae vigesimo tertio [5]: *Non mittebam eos, et ipsi currebant;* boni autem non *venerunt,* sed *missi sunt.* Unde Augustinus: « Non praeter illum venerunt, sed cum illo venerunt ». Ipse enim est veritas; et ideo cum illo venerunt, quicumque veritatem praedicaverunt. Resp.

15. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *egredietur et pascua inveniet.*

CONTRA: *Nullus mittens manum ad aratrum debet retro aspicere* [6]: ergo nullus ingrediens egredietur.

RESPONDEO: Dicendum, quod duplex est egressus: unus *contrarius ingressui,* et iste est egressus de Ecclesia per infidelitatem; et de hoc obiicit, et de hoc dicit Augustinus [7]: « Ingredi in Ecclesiam bonum est, sed egredi pessimum »; et de hoc primae Ioannis secundo: *Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant.* Alius est *a contemplatione ad actionem;* et iste non est retrocessionis, sed exercitationis. De hoc in Psalmo: « Exibit homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam ». Resp. cum distinctione.

16. *Ego sum pastor bonus.* Ostendit se Dominus bonum pastorem quoad boni pastoris ingressum, hic ostendit secundo *quoad boni pastoris affectum;* et hoc quidem facit per hunc modum. Primo ostenditur Christi ad suas oves *amicitia;* secundo, *diligentia;* tertio, *providentia;* quarto, *munificentia;* quinto, ex hoc *Iudaeorum discordia.* Secundo, de boni pastoris affectu quinque.

(Vers. 11.). Primo ergo ostenditur Christi ad oves vera *amicitia* in comparatione ad amorem mercenariorum, qui non est amor verus. Propterea dicit: *Ego sum pastor bonus,* et hoc monstrat; *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis,* ex vehementi dilectione, quam habet circa eas; unde ipse dixit infra decimo quinto [8]: « Maiorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ». Talis pastor erat Paulus, qui dicebat secundae ad Corinthios duodecimo: « Libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris ». Non sic mercenarius; propter quod dicit: Expositio litteralis. Primum.

17. (Vers. 12.). *Mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae,* quia eas non amat, sed lucrum, pro quo servit. De hoc Gregorius [9]: « Mercenarius est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit, terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur »; de quo potest dici illud Matthaei sexto: « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam ». Hic scilicet *videt lupum venientem et dimittit oves et fugit,* quia lupum timet et oves non amat. « Lupus, ut dicit Gregorius [10], super oves venit, cum quilibet iniustus De mercenario. De lupo.

---

[1] Vers. 3.

[2] Vers. 6, cuius explicationem vide infra.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 46. n. 4: Quid est enim ostium? Qua intramus. Quis est ostiarius? Qui aperit. Quis ergo se aperit, nisi qui se ipsum exponit? Ecce, Dominus dixerat ostium, non intellexeramus; quando non intelleximus, clausum erat; qui aperuit, ipse est ostiarius.

[4] Cfr. August., XVI. contra Faustum, c. 12; Hieron., II. Dialog. adversus Pelagianos, n. 17.

[5] Vers. 21. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 45. n. 8, ubi pro *sed* textus originalis habet *quia,* et subinde ostenditur, quod Prophetae venerunt cum Christo, qui est semper, quia Verbum aeternum: « Cum illo ergo venerunt, qui cum Verbo Dei venerunt. *Ego sum,* inquit [Ioan. 14, 6.], *via et veritas et vita.* Si ipse est veritas, cum illo venerunt, qui veraces fuerunt. Quotquot ergo praeter illum, *fures et latrones,* id est ad furandum et occidendum ». Cfr. loci August. et Hieron. in praecedente nota allegati.

[6] Luc. 9, 62.

[7] In Ioan. Evang. tr. 45. n. 15: Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum valde bonum est; exire autem de Ecclesia, sicut ait iste ipse Ioannes evangelista in Epistola sua [I. 2, 19.]: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis,* non est utique bonum. Talis ergo egressus non posset a bono pastore laudari, ut diceret: *et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* Est ergo aliquis non solum ingressus, verum etiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est iste laudabilis et beatus egressus? Possem quidem dicere, ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus; egredi autem, quando exterius aliquid operamur; et quoniam, sicut dicit Apostolus [Eph. 3, 17.], *per fidem* habitat Christus in cordibus nostris, ingredi per Christum esse secundum ipsam fidem cogitare; egredi autem per Christum secundum ipsam fidem etiam foris, id est coram hominibus, operari. Unde et in Psalmo [103, 23.] legitur: *Exiet homo ad opus suum* etc.

[8] Vers. 13. — Sequitur II. Cor. 12, 15.

[9] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 14. n. 2. Post *gaudet* ed. cum textu originali addit *temporalibus lucris pascitur.* — Subinde allegatur Matth. 6, 2.

[10] Loc. cit., ubi post *iniustus* textus originalis addit *et raptor* (ita etiam ed.) et *quosque* post *fideles.* — Duo seqq. loci sunt Act. 20, 29. et Zach. 11, 17.

fideles et humiles opprimit ». De talibus lupis Actuum vigesimo: « Scio », inquit Paulus, « quod post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi ». Ad adventum talis lupi mercenarius dimittit oves; Zachariae undecimo: « O pastor et idolum, derelinquens gregem »! Ad huius mercenarii fugam sequitur ovium dispersio; et ideo dicit: *Et lupus rapit et dispergit oves;* Ezechielis trigesimo quarto [1]: « Super faciem terrae dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret ». Et ratio praedictorum redditur, defectus scilicet verae amicitiae; propter quod dicit:

18. (Vers. 13.). *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus,* hoc est, quia diligit mercedem et non oves. Unde Gregorius [2]: « Stare in periculo ovium non potest qui in eo, quod ovibus praeest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quaerit ». De talibus dicitur Ezechielis decimo tertio: « Non ascendistis ex adverso nec opposuistis vos murum pro domo Israel, ut staretis in praelio in die Domini ». Gregorius [3]: « Fugit, quia tacuit », quia timuit; timor enim fuga est.

Secundum.

19. (Vers. 14.). *Ego sum pastor bonus.* Tangitur hic secundum, scilicet Christi circa oves *diligentia,* quae consistit in ovium discretione et cognitione, propter quam dicit se *pastorem bonum;* propter quod dicit: *Ego sum pastor bonus et cognosco oves* [4] *meas, et cognoscunt me meae;* et in hoc notatur *diligentia,* secundum illud Proverbiorum vigesimo septimo: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera »; secundae ad Timotheum secundo: « Novit Dominus qui sunt eius [5] ». — Hanc diligentiam manifestat per simile [6]; unde subdit:

Manifestatur per simile.

20. (Vers. 15.). *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem,* sic, supple, agnosco meas, et cognoscunt me meae. Chrysostomus [7]: « *Sicut* est nota similitudinis, non aequalitatis », sicut infra decimo septimo Filius, orans Patrem pro discipulis, dicit, « ut sint unum, sicut et nos ». Hanc etiam diligentiam manifestat per *effectum;* unde dicit: *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Sic Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto [8]: « Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres »; et ipse Dominus, Ieremiae duodecimo: « Dedi dilectam animam meam in manus iniquorum ».

Tertium.

21. (Vers. 16.). *Et alias oves habeo.* Tangitur hic tertium, scilicet *Christi erga oves* [9] *providentia,* quae consistit in ovium suarum adunatione, sicut pastor in unum colligit oves, ne patiantur incursum.

---

[1] Vers. 6. — Inferius pro *redditur* ed. *subditur.*

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 14. n. 3. — Subinde allegatur Ezech. 13, 5. Cfr. III. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. — Superius voci *mercedem* ed. praefigit *temporalem.*

[3] Loc. cit. n. 2: Sed is qui pastor esse videbatur et non erat, relinquit oves et fugit, quia, dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiae non praesumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit, quia iniustitiam vidit et tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus bene per Prophetam [Ezech. 13, 5.] dicitur: *Non ascendistis* etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 46. n. 8: O mercenarie, lupum venientem vidisti et fugisti! Respondet forte et dicit: ecce, hic sum, non fugi; fugisti, quia tacuisti; tacuisti, quia timuisti. Fuga animi timor est. Corpore stetisti, spiritu fugisti etc. Cfr. tom. III. pag. 766, nota 5. — Ed. legit: *Fugit, quia tacuit; quia se sub silentio abscondit; quia timuit* etc. Gorranus habet: *Fugit, quia tacet qui timuit, ne perderet quod diligit; timor enim fuga est* [secundum Glossam *ordinariam* in Ioan. 10, 12.]. Pro *tacuit* multi codd. *tacet,* et pro *timuit* B *timet.* Fortasse pro *Gregorius* substituendum est *Augustinus,* cuius verba paulo superius attulimus.

[4] Vulgata omittit *oves.* — Duo seqq. loci sunt Prov. 27, 23. et II. Tim. 2, 19.

[5] Ed. hic addit seq. schema:

Et nota, quod

bonitas pastoris consistit

- in solertia pascendi, et hoc
  - in pascuorum electione; unde Ezech. 34, 13. seq.: « Pascam eas in montibus Israel, in pascuis uberrimis pascam eas ». Talis pastor Christus, unde in littera (v. 9.): « Ingredietur et egredietur et pascua inveniet ».
  - in temporanea educatione, Matth. 24, 45: « Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam in tempore », sive [Luc. 12, 42.] « in tempore tritici mensuram ».
  - in liberali administratione, ut pascat verbo, exemplo et temporali subsidio; propter quod dictum est Petro Ioan. 21, 17: « Pasce oves meas ».
- in diligentia custodiendi, et hoc
  - in ovium cognitione, Prov. 27, 23: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera ». Talis Christus, unde dicit in littera (v. 14.): « Cognosco meas ».
  - in infirmorum consolatione; propter quod I. Thess. 5, 14: « Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos ». Contra quod dicitur malis pastoribus Ezech. 34, 4: « Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis ».
  - in sanorum vigilanti conservatione; unde de bono pastore Iacob, Gen. 31, 39: « Nec captum a bestia ostendi tibi, damnum omne ego reddebam; die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis ».

[6] Cod. E primitus *Et ut melius pateat suae cognitionis diligentia, comparat eam ad supremam cognitionem* (C N eandem praebent lectionem, sed incomplete, quia omittunt *Et ut melius pateat);* in margine a secunda manu: *Hanc diligentiam manifestat per simile;* ed. *Praedictam autem pastoris diligentiam manifestat per similitudinem.*

[7] In Ioan. homil. 60. (alias 59.) n. 1: Deinde, ne parem cognitionis modum putares, audi, quomodo illud per sequentia corrigat. *Cognosco meas,* inquit, *et cognoscunt me meae.* Sed non aequalis est cognitio; sed ubi aequalis est? In Patre et in me; nam *sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem.* Nisi enim hoc probare voluisset, cur id addidisset? Quia enim se frequenter in ceterorum ordine ponit, ne quis putaret, se ita cognoscere Patrem, ut homo cognoscit, subdidit: *Sicut cognoscit me Pater* etc. Cfr. supra pag. 254, nota 8. et III. Sent. d. 29. q. 3. ad 2. — Sequitur Ioan. 17, 11.

[8] Vers. 31. — Subinde allegatur Ier. 12, 7.

[9] Cod. D *erga nos.*

Propterea dicit: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili*, ut fideles ex gentibus praedestinatos; *et illas oportet me adducere*, quasi errantes; unde primae Petri secundo [1]: « Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum ». *Et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor*, propter unionem Ecclesiae ex Iudaeis et gentibus; unde ad Ephesios secundo [2]: « Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum », scilicet gentes et Iudaeos in unum ovile. Et ipse unus pastor; Ezechielis trigesimo quarto: « Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David ».

22. (Vers. 17.). *Propterea me Pater diligit.* Quartum. Tangitur hic quartum, scilicet *Christi erga oves munificentia*, in hoc, quod ipse, cum non esset debitor mortis, non necessitate coactus, sed mera liberalitate posuit animam suam pro ovibus; et hoc ad Patris praeceptum, cuius gratia meruit Patris dilectionem. Ideo dicit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*, in morte scilicet et passione; *ut iterum sumam eam*, id est in resurrectione [3], et ita ex potestate, quia meum est *ponere* et meum est *resumere;* et hoc manifestat:

23. (Vers. 18.). *Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me* [4], et ita libere pono; unde dicit: *Et potestatem habeo ponendi eam*, id est deponendi, *et potestatem habeo iterum sumendi eam;* unde Isaiae quinquagesimo tertio: « Oblatus est quia ipse voluit ». Et quare? Ponit rationem: quia *hoc mandatum accepi a Patre meo;* unde ad Philippenses secundo [5]: « Factus est obediens » Patri « usque ad mortem » etc.; unde infra decimo octavo dixit Petro: « Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum »? Quasi dicat: obedire volo.

24. (Vers. 19.). *Dissensio iterum* [6] *facta est.* Quintum. Tangitur hic quintum, scilicet *Iudaeorum discordia* ex Domini instructione exorta, quia aliqui non intelligentes putabant, ipsum insanire; alii vero, sublimia dicere. Propterea dicit: *Facta est iterum dissensio inter Iudaeos* — quia supra fuit facta propter *miraculum*, supra nono [7] — *propter sermones hos*, quia non intelligebant; propter quod:

25. (Vers. 20.). *Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet et insanit;* unde putabant, eum insanire. Isti erant de illis, de quibus primae ad Corinthios secundo [8]: « Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur ». Unde recusabant audire; propterea dicunt: *Quid eum auditis?* Unde Dominus dicebat supra octavo [9]: « Quia non potestis audire sermonem meum ».

26. (Vers. 21.). *Alii dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentis;* hi aliquo modo incipiebant illuminari, unde ad illuminationis miraculum confugiunt: *Nunquid daemonium potest caecorum oculos aperire?* Chrysostomus [10]: « Quia verbis non poterant obstruere ora illorum, demonstrationem ab operibus faciebant »; unde opera dant fidem verbis; ideo infra eodem [11]: « Et si mihi non creditis, operibus credite ».

Quaestiones.

27. Quaest. I. Quaeritur hic de mercenario, utrum sit abiiciendus et prohibendus [12].

Quod *prohibendus* ab ovibus, videtur hic [13], quia vituperatur. — Quod autem *sustinendus*, videtur; ad Philippenses primo [14]: *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo et gaudebo.* — Quod autem *laudandus;* Lucae decimo quinto [15]: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* Ibi dicit Ambrosius, quod abundant fide, spe et caritate.

Respondeo: Dicendum, quod differt *mercenarius* et *fur;* quia *mercenarius* veritatem dicit et oves conservat, sed *fur*, falsitatem et oves dilacerat, ut haereticus; et iste est omnino *abiiciendus*, sed mercenarius *tolerandus.* — Sed hic est duplex: quia quidam servit propter mercedem *temporalem*, et talis est *sustinendus*, sed tamen *vituperandus;* quidam, propter *aeternam*, et talis *sustinendus* et *approbandus*, sed tamen non est omnino *extollendus;* sed qui *solum amore*, est praeconiis extollendus [16]. Resp. cum distinctione. Duplex mercenarius. Bonus pastor extollendus.

28. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

---

[1] Vers. 25. Vide infra n. 29.

[2] Vers. 14. — Seq. locus est Ezech. 34, 23.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 47. n. 7: *Propterea me Pater diligit*, quia morior, ut resurgam. Cfr. infra n. 30-32.

[4] Vulgata *a me ipso.* — Subinde allegatur Isai. 53, 7.

[5] Vers. 8. — Sequitur Ioan. 18, 11. — Superius post *Et quare* ed. cum aliquo cod. addit *hoc faciat;* subinde multi codd. *cum* pro *quia.*

[6] Codd. *itaque*, minus bene propter *contextum.*

[7] Vers. 16. — Superius ed. *qualis* pro *quia.*

[8] Vers. 14.

[9] Vers. 43. Pro *Quia* non pauci codd. *Quare.*

[10] In Ioan. homil. 60. (alias 59.) n. 3: Quia enim ex verbis non poterant illis silentium imponere [ἐπιστομίζειν], ex operibus id demonstrant [τὴν ἀπόδειξιν λοιπὸν ἀπὸ τῶν ἔργων ἐποιοῦντο].

[11] Vers. 38.

[12] Ed. legit: *Utrum sit ab ovibus abiiciendus, vel sustinendus, aut laudandus. Quod abiiciendus ab ovibus* etc.

[13] Vers. 12. et 13.

[14] Vers. 18.

[15] Vers. 17. — De sententia Ambrosii vide quae diximus tom III. pag. 606, nota 5; cfr. etiam tom. II. pag. 886, nota 4. — Ed. cum textu originali (libr. VII. in Luc. n. 220.) legit *quod bonus mercenarius Petrus, Ioannes, Iacobus etc. Isti non siliquis, sed panibus abundant.* Pro *Ambrosius* substituit B *Glossa;* sed neque *ordinaria* neque *interlinearis* in Luc. 15, 17. haec verba exhibent.

[16] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. et Comment. in Luc. 9, 50. — Nonnulli codd. ultimam propositionem omittunt, pro qua Gorranus substituit *honore videlicet et praeconiis superfluis*, C *sed qui solum est amore pretii extollendus.*

Ex hoc videtur, 1. quod *praelatus* teneatur mori pro subditis. — *Sed contra:* Pati martyrium est supererogationis; sed ad opera supererogationis nullus tenetur, nisi voto se astrinxerit: ergo videtur, quod praelatus ad hoc non teneatur.

2. Item videtur, quod *omnes* teneantur ad hoc; primae Ioannis tertio [1]: *Nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Respondeo: Dicendum, quod *mori* pro grege dominico potest esse tripliciter: aut pro ipso *de bono in melius promovendo*, et sic est *supererogationis* quantum ad omnes *praelatos;* aut pro ipso *ab imminenti periculo liberando*, et sic tenetur quilibet *praelatus*, quia suscepit curam gregis dominici, et *de manu eius requiretur sanguis* [2]; aut pro ipso *in extremae necessitatis articulo constituto*, quod non potest evadere damnationem, nisi homo se morti exponat; et sic dico, quod est *necessitatis quantum ad omnes*, sicut vendere sua et dare pauperibus, quando sunt in extrema necessitate. — Et secundum has vias currunt rationes.

Resp. cum distinctione.

Ad 2.

29. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili;* quia nulla ovis est *ovis*, cum est extra Ecclesiam [3], nulla *innocens*.

Item, quomodo dicit: *Illas oportet me adducere?* Quia Matthaei decimo quinto [4]: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel:* ergo non debebat illas adducere.

Quaest. 2.

Respondeo: Dicendum, quod illas oves de gentibus nondum vocatas secundum praesentem iustitiam *suas* dicit, quia electae secundum praedestinationem aeternam [5]. Illas adduxit merito passionis et verbo praedicationis, non suo, sed Apostolorum, quia ipse in propria persona specialiter et principaliter venerat populo Israelitico praedicare, quibus promissus erat et a quibus occidendus.

Resp.

Et secundum hoc intelligendum est illud Matthaei decimo quinto: *Non sum missus* [6] etc.

Ad quaest. 2.

30. Quaest. IV. Quaeritur de hoc quod dicit: *Ego pono* animam meam *a me ipso;* quia sic videtur quilibet facere; unde Augustinus [7]: « Quilibet, qui moritur, animam ponit ». — *Si dicas,* quod ille necessario; *obiicitur* de Martyre, qui moritur voluntarie.

Respondeo: Dicendum, quod aliter ponit animam *quilibet homo*, aliter *Martyr*, aliter *Christus:* quilibet homo *necessitate*, Martyr *voluntate*, sed Christus *voluntate simul et potestate.* Voluntas enim Martyris, etsi sit absoluta a moriendo *ut tunc*, non tamen a moriendo *simpliciter;* sed Christus omnino fuit liber [8].

Resp. cum distinctione.

31. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam.*

1. Aut hoc dicit secundum *divinam naturam*, aut secundum *corpus*, quod deponit animam. Si secundum *divinam:* ergo Divinitas dimisit animam, quod nefas est dicere, et qui hoc dicit anathema est [9]. — Aut dicit secundum *corpus*, et illud non habet potestatem resumendi eam.

2. Item obiicitur, si corpus deposuit animam; et sicut dicit Damascenus [10], anima erat medium uniendi divinam naturam corpori: ergo divina natura deposuit corpus, quod nefas est.

Dicendum, quod *anima* hic dicitur *vita;* unde sensus est: potestatem habeo ponendi animam meam, id est vitam meam, scilicet deponendi per mortem, et potestatem habeo resumendi eam per resurrectionem. — Si autem dicatur *anima proprie;* tunc dicitur Christus *animam ponere*, id est, de carne deponere, non quia hoc corpus faciat, sed ipse Dei Filius, qui potest super utrumque, scilicet animam et corpus [11].

Resp.

Alia expositio.

2. Quod vero obiicitur de medio, dicendum, quod est medium *distantiae, colligantiae* et *congruentiae.* Anima non est medium *distantiae* in illa unione, quia immediate Divinitas unitur corpori; nec *colligantiae*, quia non ligat unum cum alio; sed *congruentiae*, quia corpus, per hoc quod animabile, est Divinitati unibile de congruo; et ideo non oportet, quod solvatur [12].

Ad 2.

32. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam.* — Ergo videtur, quod Christus per passionem meruit divinam dilectionem.

Contra: Ab instanti conceptionis dignus erat super omnes diligi.

Dicendum, quod loquitur secundum humanam naturam; et *propterea* dicit ibi causam *meritoriam,*

Resp.

---

[1] Vers. 16.

[2] Ezech. 3, 18.

[3] Ed. cum Gorrano addit *quia extra Ecclesiam.*

[4] Vers. 24.

[5] Cfr. supra c. 6. n. 60. 64. et 100.

[6] Vide August., in Ioan. Evang. tr. 47. n. 4. seq.

[7] In Ioan. Evang. tr. 47. n. 11: Omnes enim homines, quando moriuntur, ponunt animam. Ibid. insinuatur seq. obiectio de *Martyre* et ipsa etiam responsio. — Inferius pro *voluntarie*, quod exhibent D N, alii codd. et ed. *voluntate.*

[8] Respicitur Ps. 87, 5. seq.: Factus sum sicut homo sine adiutorio, *inter mortuos liber.* Cfr. III. Sent. d. 21. a. 1. q. 1. ad 1. et dub. 1.

[9] Libr. III. Sent. d. 21. a. 1. q. 1. fundam. 1: Augustinus et Damascenus: « Anathema sit qui dicit, Verbum deposuisse quod semel assumsit »: si ergo animam assumsit, nunquam deposuit animam.

[10] Libr. III. de Fide orthod. c. 6: Ergo Dei Verbum per intermediam mentem carni unitum est. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. II. c. 2; ibid. Comment. a. 3. q. 1. et d. 21. a. 1. q. 2. ad opposit. 1. Vide August., in Ioan. Evang. tr. 47. n. 11, ubi hae obiectiones proponuntur.

[11] Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXI. c. 1; ibid. Comment. a. 1. q. 1. ad 1. et dub. 2.

[12] Plura de hoc vide III. Sent. d. 2. a. 3. q. 1. et d. 21. a. 1. q. 2. ad 1.

sicut ibi [1]: *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Et meritum attenditur, non quia de indebito faciat *debitum*, nec quia de debito *magis debitum;* sed quia quod *debetur una via* et uno modo, scilicet optima voluntate interiori, fit *debitum alia*, scilicet opere exteriori [2].

33. *Facta sunt* [3] *encaenia in Ierosolymis.* Tertio, de veri pastoris indicio tria. Ostendit se Dominus verum pastorem esse quoad pastoris ingressum et affectum; hic tertio ostendit quoad *veri pastoris indicium*, quod consistit in hoc, quod oves eum agnoscunt et sequuntur. Et tria notantur hic: primo, a Iudaeis *certi indicii postulatio*, secundo, *certi indicii expressio*, ibi [4]: *Respondit eis Iesus: Loquor* etc.; tertio vero, ex hoc *Iudaeorum persecutio*, ibi: *Sustulerunt lapides Iudaei.*

Veri indicii postulatio, quod ipse esset pastor De primo ponuntur tria. et ductor in Israel, fit a Iudaeis quaerentibus, in quorum quaestionis descriptione innuuntur *tempus* et *locus* et *quaerendi modus.*

(Vers. 22.). Quantum ad *tempus* dicit: *Facta* Expositio litteralis. Innuitur tempus. *sunt encaenia in Ierosolymis; et hiems erat.* Notandum est, quod encaenia dicuntur a *caenon*, quod est *novum*, unde *encaeniare*, id est innovare [5]; quia tunc celebrabatur festum innovationis templi, prius profanati; et dicitur pluraliter, quia per octo dies durabat ista solemnitas; primi Machabaeorum quarto [6]: « Statuit Iudas et fratres eius et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis templi ab anno in Item, locus. annum per dies octo ». — Quantum ad *locum* dicit:

34. (Vers. 23.). *Et ambulabat Iesus* [7] *in porticu Salomonis*, id est in loco, ubi Salomon prius fecerat porticum ad orandum [8], quae tamen destructa Item, quaerendi modus. fuit. — Quantum ad *modum quaerendi* dicit:

35. (Vers. 24.). *Circumdederunt ergo eum Iudaei et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis?* id est, retines in suspenso [9]. *Si tu es Christus, dic nobis palam*, certum de te da indicium. Et ut responsionem extorqueant, nituntur et *potentia* Duplex aggressio. et *malitia: potentia*, ideo *circumdederunt;* Psalmus [10]: « Circumdederunt me vituli multi », ut scilicet non posset effugere; Psalmus: « Circumdederunt me sicut apes et exarserunt sicut ignis in spinis ». *Malitia*, ideo praetendunt desiderium addiscendi: *Quousque animam* etc.; Psalmus [11]: « Ascendunt usque ad caelos »; Augustinus: « Non veritatem desiderabant, sed calumniam praeparabant ».

36. *Respondit eis Iesus.* Postquam posita est De secundo ponuntur tria. inquisitio, ponitur hic *certi indicii exhibitio*, et hoc quidem per hunc modum. Primo igitur [12] in Domini responsione ponitur *Iudaeorum arguitio;* secundo, *certi indicii expressio;* tertio, illius *indicii ratio.*

(Vers. 25.). Ponitur *infidelitatis Iudaeorum ar-* Primum. *guitio;* propter quod dicit: *Loquor vobis, et non creditis*, et ideo stulte et malitiose quaeritis; et aperte loquor, quia non tantum verbo, sed facto: *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa* [13] *testimonium perhibent de me;* supra septimo: « Nunquid Christus, cum venerit, plura signa faciet », quibus deberetis credere?

37. (Vers. 26.). *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis;* unde si essent oves, indicium sui pastoris haberent in verbo et opere. Augustinus [14]: « Eos dicit non esse de ovibus suis, quia videbat eos ad sempiternum interitum ordinatos, non ad vitam aeternam sui sanguinis pretio comparandos ».

38. (Vers. 27.). *Oves meae* etc. Tangitur hic Secundum. secundum, scilicet *certi indicii exhibitio*, quae quidem est in hoc, quod auditur ab ovibus, et oves

---

[1] Phil. 2, 9.

[2] Cfr. III. Sent. d. 18. per totam, praecipue a. 1. q. 2. in corp., ubi haec triplicis meriti distinctio explicatur.

[3] In Vulgata additur *autem.* — Subinde pro *affectum* plures codd. perperam *effectum* et C I *officium* (confundentes primam divisionem n. 1. cum secunda n. 9.).

[4] Vers. 25; v. 31. est seq. locus: *Sustulerunt ergo lapides Iudaei.*

[5] August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 2: *Encaenia* festivitas erat dedicationis templi. Graece enim καινὸν dicitur novum. Quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, encaenia vocantur. — Alii, ut Petr. Comestor (Histor. scholastica, in Evang. c. 107.) et card. Hugo (in Ioan. 10, 22.), aliam afferunt etymologiam ineptam, scil. quod *encaenia* idem sint quod *innovationes*, quatenus *encaenia* deriventur ab *en* sive *in* (quod accipitur ibi intensive) et *neon*, quod est *novum.*

[6] Vers. 59. — Beda, in Ioan. 10, 22: Sed notandum est, quod haec encaenia, quae hic leguntur, non ad primam templi dedicationem, sed ad ultimam pertinent; quod ex eo facile colligitur, quia *hieme* facta referuntur. Prima siquidem eiusdem templi dedicatio a Salomone tempore autumni [cfr. III. Reg. 8, 2. seqq. et II. Paralip. 7, 10.], secunda autem a Zorobabel et Iesu sacerdote tempore veris [cfr. I. Esdr. 6, 15. seqq.], tertia a Iuda Macchabaeo tempore hiemis est facta etc. Cfr. Cyrill. Alexandr., in Ioan. 10, 22: Encaeniorum autem nomine hic est intelligendum vel primum illud festum, quo Salomon novum templum dedicavit; vel illud Zorobabelis, qui deinde cum Iesu, post reditum e Babylone, templum idem restauravit [hoc ultimum insinuat Chrysost., in Ioan. homil. 61. alias 60. n. 1.].

[7] In Vulgata additur *in templo*, quibus vocibus ed. subiungit *et quasi exponendo subdit.*

[8] Glossa *interlinearis: In porticu Salomonis*, scilicet ubi Salomon stare solebat ad orandum. S. Thom., Catena aurea, in Ioan. c. 10. n. 5. hanc attribuit Alcuino. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 107: Nomine *templi* saepe vocatur porticus templi, ut hic [Ioan. 10, 22; cfr. supra c. 2. n. 27.]; in templum enim non ascendebant nisi ministri templi. Porticus ante [autem?] illa dicebatur templum Salomonis, in quo solebat stare ad orandum, in qua in die dedicationis erexit columnam aeream, supra quam oravit flexis genibus [II. Paralip. 6, 13; cfr. III. Reg. 8, 54.], cum tamen Iudaei soleant stare, cum orant.

[9] Glossa *interlinearis:* Dum incertos nos relinquis.

[10] Psalm. 21, 13; sequitur Ps. 117, 12.

[11] Psalm. 106, 26. — Verba August. habentur in Ioan. Evang. 48. n. 3. Pro *calumniam praeparabant* nonnulli codd. vel *calumniabant* vel *calumniabantur.*

[12] Ed. cum pluribus codd. *enim.*

[13] Pro *ipsa* Vulgata *haec.* — Subinde allegatur Ioan. 7, 31.

[14] In Ioan. Evang. tr. 48. n. 4. Textus originalis *praedestinatos* pro *ordinatos*, et in fine cum textu originali ed. *comparatos* pro *comparandos.*

eum sequuntur, et ipse eas conservat; hoc est certe pastoris. Propterea dicit: *Oves meae vocem meam audiunt*, scilicet credendo, quia « fides ex auditu », ad Romanos decimo [1]. *Et ego cognosco eas*, a malis discernendo, non facie, sed corde; ad Hebraeos quarto [2]: « Discretor est cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius »; Matthaei vigesimo quinto: « Nescio vos », dicitur de malis; econtra de bonis secundae ad Timotheum secundo: « Novit Dominus qui sunt eius ». *Et sequuntur me*, per imitationem; Matthaei decimo sexto [3]: « Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me ».

39. (Vers. 28.). *Et ego vitam aeternam do eis*, sicut bonus pastor retribuendo; supra sexto [4]: « Ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam »; Ecclesiastici quarto: « Sapientia filiis suis vitam inspiravit ». *Et non peribunt in aeternum, nec* [5] *rapiet eas quisquam de manu mea*, propter meam potentiam. Pastor iste recte signatus est per David, qui interpretatur *manu fortis*, qui praedam eripiebat de ore leonis et ursi, sicut dicitur primi Regum decimo septimo.

40. (Vers. 29.). *Pater meus quod dedit mihi.* Tertium. Notatur hic tertium, scilicet illius *indicii approbatio*, Ratio 1. cuius duplex ratio assignatur. Prima talis est: quod Pater dedit mihi maius omnibus est; sed quod maius est omnibus non patitur violentiam: ergo impossibile est, quod aliquis rapiat de manu mea. Huius rationis ponit *medium*, cum dicit: *Pater meus quod dedit mihi*, id est, illud quod dedit mihi Pater meus, *maius omnibus est*, quia dedit totum, quod potuit; infra decimo sexto [6]: « Omnia, quae habet Pater, Ratio 2. mea sunt ». Alia ratio: nullus potest rapere de manu Patris; sed una est manus mea et Patris: ergo nullus de manu mea rapere potest. Propterea dicit: *Nemo* [7] *potest rapere de manu Patris mei*, quia omnipotens est; Psalmus: « Tu terribilis es, et quis resistet tibi »? Ecclesiastae octavo: « Sermo eius potestate plenus est ».

41. (Vers. 30.). *Ego et Pater unum sumus; unum*, scilicet in essentiae unitate; *sumus*, in personarum pluralitate; ideo una est manus mea et Patris. Chrysostomus [8]: « Cum *manum* audis, nihil sensibile aestimes, sed tantum virtutem et potentiam intelligas ».

42. *Sustulerunt lapides.* Postquam facta est veri pastoris per certum indicium declaratio, tangitur *malarum ovium*, immo luporum *persecutio*; quia, sicut oves pastorem sequuntur, ita lupi persequuntur. Et determinatur persecutio hoc ordine: primo, *ipsa persecutio*; secundo, *persequendi ratio*; tertio, *prudens Christi excusatio*; quarto, *declinatio furoris persequentium*; quinto, *multiplicatio credentium.* De tertio ponuntur quinque.

(Vers. 31.). Primo *ipsa persecutio* tangitur in hoc, quod Christum lapidare volebant; propter quod dicit: *Sustulerunt* [9] *lapides Iudaei, ut lapidarent eum*; sed non habuerunt effectum; Augustinus [10]: « Quia nondum venerat tempus passionis, non pervenerunt ad effectum lapidationis ». Statim voluerunt occidere, quemadmodum illi, de quibus Proverbiorum primo [11]: « Pedes eorum ad mala currunt, et festinant, ut effundant sanguinem ». Primum.

43. (Vers. 32.). *Respondit eis Iesus.* Notatur hic secundum, scilicet *persecutionis ratio*. Et primo Dominus ostendit, eos irrationabiliter moveri; propterea dicit: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* Id est, propter quod opus eorum, id est de numero eorum; partitiva est constructio; Psalmus [12]: « Retribuebant mihi mala pro bonis »; Proverbiorum decimo septimo: « Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius ». Sed malitia, quae latitat sub pelle ovina, rationem assignat; unde: Secundum.

---

[1] Vers. 17. — Superius vocibus *certe pastoris* ed. interserit *indicium veri*, C E N legunt *certi* [E *certe*] *pastoris indicium*.

[2] Vers. 12. seq. — Subinde allegantur Matth. 25, 12. et II. Tim. 2, 19.

[3] Vers. 24.

[4] Vers. 40. — Sequitur Eccli. 4, 12.

[5] Vulgata *et non*. — Seq. locus est I. Reg. 17, 34. et 35. Hieron., lib. de Nominibus Hebraic. vet. testam. I. de Reg.: *David*, fortis manu, sive desiderabilis.

[6] Vers. 15. — August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 6: *Quod dedit mihi Pater*, id est, ut sim Verbum eius, ut sim unigenitus Filius eius, ut sim splendor lucis eius, *maius est omnibus*. Ideo *nemo rapit* etc. — Superius pro *medium*, quod cum codd. exhibet etiam Gorranus, ed. *maiorem*.

[7] Vulgata *Et nemo*. — Sequuntur Ps. 75, 8. et Eccle. 8, 4. — August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 7: Utrum una manus est Patris et Filii, an forte Filius manus est Patris sui? Si manum intelligamus potestatem, una est Patris et Filii potestas, quia una est Divinitas; si autem manum intelligamus, sicut dictum est per Prophetam [Isai. 53, 1.]: *Et brachium Domini cui revelatum est*, manus Patris ipse est Filius etc. Cfr. Hilar., VII. de Trin. n. 22.

[8] In Ioan. homil. 61. (alias 60.) n. 2. — August., VI. de Trin. c. 2. n. 3: *Ego et Pater unum sumus. Unum sumus* enim dictum est: Quod ille hoc et ego secundum essentiam, non secundum relativum [personam].

[9] Vulgata addit *ergo*.

[10] In Ioan. Evang. tr. 48. n. 8: Hucusque Iudaei tolerare potuerunt; audierunt: *Ego et Pater unum sumus*, et non pertulerunt et more suo duri ad lapides cucurrerunt. *Tulerunt lapides, ut lapidarent eum.* Dominus, quia non patiebatur quod nolebat pati, et non est passus nisi quod voluit pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. — Codd. C N legunt *quia, ut dicit Augustinus, nondum venit tempus* etc.; ed., verbis transpositis et quibusdam additis: *ut lapidarent eum. Augustinus: More suo duri ad lapides cucurrerunt, sed non habuerunt effectum, quia nondum* etc.

[11] Vers. 16.

[12] Psalm. 34, 12. — Sequitur Prov. 17, 13. — Habetur *partitiva constructio*, dum scilicet Dominus interrogat, *quod opus* sive *quae pars* suorum *operum* persecutoribus occasionem dederit.

44. (Vers. 33.). *Responderunt ergo*[1] *ei Iudaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia*, quia, Levitici vigesimo quarto, « qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur ». Et ostendunt, in quo blasphemat: *Et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum;* et sic homo, faciens se Deum, blasphemat, quia plures dicit esse deos. Et hoc est contra Iudaeorum Legem, in qua praeceptum erat unum solum Deum credere et confiteri. De consimili, Matthaei vigesimo sexto[2]: « Audistis blasphemiam! quid adhuc egemus testibus »? Non se fecit de homine Deum, sed cum Deus esset, factus est homo; ad Philippenses secundo: « Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo ».

45. (Vers. 34.). *Respondit eis Iesus.* Tangitur hic tertium, scilicet *prudens sui excusatio*, in qua Dominus ostendit, se non blasphemasse, duplici testimonio, scilicet *Scripturarum* et *operum*. Testimonio *Scripturarum* sic: Scriptura vocat *deos*, ad quos Deus locutus est; sed multo magis dicendus est *deus*, quem Pater sanctificavit et misit: ergo si Scriptura non blasphemat, nec ego. *Nonne scriptum est in Lege vestra*[3]*: Quia ego dixi: dii estis? Lex* hic communiter accipitur, prout comprehendit Psalmos, in quibus scriptum est.

Tertium.

Testimonium Scripturarum.

46. (Vers. 35.). *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est*, ut Prophetas et alios Sanctos; Ezechielis primo[4]: « Et factum est verbum Domini ad Ezechielem sacerdotem » etc.; *et non potest solvi Scriptura*, id est falsitatis argui, vel de blasphemia reprehendi; Matthaei quinto: « Iota unum, aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant ».

47. (Vers. 36.). *Quem Pater sanctificavit*, id est, « sanctum genuit[5] », *et misit in mundum*, non vocavit de mundo et tenebris mundi, ut alios Sanctos; *vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum?* Quasi dicat: irrationabiliter dicitis. « Si enim *illuminati* dii sunt, nonne *lumen*, quod illuminat, Deus est[6] »? Non Dominus blasphemabat, sed ipsi, qui de Deo dicebant, non esse Deum. Unde Dominus dixit Matthaei duodecimo: « Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemia non remittetur, neque in hoc saeculo neque in futuro »; unde omnes erant lapidandi. — Deinde ostendit hoc idem, quod non blasphemavit, testimonio *operum*, quae ipsum Patri aequalem dicunt[7]. Propterea dicit:

Testimonium operum.

48. (Vers. 37.). *Si non facio opera Patris mei*, scilicet opera omnipotentiae; *nolite credere mihi*, dicenti scilicet, me esse aequalem Patri; Exodi quarto[8] dixit Moyses: « Non credent mihi et non audient vocem meam, sed dicent » etc.; et ideo Dominus dedit ei signa.

49. (Vers. 38.). *Si autem facio, et si mihi non vultis credere*, id est sermoni meo; *operibus credite*, id est, per opera in me credite, *ut credatis et cognoscatis, quia Pater in me est, et ego in Patre;* et ita verum esse quod supra[9] dixi: « Ego et Pater unum sumus ». *Ut credatis*, id est, credendo *cognoscatis*, quia, secundum quod dicit Isaias septimo[10], secundum aliam litteram, « nisi credideritis, non intelligetis »; infra decimo quarto dicit Philippo: « Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me »? « Alioquin propter opera ipsa credite ».

50. (Vers. 39.). *Quaerebant ergo eum.* Tangitur hic quartum, scilicet *declinatio persequentium*, quia nondum tempus advenerat patiendi; ideo dicit: *Quaerebant ergo eum apprehendere*, sed non potuerunt; unde dicit: *Et exivit de manibus eorum.* Simile dicitur Lucae quarto[11]: « Ipse autem transiens per medium illorum, ibat », quando voluerunt eum praecipitare.

Quartum.

51. (Vers. 40.). *Et abiit*[12] *trans Iordanem in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum*, de quo loco dicitur supra tertio: « Erat Ioannes baptizans in Aennon ». *Et mansit illic*, in quiete scilicet; Chrysostomus[13]: « Monet tumultus fugere et in quiete orare »; *mansit*, absconditus a Iudaeis, secundum illud Deuteronomii trigesimo secundo: « Abscondam faciem meam ab eis ».

---

[1] Vulgata omittit *ergo*. — Subinde allegatur Lev. 24, 16.

[2] Vers. 65. — Sequitur Phil. 2, 6. et 7.

[3] Psalm. 81, 6. August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 9: Deus dicit per Prophetam in Psalmo hominibus: *Ego dixi: dii estis.* Et Legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas, quamvis alibi specialiter dicat Legem, a Prophetis eam distinguens, sicuti est [Luc. 16, 16.]: *Lex et Prophetae usque* etc.

[4] Vers. 3. — Subinde allegatur Matth. 5, 18.

[5] August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 9: Si lumina illuminata dii sunt, lumen, quod illuminat, non est Deus?... Si ergo vos deos facit sermo Dei, quomodo non est Deus Verbum Dei? Pater ergo sanctificavit Filium suum et misit in mundum. Forte aliquis dicat: Si Pater eum sanctificavit, ergo aliquando non erat sanctus? Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit etc.

[6] Ut dicit August., in nota praecedente allegatus. — Sequitur Matth. 12, 31. seq. — Inferius vocibus *non esse Deum* ed. cum Gorrano praefigit *eum*.

[7] Ed. *docent*, Gorranus *ostendunt*, C N *esse dicunt.*

[8] Vers. 1.

[9] Hoc cap. v. 30.

[10] Vers. 9, secundum septuaginta interpretes, ed. praemittit lectionem Vulgatae: *Si non credideritis, non permanebitis.* Explicationem vide apud August., in Ioan. Evang. tr. 29. n. 6. (intellectus est merces fidei) et tr. 36. n. 7. (credendo homo fit aptus ad intelligendum). Cfr. tom. III. pag. 530, nota 5; tom. V. pag. 494, nota 8. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 14, 10. et 12.

[11] Vers. 30.

[12] Vulgata addit *iterum*. — Sequitur Ioan. 3, 23, pro quo ed. allegat 1, 28: Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

[13] In Ioan. homil. 61. (alias 60.) n. 3: Id quod etiam nobis faciendum suadet, iubens forum vitare tumultumque et turbam atque in cubiculo tranquille orare. — Subinde allegatur Deut. 32, 20.

52. (Vers. 41.). *Et multi venerunt* etc. Tangi-
Quintum. tur hic ultimum, scilicet ex ipsius recessu *multiplicatio fidelium;* propter quod dicit: *Et multi venerunt ad eum*, scilicet per fidem; Isaiae sexagesimo [1]: « Filii tui de longe venient »; *et dicebant: Quia Ioannes nullum quidem signum fecit;* propter quod ostenderet, se esse Christum; sed tantum testimonium de Christo perhibuit [2].

53. (Vers. 42.). *Omnia autem, quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et*, ita isto duplici testimonio inducti, *multi crediderunt in eum*, secundum quod ipse Dominus supra eodem [3] dixerat: « Et si mihi non creditis, saltem operibus credite »; *multi*, secundum illud Psalmi: « Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur »; et Genesis decimo septimo: « Eris pater multarum gentium ».

Quaestiones.

54. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit: *Nemo rapiet eas de manu mea.* — Nonne sunt in manu Filii qui habent *praesentem iustitiam?* Qui tamen disperguntur, secundum illud quod supra [4] dictum est: *Lupus venit et dispergit oves.*

Respondetur ad hoc, quod rapiuntur non ex
Resp. 1. *imbecillitate custodientis* [5], sed ex *infirmitate cu-*
Resp. 2. *stoditi.* — Vel secundum Augustinum *oves* hic dicuntur secundum *aeternam electionem*, qui non possunt rapi finaliter. Unde Augustinus [6]: « Nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit; securus est de numero earum qui eas numeravit ».

55. Quaest. II. Sed tunc quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* — Ergo qui sunt in manu Dei, ut praedestinati, non possunt damnari: ergo non habent libertatem peccandi finaliter.

Ad hoc videtur dicere Augustinus simpliciter, Resp. 1.
quod non possunt *perire*, in libro de Bono perseverantiae [7]; nec tamen perit liberum arbitrium, sicut etiam non perit in confirmatis. — Dicendum tamen, Resp. 2.
quod nemo potest *rapere*, quia Pater electis suis non permittit violentiam fieri; unde [8]: *fidelis Deus, qui non permittet, vos tentari supra id quod potestis;* et diabolus non potest Deo violentiam facere, ut servos suos tentet ultra, quam ipse permittat. Manet ergo in eis liberi arbitrii *libertas ad peccandum*, sed non manet in diabolo *potestas ad violentandum* et vi surripiendum [9].

56. Quaest. III. Item quaeritur de responsione Domini: quia Dominus se dixerat Deum et Dei Filium, ostendit, quod non blasphemavit, per Scripturam, quae servos Dei [10] *deos* vocat. — Ista responsio videtur nihil valere, quia Scriptura vocat illos *deos per adoptionem;* sed ipse se dicebat *Deum per essentiam;* unde dicebat: *Ego et Pater unum sumus.*

Respondeo: Dicendum ad hoc, quod quando Resp. 1.
Dominus disputabat cum Iudaeis, aliquando respon- Distinctio.
debat *ad orationem*, aliquando respondebat *ad hominem*, eo quod « omnino adversanti omnino adversandum [11] ». Unde quando ipsi petierunt, *in qua potestate* faceret, et Dominus respondit: *Baptismus Ioannis e caelo erat, an ex hominibus?* eos sua interrogatione ligavit, Matthaei vigesimo primo [12]. Sic et nunc respondet *ad hominem*, ut mitiget eorum iracundiam, sicut supra octavo confutavit malitiam: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.*

Potest tamen dici, quod revera optime respon- Resp. 2.
dit, quia, cum hoc nomen *deus* dicatur tripliciter: Deus dicitur tripliciter.
natura, participatione et *nuncupatione*, ut in idolis [13]; ista multiplicitas habet ortum ab una radice,

---

[1] Vers. 4.

[2] August., in Ioan. Evang. tr. 48. n. 12: Nullum, inquiunt, miraculum ostendit Ioannes: non daemonia fugavit, non expulit febrem... nihil horum fecit Ioannes, et totum, quidquid dicebat, huic testimonium perhibebat [cfr. supra 1, 7. 15. 23. seqq.]. Per lucernam veniamus ad diem.

[3] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Ps. 138, 18. et Gen. 17, 4.

[4] Vers. 12. Cfr. supra c. 6. n. 64. et 100.

[5] Glossa *ordinaria* in Ioan. 10, 29: Quia ex hoc, quod sum ex Patre, maior sum ad protegendum quam illi ad impugnandum.

[6] In Ioan. Evang. tr. 48. n. 6: De ovibus istis [de quibus dicit Apostolus II. Tim. 2, 19: *Novit Dominus qui sunt eius;* et Rom. 8, 30: *Quos praescivit, ipsos et praedestinavit* etc.] nec lupus... Securus est de numero earum qui pro eis novit quod dedit.

[7] Cap. 14. n. 35: Haec est praedestinatio Sanctorum, nihil aliud, praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. seq. et d. 47. q. 1, ubi etiam ostenditur, quod praedestinatio non tollit liberum arbitrium; II. Sent. d. 7. p. I. a. 2. q. 1. probatur, quod per confirmationem liberum arbitrium non mutetur quoad substantiam. — Superius pro *simpliciter, quod* ed. *quod finaliter.*

[8] Epist. I. Cor. 10, 13.

[9] Cfr. II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. ad 3. et q. 3. in corp. nec non III. Sent. d. 19. a. 1. q. 3. — Pro *violentandum* B *violenter tentandum*, C *inhabitandum*, l *violentiam*, Gorranus *violentiam inferendam*, qui etiam pro *surripiendum* substituit *eos rapiendum.*

[10] Ed. addit *sive iustos.*

[11] Aristot., II. Elench. c. 2. (c. 17.): Nam omnino adversus contentiosos est reluctandum, non ut ad eos qui redarguunt, sed qui redarguere apparent; non enim dicimus eos syllogizare; quare, ut non videantur, emendandi sunt. Ibid. c. 3. (c. 22.) occurrit distinctio responsionis *ad orationem* et *ad hominem*; cfr. supra pag. 355, nota 13. — Pro *orationem* ed. *rationem.*

[12] Vers. 23. seqq.: In qua potestate haec facis?... Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam, in qua potestate haec facio. Baptismus Ioannis etc. — Sequitur Ioan. 8, 7. — Pro *interrogatione* ed. *responsione*, et pro *ligavit* D *confutavit.*

[13] August., Enarrat. in Ps. 94. n. 6: Hic accipe homines deos... deos dixit *participatione, non natura;* gratia, qua voluit facere deos. Cfr. ibid. in Ps. 135. n. 2. seq. Notamus, quod

sicut multiplicitas huius nominis *sanum*. Unde verissimo modo dicitur *Deus* per *naturam*, minus vero modo dicendi per *participationem*, minime per *nuncupationem*, quia secundum solam aestimationem. Quia ergo calumniabantur ex hoc, quod nomen *dei* sibi attribuerat; probat, quod sibi potest sine blasphemia attribuere; quia, si amicus vel filius Dei adoptivus *deus* dicitur, et vere Deus honoratur sine blasphemia; multo magis ille qui est Filius per naturam; et est locus *a minori* [1].

57. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicunt: *Ioannes quidem nullum signum fecit:*

1. Quia dicitur Lucae primo [2]: *Ipse praecedet ante eum in spiritu et virtute Eliae:* ergo si virtus Eliae fuit in miracula faciendo, videtur, quod Dominus debuerit ei dare potestatem miraculorum.

2. Item, si non fuit *maior Ioanne* quisquam [3], et Dominus discipulis de ipso testificantibus potentiam dedit miraculorum; quare non similiter et Ioanni?

Respondeo: Dicendum, quod Ioannes a pluribus aestimabatur esse Christus, sicut patet ex primo capitulo [4]; ideo quantum ad homines sensibiles debuit differentia sensibilis esse inter Ioannem et Christum, ut possent discernere; sed non debuit in *sanctitate vitae*, quia necesse est, testem fidelem sanctum reputari: ergo oportuit, quod esset in *miraculorum virtute* [5]. Resp.

1. Quod obiicitur de *spiritu et virtute*, dicendum, quod verbum Eliae erat igneum; sic et verbum Ioannis, sicut ipse Dominus dixit supra quinto [6]: *Ipse erat lucerna ardens et lucens.* Ad 1.

2. Quod obiicitur de discipulis, dicendum, quod de nullo discipulorum erat suspicio, quod ipse esset Christus; et quia omnibus constabat, quod Christum secuti fuerunt, totum, quod erat in eis, et sanctitatis et virtutis et scientiae, Magistro attribuebant [7]. Sed Ioannes non fuerat Dominum secutus nec eius discipulus. Ad 2.

Capitulum XI.

Quarto, Filius Dei se manifestat perfectum reparatorem.

1. *Erat autem quidam languens* etc. Supra ostendit Dominus se curatorem et conservatorem et directorem, hic ostendit, se esse *perfectum reparatorem* [8]; quod fit in animae et corporis iterata coniunctione; et hoc ostendit in Lazari quatriduani suscitatione; et durat haec pars usque circa finem capituli, ibi [9]: *Collegerunt ergo pontifices* etc. Dividitur autem in duas: quia primo ponuntur *antecedentia ad miraculum;* secundo ponitur *ipsum miraculum*, ibi [10]: *Haec cum dixisset, voce magna clamavit.* Divisio in 2 partes.

Pars prima, de antecedentibus ad miraculum.

Prima pars habet quatuor partes secundum quatuor antecedentia, quae determinat. In prima notatur *denuntiatio infirmitatis;* in secunda, *adventus Medici*, ibi [11]: *Deinde post haec dicit discipulis suis;* in tertia, *intercessio* sive meritum *fidei*, ibi: *Martha ergo, ut audivit, quia Iesus venit* etc.; in quarta, *exauditio pietatis*, ibi: *Iesus ergo, ut vidit eam plorantem.* Divisio in 4 membra.

Describitur ergo primo *infirmitatis denuntiatio* hoc ordine: primo tangitur *languentis conditio;* secundo, *languoris denuntiatio;* tertio, *infirmitatis ratio;* quarto, *sanitatis dilatio* [12]. Primo notatur denuntiatio infirmitatis per quatuor.

2. (Vers. 1.). *Languentis* igitur *conditio* describitur a *nomine*, cum dicitur: *Erat autem quidam languens Lazarus;* a *patria*, cum subditur: *a Bethania*, in quem locum solebat Dominus venire [13]; a *parentela*, cum subditur: *de castello Mariae et Marthae, sororum eius;* Lucae decimo: «Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum suam». Et specialiter describit Mariam: Expositio litteralis. Primum.

3. (Vers. 2.). *Erat autem Maria, quae unxit Dominum unguento et extersit pedes eius capillis suis*, in quo miro modo laudatur eius devotio; infra

---

Gregor. (I. Homil. in Ezech. homil. 8. n. 3. et II. homil. 3. n. 7.), qui sequitur Hilar. (de Synod. n. 36; cfr. in Ps. 134. n. 9.), *nuncupative* utitur eo sensu, quo Augustinus verbo *participatione* (pro quo I. Sent. d. 4. q. 3. in corp. substituitur *adoptive*). — De multiplicitate nominis *sani* cfr. I. Sent. d. 46. q. 5. in corp. et d. 1. a. 3. q. 1. ad 1. (v. g. sanum dicitur *animal, cibus* etc.).

[1] De quo cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.

[2] Vers. 17.

[3] Matth. 11, 11; ibid. 10, 1. dicitur, quod Christus duodecim discipulis dedit potestatem eiiciendi daemones, curandi infirmos; cfr. Luc. 9, 1. seqq.

[4] Vers. 19. seqq.

[5] Gregor., XX. Moral. c. 7. n. 17: Probatio quippe sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere etc.

[6] Vers. 35. — Eccli. 48, 1: Et surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.

[7] Ed. *attribuebatur*, quae etiam inferius post *nec* repetit *fuerat.*

[8] Cfr. supra c. 5. n. 1.

[9] Vers. 47.

[10] Vers. 43.

[11] Vers. 7, ubi pro *dicit* ed. cum Vulgata *dixit.* Duae seqq. partes habentur v. 20. et 33.

[12] Ed. cum non paucis codd. perperam *tertio sanitatis dilatio, quarto infirmitatis ratio.*

[13] Cfr. Matth. 21, 17. et 26, 6. Vide supra pag. 258, notam 11, ubi etiam ex Origene dicitur, quod *Bethania* secundum etymologiam idem sit ac *domus obedientiae. Lazarus*, ut ait Hieron. (lib. de Nominib. Hebraic. nov. testam. Marc.), idem est ac *adiutus* (a Domino). Cfr. infra v. 19. n. 30. — Subinde allegatur Luc. 10, 38.

duodecimo [1]: « Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi »; Lucae septimo: « Ecce, mulier attulit alabastrum unguenti ». *Cuius frater Lazarus infirmabatur*, cuius etiam precibus fuit resuscitatus, sicut notatur infra eodem: « Iesus ergo, ut vidit Mariam plorantem ».

Secundum. 4. (Vers. 3.). *Miserunt ergo sorores eius.* Tangitur hic secundum, scilicet *infirmitatis denuntiatio* facta a sororibus Lazari Domino; propter quod dicit: *Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce, quem amas infirmatur. Dominum* vocant, non *magistrum*, quia petebant miraculum, non documentum; quasi dicant: Domine, qui potens es; Matthaei octavo [2]: « Domine, si vis, potes me mundare ». Et rationem adiutorii exprimunt: *Ecce, quem amas;* Psalmus: « Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quaerentes te, Domine ». Et opportunitas est: *infirmatur*, ideo miserere; Psalmus: « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ».

Tertium. 5. (Vers. 4.). *Audiens autem Iesus, dixit eis.* Tangitur hic tertium, scilicet *infirmitatis ratio*, quam Dominus insinuat salutem petentibus; propter quod *dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Hoc dicit secundum divinam dispensationem; propter quod subdit: *Ut glorificetur Filius Dei per eam*, id est, per opus gloriam suam manifestet, quia in resuscitatione manifestavit potentiam suam, ac per hoc gloriam; unde supra secundo [3]: « Hoc signum fecit Iesus et manifestavit gloriam suam » coram discipulis suis. Quare autem erat in eo manifestanda gloria, occulte innuit Evangelista: propter specialem amorem erga illas personas; propter quod dicit:

6. (Vers. 5.). *Diligebat autem Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum.* Ideo diligebat eos, quia ipsi diligebant eum, secundum illud Proverbiorum octavo [4]: « Ego diligentes me diligo »; nec mirum, quia omnia, Sapientiae undecimo, « diligis, Domine, quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti ».

Quartum. 7. (Vers. 6.). *Ut ergo audivit.* Tangitur hic quartum, scilicet *curationis dilatio.* Quamvis enim vellet curare, non tamen *statim* voluit, sed maluit exspectare. Propterea dicit: *Ut ergo audivit,* id est, postquam audivit, *quia infirmabatur; tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Ideo Dominus, ab amicis vocatus, non statim venit, sed exspectat, ut instantius et ardentius requiratur; ad Colossenses quarto [5]: « Orationi instate, vigilantes in ea ».

Species prima infirmitatum est quadruplex. 8. Est multiplex infirmitas [6], scilicet *gratiae honestatis amplectenda;* et haec quadruplex: *humilitatis;* Proverbiorum trigesimo [7]: *Formicae, populus infirmus, qui praeparat in aestate cibum sibi;* primae ad Corinthios primo: *Infirma mundi elegit Deus et contemptibilia* etc.; Matthaei undecimo: *Quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* — *Poenitentiae;* Ecclesiastici trigesimo primo [8]: *Infirmitas gravis sobriam reddit animam;* de hac in Psalmo: *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones*, vel infirmitates *eorum*, secundum aliam litteram. — *Patientiae;* secundae ad Corinthios duodecimo [9]: *Virtus in infirmitate perficitur*, scilicet patientiae, quia Iacobi primo: *Patientia opus perfectum habet.* Ideo dicitur secundae ad Corinthios duodecimo: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* — *Compatientiae* sive compassionis; secundae ad Corinthios undecimo [10]: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* et primae ad Corinthios nono: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.*

Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Item, species secunda. 9. Item, est infirmitas *perversitatis culpae fugienda;* et haec quadruplex est, scilicet *cupiditatis;* Ecclesiastae quinto [11]: *Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiae congregatae in malum domini sui; pereunt enim in afflictione pessima.* — *Carnalis voluptatis;* Isaiae vigesimo quarto [12]: *Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui laetabantur corde.* — *Elationis;* Isaiae vigesimo quarto [13]: *Infirmata est altitudo populi terrae, et terra infecta est ab habitatoribus suis.*

Prima. Secunda. Tertia.

---

[1] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 37. et Ioan. 11, 33.

[2] Vers. 2. Cfr. infra n. 13. — Sequuntur Ps. 9, 11. et 6, 3.

[3] Vers. 11. Ed. pro *coram discipulis* cum Vulgata *et crediderunt in eum discipuli eius.* Eadem ed. superius pro *per opus* substituit *ut per tale opus,* et inferius *occultius* pro *occulte.*

[4] Vers. 17. — Seq. locus est Sap. 11, 25. — Inferius post *quia omnia* C N supplent *diligis, Domine,* ed. cum H M et Gorrano *diligit Dominus.*

[5] Vers. 2. — Gregor., XX. Moral. c. 31. n. 61: Ad multiplicandam quippe Sanctorum sapientiam proficit, quod postulata tarde percipiunt, ut ex dilatione crescat desiderium, ex desiderio intellectus augeatur. Intellectus vero cum intenditur, eius in Deum ardentior affectus aperitur. Affectus autem ad promerenda caelestia tanto fit capax, quanto fuerit exspectando longanimis. Cfr. ibid. XXVI. c. 19. n. 34. — Ed. praemittit *Habac. 2, 3: Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet et non tardabit.*

[6] Quae de multiplicitate infirmitatis dicuntur (n. 8-12.) omittuntur a paucis codd., ut C N; E primitus etiam ipsa omisit, sed ab altera manu exhibentur in margine tanquam schema. Ipsa habet etiam B. Albert., in Postilla in Ioan. 11, 4.

[7] Vers. 25. — Sequuntur I. Cor. 1, 27. seq. et Matth. 11, 25. — Superius vocibus *gratiae honestatis* ed. interserit *et.*

[8] Vers. 2. — Subinde allegatur Ps. 146, 3; Hieron. (Biblioth. divina, libr. Psalm., Ps. 147.) pro *contritiones eorum* substituit *plagas eorum.* In explicatione huius loci Hilarius (tr. in Ps. 146. n. 4.) utitur voce *infirmitas.* Cfr. IV. Sent. Prooem. in fine.

[9] Vers. 9. — Sequuntur Iac. 1, 4. et II. Cor. 12, 9.

[10] Vers. 29. — Seq. locus est I. Cor. 9, 22. — Superius post *Compatientiae* ex D addidimus *sive compassionis,* quod habet B. Albert., loc. cit.

[11] Vers. 12. seq.; cfr. supra Comment.

[12] Vers. 7. — Ed. addit v. 8: Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus laetantium, conticuit dulcedo citharae etc.

[13] Vers. 4. et 5, ex quo ed. subiungit: quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.

Quarta. — *Obstinationis;* Deuteronomii septimo [1]: *Auferet Dominus omnes languores; et omnes infirmitates Aegypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi.* Infirmitates Aegypti sunt obstinationes in malo.

10. Item, est infirmitas *difficultatis sequelae* Item, species tertia. *relevanda;* et haec quadruplex: ad *resistendum* Prima. *malo culpae;* Threnorum primo [2]: *Infirmata est virtus mea; dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere;* et Isaiae quadragesimo: *Iuvenes* Secunda. *in infirmitate sua cadent.* — Ad *sustinendum malum poenae;* primae ad Thessalonicenses ultimo [3]: *Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos;* quocontra Ezechielis trigesimo quarto: *Quod infirmum* Tertia. *erat non consolidastis.* — Ad *aggrediendum bonum;* Ecclesiastici trigesimo primo [4]: *In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi;* ad Romanos decimo quarto: *Infirmum* Quarta. *autem in fide suscipite.* — Ad *perseverandum in bono;* primi Regum secundo [5]: *Quae multos habebat filios infirmata est.* Hae omnes infirmitates sunt *relevandae;* ad Romanos octavo: *Ipse Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.*

11. Item, est infirmitas *passibilitatis poenae* Item, species quarta. *supportanda;* et haec quadruplex, scilicet *contra-* Prima. *ctae* propter praevaricationem; Psalmus [6]: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas;* ad Romanos decimo quarto: Secunda. *Qui infirmus est olus manducet.* — *Assumtae* ad nostram redemptionem; Isaiae quinquagesimo tertio [7]: *Vidimus eum novissimum virorum, virum dolo-* Tertia. *rum et scientem infirmitatem.* — *Inflictae* ad purgationem; Psalmus [8]: *Multiplicatae sunt infirmi-* Quarta. *tates eorum, postea acceleraverunt.* — *Illatae* ad gloriae divinae manifestationem, ut supra eodem [9]: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*

Quaestiones.

12. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicitur in littera, quod *Lazarus erat de castello Mariae et Marthae, sororum eius.* — Cum enim *caput mulieris sit vir* [10], potius debet dici econtra: Martha et Maria de castello Lazari.

Dicendum ad hoc, quod non sine causa introducuntur hic Maria et Martha ut principales, quia, etsi mulieres essent sexu, tamen firmitate animi et virtute Lazarum excedebant; quia etiam merito fidei ipsarum, sicut infra [11] patebit, est Lazarus suscitatus. Unde attendendum, quod Evangelista duo dicit: *de castello Mariae et Marthae,* ut eas sibi praeferat in virtute; *sororum eius,* ut eas sibi [12] postponat in sexus fragilitate. Resp. Notandum.

13. Quaest. II. Item quaeritur de hoc, quod mulieres mittentes ad Iesum non rogaverunt, sed tantum insinuaverunt. — Videtur, quod aut fratris salutem neglexerint, aut Dominum contempserint.

Respondeo: Dicendum, quod mulieres illae optimae et fideles *cognoscebant* Christi *potestatem,* ideo non rogabant, quod veniret, sicut regulus rogavit; *reverebantur maiestatem,* et ideo non audebant rogare, quod ibi iuberet, et hic fieret, sicut centurio [13]; *sperabant* de *bonitate,* ideo insinuabant: *Ecce, quem amas infirmatur.* Unde magister Hugo [14] dicit, quod *insinuatio* est una species orationis, quae fit tripliciter: *confidentia,* ut Mater Domini, supra se- Resp. Insinuatio triplex.

---

[1] Vers. 15.

[2] Vers. 14. — Sequitur Isai. 40, 30. — Superius pro *relevanda* H *adiuvanda,* B *devitandae,* plures alii codd. cum Gorrano *ad vitanda* (cfr. finem huius numeri 10.); haec lectio explicatur a B. Alberto (loc. cit.): *Est infirmitas sequelae peccati, quae infirmat hominem ad vitanda mala.*

[3] Vers. 14. — Subinde allegatur Ezech. 34, 4.

[4] Vers. 27. — Seq. locus est Rom. 14, 1.

[5] Vers. 5. — Sequitur Rom. 8, 26. — Inferius pro *relevandae* (cfr. principium huius numeri 10.) plures codd. *revelandae;* B. Albert. legit: *Omnes autem hae infirmitates sunt per Deum relevandae.*

[6] Psalm. 102, 3. — Subinde allegatur Rom. 14, 2.

[7] Vers. 2. et 3, pluribus tamen omissis, quae ed. addit.

[8] Psalm. 15, 4.

[9] Vers. 4. — Cfr. IV. Sent. d. 4. p. I. a. 1. q. 2. in corp.; vide etiam supra pag. 375, notam 10. et tom. II. pag. 767, notam 6. — Pro *Illatae* multi codd. *Inflictae,* sicut paulo superius; B. Albert.: Est quarto infirmitas *immissa* ad gloriae Dei manifestationem.

[10] Epist. I. Cor. 11, 3.

[11] Vers. 21. seqq.

[12] Ed. hic et paulo superius *illi.*

[13] August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 5: Non dixerunt: Veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausae sunt dicere: Veni et sana; non ausae sunt dicere: Ibi iube, et hic fiet. Cur enim non et istae, si fides illius centurionis inde laudatur? Ait enim [Matth. 8, 8.]: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Nihil horum istae, sed tantummodo: *Domine, ecce, quem amas infirmatur.* Sufficit, ut noveris; non enim amas et deseris. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 1. — Codd. cum Gorrano omittunt *quod ibi iuberet, et hic fieret, sicut centurio.* Superius voci *maiestatem* ed. cum Gorrano praefigit *eius,* quae etiam inferius post *sperabant* addit *tamen de eius potestate et.*

[14] De Modo orandi, c. 3: *Insinuatio* est sine petitione per solam narrationem voluntatis facta significatio. Haec quoque tribus modis fit: timore, fiducia, contemptu. Timore fit, quando vel causa magna est, quam agimus, vel magna persona est, quam rogamus, sicut est illud [Ioan. 11, 21. et 32.]: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Rogare enim voluit, ut fratrem suum mortuum Dominus suscitaret, sed quia propter magnitudinem causae et reverentiam personae extimuit, insinuare potius quam postulare elegit... Fiducia fit insinuatio, quando vel de facilitate causae, vel de benevolentia personae confidimus, et ideo desiderium nostrum patenter exprimere negligimus, quia nos obtinere posse sola insinuatione speramus; sicut est illud quod in nuptiis, deficiente vino, Domino Mater dicit [Ioan. 2, 3.]: *Vinum non habent...* Contemptu fit insinuatio, quando vel causa vilis est, vel persona quae rogatur humilis. Quae omnino ab oratione divina excluditur, apud homines autem maxime superbos et potentes magno studio exercetur... Insinuatio enim ex fiducia perfectis convenit, ex timore incipientibus, ex contemptu malis.

cundo; *reverentia*, sicut hic, ut dicit ipse Hugo de Sancto Victore; *contemptu*, sicut superbus dominus aliquando de [1] famulo.

14. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Infirmitas haec non est ad mortem;* quia mortuus est.

Quaest. incidens.

Undè quaerit Chrysostomus [2]: Quomodo non fuerunt scandalizatae mulieres, quando non evenit quod Dominus eis praedixerat?

Resp.

Respondeo: Dicendum, quod sensus est: *non est ad mortem*, id est ad finalem terminum vitae, ut amplius non vivat; erat tamen *ad mortem*, id est ad dissolutionem animae a corpore [3].

Ad quaest. incid.

Quod quaeritur: quare mulieres non fuerunt scandalizatae? dicendum, quod adhuc sperabant,

Aliter.

quod Dominus deberet ipsum resuscitare [4]. — Vel crediderunt, ex quo non evenit ad litteram, quod Dominus parabolice esset locutus.

15. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc, quod Dominus *mansit duobus diebus* et exspectavit. — Videtur, quod non debuit, quia ipse erat amicus; et Proverbiorum tertio [5] dicitur: *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere; cras dabo tibi, cum statim possis dare.*

Resp.

Respondeo: Dicendum, quod distulit, ut *maius* quid faceret, quam infirmum curaret, et *magis acceptabile. Maius* enim fuit mortuum suscitare quam infirmum curare [6]. — Praeterea distulit ad *maiorem certitudinem* miraculi, quia, sicut dicit Chrysostomus [7], iam certum erat, quod non erat stupidus, sed quod vere mortuus; ad *maiorem potentiae ostensionem;* quia et maius fuit animam unire corpori iam putrido quam adhuc recenter mortuo. Ipse vero tempus congruum in omnibus operibus suis considerat.

Ratio duplex.

16. Quaest. V. Item quaerit Chrysostomus [8] de descriptione istius Mariae, quae unxit Dominum unguento, utrum fuerit illa peccatrix, de qua dicitur Lucae septimo, quod unxit pedes Domini in domo Simonis leprosi. — Et respondet, quod non est illa, quia ista erat bona mulier et famosa, sed illa erat meretrix. Glossa [9] autem dicit contrarium, et similiter Gregorius.

Duae sententiae oppositae.

Resp.

Dicendum, quod assentiendum est Glossae et Gregorio in parte ista. — Quod autem Chrysostomus sentit contrarium, dicendum, quod non est inconveniens, expositores contraria sentire, maxime in nominibus personarum, quia non est ibi vis.

---

[1] Ed. cum C *dicit*, D *de suo*, Gorranus *dicit de*.

[2] In Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 1: Qua in re mirandum est, quod sorores, cum audissent, non esse ad mortem, et postea mori vidissent, offensae non fuerint etc.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 6: *Non est ad mortem*, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum. — Pro *a corpore* B *et corporis*, ed. cum pluribus codd. *a carne*.

[4] Cfr. infra v. 22. seqq. — Chrysost., in Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 1, dicit, quod ipsae « nec putarunt, mentitum illum esse ».

[5] Vers. 28.

[6] August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 5: Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. — Superius ed. cum paucis codd. omittit *quam infirmum curaret*.

[7] In Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 1: Cur mansit? Ut exspiraret ille et sepeliretur, ne quis diceret: Nondum defunctum suscitavit, sopitus tantum erat, vel solutus defecerat, non mors erat. Ideo tanto tempore manet, ut, illo iam corrupto, dicere possent: *Iam foetet* [Ioan. 11, 39.]. Card. Hug. hanc sententiam Chrysost. in ultima parte exhibet tali modo, qui tum magis textui Graeco respondet, tum explicationem addit: Mansit Christus, ut exspiraret interim Lazarus... stupor [χάρος] fuit, id est epilepsia, vel quoniam dissolutio [ἔκλυσις] fuit, id est paralysis, vel subductio [καταγωγὴ] fuit, id est apoplexia, et non mors; propterea tantum mansit, ut dicant, quoniam foetet. — Codd. cum Gorrano secuti substituimus *stupidus* pro *sopitus*, quod exhibet ed. cum nova versione textus Graeci. Pro lectione codd. adducimus Du Cange: « *Stupitus*, Stupidus... Frequenter mente ac spiritu rapta [B. Columba Reatina], suspensis sensuum exteriorum actibus, ac *stupito* corpore quasi lapis reddebatur immobilis ». Superius pro *Praeterea* ed. *propterea*, quae etiam inferius vocibus *ad maiorem potentiae* praefigit *Idque*.

[8] In Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 1: « Primo itaque discas oportet, non hanc esse meretricem, de qua Matthaeus [26, 6. seqq.] et Lucas [7, 36. seqq.], sed aliam honestam mulierem. Illae namque mulieres erant peccatis onustae; haec vero et honesta et studiosa; nam Christum excipere curavit » Origen., Homil. 1. et 2. in Cantic. (apud Hieron. tom. 3.), censet, quod mulier peccatrix, quae Christi *pedes* in domo Simonis *Pharisaei* unxerat (Luc. 7, 38.), diversa sit ab illa sancta, quae Christi *caput* in domo Simonis *leprosi* unxit (ita etiam Hieron., Comment. in Matth. 26, 7.). Idem Origen. (Series veteris interpretationis commentariorum Origenis in Matthaeum, alias tr. 23.), in Matth. 26, 6. seqq. n. 77: Forsitan ergo quis dicet, *quatuor* fuisse mulieres, de quibus conscripserunt Evangelistae; ego autem magis consentio, *tres* fuisse, et unam quidem, de qua conscripserunt Matthaeus et Marcus... alteram autem fuisse, de qua scripsit Lucas; aliam autem, de qua scripsit Ioannes etc.

[9] Glossa *interlinearis* in Ioan. 11, 2, quae a S. Thoma (Catena aurea in hunc locum) tribuitur Alcuino: Ne erremus, cum multae sint huius nominis, ostenditur ex notissima actione [*quae unxit Dominum* etc.]. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Matth. 26, 7; Marc. 14, 3. et Luc. 7, 38. expresse dicit, hanc mulierem, quae unxit Iesum, fuisse Mariam Magdalenam, sororem Lazari. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 1: Maria Magdalene, quae fuerat in civitate peccatrix etc. Ibid. homil. 33. n. 1: Hanc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus [16, 9; cfr. Luc. 8, 7, ubi vocatur *Maria Magdalene*] septem daemonia eiecta fuisse testatur. — Ambros., VI. Exposit. in Luc. 7, 38. n. 14, rem non videtur definire, adducta siquidem opinione, quae dicit, diversam esse mulierem unguentum super caput Christi effundentem (Matth. 26, 7.) a peccatrice pedes Christi ungente (Luc. 7, 38.), subdit: « Potest etiam quaestio meriti et temporis diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior ». August., II. de Consensu Evangelist. c. 79. n. 154, censet, unam eandemque esse illam mulierem peccatricem cum Maria sorore Lazari; utrum vero Magdalenam ab illis distinxerit, non patet. In Ioan. Evang. tr. 49. n. 3. ambiguus est de prima sua opinione: Ecce, ipsa soror Lazari, si tamen ipsa est, quae pedes Domini unxit unguento etc. Cfr. Aug. Calmet, Dissertatio in tres Marias (in fine Comment. in Marc.) et infra c. 12. n. 10.

17. *Deinde post haec suis dixit discipulis.* Post-
Secundo notatur adventus Medici per sex.
quam facta est denuntiatio infirmitatis, describitur hic *adventus Medici* hoc ordine: primo insinuatur *adveniendi securitas;* secundo, *veniendi necessitas;* tertio, *discipulorum utilitas;* quarto, *Thomae* ad commoriendum [1] *animositas;* quinto, *temporis tarditas;* sexto, *loci opportunitas.*

(Vers. 7.). Primo igitur notatur *Christi* [2] *secu-*
Primum.
ritas, propter quam hortatur discipulos timidos, dicens: *Deinde post haec dixit discipulis suis,* scilicet Iesus: *Eamus in Iudaeam iterum;* ideo eos hortabatur, quia timidi erant; et hoc patet ex eorum responsione.

18. (Vers. 8.). *Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare,* id est, adhuc recens est; supra decimo [3]: « Sustulerunt lapides Iudaei, ut lapidarent eum ». *Et iterum vadis illuc?* Quasi dicant: non eundum. Simile dixit Domino Petrus Matthaei decimo sexto [4]: « Absit a te, Domine; non erit tibi hoc ». Dissuadebat Iesu mortem et fuit reprehensus, quia Dominus se praedixerat morituruum, et ipse dissuadebat et volebat eum retrahere a suo proposito. Isti autem nesciebant tunc, quod ipse vellet mori; et ideo instruuntur et confortantur, ut non timeant; propter quod ait:

19. (Vers. 9.). *Respondit Iesus: Nonne duode-*
Ambulare in die securum.
cim horae sunt diei? in quibus scilicet ambulare *bonum* est et *securum;* unde dicit: *Si quis ambulat* [5] *in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.* Haec lux Christus est; supra octavo: « Ego sum lux mundi ». Post hanc lucem qui ambulat non offendit; quia, sicut dicitur supra octavo [6], « qui sequitur me non ambulat in tenebris »; et ideo non offendit. Ideo dicit Sapientia Proverbiorum quarto: « Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum ». Non solum ambulare in
Et opportunum.
die securum, sed etiam *opportunum;* unde subdit:

20. (Vers. 10.). *Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo;* Matthaei decimo quinto [7]: « Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt »; propter quod dicitur infra duodecimo: « Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant ».

21. (Vers. 11.). *Haec ait et post haec dixit* Secundum.
illis [8]. Tangitur hic secundum, scilicet *veniendi necessitas* propter Lazarum, qui mortuus nisi per ipsum suscitari non poterat. Ideo dicit: *Lazarus, amicus noster, dormit; sed vado, ut a somno excitem eum;* propriissime loquitur, quia *mori* Deo *dormire* est; unde Augustinus [9]: « Hominibus *mortuus* erat, qui eum suscitare non poterant; Domino vero *dormiens,* qui tanta facilitate eum excitabat de sepulcro, quanta tu non excitas dormientem de lecto »; ideo dicebat Dominus Matthaei nono: « Non est mortua puella, sed dormit ». Sed discipuli hoc non intelligebant; propter quod dicunt:

22. (Vers. 12.). *Domine* [10], *si dormit, salvus erit,* quia in acutis aegritudinibus bonum signum est somnus. Et hoc dixerunt, non intelligentes; propter hoc autem dicit Evangelista:

23. (Vers. 13.). *Dixerat autem Iesus de morte* [11], *illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret;* unde decepti erant, ut innuit Evangelista, per aequivocationem dormitionis.

Propter quod intelligendum, quod est dormitio Dormitio quadruplex.
quadruplex, scilicet *pigritiae;* Proverbiorum sexto [12]: Prima.
Usquequo, piger, dormis? Primae ad Thessalonicenses quinto: *Non dormiamus, sed vigilemus et sobrii simus. — Culpae;* ad Ephesios quinto [13]: *Surge* Secunda.
qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus; primae ad Corinthios undecimo: *Multi inter vos infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. — Quietis;* Matthaei vigesimo sexto [14]: *Et invenit eos* Tertia.
dormientes; et subditur, quod dixit eis: *Dormite iam et requiescite. — Mortis;* primae ad Thessalo- Quarta.
nicenses quarto [15]: *Nolumus, vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent;* Iob vigesimo septimo: *Dives, cum dormierit, nihil secum afferet.*

24. (Vers. 14.). *Tunc* [16] *dixit eis Iesus.* Tangi- Tertium.
tur hic tertium, scilicet *discipulorum utilitas;* ideo replicat mortem Lazari aperte, quia occulte non capiebant. Ideo *tunc dixit eis Iesus manifeste: Lazarus mortuus est;* ideo *manifeste,* quia, sicut dicitur Matthaei decimo tertio [17], « vobis datum est nosse mysteria regni caelorum ». Et subditur utilitas, de qua gaudet; unde dicit:

---

[1] Non pauci codd. *veniendum;* sed cfr. infra v. 16. n. 26.

[2] Ed. addit *adventus,* Gorranus *veniendi.*

[3] Vers. 31.

[4] Vers. 22; ibid. v. 23: Qui conversus dixit Petro: Vade post me, satana etc. Cfr. Glossa *ordinaria* in Ioan. 11, 8. (ex August. in hunc locum). — Inferius post *Dissuadebat* C prosequitur *ibi Petrus mortem Christi* etc. Subinde pro *tunc* plures codd., ut E F K L M N, *nunc.*

[5] Vulgata *ambulaverit.* — Sequitur Ioan. 8, 12. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 8: Me sequimini, si non vultis offendere.

[6] Vers. 12. — Subinde allegatur Prov. 4, 11. seq. — Inferius pro *opportunum* D *peroptimum,* H M *optimum.*

[7] Vers. 14. — Seq. locus est 12, 35. Codd.: *Ambulate, dum dies est* etc.

[8] Vulgata *eis.*

[9] In Ioan. Evang. tr. 49. n. 9. — Subinde allegatur Matth. 9, 24.

[10] Vulgata *Dixerunt ergo discipuli eius: Domine.* Hippocrat., VII. Sect. lib. II. Aphorism. sect. 2. ait: Quodsi iuvet somnus [in morbo], minime letale. — August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 11: Solet enim esse somnus aegrotantium salutis indicium.

[11] Vulgata addit *eius.*

[12] Vers. 9. (ed. addit etiam v. 10.). — Sequitur I. Thess. 5, 6.

[13] Vers. 14. — Subinde allegatur I. Cor. 11, 30.

[14] Vers. 43. et 45.

[15] Vers. 13. — Sequitur Iob 27, 19.

[16] In Vulgata additur *ergo.*

[17] Vers. 11.

25. (Vers. 15.). *Sed*[1] *gaudeo propter vos*, id est utilitatem vestram, *ut credatis, quia non eram ibi;* hoc non refertur ad fidem, sed ad gaudium, *gaudeo* scilicet, *quia non eram ibi*, ut postmodum ex nostro adventu fides vestra solidetur. Ideo dicit: *Sed eamus ad eum*, propter securitatem et Lazari necessitatem et vestram utilitatem. Ratio, quare veniebat, erat, quia amicus; infra decimo quarto[2]: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ».

Quartum. 26. (Vers. 16.). *Dixit ergo Thomas.* Tangitur hic quartum, scilicet *Thomae animositas*, etiam ad commoriendum; ideo dicit: *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus*, quasi diu dubitans: *Eamus et nos et moriamur cum illo*[3].

Quaest. incidens solvitur. Quaerit Chrysostomus[4]: Quomodo Thomas hoc dixit? Et dicit, quod dixit ex formidatione; sed melius dicendum, quod dixerit ex fortitudine, id est exhortatione Domini animatus, et sapienter dixit et fortiter; unde secundae ad Timotheum secundo[5]: « Si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus ».

Quintum. 27. (Vers. 17.). *Venit ergo*[6] *Iesus.* Tangitur hic quintum, scilicet *temporis tarditas;* divina enim dispensatione hoc gestum est; unde non tantum invenit mortuum, sed foetidum, ut certius et admirabilius et gloriosius esset miraculum; et ideo subdit: *Et invenit eum iam quatuor dies in monumento habentem*, et ita foetidum; infra eodem[7]: « Domine, iam foetet, quatriduanus enim est ».

Sextum. 28. (Vers. 18.). *Erat autem Bethania.* Tangitur hic ultimum, scilicet *loci opportunitas.* Quia enim prope Ierusalem erat, multi Iudaei venerant, qui essent testes miraculi. Ratio autem, quare venerant, erat loci opportunitas sive propinquitas. Propter opportunitatem dicit: *Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.* Stadium est octava pars milliarii[8], et ita propinquus erat locus; propter quod etiam dicit:

29. (Vers. 19.). *Multi autem ex Iudaeis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo;* quia tunc multa erat tristitia de mortuis, sed post mortem Christi de bonis mortuis debet esse consolatio; quia « beati mortui, qui in Domino moriuntur[9] »; ideo primae ad Thessalonicenses quarto: « Nolumus, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent ».

Expositio spiritualis de tribus. 30. *Spiritualiter* notanda sunt tria: primo, quid[10] est, quod Lazarus a Domino *amatur?* Secundo, quid est, quod *languet, moritur* et *quatriduanus invenitur?* Tertio, quid est, quod Dominus suos *discipulos exhortatur*, quod *in die ambulent?*

De amore Christi erga Lazarum. Lazarus *adiutus a Domino* interpretatur[11]. Iste significat virum, qui habet gratiam adiuvantem, secundum illud Isaiae quadragesimo nono[12]: *In tempore accepto exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* Iste Dominum diligit, ideo et amatur; Proverbiorum octavo: *Ego diligentes me diligo.*

De Lazari languore. Iste Lazarus *languet* in peccati delectatione, de quo languore Ecclesiastici decimo[13]: *Languor prolixior gravat medicum;* quia vix contingit, quin morosa delectatio demergat in mortale peccatum. — Sed *moritur* in consensu, quia tunc consummatur peccatum interius; Iacobi primo[14]: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* — Et *quatriduanus efficitur* et *foetidus*, dum a consensu pervenitur in *opus*, ab opere in *consuetudinem*, a consuetudine in *peccati impudentiam*, quando *frons meretricis fit homini, ut iam nolit erubescere*[15]; et

De ipsius morte.

Ipse est quatriduanus.

---

[1] Vulgata *Et*, ac paulo inferius *quoniam non* pro *quia non.*

[2] Vers. 23. — Superius post *veniebat* E addit *ad Lazarum.*

[3] Vulgata verbo *Eamus* praefigit *ad condiscipulos*, et post *et nos* prosequitur *ut moriamur cum eo.* — Hieron., Lib. de Nominibus Hebraic. nov. testam. Matth.: *Thomas*, abyssus, vel *geminus*, unde et Graece *Didymus* appellatur. Beda, I. in Marc. 3, 18: *Thomas*, abyssus, vel geminus, quod est Graece Δίδυμος, quae utraque interpretatio eius statui congruit. Didymus etenim recte vocari potuit propter dubium cor in credendo effectu dominicae resurrectionis. Abyssus idem potuit iure dici, cum altitudinem dominicae virtutis in resurrectione celebratam certa fide penetravit [duplicem hanc expositionem Beda, II. in Matth. 10, 3. et II. in Luc. 6, 14. seq. breviter complectitur his verbis: quia quo ceteris diutius dubitavit, eo dominicae resurrectionis veritatem altius didicit]. Cfr. Glossa *ordinaria* in Ioan. 20, 24. — Pro *dubitans* B *dubius.*

[4] In Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 2: Omnes itaque Iudaeorum impetum formidabant, omnium maxime Thomas; ideo dixit: *Eamus, ut et nos moriamur cum eo.* Quidam vero dicunt, ipsum mori optasse; sed non ita res est, nam potius ex timore loquebatur.

[5] Vers. 11. seq. Codd. breviter: *Si commortui* [non pauci: *mortui*] *fuerimus, et conregnabimus.* — Glossa *interlinearis* in Ioan. 11, 16: *Et moriamur cum eo:* Ecce, verus amantium affectus: vel cum eo vivere, vel cum eo mori. Cfr. S. Thom., Catena aurea in Ioan. c. 11. n. 3, ubi ex Beda affertur testimonium, quod in his Thomae verbis « magna eius videtur esse constantia ».

[6] Vulgata *itaque.*

[7] Vers. 39. Cfr. supra pag. 397, nota 7.

[8] Beda, VII. in Luc. 24, 13: Stadium, quo Graeci, auctore, ut dicunt, Hercule, viarum spatia mensurant, octava est pars milliarii [i. e. 125 passus; quia milliarium continet 1000 passus; ideoque 15 stadia erunt 1875 passus, quasi duo milliaria]. Chrysost., in Ioan. homil. 62. (alias 61.) n. 2: Stadiis quindecim distabat Bethania, quae sunt milliaria duo.

[9] Apoc. 14, 13. — Sequitur I. Thess. 4, 13. — Superius pro *multa erat tristitia* B *multum* [ita et plures alii codd.] *erat tristitiae* [illi alii *tristitia*].

[10] Ed. hic et paulo inferius pro *quid* substituit *quidem.*

[11] Cfr. supra pag. 394, nota 3.

[12] Vers. 8. — Subinde allegatur Prov. 8, 17. — Inferius post *Iste* ed. addit *sic adiutus.*

[13] Vers. 11. — Superius post *delectatione* ed. prosequitur *qui tamen diligitur, de cuius languore* etc.

[14] Vers. 15.

[15] Ut dicitur Ier. 3, 3. — Sequitur Amos 4, 10. — Notamus, quod praedicta inveniantur etiam apud August., in Ioan.

tunc *foetidus* est; quia iam peccatum eius in alios diffunditur; Amos quarto: *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras* etc.

De exhortatione discipulorum.

Ad hunc peccatorem suscitandum a mortuis Dominus *sollicitat discipulos suos*, quos et praelatos ordinaverat; Proverbiorum sexto [1]: *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* — Et hortatur, quod

Quid dies.

de die ambulent. Dies dicitur tempus merendi, quia, dum sol oritur, homo exit ad opus suum, et daemones absconduntur; Psalmus [2]: *Ortus est sol, et congregati sunt* etc.; et post: *Exibit homo ad opus*

Quae duratio diei.

suum etc. — Iste dies *durat* ab adventu Christi usque ad diem iudicii; quia supra nono [3]: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi;* et ipse est in mundo *usque ad consummationem saeculi;* Matthaei ultimo: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus*

Quid operandum.

usque ad consummationem saeculi. — Et hoc *operandum*, ut peccatores suscitentur; ad Galatas sexto [4]: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad*

Horae duodecim.

domesticos fidei. — Duodecim horae huius diei possunt dici *duodecim status Christi*, de quibus habitum est supra quarto [5]. — Vel possunt dici *duodecim Apostoli*, qui etiam significati sunt per duodecim *lapides*, per duodecim *fontes* in Elim, per duodecim *boves circa mare aeneum Salomonis*, per duodecim *lapides pretiosos*, et nunc per duodecim horas [6]. — Vel *duodecim horae* sunt *duodecim virtutes*, quae fuerunt in Christo, scilicet quatuor cardinales, una theologica [7], et septem dona. — Vel *duodecim horae* dicuntur *duodecim fructus Spiritus*, de quibus Apocalypsis vigesimo secundo [8]: *Lignum vitae afferens fructus duodecim per singulos menses.*

31. *Martha ergo, ut audivit* etc. Supra [9] determinata sunt duo antecedentia ad miraculum, scilicet denuntiatio infirmitatis et adventus Medici; tangitur hic tertium, scilicet *intercessio fidei*, quae quidem merebatur Lazari suscitationem. Haec autem erat fides et devotio duarum sororum, Marthae scilicet et Mariae. Unde primo insinuatur fides *Marthae;* secundo, *Mariae,* ibi [10]: *Et cum haec dixisset, abiit* etc.

Tertio notatur intercessio fidei.

De fide et devotione Marthae tria.

Fides igitur et devotio *Marthae* insinuatur hoc ordine: primo innuitur Marthae officiosa *sollicitudo;* secundo, ipsius fidelis *confessio;* tertio, fidelis *confessionis amplificatio.*

Expositio litteralis. Primum.

(Vers. 20.). Marthae igitur *sollicitudo* innuitur in hoc, quod ipsa Domino occurrit; non sustinuit, quod veniret usque ad domum; ideo dicit: *Martha ergo, ut audivit, quia Iesus venit, occurrit ei* [11]. In hoc patet, quod Martha multum erat sollicita, sed e contrario Maria quieta; unde dicit: *Maria autem domi sedebat,* quieta scilicet. Propterea dicitur Lucae decimo: « Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima; Maria optimam partem elegit ». Optime per Martham occurrentem significatur *activa;* Isaiae vigesimo primo [12]: « Cum panibus occurrite fugienti »; per Mariam domi sedentem *contemplativa;* unde Threnorum tertio de viro contemplativo: « Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se ».

Secundum.

32. (Vers. 21.). *Dixit ergo Martha* [13]. Tangitur hic secundum, scilicet Marthae *fidelis confessio*, in qua confitetur Dominum potentem et benignum, ut posset et vellet liberare et nunc resuscitare; ideo dicit: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus;* quia voluisses et potuisses liberare; sed et nunc potes resuscitare. Ideo dicit:

33. (Vers. 22.). *Sed et nunc scio,* id est, firma fide teneo, *quia, quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Augustinus [14]: « Scio, quod potes; si vis, facis; utrum autem facias, iudicii tui est,

---

Evang. tr. 49. n. 3, alio tamen modo applicata; ipse enim applicat ad tres mortuos, qui a Domino sunt resuscitati, scil. ad filiam archisynagogi in *domo* adhuc iacentem (Marc. 5, 41.), filium viduae *extra portam* Naim elatum (Luc. 7, 14.) et Lazarum *sepultum quatriduanum.* Dicit igitur: Intueatur quisque animam suam; si peccat, moritur... Sed aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti; consensio illa occidit te; sed *intus* est mors... Si autem non solum malae delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti, quasi mortuum *extra portam* extulisti... Tertius mortuus est Lazarus. Est genus mortis immane, mala consuetudo appellatur... Qui autem peccare consuevit, *sepultus* est, et bene de illo dicitur *foetet,* incipit enim habere pessimam famam tanquam odorem teterrimum. Cfr. tom. IV. pag. 344, nota 5, ubi etiam alii loci August. de hac re sunt allegati.

[1] Vers. 3.

[2] Psalm. 103, 22. et 23.

[3] Vers. 5. Cfr. ibid. n. 16. — Sequitur Matth. 28, 20.

[4] Vers. 10. [5] Num. 82. et 83.

[6] Cfr. Iosue 4, 2. seqq., ubi duodecim viris electis praecipitur, quod colligant *duodecim lapides* de medio Iordanis alveo (vide tom. III. pag. 536, notam 1.); Exod. 15, 27: Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim *fontes aquarum;* III. Reg. 7, 25: Et stabat [mare] super *duodecim boves* etc.; Apoc. 21, 14. et 19. seq., ubi de *duodecim lapidibus pretiosis,* quae duodecim fundamenta dicuntur civitati caelestis. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 8: *Nonne duodecim horae sunt diei?* Quia, ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit.

[7] Scilicet caritas; fidem et spem habere non potuit, quia erat simul viator et comprehensor. Cfr. III. Sent. d. 31. a. 2. et 3; d. 33. q. 6.

[8] Vers. 2. [9] Num. 1. et 17.

[10] Vers. 28. — Superius post *sororum* ed. cum nonnullis codd. addit *Lazari.*

[11] Vulgata et E *illi.* — Subinde allegatur Luc. 10, 41. seq.

[12] Vers. 14. — Sequitur Thren. 3, 28. Glossa *interlinearis: Martha... occurrit illi,* activa vita primum occurrit per opera misericordiae: *Maria autem domi sedebat,* quia contemplativi quietem desiderant. Cfr. Beda, III. Homil. subdititiarum, homil. 57. in die assumt. Mariae.

[13] Vulgata addit *ad Iesum.*

[14] In Ioan. Evang. tr. 49. n. 13, ubi pro *quod* et *autem* textus originalis *quia* (ita etiam N) et *enim;* plures codd. *facies* pro *facias.* — De seq. propositione, in qua de *insinuatione,* cfr. supra pag. 396, nota 14. verba Hug., qui de Martha et Maria (de Modo orandi, c. 3.) haec addit: Dixit, unde voluntas intelligeretur, sed temeritas non reprehenderetur, ut vel non exaudita repulsae non pateretur opprobrium, vel exaudita voluntatis suae consequeretur effectum.

non meae praesumtionis ». Non fuit ausa petere tam magnum quid, ne pateretur repulsam; sed suam fidem exprimendo insinuavit desiderium. Non solum quae petit Christus dat Deus, sed quod petitur in nomine eius; infra decimo sexto [1]: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis ».

34. (Vers. 23.). *Dicit ei* [2] *Iesus.* Tangitur hic Tertium. tertium, scilicet *fidelis confessionis amplificatio.* Confessa enim fuerat Martha, quod Dominus posset impetrare fratris resuscitationem; Dominus autem vult eam ad hoc inducere, ut confiteatur, Christum posse resuscitare; propter quod, potestative dicit: *Resurget frater tuus.* Et Martha confitetur de generali resurrectione, unde dicit:

35. (Vers. 24.). *Scio* [3]*, quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Sciebat *ex Lege;* Danielis duodecimo: « Multi de his qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt »; sciebat *per doctrinam Christi;* supra sexto: « Ego resuscitabo eum in novissimo die ». Sed quia nondum confessa erat, quod virtute Christi resurgeret; ideo instruitur de hoc; propter quod dicit:

36. (Vers. 25.). *Dicit* [4] *ei Iesus: Ego sum resurrectio et vita;* causalis est praedicatio, id est, facio resurgere et vivere; primae ad Corinthios decimo quinto: « Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ». Et hoc manifestat: *Qui credit in me, etsi* [5] *mortuus fuerit, vivet;* et ita facio resurgere; supra quinto: « Venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent ». — Non solum facio mortuos resurgere, sed etiam viventes vivere; unde:

37. (Vers. 26.). *Et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum;* supra sexto [6]: « Omnis, qui videt Filium et credit in eum, habet vitam aeternam ». Et quia « corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem »; ideo dicit: *Credis hoc?*

38. (Vers. 27.). *Ait illi: Utique, Domine,* hoc credo, quod tu hoc facias; *ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei* [7]*, qui in hunc mundum venisti;* et ita potes resuscitare et vivificare, quia, supra quinto, « sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso ». Confitetur in hoc et Divinitatem et humanitatem: quia *Dei Filius,* potes; quia *venisti,* facies; ad hoc enim missus es.

39. *Et cum haec dixisset.* Posita fideli confes- De fideli confessione Mariae tria. sione Marthae, ponitur hic *fidelis confessio Mariae,* quae describitur hoc ordine: primo ipsius *Mariae vocatae acceleratio;* secundo, *Iudaeorum associatio;* tertio, *fidelis et devota confessio.*

(Vers. 28.). Primo ergo ponitur *Mariae vocatae* Primum. *acceleratio,* in quo significatur *quies* et *devotio* in Maria: *quies,* quia non venit nisi vocata a Martha; propterea dicit: *Et cum haec dixisset, abiit et vocavit Mariam, sororem suam silentio;* Threnorum tertio [8]: « Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei ». *Vocavit,* inquam, eam imperio Domini; Apocalypsis ultimo: « Et qui audit dicat: Veni ». Et hoc innuitur, quia vocavit, *dicens: Magister adest et vocat te.* Quamvis hoc non sit praedictum causa brevitatis, tamen ita fuisse intelligendum est; Iob decimo quarto [9]: « Vocabis me, et ego respondebo tibi ». Non tantum erat Maria *quieta,* sed etiam *devota;* unde dicit:

40. (Vers. 29.). *Illa, ut audivit, surrexit* [10] *cito et venit ad eum;* non exspectavit, quod veniret, sed ipsa velociter cucurrit, antequam intraret; ideo dicit:

41. (Vers. 30.). *Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.* In quo [11] significatur, quod vir a Domino vocatus debet accelerare, sicut fecerunt boni discipuli, de quibus Matthaei quarto [12]: « Continuo relictis retibus, secuti sunt eum »; unde et ille reprehenditur Lucae nono, qui dixit: « Dimitte me prius, ut vadam et sepeliam patrem meum »; Ecclesiastici trigesimo primo: « In omnibus operibus tuis esto velox »; et Proverbiorum decimo octavo: « Qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis ».

42. (Vers. 31.). *Iudaei ergo.* Tangitur hic se- Secundum. cundum, scilicet *Iudaeorum associatio;* et ratio associandi erat voluntas consolandi; propterea dicit: *Iudaei ergo, qui erant cum ea in domo et conso-*

---

[1] Vers. 23.

[2] Vulgata *illi.*

[3] Vulgata *Dicit ei Martha: Scio.* — Duo seqq. loci sunt Dan. 12, 2. et Ioan. 6, 40. — Subinde post primum *Sciebat* plures codd. addunt *enim,* et post *doctrinam* ex C N supplevimus *Christi.*

[4] Vulgata *Dixit.* — Sequitur I. Cor. 15, 20. et 21. Ed. subiungit etiam v. 22. — Inferius fide codd. addidimus *praedicatio.* Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 6, ubi solvitur quaestio: Quae sit causa nostrae resurrectionis.

[5] Vulgata et E I K L *etiamsi.* — Seq. locus est Ioan. 5, 25.

[6] Vers. 40. — Subinde allegatur Rom. 10, 10.

[7] Vulgata et H *Dei vivi.* — Sequitur Ioan. 5, 26.

[8] Vers. 26. — Sequitur Apoc. 22, 17. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 16: Advertendum est, quemadmodum suppressam vocem *silentium* nuncupavit. Nam quomodo siluit quae dixit: *Magister adest et vocat te?* Advertendum etiam, quemadmodum Evangelista non dixerit, ubi vel quando vel quomodo Mariam Dominus vocaverit, ut hoc in verbis Marthae potius intelligeretur, narrationis brevitate servata.

[9] Vers. 15.

[10] Vulgata *surgit.*

[11] Scilicet quod Maria cito surrexit, venit ad Iesum et praevenit adventum ipsius in castellum. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 63. (alias 62.) n. 1.

[12] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Luc. 9, 59; Eccli. 31, 27. et Prov. 18, 9.

labantur eam; ad hoc venerant; *cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et abiit* [1], quasi dolore tacta, non valens diu sustinere; *secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ibi ploret.* Ideo sequebantur, ut consolarentur, de qua consolatione Ecclesiastici trigesimo octavo [2]: « Consolare propter tristitiam, et fac luctum secundum meritum illius uno die vel duobus propter detractionem ».

43. (Vers. 32.). *Maria ergo, cum venisset.* Tangitur hic tertium, scilicet Mariae *fidelis confessio et devota;* propter quod dicit: *Maria ergo, cum venisset, ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius;* ecce, *devotio,* semper ad pedes Domini; unde Lucae septimo [3]: « Maria stans retro secus pedes Domini »; et decimo: « Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius ». Non legitur de Martha, quod ceciderit ad pedes; quia non sic devota nec sic calida, ut Maria; Deuteronomii trigesimo tertio [4]: « Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius ». Et subditur *fidelis* confessio: *Et dixit ei: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* [5]; in quo insinuat virtutem Domini, ut soror prius fecerat; sed illa amplius dixit, quod adhuc resuscitaret, si vellet; et haec ob reverentiam tacuit et ob devotionem flevit et amplius Dominum movit, sicut infra [6] patebit. In quo innuitur, quod Dominus magis audit gemitum cordis quam sonum oris; Gregorius [7]: « Veraciter orare est amaros in compunctione gemitus et non composita verba resonare »; unde primi Regum primo dicitur, quod Anna largiter flevit et tacite oravit.

Tertium. Confessio devota. Confessio fidelis.

Quaestiones.

44. Quaest. I. Sed quaeritur hic: quare Dominus ita diligenter quaerit confessionem Marthae de fide resurrectionis, cum sciret, eam fideliter credere? Et quae necessitas erat?

Dicendum, quod fides sororum Lazari impetravit eius resuscitationem; et quia tunc fides est certior et firmior, quando ore confitemur: ideo oris petiit confessionem [8].

Resp.

45. Quaest. II. Sed tunc quaeritur, cuius virtutis sit magis impetrare miraculum?

1. Et quod *fidei,* videtur: quia infra eodem [9]: *Nonne dixi tibi: Si credideris, videbis gloriam Dei?* — Item, Marci nono: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti;* et ibidem dicitur, quod Dominus dixit Apostolis, quod non potuerunt eiicere daemonium *propter incredulitatem.* — Et Apostolus primae ad Corinthios decimo tertio [10]: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam.*

2. Quod autem *spei,* videtur: quia Matthaei nono [11] dicitur illi: *Confide, filia:* ergo videtur, quod sit confidentiae; sed confidentia est spei.

3. Quod autem sit *caritatis,* videtur: quia illius est coniungere Deo et amicum facere, et hi maxime exaudiri sunt digni.

Respondeo: Dicendum, quod quia miraculum non solum impetratur a bonis, sed etiam a malis [12], quod ab *illa virtute* impetratur, quae bonis et malis communis est. Haec autem *fides* et *spes* esse possunt; ideo miraculum est fidei ut originalis principii, sed *spei* ut consummativi. Et quia *confidentia* utrumque complectitur, proprie loquendo, impetratio miraculi est *confidentiae* [13]. — Nota, quod operatio miraculi debetur *fidei,* quia ipsa *communis;* quia prima *elevat intellectum* [14]; quia habet *considerare omnipotentiam.*

Resp. Nota.

46. *Iesus ergo, ut vidit eam plorantem.* Supra [15] posita sunt tria praeambula ad mirabilem suscitationem, hic ponitur quartum, quod est *exauditionis pietas;* propter pietatem enim motus est Dominus exaudire et Lazarum suscitare; et describitur hoc ordine. Primo innuitur *pietas exaudientis;* secundo, *signum exauditionis;* tertio, *virtus* vel potestas *exaudiendi.*

Quarto notatur exauditio pietatis per tria.

(Vers. 33.). *Pietas* ergo *exaudientis* notatur in hoc, quod Christus ad fletum Mariae et Iudaeorum flevit et doluit; propterea dicit: *Iesus ergo, ut vi-*

Expositio litteralis. Primum.

---

[1] Vulgata et E N *exiit.*

[2] Vers. 17. et 18.

[3] Vers. 38; sequitur 10, 39. — Supra post *devotio* M supplet *venit;* ed. legit *qua semper fuit.*

[4] Vers. 3. — Superius pro *calida* ed. *fervida.* Respicitur Chrysost., in Ioan. homil. 63. (alias 62.) n. 1, ubi de Maria dicit: Θερμοτέρα αὐτὴ τῆς ἀδελφῆς, quae verba diversimode translata invenimus; apud card. Hug.: *Calidior* haec sorore; apud S. Thom. (Catena aurea in Ioan. 11. n. 5.): *Ferventior* haec sorore erat. Cfr. homil. 62. (alias 61.) n. 2. in fine.

[5] Vulgata *dicit* et *non esset mortuus* pro *dixit* et *non fuisset mortuus;* cfr. v. 21, ubi Martha haec verba profert. Glossa *interlinearis* eadem verba ita exponit: Quia, te praesente, nulla infirmitas ausa fuisset apparere, apud quas vita hospitari noverat.

[6] Vers. 33. seqq.

[7] Libr. XXXIII. Moral. c. 23. n. 43. — Subinde allegatur I. Reg. 1, 10: Oravit ad Dominum, flens largiter.

[8] Cfr. supra n. 37. verba Apostoli Rom. 10, 10. — Superius pro *resuscitationem* ed. cum uno alteroque cod. *resurrectionem.*

[9] Vers. 40. — Sequitur Marc. 9, 22; ibid. v. 17. seq. dicitur: Et dixi discipulis tuis, ut eiicerent illum, et non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula etc.; v. 27. seq.: Discipuli eius secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus eiicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione et ieiunio. Cfr. Matth. 17, 19, ubi ad eandem interrogationem discipulorum « dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic » etc.

[10] Vers. 2.

[11] Vers. 22.

[12] Cfr. supra c. 3. n. 6. — Quod *fides* et *spes* possint esse informes sive sine caritate, ostenditur III. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. seqq. et d. 26. a. 1. q. 4.

[13] Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Matth. 9, 22: *Confide, filia,* credidit utique quae petiit, sed inculcat robur et perseverantiam in fide.

[14] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. et dub. 6; d. 27. a. 2. q. 1. in corp. et ad 4; Comment. in Luc. 17, 19.

[15] Cfr. supra n. 1. — Inferius post *exaudire* ed. addit *eas.*

dit eam plorantem, scilicet Mariam, *et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes. Vidit*, oculo scilicet pietatis; quarti Regum vigesimo [1]: « Audivi orationem tuam et vidi lacrymas tuas ». *Infremuit spiritu et turbavit semetipsum*, eis compatiendo; et ex hac compassione approximat; unde:

47. (Vers. 34.). *Dixit* [2]: *Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni et vide;* et sequitur compassionis ostensio; unde:

48. (Vers. 35.). *Et lacrymatus est Iesus;* unde ex visu oritur *turbatio*, ex turbatione *approximatio*, ex approximatione *doloris et compassionis expressio.* Iob trigesimo [3]: « Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi »; Lucae decimo nono: « Videns Iesus civitatem, flevit super illam ». Flevit, cum vidit flentem Mariam; ad Romanos duodecimo: « Flere cum flentibus »; et haec compassio signum erat doloris, et dolor signum amoris; propterea:

49. (Vers. 36.). *Dixerunt ergo Iudaei: Ecce, quomodo amabat eum*, quia de eius morte flebat; et verum dicebant, secundum quod Sapientiae undecimo [4] dicitur: « Domine, diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti », et post: « Tua sunt, Domine, qui amas animas ». Sed ex hoc in dubitationem incidebant; quia enim amans alium non vult, eum mori; videbatur eis, quod contra voluntatem eius mortuus esset, et admirabantur; propter quod dicit:

50. (Vers. 37.). *Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos caeci nati* — supra nono [5] — *facere, ut hic non moreretur?* Dubitando dicunt, quia rationem ad utramque partem habere videntur. Et bene quidem *poterat*, quia, Ecclesiastae octavo [6], « omne, quod voluerit, faciet »; et Lucae primo: « Non erit impossibile apud Deum omne verbum ». Sed si non esset mortuus, non manifestaretur gloria Dei in illo; ideo iste est *mortuus* [7], sicut ille *caecus* natus; supra nono: « Neque hic peccavit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo »; ideo *caecus* est natus, sic Lazarus *mortuus.*

51. (Vers. 38.). *Iesus ergo rursum fremens.* Secundum. Tangitur hic secundum, scilicet *signum exauditionis*, quod in hoc manifestatur, quia ad monumentum venit et lapidem amoveri fecit; et compassio movebat haec facere. Ideo dicit: *Iesus ergo rursum fremens in semetipso*, per compassionem, *venit ad monumentum.* Et quia venerat suscitare, ideo monumentum praecepit aperire, quia clausum erat; ideo dicit: *Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei*, propter foetorem scilicet amovendum.

52. (Vers. 39.). *Ait Iesus: Tollite lapidem.* Et quia Martha sollicita erat de Domino quantum ad sensibilia et corporalia; ideo: *Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam foetet;* ideo non est aperienda; *quatriduanus enim est.* Et quia Martha credebat, quod Dominus ex compassione vellet videre, non ex potentia suscitare [8]; ideo:

53. (Vers. 40.). *Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei?* id est divinae virtutis magnitudinem; Actuum septimo [9]: « Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei ». Et in hoc sciverunt, quod non ideo aperiri fecerat, ut videret mortuum, sed ut suscitaret; ideo sequitur obedientia:

54. (Vers. 41.). *Tulerunt ergo lapidem*, in quo iam manifestatio facta est, quod Dominus vellet eum suscitare; ideo tunc crediderunt et obtinere meruerunt; unde dicitur Mariae Lucae primo [10]: « Beata, quae credidisti, quoniam perficientur in te quae dicta sunt tibi a Domino ».

---

[1] Vers. 5. — Subinde pro *semetipsum* Vulgata *se ipsum.*

[2] Vulgata *Et dixit.*

[3] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Luc. 19, 41. et Rom. 12, 15.

[4] Vers. 25. et 27. — Inferius e codd. supplevimus *alium.*

[5] Vers. 7. — Chrysost., in Ioan. homil. 63. (alias 62.) n. 1: Ne in calamitatibus quidem nequitiam represserant. Atqui facturus est rem longe mirabiliorem; nam longe mirabilius est post mortem ad vitam revocare quam instantem mortem depellere. Ex quo ergo eius virtutem mirari par erat, illum calumniantur; confitentur tamen, ipsum oculos caeci aperuisse; et cum oportuisset ideo mirari, illi contra criminantur, quod hoc etiam non fecerit. Neque inde solum probatur, illos perverso fuisse animo, sed quod, cum nondum advenisset nec quidquam praestitisset, criminationibus praevertant, non exspectato rei fine.

[6] Vers. 3. — Sequitur Luc. 1, 37. Glossa *interlinearis* (cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 21.) in Ioan. 11, 37: Potuit, sed noluit, quia plus est suscitare mortuum, quam ne moreretur facere.

[7] Cfr. supra v. 4. — Subinde allegatur Ioan. 9, 3. — Inferius post *ideo* ed. addit *sicut.*

[8] Chrysost. (in Ioan. homil. 63. alias 62. n. 2.) et Theophylact. (in hunc locum) putant, Martham hoc dixisse ex *diffidentia*, quasi impossibile existimaret, propter dierum diuturnitatem *(quatriduanus est)* fratrem suscitari. Cyrill. Alexandr., in hunc locum, censet, quod Martha, « quamvis antea credidisset, rursus tamen incredulitate fluctuaret ex miraculi magnitudine, quae quidem, quod Christum magnopere revereretur, dixit: *Iam foetet*, ne molestia afficeretur ex foetore et graveolentia cadaveris; vel tanquam pudore hoc dicit. Properant enim mortuorum agnati corpora terra abscondere, priusquam male olere incipiant, reveriti vivos » etc. Cfr. S. Thom., Catena aurea in Ioan. 11. n. 6, ubi ex Beda (?) haec allegantur: « Vel haec verba non sunt desperationis, sed potius admirationis ». Vide etiam Rupert. abbat. Tuitiens. (in hunc locum), qui ait: Domine, cur lapidem tolli iubes? Ut videas amicum saltem mortuum, an ut miseris sororibus vivum reddas illum? Si illud intendis, facere potes; *scio* namque, sicuti iam dixi, *quia, quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Si autem tantummodo, ut videas, dico tibi: *iam foetet, quatriduanus enim est*, et idcirco visui iam idoneus non est. — Superius pro *aperiendum* cum plurimis codd. substituimus *aperienda*, scil. spelunca.

[9] Vers. 55. — Cfr. Origen., Comment. in Ioan. tom. 28. n. 3, ubi docet, quod, si Iesus haec verba non dixisset, illi qui aderant, non tulissent lapidem propter incredulitatem sive infidelitatem Marthae.

[10] Vers. 45.

Iesus autem elevatis etc. Tangitur hic tertium, Tertium. scilicet *potestas exaudiendi* in Christo, quae insinuatur ex verbis eius, in quibus ostendit, se exauditum et semper exaudiri et non ex impotentia Patrem rogare; propter quod dicit: *Iesus autem, elevatis oculis in caelum*[1], *dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me;* gratias agit pro exauditione, non quia Pater audiret eum tunc et non alias; propterea dicit:

55. (Vers. 42.). *Ego autem sciebam, quoniam*[2] *semper me audis;* ad Hebraeos quinto: « Cum lacrymis et clamore valido offerens preces supplicationesque ad Deum, exauditus est pro sua reverentia ». Ideo non tanquam indigens petii vel gratias egi; *sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti;* et ego in operibus meis non sum tibi contrarius, sed per omnia concors; supra octavo[3]: « Sicut docuit me Pater, sic loquor; et qui me misit mecum est et non reliquit me solum, quia quae placita sunt ei facio semper ». Et sic gratias egit et oravit, non propter impotentiam, sed ad insinuandam sui et Dei concordiam, de qua supra quinto: « Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille facit, haec et Filius similiter facit ».

Quaestiones.

56. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit, quod *turbavit semetipsum Iesus.*

Contrarium videtur: 1. quod dicitur Isaiae quadragesimo secundo[4]: *Non erit tristis neque turbulentus. — Si dicas,* quod voluntarie turbavit se, non involuntarie, sicut nos[5]; tunc *obiicitur:*

2. Quia perturbatio obscurat oculum mentis[6]: ergo si in Christo mentis oculus non potuit obscurari, ergo non potuit perturbari.

3. Item, quando perturbatio est voluntaria, tunc non solum est sensualitatis, sed rationis, et completa est perturbatio: ergo si Christus voluntarie fuit perturbatus, patet ex hoc, quod plene perturbatus fuit.

Respondeo: Dicendum, quod turbatio uno modo est *passio,* sicut dicit Hieronymus[7], alio modo *propassio: passio,* secundum quod ascendit in rationem, *propassio,* secundum quod sistit in sensualitate; et hoc potest dupliciter esse: quia aut est in sentiente de *necessitate,* quod non potest facere aliud; aut *voluntate.* Sic igitur triplex est perturbatio, scilicet *rationis,* et haec mala et in malis; *sensualitatis,* et haec *necessitate* in bonis, *voluntate* in Christo[8]. Resp. cum distinctione. Subdistinctio. Triplex perturbatio.

1. Quod ergo dicitur: *Non erit tristis neque turbulentus,* intelligendum de illa quae est *rationis,* vel *sensualitatis involuntaria*[9]. Ad obiecta.

2. Quod ergo obiicitur, quod illa quae est sensualitatis, obscurat mentem, saltem ad tempus; dicendum, quod[10] verum est, ubi est *necessitas;* sed in Christo ascendebat, quantum dictante ratione volebat.

3. Quod obiicitur, quod voluntaria est plena; intelligitur, quando ratio turbat se ipsam.

57. Quaest. II. Item quaeritur de hoc, quod Christus *lacrymatus est.* — Aut enim *volebat,* Lazarum esse mortuum, aut *non;* si *sic:* ergo fictitie flebat; si *non:* ergo voluntas eius erat discors a divina et aliquid voluit quod non fecit.

Respondeo: Triplex fuit in Christo voluntas humana, scilicet *rationis, pietatis* et *sensualitatis,* sicut dicit Hugo[11]; et voluntate *pietatis,* quae est velleitas, volebat aliquid, quod tamen absolute non volebat; et propter illam compatiebatur et flebat, sicut *flevit super Ierusalem*[12]. Intelligendum tamen, quod Christus non flevit propter mortem Lazari, sed propter nostram miseriam, quae in morte Lazari significabatur. Resp. Triplex in Christo voluntas. Notandum.

Unde legitur Dominus flevisse primo in suscitatione Lazari, et tunc deflevit humanam *infirmitatem.* — Secundo, super Ierusalem, Lucae decimo nono[13], et tunc deflevit nostram *caecitatem;* unde: *Si cognovisses et tu.* — Tertio, in cruce; ad Hebraeos quinto[14]: *Cum lacrymis offerens;* et tunc deflevit nostram *malignitatem.* — Quae sunt tres *origines* peccatorum et tres *poenae* inflictae nobis pro peccatis[15], quae merito lacrymarum eius mitigatae sunt. Unde sit triplex Christi fletus.

---

[1] Vulgata *elevatis oculis sursum.*

[2] Vulgata *quia.* — Subinde allegatur Hebr. 5, 7, ubi non pauci codd. cum Gorrano *spiritum* pro *preces supplicationesque ad Deum* (Vulgata *ad eum).*

[3] Vers. 28. et 29. — Sequitur Ioan. 5, 19.

[4] Vers. 4.

[5] Ut dicunt August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 18; Gregor., III. Moral. c. 16. n. 30; Bernard., I. Serm. in festo S. Andreae, n. 6.

[6] Sic Gregor., V. Moral. c. 45. n. 82. de passione irae dicit: Ira quippe per vitium oculum mentis excaecat, ira autem per zelum turbat. Cfr. tom. III. pag. 339, nota 10. Vide etiam Collat. de Donis Spiritus S. (tom. V.) collat. 8. n. 4.

[7] Libr. I. Comment. in Matth. 5, 28. Verba vide tom. III. pag. 342, nota 4. — Inferius pro *sensualitate* et *triplex* ed. *sentiente* et *duplex;* nonnulli codd., ut I K L N, pro *in sentiente* substituunt *in sensualitate.*

[8] Cfr. III. Sent. d. 15. dub. 4.

[9] Vide III. Sent. d. 15. a. 2. q. 2. ad 1; ibid. in corp. et q. 3. in corp. de solutione seqq. obiectionum.

[10] Ed. cum nonnullis codd. omittit *dicendum, quod,* et mox pro *necessitas* substituit *necessitatis,* Gorranus *necessitate.*

[11] Libr. de Quatuor Voluntatibus in Christo. Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. in corp. et III. Sent. d. 17. a. 1. q. 3.

[12] Luc. 19, 41. — Cyrill. Alexandr., in Ioan. 11, 35: Lacrymas vero fundit Dominus, conspicatus, hominem ad imaginem sui factum mortuum esse, ut nostras lacrymas cohibeat. — Inferius pro *non flevit... sed* ed. *non tam flevit... quam.*

[13] Vers. 41; ibid. v. 42. est seq. locus, quem ed. extensius affert.

[14] Vers. 7, quem ed. integre exhibet; cfr. supra n. 55.

[15] Cfr. II. Sent. d. 22. dub. 2, ubi secundum Bedam quatuor nobis inflicta dicuntur propter originale, scil. infirmitas, ignorantia, malitia et concupiscentia.

58. Quaest. III. Item quaeritur de hoc, quod *oravit:* quia oravit secundum quod homo; et secundum quod oravit, suscitavit: ergo secundum quod homo suscitavit: ergo non differt modus eius resuscitandi a modo Petri [1].

Resp. Respondeo: Sicut patet in littera [2], nec oravit nec gratias egit, ut potestatem suscitandi acciperet, ut alii, nec ut se minorem Patre credi faceret; quia, ut dicit Chrysostomus [3], non oportebat; sed ut Deo se conformem et virtutem suam a Patre non discordantem ostenderet.

Ad obiectum. Quod ergo obiicit: suscitavit; secundum quod oravit; falsum est; quia suscitavit secundum quod Deus, oravit secundum quod homo [4].

Pars secunda capituli, de ipso miraculo.

59. *Haec cum dixisset* etc. Posita sunt praeambula ad mirabilem Lazari suscitationem, hic ponuntur *concomitantia* et *consequentia* [5]; et procedit in Divisio in 4 membra. hac particula sic. Primo ponitur ipsius Lazari virtuosa *vocatio;* secundo, ipsius *resuscitatio;* tertio, ipsius *solutio;* quarto, consequens *aliorum aedificatio, aliorum* vero *destructio.*

Expositio litteralis. Primo, de potestativa vocatione. (Vers. 43.). Lazari vero potestativa *vocatio* innuitur in hoc, quod *voce magna clamavit: Lazare, veni foras;* imperiose dicit: *Veni,* et *voce magna clamat,* eo quod ad vocem eius fiet resurrectio generalis, secundum quod praedictum est supra quinto [6]: « Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii ».

Secundo, de Lazari suscitatione. 60. (Vers. 44.). *Et statim prodiit.* Tangitur hic secundum, scilicet ad Domini imperium Lazari *suscitatio;* propter quod dicit: *Et statim prodiit qui fuerat mortuus;* in quo notatur obedientia creaturae ad Creatorem; Marci quarto [7]: « Quis, putas, est iste, quia ventus et mare obediunt ei »? Origenes: « Cum omnia obediant Creatori, sola rationalis creatura inobediens invenitur ». Nec obstiterunt vincula; unde dicit: *Ligatus manus et pedes institis. Ligatus;* synecdochica [8] est constructio; *institis,* id est ligaminibus, quibus involvebantur manus et pedes; *et facies eius* [9] *erat ligata sudario;* et ideo non proprio egressu, sed divina virtute egressus est. Hac virtute usus est Christus in morte sua; Matthaei vigesimo septimo [10]: « Monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt ».

Tertio, de ligati solutione. *Dixit eis Iesus: Solvite eum.* Tangitur hic tertium, scilicet *ligati solutio.* Ad litteram ideo solvitur a ministris, quia Dominus, etsi totum possit facere, vult tamen aliis suam potestatem communicare. Beda [11]: « Potuit ligamenta solvere qui potuit mortuum suscitare; sed propter unitatem et individuam caritatem dicit ministris: *Solvite eum et sinite abire* ». Chrysostomus [12]: « Non voluit resuscitatum secum ducere, ut pompam mundi nos evitare doceret ».

Quarto, de plurium vel aedificatione, vel destructione. 61. (Vers. 45.). *Multi ergo ex Iudaeis.* Tangitur hic quartum, scilicet *quorundam aedificatio* et

---

[1] Chrysost., in Ioan. homil. 64. (alias 63.) n. 2: Quid plus habet quam Apostoli, si et ipse precibus operatur?

[2] Vers. 41. et 42.

[3] In Ioan. homil. 64. (alias 63.) n. 2, ubi praemisso, quod Christus multa miracula sine precibus fecerat, et Apostoli in nomine eius ipsa fecerant, ait: Sed videamus, quae sit oratio: *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me.* Quis unquam ita precatus est? Priusquam quid aliud loquatur, dicit: *Gratias ago tibi,* ostendens, se precibus non egere. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Hoc dixit, non quod ipse non posset, sed quod una esset voluntas. Cur precandi forma usus est? Non me, sed illum dicentem audi: *Propter circumstantem turbam, ut cognoscant, quia tu me misisti.* Non dixit: Ut cognoscant, me minorem esse, me superna gratia egere et sine precatione operari non posse, sed: *Quia tu me misisti* etc.

[4] Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. in corp.

[5] Ed. *consummantia.* Subinde pro *sic* B *hoc ordine,* quod C N substituunt pro *et procedit in hac particula sic.*

[6] Vers. 20. seq. — Cfr. Cyrill. Alexandr. et Theophylact., in Ioan. 11, 43, ubi dicunt, quod *voce magna* in Lazari resuscitatione a Christo emissa significetur vox eiusdem, qua fiet generalis resurrectio. Vide IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 6.

[7] Vers. 40. — Origen., Homil. 6. Homil. ex variis locis collect. (habetur tantum in antiquis edd. et apud Migne, Patrol. Lat. tom. 95. col. 1199. in II. parte operum Pauli Diaconi) in Matth. 18, ubi dicit: Iubet mari, et non contemnit; dicit ventis et tempestatibus, et mox compescuntur; iubet omni creaturae, et non supergreditur iussionem eius. Et unum hominum genus quod secundum similitudinem Dei honorificatum est, cui verbum et prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt; ideoque et hi soli in iudicio damnabuntur etc. — Bonelli in nota adiecta dicit: « In meo apographo cum ed. Gorran. collato *Augustinus,* cuius verba in hanc rem frustra quaesivi ». Quibus verbis adiungimus, quod e codd. nostris pro *Augustino* notatos invenimus EFIKLN. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 3. n. 5, ubi dicit, quod omnis creatura agnovit Creatorem suum et dedit testimonium de ipso: « Testimonium dedit caelum de stella... testimonium dederunt venti, ad eius iussum quieverunt... si omnia ista testimonium dederunt, quomodo eum mundus non cognovit, nisi quia *mundus* dilectores mundi, corde habitantes mundum »?

[8] August. III. de Doctrina christiana, c. 35. n. 50: Tropus *synecdoche* aut a parte totum aut a toto [sicuti est hoc loco], partem facit intelligi. — *Institae* secundum S. Thom. (in Ioan. c. 11. lect. 6. n. 5.) sunt fasciae, « quibus antiqui mortuos involvebant ». Du Cange, Glossarium etc.: *Institia,* vitta seu latum cingulum, ut solet esse id quo parvi in cunis ligantur. — Inferius pro *ligaminibus* non pauci codd. *ligationibus* (secundum Du Cange *ligatio* est etiam funium apparatus).

[9] Vulgata *illius.* — Chrysost., in Ioan. homil. 64. (alias 63.) n. 3: Prodire ligatum non minus admirandum videbatur quam resurgere. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 24.

[10] Vers. 52.

[11] In Ioan. 11, 44. Ed. cum textu originali post *unitatem* addit *sanctae Dei Ecclesiae,* et *id est discipulis Christi* post *ministris,* ac post *abire* demum *quia sine unitate Ecclesiae catholicae fidei et caritate ecclesiasticae sanctitatis peccata non solvuntur.*

[12] In Ioan. homil. 64. (alias 63.) n. 3: Non ducit eum secum neque sequi se iubet, ne videatur sese ostentare; tanta utebatur modestia.

aliorum destructio. Propter illos qui aedificati sunt ad fidem, dicit: *Multi ergo ex Iudaeis, qui venerant ad Mariam et Martham et viderunt quae fecit*[1], *crediderunt in eum. Qui venerant;* Proverbiorum decimo tertio: « Qui cum sapientibus graditur sapiens erit »; supra quarto: « Multi crediderunt in eum » etc. Propter alios, qui peiores effecti sunt, dicit:

62. (Vers. 46.). *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos et dixerunt eis quae fecit Iesus;* unde eodem uno alii profecerunt, alii defecerunt; secundae ad Corinthios secundo[2]: « Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitae in vitam »; ideo Lucae secundo: « Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel ».

Expositio moralis de quatuor.

63. *Moraliter* sunt in suscitatione Lazari quatuor notanda: primo, quod Dominus *quaerit, ubi sit;* secundo, *lapidem amoveri praecipit;* tertio, *ipsum prodire facit;* quarto, *discipulis solvendum exponit.*

De primo.

Quaerit igitur primo Dominus, *ubi peccator sit,* cum ei vilitatem peccati sui ostendit. Sic quaerebat Dominus ab Adam Genesis tertio[3]: *Adam, ubi es?* Et Ieremiae tertio: *Leva oculos tuos in directum et vide, ubi non prostrata sis.*

De secundo.

Secundo, *lapidem amoveri praecipit,* cum a consuetudine peccati hominem cessare facit, quae tanquam lapis ponderosus deorsum trahit. Ideo dicebat anima poenitens in Psalmo[4]: *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me.* Augustinus: « Quam difficile surgit quem moles malae consuetudinis premit »! Threnorum tertio: *Lapsa est in lacum,* id est in mortem culpae, *vita mea, et posuerunt super me lapidem,* id est sepulturam. — Unde notandum, quod Dominus suscitavit mortuam *in domo,* Matthaei nono[5], id est peccatorem peccatis mortuum per *consensum; extra domum,* id est per *opus malum; in sepulcro,* per *consuetudinem malam,* ut hic.

De tribus mortuis suscitatis.

De tertio.

Tertio, ipsum *prodire iniungit,* cum propriam iniquitatem confiteri facit. *Prodire* est de occulto in apertum venire; unde Proverbiorum vigesimo octavo[6]: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur.* Augustinus: « Quando contemnis, mortuus iaces; si maxime contemnis, sepulcro iaces; quando confiteris, procedis ».

De quarto.

Quarto, *discipulis solvendum exponit,* quia tunc venit potestas sacerdotalis, quae ante confessionem locum non habet. Sed Dominus praecipit, ut ostendant se sacerdotibus ad solvendum; Lucae decimo septimo[7] de leprosis mundatis dictum est eis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus;* et Dominus eis dedit officium, infra vigesimo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* — Et notandum est, quod Lazarus resuscitatus triplici vinculo ligatus prodiit, quia triplex difficultas remanet in homine post remissionem peccati. Nam *facies ligata* dicit difficultatem in *cognoscendo, ligamen pedum* dicit difficultatem in *bene volendo, ligamen manuum* in *bene operando.* De his Matthaei vigesimo secundo[8]: *Ligatis manibus et pedibus eius, proiicite eum in tenebras exteriores.* Sed ab his vinculis solvitur, quando per satisfactionem iniunctam ab hoc triplici vinculo solvitur et in pristinum statum restituitur. Hunc statum petebat Samson, Iudicum decimo sexto[9]: *Memento mei, Deus, in bono et redde nunc mihi pristinam fortitudinem meam.*

Quid significet triplex vinculum Lazari.

Incipit II. pars de Verbo incarnato.

64. *Collegerunt ergo pontifices* etc. Ista pars libri, quae ibi[10] incipit: *Fuit homo missus a Deo,* in qua agitur de Verbo incarnato, fuit divisa in tres partes. In prima agitur de Christi incarnatione et de incarnati manifestatione; in secunda vero, de passione; in tertia, de resurrectione.

Secundo tractatur de Verbi incarnati passione dupliciter.

Hic ergo incipit secunda pars. Intentio igitur huius partis usque ad vigesimum capitulum[11] est agere de his quae spectant ad passionem; et dividitur haec pars in duas: quia quaedam spectant ad

---

[1] Vulgata addit *Iesus.* Subinde in repetitione verborum *Qui venerant* non pauci codd. substituunt *Qui venerunt.* — Sequuntur Prov. 13, 20. et Ioan. 4, 39.

[2] Vers. 16. — Subinde allegatur Luc. 2, 34.

[3] Vers. 9. — Sequitur Ier. 3, 2, ubi plurimi codd. perperam, ut videtur, habent *nunc* pro *non.*

[4] Psalm. 37, 5. — Subinde allegantur August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 24, et Thren. 3, 53. Cfr. supra pag. 186, nota 11. Permulti codd. *Lapsa est in mortem vita mea, posuerunt* etc.; qui subinde etiam omittunt *id est sepulturam.*

[5] Vers. 23. seqq.; cfr. supra pag. 399, nota 15, ubi de tribus a Domino resuscitatis verba August. attulimus.

[6] Vers. 13. — August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 24: Quando contemnis, mortuus iaces, et si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus iaces etc. Cfr. Gregor., XXII. Moral. c. 15. n. 31.

[7] Vers. 14. — Sequitur Ioan. 20, 23. Vide supra n. 60. verba Bedae; cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 6.

[8] Vers. 13. Glossa *ordinaria* (ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 13.) in hunc locum: *Ligantur* poena qui hic a malo noluerunt ligari, id est cohiberi; *manus,* quae non extensae ad eleemosynam; *pedes* tardi ad bonum... *Exteriores* etc.; quia hic interiores habent tenebras cordis. Cfr. August., 83 Qq. q. 65, ubi secundum ipsum Lazarus exiens de monumento significat animam recedentem a carnalibus vitiis; *institis involutus* significat, quod talis anima, adhuc tamen in corpore constituta, aliena a molestiis carnis esse non possit; *facies ipsius sudario tecta* significat, quod in hac vita plenam cognitionem non habere possimus; et verba Christi: *Solvite eum et sinite ire* insinuant, quod post hanc vitam auferuntur omnia velamina, ut facie ad faciem videamus.

[9] Vers. 28. — Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 1. q. 4, ubi de triplici opere, quo satisfactio fit.

[10] Cap. 1, 6. n. 17.

[11] Ed. addit *exclusive.*

Divisio 1. passionem ut *praeambula*, quaedam vero ut *circumadiacentia*. Primo ergo agitur de *antecedentibus;* secundo vero, de *concomitantibus*, in principio decimi octavi [1]: *Et cum haec dixisset Iesus, egressus est* etc.

Primo agitur de iis quae ad passionem spectant ut praeambula, tripliciter.

Praeambula vero ad passionem sunt tria, scili-
Divisio 2. cet *Iudaeorum machinatio, passionis Christi praedictio, discipulorum consolatio.* Ideo prima pars habet tres partes. Primo enim agitur de *Iudaeorum conspiratione;* secundo, de *passionis praedictione*, ibi: *Erant autem quidam gentiles* etc., infra duodecimo capitulo [2]; tertio, de *discipulorum confirmatione*, infra decimo tertio: *Ante diem festum.*

Primo, de Iudaeorum machinatione ponuntur quatuor.

Prima pars, in qua agitur de *machinatione Iu-*
Divisio 3. *daeorum*, qui mortem Christi machinabantur, habet quatuor partes. In prima describitur *Iudaeorum conspiratio;* in secunda, *conspirationis corroboratio*, ibi [3]: *Iesus ergo ante sex dies;* tertio, *conspirationis amplificatio*, ibi: *Cognovit ergo turba multa;* quarto, in *conspiratione obstinatio*, ibi: *In crastinum autem turba multa.*

Conspiratio ergo *Iudaeorum* hoc ordine descri-
Primo, de conspiratione Iudaeorum quatuor. bitur: primo ponitur *humani consilii indagatio;* secundo, *consilii determinatio;* tertio, ex hoc *Christi occultatio;* quarto, *Christi occultati inquisitio* [4].

65. (Vers. 47.). Ponitur ergo primo *Iudaeorum*
Primum. *conspiratio*, quae facta fuit occasione manifestationis Christi; propter quod dicit: *Collegerunt ergo pontifices et Pharisaei consilium adversus Iesum* [5]. Unita fuit simul ambitio principum cum malitia Pharisaeorum, ut per vim facerent consilium iniquum; Ecclesiastici vigesimo primo: « Stuppa collecta synagoga peccantium ». *Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Chrysostomus [6]: « Adhuc *hominem* vocant, qui tantam Divinitatis fecerat demonstrationem ».

66. (Vers. 48.). *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum;* et ex hoc sequitur inconveniens, *et venient Romani et tollent locum nostrum et gentem.* Ideo hoc dicebant, quia Romani tunc imperabant eis; et si ipsi sibi novum imperatorem vel regem invenirent, timebant eorum indignationem incurrere; ideo magis voluerunt facere contra Deum quam contra hominem; propterea Proverbiorum vigesimo nono [7]: « Qui timet hominem cito corruet ». Ratio autem huius fuit, quia magis diligebant temporalia quam aeterna; unde Augustinus: « Temporalia amittere noluerunt et vitam aeternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt ». Et quod timebant, hoc eis accidit; unde Chrysostomus [8] dicit, in eis esse impletum illud Psalmi: « Infixae sunt gentes in interitu, quem fecerunt »; Proverbiorum decimo: « Quod timet impius veniet super eum; desiderium suum iustis dabitur ».

67. (Vers. 49.). *Unus autem ex ipsis* etc. Tan- Secundum, in quo tria.
gitur hic secundum, scilicet *consilii determinatio*, quae facta est *auctoritate humana, dispensatione divina* et *communi concordia. Auctoritate hu-* De auctoritate humana.
mana; propter quod dicit: *Unus ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius*, et ita auctoritatem haberet, et per hoc consilium authenticum daret, *dixit* [9]: *Vos nescitis quidquam.*

68. (Vers. 50.). *Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Unus;* ad Romanos quinto [10]: « Si enim per unius hominis delictum multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis in plures abundavit ». Iste non dedit consilium, quod interficeretur propter suam culpam, quia non habuisset robur; sed propter aliorum salutem, ut nullus posset iam huic resistere propter Christi innocentiam; Ieremiae decimo octavo [11]: « Venite, et cogitemus contra Ieremiam cogitationes; venite, et percutiamus eum lingua et non attendamus ad universos sermones eius ». Illud consilium

---

[1] Vers. 1: *Haec cum dixisset* etc.

[2] Vers. 20; seq. locus est 13, 1.

[3] Cap. 12, 1; ibid. v. 9. et 12. sunt duae seqq. partes. — Pro *In prima* et *in secunda* C N *Primo* et *secundo*, ed. vero *in tertia* et *in quarta* pro *tertio* et *quarto*.

[4] Codd. hic *petitio*, quamvis inferius v. 55. n. 73. exhibeant *inquisitio*.

[5] Vulgata omittit *adversus Iesum*, et substituit *concilium* pro *consilium*, quae lectio ex connexis suadetur. — Subinde allegatur Eccli. 21, 10. — Superius pro *Iudaeorum conspiratio* ed. *humani consilii indagatio*, quod est primum membrum huius primae partis.

[6] In Ioan. homil. 64. (alias 63.) n. 3: Hominem illum adhuc vocant, qui illius Divinitatis tantam acceperant [λαβόντες] demonstrationem. — Pro *tantam* (τοσαύτην) plurimi codd. *tantae*.

[7] Vers. 25. — August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 26: Temporalia perdere timuerunt et vitam etc.

[8] In Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 1: *Infixae sunt gentes in interitu, quem fecerunt; in laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum* [Ps. 9, 16.]. Hoc Iudaeis contigit. Ipsi namque dicebant, occidendum esse Iesum, ne venirent Romani et tollerent ipsorum gentem et civitatem. Postquam autem occiderunt eum, haec passi sunt, et quod ut effugerent, fecerant, hoc quia fecere, non effugerunt. — Subinde allegatur Prov. 10, 24.

[9] Vulgata addit *eis*. — Nomine *Caiphas*, secundum Hieron. (de Nominibus Hebraic. nov. testam. de Matth.), intelligitur investigator, vel sagax, sed melius vomens ore. [10] Vers. 15.

[11] Vers. 18. — Sequitur Dan. 13, 5. — Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 1, dicit, quod pontifex Caiphas ceteris impudentior fuit. Illi nempe dubitabant et deliberando proposuerant; dicebant enim: *Quid facimus?* Hic impudenter, aperta fronte et petulanter clamavit. Quid vero dicit? *Vos nescitis quidquam, neque cogitatis* etc.

mortis Christi processit a sacerdotibus secundum illud Danielis decimo tertio: « Egressa est iniquitas a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum ». Huius consilii determinatio non solum facta est *auctoritate*[1] *humana*, sed etiam *dispensatione divina;* propterea subdit Evangelista:

De dispensatione divina.

69. (Vers. 51.). *Hoc autem non dixit a semetipso*, hoc est propria adinventione, sed divina inspiratione; propterea dicit: *Sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Spiritum propheticum honori sacerdotali attribuit[2]. In hoc patet, quod Spiritus sanctus multa nobilia opera etiam per malos sacerdotes facit; unde in reverentia habendi sunt; propterea, cum Paulus malediceret summo pontifici, comperto, quod summus pontifex esset, dixit: « Nesciebam, quod summus sacerdos esset », Actuum vigesimo tertio[3]; et Saul, cum fuit inunctus, prophetavit, primi Regum decimo. Et prophetiam eius explanat subdens: *Prophetavit, quia Iesus moriturus erat pro gente.*

70. (Vers. 52.). *Et non tantum pro gente*, scilicet Iudaeorum; *sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, id est, ut praedestinatos ad unitatem Ecclesiae colligeret. Haec congregatio praedicta est Isaiae undecimo[4]: « Congregabit profugos Israel et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terrae »; et Isaiae sexagesimo: « Filii tui de longe venient »; supra decimo: « Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor ». Cum *auctoritate humana* et *dispensatione divina* concurrit *subditorum concordia;* propterea subdit:

De communi concordia.

71. (Vers. 53.). *Ab illo igitur*[5] *die cogitaverunt, ut interficerent eum*, nullo iam contradicente; quia, etsi prius quaererent, sicut dicitur supra septimo et octavo: « Quid me quaeritis interficere »? tamen non ita definito consilio. De hoc Proverbiorum decimo octavo[6].

Tertium.

72. (Vers. 54.). *Iesus ergo iam non palam*[7] *ambulabat.* Tangitur hic tertium, scilicet *Christi occultatio.* Occultat, id est declinat, non timore, sed nostra instructione; non ut mortem fugiat, sed ut tempus congruum veniat; unde dicit: *Iesus ergo iam non palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum*, secundum humanum modum loca secretiora quaerens, *in civitatem, quae dicitur Ephrem; et ibi morabatur cum discipulis suis.* De hoc Augustinus[8]: « Apparet, non esse peccatum, si fideles, qui sunt membra Christi, oculis persequentium se subtrahant et furorem sceleratorum potius latendo devitent, quam se offerendo magis accendant ». Iudaeos fugiebat et cum discipulis manebat; supra decimo[9]: « Oves illum sequuntur et vocem eius audiunt ».

Quartum.

73. (Vers. 55.). *Proximum autem erat Pascha.* Tangitur hic quartum, scilicet *Christi latentis inquisitio*, quae fiebat ab eis qui ascenderant ad diem festum; quia Christus in diebus festivis solebat ascendere. Propterea dicit: *Erat autem proximum Pascha*, dies festus, *Iudaeorum.* Per antonomasiam Pascha *festiva dies* dicitur, quod fiebat mense primo, scilicet Aprili; Exodi duodecimo[10]: « Mensis iste vobis principium mensium; primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias et domos suas » etc. *Et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha*, ante scilicet diem festum. Et ratio subditur: *Ut sanctificarent se ipsos*, quia nullus audebat immundus comedere Pascha; Numerorum nono[11]: « Homo, qui

---

[1] Plures codd., ut A B I K L M, *a voluntate*, quod tamen cum connexis minus convenit.

[2] Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 1: Vides, quanta sit pontificalis potestas! Quia enim pontificatum sortitus erat, licet indignus, prophetavit, quid diceret, ignorans; gratia eius tantum ore usa est, impurum vero cor non tetigit etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 27.

[3] Vers. 5. — Sequitur I. Reg. 10, 10. Inferius pro *quia Iesus* Vulgata *quoniam Iesus.*

[4] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Isai. 60, 4. et Ioan. 10, 16. — August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 27: Haec autem secundum praedestinationem dicta sunt; nam neque oves eius neque filii Dei adhuc erant, qui nondum crediderant.

[5] Vulgata et H *ergo*, ed. et N *itaque.* — Sequuntur Ioan. 7, 20. et 8, 40. — Post *quaererent* ed. addit *eum.*

[6] Ed. allegat v. 1. seqq.: Occasiones quaerit qui vult recedere ab amico; omni tempore erit exprobrabilis etc. — Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 1. in fine: « Sed tunc [Ioan. 5, 18. et 7, 20.] *quaerebant*, nunc autem id statuerunt et rei manum admoverunt ». Glossa *interlinearis:* Non quin et prius, sed modo definite. — Pro *Proverbiorum* C E *Ieremiae* (18, 18: Venite, et cogitemus mala contra Ieremiam etc.; cfr. ibid. v. 12.).

[7] Vulgata *in palam.* — Inferius post *Occultat* ed. cum Gorrano addit *enim se.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 49. n. 28: Non quia potentia eius defecerat... sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo appareret, non esse peccatum, si fideles eius, qui sunt... se subtraherent... devitarent... accenderent. — Pro *persequentium*, quod cum textu originali exhibent E N, K M cum Gorrano *infidelium*, ed. cum aliis codd. *fidelium.* Superius pro *dicitur Ephrem* plurimi codd. *est Ephrem*, sive Ephraim, sive Ephron, *civitas* tribus Iudae (Iosue 15, 9.) et prope Bethel (II. Paralip. 13, 19.). Cfr. Hieron., de Situ et nominibus locorum Hebraic. *Ephraim.* Flavius Iosephus (de Bello Iud. IV. 9, 9.) refert, Ephraim a Vespasiano esse expugnatam.

[9] Vers. 4.

[10] Vers. 2. seqq. Ed. cum M subiungit: *Et Numerorum 9, 1. seqq.: Mense primo faciant filii Israel phase in tempore suo, quarta decima die mensis huius ad vesperam* etc. — Superius pro *Aprili* ed. *Martio.* Hieron., Comment. in Aggaei 2, 19. seqq.: *Nisan* enim apud Hebraeos mensis est primus, qui appellatur *mensis novorum;* eo tempore, quo Pascha faciunt, id est incipiente veris exordio, qui secundum lunae cursum saepe quandam partem mensis Martii possidet, interdum incipit in Aprili. Ergo si Nisan Aprilem intelligimus etc.

[11] Vers. 10. seq. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in hunc locum: Praecipitur, ut qui longius habitabant, vel immundi in anima fuerant, in *secundo* mense Pascha faciant etc.

fuerit immundus super anima, vel in via, faciat phase in mense secundo »; infra decimo octavo [1]: « Ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha ». Hi venerunt se exterius mundare, sed interius per voluntatis homicidium inquinare; unde dicit:

74. (Vers. 56.). *Quaerebant ergo Iesum,* scilicet ad perdendum; Psalmus [2]: « Confundantur et revereantur qui quaerunt animam meam, ut auferant eam ». *Et colloquebantur ad invicem, in templo stantes.* Et modus quaerendi subditur: *Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* Ista quaestio fiebat in templo. Unde impletum est illud Ieremiae septimo [3]: « Spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum »; unde Matthaei vigesimo primo: « Vos fecistis eam speluncam latronum ». Quare autem sic quaererent, insinuat Evangelista: *Dederant autem pontifices et Pharisaei mandatum, ut, si quis cognoverit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Simile mandatum perversum dedit Saul de Davide primi Regum vigesimo tertio [4]: « Considerate et videte omnia latibula eius, in quibus absconditur. Quod si in terra se obstruxerit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda ».

Quaestiones.

75. Quaest. I. Quaeritur, utrum Iudaei peccaverint in dando isto consilio? — Quod *sic,* videtur, quia reprehenduntur principes sacerdotum et Pharisaei, quod Dominum occiderunt sive occidi fecerunt, et ipse Dominus reprehendit eos supra septimo [5].

Quod *non,* videtur: 1. Quia voluntas Dei erat, quod Christus occideretur: ergo in volendo ipsum occidere conformabant voluntatem suam voluntati divinae; et si hoc: ergo non peccabant [6].

2. Item, ipse Dominus voluit Filium suum pati [7]; sed non potuit pati, nisi interficeretur; et Iudaei interfecerunt: ergo voluit, quod Iudaei interficerent.

3. Item, ad hoc venit, ut pateretur: ergo si Iudaei non interficerent, adventus eius frustraretur: ergo cum adventus eius efficaciam habuerit ex Iudaeorum consilio, videtur, quod Iudaei non peccaverint.

Respondeo: Dicendum, quod Iudaei peccaverunt et ratione *actus* et ratione *intentionis.* Ratione *actus,* quia voluerunt occidere eum quem sciebant innocentem esse, quod nullo modo bene potest fieri [8]. Ratione *intentionis,* quia non intendebant implere divinam voluntatem, sed suam satiare invidiam. Resp.

1. 2. Quod ergo obiicitur, quod Deo placuit mors Christi; dicendum, quod *activa* occisio fuit permissa, sed *passiva* fuit beneplacita, sicut est in passionibus Sanctorum; quia illi occidebant mala voluntate, et Christus patiebatur bona [9]. Ad 1. 2.

3. Quod quaeritur, quod frustra; dicendum, quod non; quia alius modus erat Deo possibilis [10], et Deus per malos ministros multa bona implet, sicut per diabolum probat Sanctos; et tamen diabolus non facit nisi demereri, sed Deus actum ordinat in bonum. Ad 3.

76. Quaest. II. Quaeritur, utrum Caiphas peccaverit in dando illud consilium? — Quod *non,* videtur:

1. Per textum, quia dicitur in littera [11], quod *non dixit a semetipso;* et per hoc innuitur, quod dixit a Spiritu sancto: ergo si quod est a Spiritu sancto non est peccatum etc.

2. Item, dicit [12], quod *prophetavit, cum esset pontifex:* ergo si actus prophetandi bonus est, non dedit malum consilium, sed bonum: ergo non peccavit.

Sed contra: Ipse hoc verbo intendebat dare consilium, quod Christus occideretur: ergo in dando istud consilium erat homicida etc.

Respondet Praepositivus [13], quod Caiphas in *mala voluntate* peccavit, sed in illius *consilii propalatione* non peccavit; quia Spiritus sanctus usus est eo sicut instrumento, et sicut usus fuit asina Balaam [14]. Unde illius locutio non fuit fructus malae Resp. Praepositivi.

---

[1] Vers. 28. — Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 2: Mira sanctificatio cum sanguinaria voluntate, cum cruentatis manibus. — Inferius pro *voluntatis homicidium* Gorranus *voluntatem homicidii,* ed. *contaminatam voluntatem et homicidam mentem.*

[2] Psalm. 39, 15.

[3] Vers. 11. — Sequitur Matth. 21, 13.

[4] Vers. 23.

[5] Vers. 20; cfr. infra 19, 6. August., Enarrat. in Ps. 63. n. 4: Et vos, o Iudaei, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguae... et quando percussistis, nisi quando clamastis: *Crucifige, crucifige?*

[6] Cfr. I. Sent. d. 48. a. 1. q. 2.

[7] Rom. 8, 32: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

[8] Cfr. supra c. 7. n. 28. et c. 8. n. 57.

[9] Cfr. III. Sent. d. 20. dub. 3. et 4.

[10] Vide III. Sent. d. 20. q. 6.

[11] Vers. 51. [12] Vers. 51.

[13] Sum. p. II. quaestione: *Utrum omnis actio, in quantum est actio, sit a Deo,* cuius solutionem ipse ita exprimit: « Nos in hanc sententiam declinamus, quod actiones malae nullo modo a Deo sunt... Primo ergo obiicientes adversariis nostris, postea his quae nobis obiici possunt, respondemus ». Inter ea quae contra ipsum obiici possunt, occurrit et hoc argumentum: « Item Caiphas a se ipso non dixit: *Expedit nobis* etc., *sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit;* Caiphas dixit illud a Spiritu sancto: ergo dictio eius fuit a Spiritu sancto; et ipsa fuit peccatum: ergo aliqua actio, quae fuit peccatum, fuit a Spiritu sancto; eadem ratione et de qualibet alia actione, quae est peccatum, dicendum est, quod est a Spiritu sancto ». Ad hanc obiectionem ipse respondet: Quod tertio obiicitur de Caipha, respondent magistri nostri, quod eius actio mala fuit et non a Deo; sed quod occurrerint ei talia verba, ex quibus sensus ille potuit fieri, quem habuit Evangelista; hoc fuit a Spiritu sancto. Nobis autem videtur, quod actio eius nullo modo mala fuit et nullo modo processit ex mala voluntate, quam habuit, et quod voluit dicere non dixit, et dixit quod se dicere non putavit (Ita cod. Tudertinus 71, fol. 100. v. et 101. r., qui Summam Praepositivi ineditam continet).

[14] Cfr. Num. 22, 28. seqq. Cfr. Origen., Comment. in Ioan. tom. 28. n. 12. seq., ubi etiam hoc exemplum affertur et di-

voluntatis; quia voluntas non fuit nisi mala, locutio non fuit nisi bona. — Dicendum tamen, quod Caiphas non tantum protulit ut asinus, sed ut homo perversus, intendens per hoc persuadere malum [1].

Resp. auctoris. Unde dicendum, quod istius sermonis principium duplex fuit: *interius formativum*, scilicet divina inspiratio, et haec simpliciter bona; et *Caiphae intentio*, et haec simpliciter mala. Et secundum illud duplex principium duplex respondet intellectus in sermone: primus est *carnalis*, et iste fuit malus, ad vitandam Romanorum offensionem; secundus est *spiritualis* et bonus, propter humani generis salvationem. Et sic concedendum, quod peccavit [2]; et aliquis propheta potest peccare, sic praedicendo, sicut miracula faciendo, quando suam pervertit intentionem.

Capitulum XII.

1. *Iesus ergo ante sex dies* etc. Postquam descripta est Iudaeorum conspiratio, describitur hic secundo *ipsius roboratio;* robur accepit ipsa conspiratio ex proditoris indignatione. Haec igitur proditoris indignatio ortum habuit ex avaritia, sed occasionem ex effusione unguenti facta in convivio. Ideo describitur per hunc modum: primo describitur *convivium Domini;* secundo, *effusio unguenti;* tertio, *indignatio Iudae;* quarto, *excusatio Mariae.*

Secundo, de conspirationis corroboratione quatuor.

Expositio literalis. Primum. (Vers. 1.). *Convivium* Christo Domino factum est, ubi erat suscitatus Lazarus, ante diem festum per sex dies; unde dicit: *Iesus ergo ante sex dies Paschae*, id est sexto die ante Pascha [3], *venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus.* Ibi factum est convivium in praesentia Lazari suscitati; unde dicit:

2. (Vers. 2.). *Fecerunt autem ei coenam ibi;* quia Apocalypsis tertio [4]: « Si quis aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum et coenabo cum illo, et ipse mecum ». Et licet in praesentia Lazari fieret, Lazarus non ministrabat, sed manducabat, ut resurrectionis veritas probaretur; Marci quinto de puella suscitata, « iussit illi dari manducare » etc. Propter quod dicit: *Et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum ipso* [5]. Semper Martha ministrat et sollicita est tanquam prudens mulier; unde Lucae decimo: « Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare » ? Ideo per eam recte vitam *activam* intelligimus, quae sollicitudinibus anxiatur.

Secundum. 3. (Vers. 3.). *Maria ergo accepit libram.* Tangitur hic secundum, scilicet *effusio unguenti*, quae facta est a Maria, quae non discumbebat nec ministrabat, sed ipsa Dominum speciali refectione pascebat; unde circa eum vehementi devotione flagrabat [6], cuius devotio exprimitur in unguento effuso. Propter quod dicit: *Maria ergo accepit libram unguenti;* magna fuit unguenti quantitas, quia magna erat devotio; non cuiuslibet modi, sed *nardi*, id est de nardo. *Nardus* est herba aromatica, sicut dicit Isidorus [7], quae vehementis est odoris; propter quod dicitur in Canticis primo: « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum ». De spicis nardi fit pretiosum unguentum; unde dicitur

---

citur, quod « profecto, si quis propheta est, is quidem prophetat; sin vero quis prophetat, non continuo etiam est propheta; tanquam si de re alia quapiam meliore dicerem: Si quis est iustus, ius etiam persequitur: at si quis ius persequitur, non tamen statim iustus est; id quod intelliges notans dictum illud [Deut. 16, 20.]: *Iuste quod iustum est persequeris* » etc. Subinde solvitur quaestio: An qui prophetat, is omnino e Spiritu sancto prophetet? Et respectu Balaam urgentur Num. 23, 5: *Dominus autem posuit verbum in ore eius* etc. et v. 16: *Cui cum Dominus occurrisset posuissetque verbum in ore eius* etc. Cfr. in Num. homil. 15. n. 1, ubi, praemissis iis, in quibus reprehensibilis ostenditur Balaam, v. g. quod contra prohibitionem Dei pergit ad regem etc., ait: « Rursus laudabilis ostenditur, cum verbum Dei ponitur in ore eius, cum Spiritus Dei fit super eum, cum de Christo prophetat » etc. — Ed. post *et sicut* addit *Angelus.* Immediate post codd. cum Gorrano omittunt *illius locutio,* et pro *malae voluntatis* ed. substituit *eius voluntatis.*

[1] Ambros., in Ps. 118. serm. 15. n. 10: Aliud dicere volebat [Caiphas], aliud significabat. Cfr. supra pag. 408, nota 2. verba Chrysost. — Subinde post *principium duplex fuit* ed. prosequitur: *intentio formata et divina inspiratio. Divina inspiratio, et haec simpliciter* etc.; Gorranus sic: *interius, et hoc fuit propria voluntas et divina inspiratio; propria voluntas fuit simpliciter* etc.

[2] Cfr. IV. Sent. d. 19. dub. 1. — August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 27: Hic docemur, etiam per homines malos prophetiae Spiritum futura praedicere. De miraculis malorum cfr. supra pag. 279, nota 4. — Superius codd. et Gorranus omittunt *est spiritualis et.* Inferius pro *sic praedicendo, sicut miracula faciendo* (ita A) alii codd. cum Gorrano *sicut praedicando sicut miracula faciendo,* ed. *sicut praedicendo, sic miracula faciendo.*

[3] Theophylact., in hunc locum: Decima quidem mensis [primi scil. Nisan] accipiunt ovem immolandam in Pascha [cfr. Exod. 12, 3.], et ex eo tempore requirere incipiunt quae necessaria ad festum. Denique et coena, quae *ante sex dies*, quae est nona mensis, lautius epulantur et initia festivitatis illo die faciunt. Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 116: Iesus ergo *ante sex dies Paschae*... Sabbato scilicet ante Ramos Palmarum, quae dies sexta erat ante Pascha, si numeremus ipsum et diem Paschae cum quatuor interpositis.

[4] Vers. 20. — Subinde allegatur Marc. 5, 43. — Inferius voci *Lazarus* ed. cum C addit *tamen.*

[5] Vulgata, quam ed. cum uno alteroque cod. sequitur, *cum eo.* — Sequitur Luc. 10, 40. Cfr. supra 11, 20. n. 31.

[6] Plures codd. *fragrabat.*

[7] Libr. XVII. Etymolog. c. 9, quod est *de herbis aromaticis* etc., ubi n. 3: *Nardus* herba est spicosa... quarum alia Indica, alia Syriaca vocatur... Est autem Indica multiformis, sed melior Syriaca, levis, fulva, comosa, spica parva, odoratissima, cyperum simulans... *Nardus Celtica* a regione Galliae nomen traxit. Nascitur enim saepius in Liguriae alpibus... Flos eius tantum propter odorem bonus etc. — Sequitur Cant. 1, 11.

Marci decimo quarto [1]: « Nardi spicati ». *Pistici;* Glossa: « id est fidelis », ad differentiam sophisticati; *pretiosi*, quia magni pretii erat et valoris. *Et unxit pedes Iesu [2]; et domus impleta est ex odore unguenti.* Ad litteram, Iudaei unguentis valde odoriferis utebantur; ideo Dominus pretiosissimum unguentum sibi offerri praecepit, Exodi trigesimo [3], et aliis illud prohibuit; unde vocavit illud *sanctum sanctorum*, quod esset « in odorem suavissimum Domino ».

Tertium.

4. (Vers. 4.). *Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas.* Tangitur hic tertium, scilicet *indignatio Iudae* contra mulierem, quia unguentum effuderat; propter quod dicit: *Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus*, propter avaritiam scilicet; et propter avaritiam dicit:

5. (Vers. 5.). *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis et datum est egenis?* Matthaei vigesimo sexto [4]: « Ut quid perditio haec? Potuit enim venumdari multo et dari pauperibus ». Et quia videbatur hoc dixisse ex pietate, ostendit Evangelista, quod hoc dixit ex cupiditate; propter quod dicit:

6. (Vers. 6.). *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum*, quia de pauperibus non curabat; quocontra Ecclesiastici quarto [5]: « Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere » etc.; *sed quia fur erat et loculos habens*, tanquam dispensator, *ea quae mittebantur, portabat*, id est, asportabat et furabatur, et ideo gaudebat, quando plura dabantur; unde propter avaritiam suam vendidit Dominum; unde dicitur Matthaei vigesimo sexto [6], quod « abiit ad principes sacerdotum et dixit: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam »? Unde Chrysostomus: « Avaritia cor in servitutem redigit, haec proditorem fecit Iudam et Giezi leprosum et Ananiam morti tradidit ».

Quartum.

7. (Vers. 7.). *Dixit ergo eis [7] Iesus.* Tangitur hic quartum, scilicet *excusatio Mariae*, quia ei Iudas insultabat quasi de male facto; et vult Dominus ostendere, quod melius fecit, quam si dedisset pauperibus; propter quod dicit: *Sinite [8] illam*, id est, nolite esse molesti ei. Non eos culpat, sed Mariam excusat: *Ut in diem sepulturae meae servet illud*, quod quidem melius est quam dare egenis.

8. (Vers. 8.). *Pauperes enim semper vobiscum habebitis [9];* Deuteronomii decimo quinto: « Non deerunt pauperes in terra habitationis vestrae ». *Me autem non semper habebitis*, secundum corporalem praesentiam; infra decimo sexto: « Ad Patrem vado, et iam non videbitis me »; et ideo magis expedit, mihi humanitatis beneficium exhiberi; ideo non debetis esse molesti; Matthaei vigesimo sexto: « Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me ».

Expositio spiritualis de duobus. Triplex convivium.

9. *Spiritualiter* sunt hic duo notanda, quod scilicet fuerit illud *convivium*, et quod *unguentum*. — Et notandum, quod *triplex convivium* legimus Domino factum: primum, a Matthaeo, publicano converso; Matthaei nono [10]: *Eo discumbente in domo, ecce, multi publicani et peccatores discumbebant cum eo;* hoc est convivium *poenitentium*. — Secundum, a Simone, Pharisaeo; Lucae septimo [11]: *Rogabat Iesum quidam Pharisaeus, ut manducaret cum illo;* hoc est *proficientium*, quia Pharisaei Legem servabant. — Tertium, a Maria, Martha et Lazaro in Bethania, ut hic. *Bethania* est domus obedientiae [12], et haec est religio, in qua sunt homines in statu perfectionis, secundum illud Matthaei decimo nono: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus;* et hoc est convivium *perfectorum*.

Triplex unguentum.

10. Nota similiter de *unguento* secundum spiritualem intelligentiam, quod *triplex* est, unde et ter Maria unxisse Dominum legitur. Est enim un-

---

[1] Vers. 3. — Glossa *ordinaria* (ex August.): *Pretiosum* unguentum fit de nardo, maxime de spicis; hic autem dicitur *pistici* a loco, unde erat; et interpretatur *fidelis* [πίστις i. e. fides], non alia admixtione corrupti. — Subinde plures codd. propter nimiam abbreviationem dubiae sunt lectionis: legi quippe potest vel *sophistici* vel *sophisticati;* haec ultima lectio ab aliis codd. insinuatur et confirmatur a S. Thom., Comment. in Ioan. 12, lect. 1. n. 4: « Et secundum Augustinum dicitur *pistici* a loco, in quo nardus oriebatur; sed melius est, quod exponatur *pistici*, id est fidelis, hoc est non sophisticati per aliquam admixtionem; nam *pistis* in graeco idem est quod fides ». Gorranus legit: *ad differentiam nardi sophisticatae.* Cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Sophisticare*, adulterare, corrumpere... Vita B. Lidwinae tom. 2. April. pag. 355: Et facto cataplasmate de balsamo, ut disserebat, non *sophisticato.*

[2] Ed. cum Vulgata addit *et extersit pedes eius capillis suis.*

[3] Vers. 25. seqq., ubi etiam (v. 36.): « Sanctum sanctorum erit vobis thymiama ». Verba *in odorem suavissimum Domino* inveniuntur in descriptione variarum oblationum; cfr. Lev. 1, 13; 2, 2.

[4] Vers. 8. seq.

[5] Vers. 1. — August., in Ioan. Evang. tr. 50. n. 9: Portabat, an exportabat? Sed ministerio portabat, furto exportabat.

[6] Vers. 15. — Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64) n. 3: Quos capit [avaritia] in servitutem redigit, ut gravissima domina... haec Giezi ex discipulo et propheta leprosum fecit; haec Ananiam perdidit; haec Iudam proditorem fecit etc. — Ed. post *Ananiam* addit *et Saphiram.*

[7] Ita Vulgata et M N, alii codd. *ei.* August., in Ioan. Evang. tr. 50. n. 11: *Dixit ergo ei Iesus: Sine illam.*

[8] Cod. E primitus *Sine;* ita H N infra n. 13; cfr. nota praeced.

[9] Vulgata hic et paulo inferius *habetis.* — Tres seqq. loci sunt Deut. 15, 11; Ioan. 16, 10. et Matth. 26, 10. — Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 50. n. 12. et 13.

[10] Vers. 10. — In E ea quae hic de spirituali intelligentia *convivii* et *unguenti* (n. 9. et 10.) dicuntur, primitus omissa fuerunt, a secunda manu suppleta sunt per modum schematis.

[11] Vers. 36. Pro *Rogabat* multi codd. *Invitavit.*

[12] Cfr. supra pag. 394, nota 13. — Sequitur Matth. 19, 21. Cfr. B. Albert., Postilla in Ioan. 12, 2.

guentum *contritionis*, quod significatum est in illo, Lucae septimo [1]: *Lacrymis coepit rigare pedes eius et unguento ungebat.* — *Devotionis*, et hoc significatum est hic et Matthaei vigesimo sexto [2]: *Cum esset Iesus in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi et effudit super caput ipsius recumbentis.* — *Compassionis*, et hoc Marci ultimo [3]: *Maria Magdalena et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* — Primo unguento inunguntur *pedes*; secundo, *caput*; tertio vero, *totum Domini corpus* [4]. Nota.

Quaestiones.

11. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit, quod *ante sex dies Paschae venit Bethaniam*, ubi unctus est a Maria:

1. Quia Matthaei vigesimo sexto [5] dicitur: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*, et post, quod *in domo Simonis* unctus est a Maria: ergo videtur per *biduum ante*, et hic dicitur, quod per *sex dies*. Contrarietas prima.

2. Item obiicitur de hoc quod dicit, quod *unxit pedes*, quia dicitur Matthaei vigesimo sexto [6], quod *effudit super caput eius*. Si effudit super caput, quomodo unxit pedes? Secunda.

3. Item, de alia contrarietate, quia ibi [7] dicitur, quod *videntes discipuli indignati sunt*; hic autem dicitur, quod *unus indignatus*, scilicet proditor. Tertia.

Ad has tres contrarietates solvitur per tres regulas Augustini, de Consensu Evangelistarum [8]: Resp. per 3 regulas.

Prima, quod notandum, quod aliquando unus Evangelista aliquid dicit secundum *seriem historiae*, alter dicit per *recapitulationem*. Et per hoc solvitur primum; quia Matthaeus recapitulando dicit, sicut ibidem ostendit [9]. Prima.

Secunda regula est, quod unus *omittit*, alter *dicit*; et utrumque factum est, sed non utrumque ab utroque dictum; sic solvitur secundum: quia et pedes unxit et deinde totum super caput effudit [10]. Secunda.

Tertia regula est, quod mos est Evangelistarum pluralem numerum pro singulari ponere per synecdochen; et ideo dixerunt alii, quod discipuli indignati, Ioannes exprimit proprie, quis fuerit [11]. Tertia.

12. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit Evangelista, 1. quod Iudas sic *dixit, non quia de egenis pertinebat ad eum.* — *Sed contra*: Erat dispensator: ergo pertinebat.

2. Item dicit, quod *fur erat et loculos habebat*; unde est, quod Dominus volebat furi loculos committere? — Videtur, quod daret ei occasionem peccandi.

3. Item, quare non corripuit eum Dominus, ex quo sciebat, eum esse in peccato?

4. Item, cum Dominus esset in extrema paupertate et praecepisset discipulis non recipere pecuniam [12]; unde est, quod loculos habebat?

1. Dico ad primum, quod *pertinere* dupliciter est: aut quantum ad affectum, aut quantum ad officium [13]; primo modo non pertinebat, secundo modo sic. Resp. ad 1.

2. Ad secundum dico, quod duplex fuit ratio, scilicet *divini iudicii dispensatio* et *nostra instructio: divini iudicii dispensatio* in hoc, quod Dominus malo eius desiderio satisfaciebat, sicut avaros in praesenti ditat; ut etiam Iudas non haberet excusationem, quod proderet Dominum propter inopiam [14]. *Nostra instructio*, quia ostendit Dominus, quod Ad 2.

---

[1] Vers. 38.

[2] Vers. 6. seq. Plurimi codd. *Cum recumberet* etc., cfr. Marc. 14, 3.

[3] Vers. 1.

[4] Cfr. Bernard., Serm. 87. de Diversis (alias 52. ex Parvis) n. 6; Serm. 90. de Diversis (alias 55. et 56. ex Parvis) per totum; Serm. in Cant. serm. 10. n. 4. seqq. et serm. 12. n. 1. seqq.

[5] Vers. 2. et 6. — Ioan. 12, 1: Iesus ergo ante sex dies Paschae etc.

[6] Vers. 7.

[7] Matth. 26, 8. — Ioan. 12, 4: Dixit ergo unus etc.

[8] Libr. II. c. 78. et 79. n. 153-156.

[9] Loc. cit. n. 153: Sed qui ita moventur [Matthaeum et Marcum esse contrarios Ioanni] non intelligunt, Matthaeum et Marcum illud quod in Bethania de unguento factum erat, *recapitulando* posuisse, non *post* illam de biduo praedicationem suam, sed *ante* iam factum, cum adhuc sex dies essent ad Pascha. Non enim quisquam eorum, cum dixisset, post biduum futurum Pascha, sic adiunxit de illo facto in Bethania, ut diceret: *Post haec*, eum esset in Bethania; sed Matthaeus quidem: *Cum autem esset*, inquit, *Iesus in Bethania*; Marcus autem: *Cum esset Bethaniae*; quod utique intelligitur, et antequam illa dicerentur, quae ante biduum Paschae dicta sunt etc. Cfr. supra pag. 268, nota 2.

[10] Ibid. n. 155: Ille autem calumniator, si tam pertinaciter caecus est, ut Evangelistarum concordiam de alabastro fracto [Marc. 14, 3.] frangere conetur, prius accipiat perfusos pedes, antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret, unde etiam caput perfunderetur; ubi fractura illa totum effunderet etc.

[11] Loc. cit. n. 156. Cfr. supra c. 6. n. 12. Responsio. De *synecdoche* cfr. supra pag. 405, nota 8.

[12] Cfr. Luc. 9, 3. et 58.

[13] Plures codd., ut A B D H I K L, *aut quantum ad effectum, aut quantum ad affectum* (non convenit cum seq. propositione nisi membra transponantur: aut quantum *ad affectum* etc.); nostra lectio, quae exhibetur ab aliis codd., ed. et Gorrano, confirmatur etiam a B. Albert., Postilla in Ioan. 12, 6, ubi ad obiectionem, quod pertinebat ad Iudam de egenis, quia bursarius Domini erat, sic respondet: Sed ad hoc dicatur, quod est *pertinentia ex officio*, et hoc modo bene pertinebat ad eum; et *pertinentia ex cura affectuosa*, et sic non pertinebat ad eum, quia non curabat de miseria egenorum etc. — Inferius post *non pertinebat* ed. addit *ad Iudam*, Gorranus legit: *ad Iudam de egenis subveniendis, sed secundo modo.*

[14] Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 2: Quodsi quis quaerat, cur furi loculos pauperum commiserit et avarum dispensatorem fecerit; respondebimus, rem arcanam unum nosse Deum; quodsi quidpiam sit coniectando dicendum: ut omnem auferret excusationis causam. Non enim dicere poterat, se ex pecuniarum amore id fecisse, cum posset cupiditati suae ex loculis facere satis, sed ex ingenti nequitia, quam volebat Christus cohibere, indulgentia erga illum multa usus. Cfr. supra c. 6. n. 12.

parvam vim facit in divitiis Ecclesiarum, sed magnam in thesauro animarum [1].

3. Ad aliud dicendum, quod non *corripuit,* Ad 3. quia sciebat, quod non melioraretur, sed peior efficeretur; nec *officium abstulit,* ne proderet crimen et ad maius crimen incitaret [2].

4. Ad aliud dicendum, quod, sicut dicit Hiero- Ad 4. nymus [3], Dominus habuit loculos, non ad usum Ratio 1. suum, sed magis ad usum pauperum. Unde quando solvit didrachma, misit Petrum ad mare, Matthaei decimo septimo, ubi invenit pretium in ore piscis; quia nolebat ea quae data erant pauperibus, in Ratio 2. usum suum convertere. — Alia ratio, ut innotesceret contra haereticos [4], quod liceret Ecclesiae suae divitias possidere.

13. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit in littera: *Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud.* Si enim effuderat [5] super caput, quomodo in diem sepulturae poterat conservare?

Ad hoc respondetur tripliciter: uno modo lit- Resp. 1. non probata. tera exponitur sic, *ut servet illud,* id est partem ex illo [6]. Sed illud non valet; quia non unxit Maria Resp. 2. corpus Domini in die sepulturae. — Ideo exponit Victor [7]: *servet illud,* id est devotionem circa illud, scilicet devotionem ungendi, quia voluit corpus Do- Resp. 3. mini ungere, quamvis non unxerit. — Alio modo sic, ut fiat vis in verbo *servandi; servare* [8] dicitur contra *perdere;* unguentum, quod in terram effunditur, perditur, sed quo mortuorum corpora condiuntur, *perdi* non dicitur, sed *servari.* Modo voluit Dominus contra Iudam dicere, quod non est facta unguenti *perditio,* sed *conservatio* in diem sepulturae praeveniendo; unde dicitur Marci decimo quarto [9]: *Praevenit corpus meum ungere in sepulturam.* Et sic intelligendum est.

14. *Cognovit ergo turba multa.* Praedeterminata est conspiratio et conspirationis corroboratio [10]; tertio hic tangitur *conspirationis amplificatio.* Prius enim cogitaverant occidere Iesum, hic non solum Iesum, sed etiam Lazarum suscitatum. Et ratio erat: quia multi propter eum credebant in Iesum [11]. Duo ergo hic notantur, scilicet *credentium multitudo* et *perversitatis Iudaeorum amplificatio.* Tertio, de conspirationis amplificatione duo.

(Vers. 9.). *Credentium multitudo* facta est oc- Expositio litteralis. easione suscitationis Lazari; propter quod dicit: *Co-* Primum. *gnovit ergo turba multa ex Iudaeis, quia illic esset* [12], scilicet in Bethania; *et venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.* Adhuc infirmi erant, quia eorum oculi non tantum delectabantur in aspectu auctoris, sed etiam operum; unde erant de illis, de quibus dicitur supra secundo [13]: « Multi crediderunt in eum, videntes signa, quae faciebat »; unde miracula videre volebant, supra sexto: « Sequebatur Iesum multitudo magna, quia videbat signa ».

15. (Vers. 10.). *Cogitaverunt autem principes* Secundum. *sacerdotum.* Tangitur hic secundum, scilicet *conspirationis et perversitatis amplificatio* in auctorem [14], quia non solum in Dominum saeviebant, sed in alios propter eum; unde dicit: *Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent,* non tantum Iesum; Isaiae primo [15]: « Manus vestrae sanguine plenae sunt »; et ratio subditur:

16. (Vers. 11.). *Quia multi propter illum abibant ex Iudaeis et credebant in Iesum;* et ideo interficere volebant. Augustinus [16]: « Stulta cogitatio!

---

[1] Theophylact., in Ioan. 12, 4. seqq.: Nonnulli aiunt, ideo creditam Iudae pecuniarum dispensationem ceu minorem aliis. Nam pecuniis ministrare minus est quam doctrinae; sicut et in Actis [6, 2.] dicunt Apostoli: *Non licet nobis, relicto sermone, ministrare mensis.*

[2] August., in Ioan. Evang. tr. 50. n. 11: Quare furem admisit, nisi ut eius Ecclesia fures patienter toleret?... Furem noverat nec prodebat, sed potius tolerabat et ad perferendos malos in Ecclesia nobis exemplum patientiae demonstrabat. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 65. (alias 64.) n. 2. — Ed. *incitaretur.*

[3] Libr. III. Comment. in Matth. 17, 26, ubi in fine ait, quod « tantae Dominus fuerit paupertatis, ut unde tributa pro se et Apostolo redderet, non habuerit. Quodsi quis obficere voluerit: et quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? respondebimus, rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit nobisque idem tribuit exemplum. Cfr. infra 13, 29. — Inferius allegatur Matth. 17, 23-26.

[4] Aliis omissis, nominamus Arnaldum Brixiensem; cfr. tom. V. pag. 354, nota 9, ubi notatur secundum August., quod eundem errorem Manichaei docuerunt. — Pro *divitias,* plures codd. *decimas.*

[5] Ita multi codd. et Gorranus, alii codd. et ed. *effundatur.* Subinde pro *conservare* ed. *conservari.*

[6] Rupert. abbas Tuitiens., in hunc locum: *Sine,* inquit, *ut in diem...* ac si dicat: Non solum non vendatur, ut detur egenis, verum etiam et quod nunc habet, nec enim totum in me iam effudit; quod, inquam, nunc habet unguentum servet et adhuc amplius emat ad condiendum corpus meum, quod tuo scelere, Iuda, paulo post tradetur ad crucifigendum. — De seq. propositione cfr. Beda (ex quo Glossa *ordinaria*), in hunc locum, ubi ait, quod « Mariae, cui ad unctionem mortui corporis eius... pervenire non liceret, donatum sit viventi adhuc impendere obsequium, quod post mortem celeri resurrectione praeventa nequiret. Unde bene Marcus [14, 8.] Dominum de illa dixisse testatur: *Quod habuit haec, fecit; praevenit ungere corpus meum* » etc.

[7] Cfr. supra pag. 275, nota 11. — Glossa *interlinearis* in Ioan. 12, 7: Ut, si non re, impleat tamen devotione post meam mortem.

[8] Multi codd. et Gorranus *servari.*

[9] Vers. 8, ubi Glossa *ordinaria* (ex Beda): Quod putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturae est etc.

[10] Vide supra c. 11. n. 64. Divisionem 3.

[11] Infra v. 11.

[12] Vulgata *est.*

[13] Vers. 23; sequitur 6, 2. — Superius pro *auctoris* nonnulli codd. *actoris,* et immediate post pro *sed etiam* ed. *sed potius,* Gorranus *sed.*

[14] Ita plurimi codd., D L M *auctore,* ed. cum Gorrano *actione,* quae subinde post *sed* addit *et.*

[15] Vers. 15.

[16] In Ioan. Evang. tr. 50. n. 14.: O stulta cogitatio et caeca saevitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum. [Haec verba tantum allegantur a codd. et Gorrano, sequentibus omissis] etc.

Dominus, qui suscitare potuit mortuum, nonne potuit suscitare occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud videtur mortuus, aliud occisus; ecce, Dominus utrumque fecit: et Lazarum mortuum, et se ipsum suscitavit occisum ». Viam salutis claudere volebant; Matthaei vigesimo tertio [1]: « Ipsi non introistis, et alios introire prohibuistis ».

Quarto, de conspirationis obstinatione quatuor.

17. *In crastinum autem* etc. Determinata est conspirationis amplificatio, determinatur hic quarto et ultimo ipsius per obstinationem *malitiae consummatio*. Et haec obstinatio occasionem habuit ex honore Domino exhibito, propter quem in miram invidiam prosilibant; et proceditur sic. Primo determinatur *Christi honorificatio;* secundo, *honoris* illius *per Scripturam approbatio;* tertio, *honorificandi ratio;* quarto, *Pharisaeorum malevolentissima obstinatio.*

Primum.

(Vers. 12.). Honor autem describitur tripliciter: primo quoad *modum occurrendi,*

De modo occurrendi.

quia cum laetitia; propter quod dicit: *In crastinum autem turba multa* [2], *cum audissent, quia Iesus venit Ierosolymam,* occurrerunt ei cum laetitia; in cuius signum:

18. (Vers. 13.). *Acceperunt ramos palmarum et processerunt ei obviam;* hunc morem habebant ex Lege; unde dicitur secundi Esdrae octavo [3]: « Egredimini in montem et afferte frondes olivae et frondes ligni pulcherrimi et ramos palmarum ». — Describi-

De modo laudandi.

tur etiam quoad *modum laudandi;* propter quod dicit: *Et clamabant: Hosanna;* sicut dicit Glossa [4], « vox ista est obsecrantis, potius affectum quam aliquid indicans, sicut interiectiones », et tantum valet *salva, obsecro. Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel;* in quo confitentur in ipso regiam dignitatem, non ab homine, sed a Deo; ideo dicunt: *rex Israel in nomine Domini,* secundum illud Lucae primo [5]: « Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum ».

De modo procedendi.

— Describitur etiam quoad *modum procedendi;* quia non procedebat per pedes, sed super asinum sedebat; propter quod dicit:

19. (Vers. 14.). *Et invenit Iesus asellum et sedit super eum.* Etsi verus Rex esset et honorem regium sibi offerri permitteret; non tamen in multitudine equorum, sed super asinum venit. In quo significatur, ut dicit Augustinus [6], quod « non ad exigendum tributum, non ad armandum exercitum ferro rex erat, sed rex Israel, qui mentes regat, qui consulat, qui in regnum caelorum credentes, sperantes amantesque perducat ».

Secundum.

20. *Sicut scriptum est.* Tangitur hic secundum, scilicet facti illius *per Scripturam approbatio,* et hoc facit ostendendo, illud in Scriptura fuisse praedictum; quia hoc robur dat verae fidei. Propterea dicit, quod sedit super asinum in honore regio; ne putes hoc casu gestum, ideo dicit: *Sicut scriptum est,* Zachariae nono [7]:

21. (Vers. 15.). *Noli timere, filia Sion,* id est Ecclesia; minus dicit et plus intelligit, id est, *exsulta;* Zachariae nono [8]: « Exsulta satis, filia Sion; iubila, filia Ierusalem ». Et ratio exsultationis redditur: *Ecce, rex tuus venit tibi* [9]; ecce, *regia dignitas; sedens super pullum asinae;* ecce, *mansuetudo et humilitas.* Et in adventu talis est laetandum, quia dicitur Proverbiorum decimo sexto: « In hilaritate vultus regis vita, et clementia eius quasi imber serotinus ». Et licet honor iste esset praedictus, tamen non est a discipulis Christi praecognitus, ut scias, hoc non esse factum humana adinventione, sed divina dispensatione. Propterea subdit:

22. (Vers. 16.). *Haec non cognoverunt discipuli eius primum,* quando scilicet hunc honorem contulerunt; *sed quando glorificatus est Iesus,* post resurrectionem et ascensionem, *tunc recordati sunt,* id est, adverterunt, *quia haec erant scripta de eo; et haec fecerunt ei.* Post glorificationem cognoverunt, non ante; quia tunc primo, sicut dicitur Lucae ultimo [10], « aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas ».

Tertium.

23. (Vers. 17.). *Testimonium ergo perhibebat* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *honoris exhibiti ratio;* et haec erat ipsa mirabilis Lazari suscitatio, quae turbis constabat; propter quod dicit: *Testimonium ergo perhibebat illi* [11] *turba, quae*

---

[1] Vers. 13. Verba potius sunt ex Luc. 11, 52, cum Matth. 23, 13. legatur: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

[2] Vulgata, quam ed. sequitur, addit *quae venerat ad diem festum.* Post *In crastinum autem* ed. ex Glossa *interlineari* subiungit *scilicet die dominica.*

[3] Vers. 15.

[4] Scilicet *ordinaria* secundum August., in Ioan. Evang. tr. 51. n. 2. Glossa *interlinearis*: *Hosanna,* quasi Hosi anna, id est, salva, obsecro; cfr. Hieron., Epist. 20. n. 3. seqq. et III. Comment. in Matth. 21, 9, ex quibus locis Beda praecipua complectitur in Ioan. 12, 13. — In prima Glossa textus originalis post *obsecrantis* cum Augustino legit: *magis indicans affectum, quam rem aliquam* [aliqui codd. et ed. *quam aliud*] *significans, sicut interiectiones.* Subinde post *tantum valet* ed. cum Gorrano addit *quantum.*

[5] Vers. 32.

[6] In Ioan. Evang. tr. 51. n. 4, ubi textus originalis (quem ed. sequitur) post *ferro* addit *hostesque visibiliter debellandos,* et verbo *consulat* praefigit *in aeternum.*

[7] Vers. 9. — Superius pro *verae* plures codd. *nostrae.*

[8] Vers. 9. Cfr. Isai. 62, 11: Dicite filiae Sion: Ecce, Salvator tuus venit. — Superius ante *minus dicit* E N bene repetunt *noli timere.*

[9] Vulgata omittit *tibi;* cfr. tamen Matth. 21, 5, ubi etiam Vulgata habet *tibi.* — Subinde allegatur Prov. 16, 15. — Chrysost., in Ioan. homil. 66. (alias 65.) n. 1: Confide, inquit, hic non talis [iniquus, cupidus, sicut alii reges] est, sed mansuetus et mitis; quod ex asina ostenditur; neque enim exercitu stipatus ingressus est, sed cum asina tantum.

[10] Vers. 45. — Ed. cum paucis codd. omittit *primo.*

[11] Vulgata omittit *illi.* — Sequitur Ioan. 11, 43.

erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, dicens: « Lazare, veni foras », *et suscitavit eum a mortuis.* Ista turba perhibebat testimonium eius omnipotentiae, turba scilicet *simplicium* et etiam turba *sapientium: sapientium*, Actuum decimo [1]: « Huic omnes Prophetae testimonium perhibent »; *simpliciuri*, Psalmus: « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ». Propter quod signum et testimonium collatus est ei honor iste; ideo dicit:

24. (Vers. 18.). *Propterea* [2] *obviam venit ei turba, quia audierunt, ipsum fecisse hoc signum.* Turba simplex videns signa movebatur ad fidem et devotionem; propter quod dicitur Matthaei nono: « Videntes turbae timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus »; sed scribae dicebant, quod blasphemaret.

25. (Vers. 19.). *Pharisaei ergo dixerunt ad* Quartum. *semetipsos.* Tangitur hic quartum, scilicet *Pharisaeorum ex invidia obstinatio;* propterea dicebant inter se: *Videte, quia nihil proficimus* [3], scilicet quandiu vivit; secundae ad Timotheum tertio: « Veritati resistunt, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient ». Et post: *Ecce, totus mundus post eum abiit.* In quo notatur, quod iaculo invidiae commoti sunt; unde dicitur Matthaei vigesimo primo [4], quod videntes scribae et Pharisaei « indignati sunt », quia ex *invidia* dolebant, ex *superbia* despiciebant, ex ipsa *ira* furebant; et ideo in malitia obstinati erant; « invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum » etc., Sapientiae secundo [5]; Ecclesiastici decimo quarto: « Oculus malus in tristitia erit super mensam suam ».

Quaestiones.

26. Quaest. I. Sed quaeritur hic: quia videtur, quod Dominus in operibus suis fuerit sibi contrarius:

1. Quia supra undecimo [6] dicitur, quod Dominus *abscondit se* a facie Iudaeorum persequentium; hic autem ita manifeste se offert.

2. Item, Dominus supra sexto [7] *fugit in montem*, quando voluerunt eum facere regem; hic suscipit honorem collatum sibi tanquam regi et approbat.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus, sicut Resp. dicit Augustinus [8], non facit *contraria*, sed pro congruitate facit *diversa*, sicut prius vetus et post novum edidit testamentum.

1. Propter quod dicendum, quod tempus pas- Ad 1. sionis prius nondum advenerat, modo aderat; ideo prius se occultabat, quia tempus exspectabat; modo, cum adest opportunitas et tempus, se manifestat [9].

2. Similiter ad secundum: quia ante passionem Ad 2. ignotus esse volebat, prope et post passionem vero Triplex ratio. glorificandus; ideo tunc honorem regium et non ante suscepit [10]. — Alia ratio est, quia isti non fecerunt eum regem, sed a Deo missum recognoscebant; sed illi eum regem facere volebant. — Tertia ratio est: quia Dominus statim quasi post haec erat passurus, voluit honorari, ut ex hoc honore augeretur et succedens ignominia passionis [11].

27. Quaest. II. Item quaeritur de contrarietate:

1. Quia dicitur Matthaei vigesimo primo [12], quod Contrarietas 1. primo misit in castellum pro asino, deinde quod turba venit ei obviam.

---

[1] Vers. 43. — Subinde allegatur Ps. 8, 3. — Superius pro *et etiam* maior pars codd. *quia etiam.*

[2] Vulgata addit *et*, et paulo inferius pro *ipsum* substituit cum B *eum.* — Sequitur Matth. 9, 8; ibid. v. 3: Et ecce, quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.

[3] Vulgata: *Videtis, quia nihil proficimus?* — Seq. locus est II. Tim. 3, 8. et 9.

[4] Vers. 15. — Superius post *abiit* ed. addit *sive tota Iudaea post eum vadit.*

[5] Vers. 24. (Plures codd. hunc versum non allegant). — Sequitur Eccli. 14, 10.

[6] Vers. 54, ubi dicitur, quod « Iesus ergo non in palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum » etc. Cfr. 8, 59: Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum; Iesus autem abscondit se etc.

[7] Vers. 15.

[8] Cfr. Epist. 138. (alias 5.) n. 2-8, ubi ad interrogationem: « Cur hic Deus, qui et veteris testamenti Deus esse firmatur, spretis veteribus sacrificiis, delectatus sit novis; nihil enim corrigi posse asserunt, nisi quod ante non recte factum probaretur, vel quod semel recte factum sit nullatenus immutari debuisse » etc., respondit primo exempla adducendo: « Nonne hiemi aestas addito sensim calore succedit? Nonne diurnis tempora nocturna vertuntur »? etc., et subinde [n. 4.] ait: « Non itaque verum est quod dicitur: Semel recte factum nullatenus esse mutandum. Mutata quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat ita mutari vera ratio plerumque flagitat, ut, cum ipsi dicant, recte non fieri, si mutetur; contra, veritas clamet, recte non fieri, nisi mutetur; quia utrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum varietate *diversum*... [n. 8.] quispiam fortassis exspectet causas a nobis ipsius mutationis accipere... Verumtamen breviter dici potest... aliis sacramentis praenuntiari Christum, cum venturus esset, aliis, cum venisset, annuntiari oportuisse, sicut modo nos idipsum loquentes *diversitas* rerum compulit etiam verba mutare; siquidem *aliud* est praenuntiari, *aliud* annuntiari; *aliud*, cum venturus esset, *aliud*, cum venisset ». Simili modo impugnat Faustum diversis in locis; cfr. VI. contra Faustum, c. 9. XXII. c. 77; XXXII. c. 9.

[9] Cfr. supra c. 8. n. 87. et c. 11. n. 72.

[10] Glossa *ordinaria* in Matth. 21, 10. (ex Chrysost., op. imperfect. homil. 37. in principio): Frequenter ingressus est civitatem Ierusalem, sed non cum his laudibus; non rex vocatur, quod semper fugerat, nisi modo, cum ascendit passurus. Quod ideo factum est, ut amplius illorum adversum se excitaret invidiam, quia iam tempus passionis instabat. — Superius pro *post*, quod habent codd., retinuimus lectionem ed. *prope et post.*

[11] Cfr. Beda, III. in Marc. 11, 10. — Verbo *voluit* C praefigit *ideo*, et subinde omittit *honore.*

[12] Vers. 1. seq.: Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum etc.; ibid. v. 8: Plurima autem turba straverunt vestimenta etc.

2. Item, ibidem [1] dicitur, quod *sedit super asinam et pullum*, hic autem dicitur, quod super *asellum*.

Contrarietas 2.

3. Item, hoc non est scriptum in Zacharia [2]: *Noli timere, filia Sion;* sed: *Exsulta et iubila, filia* etc.

Contrarietas 3.

Respondeo: Dicendum ad hoc ultimum, quod quia Evangelistae per Spiritum sanctum loquebantur, qui totam condidit Scripturam et est auctor; ideo non fecerunt vim in *verborum similitudine*, sed in *intellectuum sinceritate;* et idem ipsum, quod dixit ille per verbum *exsultandi*, hoc ipsum dicit Evangelista per verbum *non timendi* [3].

Resp. ad 3.

1. 2. Quod vero obiicitur de *contrarietate* et *praeposteratione;* dicendum est, quod Dominus sedit super asinam et etiam super pullum eius. Et dicunt quidam, hoc fuisse hoc modo: prius insedit *pullo*, et quia recalcitrabat, post sedit super *asinam* [4]. — Sed hoc nihil est, quia non credo, quod pullus unquam, Domino insidente, recalcitraret; immo intelligendum, quod Dominus propter figuram prius sedit super *asinam*, id est super veterem synagogam, et post super pullum, id est gentilitatem indomitam [5]. — Et prius sedit super asinam, quam turbae occurrerent; ideo Matthaeus prius narrat; sed post, cum turbae occurrerunt, tunc sedit super asellum. Et ideo Ioannes [6] dicit post adventum turbarum: *Invenit Iesus asellum et sedit super eum;* non curans totum dicere, quia alius dixerat.

Resp. ad 1. 2.

Secundo, de passionis praedictione ponuntur quatuor.

28. *Erant autem gentiles quidam.* Praedeterminatum est unum praeambulum ad passionem, quod est Pharisaeorum conspiratio; hic determinatur secundum, scilicet *gentilium illuminatio* [7], quae est fructus consequens passionem Christi valde utilis. Et quoniam in Christi passione facta est gentilium illuminatio et Iudaeorum excaecatio; ideo haec pars quatuor habet particulas. In prima determinatur vel ostenditur *vocationis gentium praefiguratio.* Secundo vero *passionis* praedicitur *fructificatio*, ibi [8]: *Amen, amen dico vobis* etc. Tertio vero, *praedicti fructus expositio*, ibi: *Turba ergo, quae stabat et audiebat vocem.* Quarto describitur *futura Iudaeorum excaecatio*, ibi: *Haec locutus est Iesus* etc.

Insinuatur ergo primo *futura gentium vocatio* in hoc, quod Dominum quaerunt, et Dominus se offert benevolum; et describitur hoc ordine: primo ponitur *gentilium sollicitudo;* secundo, *discipulorum intercessio;* tertio, *Magistri condescensio.*

Primo, de praefiguratione vocationis gentium tria.

29. (Vers. 20.). Innuitur ergo *gentilium sollicitudo* in hoc, quod videre Iesum cupiunt et quaerunt; propter quod dicit: *Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Ipsi adorabant in templo, quoniam et ipsi exaudiebantur; tertii Regum octavo [9] in oratione Salomonis: « Alienigena, qui non est de populo tuo, si venerit et oraverit in loco hoc, exaudies in caelo » etc.

Expositio litteralis. Primum.

30. (Vers. 21.). *Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae;* supra primo [10]: « Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri ». Tanquam ad magis notum iverunt et desiderium expresserunt; unde *et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre.* Nec mirum, si desiderabant videre, quia, secundum illud Psalmi [11], « speciosus forma prae filiis hominum », « totus erat desiderabilis ». Augustinus: « Ecce, voluerunt eum Iudaei occidere, gentiles videre ». Propter hoc Matthaei vigesimo primo: « Auferetur a vobis regnum et dabitur genti facienti fructus eius ».

31. (Vers. 22.). *Venit Philippus.* Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum intercessio* ad gentilium petitionem. Et ut Philippus facilius impetret, assumit socium; propter quod dicit: *Venit Philippus et dicit Andreae*, tanquam maiori; et tunc Andreas tanquam maior [12] praeit in nuntiatione; unde dicit: *Andreas rursum et Philippus dixerunt Iesu.* In quo innuitur, quod praelati sunt medii inter simplices et Dominum, qui desideria pauperum Domino offerunt; Deuteronomii quinto [13] dixit Moyses: « Ego

Secundum.

---

[1] Vers. 7: Et adduxerunt asinam et pullum... et eum desuper sedere fecerunt.

[2] Cap. 9, 9. — Ioan. 12, 14.

[3] Cfr. August., II. de Consensu Evangelist. c. 66. n. 128.

[4] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 117: Quod licet brevis esset via, fieri tamen potuit, ut primo insedisset pullo, et forte, quia nondum domitus et lascivus erat, descendit et insedit asinae; quodsi super pullum tantum, Matthaeus tamen super utrumque posuit, quia etc.

[5] Hieron., III. Comment. in Matth. 21, 4. seq.: Ergo cum historia [quod Iesus in duobus sedisset, propter brevitatem viae] vel impossibilitatem habeat, vel turpitudinem, ad altiora transmittimur, ut asina ista, quae subiugalis fuit et edomita et iugum Legis traxerat, synagoga intelligatur; pullus asinae, lascivus et liber, gentium populus, quibus sederit Iesus etc. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 66. (alias 65.) n. 1, ubi per asinum intelligi vult gentiles et subiungit: Utrumque factum esse credibile est, et post solutam asinam, ducentibus discipulis, invento asello Christum insedisse.

[6] Hoc cap. v. 14. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 51. n. 5. et II. de Consensu Evangelist. c. 66. n. 128, ubi dicit, quod Ioannes quaedam tacet, quae alii Evangelistae narrant.

[7] Supra c. 11. n. 64. dicitur *de passionis praedictione.*

[8] Vers. 24; tertia et quarta pars est v. 29: *Turba ergo, quae stabat et audierat, dicebat* etc. et 36. — Pro *Secundo, Tertio*, et *Quarto* ed. *In secunda, in tertia* et *in quarta.*

[9] Vers. 41. seqq.

[10] Vers. 44. — Glossa *ordinaria* in Matth. 21, 1: *Misit duos discipulos:* Quidam [Hilar., in hunc locum; Chrysost., in Matth. op. imperfect. homil. 37. et Beda, III. in Matth. 21, 1.] dicunt, hos duos Petrum et Philippum, qui primum gentiles ad Christum adduxerunt, Philippus Samariam, quam *asinam* interpretantur, Petrus Cornelium quasi Samariae *pullum.*

[11] Psalm. 44, 3. — Subinde allegantur Cant. 5, 16; August., in Ioan. Evang. tr. 51. n. 8. et Matth. 21, 43.

[12] Cfr. supra c. 1. n. 78. et 85.

[13] Vers. 5. — Sequitur Hebr. 5, 1.

sequester et medius fui inter Deum et vos »; ad Hebraeos quinto: « Omnis pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum ».

32. (Vers. 23.). *Iesus autem respondit eis.* Tan- Tertium. gitur hic tertium, scilicet *Domini condescensio,* qua satisfacit gentilium desiderio, *dicens,* iam tempus venisse manifestandi se gentibus. Propter quod dicit: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis,* id est, gentibus manifestetur, et per hoc eius claritas et gloria cognoscatur. Haec est hora passionis et redemptionis nostrae, quae diu fuit exspectata et desiderata. In hac gentes vocantur; propter quod dicit Apostolus ad Romanos decimo tertio [1]: « Hora est, iam nos de somno surgere ». Haec est hora, de qua dictum est supra septimo: « Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius ».

Quaestiones.

33. Quaest. I. Sed quaeritur: cum gentiles sua idola adorarent et deos suos haberent, unde est, quod ascendebant adorare in Ierusalem?

Et dicendum, quod de gentibus convertebantur Resp. ad ritum Iudaeorum, et hi dicebantur *proselyti;* et Chrysostomus [2] dicit de istis, quod « prope existentes erant, ut proselyti fierent; ideo, iam incipientes credere, veniebant solemnitatem videre et in templo adorare ».

34. Quaest. II. Sed tunc quaeritur: quare Philippus non repulit eos? — Et videtur, quod debuisset, quia ipse audierat a Domino Matthaei decimo [3]: *In viam gentium ne abieritis;* et Matthaei decimo quinto: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel:* ergo videtur, quod contra Domini mandatum fecerit, quando ipsorum petitionem admisit.

Respondeo: Dicendum, quod ipse [4] Philippus vi- Resp. derat, quod ipse non tantum Iudaeos, sed etiam gentiles curabat, et videbat, quod omnium salutem volebat; ex alia parte mandatum eius considerabat; ideo caute egit, quia nec petitionem omnino repulit nec prorsus admisit; et ideo Andream consuluit. Illi vero, de Domini misericordia praesumentes, dixerunt Iesu, quia se poterat, sicut volebat, ut Dominus, manifestare omnibus [5].

35. Quaest. III. Item quaeritur: quare nunc magis quam ante manifestat se gentibus?

Et dicendum, quod propter propinquitatem pas- Resp. cum duplici ratione. sionis, in qua salus erat gentium. — Alia ratio: quia iam Iudaei per conspirationem mortis Christi repulerant gratiam Dei; et ideo post conspirationem eorum Dominus convertitur ad gentes [6].

36. *Amen, amen dico vobis.* Postquam descripta Secundo, de fructus passionis praedictione quatuor. est vocationis gentium praesignatio, ponitur hic *fructus passionis praedictio* [7] et hoc quidem per hunc modum. Primo *praedicitur passionis fructificatio.* Secundo vero, quia passio non habet effectum nisi in imitatoribus Christi, *ponitur imitationis exhortatio,* ibi [8]: *Qui amat animam suam* etc. Tertio vero, quia nulli imitantur, nisi qui a Domino vocantur; *notatur pro eis facta oratio,* ibi: *Nunc anima mea turbata est.* Quarto, quia ipse impetrat omne, quod petit; *notatur exauditio,* ibi: *Venit ergo vox* etc.

(Vers. 24.). Primo igitur tangitur *passionis fru-* Expositio litteralis. Primum. *ctificatio* exemplo grani; propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis;* asserendo loquitur gentilibus, qui eum quaesierunt, ut ipsos in fide confirmet; *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit;*

37. (Vers. 25.). *Ipsum solum manet.* Ad *litteram* non multiplicatur, nisi moriatur; primae ad Corinthios decimo quinto [9]: « Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur ». *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert;* quia tunc producit messem. — Sic intelligendum in Christo, qui est *granum frumenti* propter puritatem et adipis multitudinem, propter quod optimus ex eo fit panis; sic et Christi caro, qui est « panis vivus, qui de caelo descendit », supra sexto [10]. De hoc dicitur in Psalmo: « Adipe frumenti satiat te ». Hoc granum, *cadens in terram,* per vilitatem, *mortuum est* per passionis acerbitatem; ideo in Psalmo [11] dicitur: « Omnes fluctus tuos induxisti super me. Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi ». Hoc granum *attulit multum fructum,* quia multos filios adduxit in gloriam; ad Hebraeos secundo [12]: « Decebat eum qui multos filios adduxit in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem

---

[1] Vers. 11. — Subinde allegatur Ioan. 7, 30.

[2] In Ioan. homil. 66. (alias 65.) n. 2: Cum iam prope esset [Ἐγγὺς ὄντες], ut proselyti fierent, venerant ad solemnitatem et fama commoti dicunt: *Volumus Iesum videre.*

[3] Vers. 5; sequitur 15, 24.

[4] Ed. *quod ex una parte.*

[5] Chrysost., in Ioan. homil. 66. (alias 65.) n. 2: Philippus autem Andream adit, utpote qui ipsum praecederet, et rem ei communicat. Verum non sine cautione nec palam id facit; audierat enim: *In viam gentium ne abieritis* [Matth. 10, 5.]. Ideo rem cum discipulo communicatam Magistro refert; ambo enim id retulerunt ei.

[6] Secundum Chrysost., loc. cit. in nota praeced.; cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 51. n. 8.

[7] Cfr. supra n. 28. — Codd. D L *praedictae,* M *praedictus.*

[8] Vers. 25; duae seqq. partes habentur v. 27. et 28.

[9] Vers. 36.

[10] Vers. 51. — Sequitur Ps. 147, 14, in quem locum August. (n. 21.): Qui ibi [in patria] erit adeps frumenti nisi panis ille, qui descendit de caelo ad nos? In patria ipsa quomodo saturabit qui in peregrinatione sic pavit? — Superius voci *puritatem* ed. cum Gorrano praefigit *eius,* et subinde pro *sic et Christi caro, qui* substituit *sicut est caro Christi, quae.*

[11] Psalm. 87, 8. seq. — Superius pro *vilitatem* M *humilitatem.*

[12] Vers. 10. — Sequitur Isai. 60, 5. — August., Enarrat. in Ps. 59. n. 9: Cecidit ergo in terram Christus in passione, et secuta est fructificatio in resurrectione... Pendebat et conte-

consummare »; Isaiae sexagesimo: « Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi ».

Qui amat animam suam. Hic tangitur secun-
Secundum. dum, scilicet *ad passionem imitandam exhortatio;* et exhortatur, proponens *commodum* et *exemplum.*
Ratio 1. Propter *commodum et incommodum* dicit: *Qui amat animam suam perdet eam;* et *animam* vocat vitam corporalem, sicut infra decimo tertio [1] dixit Petrus: « Animam meam ponam pro te ». *Et qui odit animam suam in hoc mundo,* dando scilicet eam pro Christo, *in vitam aeternam custodit eam;* Matthaei decimo sexto [2]: « Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam, et qui perdiderit eam propter me inveniet eam ». Augustinus: « Si cupis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo. Felices, qui vitam custodiunt perdendo, ne perdant
Ratio 2. amando ». Ad hoc idem hortatur *per exemplum:*

38. (Vers. 26.). *Si quis mihi ministrat, me sequatur,* sicut servus Dominum suum, alioquin non est verus servus; *sequatur,* scilicet per passionis vestigia; primae Petri secundo [3]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius »; ut, sicut imitatur in poena, sic et in gloria. Propter quod subdit: *Ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus* [4]; secundae ad Timotheum secundo: « Fidelis sermo: Si commortui sumus, et convivemus; si compatimur, et conregnabimus »; ideo *fidelis,* quia promissus a Domino; Apocalypsis tertio: « Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo ». Ne aliquis dedignetur sibi ministrare, subdit honoris culmen: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus;* quia ipse honorificavit me; primi Regum secundo [5]: « Qui honorificaverit me, honorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles ». *Honorificabit,* inquam, quia de servo faciet filium; ad Romanos octavo: « Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; quodsi filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ».

39. (Vers. 27.). *Nunc anima mea turbata* Tertium. *est* etc. Tangitur hic tertium, scilicet pro *vocandis exoratio;* et cum Dominus sit inter duo positus, quia caro refugiebat mortem; oportebat, eum pro illa orare; sed quia rursus propter salutem nostram venerat, praefert orationem pro nostra conversione orationi pro sua liberatione, pro qua orat primo; unde dicit: *Nunc anima mea turbata est,* scilicet timore mortis; Matthaei vigesimo sexto [6]: « Coepit turbari et moestus esse ». *Et quid dicam?* Quasi dicat: nunquid pro ipsa petam, ut mortem evadam? Petam quidem, ut infirmitatem ostendam; propter quod dicit: *Pater, salvifica me ex hac hora,* scilicet passionis; Matthaei vigesimo sexto [7]: « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ». Sed hoc non petiit, ut exaudiretur; propter quod subdit: *Sed propterea veni in hanc horam,* ut scilicet moriar, ideo de hoc nolo exaudiri [8], sed de hoc:

40. (Vers. 28.). *Pater, clarifica nomen tuum;* et hoc est petere, ut nomen Dei notum fiat gentibus per passionem. Orat pro *nobis,* pro quibus etiam se offert; unde ad Hebraeos quinto [9] de Christo dicitur: « In diebus carnis suae preces supplicationesque ad Deum, qui posset eum salvare a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia ».

Venit ergo vox de caelo. Tangitur hic ultimum, Quartum. scilicet *exauditio,* in cuius signum dicit: *Vox de caelo venit, dicens* [10]: *Et clarificavi,* scilicet per opera miraculosa, *et iterum clarificabo,* per opera mirabiliora, sicut sunt nostra redemptio et Christi ad caelos sublimatio. A Patre facta est clarificatio; unde ad Hebraeos quinto [11]: « Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te ». Unde haec vox Patri attribuitur, sicut Matthaei tertio in baptismo, Matthaei decimo septimo in transfiguratione et nunc. Unde vox Christo testimonium perhibuit in *adventu* sive incarnatione, in *passione* Notandum. et in *resurrectione.*

---

mnebatur; granum erat intus, habebat vires trahendi post se omnia. Quomodo in grano numeri seminum latent, abiectum nescio quid apparet oculis, sed vis convertens in se materiam et proferens fructum abscondita est; sic in Christi cruce abscondita erat virtus, apparebat infirmitas etc.

[1] Vers. 37. — Cfr. infra n. 41; II. Sent. d. 19. dub. 1. et III. Sent. d. 28. q. 4. ad 1. — Superius ed. cum Gorrano omittit *et incommodum.*

[2] Vers. 25. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 51. n. 10, ubi textus originalis post *pro Christo* plura addit, et pro *custodiunt perdendo* substituit (ita etiam ed.) *oderunt custodiendo.*

[3] Vers. 21.

[4] Vulgata: *et ubi sum ego, illic et minister meus erit.* — Sequuntur II. Tim. 2, 11. seq. et Apoc. 3, 21.

[5] Vers. 30. — Subinde allegatur Rom. 8, 16. seq. — Inferius pro *Honorificabit* (M addit *eum*), ed. *Honorificabitur.*

[6] Vers. 37.

[7] Vers. 39. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 52. n. 3, ubi his verbis subiungit: Hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic contristatum et conturbatum quod sequitur dicere: *Verumtamen, non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanae voluntas divina praeponitur.

[8] Chrysost., in Ioan. homil. 67. (alias 66.) n. 2: *Propterea veni in horam hanc,* ac si diceret: Etiamsi turbemur et consternemur, mortem ne fugiamus... Non dico: Libera me ex hac hora, sed *Pater, clarifica nomen tuum...* id est, duc in crucem... et hoc [clarificari nomen Patris] post crucem contigit. Futurum erat, ut orbis converteretur ac nomen Dei cognosceret etc.

[9] Vers. 7. Cfr. infra n. 42.

[10] Vulgata omittit *dicens.*

[11] Vers. 5. — Subinde allegantur Matth. 3, 17. et 17, 5.

QUAESTIONES.

41. Quaest. I. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Qui amat animam suam perdet eam.* — Sed omnes amant animam suam, quia dicitur ad Ephesios quinto [1]: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit* etc.: ergo multo minus *animam odit.*

Resp. 1. Respondetur, quod *anima* dat intelligere *vitam* secundum triplicem differentiam: et haec uno modo
Triplex vita: vita carnalis. dicitur vita *carnalis*, secundum quod dicitur [2], quod *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei.* Et haec non est amanda, quia sic importat vitium; unde Ecclesiastici decimo octavo: *Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* —
Vita naturalis. Alio modo dicitur anima vita *naturalis*, secundum illud infra decimo tertio [3]: *Animam meam ponam pro te.* —
Vita spiritualis. Tertio modo, vita *spiritualis*, secundum illud Psalmi [4]: *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* — Modo dicitur de
Non probatur vita, secundum quod sonat in *vitium.* — Sed hoc non solvit, quia Dominus hortatur ad mortem: ergo vult, quod homo det se morti, et ita habeat odio vitam *naturalem.* Quod si ita est, videntur mereri qui se interficiunt, ut Christo obediant. — Sed hoc manifeste falsum, quia nulli licet interficere se ipsum, sicut probatur primo de Civitate Dei [5].

RESPONDEO: Dicendum, quod intelligit de vita
Resp. auctoris. *naturae.* Sed attendendum, quod non est *absolute* accipiendum *amare* nec *odire*, sed *in respectu*, ut scilicet ille dicatur *amare*, qui magis eam diligit quam divinum praeceptum implere; *odire* vero, qui magis implere praeceptum quam servare vitam. Unde non tenetur quis mori vel se occidere nec in mortem se praecipitare debet; unde Augustinus [6]: « Si cogatur homo alterum eligere, mortem comminante persecutore, potius eligat Deo dilecto mori quam offenso vivere ».

42. Quaest. II. Item quaeritur de hoc, quod petit *salvari ex hora mortis.*

1. Ipse sciebat, quod Deus nolebat exaudire: ergo indiscrete petebat.

2. Item, hoc petiit et non fuit exauditus: constat ergo, quod non in omnibus est exauditus. — Contrarium supra undecimo [7]: *Ego sciebam, quod semper me audis.*

3. *Si dicas,* quod petitio ista fuit *sensualitatis; contra:* Sensualitas non se convertit ad Deum Patrem: ergo si fuit, fuit *rationis.*

RESPONDEO: Dicendum, quod in Christo duplex Resp. cum distinctione. fuit voluntas, scilicet *rationis* et *sensualitatis.* Voluntas *rationis* semper conformis est Deo in *volito*, et propterea semper exauditur; sed voluntas *sensualitatis* in *volito* discordat a voluntate Dei, sed non in *modo volendi;* et ideo voluntas *sensualitatis* in Christo non est semper assecuta quod voluit, quia non evenit, nisi quod Deus voluit. — Petitio ergo ista Ad 2. non fuit ex voluntate *rationis* procedens, sed *sensualitatis;* et ideo non est exaudita [8].

1. Quod ergo obiicitur: ad quid petebat? di- Ad 1. cendum, quod sicut Dominus aliqua *praecipit* non ad *implendum*, sed *nos instruendum;* sic aliquid *petiit* non ad *impetrandum*, sed *nos instruendum.* Et instruxit nos in hac petitione, quod licet nobis Docuit tria. voluntate *sensualitatis* aliquid proprium velle; et iterum, quod ipsa subdenda est voluntati divinae; et iterum, quod diffidere non debemus, si formidamus mortem.

3. Quod obiicitur, quod *ratio* petiit; dicendum, Ad 3. quod sermo ille formatus est secundum imperium rationis, et ratio proposuit petitionem. Et sicut advocatus aliquando non petit pro se, nec quia illud velit, sed pro alio, et quia alius vult; sic et *ratio* pro *sensualitate* petebat; nec hoc volebat, immo potius mori pro salute nostra [9].

43. *Turba ergo, quae stabat.* Postquam deter- Tertio, de fructificationis explanatione quatuor. minata est passionis futurae fructificatio, subiungitur hic tertium, scilicet *illius explanatio*, in qua procedit Evangelista hoc ordine. Primo innuitur *turbae admiratio;* secundo *a Christo fit explanatio;* tertio, *turbarum dubitatio;* quarto, *dubitationis amotio.*

(Vers. 29.). Tangitur ergo *turbarum admiratio* Expositio litteralis. Primum. de auditu vocis illius, quia nesciebant, unde esset; propter quod dicit: *Turba ergo, quae stabat et audiebat* [10], illam scilicet vocem; *dicebat tonitruum factum esse*, attendentes vocis magnitudinem et sensibilitatem; et hi erant de Sadducaeis, de quibus Matthaei vigesimo secundo et Actuum vigesimo tertio: « Non dicunt esse Angelum neque spiritum » *Alii* vero *dicebant: Angelus ei locutus est*, atten-

---

[1] Vers. 29.

[2] Epist. I. Cor. 2, 14. — Sequitur Eccli. 18, 31. — Superius post *dicitur* ed. cum nonnullis codd. addit *anima.*

[3] Vers. 37.

[4] Psalm. 10, 6. — Subinde pro *Modo dicitur* [multi codd. *dicunt*] *de vita* [ed. *de anima*] B *Hic Dominus dicit de vita*, Gorranus: *Hic autem loquitur Christus de anima*, F omittit *Modo.*

[5] Cap. 20. seqq. Cfr. in Ioan. Evang. tr. 51. n. 10: Sed vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi... flammis se donant, aquis praefocant, praecipitio collidunt et pereunt. Hoc Christus non docuit [libr. de Haeresibus, c. 69, ubi narrat, quod *Circumcelliones* hoc modo fecerunt].

[6] In Ioan. Evang. tr. 51. n. 10, ubi pro *potius... mori* textus originalis *ibi... emori.* Cfr. III. Sent. d. 30. q. 2. — Ed. *sed, ut dicit Augustinus*, quae etiam supra vocibus *magis implere* interserit cum Gorrano *velit;* in textu supple: diligit.

[7] Vers. 42.

[8] Cfr. III. Sent. d. 17. a. 1. q. 2. et 3.

[9] Plura vide III. Sent. d. 17. a. 2. q. 2. et 3. praecipue in fine, ubi hae obiectiones eodem solvuntur modo. — Vocibus *nec hoc* ed. cum Gorrano interserit *tamen.*

[10] Vulgata *audierat.* — Subinde allegantur Matth. 22, 23. (Sadducaei, qui dicunt, non esse resurrectionem) et Act. 23, 8.

dentes vocis articulationem, tamen eius significatum non intelligebant. Isti erant de secta Pharisaeorum, qui dicebant, Angelos esse; unde Actuum vigesimo tertio [1]: « Quid, si spiritus ei locutus est, aut Angelus »?

44. (Vers. 30.). *Respondit Iesus et dixit.* Tan-
Secundum. gitur hic secundum, scilicet *illius vocis explanatio,* quia ipsi nesciebant, nec propter quid esset facta nec quid significaret; ideo dicit, quare facta est: *Non propter me haec vox venit, sed propter vos,* quia non ad instructionem meam, sed vestram; ideo dat vocis intellectum:

45. (Vers. 31.). *Nunc iudicium est mundi,* scilicet in passione; *nunc princeps huius mundi eiicietur foras,* scilicet qui creditur esse princeps, quia a multis gentibus adorabatur; potius est daemon pessimus reputatus; Lucae undecimo [2]: « Cum fortis armatus custodit atrium suum, si fortior illo supervenerit et vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet ». Et ipse vicit mundum cum suo principe; unde infra decimo sexto: « Confidite, ego vici mundum ». Et modum eiiciendi principem dicit esse per passionem; propter quod dicit:

46. (Vers. 32.). *Et ego, si exaltatus fuero a terra,* per passionem crucis; *omnia traham ad me ipsum,* per fidem et dilectionem; Cantici Canticorum primo [3]: « Trahe me post te »; infra vigesimo primo: « Traxit Simon Petrus rete in terram, plenum magnis piscibus » etc.; supra tertio: « Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis »; et hoc exponit Evangelista:

47. (Vers. 33.). *Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus;* quoniam morte crucis, quae erat vilissima; Sapientiae secundo [4]: « Morte turpissima condemnemus eum ».

48. (Vers. 34.). *Respondit ei turba.* Tangitur
Tertium. hic tertium, scilicet *turbarum dubitatio* quantum ad illos qui in Lege instructi erant: quia audierant Christum immortalem, et hic dicebat, se esse Christum, et dicebat, se moriturum. Propter quod dicunt: *Nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in aeternum.* — Sed ubi hoc in Lege audierant? Quaest. incidens solvitur. Intelligendum, quod Lex hic comprehendit Prophetas; et dicitur Michaeae quinto [5]: « Egressus eius a diebus aeternitatis » etc.; Danielis septimo: « Potestas eius, potestas aeterna, et regnum illius, quod non corrumpetur »; secundi Regum septimo: « Suscitabo semen tuum post te, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum ». — *Et quomodo tu dicis: Oportet, exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?* Hoc Christus modo non dixit sub hac forma, sed supra octavo [6]: « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc *cognoscetis* ». Modo vero dicit: « Et ego, si exaltatus fuero a terra ». Non quaerebant hoc quod audiebant, sed quod prius conceperant.

49. (Vers. 35.). *Dixit ergo eis Iesus.* Tangitur Quartum. hic quartum, scilicet *dubitationis illius amotio;* et ostendit Dominus, quod illa dubitatio non veniebat de malo intellectu, sed de defectu intelligentiae, quia Scriptura utrumque de Christo dicit, et quod aeternus et quod mortalis. Ideo dicit: *Adhuc modicum lumen in vobis est. Lumen est,* quia creditis Christum *aeternum;* sed *modicum,* quia non creditis *moriturum* [7]. Ideo hortatur, ut in fide proficiant, dum tempus habent; propter quod dicit: *Ambulate, dum lucem habetis.* Illud *ambulare* est per fidem ad Christum accedere; Psalmus [8]: « Accedite ad eum, et illuminamini ». Et ratio subditur: *Ut tenebrae vos non comprehendant,* id est excaecatio infidelitatis, de quibus supra tertio: « Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem ». Et periculosum est ab eis comprehendi, quia *qui* [9] *ambulat in tenebris nescit, quo vadat;* Proverbiorum quarto: « Via impiorum tenebrosa; nesciunt, ubi corruant ». Et explanat, quid est quod dixerat *ambulate,* quod est *credite;* unde dicit:

50. (Vers. 36.). *Dum lucem habetis, credite* De filiis lucis. *in lucem, ut filii lucis sitis. Lucis filii* sunt filii Dei, quia ipse « lux vera [10] »; et hoc fit per fidem; supra primo: « Dedit eis potestatem, filios Dei fieri,

---

[1] Vers. 9. — Chrysost., in Ioan. homil. 67. (alias 66.) n. 2: Illi autem tonitruum esse putarunt, vel Angelum ipsi locutum fuisse. Et unde hoc putarunt? Annon clara et conspicua vox fuit? Verum cito avolavit ab illis, utpote crassioribus, carnalibus, segnibus. Alii sonum tantum retinuerunt, alii articulatam fuisse vocem noverant; quid vero significaret, non item. Quid ergo Christus? *Non propter me haec vox venit* etc.

[2] Vers. 21. seq. — Sequitur Ioan. 16, 33. — Superius post *adorabatur* ed. prosequitur *sit* [M et Gorranus *sed*] *potius velut daemon;* nostra lectio confirmatur a plurimis codd., qui etiam omittunt *sed;* Gorranus *sed a nobis potius est;* cum quo congruenter paulo superius ante *scilicet* omisimus *ut,* quod habent ed. et codd.; C *post factus est,* omisso subinde *reputatus.*

[3] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 21, 11. et 3, 14. Cfr. III. Sent. d. 20. q. 5. in corp. ratio tertia.

[4] Vers. 20. Cfr. supra Comment.

[5] Vers. 2. — Sequuntur Dan. 7, 14. et II. Reg. 7, 12. seq. — Superius post *Prophetas* ed. addit *omnemque Scripturam;* cfr. supra pag. 392, nota 3, et Theophylact. in Ioan. 12, 34.

[6] Vers. 28. Ed. praemittit *supra tertio: Sicut Moyses exaltavit... Filium hominis.* — Sequitur Ioan. 12, 32.

[7] Ita exponit August., in Ioan. Evang. tr. 52. n. 13; cfr. infra n. 50. Chrysost., in Ioan. homil. 68. (alias 67.) n. 1, *modicum* non refert ad *lumen,* sed ad *tempus,* quod in Graeco textui Scripturae additur: Μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι; cfr. supra 7, 33; 9, 4. seq. et infra 16, 16.

[8] Psalm. 33, 6. — Sequitur Ioan. 3, 19.

[9] Vulgata, quam sequitur ed. cum C, *et qui.* — Subinde allegatur Prov. 4, 19. — Superius pro *Et periculosum* [multi codd. *periculum*] *est ab eis comprehendi, quia,* ed. cum Gerrano *Et quia periculum est ab eis comprehendi, ideo dicit.* Inferius pro *ambulate* plures codd., ut A C H, *ambulare,* qui etiam subinde cum non paucis aliis substituunt *credere* pro *credite;* cfr. n. 50. in fine, ubi iterum ed. cum Gorrano legit *ambulate.*

[10] Supra 1, 9, ubi etiam v. 12. est seq. locus.

his qui credunt in nomine eius ». Optime satisfacit, quia ab illa dubitatione non poterant liberari nisi accedendo ad eum per fidem; unde Augustinus [1]: « Accedite, totum intelligite, et Christum moriturum et Christum in aeternum victurum et sanguinem effusurum, quo redimat, et ascensurum ad sublimia, quo perducat ». Hoc est *ambulare*.

Quaestiones.

51. Quaest. I. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Nunc iudicium est mundi;* quia dictum est [2], quod non iudicat quemquam nec venit ad iudicandum.

Respondeo: Est iudicium *condemnationis* et *discretionis* [3]; hoc iudicio iudicatur mundus in passione Christi, per quam discernuntur oves a lupis, non primo iudicio.

Resp. cum distinctione.

52. Quaest. II. Sed quaeritur de hoc quod dicit, quod *princeps huius mundi eiicietur foras.* Quis est iste princeps? — Si diabolus: ergo videtur, quod mundus iste sensibilis pertineat ad dominium diaboli; et tunc vera erit impietas Manichaeorum.

Respondeo: Dicendum, quod *mundus* hic dicuntur mundo dediti per amicitiam. Horum princeps est diabolus, non quoad *naturam*, sed quantum ad *praeexcellentiam in culpa*, quia *ipse est rex super omnes filios superbiae*, Iob quadragesimo primo [4].

Resp.

53. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *eiicietur foras;* quia non videtur; adhuc enim dominatur in his qui mundo dediti sunt, et fortius premit, quia gravius peccant.

Respondeo: Dicendum, quod diabolus dicitur *eiici de mundo*, non quin tentet, sed quod non intrinsecus regnet; nec dicitur *eiici*, quod omnino in nullo intrinsecus regnet, sed quod non in tot; nec ita potestative regnat, quia manum *trahentem* habet abscissam, propter hoc quod *chirographum, quod erat adversum nos* [5], in passione deletum est et affixum cruci. Manus illius *impellens* est debilitata, nostra manus ad resistendum fortificata per fidem; primae Petri ultimo [6]: *Cui resistite fortes in fide.*

Resp.

Duplex manus diaboli.

54. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *omnia trahet ad se;* quia non omnes, nec maior pars, conversi sunt ad fidem, immo sunt [7] plures mali quam boni.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus [8], qui tendunt ad *non-esse* non debent numerari; et tales sunt mali; unde per hoc quod est *omnia* non fit distributio nisi pro *electis*, qui erant Dei filii per electionem; et hos traxit ad se et *congregavit in unum* [9]. — Vel: *omnia traham*, id est de omni gente et regno, non tantum Iudaeos, sed etiam gentiles, sine discretione nationum.

Resp.

Aliter.

55. *Haec locutus est Iesus.* Postquam descripta est futura gentium vocatio et passionis futurae praedictio et expositio; hic quarto innuitur futura *Iudaeorum excaecatio.* Et proceditur in huius rei declarationem [10] hoc ordine. Primo enim innuitur *ipsa excaecatio;* secundo vero, *aliquorum electio;* tertio vero *infirmorum electorum fit confortatio;* quarto vero ipsis *excaecatis infertur comminatio.*

Quarto, de futura Iudaeorum excaecatione quatuor.

(Vers. 36.). *Excaecatio Iudaeorum* innuitur in ipso facto Domini, quod abscondit se ab ipsis Iudaeis, qui ei contradicere coeperant; propter quod dicit: *Haec locutus est Iesus et abiit et abscondit se ab eis.* Augustinus [11]: « Non ab eis qui cum ramis palmarum obviam ei venerunt, sed ab his qui videbant et invidebant »; Deuteronomii trigesimo secundo: « Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum; generatio enim perversa est, et infi-

Expositio litteralis. Primum.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 52. n. 13: *Ambulate*, accedite etc. — Superius post *satisfacit* ed. cum Gorrano addit *eis.*

[2] Supra 3, 17: Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum; 12, 47: Ego non iudico eum, non enim veni, ut iudicem mundum.

[3] Cfr. supra c. 5. n. 53. et 57; c. 8. n. 88. — Mox post *iudicio* B addit *secundo*, ed. *discretionis*, quae etiam inferius post *lupis* prosequitur *priori iudicio condemnationis non.*

[4] Vers. 25. Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1. ad 1-3, ubi simili modo haec Manichaeorum obiectio solvitur. — Superius post *amicitiam* ed. addit *et ambitionem.*

[5] Coloss. 2, 14. — Superius *potestative regnat* H *potestative regnet.*

[6] Vers. 9. — Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 3. in corp., ubi dicitur: Diabolus enim ante passionem Christi habebat duplicem manum, videlicet *attrahentem* et *impellentem;* manus *attrahens* erat potestas trahendi ad limbum etiam iustos et sanctos; manus *impellens* erat potestas praecipitandi in malum... Et prima manus, scilicet *attractiva*, erat tantae potentiae, ut nullus posset ei resistere; et haec fuit ei omnino amputata etc. Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 124. *Additio* 1: *Trahentem* amisit, *impellentem* habet; hoc significatur per draconem, qui cum aliis tribus diebus in Ascensione portatur ante processionem, in secundo die sequitur.

[7] Ita D N; alii codd. et ed. *immo semper.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 1. n. 13: Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, cum peccant; cfr. supra Comment. in Sap. 3, 17, ubi haec verba simili modo adhibentur, quo hic. Tract. 52. n. 11. triplicem explicationem exhibet August., quia non dixit *omnes*, sed *omnia*, « non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturae integritatem, id est spiritum et animam et corpus, et illud quo intelligimus, et illud quo vivimus, et illud quo visibiles et contrectabiles sumus. Qui enim dixit [Luc. 21, 18.]: *Capillus capitis vestri non peribit*, omnia trahit post se. Aut si *omnia* ipsi homines intelligendi sunt, omnia praedestinata ad salutem possumus dicere, ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cum supra [10, 28.] de suis ovibus loqueretur. Aut certe omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in aetatibus omnibus... et quidquid aliud dici potest secundum innumerabiles differentias, quibus inter se *praeter sola peccata* homines distant... *omnia*, inquit, *traham post me;* ut sit caput eorum, et illi membra eius ». Cfr. supra pag. 332, nota 3. Vide etiam III. Sent. d. 22. q. 5. in corp. verba Gregorii.

[9] Ioan. 11, 52.

[10] Ed. cum Gorrano *declaratione*, C N legunt *Et proceditur circa hoc sic.*

[11] In Ioan. Evang. tr. 52. n. 14, ubi textus originalis, quem sequitur ed., post *palmarum* addit *et laudibus.* — Sequitur Deut. 32, 20.

deles filii ». Et ista absconsio corporalis signum erat absconsionis spiritualis [1]; et hoc innuit littera sequens:

56. (Vers. 37.). *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum;* sicut fuit signum de suscitatione Lazari; *non* tamen *credebant,* quia malitia eorum non sinebat; Sapientiae secundo [2]: « Excaecavit eos malitia eorum ». Nec hoc casu gestum est, sed a Domino praevisum et per Prophetam Isaiam praedictum; propter quod dicit:

57. (Vers. 38.). *Ut sermo Isaiae Prophetae impleretur, quem dixit* [3]: *Domine, quis credidit;* quasi dicat: rarus, vel nullus; *auditui nostro* id est, ei quod audivimus a Domino; vel ei quod audit a nobis prophetantibus, quia « fides ex auditu », ad Romanos decimo. *Et brachium Domini cui revelatum est?* Brachium Domini, ut dicit Augustinus [4], est Filius Patris. « Sicut enim tuum brachium est, per quod operaris, ita Dei brachium dictum est Verbum, per quod operatus est mundum. Hoc brachium nec porrectum extenditur nec collectum contrahitur ». Nec solum fuit praevisum, sed etiam evenit iusto Dei iudicio; propter quod subdit:

Quid brachium Domini.

58. (Vers. 39.). *Propterea non poterant credere,* in eum, quia scilicet excaecati erant, et hoc dixit Isaias; ideo subdit: *Quia iterum dixit Isaias:*

59. (Vers. 40.). *Excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum;* Isaiae sexto [5]: « Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava et oculos eius claude » etc.; et ad Romanos primo: « Tradidit eos Deus in reprobum sensum ». *Ut non videant oculis et non intelligant corde et,* intelligendo, *convertantur, et,* convertendo, *sanem eos;* Ieremiae tertio [6]: « Convertimini ad me, et sanabo aversiones vestras ». Et ne credas auctoritatem istam usurpatam, subdit:

60. (Vers. 41.). *Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius et locutus est de eo;* Isaiae sexto [7], ubi dicitur, quod « vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra maiestate eius ».

61. (Vers. 42.). *Verumtamen ex* [8] *principibus.* Tangitur hic secundum, scilicet *quorundam electio;* ideo adversative dicit: licet dictum sit, quod non crediderunt, *verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum;* ad Romanos undecimo: « In hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt ». Sed tamen non erant in fide perfecti; propter quod subdit: *Sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut de* [9] *synagoga non eiicerentur;* supra nono: « Iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret ». Et hoc quidem timebant tanquam imperfecti; propter quod subdit rationem timoris:

Secundum.

62. (Vers. 43.). *Dilexerunt enim magis gloriam hominum quam gloriam Dei;* et stulte egerunt, secundum quod dicitur primi Machabaeorum secundo [10]: « A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis est; hodie extollitur et cras non invenietur »; Psalmus: « Dissipavit ossa eorum qui hominibus placent » etc.; ad Galatas primo: « An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ».

63. (Vers. 44.). *Iesus autem clamavit et dixit.* Tangitur hic tertium, scilicet *infirmorum in fide fortificatio,* quae fit affectuosa Christi exhortatione, qua sublevat mentes credentium ad dignitatem Divinitatis. Propter quod dicit: *Qui credit in me non credit in me,* secundum naturam visibilem, *sed in eum qui misit me* [11]; vel: credendo non honorat me tantum, sed eum qui misit me; in quo ostendit, quod credere in se non est credere in hominem, sed in Deum; et hoc manifestat:

Tertium.

64. (Vers. 45.). *Et qui videt me videt eum qui misit me;* ergo unum sunt in essentia mittens et missus, quia qui videt unum videt et alium. Unde infra decimo quarto [12]: « Philippe, qui videt me videt et Patrem meum ». Et ratio est *unitas essentiae,* « quia ego in Patre, et Pater in me est »; et ipse *Filius* est *ratio videndi Patrem,* sicut verbum, dicentem, sicut splendor, lucem. Propter quod dicit:

65. (Vers. 46.). *Ego lux veni in mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat,* sed videat et ipse etiam lux fiat; ad Ephesios quin-

---

[1] Glossa *interlinearis: Abscondit se ab eis,* sicut corporaliter, sic et spiritualiter. Cfr. Rupert. abbas Tuitiens., in hunc locum.

[2] Vers. 21. — Superius vocibus *non sinebat* ed. cum C praefigit *eos credere.*

[3] Cap. 53, 1. — Subinde allegatur Rom. 10, 17.

[4] In Ioan. Evang. tr. 53. n. 2. et 3, ubi textus originalis post *mundum* plura addit.

[5] Vers. 10. — Sequitur Rom. 1, 28.

[6] Vers. 22. — Inferius pro *credas* ed. cum Gorrano *credant.*

[7] Vers. 1. et 3.

[8] Vulgata *Verumtamen et ex.* — Inferius allegatur Rom. 11, 5.

[9] Vulgata *ut e.* — Sequitur Ioan. 9, 22.

[10] Vers. 62. seq. — Duo seqq. loci sunt Ps. 52, 6. et Gal. 1, 10. Ed. hunc versum allegat, dum codd. simpliciter legunt *Gal. 1;* immo C M et Gorranus omittunt etiam *Gal. 1.* Cfr. August., in Ioan. tr. 53. n. 13: Videte, quemadmodum notaverit Evangelista et improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanae gloriae proficiendo superarent, quem superaverat Apostolus, dicens [Gal. 6, 14.]: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* etc.

[11] Ita August., in Ioan. Evang. tr. 54. n. 2. Chrysost., in Ioan. homil. 69. (alias 68.) n. 1: *Qui credit in me...* ac si diceret: Cur timetis in me credere? Fides per me transit in Deum, ut etiam incredulitas. Cfr. infra n. 71.

[12] Vers. 9; sequitur v. 10. — Chrysost., in Ioan. homil. 69. (alias 68.) n. 1: Et quid sibi vult illud *Qui credit in me?* Ac si quis diceret: Qui aquam de flumine tollit, non de flumine, sed de fonte accipit. Immo infirmius hoc exemplum est ad rem propositam. *Ego lux in mundum veni.* Cum enim Pater et in veteri et in nova lege sic appelletur, et hoc ipse utatur nomine; ideo Paulus hinc edoctus *splendorem* vocat illum [Hebr. 1, 3.]... *Lucem* porro se vocavit, quod ab errore liberet et quod spirituales solvat tenebras.

to[1]: « Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino »; et hoc credendo in eum, de quo dicitur ad Hebraeos primo: « Cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius » etc.

66. (Vers. 47.). *Et si quis audierit verba mea.* Quartum. Tangitur hic quartum, scilicet *contra non credentes facta comminatio;* et simul in comminatione ostendit Duo ostendit. *suam benignitatem* et *iudicii severitatem.* Propterea dicit: *Si*[2] *quis audierit verba mea et non custodierit ea, ego non iudico eum,* id est, non condemno, et hoc propter meam *benignitatem: Non enim veni,* in mundum, *ut iudiçem mundum, sed ut salvificem mundum;* supra tertio[3]: « Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum »; Lucae nono: « Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare ». Nec tamen effugient *severitatem iudicii;* propter quod dicit:

67. (Vers. 48.). *Qui me spernit et non accipit verba mea habet qui iudicet eum.* Et quis sit ille Quomodo sermo iudicet. qui iudicat, ostendit: *Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die;* Matthaei vigesimo quarto[4]: « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt »; immo « stabunt, sicut dicit Chrysostomus, in ordine accusationis, redarguentia eos et omnem abscindentia excusationem »; Matthaei quinto: « Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via » etc., intelligitur de sermone Christi. Et quod sermo suus habeat virtutem iudicandi eos, manifestat: quia non est sermo humanus, sed divinus et verus; propterea dicit:

68. (Vers. 49.). *Quia ego a me*[5] *ipso non sum locutus,* sicut vane gloriosus, de quo supra: « Qui a semetipso loquitur gloriam propriam quaerit »; *sed qui misit me Pater, ille mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar.* Et ideo ego loquor secundum mandatum eius.

69. (Vers. 50.). *Et scio, quia mandatum eius est vita aeterna;* unde Matthaei decimo nono[6]: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata »; Deuteronomii trigesimo: « Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum, et diligas Dominum Deum tuum atque obedias voci eius »; et ideo a mandato eius non declino. Propter quod dicit: *Quae ergo loquor ego, sicut dixit mihi Pater, sic loquor;* quia ipse loquens homo per omnia se divino mandato et voluntati conformabat; supra octavo[7]: « Quae audivi a Patre loquor in mundo ». Et ideo ex hoc vult habere, quod sermo suus non est spernendus, sed accipiendus ut sermo divinus; sicut de bonis dicitur primae ad Thessalonicenses secundo[8]: « Cum accepissetis verbum auditus Dei, accepistis illud non sicut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis ». Notandum.

Quaestiones.

70. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit, quod *non poterant credere, quia Isaias dixit: Excaecavit* etc. — Videtur primo, quod male dicat, quia, si non poterant credere, ergo non erat eis imputandum in peccatum.

---

[1] Vers. 8. — Sequitur Hebr. 1, 3, quem ed. integre allegat et subiungit seq. schema, quod etiam cod. E in marg. exhibet: Notandum autem,

quod Christus venit
- ut lux ad dirigendum, Ioan. 12, 46: « Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat ».
- ut salvifer ad liberandum, unde dictus est *Iesus;* Lucae 9, 56: « Non venit Filius hominis animas perdere, sed salvare ». Et Ioan. 12, 47: « Non veni in mundum, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum ».
- ut amicus ad convescendum, Lucae 11, 5. seq.: « Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus », id est, Christus, « venit ad me de via ».
- ut sponsus ad cohabitandum, Matth. 25, 6-10. dicitur virginibus: « Ecce, sponsus venit, exite obviam ei » etc. « Et quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias ».
- ut rex ad praesidendum, Zach. 9, 9: « Exsulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: Ecce, rex tuus veniet tibi ».
- ut iudex ad retribuendum, Isai. 3, 14: « Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui et principibus eius ».

[2] Vulgata *Et si,* quae etiam subinde omittit *ea.*

[3] Vers. 17. — Sequitur Luc. 9, 56. — August., in Ioan. Evang. tr. 54. n. 5: Nunc ergo est tempus misericordiae, post erit iudicii.

[4] Vers. 35. — Subinde allegantur Chrysost. in Ioan. homil. 69. (alias 68.) n. 2. et Matth. 5, 25, quem locum August., Serm. 9. (alias 96. de Tempore), c. 3. n. 3; Serm. 109. (alias 1. de Verbis Domini), c. 3. n. 3; Serm. 251. (alias 4. de Diversis), c. 8. n. 7. et I. de Sermone Domini in monte, c. 11. n. 31. seq., intelligit de sermone Dei et praeceptis Dei; sic primo loc. cit. ait: Ergo quis est adversarius? Sermo Dei. Sermo Dei adversarius tuus est. Quare adversarius est? Quia contraria iubet, quam tu facis etc. Cfr. Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Luc. 12, 58, et Bernard., Serm. 124. de Diversis, n. 1.

[5] Vulgata *ex me,* quae etiam inferius *ipsę mihi* pro *ille mihi* — Sequitur Ioan. 7, 18.

[6] Vers. 17. — Subinde allegatur Deut. 30, 19. seq.

[7] Vers. 26. — S. Thom., in Ioan. 12, 50. lect. 7. n. 3: *Quae ergo ego loquor...* Quod secundum Chrysostomum [in Ioan. homil. 69. alias 68. n 2.] planum est; ut sit sensus: *Quae ego loquor,* exterius praedicando, *sicut dixit mihi Pater, sic loquor,* id est, in quantum accepi notitiam ab eo; ut intelligantur de Christo secundum quod homo. Sed si intelligantur secundum Augustinum [in Ioan. Evang. tr. 54. n. 8.] de Christo secundum quod Filius Dei, quomodo dicit ei Pater, cum ipse sit Verbum? Ad quod dicendum, quod non ita dixit ei, quasi per verba locutus sit unico Verbo suo, sed sic dixit Pater Filio, sicut generavit eum Pater et sicut *dedit ei vitam habere in semetipso* [supra 5, 26.] Psalm. 2, 7: *Dominus dixit ad me* etc. Cfr. supra pag. 311, nota 1. — Superius pro *loquens homo* ed. *ut homo loquens.*

[8] Vers. 13.

Ad hoc respondet Chrysostomus [1]: « Non poterant, id est, non volebant ».

Resp. 1, non probata.

Sed illud non solvit [2]: 1. quia tunc facile esset omnia solvere; quare non dixit Evangelista: non volebant, cum ita bene haberet ad manum?

2. Item, esto quod is esset sensus: non volebant credere; quia Isaias dicit: *Excaecavit oculos eorum*, tunc videtur, quod Deus sit causa malae voluntatis eorum.

Resp. auctoris cum distinctione.

Respondeo: Dicendum, quod *aliquid non posse* dicitur dupliciter: aut quia *nullo modo* potest, aut quia *cum magna difficultate* potest; sic dicitur, quod vir assuetus in malo non potest bene facere; Ieremiae decimo tertio [3]: « Si mutare potest Aethiops pellem suam, et pardus varietatem suam; sic vos potestis bene facere, cum didiceritis malum ». — Secundum istam viam dicitur, quod vir excaecatus non potest credere; et Evangelista hoc vult dicere, quod non poterant credere, quia *excaecati* erant, sicut praedixerat Isaias; non quod *praedictio* Isaiae fuerit causa, sed *propria malitia* et *divinum iudicium*, iudicium scilicet desertionis. Augustinus [4]: « Excaecat et obdurat Deus *deserendo, non adiuvando;* quod occulto iudicio fieri potest, non tamen iniusto ».

Notandum.

71. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui credit in me non credit in me* etc. — Videtur hic contradictio. — *Si tu dicas*, quod debet intelligi *tantum*, ut sit sensus: qui *credit* in me non credit in me tantum, sed etiam in eum qui misit me [5]; secundum istam viam deberet similiter dicere: qui *videt* me non videt me tantum, sed eum qui misit me.

Resp. 1.

Respondeo: Dicendum, quod *fides* distinguit articulos, et quando quis cogitat de uno articulo, non cogitat de alio, immo aliqui credunt unum, qui non credunt alium; sed in *visione*, quia una est essentia, qui unam videt personam omnes videt. Ideo in *visione unit: qui videt me videt et Patrem* [6], quia impossibile est unum videre sine alio. Sed in *credulitate distinguit* et *solitudinem excludit:* qui credit in me non in me solum credit, sed in me et in eum qui misit me.

Fides distinguit articulos, sed visio unit.

Resp. altera.

Aliter potest dici, quod est credere *auctoritati*, sed videre vel intelligere *rationi* [7]. Quia ergo *auctoritas* et potentia est in Patre per appropriationem, ratione cuius est credere; ideo Filius *credere* appropriat ad Patrem; et sic dictum est [8], quod *Pater trahit ad Filium;* sed in *videndo* et *revelando* Filius ducit ad Patrem ut verbum et lumen; et ideo *videre* non sic appropriat Patri, quemadmodum *credere*, cum dicit: *Qui credit in me* etc.

Capitulum XIII.

Tertio, de discipulorum confirmatione ponuntur tria.

1. *Ante diem festum Paschae.* Determinata sunt duo praeambula ad passionem, scilicet Iudaeorum conspiratio et passionis praedictio; ita hac parte sequitur determinandum tertium, scilicet *discipulorum confirmatio* [9]. Discipulos autem Dominus confirmat et munit contra instantem tribulationem primo *humilitatis exemplo;* secundo, *eruditionis et consolationis verbo*, in principio decimi quarti capituli, ibi [10]: *Non turbetur cor vestrum;* tertio vero, *orationis subsidio*, in principio decimi septimi: *Haec locutus est Iesus et sublevatis* etc.

Primo confirmantur discipuli humilitatis exemplo quadruplici ter.

Praesens igitur capitulum, in quo Dominus confortat discipulos suos *exemplo*, habet quatuor particulas secundum quatuor, quae ibi tangit. Primo enim *proponit exemplum;* secundo *hortatur ad imitandum*, ibi [11]: *Postquam ergo lavit* etc.; in tertia *ostendit* sive detegit *Iudae perversitatem* ad deviandum, ibi: *Haec cum dixisset, turbatus est spiritu;* in quarta vero *ostendit discipulorum infirmitatem* ad se per passionem sequendum, ibi: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.*

---

[1] In Ioan. homil. 68. (alias 67.) n. 2: Illud autem *Non potuerunt*, id est, noluerunt. Nec mireris; nam alibi [Matth. 19, 12.] ait: *Qui potest capere, capiat* etc. Idem dicit August., in Ioan. Evang. tr. 53. n. 6.

[2] Ed. *non plene solvit.*

[3] Vers. 23. — De hac duplici impossibilitate cfr. Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 111. (c. 11.), cuius verba attulimus tom. II. pag. 991, nota 3.

[4] In Ioan. Evang. tr. 53. n. 6, ubi textus originalis ultima verba sic exhibet *quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* (Ed. ex n. 9. addit: Sicut ergo quod Dominus negare se ipsum non potest, laus est voluntatis divinae; ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanae). — Chrysost., in Ioan. homil. 68. (alias 67.) n. 2: « Ecce, iterum hoc *quia* et *dixit* non causales sunt voces, sed eventum significantes. Neque enim *quia id dixit* Isaias, ideo non crediderunt, sed quia crediturі non erant, ideo haec dixit Isaias » etc. August., loc. cit.: *Non poterant credere*, quia hoc Isaias Propheta praedixit; hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. *Quare* autem non poterant... quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus etc.

[5] Sic textus Arabicus, in *Biblia maxima* etc. Ioan. de la Haye.

[6] Infra 14, 9, cuius explicationem vide et ibid. quaest. 4. n. 19, ubi dicitur: Nullus perfecte credit in Filium, quin etiam in Patrem. — Cod. B addit *meum.*

[7] Secundum August.; cfr. supra pag. 243, nota 6.

[8] Supra 6, 44. — De seq. propositione cfr. supra n. 64.

[9] Cfr. supra c. 11. n. 64. divisio 2.

[10] Cap. 14, 1; seq. pars incipit 17, 1.

[11] Vers. 12; duae seqq. partes incipiunt v. 21: *Cum haec dixisset Iesus, turbatus est* etc., et v. 33: *Filioli* etc.

Exemplum igitur, quod *proponit* imitandum, hoc ordine describitur. Primo ostenditur *temporis congruitas;* secundo vero, *Christi humilitas;* tertio, *Petri reverentia;* quarto, *ipsius obedientia.*

Primo, de exemplo proposito quatuor.

2. (Vers. 1.). *Temporis opportunitas* ostenditur in hoc, quod iam tempus mortis instabat, propter quod specialia signa dilectionis ostendere debebat. Propterea dicit: *Ante diem festum paschae,* id est ante primam diem azymorum, cuius vespera erat decima quarta luna ad vesperam, quando agnus immolabatur [1]. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Pascha *transitus* est; et ideo Dominus mori voluit in paschate, quia suum *mori* transire fuit. Iste transitus significatus est per transitum maris rubri, de quo primae ad Corinthios decimo [2]: « Patres nostri omnes mare transierunt » etc. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* id est, tunc praecipua signa dilectionis ostendit. Augustinus [3]: « Absit, ut dilectionem morte finierit qui non est morte finitus »; et « Non est iste finis consumens, sed consummans ». *Suos* Dominus diligit; Isaiae quadragesimo nono [4]: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui »? *Tempus* tangitur et *hora* temporis:

Expositio literalis. Primum.

3. (Vers. 2.). *Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor* [5], id est, suggessisset, *ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae;* quia tunc definierat eum tradere, ex qua traditione Christus non est minoratus, sed sublimatus; unde et subdit:

4. (Vers. 3.). *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus,* secundum illud Matthaei ultimo [6]: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra »; *et* sciens, *quia a Deo exivit et ad Deum vadit,* secundum illud infra decimo sexto: « Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem ». Hoc *sciens,* id est mortem suam instare praecognoscens,

5. (Vers. 4.). *Surgit a coena,* ut exemplum praebeat; quia iam temporis opportunitas aderat, sicut dictum est ministro Ecclesiae Actuum duodecimo [7]: « Surge velociter ».

Et ponit vestimenta sua. Tangitur hic secundum, scilicet *Christi humilitas,* quia deponit vestimenta, ut sit *expeditus* sicut minister; ideo dicit: *Ponit vestimenta sua;* sit etiam *paratus* ut minister; propterea dicit: *Et cum accepisset linteum, praecinxit se;* Lucae duodecimo [8]: « Amen dico vobis, quod praecinget se » etc. Officium ministri exsequitur; propterea dicit:

Secundum.

6. (Vers. 5.). *Deinde misit* [9] *aquam in pelvim et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat praecinctus.* Hoc est *officium ministri;* tale officium Dominus maiestatis assumsit; Lucae vigesimo secundo: « Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat ». « Filius autem hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis ». Et hoc *humillimum ministerium,* lotio pedum.

7. (Vers. 6.). *Venit ergo ad Simonem Petrum* etc. Tangitur hic tertium, scilicet *Petri reverentia,* qua Domini obsequium refutabat; propter quod dicit: *Venit ad Simonem Petrum,* ut scilicet lavaret. *Et dicit ei Petrus* [10]: *Domine, tu mihi la-*

Tertium.

---

[1] Beda, in Marc. 14, 1: Hoc sane iuxta veteris instrumenti [sive testamenti] scripturam inter *pascha* et *azyma* distat, quod pascha ipse solus dies appellatur, in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est quartadecima luna primi mensis. Quintadecima autem luna, quando egressum est de Aegypto, succedebat festivitas azymorum, quae septem diebus, id est usque ad vigesimum primum diem eiusdem mensis ad vesperam, est statuta solemnitas. Verum Evangelistae indifferenter et diem azymorum pro pascha et pro diebus azymorum pascha ponere solent. Dicit enim Marcus: *Erat autem pascha et azyma post biduum* etc. — Superius post *cuius vespera* ed. addit *prima.*

[2] Vers. 1. Cfr. 14, 22. — Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 1. seq.: Pascha, quod Hebraice dicitur *phase,* non a passione, ut plerique arbitrantur [cfr. Gregor. Nazianz., Orat. 42. sive 2. in Pascha, n. 20; August., in Ioan. Evang. tr. 55. n. 1. ait: Quia enim pati Graece πάσχειν dicitur, ideo pascha passio putata est], sed a transitu [cfr. Exod. 12, 11. seqq.], eo quod exterminator, videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit... Transitus autem noster, id est phase, ita celebratur, si, terrena et Aegyptum dimittentes, ad caelestia festinemus.

[3] In Ioan. Evang. tr. 55. n. 2, ubi affert duplicem explicationem verborum *in finem dilexit eos;* prima respicit *finem intentionis* ex parte nostra, secunda *finem exsecutionis* ex parte sua. *In finem dilexit eos,* id est in se constituens finem ipsorum, ut perduceret in se finem: « Quid est enim *in finem* nisi in Christum? *Finis enim Legis Christus,* ait Apostolus [Rom. 10, 4.], *ad iustitiam omni credenti.* Finis perficiens, non interficiens; finis, quo usque eamus, non ubi pereamus... Ipse est finis noster, in illum est transitus noster ». Subinde refert alteram expositionem, secundum quam *in finem dilexit eos* idem est ac *usque ad mortem dilexit suos:* « Humana est haec sententia, non divina; neque enim nos huc usque ille dilexit, qui semper et sine fine nos diligit. Absit, ut dilectionem morte finierit » etc. De prima expositione cfr. in Epist. I. Ioan. tr. 10. n. 5, ubi exponit Ps. 118, 96: *Omnis consummationis vidi finem,* et distinguit finem *consumentem* et *consummantem:* « Aliter enim dicitur *finivi panem,* aliter, *finivi tunicam.* Finivi panem manducando, finivi tunicam intexendo; et ibi finis sonat, et illic finis sonat, sed tamen panis finitur, ut *consumatur,* tunica finitur, ut *consummetur;* panis finitur, ut non sit, tunica finitur, ut perfecta sit ». Ibid. ostendit, quod Christus cum Patre et Spiritu sancto sit *finis consummans* in patria. — Chrysost., in Ioan. homil. 70. (alias 69.) n. 1: Vide, quomodo relicturus eos vehementiorem amorem exhibeat.

[4] Vers. 15, post quem ed. ita prosequitur: *Sic tactum est tempus, tangitur* etc.

[5] Plures codd. addunt *Iudae.*

[6] Vers. 18. — Sequitur Ioan. 16, 28.

[7] Vers. 7, ubi hoc Angelus Petro in carcere dicit. — Respicitur Matth. 20, 26: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester *minister.*

[8] Vers. 37.

[9] Vulgata *mittit.* — Subinde allegantur Luc. 22, 27. et Matth. 20, 28.

[10] Codd. praefigunt *Simon,* refragantibus Vulgata, ed., Gorrano et iis quae infra n. 10. dicuntur. — Inferius pro *Omnipotens,* quod habet ed. cum pluribus codd. et Gorrano, A B H I K [L *Christe*] *Christus.*

vas pedes? Quasi expavescendo dicit Petrus: *Tu mihi?* Tu Dominus mihi servo? Tu Magister mihi discipulo? Tu Omnipotens mihi misero? Chrysostomus [1]: « Manibus, quibus oculos aperuisti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti, mihi lavas pedes »? Quasi dicat: non audeo pati; et quia in reverentia excedebat, monet eum Dominus, ut desistat propter mysterium; unde sequitur:

8. (Vers. 7.). *Dixit ei Iesus* [2]*: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea;* ideo oportet, te sustinere usque in posterum. Sed Petrus admonitione non flectitur; unde:

9. (Vers. 8.). *Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum.* Et quia in sua sententia permanere decreverat, deterretur comminatione; ideo: *Respondit ei Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum; partem* dicit consortium Dei aeternum, de quo in Psalmo [3]: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei »; et iterum: « Portio mea in terra viventium ».

Quartum. 10. (Vers. 9.). *Dicit ei Simon Petrus.* Tangitur hic quartum, scilicet *Petri obedientia,* comminatione sibi facta. Unde supra dictus est *Petrus:* « Dicit ei *Petrus* »; sed in hac responsione dicitur: « Dicit ei *Simon Petrus* », id est obediens [4], fervens, quia plus offert, quam Dominus praecipiat; unde dicit: *Domine, non tantum pedes meos,* sicut praecipis, lava; *sed et manus et caput.* Unde Simon Petrus vere obediens dicere poterat illud Psalmi [5]: « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum ». Sed quia superius in reverentia errabat, modo vero in obedientia excedebat; ideo *Petrus* supra est territus, sed modo est *Simon* instructus; propter hoc subdit:

11. (Vers. 10.). *Dicit ei Iesus: Qui lotus est,* illa scilicet lotione, de qua dicitur Isaiae primo [6]: « Lavamini, mundi estote »; et Zachariae decimo tertio: « Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris »; Ieremiae quarto: « Lava a malitia cor tuum, Ierusalem, ut salva fias »; ille, inquam, *non indiget, nisi ut pedes lavet,* id est affectus; de quibus Canticorum quinto [7]: « Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos »? Isti pedes magis indigent lavari quam alia membra, propter hoc quod magis uniuntur sordibus; Threnorum primo: « Sordes eius in pedibus eius, et non est recordata finis sui ». *Sed,* quando isti pedes lavantur, tunc *est mundus totus;* Ezechielis trigesimo sexto [8]: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ». *Et vos mundi estis;* ideo non indigetis nisi lotione pedum; infra decimo quinto: « Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis ». Sed ne videatur discipuli facinus ignorare, subdit: *Sed non omnes.* Et rationem, quare hoc dixerat, dicit Evangelista:

12. (Vers. 11.). *Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes.* Ideo Evangelista, ubi loquitur de proditore, ostendit, quod Dominus sciebat, ne aliquis crederet, Christum tanquam hominem posse decipi; supra sexto [9]: « Sciebat Iesus ab initio, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum ».

Quaestiones.

13. Quaest. I. Quaeritur hic de hoc quod dicit, quod coena ista fuit facta *ante diem festum paschae.* — Et ex hoc videtur, quod Dominus confecerit de fermentato. — Sed in contrarium sunt alii Evangelistae [10], qui dicunt, Dominum comedisse pascha secundum morem communem.

Resp. Graecorum. Ad hoc respondent Graeci, sicut dicitur in Glossa [11], quod Dominus praevenit, sicut hic dicitur, diem paschae et confecit de fermentato, et Ioannes corrigit alios Evangelistas.

Reprobatur. Sed insipienter dicunt; quia absit, quod alii Evangelistae in aliquo sint mentiti, cum eodem Spiritu loquerentur [12]. Unde non dicitur hic dies paschae *dies immolationis,* sed *primus inter dies azymorum,* in cuius sero praecedenti immolabatur agnus.

14. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas.*

---

[1] In Ioan. homil. 70. (alias 69.) n. 2.

[2] Vulgata *Respondit Iesus et dixit ei.*

[3] Psalm. 15, 5; sequitur Ps. 141, 6.

[4] Hieron., de Nominib. Hebraicis, de Act. Apost.: *Simonis,* obedientis, sive ponentis tristitiam, aut audientis moerorem.

[5] Psalm. 56, 8. — De seqq. cfr. supra v. 6-8.

[6] Vers. 16. — Subinde allegantur Zach. 13, 1. et Ier. 4, 14.

[7] Vers. 3. — Sequitur Thren. 1, 9. August., in Ioan. Evang. tr. 56. n. 4: Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur et sic afficimur, ut, *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, et veritas in nobis non sit* [1. Ioan. 1, 8.] etc. Cfr. supra pag. 166, nota 7.

[8] Vers. 25. — Seq. locus est Ioan. 15, 3.

[9] Vers. 65.

[10] Matth. 26, 17; Marc. 14, 12. et Luc. 22, 7. — Subinde ex E supplevimus *pascha.*

[11] Scilicet *ordinaria* apud Lyranum (Strabo eam non exhibet) in Ioan. 13, 1: *Ante diem festum,* vocando diem solemnem pascha. Graeci vero diem, qua immolatur agnus, dicunt solummodo vocari pascha, et illa die dicunt Christum crucifixum fuisse ad meridiem; et dicunt, eum anticipasse unum diem ante, ut cum discipulis agnum comederet. Et ad hoc confirmandum haec verba sequentia conducunt [Ioan. 18, 28.]: *Noluerunt intrare in praetorium,* scilicet Pilati domum, *ne contaminarentur, ut comederent pascha,* intelligentes pascha esum agni tantum. Nec erubescunt dicere, alios Evangelistas mentitos, qui dicunt, Dominum communiter cum aliis carnes agni comedisse. Hunc Ioannem vero illos correxisse dicunt. — Inferius voci *diem* ed. praefigit *ante.*

[12] Glossa cit.: Sed errant [Graeci], quia, cum omnes [Evangelistae] eodem Spiritu locutos fuisse constet, si in uno mentirentur, in aliis eis non crederetur. Cfr. IV. Sent. d. 11. p. II. a. 2. q. 1, et Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evang. c. 149.

1. Ergo videtur, quod diabolus sit malarum cogitationum immissor.

2. Et quod sic, videtur; quia ipse est *deus huius saeculi* [1] et *dominatur in filios diffidentiae*, ad Ephesios secundo: ergo sicut Deus electis, in quibus dominatur, immittit bonas cogitationes; sic et diabolus malas.

Sed contra hoc est, quia, si diabolus immittit, ergo velit nolit homo, peccabit: ergo secundum hoc esset superior ipsa mente, quod est contra rationem et Augustinum [2].

Respondeo: Dicendum, quod *mittere in cor* sive immittere dupliciter dicitur: *proprie* et *communiter; proprie immittere* est virtualiter formare intus, et sic est solius Dei; *communiter* vero *immittere* est offerendo suggerere per occasionem. Primo modo non convenit diabolo, secundo modo sic [3]. Resp. cum distinctione.

2. Quod vero obiicitur, quod diabolus regnat; dicendum, quod non regnat propria virtute, sed per consensum pravae voluntatis, quae volens ei consentit, secundum illud Gregorii [4]: « Debilis est hostis contra resistentes, contra consentientes fortis ». Ideo non dicitur *immittere*, sed *suggerere* vel *incendere*. Ad 2.

15. Quaest. III. Item quaeritur de hoc, quod solus Petrus Domino volenti lavare pedes restitit; quomodo omnes nihil dixerunt? Et si omnes tacuerunt, quomodo ipse volebat esse singularis? — *Si tu dicas*, quod Dominus primo venit ad eum, et ipse primo restitit, et post alii sunt correcti; contraria est littera, quia dicitur: *Coepit lavare et tergere;* et post: *Venit ergo ad Simonem Petrum* [5].

Respondet Chrysostomus [6], quod credit, quod prius lavit pedes Iudae, quia ille tanquam praesumtuosus primum locum anticipaverat, et post venit ad Petrum, et ille restitit. — Sed melius dicendum secundum Glossam [7], quod primo venit ad Petrum, et illud dictum est per anticipationem. Resp. 1. Resp. 2. et melior.

16. *Postquam ergo lavit pedes* etc. Postquam posuit exemplum, *hortatur ad imitandum ipsum*, et hoc quidem facit per hunc modum: primo ex consideratione *dignitatis Magistri;* secundo, *magnitudinis praemii;* tertio, *excellentiae meriti.* Secundo, de hortatione ad imitandum tria.

(Vers. 12.). Hortatur ergo ex consideratione *dignitatis Magistri:* quia ipse Magister et Dominus fecit, ideo debent et ipsi facere; et ideo, cum surrexerit ut minister, iam incipit docere ut magister. Ideo et vestimenta resumit, audientiam petit; propter quod dicit: *Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit* [8] *vestimenta sua*, quae scilicet deposuerat, ut serviret; *et cum recubuisset, iterum dicit eis: Scitis, quid fecerim vobis?* Facit eos sollicitos ad attendendum, quia debet docere ut Magister; et est doctrina sua, ut ipsi imitentur; propterea dicit: Expositio litteralis. Primum.

17. (Vers. 13.). *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim.* Est enim *Magister;* Matthaei vigesimo tertio [9]: « Unus est Magister vester, Christus ». Est etiam *Dominus*, unde David vocabat eum *Dominum suum* in Psalmo: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis ».

18. (Vers. 14.). *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister; et vos debetis alter alterius lavare pedes;* ad Philippenses secundo [10]: « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes »; et post: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu » etc. Et ratio huius subditur: quia hoc fecit ad se imitandum. Fecit enim miracula, quae non possumus imitari, quia non fecit in exemplum, sed in potentiae indicium; fecit opera humilia ad imitandum, ut hic; unde: Notandum.

19. (Vers. 15.). *Exemplum* [11] *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis;*

---

[1] Epist. II. Cor. 4, 4. — Sequitur Eph. 2, 2: Qui nunc operatur in filios diffidentiae.

[2] Libr. XI. de Trin. c. 5. n. 8: Qua superior ipse solus est. Cfr. II. Sent. d. 1. p. II. a. 2. q. 2. ad opposit. 1, ubi in nota adiecta plures alii loci August. allati sunt; in responsione ad hanc obiectionem dicitur, quod haec August. verba non de dignitate naturae, sed de causalitate influentiae intelligenda sunt; « nam Deus immediate influit in mentem, et ipsa mens immediate a prima veritate formatur ».

[3] Cfr. II. Sent. d. 8. p. II. q. 4. et 5. Vide etiam ibid. d. 10. a. 2. q. 2. — August., in Ioan. Evang. tr. 55. n. 4: Missio ista spiritualis suggestio est. Cfr. infra n. 43.

[4] Libr. V. Moral. c. 22. n. 43: Antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Cfr. II. Sent. d. 6. dub. 3. et d. 28. a. 2. q. 2. arg. 1. pro parte affirm., ubi Gregorii sententia his exhibetur verbis: *Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem.* Quibus verbis concordat B, qui hic legit: *Debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem.* Alii codd. et Gorranus abbreviate: *Debilis est hostis etc.* — Inferius post *dicitur* ed. addit *proprie.*

[5] August., in Ioan. Evang. tr. 56. n. 1: *Venit ergo ad Simonem Petrum*, quasi aliquibus iam lavisset et post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat, primum Apostolorum esse beatissimum Petrum?

[6] In Ioan. homil. 70. (alias 69.) n. 2: Iure autem quaeras: Cur nullus alium ipsum cohibuit nisi Petrus, quod non parvi amoris reverentiaeque signum fuit? Qua ergo de causa? Videtur mihi primo proditoris pedes abluisse, deinde ad Petrum venisse, aliosque deinceps admonitos fuisse. Quod enim alium quempiam ante illum lavaverit, palam est ex his verbis: *Cum autem venit ad Petrum.* Sed non est vehemens accusator Evangelista. Illud enim *coepit* hoc subindicat. Etiamsi vero Petrus primus esset, verisimile est, proditorem, utpote petulantem, ante coryphaeum accubuisse etc.

[7] Scilicet *interlinearem:* « Non post alios, sed prius ad principem Apostolorum; ideo expavescit, quod Deus lavet pedes homini ». Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 56. n. 1: Sed non ita intelligendum est, quod post aliquos ad illum [Petrum] venerit, sed quod ab illo coeperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare coepit, venit ad eum, a quo coepit, id est Petrum; et tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expavisset, expavit atque ait: *Domine, tu mihi lavas pedes?*

[8] Vulgata *et accepit*, quae subinde omittit *et*, ac pro *dicit* substituit *dixit.* — Inferius pro *ipsi* M *ipsum*, ed. cum Gorrano *ipsi eum.*

[9] Vers. 8. — Sequitur Ps. 109, 1.

[10] Vers. 3. et 5. seqq.

[11] Vulgata *Exemplum enim.* — Sequitur Matth. 11, 29. — Chrysost., in Ioan. homil. 71. (alias 70.) n. 1: Quid ergo sibi vult illud *ita?* Eodem studio. Ideo ex maioribus rebus exempla sumit, ut saltem minus faciamus. Nam magistri pueris litteras pulcherrimas scribunt, ut, licet imperfectius, imitentur.

Matthaei undecimo: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ». Et quod in operibus humilitatis sit imitandus, ostendit tali ratione: quia non est servus maior domino suo: ergo si dominus non dedignatur humiliari, multo minus servus. Et hoc est quod dicit:

20. (Vers. 16.). *Amen, amen dico vobis,* tanquam verum et certum: *Non est servus maior domino suo, neque apostolus maior est eo qui misit illum;* Matthaei decimo [1]: « Non est discipulus super magistrum », et infra decimo quinto: « Nec servus maior domino suo ». Et ideo omnes servi Christi debent conservis servire; ideo consuetudo est Papae, ut scribat se *servum servorum Dei.* Unde Chrysostomus [2]: « Ubi sunt qui despiciunt conservos? Ubi sunt qui honores expetunt? Proditoris pedes lavit Dominus et sacrilegi et furis tempore proditionis; et tu magna sapis et in sublime erigeris »?

Secundum. 21. (Vers. 17.). *Si haec scitis* etc. Hic secundo hortatur ad imitandum consideratione *magnitudinis praemii:* quia qui hoc facit beatus erit. Propter quod dicit: *Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea,* non si tantum scitis, immo etiam si facitis; Iacobi primo [3]: « Qui factor est operis, hic beatus in facto suo erit »; Matthaei quinto: « Qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum ». Et post: « Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum ». Et quia promiserat eis beatitudinem; ne credas, eam proditori promisisse, subdit:

22. (Vers. 18.). *Non de omnibus* [4] *dico,* scilicet quod beati eritis, sed de electis; unde ait: *Ego scio quos elegerim;* Matthaei vigesimo: « Multi sunt vocati, pauci vero electi »; secundae ad Timotheum secundo: « Novit Dominus qui sunt eius »; unde quod dixi: « Beati eritis », de aliquibus vestrum et pluribus est intelligendum. *Sed ut impleatur* [5] *Scriptura: Qui manducat mecum panem,* id est socius commensalis, *levabit calcaneum suum contra me,* in Psalmo; secundum aliam translationem: « Homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem ». *Levare* autem *calcaneum,* ut dicit Chrysostomus [6], est levare calcitrationem, dolum et fraudem et occultationem insidiarum. Et loquitur per similitudinem: sicut homo, quando vult conculcare rem, levat calcaneum super eam; sic Iudas conculcavit Christum. Et hoc dicebat de Iuda, non eum accusando, sed discipulos instruendo, ne crederent eum traditum ut hominem purum. Propterea subdit:

23. (Vers. 19.). *Amodo* [7] *dico vobis, priusquam fiat; ut, cum factum fuerit, credatis, quia ego sum,* scilicet Deus, qui scio omnia, antequam fiant; Ecclesiastici vigesimo tertio: « Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita » etc.

Tertium. 24. (Vers. 20.). *Amen, amen dico vobis.* Hic tertio hortatur ad imitandum se in honore servorum suorum consideratione *magnitudinis meriti.* Magnum enim meritum habet qui Dominum honorat, et ipse Dominus honorem factum servo reputat suum; et ita magnum meritum habet qui honorat Christi servum. Propterea dicit: *Qui accipit, si quem misero, me accipit,* id est, qui honorat missum honorat me mittentem; Matthaei vigesimo quinto [8]: « Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis ». *Et qui accipit me accipit eum qui misit me,* id est, qui honorat Filium honorat Patrem, qui misit eum; Matthaei decimo dicitur simile: « Qui vos recipit me recipit, et qui me recipit recipit eum qui me misit ». Et ex hoc arguitur, quod sicut est magna *transgressio* Deum despicere, et magnum *meritum* ipsum honorare; sic etiam in servis Dei. Notandum.

Quaestiones.

25. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo: quare Dominus dedit discipulis suis magis exemplum hu-

---

[1] Vers. 24: Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Ioan. 15, 20: Non est servus maior domino suo. — Servavimus lectionem ed.; codd. enim duos hos locos allegant his verbis *infra decimo quinto,* omisso *Matthaei decimo.* — Ioan. Diaconus, II. S. Gregorii Magni vita c. 1: Primus omnium se in principio epistolarum suarum *servum servorum Dei* scribi satis humiliter definivit. Cfr. Praefatio in epistolas S. Gregorii Magni, n. 11, ubi obiectiones in contrarium factae solvuntur, et probatur, Gregorium fuisse *primum Papam,* qui usus fuerit hoc titulo, licet alii episcopi iam prius illum adhibuerint, ut August., Epist. 217. (alias 107.): Augustinus episcopus, servus Christi et per ipsum servus servorum ipsius, Vitali fratri in ipso salutem.

[2] In Ioan. homil. 71. (alias 70.) n. 1.

[3] Vers. 25. — Duo seqq. loci sunt Matth. 5, 19. — Aliquanto inferius pro *ne credas* ed. cum uno alteroque cod. et Gorrano *ne credatur.*

[4] Vulgata addit *vobis.* — Sequuntur Matth. 20, 16. et II. Tim. 2, 19.

[5] Vulgata *adimpleatur.* — Verba Psalmi 40, 10. inferius allata sunt Vulgatae, quorum ultimam partem Hieron., Bibliothecae divinae lib. Psalmorum, Ps. 41, exhibet ita: *levavit contra me plantam,* August., Enarrat. in Ps. 40. n. 11: *ampliavit super me calcaneum.* — Ed. legit, interpunctione variata, *in Psalmo secundum aliam translationem. Nos autem: Homo* etc., quae lectio videtur ex S. Thoma (Comment. in Ioan. 13. lect. 3. n. 7.) sumta: « Hoc est secundum aliam translationem, ubi nos habemus: Etenim homo » etc.

[6] In Ioan. homil. 71. (alias 70.) n. 2. in fine: Neque dixit: Tradit me, sed *Levavit super me calcaneum,* ut dolum et occultas insidias declararet.

[7] Codd. et Gorranus *Amen, amen* (fortasse propter confusionem cum versu seq.). — Sequitur Eccli. 23, 29.

[8] Vers. 40. — Subinde pro *Et qui accipit me* Vulgata *Qui autem accipit me.* Sequitur Matth. 10, 40. — Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 1: Quia exituri erant [Apostoli] et gravia multa passuri, duobus illos modis consolatur: et a se et ab aliis... Primum vero significavit, cum dixit: *Si haec feceritis, beati eritis;* alterum vero, cum dicit: *Qui vos recipit me recipit.* Omnium quippe domos ipsis aperuit etc.

militatis quam alicuius alterius virtutis, cum sint aliae virtutes excellentes.

Dicendum, quod Dominus super omnia commendavit discipulis suis unitatem; et quia superbia recte frangit unitatem, quia *inter superbos semper sunt iurgia* [1], et discipuli contendebant, *quis eorum videretur esse maior;* ideo, ne per illam contentionem unitas Ecclesiae rumperetur, dedit exemplum humilitatis, ut quilibet alteri subiiciatur. — Alia ratio est, quia, sicut damnatio ortum habuit a superbia, ita salus ab humilitate [2].

Resp. Ratio 1. Ratio 2.

26. Quaest. II. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Non de omnibus dico; ego scio, quos elegerim.*

Contra: Supra sexto [3] dicitur: *Nonne duodecim vos elegi?* Si elegit duodecim, Iudas erat electus, cuius contrarium dicit modo.

Respondeo: Dicendum, quod est eligi ad *praesentem dignitatem;* et sic Iudas fuit electus, sicut eliguntur mali episcopi et praelati, non errore, sed mirabili dispensatione. Est electio *ad aeternam solemnitatem;* et hoc modo Iudas non fuit electus, quia haec pertinet ad finaliter bonos [4].

Resp. cum distinctione.

27. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Qui recipit, si quem misero, me recipit.*

1. Secundum hoc qui honorat nuntium honorat mittentem: ergo sicut « honor *imaginis* refertur ad prototypum [5] », sic *nuntii* ad Dominum: ergo si imaginem Christi debemus adorare *latria*, sic et nuntios Christi.

2. Hoc ipsum videtur per litteram [6], quia apponit pro simili, quod *qui honorat ipsum honorat Patrem, qui misit eum;* sed eodem honore honorandus est uterque.

Respondeo: Dicendum, quod honorem referri [7] ad aliquem est dupliciter: aut sicut ad *obiectum,* aut sicut ad *finem.* Dico ergo, quod honor *imaginis* refertur ad prototypum sicut ad *obiectum,* quia non honoratur lapis, sed Deus. Sed honor *missi* refertur ad *mittentem* sicut ad *motivum et finem;* et quia homo non honorat *missum* nisi propter *mittentem* et ex consequenti, non primo sicut ad obiectum; quia ex hoc Deus reputat se honoratum, vel dehonoratum: ideo imago est adoranda *latria*, sed nuntius *dulia* [8].

Resp. cum distinctione. Notandum.

2. Quod obiicitur de simili, dicendum, quod non est omnino simile; quia ibi est conformitas *naturae*, hic autem *gratiae.*

28. *Cum haec dixisset, turbatus est.* Postquam exemplum propositum est, et inducti sunt discipuli ad imitandum; hic incipit tertia pars capituli [9], in qua Dominus *perversitatem Iudae* ostendit ad deviandum; et hoc quidem facit hoc ordine. Primo fit *in generali proditoris insinuatio;* secundo vero, *discipulorum haesitans inquisitio;* tertio, *Domini secreta responsio;* quarto vero, *proditoris acceleratio.*

Tertio, de Iudae perversitate quatuor.

(Vers. 21.). Primo igitur fit *in generali proditoris insinuatio*, et licet in generali, non tamen in dubio, sed in certitudine. Et hoc manifestat Christi turbatio; propter quod dicit: *Cum haec dixisset Iesus*, quae scilicet spectabant ad discipulorum instructionem; *turbatus est spiritu*, id est voluntate [10]; *et protestatus est et dixit*, quia certissime asseruit: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet;* ille scilicet unus erat eum traditurus, de quo supra sexto: « Unus ex vobis diabolus est ».

Expositio litteralis. Primum.

29. (Vers. 22.). *Aspiciebant ergo ad invicem.* Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum inquisitio;* et primo coeperunt *dubitare;* propter quod dicit: *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes, de quo diceret;* ideo ad invicem aspiciebant, quia unus de altero dubitabat. Augustinus [11]: « Sic in eis erga Magistrum suum erat pia caritas, ut tamen inter eos humana alterum de altero stimularet infirmitas ». Et quia dubitatio ducit in inquisitionem, et inquisitio requirit familiaritatem; ideo ostenditur familiaritas Ioannis, ut per ipsum *inquisitio fiat.* Ideo ait:

Secundum.

30. (Vers. 23.). *Erat ergo unus ex discipulis eius recumbens in sinu Iesu*, tanquam familiarissimus inter alios, et hoc quidem propter amoris praerogativam; *quem diligebat Iesus.* Iste discipulus fuit

---

[1] Prov. 13, 10. — Sequitur Luc. 22, 24. Chrysost., in Ioan. homil. 71. (alias 70.) n. 1. seq.: Cur autem hoc nunc fecit? Honorem consecuturi erant, alii maiorem, alii minorem. Ne igitur sese adversus alios extollerent dicerentque, ut antea: *Quis maior est?* neque alii adversus alios indignarentur, omnem ab ipsis tollit elationem etc.

[2] Cfr. II. Sent. d. 5. a. 1. q. 1; d. 22. a. 1. q. 1. (praecipue in fine) et 2.

[3] Vers. 71.

[4] Cfr. supra c. 6. n. 100. — Superius pro *solemnitatem* ed. *hereditatem.*

[5] Ut dicit Damasc., IV. de Fide orthod. c. 16. Cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 5. ad opposit. 6, ubi eadem propositio adhibetur ad probandum, membra Christi adoranda esse adoratione latriae; et q. 2. fundam. 1, ubi ex ea ostenditur, quod imagini Christi exhiberi debeat cultus latriae; non *absolute*, sive quatenus in se consideratur, sed *respective* ad Christum.

[6] Supra 5, 23: Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem etc.

[7] Ita maior pars codd. cum Gorrano, ed. *referre.*

[8] Cfr. III. Sent. d. 9. a. 1. q. 2-5. — Superius pro *non honorat missum nisi* M N *honorat missum*, et subinde vocibus *ex consequenti* secunda manus in B praefixit *honor refertur ad mittentem;* demum pro *adoranda* C *honoranda;* sed, ut supra nota 5. diximus, et in resp. bene declaratur. recte crux dicitur *adoranda.*

[9] Cfr. supra n. 1.

[10] Vide supra c. 11. n. 56, et August., in Ioan. Evang. tr. 60. n. 1. seqq. — Subinde allegatur Ioan. 6, 71. — Ed. cum nonnullis codd. et Gorrano *voluntarie.*

[11] In Ioan. Evang. tr. 61. n. 3, ubi textus originalis omittit *inter.* — Inferius pro *requirit,* quod habet A, ed. cum Gorrano *in* [supple: ducit]; alii codd. legunt *et inquisitio familiaris annuitur* (M *innuitur*, nonnulli *admittitur), ideo* etc.

Ioannes; unde Chrysostomus [1]: « Intuere Ioannis ingloriationem; non enim dicit nomen suum, sed *quem amabat Iesus*, sicut Apostolus secundae ad Corinthios duodecimo: *Scio hominem* », non dixit: Scio Paulum. Hic ergo discipulus sic familiaris idoneus erat inquisitor; propter quod dicit:

31. (Vers. 24.). *Innuit ergo huic Simon Petrus et dicit* [2] *ei: Quis est, de quo dicit?* Quasi dicat: require ab eo. Petrus semper per se et per alios sollicitus erat quaerere. Ad Petri petitionem inquirit ille discipulus:

32. (Vers. 25.). *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu*, ut dilectus et familiaris et propinquus, quod est signum dilectionis; Canticorum ultimo [3]: « Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum »? *Dicit ei: Domine, quis est?* Supple: scilicet qui te tradet. Supra pectus Iesu recubuit, ut secretum audiret, quia in eo erant omnes « thesauri sapientiae et scientiae absconditi [4] ». Unde Augustinus dicit de Ioanne, quod « fluenta Evangelii de ipso dominici pectoris fonte potavit ».

33. (Vers. 26.). *Respondit* ei *Iesus.* Tangitur hic tertium, scilicet *Domini secreta responsio*, qua discipulo familiari satisfacit; propter quod non verbo dixit, sed ipso signo manifestavit; propterea dicit: *Ille est, cui* [5] *intinctum panem porrexero;* intinctio panis fictionem Iudae significat. *Et cum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae*, et in hoc scivit Ioannes, quis esset eum traditurus. Augustinus [6]: « Panis proditori traditus demonstratio est gratiae, cui proditor fuit ingratus ». Unde in Psalmo de ingratitudine Iudae conqueritur: « Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos » etc. Tertium.

34. (Vers. 27.). *Et post buccellam.* Tangitur hic quartum, scilicet *proditoris acceleratio*, quae facta est per vehementem infestationem diaboli, quam habuit in Iudam post ipsius correctionem. Propter quod dicit: *Et post buccellam introivit in eum satanas*, ut efficacius possideret et nequitiam conceptam citius consummaret; unde in Psalmo [7]: « Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris eius ». *Et*, quia hoc non latebat Dominum, *dixit ei Iesus: Quod facis fac citius*, praedictive dicit, non imperative [8]. Ne tamen videretur eius nequitiam detexisse, ostendit Evangelista, quod hoc verbum omnes latuit; ideo dicit: Quartum.

35. (Vers. 28.). *Hoc autem nemo scivit discumbentium, quid* [9] *ei dixerit*, nec etiam ipse Ioannes, qui iam sciebat eius nequitiam. Unde Chrysostomus: « Benignae mentis et mansuetae non fuit malum de alio suspicari », immo e contrario in bonum interpretati sunt; unde dicit:

36. (Vers. 29.). *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas*, tanquam dispensator, *quod dixisset ei Iesus: Eme ea quae opus sunt* [10] *ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret*, quia maxime propter illos habebat loculos; in quo significatum est, quod de loculis Ecclesiae licet praelatis emere, *quae opus*, id est, quae necessaria sunt, et reliqua dare egenis; et ipsis specialiter datum est mandatum de alendis pauperibus; unde Ecclesiastici vigesimo nono [11]: « Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ne dimittas eum vacuum ». Et sicut diabolus suggerebat, et Christus praedixerat, acceleravit Iudas; ideo dicit:

---

[1] In Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 1: Vide autem, quam sit alienus a fastu [Σκόπει δὲ αὐτοῦ καὶ τὸ ἀκόμπαστον]. Non dicit quippe nomen, sed *quem diligebat;* quemadmodum et Paulus, cum diceret [II. Cor. 12, 2.]: *Scio hominem ante annos quatuordecim.*

[2] Vulgata *dixit.* August., in Ioan. Evang. tr. 61. n. 6: Notanda locutio est, dici aliquid non sonando, sed tantummodo innuendo: *Innuit,* inquit, *et dicit,* utique innuendo dicit etc. — De seqq. cfr. supra c. 4. n. 46. et c. 6. n. 110.

[3] Vers. 5. — Cfr. supra pag. 272, nota 7.

[4] Coloss. 2, 3. — De seq. sententia August. cfr. supra pag. 241, nota 2.

[5] Vulgata *cui ego.* — Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 1: Tunc autem primum ipsum confutat Iesus, neque tamen nominatim, sed quomodo? *Cui ego intinctum panem porrexero.* Cfr. infra n. 42. August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 3: Fortassis per panis tinctionem illius [Iudae] significans fictionem. Non enim omnia, quae tinguntur, abluuntur, sed ut inficiantur, nonnulla tinguntur. — Superius post *non verbo* ed. addit *nominatim.*

[6] In Ioan. Evang. tr. 62. n. 1: Quid erat autem panis traditori datus nisi demonstratio, cui gratiae fuisset ingratus? — Sequitur Ps. 54, 13. seqq. — Superius pro *dedit Iudae* codd. communiter *tradidit eum Iudae,* H *dat Iudae.*

[7] Psalm. 108, 6. — August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 2: Intravit ergo post hunc panem satanas in Domini traditorem, ut sibi iam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat, ut deciperet. — Superius pro *correctionem* ed. *buccellae comestionem,* B *comestionem,* C E N *correptionem.*

[8] August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 4: Non praecepit facinus, sed praedixit Iudae malum, nobis bonum etc. Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 2: *Fac citius,* non imperantis nec consulentis est, sed exprobrantis et demonstrantis, se optare, ut resipiscat. — Post *praedictive dicit* ed. addit *et permissive.*

[9] Vulgata *ad quid.* — Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 2: « Neque tunc [quando Iesus dixit: *Quod facis fac citius*] illum notum fecit. Forte namque illum discerpissent, forte Petrus occidisset. Ideo id nemo discumbentium novit. Quid, neque Ioannes? Ne ille quidem; non putavit enim discipulum in tantam prorupturum iniquitatem. Quia enim procul erant a tanto scelere de aliis nihil huiusmodi suspicari poterant ». Praemiserat his verbis, quod Apostoli non cognoverunt proditorem, quando Iesus dixit: *Cui inctinctum panem porrexero,* « nisi forte clam dixerit, ita ut nemo audiret ». Bonelli: « Forte tamen supra pro *nec etiam ipse Ioannes* etc., legendum *non tamen ipse Ioannes* ». Pro qua lectione affert Tirinum et Calmet.

[10] Vulgata addit *nobis.* Superius pro *Quidam enim* multi codd. *Quidam autem.* — De *loculis* cfr. supra c. 12. n. 13. in fine et Qq. disput. de Perfectione evang. (tom. V.) q. 2. a. 1. ad 2. Vide etiam Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 2.

[11] Vers. 12.

37. (Vers. 30.). *Cum ergo accepisset*[1] *buccellam, exivit continuo*, ut velociter impleret. Et tempus erat congruum facto; *erat autem nox;* Iob vigesimo quarto: « Oculus adulteri observat caliginem »; et supra tertio: « Qui male agit odit lucem ».

Quaestiones.

38. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de Domini perturbatione, quia dicit: *Turbatus est spiritu.* Si in Christo omnia erant pacata, quia per arcam Noe significatur, in qua omnia pacata erant[2]; quomodo spiritu turbatus est?

Et dicendum, quod illa turbatio nullam in Christo
Resp. faciebat inordinationem, quoniam voluntati erat subiecta sensualitas et voluntarie turbata; in cuius testimonium dicit: *Turbatus est spiritu*[3].

39. Quaest. II. Sed tunc quaeritur, de quo turbatur sensualitas? — Si de morte futura, tunc hoc nihil est; quia illa non ceciderat in sensu[4], cum esset futura, ergo nec cadebat in sensualitate: ergo de hoc sensualitas non dolebat.

Dicendum, quod mortis imaginatio erat in vi
Resp. sensibili interiori, non a sensu procedens, sed a rationis cognitione descendens. Cum enim aliqua praescimus, possumus imaginari, et per hoc quod certum tenemus, perturbari.

Et si obiicias, quod est ordo praeposterus; di-
Ad obiect. solutio 1. cunt aliqui, quod nihil impediebat in Christo, in quo inferiores vires erant subiectae superiori. —
Melior solutio. Sed tamen non oportet dicere hoc; quia tunc esset ordo praeposterus, si species intelligibilis descenderet in sensum et fieret sensibilis; sed quando species sunt in imaginatione, et ratio aliquid cogitat et facit, sensitivam illud idem imaginari et exterreri, nulla est praeposteratio[5].

40. Quaest. III. Sed tunc quaeritur: cum Christus ab initio cognoverit mortem suam, sicut et tunc; quare non semper turbatus fuit, sicut et tunc?

Dicendum ad hoc, quod cognitio mortis non Resp.
erat tota causa, sed cognitio mortis *imminentis;* unde magis abhorret natura periculum imminens quam distans. Nec adhuc illud tota causa, sed cognitio mortis imminentis *cum voluntate turbandi se;* et hoc voluit tunc, ut ostenderet, se esse verum hominem[6].

41. Quaest. IV. Item quaeritur de inquisitione discipulorum:

1. Unde est, quod ausi fuerunt discipuli quaerere de crimine occulto? — Videtur fuisse curiositas.

2. Et etiam quaeritur: cum Petrus esset audacior inter omnes, quare non per se quaesivit, sed « per interpositam personam[7] », scilicet Ioannis? Unde quasi semper Petrus pro discipulis omnibus respondebat.

Ad hoc dicendum, quod non quaerebant pro- Resp. ad 1.
pter curiositatem sciendi culpam proximi, sed quia unusquisque, ut dicit Chrysostomus[8], de se timebat, et timore illo cruciabantur; volebant certificari. Et quia sciebant, quia Dominus palam non diceret, nec ipsi volebant eum ita palam confundere; occulte quaesierunt, et occulte eis responsum est[9].

2. Et ideo Petrus non est locutus, sed innuit Resp. ad 2.
illi qui propinquus erat et occulte quaerere poterat; nam recumbebat super pectus Iesu secrete et poterat quaerere, non sic Petrus.

42. Quaest. V. Item quaeritur de responsione Domini: quia dicit: *Cui intinctum panem porrexero.* — Videtur, quod Dominus Iudam prodiderit. Difficultas.

Ad hoc dicit Chrysostomus[10], quod omnibus de- Resp. 1.
dit panem intinctum.

Sed tunc 1. quaeritur, quod signum fuisset Ioanni, Obiectiones.
quod ille esset, *cui intinctum panem porrexero.*

---

[1] Vulgata *accepisset ille.* — Sequuntur Iob 24, 15. et Ioan. 3, 20.

[2] Cfr. tom. III. pag. 369, nota 1. quae diximus de hac similitudine, quae ab Augustino allata fuisse dicitur. — Superius pro *perturbatione* codd. et Gorranus *protestatione;* cfr. supra v. 21.

[3] Ed. addit *id est voluntarie.* Cfr. supra n. 28. et c. 11. n. 56.

[4] Ed. *sensum*, et subinde *sensualitatem.* Sed constructio cum ablativo saepe occurrit apud auctorem et alios illius aetatis scriptores.

[5] Cfr. III. Sent. d. 15. dub. 4. in fine.

[6] Vide August., in Ioan. Evang. tr. 60. n. 1. seqq. — Superius pro *cognitio*, quod ter occurrit, ed. *cogitatio.*

[7] Ut dicitur in Regula FF. Minorum, c. 4. — Cfr. supra c. 6. n. 104. et 110. — Mox pro *Ioannis* ed. cum C N et Gorrano *Ioannem.*

[8] In Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 1: Iterum omnibus timorem incutit, quod non illum nominatim efferat. Illi vero anxii sunt, licet nullius sibi mali conscii, quia Christi sententiam tutiorem quam suas ipsas cogitationes ducebant. Quare se mutuo respiciebant [Ioan. 13, 22.]. Quod in unum proditionem restringeret, timorem minuebat; quod adderet: *unus ex vobis,* omnes conturbabat. Quid ergo? Alii quidem omnes se mutuo respiciunt; Petrus vero semper fervens Ioanni annuit. Quia enim pridem correptus fuerat et lavare volentem cohibuerat, et ubique comparet amore ardens, sed increpatur; ideo timens neque quievit neque locutus est, sed Ioannis opera vult ediscere.

[9] Chrysost., loc. cit. n. 2: Nam ideo Ioannes supra pectus recumbens ad aurem fere interrogabat, ita ut proditor non palam fieret; et Christus sic respondit, ut non manifestum illum faceret.

[10] In locis, quos hac de re apud Chrysost. invenimus (in Ioan. homil. 72. alias 71. n. 1; in Matth. homil. 81. alias 82. n. 1. et Homil. de Iudae proditione (sive in proditionem Iudae), dicitur, quod Dominus non nominatim designavit proditorem, sed porrigendo buccellam intinctam « ipsum confutat » (cfr. supra pag. 430, nota 5.) vel « ipsum revelavit » (in Matth.). — Cod. I substituit *Gregorius* (in quo nihil hac de re invenimus); card. Hugo, in Ioan. 13, 26. ait: « Sed ad hoc solvitur *secundum quosdam*, quia in hoc, quod panem porrexit ei, non prodidit eum, quia aliis similiter fecit ». B. Albert., Postilla in Ioan. 13, 26: « Dicendum ad hoc, quod non prodidit [Iesus Iudam]; quia illud signum commune fuit; omnes enim secum de catino intinxerunt; unde Luc. 22, 21: *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa*, et similiter omnium Apostolorum manus secum in eadem mensa fuerunt ». Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 1. § 4. ad 3. ad eandem obiectionem respondet « per *Glossam* [ordinariam ex August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 3.]: Per buccellam intinctam exprimitur traditor, non tamen aperte ».

2. Item, dicitur Matthaei vigesimo sexto [1], quod *coeperunt singuli dicere: Nunquid ego sum, Domine?* et post de Iuda: *Nunquid ego sum, Rabbi?* Et dicitur ibi, quod Dominus respondit: *Tu dixisti.* Ergo videtur, quod Dominus eum aperte manifestaverit, et quod non tantum signo, sed verbo.

Resp. auctoris cum distinctione. Ratio duplex.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus proditorem revelavit, sed non omnibus, immo aliquibus, sed occulte. Revelavit autem duplici ex causa Ioanni: tum quia compatiebatur eius desolationi [3], tum etiam, ut ipse esset testis, Christum praecognovisse certitudinaliter, non per coniecturas, ipsum discipulum proditorem.

Ad difficultatem.

Quod vero dicitur, quod non est peccator prodendus; intelligendum est, quod non est publicandus, sed tamen dici potest his qui possunt prodesse et nolunt obesse [3].

Ad 2. solutio 1.

2. Quod vero dicitur de Matthaeo, dicendum, quod illud verbum Domini, ut dicit Augustinus de Concordia Evangelistarum [4], nihil certum determinabat: *Tu dixisti*, quasi dicat: non ego, sed tu. —

Solutio 2.

Vel potest esse, quod Dominus ita ei dixit, quod nullus alius intelligeret. — Et hoc quidem, quod narrat Matthaeus, prius dictum fuit; et quia non erant Petrus et Ioannes certificati, adhuc secreto petiit Ioannes.

43. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *post buccellam introivit in eum satanas.*

1. Videtur, quod Dominus non bene fecerit, quod buccellam dedit Iudae, per quam peior est effectus.

2. Item, qua ratione *post buccellam?*

3. Et videtur falsum dicere, quia, sicut dicit Augustinus [5], solus Deus intrat in animam, non ergo satanas.

4. Item, prius [6] dixerat, quod diabolus misit in cor Iudae; quomodo ergo *post buccellam?*

Resp. duplex.

Respondeo: Ad haec sunt diversae opiniones. Quidam voluerunt dicere, quod panis ille intinctus fuit corpus Christi; et hoc dicit Magister in Historiis [7], et ideo non datur nobis communicantibus panis intinctus. Et hoc videtur dicere Augustinus in originali [8]: « Quid miraris, inquit, si datus est Iudae panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas Apostolo datum angelum diaboli, per quem proficeret in Christo »? Et ideo dicunt, quod tunc intravit satanas, quia indigne corpus Christi suscipiens, iudicium sibi manducavit et bibit.

Prima.

Secunda et melior.

Alii dicunt aliter, et credo, quod melius, et hoc dicit Glossa [9], quod panis ille intinctus non fuit corpus Christi; immo, sicut dicit Augustinus de Concordia Evangelistarum, iam corpus Christi discipulis erat distributum, et Iudas cum aliis sumserat; sed

---

[1] Vers. 22. et 25.

[2] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 1, ubi dicit, quod ad Ioannis moerorem leniendum Iesus Ioannem « invitat conceditque, ut in pectus suum recidat ». — Superius pro *sed occulte* non pauci codd. et Gorranus *et occulte*.

[3] Quales praecipue sunt praelati sive rectores, de quibus Gregor., Regul. pastoral. p. II. c. 6. dicit, quod « nec praeesse se hominibus gaudeant, sed prodesse ». Cfr. S. Bonav., Comment. in Luc. 22, 23, ubi dicitur: Tamen Dominus Simoni Petro per Ioannem indicavit, sicut dicitur Ioan. 13: 26: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero;* quia non reputatur publicum, quod ex caritate ad cautelam praelato detegitur propter periculum vitandum.

[4] Libr. III. c. 1. n. 2. et 3: Etiam hic non expressum est, utrum ipse esset. Potest enim adhuc intelligi tanquam: Non ego dixi. Potuit etiam hoc sic dici a Iuda et a Domino responderi, ut non omnes adverterent. Deinde sequitur Matthaeus et inserit mysterium corporis et sanguinis a Domino discipulis datum, sicut et Marcus et Lucas. Sed cum tradidisset calicem, rursus de traditore suo locutus est, quod Lucas [22, 21. seq.] persequitur dicens: *Verumtamen ecce, manus tradentis me... tradetur.* Hic iam intelligendum est, illud consequi, quod Ioannes narrat; isti autem praetermiserunt, sicut Ioannes quaedam praetermisit, quae illi dixerunt. Cum ergo post traditum calicem dixisset Dominus quod a Luca positum est: *Verumtamen ecce, manus* etc.; coniungitur illud, secundum Ioannem [13, 23-27.]: *Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu* etc. — Inferius post *non ego* ed. cum C addit *dixi*, et subinde pro *prius*, quod exhibent C E N, substituit ed. cum Gorrano *sic*.

[5] De Ecclesiasticis dogmat (inter opera August., quia est Gennadii), c. 50: Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit, qui natura subsistens incorporeus capabilis est suae facturae.

[6] Vers. 2: Cum iam diabolus misisset in cor etc. Vide supra n. 14.

[7] Scilicet Petr. Comestor (qui perperam cum Petro Lombardo, Magistro Sententiarum, confundebatur, vel frater ipsius et Gratiani esse dicebatur), Histor. scholastica, in Evang. c. 151: « Et buccellam intinctam porrexit Iudae. Inde est, quod eucharistia non datur intincta, et etiam pro haeresi tollenda, quae dogmatizabat, totum Christum esse sub utraque simul et sub neutra tantum forma [cfr. Gratian., C. *Cum omne* (7.), de Consecrat. d. 2. et Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 13.] ». Cfr. tamen cap. 152, cuius superscriptio: *De eucharistia data discipulis et non Iudae*, in quo habetur: Quod autem *ante* traditionem eucharistiae diximus Iudam exiisse, videmur contradicere Lucae, qui post calicem traditorem commemorat, sed forte Lucas de traditione recapitulat. Hilarius autem super Matthaeum [c. 30. n. 2.] probat, Iudam non interfuisse... Dici tamen potest, Iudam accepisse eucharistiam, et dictum ab Hilario facile determinari etc.

[8] In Ioan. Evang. tr. 62. n. 1, ubi textus originalis *e contrario Paulo* pro *Apostolo*, et *perficeretur* [ita etiam C E, ed. et Gorranus] pro *proficeret*. In his August. verbis respicitur II. Cor. 12, 7: *Datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae* etc.; subinde I. Cor. 11, 29: *Qui enim manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit.*

[9] Scilicet *ordinaria* ex August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 3: Non, ut quidam putant, nunc Iudas corpus Christi accepit. Sciendum est enim, quod iam omnibus Dominus distribuerat Sacramentum corporis et sanguinis, inter quos et Iudas fuit, deinde per buccellam intinctam exprimitur ipse traditor etc. — August., III. de Consensu Evangelist. c. 1. n. 4: Hic videndum est, ne non solum Lucae, qui iam dixerat [22, 3. seqq.], intrasse satanam in cor Iudae, quando pactus est tunc cum Iudaeis, ut eum accepta pecunia traderet, sed etiam sibi ipse Ioannes repugnare videatur, qui iam dixerat superius [13, 2.], antequam istam buccellam acciperet: *Et coena facta, cum iam diabolus immisisset in cor, ut traderet eum Iudas.* Quomodo enim intrat in cor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum? Sed *nunc* intelligere debemus a dia-

alius panis fuit, et post illum satanas intravit; quia tot modis excitatus est poenitere et non poenituit, ideo diabolus eum plenius possedit.

3. Quod obiicitur, quod Deus intrat in animam solus; verum est *illabendo*, sed diabolus *suggerendo* [1].

4. Quod obiicitur, quod prius suggesserat; dicendum, quod verum est; sed ex tunc eum amplius angustavit et ad malitiam complendam acrius impulit.

44. *Cum ergo exisset.* Postquam ostensa est Iudae perversitas ad deviandum, ostenditur *discipulorum infirmitas* ad Dominum sequendum. Et haec est quarta pars capituli, et hoc facit [2] hoc ordine. Primo enim praedicitur futura *Christi passio;* secundo, *discipulorum imperfectio;* tertio, *imperfectorum eruditio;* quarto, *reprimitur Petri praesumtio.* Quarto, de discipulorum infirmitate quatuor.

(Vers. 31.). Praedicitur ergo primo *Christi futura passio* et per passionem *clarificatio*, quae accelerabat [3], proditore accelerante. Propter quod dicit: *Cum ergo exisset*, scilicet Iudas, ut perficeret quod conceperat; *dixit Iesus: Nunc clarificatus est Filius hominis. Nunc* dicit propter passionem instantem, cuius merito erat sublimandus; ad Philippenses secundo [4]: « Humiliavit semetipsum, propter quod et Deus illum exaltavit ». *Et Deus clarificatus est in illo*, quia per Christum omnibus innotuit; infra decimo septimo: « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo ». Expositio literalis. Primum.

45. (Vers. 32.). *Et* [5] *si Deus clarificatus est in illo*, in passione per multam virtutis manifestationem; quia mors sua et passio valde fuit in gloriam Dei, sicut dicitur de Petro infra ultimo [6]: « Significans, qua morte clarificaturus esset Deum ». *Et Deus clarificabit eum in semetipso*, per gloriam resurrectionis; *et continuo clarificabit eum*, quia non poterat eius resurrectio differri; unde in Psalmo: « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem ». Et vult dicere, quod Christus erat cito glorificandus a Patre per resurrectionem, quia ad Patris claritatem manifestandam ipse sustinere debebat passionem. Unde infirmitas Christi-hominis Deum clarificavit; et ideo potentia Dei Christum mortuum suscitavit et clarificavit.

46. (Vers. 33.). *Filioli, adhuc modicum* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum ad sequendum Christum imperfectio;* ideo vocat eos *filiolos*, id est in fide infirmos, quia firma fides facit *filios*, sed infirma *filiolos*. — Vel *filiolos* vocat prae amoris teneritudine, sicut dicit Priscianus [7], quod diminutiva aliquando prae familiaritate et amore dicuntur, ut *Sergiolus*. Horum igitur imperfectionem manifestat, cum subdit: *Adhuc modicum vobiscum sum*, per corporalem praesentiam; *et* [8] *sicut dixi Iudaeis* — supra septimo et octavo — *quaeretis me; quo ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modo;* quia passionis arduitatem ferre non potestis. Ideo non poterant, quia virtutem ex alto non susceperant; ideo dicitur eis Lucae ultimo [9]: « Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto »; quia sine virtutis robore in praelio stare non est possibile. Secundum. Aliter.

47. (Vers. 34.). *Mandatum novum do vobis.* Tangitur hic tertium, scilicet *discipulorum imperfectorum instructio.* Et quia erant imperfecti, Dominus dat eis remedium dilectionis, ut mutuo se diligant et sustentent; propter quod dicit: *Mandatum* Tertium.

---

bolo Iudam *plenius* esse possessum etc. Cfr. supra pag. 436, nota 7. et IV. Sent. d. 11. p. II. dub. 8. — Origen., Comment. in Ioan. tom. 32. n. 16, in dubio relinquit, utrum Iudas buccellam comederit, an non; fortasse Iudas eam non comedit, anticipante satana, « ne Iudas adiumentum perciperet ex data a Iesu offula ». Theophylact., Comment. in Matth. 26, 27. seq.: Quare autem supra quidem non dixit: Accipite et comedite *omnes*, hoc autem loco: Bibite ex eo *omnes?* Sunt qui dicunt, propter Iudam hoc dictum. Iudas enim panem accepit et non comedit, sed occultavit, ut monstraret Iudaeis, quod panem corpus suum vocasset Iesus; poculum autem invitus bibit, cum non posset occultare etc.

[1] Vide II. Sent. d. 8. p. II. q. 2. 4. et 5.

[2] Plures codd. cum Gorrano omittunt *facit*, B legit *et proceditur*, ed. *et haec quidem.*

[3] Secundum Forcellini usurpatur etiam intransitive; ed. cum Gorrano *accelerabatur*. — Subinde vocibus *dixit Iesus* non pauci codd. interserunt *eis.*

[4] Vers. 8. seq. — Subinde pro *in illo* Vulgata *in eo*, et allegatur Ioan. 17, 6. — August., in Ioan. Evang. tr. 63. n. 3: *Nunc clarificatus est Filius hominis;* ut quod ait *nunc*, non ad imminentem passionem, sed ad vicinam resurrectionem pertinere credatur, tanquam fuerit factum quod erat tam proxime iam futurum.

[5] Vulgata omittit *Et*, ac subinde pro *in illo* substituit *in eo.*

[6] Vers. 19. — Sequitur Ps. 15, 10. August., in Ioan. Evang. tr. 63. n. 3: *Si Deus clarificatus est in eo*, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit illum; *et Deus clarificabit eum in semetipso*, ut natura humana, in qua est Filius hominis, quae a Verbo aeterno suscepta est, etiam immortali aeternitate donetur. *Et continuo*, inquit, *clarificabit eum;* resurrectionem scilicet suam, non sicut nostram in fine saeculi, sed continuo futuram hac attestatione praedicens etc. Cfr. III. Sent. d. 18. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 2.

[7] Libr. III. Grammat. c. 5: Solent autem diminutiva vel necessariae significationis causa proferri... vel urbanitatis... vel adulationis et maxime puerorum, ut Catulaster, Antoniaster, Patritiolus, Sergiolus. — Origen., Comment. in Ioan. tom. 32. n. 19: Nunc etiam discipulis inquit *Filioli*, ostendente, opinor, Iesu nonnullum blandientis affectum simulque docente, Apostolos etiam tum animo pusillos esse. — Superius ed. omittit *sed infirma filiolos*, aliqui codd. omittunt *sed.*

[8] Vulgata, quam sequitur ed., *Quaeretis me et*, omisso subinde *Quaeretis me.* — Supra 7, 34: Quaeretis me et non invenietis etc.; 8, 21: Ego vado, et quaeretis me et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.

[9] Vers. 49. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 64. n. 4: « Iudaeis autem cum hoc diceret, non addidit *modo*. Isti itaque venire non poterant *tunc*, quo ille ibat, sed poterant *postea* ». Subinde ostendit, quod discipuli *tunc* non poterant Dominum sequi ad mortem pro iustitia, quia « adhuc martyrio non maturi »; neque ad carnis immortalitatem, quia tantum « in saeculi fine resurrecturi »; neque ad sinum Patris, quia nondum erant in caritate perfecti. « Ideoque docens, quomodo idonei esse possint pergere, quo ille antecedebat; *mandatum*, inquit, *novum do vobis* » etc.

novum do vobis, ut diligatis invicem; ideo *novum*, quia semper debet esse recens in corde, quia semper debetur dilectio et nunquam inveteratur. Unde ad Romanos decimo tertio [1]: « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis ». Et *modus* diligendi exprimitur: *Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.* Ipse autem sic dilexit, ut magis diligeret salutem nostram quam vitam suam; sic unusquisque magis animam proximi quam corpus suum; primae Ioannis tertio [2]: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere ». Et *ratio movens* ad dilectionem additur:

48. (Vers. 35.). *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis;* quia, sicut dicit Augustinus [3], « dilectio propria et specialis virtus est piorum atque sanctorum. Haec est, quae discernit filios regni a filiis perditionis »; ad Ephesios quarto [4]: « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis ». Hoc autem signaculum Spiritus est dilectio; ad Romanos quinto: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ».

Quartum. 49. (Vers. 36.). *Dicit ei Simon Petrus.* Tangitur hic quartum, scilicet *praesumtionis Petri repressio,* qua se offerebat ad Dominum imitandum. Ideo quaerit Petrus ab eo, ut se offerat: *Domine, quo vadis?* Et quia se offerre volebat, ostendit ei Dominus suam impotentiam, ne in verbis prorumpat: *Dicit ei Iesus* [5]*: Quo ego vado, non potes me sequi modo,* propter infirmitatem; *sequeris autem postea,* confirmatus virtute. Sed Petrus admonitione non flectitur; ideo subdit:

50. (Vers. 37.). *Respondit ei Petrus: Quare non possum sequi* [6]*? Animam meam ponam pro te;* et hoc est perfectum sequi; infra decimo quinto: « Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis ». Si ergo hoc possum, bene possum sequi. Et quia non desistit Petrus a praesumtione per admonitionem fragilitatis suae, nunc reprimitur per praedictionem praevaricationis futurae. Propter quod Dominus resumit verbum Petri, ut arguat:

51. (Vers. 38.). *Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones?* Augustinus [7]: « Praeire potes, qui sequi non potes? Quid te esse credis? Audi, quid sis ». *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Augustinus: « Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum. Timendo mortem carnis tuae, dabis mortem animae tuae ».

Quaestiones.

52. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit primo: *Nunc clarificatus est Filius hominis;* quia in passione et proditione Iudae potius dicitur *minoratus* quam *clarificatus.*

Respondet Augustinus [8], quod hoc dicitur in *signo,* quia in egressu Iudae remanserunt tantum boni; et tunc significata est futura claritas, in qua tantum cum bonis erit Deus. — Aliter potest dici, quod hoc dicit secundum *meritum;* quia in passione meruit clarificari et quantum in se clarificavit Dominum [9]. Resp. 1. Resp. 2.

53. Quaest. II. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

Contra: 1. Supra duodecimo [10] dictum est: *Qui mihi ministrat me sequatur:* ergo hortabatur eos ad impossibile.

2. Item, Petrus dicit primae Canonicae secundo [11]: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius:* ergo omnibus dabatur exemplum. Quomodo ergo dicit: *Vos non potestis venire?*

Dicendum ad hoc, quod sicut *posse credere* dicitur dupliciter: uno modo, prout dicit *possibilitatem,* et sic est naturae; alio modo, prout dicit *potestatem activam,* et sic gratiae; sic et *posse imitari passionem;* quia *posse imperfectum* est in nobis, sed *potestas completa* per virtutem Spiritus sancti, qua nondum erant induti Apostoli [12]. Resp. cum distinctione.

---

[1] Vers. 8, in quem locum Glossa *ordinaria* (ex August., Epist. 192. alias 62. n. 1.): Sola enim caritas est, quae etiam reddita semper retinet debitorem. Redditur enim, cum impenditur; debetur autem, etiamsi reddita fuerit, quia nullum est tempus, quo impendenda non sit. Nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur etc. [2] Vers. 16.

[3] Prima huius sententiae propositio, si verba attendantur, est Prosperi, Libr. Sententiarum ex Augustino delibatarum, n. 7, de qua cfr. August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 1. n. 9. (vide tom. III. pag. 599, notam 1.); secunda habetur XV. de Trin. c. 18. n. 32; cfr. I. Sent. d. 17. p. I. dub. 6.

[4] Vers. 30. — Sequitur Rom. 5, 5.

[5] Vulgata *Respondit Iesus.* — Ed. paulo superius pro *in verbis* (H M *in verba*, N *in verbum*) substituit *in verba temeritatis aut praesumtionis* (Gorranus *in verbis temeritatis aut praesumtionis*), quae etiam inferius post *virtute* cum Gorrano addit *ex alto* (cfr. supra n. 46. in fine).

[6] Vulgata: *Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo?* — Subinde allegatur Ioan. 15, 13.

[7] In Ioan. Evang. tr. 66. n. 1, ubi post *non potes* textus originalis addit: *Quid tantum praesumis? Quid de te sentis?* Ibid. est seq. locus, ubi in textu originali plura interseruntur et transponuntur.

[8] In Ioan. Evang. tr. 63. n. 2.

[9] Cfr. supra n. 44. et 45. — Ed. *in passione tantum meruit clarificari, quantum* etc.

[10] Vers. 26.

[11] Vers. 21.

[12] Respicitur Luc. 24, 49; cfr. supra n. 46. in fine. — De distinctione *possibilitatis* et *potestatis* vide supra c. 1. n. 32, ubi etiam afferuntur verba August., quae hic respiciuntur. — Superius post *possibilitatem* ed. addit *imperfectam et passivam,* et vocibus *potestatem activam* interserit *perfectam et.*

Sed *contra* hoc est, quia minima caritate pot- Obiicitur. est quis resistere quantaecumque tentationi: ergo si Apostoli minimam haberent, ergo poterant.

Respondetur ad hoc secundum duplicem opinionem. Resp. 1. Quidam dicunt, quod *ex minima*, non tamen *manente minima*, quia augetur; et secundum istos solvendum, ut prius, quod non poterant per id quod habebant. Resp. 2. — Secundum aliam opinionem respondeo: secundum minimam *potest*, sed non *faciliter*, immo *valde difficiliter*; et ideo pauci resistunt [1].

34. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Mandatum novum do vobis* etc.

1. Quare non praecepit eis de dilectione Dei, quod *est primum et summum mandatum* [2]?

2. Item, quomodo dicit *novum*, quia ab initio datum fuit? Unde primae Ioannis secundo [3], loquens de hoc mandato, dicit: *Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus.*

Respondeo: Dicendum ad primum, quod in Resp. ad 1. dilectione proximi dilectio Dei intelligitur [4].

Ad secundum dicendum, quod etsi istud mandatum Resp. ad 2. fuerit in veteri testamento datum, tamen in novo est innovatum quantum ad modum: quia ibi diligere amicos, hic inimicos; ibi amicis benefacere, hic inimicis mandatur [5]; hoc importat quod subdit: *Sicut dilexi vos.*

35. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod Dominus dixit Petro: *Ter me negabis* [6]. — Ex hoc videtur, quod revelaverit Petro lapsum suum, et quod coegerit Petrum desperare.

Respondeo: Dicendum, quod differt *praedicere* Resp. cum distinctione. et *revelare*. Deus nulli *revelat*, sed tamen bene *praedicit*; quia quod *revelatur* certitudinaliter scitur, quod vero *praedicitur*, non; quia aliquando creditur *ex comminatione* dictum, aliquando vero *sub conditione*. Unde et Petrus sub conditione intellexit: si non caveris tibi; et ideo non desperavit [7].

Capitulum XIV.

Secundo confirmantur discipuli eruditionis et consolationis verbo triplicíter.

1. *Et ait discipulis suis* [8]: *Non turbetur* etc. Supra confortavit Dominus discipulos suos exemplo, in hac parte confortat *eruditionis verbo*; et continet Divisio. haec pars tria capitula et dividitur in tres. In prima parte erudit eos Dominus, ut sint constantes *in fide*; in secunda vero, *in dilectione*; et haec incipit in principio decimi quinti [9]: *Ego sum vitis vera*; in tertia vero, *in spei exspectatione*, parum post principium decimi sexti: *Haec autem vobis ab initio.*

Primo, circa constantiam in fide tria ponuntur.

Prima pars, quae continet praesens capitulum, Subdivisio. tres habet partes. In prima Dominus *hortatur ad fidem constantem*. In secunda vero, quia « fides sine operibus mortua est [10] », *hortatur ad bonam operationem*, ibi: *Si diligitis me, mandata mea servate.* In tertia vero *praedicit recessus sui accelerationem*, ibi: *Haec locutus sum vobis, apud vos manens.*

Primo ergo hortatur discipulos, ut propter re- Primo hortatur ad fidem constantem quadrupliciter. cessum suum *non vacillent in fide*, ostendens eis primo recedendi *modum*; secundo, *viam*; tertio, *terminum*; quarto, *fructum.*

(Vers. 1.). Hortatur ergo primo, ut, conside- Expositio litteralis. Primum. rantes *recedendi modum*, de recessu suo non turbentur nec in fide deficiant, sed magis credant. Propterea dicit: *Non turbetur cor vestrum*, sed credat; unde: *Creditis in Deum, et in me credite.* Non turbetur de absentia, sed in absentem credite; sicut in Deum creditis, quem non videtis [11]. Et ratio, quare Ratio. non debent turbari, sed credere, est: quia scilicet Dominus ab eis non omnino recedit, sed eos praecedit, ut iterum eos assumat ad gloriam, in qua

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 30. q. 1, ubi duplex haec opinio exponitur. — Superius pro *potest* ed. *poterant.*

[2] Matth. 22, 38.

[3] Vers. 7, in cuius fine ed. cum Vulgata addit *quod habuistis ab initio.*

[4] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 65. n. 2, ubi eadem obiectio eodem solvitur modo.

[5] Ut insinuatur Matth. 5, 43. seq. — Chrysost., in Ioan. homil. 72. (alias 71.) n. 3. in fine: Ipse illud *novum* fecit ipso praecipiendi modo; intulit enim *sicut dilexi vos.* Non enim vestris praecedentibus meritis debitum persolvi, sed ipse coepi, inquit. Sic et vos oportet amicis vestris beneficia praestare, nullo debito obstrictos. — Locus praecedens in ed. et codd. est corruptus. Omnes omittunt *diligere* ante *amicos*, et (excepta ed.) *mandatur* post *inimicis*; ed. *pro inimicis orare mandatur*, M *hic pro inimicis mori*, plures codd. *pro inimicis merito*, Gorranus *pro inimicis orare.*

[6] Ita Matth. 26, 34. Ed. cum Ioan. 13, 38: *Donec ter me neges.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 4. a. 2. q. 2. ad 1, ubi eodem modo haec quaestio solvitur. Vide etiam supra c. 8. n. 41. — Superius pro *scitur* H *sequitur.*

[8] Vulgata omittit *Et ait discipulis suis.* — Cfr. supra c. 13. n. 1, ubi divisionis membra occurrunt.

[9] Vers. 1; seq. pars incipit 16, 5. — Pro *in secunda* et *in tertia* codd. *secundo* et *tertio.*

[10] Iac. 2, 20. et 26. — Haec et seq. pars incipiunt v. 15. et 25.

[11] Glossa *ordinaria* (secundum August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 1. seq.): Ne autem [Christi] mortem tanquam hominis [August. *homines*] timerent et ideo turbarentur, consolatur eos, se etiam Deum esse dicens. Ne autem iterum sibi timerent, quasi ab eo perituri, cum confidentiori Petro dictum sit: *Negabis* [cfr. supra c. 13, 38.], certificantur, post tentationes se apud Deum cum Christo mansuros esse, quia, etsi differentes, nullus tamen alienabitur a domo, in qua quisque habet mansionem pro merito etc. — Subinde post *quia* ed. addit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt, quia.*

Mansiones paratae et parandae.

plures sunt mansiones iam *paratae* secundum electionem aeternam, sed *parandae* adhuc secundum merita; unde hoc verbum *parare* secundum expositionem Augustini in littera [1] accipitur secundum has duas significationes. Propterea debet legi littera sic:

Expositio Augustini.

2. (Vers. 2.). *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* iam scilicet paratae secundum aeternam electionem; quia ad Ephesios primo [2]: « Elegit nos ante mundi constitutionem »; Hieronymus: « Paratae sunt in caelo diversae mansiones diversis virtutibus, quas non personae accipiunt, sed opera ». Ita sunt paratae. *Si quo minus,* id est, si non ita esset; unde alia littera Chrysostomi [3], ubi dicitur: *Si quo minus,* dicit: « Si vero non », id est, si non essent paratae per praedestinationem; *dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.* Sed hoc est impossibile, quod ego modo parem; quia impossibile est, quod aliquem de novo praedestinem, sicut dicit Augustinus [4]. Ideo dixi, quod « mansiones sunt in domo Patris » iam *paratae* per praedestinationem, sed adhuc sunt *parandae* per meritum fidei, quae maxime meritum habet in absentia. Ideo subdit:

3. (Vers. 3.). *Et si abiero et praeparavero vobis locum,* per fidem scilicet vestram in mei absentia; unde Augustinus [5]: « Eat Dominus Iesus et paret locum; eat, ne videatur; lateat, ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur, ut desideratus habeatur; desiderium dilectionis est praeparatio mansionis ». Cum sic praeparavero in absentia, *iterum venio et accipiam vos ad me ipsum,* per gloriam scilicet, *ut, ubi sum ego, et vos sitis;* supra duodecimo [6]: « Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, ibi sit et minister meus ». Hortatur ergo eos ad fidem in absentia, quia ideo se absentat, ut fides meritum habeat. Sic legit Augustinus [7] et Glossa.

Alia expositio.

4. Potest tamen exponi [8] totum in una significatione huius verbi *parare,* ut sit sensus: *Non turbetur cor vestrum,* sed *credite in me;* quia *in domo Patris mei mansiones multae sunt,* in quibus requiescetis una mecum, ad quas ego viam praeparo, ideo non debetis dolere. Sed tunc deberetis, *si quo minus dixissem,* id est, si non *dixissem: Quia vado vobis parare locum, iterum assumam vos* [9] etc. Sed hoc dixi et dico; unde: *Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos* etc. Quocumque tamen modo legatur, fit exhortatio ad fidem.

Secundum.

5. (Vers. 4.). *Et quo ego vado, scitis.* Tangitur hic secundum, scilicet *via recessus.* Et ne videretur eis dicere aliquid novum de suo recessu, dicit, quod ipsi sciebant et viam et terminum; ideo dicit: *Et quo ego vado, scitis et viam scitis* [10]. Sed

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 68. n. 1. seqq. Glossa *ordinaria* sententiam August. exhibet sic: *In domo* etc. Domus Dei, templum Dei, regnum Dei, regnum caelorum, sunt homines iusti, in quibus sunt multae differentiae inter se. Et hae sunt mansiones ipsius domus. Hae autem iam *paratae* sunt in praedestinatione, sicut ait Apostolus [Eph. 1, 4.]: *Qui elegit nos ante mundi constitutionem* praedestinando; *parandae* sunt in operatione; unde [Rom. 8, 30.]: *Quos praedestinavit, hos et vocavit et iustificavit et magnificavit.* Et secundum hoc dicitur [Isai. 45, 11. secundum Septuaginta]: *Fecit Deus quae futura sunt,* id est quae facturus est. Cfr. C. *In domo* (11.), de Poenitentia (Caus. 33. q. 3.), d. 4. — Notamus, quod ultima pars Glossae (*Hae autem* etc.) non apud Strabonem, sed apud Lyranum tantum habetur.

[2] Vers. 4. — Sententia Hieron. est in II. adversus Iovinian. n. 28: « Paratae, inquit, sunt in caelo diversae et plurimae mansiones plurimis diversisque virtutibus » etc.; quibus verbis eludit errorem Ioviniani censentis (ut Stoici), quod omnia peccata et virtutum opera inter se paria sint. Cfr. tom. III. pag. 802, nota 8.

[3] In Ioan. homil. 73. (alias 72.) n. 1: Εἰ δὲ μὴ id est *Si vero non* (licet in nova versione ponatur *Si quo minus*); ita textus Graecus Scripturae. — Gorranus: *unde alia littera Chrysostomi pro eo quod nostra habet:* Si quo minus, *dicit:* Si vero non, *id est* etc. Ed.: *ut habet alia littera, Glossa, ubi dicitur:* Si quo minus, *dicit:* Si vero non esset, *id est, si non essent paratae per praedestinationem, sed parandae,* dixissem vobis etc. Cfr. Glossa *interlinearis,* quae diversas explicationes exhibet: *Si quo minus,* Si non esset; Si in aliquo minus; Si non essent paratae vel praedestinatae, sed essent praeparandae vel praedestinandae, tunc vado etc.

[4] In Ioan. Evang. tr. 68. n. 1. Glossa *ordinaria: Si quo minus* etc., id est, si non praedestinassem mansionem, quod est inconveniens quantum ad Deum, qui omnia bona ante omnia tempora praedestinavit; tunc modo praepararem, id est, praedestinarem, quod iterum est inconveniens quantum ad Deum praesentialiter aliquid praedestinare. — Ed. superius post *praedestinem* addit *cum praedestinatio iam facta sit,* et inferius post *praedestinationem* prosequitur *aeternam, sed adhuc sunt parandae quantum ad eius exsecutionem per meritum fidei ex caritate operantis, quae maxime* etc.

[5] Loc. cit. n. 3, ubi pro textu originali *Creditus desideretur,* multi codd. *Creditur, si desideratur.*

[6] Vers. 26. — Superius pro *accipiam* plures codd. *accipio.*

[7] In Ioan. Evang. tr. 68. n. 3. Cfr. ibid. tr. 69. n. 1. Glossa *ordinaria* sententiam August. exhibet: Fides quae non videt credit; nam si videret, non esset fides. Credenti colligitur meritum; eunti redditur praemium. Eat ergo Dominus et paret locum etc. (cfr. paulo superius).

[8] Secundum card. Hug., in hunc loc., ita exponit Hieron., II. adversus Iovinian. n. 28, ubi ait: Simulque sensus Scripturae intuendus: Dicerem, inquit, vobis, quia vado et praeparabo vobis locum, si non mansiones multae essent apud Patrem, hoc est, si non unusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex propriis operibus praepararet; et ideo non est meum parare, sed vestrum, quia et Iudae nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Iuxta quem sensum et illud intelligendum, quod ad filios dicitur Zebedaei... *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem a dextris meis sive a sinistris non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (Matth. 20, 23.). Non est Filii dare; et quomodo Patris est praeparare? Paratae, inquit, sunt etc. (cfr. supra nota 2.).

[9] Ed. omittit *iterum assumam vos etc.* Inferius pro *accipiam* plures codd. *assumam.*

[10] Glossa *ordinaria:* « Hoc dictum est secundum quosdam, qui sciebant et Filium et Patrem. Thomas vero, etsi putaret, se nescire, convincitur per hoc, quod ipsum novit, et viam scire et vitam, id est Filium et Patrem. De istis scientibus subditur [v. 7.]: *Amodo cognoscetis eum,* per me cognitum, *et*

quidam ex eis non plene intelligebant; ideo quaerunt, scilicet Thomas et Philippus; unde:

6. (Vers. 5.). *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus, quo vadis; et quomodo possumus viam scire?* Thomas dubius [1] tarde intelligebat, et hoc ad nostrum profectum; quia, sicut negatio Petri profuit ad tollendam praesumtionem, sic nescientia Thomae ad fidei robur et distinctionem. Ideo certificat eum Dominus de via et termino; unde:

7. (Vers. 6.). *Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas* [2] *et vita. Veritas* et *vita* quoad terminum, quia *veritas* intellectum, *vita* respicit affectum. *Ego sum via* quaerentibus, *veritas* invenientibus, *vita* sine morte permanentibus [3]. — *Ego sum via* non errans; Psalmus [4]: « Erraverunt in invio et non in via ». *Ego sum veritas* non fallens; Psalmus: « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis ». *Vita* indeficiens; Lucae decimo: « Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea ». — *Ego sum via* ducens; Proverbiorum quarto [5]: « Ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum ». *Ego sum veritas* lucens; Malachiae ultimo: « Orietur vobis timentibus Deum sol iustitiae ». *Vita* pascens; supra decimo: « Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur et egredietur et pascua inveniet ». — *Ego sum via* exemplo; supra decimo tertio [6]: « Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis ». *Ego sum veritas* in promisso; Psalmus: « Quae procedunt de labiis meis non faciam irrita ». *Ego sum vita* in praemio; ad Romanos sexto: « Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita aeterna ». Et quod sit *via*, ostendit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, et per me utique venit [7].

Explicatio prima. Secunda. Tertia. Quarta.

8. (Vers. 7.). *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis;* quia, sicut dicitur supra decimo [8], « ego et Pater unum sumus »; Matthaei undecimo: « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ». *Et amodo cognoscetis eum et vidistis eum; cognoscetis eum*, scilicet in adventu Spiritus sancti; infra decimo sexto [9]: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ». Verificabitur in vobis illud Ieremiae trigesimo primo: « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum scribam eam ».

9. (Vers. 8.). *Dicit ei Philippus.* Tangitur hic tertium, scilicet *Christi recessus terminus*, quem cupiebat Philippus videre; propter quod *dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, quasi: nihil ultra a te quaerimus. *Ipse* enim est « omnia in omnibus », primae ad Corinthios decimo quinto [10]. Non tantum *ipse*, sed etiam *gratia sua;* secundae ad Corinthios duodecimo: « Sufficit tibi gratia mea ». Et quia Philippus quaerebat quod non oportebat, ideo erudit Dominus Philippum, quod ipse quaerit quod scire debebat; unde:

Tertium.

10. (Vers. 9.). *Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti* [11] *me?* Quasi dicat:

---

vidistis eum, in corde, dum me per omnia similem ei vidistis ». Apud Lyranum additur: Sed alii erant, de quibus est Philippus, nescientes; et sic (etsi?) scirent istum Filium, illum Patrem, non putabant Filium ex toto similem, sed Patrem meliorem, et ita nec Patrem nec Filium sciebant. Quo animo Philippus dicit [v. 8:] *Ostende nobis Patrem, et sufficit;* in quo sufficientia est et non in te. Unde increpatur [v. 9. seqq.], nec Filium scire. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 70. n. 2. et 3. Vide etiam infra n. 9. et 16, ubi haec plenius exponuntur.

[1] Vide supra pag. 399, notam 3. — De Thoma cfr. infra 20, 27. seqq. — Inferius pro *distinctionem* ed. cum Gorrano *instructionem.*

[2] Vulgata *et veritas.* — Mox pro *Veritas et vita* ed. cum Gorrano substituit: *Via quoad ingressum, veritas quoad progressum, et vita.*

[3] Glossa *interlinearis:* « *Via* sine errore quaerentibus, *veritas* sine falsitate invenientibus, *vita* sine morte permanentibus ». Haec explicatio, ut dicunt card. Hugo et B. Albert., in hunc loc., est secundum August.; cfr. in Ioan. Evang. tr. 22. n. 8: « Ambulare vis? *Ego sum via.* Falli non vis? Ego sum *veritas.* Mori non vis? Ego sum *vita.* Hoc dicit tibi Salvator tuus: Non est *quo* eas nisi ad me; non est *qua* eas nisi per me ». Enarrat. in Ps. 66. n. 5: Quaesituri sumus eam [viam] nos, non per nos disciturі... Christus dixit: *Ego sum via.* Sed times, ne erres? Adiecit: *Et veritas...* Times, ne moriaris, antequam pervenias? Ego sum *vita* etc. Serm. 142. (alias 54. de Verbis Domini et 34. ex Homil. 50.) n. 1: *Ego sum*, inquit, *via et veritas et vita.* Tanquam diceret: Qua vis ire? *Ego sum via.* Quo vis ire? Ego sum *veritas.* Ubi vis permanere? Ego sum *vita.* Cfr. Serm. 150. de Verbis Act. Apost. 17: Quidam autem Epicurei etc., n. 10. in fine et l. de Doctr. christiana, c. 34. n. 38.

[4] Psalm. 106, 40: Errare fecit eos in etc. — Sequuntur Ps. 144, 13. et Luc. 10, 42. Hilar., VII. de Trin. n. 33: Non nos in erratica atque in invia deducit ille qui *via* est, neque illudit per falsa qui *veritas* est, neque in mortis relinquit errore (horrore?) qui *vita* est.

[5] Vers. 11. seq. — Duo seqq. loci sunt Malach. 4, 2. et Ioan. 10, 9. Chrysost., in Ioan. homil. 73. (alias 72.) n. 2: Si *ego sum via*, duce non egebitis; si *veritas* sum, non loquor falsa; si *vita*, etiamsi moriamini, promissa consequemini. Ambros., de Bono mortis, c. 12. n. 54. seq.: *Via* est, quae perducit; *veritas* est, quae confirmat; *vita*, quae per se redditur... Suscipe nos quasi *via*, confirma quasi *veritas*, vivifica quasi *vita* etc.

[6] Vers. 15. — Subinde allegantur Ps. 88, 35. et Rom., 6, 23. Bernard., Serm. 2. in Ascens. Domini, n. 6: Tu es *via, veritas et vita: via* in exemplo, *veritas* in promisso, *vita* in praemio. Cfr. Serm. de Verbis Domini in Coena (inter opera Bernardi; sunt enim Ogerii abbatis), serm. 7. n. 1, ubi praenotatae et aliae explicationes horum verborum afferuntur.

[7] Vide infra n. 17. Hilar., VII. Trin. n. 33: Iter ad Patrem per Filium est.

[8] Vers. 30. — Sequitur Matth. 11, 27.

[9] Vers. 13. — Subinde allegatur Ier. 31, 33. (cfr. supra c. 6. n. 69.), post quem ed. addit: *Et vidistis eum, videlicet oculo fidei* (cfr. infra n. 10.); eadem superius vocibus *in adventu* praefigit *plenius.*

[10] Vers. 28. — Sequitur II. Cor. 12, 9. Cfr. supra pag. 436, nota 10, verba Glossae.

[11] Vulgata *cognovistis* [cfr. infra pag. 438, nota 4. in fine], quae etiam inferius post *Patrem* omittit *meum.*

cum de Patre quaeris, de me quaeris, quem nosse debes. Ideo dicit: *Philippe, qui videt me videt et Patrem meum. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Videt* oculo fidei, secundum quod Abraham, Genesis decimo octavo[1], dicitur quod « vidit tres et unum adoravit ». Et quod ita debeat credere, ostendit, quia unum sunt; propter quod dicit:

11. (Vers. 10.). *Non credis*[2], *quia ego in Patre, et Pater in me est?* tanquam unum; quasi dicat: hoc debes credere. Et hoc manifestat per opus: *Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse fecit opera,* et ita, si una est operatio, et una est substantia; supra quinto[3]: « Quaecumque Pater facit, haec et Filius similiter facit »; et octavo: « A me ipso facio nihil ».

12. (Vers. 11.). *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me*[4]? Simpliciter sine persuasione, sicut fides recta credit.

13. (Vers. 12.). *Alioquin propter opera ipsa credite;* supra decimo[5]: « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi ». Unde Augustinus: « Si separati essemus, nequaquam inseparabiliter operari possemus ». Et sic explicatum est, quo dixerat se iturum, quia non ibat ad Patrem ut ad aliquem *extra se;* sed Patri se aequalem credi facere volebat. Et hoc quidem discipuli iam sciebant, quia Deum verum esse credebant, et ita Patri aequalem per omnia; alioquin non esset verus Deus[6].

Amen, amen dico vobis. Tangitur hic quartum,
Quartum. scilicet *recessus Christi fructus* vel utilitas in credentibus; propter quod dicit: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet;* Matthaei decimo septimo[7]: « Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis ». Et ratio huius est Christi recessus a nobis; propterea subdit: *Quia ego ad Patrem vado,* ut scilicet appaream vultui Dei « ad interpellandum pro vobis[8] »; ideo primae Ioannis secundo: « Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum »; et ideo dicit:

14. (Vers. 13.). *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ideo dicit, quod petere debemus a Patre in nomine Filii, *ut* scilicet *honorificetur*[9] *Pater in Filio,* quia Filius propriam gloriam non quaerit, sed Patris; propterea dictum est supra septimo: « Qui quaerit gloriam eius qui misit illum, hic verax est ». Et ad maiorem certitudinem, quia firmior fit promissio duplici affirmatione; ideo subinfert:

15. (Vers. 14.). *Si quid petieritis*[10] *in nomine meo, hoc faciam;* et non iterat nomen Patris, ut ostendat, quod etiamsi petant ab ipso, obtineant, cum sit aequalis Patri; primae Ioannis tertio: « Si non reprehenderit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad Deum; et quodcumque petierimus, accipiemus ab eo ».

Quaestiones.

16. Quaest. I. Sed quaeritur primo de hoc quod Dominus dicit discipulis: *Quo ego vado, scitis et viam scitis:*

1. Quia Thomas statim quaerit tanquam ignorans et dicit, se ignorare[11].

2. Item, Philippus quaerit de *termino,* scilicet de Patre, et in hoc ostendit, se ignorare: ergo aut Dominus dixit falsum, aut ipsi quaerebant quod sciebant.

Respondetur ad hoc tripliciter: primo modo, Resp. 1.
quod Dominus non de omnibus dicebat, sed de ali-

---

[1] Vers. 2. Cfr. supra c. 8. n. 80. et tom. V. pag. 339, nota 3. loc. cit. ex Ambros. et August., qui his verbis sententiam Gen. 18, 2. exprimunt. — Vocibus *Videt oculo* ed. interserit *me, scilicet.*

[2] Vulgata *creditis.* — Libr. I. Sent. d. 19. p. I. q. 4. in corp. dicitur, quod in solo Deo est perfecta circumincessio, « quia ratio circumincessionis est perfecta unitas essentiae cum distinctione personarum ».

[3] Vers. 19; sequitur 8, 28. Cfr. I. Sent. d. 32. dub. 6. — Damasc., Ill. de Fide orthod. c. 14: Quorum voluntas et actio eadem est, eorum eadem quoque substantia est; quorum autem dispar voluntas et actio, horum etiam dispar est substantia. Vide tom. IV. pag. 42, notam 10.

[4] Vulgata addit *est.* Pro *Non creditis* in Graeco habetur Πιστεύετέ μοι i. e. *Credite mihi* (ab aliquibus v. g. Chrysost. et Cyrill. Alexandr. omittitur *mihi).* Hilar., VII. de Trin. n. 41: *Credite mihi, quoniam ego in Patre et Pater in me.* Quid est istud: rogo, *credite mihi?* Certe ad id refertur quod dictum est [v. 8.]: *Ostende nobis Patrem.* Fides confirmatur ex credendi praecepto, et ea fides, quae Patrem sibi ostendi poposcerat. August., in Ioan. Evang. tr. 71. n. 2: Antea [v. 9. et 10.] solus Philippus arguebatur, nunc autem non ibi eum solum fuisse, qui esset arguendus, ostenditur.

[5] Vers. 37. — August., in Ioan. Evang. tr. 71. n. 2: Neque enim, si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus. — Inferius pro *quo dixerat* ed. cum nonnullis codd. *quod dixerat,* H cum Gorrano *quomodo dixerat,* et subinde pro *ut ad aliquem* non pauci codd. *ut aliquem.*

[6] Cfr. infra n. 18. et 48.

[7] Vers. 19. Cfr. infra n. 21. seqq. — Cyrill. Alexandr., in hunc locum: O sermonum meorum ministri ac veri discipuli! quamdiu vobiscum in terris conversabar, vixi ut homo, non aperte omnino vobis Deitatis meae potestatem ostendi... Quoniam vero... illa... peracta... iamiam enim mortem perpetiar et resurgam, polliceor me vobis daturum maiora... Ibo quippe ad Patrem, consessurus videlicet conregnaturusque cum eo ut Deus ex Deo, incomprehensa virtute ac potestate amicis meis bona largiens. *Quodcumque petieritis* etc.

[8] Hebr. 7, 25. — Subinde allegatur I. Ioan. 2, 1.

[9] Vulgata *glorificetur.* — Sequitur Ioan. 7, 18.

[10] Vulgata addit *me.* — Inferius allegatur I. Ioan. 3, 21. seqq. — August., in Ioan. Evang. tr. 73. n. 4: Nullo modo igitur sine Patre hoc Filius facit, quandoquidem, ut in illo Pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo Pater in Filio, ut Filius glorificetur in Patre; et facit Filius in Patre, ut Pater glorificetur in Filio, quoniam unum sunt Pater et Filius.

[11] Supra v. 5; de Philippo v. 8.

quibus [1]. — Sed haec solutio non est conveniens, quia Dominus in praecedentibus excipiebat Iudam: *Non de omnibus dico.*

Aliter respondetur, quod sciebant et *viam* et
Resp. 2. *terminum*, sed non *sub illa ratione*, sub qua loquebatur, ut cognosco Coriscum, sed non in quantum est *veniens;* et ideo possum, Coriscum cognoscens, quaerere et dubitare de ipso sub ratione *venientis* [2].

Alio modo dicitur, quod sciebant, sed non adver-
Resp. 3. tebant vel actualiter considerabant [3]; et ideo Philippus reprehensus fuit de inconsideratione.

17. Quaest. II. Sed tunc quaeritur de responsione Domini ad Thomam: *Ego sum via, veritas et vita.* — Quomodo idem ipse, qui *vadit*, est *via?* Quomodo etiam ipse est *vita* et *terminus?* Hoc valde videtur inconveniens.

Dicendum, quod ipse est, *qui vadit*, et *per*
Resp. *quem itur*, et *ad quem pervenitur;* et ita est *veritas*, quae vadit; *via*, per quam itur; *vita*, ad quam pervenitur. Et hoc propter pluralitatem naturarum: quia *homo*, vadit; quia *Deus*, terminat; quia *mediator Dei et hominum* [4], facit viam.

18. Quaest. III. Item quaeritur de responsione, quam dat Philippo: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me?*

Videtur ex hoc, quod Philippus nondum credidisset in Christum. — Sed tunc quomodo dictum est supra [5] ei, quod esset mundus, cum nullus sit mundus nisi per fidem? — *Si tu dicas*, quod credebat; quomodo ergo, cum Patrem et Filium dicat esse unius essentiae, quomodo *videre Patrem* quaerebat? Videtur, quod contrarium fidei crediderit.

Ad hoc dicendum, quod Philippus credebat in
Resp. eum et credebat aequalem Patri et unum in substantia; *in habitu* hoc credebat. Sed quia tunc Filium de Patre distincte loqui audiebat, volebat eum et quaerebat *distincte videre;* quod non quaesivisset, si [6] considerasset essentiae unitatem. Ideo ex tali subreptione venialiter peccavit, et ideo reprehenditur a Domino.

19. Quaest. IV. Item, quid est quod dicit: *Qui videt me videt et Patrem?*

Quia Filius visibilis factus est, sed Pater mansit invisibilis. — *Si tu dicas*, quod loquitur secundum Divinitatem; hoc nihil est: quia [7] *Deum nemo vidit unquam*, nec Patrem nec Filium, quia, si Filium, tunc et Patrem.

Respondeo: Dicendum, quod loquitur de visione Resp.
Divinitatis, non humanitatis. Sed hoc est dupliciter, Duplex visio.
scilicet per *fidem*, sicut *videmus nunc per speculum in aenigmate* [8]; et per *speciem.* Et loquitur hic de visione per *fidem;* quia nullus perfecte credit in Filium, quin etiam in Patrem.

20. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ego in Patre, et Pater in me. — Contra:* Tunc arguitur ex hoc: ergo Pater est in Patre. — Quaeritur etiam: quare non recipitur ista: Pater est in Patre?

Respondeo: Dicendum, quod haec praepositio Resp.
in, quia *praepositio*, importat distinctionem [9]; quia vero *haec* praepositio, importat essentiae unitatem; ideo conceditur, quod Pater in Filio, et Filius in Patre. Sed non sequitur, quod Pater in Patre sit, immo est ibi *accidens*, sicut hic: ego sum similis tibi, et tu mihi: ergo ego sum similis mihi; *accidens*, quia *similitudo* importat simul convenientiam et distinctionem [10].

21. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet.*

1. Hoc falsum est: quia opera illa erant potentiae infinitae: ergo nullus illa facit nisi Deus.

2. Item, quid est quod dicit: *Maiora faciet?* Quia maximum est suscitare mortuum et foetidum mortuum; quomodo potest esse maius miraculum?

---

[1] Cfr. supra pag. 436, nota 10. verba Glossae. — Subinde allegatur Ioan. 13, 18: Non de omnibus vobis dico.

[2] Ad rem illustrandam utitur S. Doctor exemplo, quod apud Aristot., II. Elench. c. 4. (c. 24.) occurrit et ibid. plenius examinatur, an et quomodo valeat. — Ed. superius pro *in quantum* substituit *in quo modo*, et hic legit *venientis hoc vel alio modo. Vel dicitur* etc. In nota adiecta quaerit Bonelli: « Sed quid est *Choriscus?* Num qui dicitur *Choricanus*, aut *Choricista*, id est chori cantor... An qui nuncupatur *Choragus* sive dux chori... Nunquid *Choregus* sive caput choreae... sive *Choreastes*, id est saltàtor... Ab aliis edoceri malim, quam alios docere ». Cfr. quae tom. II. pag. 472, nota 10. ex locis Aristot. diximus, scil. quod Sophistae utebantur nomine ficto Corisci ad exponendas suas fallacias. Adiungimus, quod Herm. Bonitz, in Indice Aristotelico (Berolini 1870) ait: Κορίσκος usitatum nomen ad significandum quemlibet hominem.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 69. n. 1: Sed nescit ille [Dominus] mentiri: ergo isti sciebant et scire se nesciebant. — Ed. cum Gorrano *actualiter non considerabant.*

[4] Epist. I. Tim. 2, 5. Cfr. supra pag. 437, nota 3, et August., in Ioan. Evang. tr. 69. n. 2. seqq.

[5] Cap. 13, 10. seq. — Act. 15, 9: Fide purificans corda eorum.

[6] Ed. cum Gorrano *si actu.* Cfr. supra n. 16. in fine et pag. 436, nota 10.

[7] Ut dicitur supra 1, 18.

[8] Epist. I. Cor. 13, 12; ibid. II. 5, 7: Per fidem enim ambulamus et non per speciem. Cfr. supra c. 12. n. 71. — Ed. post *speculum* addit *et*, refragantibus Vulgata et codd.

[9] Vide supra c. 1. n. 3. — De seq. propositione cfr. I. Sent. d. 19. p. I. q. 4. ad 1. 4. 5. et dub. 6; II. Sent. d. 13. dub. 4, ubi ostenditur, quod et quomodo praepositio *in* importat unitatem sive identitatem. — Ed. cum Gorrano: *Dicendum, quod haec praepositio* in *aliquando importat distinctionem, aliquando non. Hic importat essentiae unitatem* etc.

[10] Aristot., V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.): *Eadem* enim sunt, quorum substantia una; *similia* vero, quorum qualitas una; *aequalia* autem, quorum quantitas una. Cfr. I. Sent. d. 31. p. I. q. 2. in corp. — De *accidente* sive, ut superius ed. bis substituit, de *fallacia accidentis*, cfr. Aristot., I. Elench. c. 4. et II. c. 4. (I. c. 5. et 24.).

3. Item, si non est *servus maior domino suo* [1], non est conveniens, quod Deus maiora opera faciat per servos Christi quam per ipsum Filium.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus ad invo-
Resp. cationem Apostolorum plura fecit miracula, quam per se ipsum fecerat.

1. Quod autem dicitur, quod credens *faciet*:
Ad 1. hoc dicitur, quia ad ipsius invocationem fit; vel quia ab hominibus ipse facere putatur.

2. Quod iterum dicitur, quod *maiora*; dicen-
Ad 2. dum, quod *maiora* non quantum ad factum, sed quantum ad *modum*; quia legitur Actuum quinto [2], quod ad umbram Petri sanabantur infirmi. Item dicitur de Apostolis, quod ad praesentiam indumentorum sanati et resuscitati sunt mortui.

3. Non tamen propter hoc servus maior do-
Ad 3. mino, quia Apostoli *non faciebant*; non ad gloriam *suam*, sed ad gloriam *Christi* [3].

22. Quaest. VII. Iterum quaeritur de hoc, quod dicit: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet.* — Quaeritur, utrum intelligat de fide *informi*, aut *formata*.

Quod de *informi*, videtur: 1. Quia dicitur primae ad Corinthios decimo tertio [4]: *Si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam* etc.: ergo per fidem informem sine caritate fiunt.

2. Item hoc videtur, quia multi mali fecerunt miracula, sicut dicitur Matthaei septimo [5].

Sed contra hoc est; quia peccator indignus est pane, quo vescitur [6]: ergo si habens fidem informem est in peccato, nullo modo meretur exaudiri.

Respondeo: Dicendum, quod est exaudiri *de*
Resp. cum distinctione. *congruo* et *de condigno*; habens fidem *informem* exauditur frequenter et meretur exaudiri tantum *de congruo* quantum ad ea, de quibus habet fidem, quod Dominus exaudiat eum [7].

23. Quaest. VIII. Sed tunc quaeritur: si habentes fidem faciunt miracula; et hodie pauci aut nulli miracula faciunt: ergo pauci aut nulli habent fidem. — In huius attestationem adducitur quod dicitur Matthaei vigesimo primo [8]: *Si habueritis fidem et dixeritis monti huic: Transfer te in mare; fiet.* Sed quis est, qui posset hoc facere?

Respondeo: Dicendum secundum Gregorium [9] Resp. cum distinctione. et Augustinum, quod duplicia sunt opera mirabilia: quaedam *sensibilia*, quaedam *spiritualia*: *sensibilia*, ut suscitare mortuos, et huiusmodi sunt necessaria ad astruendam fidem simplicium; sed *spiritualia* sunt suscitatio a morte spirituali per Sacramenta. Prima cessaverunt, quia fides est multiplicata; secunda semper manent propter nostram salutem. Unde intelligendum, quod Dominus loquebatur eis vel de mirabilibus *spiritualibus*, vel loquebatur pro tempore *Ecclesiae primitivae*, in quo gentiles et idiotae informandi erant ad fidem. Nihilominus tamen modo fiunt, sed Dominus arctavit manum, quia non est sic opus.

24. *Si diligitis me* etc. Supra hortatus est Do- Secundo hortatur ad observantiam mandatorum quadrupliciter. minus ad fidem, in hac secunda parte, quia « fides sine operibus mortua est [10] », hortatur *ad observationem mandatorum*; et hoc quidem facit hoc ordine. Primo hortatur promittendo *auxilium*; secundo, promittendo *solatium*; tertio, *praemium*; quarto exprimit, quod sit horum *meritum*.

(Vers. 15.). Primo ergo hortatur ad *observan-* Expositio litteralis. *tiam mandatorum*; et quia contingit, mandata servari ex timore, ut in Lege, et hoc non quaerit; contingit etiam servari amore, et hoc quaerit: ideo dicit: *Si diligitis me, mandata mea servate*, scilicet amore mei; secunda Ioannis [11]: « Haec est caritas, ut ambulemus secundum mandata eius ». Ta- Primum. libus *promittit auxilium*; propter quod dicit:

---

[1] Supra 13, 16.

[2] Vers. 15. August., in Ioan. Evang. tr. 71. n. 3: « Maius est enim, ut sanet umbra quam fimbria. Illud per se [Christus], hoc per ipsos, sed tamen utrumque ipse ». Subinde affert etiam has explicationes, quod Christi verbis et factis crediderunt pauci, « verumtamen evangelizantibus discipulis non tam pauci, quam illi erant, sed gentes etiam crediderunt »; et quod aliquid, quod facit in nobis, non sine nobis, maius est omnibus, quae sine nobis facit, ut quod ex impio fit iustus, maius est omnibus, caelo et terra, quia illa transibunt, hoc manebit (ibid. tr. 72. n. 3.). Origen., in Num. homil. 7. n. 6: Vere enim maius mihi videtur, quod homo in carne positus, fragilis et caducus, fide tantum Christi et verbo eius armatus, superet gigantes, daemonum legiones. Quamvis ipse sit, qui vincit in nobis, plus tamen esse dicit, quod per nos vincit, quam quod per se vincit. — De sanatione aegrotorum per indumenta Pauli vide Act. 19, 12.

[3] Cfr. Act. 3, 12. seqq. — Superius post *faciebant* ed. addit *virtute sua, sed in nomine Christi.*

[4] Vers. 2. [5] Vers. 22.

[6] Cfr. supra pag. 205, nota 2.

[7] Vide III. Sent. d. 23. a. 2. q. 2, ubi ostenditur, quod et quomodo fides informis sit donum Dei et habitus infusus. — De merito *congrui* et *condigni* cfr. I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1. in corp. et II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.

[8] Vers. 21.

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 4. August., Serm. 88. (alias 18. de Verbis Domini) c. 1. n. 1. seqq., ubi ostendit, quod Christus miraculis corporalibus aedificabat fidem in principio Ecclesiae, quodque Ecclesia postea sine his miraculis laudabilior, et in ipsa nunc Christus maiora operatur miracula: « Haec ergo [miracula corporalia] fecit Dominus, ut invitaret ad fidem. Haec fides nunc fervet in Ecclesia toto orbe diffusa. Et nunc maiores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic et melior salus animi quam salus corporis » etc. (c. 3. n. 3.). Cfr. XXII. de Civ. Dei, c. 8. n. 1. seqq., ubi insuper probat, quod « etiam *nunc* fiunt miracula in eius [Christi] nomine sive per Sacramenta eius, sive per orationes vel memorias Sanctorum eius » etc.

[10] Iac. 2, 20. et 26. Cfr. supra n. 1, ubi etiam de divisione huius capituli.

[11] Vers. 6. — August., contra Adimant. c. 17. n. 2: Nam haec est brevissima et apertissima differentia duorum testamentorum: *timor* et *amor*; illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet etc. Cfr. III. Sent. d. 40. q. 1.

25. (Vers. 16.). *Ego rogabo Patrem, et alium* Quid sit Paracletus. *Paracletum dabit vobis. Paracletus* dicitur consolator vel advocatus; *alium* dicit, in quo innuit se consolatorem et advocatum; primae Ioannis secundo [1]: « Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum ». Alium advocatum promittit eis aeternum, quia ipse consolator in praesentia corporali non fuerat nisi ad tempus. *Ut maneat vobiscum in aeternum;* non sic in Saul, de quo primi Regum decimo sexto [2]: « Spiritus Domini recessit a Saul » etc. Et quis sit iste advocatus, subdit:

26. (Vers. 17.). *Spiritum veritatis,* qui a Patre procedit, dabit, scilicet alium Paracletum *Spiritum veritatis* etc. Hunc Spiritum describit quantum ad Effectus ipsius. *effectum,* unde vocat *Spiritum veritatis,* quia docet vera, sicut spiritus erroris falsa; infra decimo sexto [3]: « Cum venerit, docebit vos omnem veritatem ». Inhabitatio ipsius. Describit etiam quantum ad *hospitium,* quia non in infidelibus, sed fidelibus, non in animalibus hominibus, sed spiritualibus; propter quod subdit: *Quem mundus non potest accipere.* Et ratio est, quia caecus est per infidelitatem; *quia non videt eum,* cognitione aperta, *nec scit eum,* quacumque intelligentia; Sapientiae primo [4]: « Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt absque intellectu »; et primae ad Corinthios secundo: « Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt ». *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit;* Apocalypsis secundo [5]: « Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit ». De hac notitia Sapientiae decimo quinto: « Nosse te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis ». Et notandum quod dicit: *Apud vos manebit et in vobis erit,* si- Duplex gratia. gnificans duplicem gratiam Spiritus sancti: *praevenientem* et *subsequentem;* Psalmus [6]: « Misericordia eius praeveniet me »; et in alio Psalmo: « Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae ».

27. (Vers. 18.). *Non relinquam vos orphanos.* Secundum. Hic secundo discipulis mandata observantibus *promittit solatium* de sua visitatione; propter quod dicit: *Non relinquam vos orphanos,* id est desolatos; *veniam ad vos,* visitando scilicet; Marci ultimo [7] dixit Angelus: « Praecedet vos in Galilaeam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis ». Et sicut Spiritus sanctus non mittitur nisi ad bonos, sic et Christi visitatio tantum bonis; propterea subdit:

28. (Vers. 19.). *Adhuc modicum, et mundus me iam non videt,* quia post passionem non apparuit mundanis, sed Apostolis; Actuum decimo [8]: « Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo ». *Vos autem videbitis* [9] *me; quia ego vivo,* per vitam gloriae, *et vos vivetis,* per vitam gratiae, quae inchoatur in fide; de qua Habacuc secundo: « Iustus autem meus ex fide vivit ». Et quod hanc vitam fidei perfectae tunc habeant, monstrat: Duplex vita.

29. (Vers. 20.). *In illa die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo;* in quo notatur personarum distinctio et unitas essentiae; quod spectat ad fidem Trinitatis [10]; *et vos in me, et ego in vobis,* per gratiam, et hoc spectat ad fidem redemptionis. *Vos in me,* sicut *palmites* in vite; infra decimo quinto: « Ego sum vitis, vos palmites; manete in me ». *Et ego in vobis,* sicut *inhabitator* in habitaculo: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos », primae ad Corinthios tertio.

30. (Vers. 21.). *Qui habet mandata.* Tangitur Tertium. hic tertium, scilicet quia observantibus mandata *promittitur praemium.* Et ratio huius est, quia talis, qui servat mandata, diligitur a Domino, et ideo beatificatur et glorificatur; propter quod dicit: *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me;* quia, sicut dicit Gregorius [11], « probatio dilectionis exhibitio est operis »; unde in Psalmo: « Iustitia illius in filios filiorum his qui servant testamentum eius et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea ». Qui sic servat, ille quidem diligit vere, non verbo tantum, sicut illi, de quibus di-

---

[1] Vers. 1. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3: Graeca locutione *Paracletus* Latina *advocatus* dicitur, vel *consolator*. Cfr. infra n. 36.

[2] Vers. 14.

[3] Vers. 13. — Cyrill. Alexandr., in hunc loc.: *Veritatis Spiritum,* id est Filii (cui veritas appropriatur: *Ego sum via, veritas* etc.). Theophylact., in hunc locum: *Spiritum* autem *veritatis,* inquit, hoc est spiritum non veteris testamenti; nam illa figura est et umbra; sed novi, quod est veritas.

[4] Vers. 5. — Sequitur I. Cor. 2, 14.

[5] Vers. 17. — Subinde allegatur Sap. 15, 3.

[6] Psalm. 58, 11. et Ps. 22, 6. — De gratia *praeveniente* et *subsequente* cfr. II. Sent. d. 27. dub. 1.

[7] Vers. 7. — Glossa *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 75. n. 1.): *Non relinquam:* Non ita dabitur Spiritus pro me, ut ego etiam non sim vobiscum. *Orphani* Graece, *pupilli* Latine est.

[8] Vers. 40. et 41, cuius verba ed. integra allegat.

[9] Vulgata *videtis.* — Sequitur Habac. 2, 4. Cfr. supra pag. 292, nota 7. Cod. E *Iustus meus ex fide sua vivet.* August., in Ioan. Evang. tr. 75. n. 3, dicit, quod « duas resurrectiones, suam scilicet mox futuram et nostram in saeculi fine venturam, duobus verbis praesentis temporis [*ego vivo*] et futuri [*vos vivetis*] eleganter breviterque promisit ».

[10] Cfr. supra n. 11. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 15, 4. seq.: Manete in me, et ego in vobis... Ego sum vitis, vos palmites; et I. Cor. 3, 17. Glossa *interlinearis: Quia ego sum in Patre meo,* ut radius in sole, unum cum ipso; *et vos in me,* ut palmites in vite; *et ego in vobis,* ut ait Apostolus [Rom. 8, 10.]: *Si autem Christus in nobis* [Vulgata: *in vobis est*]. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 75. n. 4.

[11] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1. — Subinde allegantur Ps. 102, 17. 18. et I. Ioan. 3, 18. August., in Ioan. Evang. tr. 75. n. 5: *Qui habet* in memoria *et servat* in vita; *qui habet* in sermonibus *et servat* in moribus; *qui habet* audiendo *et servat* faciendo; aut *qui habet* faciendo *et servat* perseverando, *ipse est,* inquit, *qui diligit me.*

citur primae Ioannis tertio: « Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate ». *Qui autem diligit me diligetur a Patre meo*, et etiam a me, *et ego diligam eum;* Proverbiorum octavo [1]: « Ego diligentes me diligo »; et dilectionem ostendam in praemio; unde: *Et manifestabo ei me ipsum*, et hoc est praemium; unde in Psalmo: « Ostendam illi salutare meum »; Glossa: « Visio est tota merces »; infra decimo septimo: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum ».

31. (Vers. 22.). *Dicit ei Iudas* etc. Hic quarto
Quartum. loco exprimitur, *meritum esse in mandatorum observatione.* Quia enim dixerat, quod manifestare se debebat Apostolis et non mundo; coepit dubitare discipulus, propter quid diceret. Propter quod sequitur: *Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est*, id est, quae causa est huius [2], *quia te ipsum nobis manifestaturus es et non mundo?* Et respondet ei Dominus, quod *meritum* est in causa, quia illi mandata non observant, in quibus est meritum videndi; propter quod dicit:

32. (Vers. 23.). *Respondit Iesus et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit;* Lucae sexto [3]: « Quid vocatis me Domine, Domine, et non facitis quae praecipio vobis »? « Amor Dei non est otiosus; operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est ». Et ex hac observatione
Notandum. meretur Domini manifestationem; unde *et Pater meus diliget eum;* et ex hac dilectione sequitur manifestatio; ideo dicit: *Et ad eum veniemus.* Et si venit Dominus, nullum bonum deest; Sapientiae septimo [4]: « Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa ». *Et mansionem apud eum faciemus*, et hoc merito observantiae mandatorum; unde Gregorius: « Qui Deum vere diligit et mandata eius perfecte custodit, in eo mansionem Dominus facit; quia sic eum Divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tenIllatio. tationis tempore non recedat ». — Et ideo, supple, manifestabor vobis, qui mandata mea servatis, eo quod me diligitis, et ideo meremini.

33. (Vers. 24.). *Qui non diligit me sermones meos non servat;* et ideo talis non meretur me videre. Talis est mundus et mundani; infra decimo quinto [5]: « Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit »; et ideo mandata eius non servat; et ideo se non manifestat mundo. Et ne reputes, quod sermones suos proprios dixerit et non Patris, subdit: *Et sermonem, quem audistis, non est meus*, id est sermo; antiptosis est, in qua ponitur casus pro casu; *sed eius qui misit me Patris;* supra duodecimo [6]: « Ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar ».

Quaestiones.

34. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Si diligitis me, mandata mea servate;* et post: *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* — Ergo videtur, quod possent diligere et mandata servare, antequam daretur eis Spiritus sanctus. Vel si habent [7], *quare* dabit et *quomodo?*

Respondeo: Dicendum, quod Spiritum sanctum Resp. habebant ad diligendum et mandata servandum; sed eis promittebatur a Domino ad ampliores effectus et maius munus. Unde Augustinus [8]: « Restat, ut intelligamus, Spiritum sanctum habere qui diligit et habendo mereri, ut plus habeat et plus habendo plus diligat ».

35. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ego rogabo Patrem.* — Augustinus dicit, de Natura et gratia [9], quod « nullus orat pro eo quod potest per se facere »: ergo si Filius orat pro datione Spiritus sancti, Filius non potest dare Spiritum sanctum.

Respondendum ad hoc, quod eo modo *rogat*, Resp. quo modo *meretur;* et hoc secundum humanam naturam, secundum quam passus et sublimatus sua passione et oratione meruit nobis Spiritus sancti donationem, et secundum illam naturam non poterat *dare*, sed *impetrare* [10].

---

[1] Vers. 17. — Sequuntur Ps. 90, 16; Glossa *interlinearis:* Haec visio erit merces fidei [August., in Ioan. Evang. tr. 75. n. 5: Tunc (in patria Christus) ad hoc diliget, ut videamus et ipsam visionem mercedem fidei capiamus]; Ioan. 17, 3.

[2] Glossa *ordinaria* (secundum August., in Ioan. Evang. tr. 76. n. 1. seq.): Audito, quod mundus *modo* videbit eum, sed ipsi *videbunt*, pro omnibus quaesiturus quaerit Iudas causam huius discretionis. Haec autem causa est secundum responsionem Domini *dilectio*, per quam solam et non per aliam discernitur gens sancta a non sancta [cfr. supra pag. 434, nota 3.].

[3] Vers. 46. — Immediate post sequitur sententia Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2.

[4] Vers. 11. — Verba Gregorii habentur loc. cit. in praecedente nota. Pro *in eo mansionem Dominus facit* textus originalis (quem sequitur ed.) *in eius corde Dominus et venit et mansionem facit*, et pro *Divinitatis* non pauci codd. cum Gorrano *diligentis*.

[5] Vers. 18.

[6] Vers. 49. — Cfr. Serm. 9. de Verbis Domini in Coena (inter opera Bernardi) n. 10: « *Et sermonem, quem audistis, non est meus*, sic est intelligendum: Sermo, *quem audistis, non est meus;* et est ibi quaedam figura, quae dicitur antiptosis [ἀντί i. e. *pro* et πτῶσις i. e. *casus*], quando casus ponitur pro casu ». — Vide supra c. 4. n. 32, ubi habetur: « *Hunc*, id est *hic;* antithesis est » [ut videtur, etiam ibi pro lectione erronea codicum erat substituendum *antiptosis*]. Pro *antiptosis* codd. cum Gorrano *antithesis*, N *antichosis*.

[7] Ed. *aut si habebant.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 74. n. 2. Cfr. supra c. 7. n. 57.

[9] Cap. 18. n. 20: Nam quid stultius quam orare, ut facias quod in potestate habeas?

[10] Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1, ubi eadem obiectio (1. ad opposit.) solvitur.

36. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Alium Paracletum dabit vobis.* — Si enim *Paracletus* dicitur advocatus, et advocatus est mediator; Spiritus vero sanctus non potest esse mediator: ergo nec Paracletus, ergo nec advocatus.

Respondeo: Dicendum, quod Spiritus sanctus di- Resp.
citur *Paracletus* in duplici significatione: et quia Duplex Paracleti significatio.
consolator spe veniae, unde datus est nobis *in pignus hereditatis aeternae* [1]; et etiam, quia *advocatus.* Sed *advocatus* dicitur dupliciter: aut quantum ad *personam*, aut quantum ad *officium. Filius* Advocatus dicitur dupliciter.
est advocatus quantum ad *personam* advocati, quia est mediator; sed *Spiritus sanctus* quantum ad *officium.* — Triplex autem advocati est officium, scilicet *postulare*, et hoc habet Spiritus sanctus; ad Romanos octavo [2]: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* —. *Respondere*, et hoc facit Spiritus sanctus; Matthaei decimo [3]: *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* — Tertium est adversam partem *arguere*, et hoc Spiritus sancti; infra decimo sexto: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato* etc. Triplex eius officium.

37. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *mundus non cognoscit Spiritum sanctum, vos autem cognoscetis, quia in vobis erit.*

Sed obiicitur: quia Spiritus sanctus est in omnibus, tam in bonis quam in malis, cum sit Deus: ergo omnes cognoscunt. — *Si tu dicas*, quod non loquitur de *esse per praesentiam*, sed *per gratiam*; istud est falsum, quia [4] *nemo scit, utrum amore, an odio dignus sit:* ergo nemo scit, utrum habeat Spiritum sanctum quantum ad effectum gratiae.

Respondeo: Dicendum, quod hic loquitur de Resp.
cognitione Spiritus sancti in suo effectu *manifesto* [5]; unde loquitur de *esse* eius in nobis, non per *essentiam*, sed per *effectum*, et ideo patet responsio ad primum.

Sed notandum [6], quod duplex est effectus Spi- Duplex effectus Spiritus S.
ritus sancti: quidam, qui est in nobis et *nos respicit*, sicut amare, credere et timere, et hos sumus certi nos habere, cum habemus; quidam, qui *respicit aliquid supra nos*, scilicet gratificare, quod est gratum Deo facere, et quantum ad hunc effectum non est nobis notus nisi per specialem revelationem; potest tamen esse notus probabiliter, licet non certitudinaliter [7].

38. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicitur de Patre, quod *Pater veniet;* unde: *Ad eum veniemus.*

1. Propter quid potius dicit de se et Patre quam de Spiritu sancto?

2. Et videtur, quod non debeat de Patre dici, quia Pater *mittit* Filium. Quodsi Pater simul veniret cum Filio, qua ratione mitteret Filium, eadem ratione et se ipsum [8]. — Item, quomodo *venit* qui ubique est et creaturam non assumit [9]?

Respondeo: Dicendum, quod *venire Dei ad nos,* Resp. ad 2.
sicut dicit Augustinus, intelligitur secundum *effectum*, non per *essentiam*; unde Augustinus [10]: « Veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo ». Quoniam ergo opera Trinitatis sunt indivisa [11], ideo, quando venit Spiritus sanctus, secundum *veritatem* venit Pater et Filius; tamen secundum *appropriationem* attribuitur Patri, alteri personarum. Quid sit venire.
— *Mittere* vero, praeter hoc quod dicit *effectum*, im- Quid mittere.
portat *personalem distinctionem* per auctoritatem et subauctoritatem; et ideo, etsi Pater *veniat* cum Filio, non tamen *mittit* se cum Filio. — De Spiritu san- Ad 1.
cto non facit mentionem, quia supra [12] dixerat.

39. *Haec locutus sum vobis* etc. Haec est tertia Tertio praedicit recessus sui acceleratione tangendo duo.
pars capituli [13], in qua, iam facta exhortatione, *praedicit recessus sui accelerationem*, ut, cum factum fuerit, credant. Et ne de hoc desolentur, non statim proponitur, sed praemittitur *consolatio* et subiungitur *acceleratio*, ibi [14]: *Nunc dixi vobis* etc.

---

[1] Respicitur Eph. 1, 14: Qui est pignus hereditatis nostrae etc. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3: *Consolator* autem idem Spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione moerentibus, dum spem veniae praeparat, ab afflictione tristitiae mentem levat.

[2] Vers. 26. — Gregor., loc. in praecedente nota cit.: Qui [Spiritus sanctus] idcirco *advocatus* dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam Patris intervenit. Qui, unius substantiae cum Patre et Filio, exorare pro delinquentibus perhibetur, quia eos quos repleverit, exorantes facit. Unde et Paulus dicit: *Ipse enim Spiritus postulat pro nobis* etc. Cfr. infra 16, 26. — Ed. post *pro nobis* addit *id est, nos ad postulandum inflammat.*

[3] Vers. 19. seq. — Subinde allegatur Ioan. 16, 8. — Inferius pro *et hoc Spiritus sancti* varii codd. *et hoc* [C N et ed. cum Gorrano addunt *facit*, L addit *est*] *Spiritus sanctus.*

[4] Ut dicitur Eccle. 9, 1. — De diversis modis existendi Deum in rebus creatis cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 3. q. 2.

[5] In die scilicet Pentecostes veniens super Apostolos, ut notat Bonelli; cfr. Act. 2, 2. seqq. et supra c. 7. n. 57.

[6] Ed. *Quoad secundum notandum.*

[7] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 3.

[8] Vide I. Sent. d. 15. p. I. q. 3. et 4, ubi ostenditur, quod missio, passive accepta, nullatenus dici potest de Patre, eo quod missio passiva importet emanationem et subauctoritatem, ut etiam infra in responsione dicitur.

[9] Cfr. supra c. 1. n. 31.

[10] In Ioan. Evang. tr. 76. n. 4.

[11] Cfr. tom. III. pag. 12, nota 2. — Inferius pro *alteri personarum* ed. inepte *alteram personarum mittere;* ibid. C N omittunt *Patri.*

[12] Vers. 16. et 17. — August., in Ioan. tr. 76. n. 4: Ne quis porro existimet, Patrem tantummodo et Filium sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat quod superius [v. 17.] de Spiritu sancto dictum est: *Quem mundus non potest accipere... vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.*

[13] Cfr. supra n. 1. — Subinde respicitur v. 29: Ut cum factum fuerit, credatis.

[14] Vers. 29: *Et nunc dixi* etc.

Et *consolationem* eis praebet multipliciter: primo, ex *Spiritus sancti exspectatione;* secundo, ex *pacis donatione;* tertio, ex *visitationis promissione;* quarto, ex *suae exaltationis congratulatione.* Primo, de consolatione quatuor.

(Vers. 25.). Primo ergo ponit consolationem ex *Spiritus sancti exspectatione;* propter quod dicit: *Haec locutus sum vobis, apud vos manens;* Lucae ultimo [1]: « Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum »; nec debetis turbari, si non intelligitis, quia intelligetis in adventu Spiritus sancti; unde: Expositio literalis. Primum.

40. (Vers. 26.). *Paracletus autem Spiritus* [2], *quem mittet Pater in nomine meo,* id est, in fide nominis mei, quia non nisi credentibus in Christum datus est; supra septimo: « Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae »; Actuum quarto: « Nec enim est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ». *Ille,* inquam, Spiritus *docebit vos omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis;* Sapientiae septimo [3]: « Omnium artifex docuit me sapientia; est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus ».

41. (Vers. 27.). *Pacem relinquo vobis.* Secundo consolatur ex *pacis datione* [4] seu donatione, in qua magna est consolatio; propter quod dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis;* ingeminat pacem, ut innuat pacem *gratiae* et pacem *gloriae;* unde Augustinus [5]: « Pacem suam nobis *relinquit,* in qua manentes hostes vincimus; pacem suam *dat* nobis, quando sine hoste regnabimus »; Isaiae vigesimo septimo: « Faciet mihi Dominus pacem, pacem faciet mihi ». Hanc dat observantibus mandata; Isaiae quadragesimo octavo: « Utinam attendisses mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua ». Exponit quod dicit *meam;* quia discretive dictum est *meam* [6], scilicet non mundi; et ideo subiungit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis;* quia mundus dat *carnaliter,* ego do *spiritualiter;* mundus dat *temporaliter,* ego autem *aeternaliter;* mundus *exterius,* ego vero *interius.* Propterea scribitur ad Philippenses ultimo [7]: « Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu ». Pax mundi custodit corpora et possessiones; de qua Matthaei decimo: « Non veni pacem mittere, sed gladium ». Secundum. Duplex pax.

Non turbetur cor vestrum. Hic iam tertio consolatur [8] ex *visitationis promissione,* quam etiam supra promiserat; propter quod dicit: *Non turbetur cor vestrum neque formidet;* et ecce ratio: Tertium.

42. (Vers. 28.). *Audistis, quia ego dixi vobis: Vado et venio ad vos;* supra eodem [9]: « Et si abiero » etc.; infra decimo sexto: « Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis ».

Si diligeretis me. Hic iam quarto consolatur ex *suae exaltationis congratulatione;* debent enim eius exaltationi congratulari, si eum diligunt; propter quod dicit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem;* quia in hoc itinere est mea exaltatio. Unde subdit: *Quia Pater maior me est,* et ita, cum vado sedere ad dexteram Patris, ego exaltor; de qua exaltatione ad Hebraeos primo [10]: « Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus » etc. Et de hac exaltatione caritas congaudet; unde ad Romanos duodecimo: « Gaudere cum gaudentibus » etc. Quartum.

43. *Et nunc dixi vobis.* Postquam praemissa est consolatio, subiungitur hic *recessus acceleratio.* Et primo notatur *ratio praedicendi;* secundo, *ratio accelerandi;* tertio, *signum accelerationis.* Secundo, de recessus acceleratione tria.

(Vers. 29.). Notatur ergo primo *ratio, quare praedicit,* scilicet ad fidei robur; propter quod dicit: *Nunc* [11] *dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis;* quia illud firmavit fidem eorum, quia viderunt ita evenire, sicut praedixerat. Si enim non praedixisset, dubitassent, utrum hoc voluntarie pertulisset. Unde post resurrectionem haec ad memoriam reducebat; Lucae ultimo [12]: « Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri, quaecumque scripta sunt de me ». Et: « Quoniam scriptum est, et sic oportebat Christum pati » etc. Primum.

44. (Vers. 30.). *Iam non multa.* Tangitur hic secundum, scilicet *accelerandi ratio,* et haec *diaboli infestatio* et *divina voluntas:* propter *infestationem diaboli,* qui armabat satellites ad comprehendendum Christum; ideo dicit: *Iam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi huius,* id est, diabolus accelerat. Diabolus veniebat in suis satellitibus, sed tamen hoc non cogit: Quia *in me non habet quidquam;* non habebat quidquam, quod Secundum. Ratio 1.

---

[1] Vers. 44. — Glossa *ordinaria* in Ioan. 14, 26: *Consolari* cum sit opus Trinitatis, ad personam tamen maxime Spiritus sancti pertinet, quia in Scriptura nomine bonitatis Spiritus sanctus designatur; per bonitatem ergo Deus nos consolatur, per eam omnia bona sua nobis tribuit.

[2] Vulgata addit *sanctus.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 7, 38. et Act. 4, 12.

[3] Vers. 21. seq.

[4] Permulti codd. *dimissione;* cfr. Du Cange, Glossarium etc.: *Dimittere,* relinquere testamento, legare, donare... Hinc *Dimissoria,* legatum seu donatio etc.

[5] In Ioan. Evang. tr. 77. n. 3, ubi pro *hostes* et *dat* textus originalis *hostem* et *dabit.* — Sequuntur Isai. 27, 5. et 48, 18.

[6] Cfr. supra pag. 344, nota 15.

[7] Vers. 7. — Sequitur Matth. 10, 34. — Chrysost., in Ioan. homil. 75. (alias 74.) n. 3: Externa pax enim perniciosa saepe est et inutilis nihilque prodest; ego vero talem vobis do pacem, ut illam mutuo servetis, quod vos fortiores efficiet etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 77 n. 5.

[8] Ed. cum Gorrano addit *eos.*

[9] Vers. 3; sequitur 16, 22.

[10] Vers. 3. et 4. Ed. vers. 4. et 5. integre exhibet. — Subinde allegatur Rom. 12, 15. Cfr. infra n. 47.

[11] Vulgata *Et nunc.*

[12] Vers. 44. et 46. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 79. n. 1.

exigat nec quod reprehendat, quia non habebat peccatum, et ipse principatur in peccatoribus; unde Iob quadragesimo primo[1]: « Ipse est rex super omnes filios superbiae ». Unde est princeps tenebrarum; ad Ephesios sexto: « Adversus mundi rectores tenebrarum harum »; et in Christo nulla tenebra, quia ipse « erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». — Sed alia
Ratio 2. ratio, *divina voluntas*, magis trahebat; ideo dicit:

45. (Vers. 31.). *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem*, ideo morior ad eius imperium; unde: *Sicut*[2] *mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* De hoc mandato supra decimo: « Hoc mandatum accepi a Patre meo ». Hoc mandatum dedit ei Deus Pater, non quia meruisset ipse, sed pro nostra salute; unde secundae ad Corinthios quinto[3]: « Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit » Deus Pater, « ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso ». Hoc autem fecit pro nostra dilectione; supra tertio[4]: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret ».

Surgite, eamus. Tangitur hic tertium, scilicet
Tertium. *signum accelerationis recessus*, quod est in hoc, quod discipulos suos monet inde discedere; propter quod dicit: *Surgite, eamus hinc*, in quo ostendit, se voluntarie pati. Simile dicitur Matthaei vigesimo sexto[5]: « Surgite, eamus; ecce, appropinquavit qui me tradet ».

Quaestiones.

46. Quaest. I. Sed potest hic quaeri primo de hoc quod dicit, quod *Spiritus sanctus suggeret omnia*, quae Filius dixerat; *suggerere* enim est inferioris.

Ad hoc respondet Gregorius[6]: « Quod Spiritus
Resp. sanctus *suggerere* dicitur, non quod scientiam ab imo inferat, sed quia ab occulto ».

47. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.*

1. Ex hoc arguit Arius, quod Filius est minor Patre. — *Si tu dicas*, hoc esse dictum secundum humanam naturam; tunc pari ratione deberet dicere, quod *ego* maior me ipso sum.

2. Item Hilarius[7] dicit, quod Pater est *maior* Filio secundum divinam naturam; et tunc arguitur *a relativis*, quod Filius est *minor* Patre: ergo non aequalis.

Responsio ad hoc est per regulam Augustini in Resp. ad 1.
libro primo de Trinitate[8], quia omnia, quae dicun- Regula Augustini.
tur de Filio *aequalitatem* ostendentia, referuntur ad divinam naturam, quae vero *inaequalitatem*, ad humanam; et sic in proposito intelligendum. Unde Augustinus: « Humanae naturae congratulandum est, eo quod sic assumta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in caelo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris ». Unde secundum determinationem concedendum est, quod Filius, secundum quod Deus, est maior se ipso, secundum quod homo.

2. Quod vero obiicit de Hilario, dicendum, quod Ad 2.
Hilarius accipit hoc quod est *maior*, non secundum quod dicit *excessum magnitudinis* potentiae vel virtutis, sed secundum quod dicit *auctoritatem*. Et quia Pater habet auctoritatem respectu Filii sicut principium; ideo dicit, quod maior est Filio. Tamen *minor* non dicitur Filius, quia est nomen importans imperfectionem[9].

48. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis.*

1. Ergo videtur adhuc, quod Apostoli non haberent fidem, quia ideo praedicebat eis, ut crederent.

---

[1] Vers. 25. — Sequuntur Eph. 6, 12. et Ioan. 1, 9. — August., in Ioan. Evang. tr. 79. n. 2: *Et in me non habet quidquam*, nullum scilicet omnino peccatum. Sic enim ostendit non creaturarum, sed peccatorum principem diabolum, quos nunc nomine *mundi huius* appellat etc. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 39. n. 8. Vide etiam II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1. ad 1. 2. et Collat. in Hexaëm. collat. 22. n. 36. — Superius pro *non habebat quidquam* plures codd. *non habet* [C *nec habebit*] *quidquam*, ed. *scilicet.*

[2] Vulgata *Et sicut.* — Sequitur Ioan. 10, 18, quem versum tamen codd. non exhibent; Gorranus cum ed. ipsum affert, et dein prosequitur: *videlicet ponendi animam per passionem ac mortem; non quia meruisset* etc.

[3] Vers. 21. Verba *Deus Pater*, quae interseruntur, sunt Glossae *interlinearis.* Haymo, in hunc locum: *Eum*, id est Christum, *qui non noverat peccatum*, Deus Pater *pro nobis peccatum fecit*, id est hostiam pro peccato (cfr. Comment. in hunc locum, quod habetur inter opera Ambrosii, ubi simili modo explicatur); haec ultima verba ed. cum Gorrano addit post *Deus Pater.* Vers. 16.

[5] Vers. 46. — August., in Ioan. Evang. tr. 79. n. 2: *Eamus* autem dixit; quo? nisi ad illum locum, unde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis? Sed habebat, ut moreretur, mandatum Patris, tanquam ille, de quo praedictum erat [Ps. 68, 5.]: *Quae non rapui tunc exsolvebam*, mortem sine debito soluturus et nos a morte debita redempturus. Rapuerat autem Adam peccatum, quando manum in arborem, praesumtione deceptus, extendit etc.

[6] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 3: Requirendum vero nobis est, cur de eodem Spiritu dicatur: *Suggeret vobis omnia*, cum *suggerere* soleat esse minoris. Sed quia *suggerere* aliquando dicimus subministrare, invisibilis Spiritus suggerere dicitur, non quod nobis scientiam ab imo inferat, sed ab occulto.

[7] Libr. IX. de Trin. n. 54: Maior itaque Pater Filio est et plane maior, qui tantum donat *esse*, quantus ipse est etc. — De argumentatione *a relativis* cfr. Boeth., III. de Differentiis topic., ubi dicit: In *relativis* [v. g. maior, minor] autem absque se relativa esse non possunt ». Vide Aristot., de Praedicam., c. *de His quae ad aliquid.*

[8] Cap. 7. n. 14. — Seq. sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 78. n. 3, ubi codd. et Gorranus omittunt *atque ita fieret terra sublimis.*

[9] Cfr. Hilar., IX. de Trin. n. 51-57, ubi haec solutio insinuatur; Damasc., I. de Fide orthod. c. 8. Vide etiam I. Sent. d. 9. dub. 11; d. 20. a. 1. q. 2. ad 4. et d. 25. dub. 4.

2. Item, « fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum [1] »; si ergo praedixit eis; ex quo viderunt evenire quod dixerat, experiebantur esse verum: ergo erant vacui a merito fidei.

Respondeo: Dicendum est, quod Apostoli habe- Resp. bant fidem, sed tamen non plene explicitam nec etiam perfecte firmam, ut patet, quia nullo modo volebant credere resurrectionem [2]. — Dicendum est ergo, quod Dominus praedicebat eis passionem suam, ut iam illam crederent, de qua nihil prius sciebant. Dicebat etiam ad robur fidei, ut, videntes passionem et vacillantes, rememorarentur, quod volens et ut Deus passus est. Unde aliud *videbant* et aliud *credebant*, quia *videbant*, quod homo passus fuerat, et *credebant*, quod volens pati, ut Deus animam suam posuerat [3]. Et huius *signum* fuit sua praedictio, sed non *cogens ratio*, quae auferret meritum.

49. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod diabolus non habebat in Christum iurisdictionem aliquam.

1. Ergo videtur, quod Dominus iniuste fecerit, quod permisit, eum a diabolo opprimi.

2. Item dicit, quod hoc facit propter mandatum Patris: ergo si debebat obedire, ergo moriebatur ex debito, non ex mera liberalitate [4].

Respondeo: Dicendum, quod aliquem *nolentem* Resp. cum distinctione. puniri pro culpa *sua*, hoc est *irae et severitatis* [5]; aliquem *volentem* puniri pro culpa *sua*, hoc est *iustitiae et veritatis*; aliquem *volentem* pro culpa *aliena*, hoc *mirae dispensationis et dignationis*. — Quia ergo Christus punitus et volens punitus pro nostra salute; placuit *ponere in eo iniquitates omnium nostrum*, et pro nostris sceleribus ipsum puniri. *Oblatus est, quia ipse voluit* [6]; et ideo nulla iniustitia ex parte Dei facta fuit, sed ex parte diaboli. Et ideo, quia iniuste usurpavit dominium supra Christum, hoc ipso amisit iuste dominium, quod habebat in membris Christi [7].

2. Ad illud quod obiicit, quod debuit mori; di- Ad 2. cendum, quod est debitum *meriti* et debitum *praecepti*. Peccator debet mori, quia meruit; sed Christus, quia ei Pater praecepit. Hoc autem debitum non repugnat liberalitati, quando fit ex amore; et sic fecit Christus, et ideo dicit [8]: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.*

Capitulum XV.

Secundo, circa constantiam in vera dilectione tria ponuntur.

1. *Ego sum vitis vera* etc. In praecedenti capitulo hortatus est Dominus discipulos suos ad fidei constantiam, in hoc hortatur eos ad *dilectionem probatam et veram* [9]. Et quoniam vera dilectio primo diligit Deum, deinde et amicum in Deo et inimicum diligit et tolerat propter Deum; ideo primo hortatur discipulos ad *dilectionem Dei;* secundo, ad *dilectionem amicorum*, ibi [10]: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis* etc.; tertio, ad *dilectionem et tolerantiam inimicorum*, ibi: *Si mundus vos odit, scitote* etc.

Primo hortatur discipulos ad dilectionem Dei.

Hortatur eos primo ad *dilectionem Dei;* et quia « qui manet in caritate in Deo manet [11] », hortatur ad *manendum in se*, et hoc quidem facit hoc ordine. Primo describitur *mansionis locus;* secundo, *fructus;* tertio, *modus;* quarto, *effectus.* Divisio in 4 membra.

2. (Vers. 1.). *Mansionis* igitur *locus* exprimitur De mansionis loco. primo *ipse Christus*, in quo manere debent fideles, sicut palmes manet in vite. Propterea dicit: *Ego sum vitis vera*, ideo *vera*, quia vinum verum producit, de qua Genesis penultimo [12]: « Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum, ligans ad vineam pullum suum et ad vitem asinam

---

[1] Ut dicit Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.

[2] Cfr. infra 20, 9. et 25; Matth. 28, 17; Marc. 16, 14. et Luc. 24, 11. seqq. Vide supra n. 43.

[3] Vide supra c. 10. n. 22. seq. et 30. seq. — Ed. pro *Deus*, quod hic occurrit, *Dominus*, quae etiam inferius post *sed non* repetit *fuit*, C legit *quia non fuit.*

[4] Ed. cum uno alteroque cod. et Gorrano *libertate.* Idem recurrit infra ad 2. in fine. Superius pro *moriebatur* D *movebatur.*

[5] Ed. *perversitatis.* Subinde pro *iustitiae* non pauci codd. *misericordiae*, et paulo inferius pro *misericordiae, dispensationis* cum E N substituimus *mirae dispensationis.*

[6] Isai. 53, 6. et 7: Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est etc. Ibid. v. 5: Attritus est propter scelera nostra. Cfr. III. Sent. d. 16. a. 1. q. 3. in corp.; d. 20. q. 5. ad 1. et dub. 3. Vide etiam II. Sent. d. 36. a. 2. q. 2. in corp. — Superius post *placuit* ed. addit *enim*, et subinde pro *sed* substituit *et*, Gorranus *nam.*

[7] Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 2. ad 5. et dub. 3. seq.

[8] Vers. 31. August., in Ioan. Evang. tr. 79. n. 2: Et tanquam ei diceretur: Cur ergo moreris, si non habes peccatum, cui debeatur mortis supplicium? continuo subiecit: *Sed ut cognoscat mundus* etc.

[9] Cfr. supra c. 14. n. 1.

[10] Vers. 12; tertia pars incipit v. 18.

[11] Ut dicitur I. Ioan. 4, 16.

[12] Vers. 11. Vulgata legit, propositionibus inversis: *Ligans... asinam suam. Lavabit... pallium suum.* Ita etiam ed., quae superius post *in quo* addit *per caritatis vinculum*, et post *palmes* cum C N subiungit *mundus.*

suam ». Haec vitis non est inculta, ideo dicit: *Et Pater meus agricola est*, non tantum qui exterius colat, sed qui interius augeat; primae ad Corinthios tertio [1]: « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit »; et paulo post: « Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis ». Ideo Pater verus agricola, quia opus eius exercet; unde dicit:

3. (Vers. 2.). *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum;* Matthaei tertio [2]: « Securis ad radicem arboris posita est; omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur ». *Et omnem, qui fert fructum,* Duplex purgatio. *purgabit eum, ut fructum plus afferat. Purgabit,* per *poenitentiam;* unde primae Ioannis primo [3]: « Si confessi fuerimus peccata, fidelis et iustus est, qui dimittat nobis omnia peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate ». Purgat etiam per *patientiam;* unde in Psalmo: « Quoniam probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum » etc. In hac igitur vite optime locantur *rami mundi;* ideo Apostolos iam mundos hortatur, ut in se maneant; propter quod dicit:

4. (Vers. 3.). *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Iste fuit sermo fidei, qui purificat credentes; Actuum decimo quinto [4]: « Fide purificans corda eorum ». Quia ergo mundi estis:

5. (Vers. 4.). *Manete in me,* ut in vite, *et ego in vobis,* ut in templo; de hoc primae Ioannis quarto [5]: « Qui manet in caritate in Deo manet, et Mutua mansio. Deus in eo ». Ideo mutua est mansio, quia mutua dilectio; supra decimo quarto: « Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ».

Sicut palmes etc. Tetigit mansionis locum, tangit De mansionis fructu duo. hic secundo *mansionis fructum,* quem habet palmes, non sine vite, sed in vite. Ideo monstrat, quod Primum. fructus ex palmite originem habet a vite, primo *in opposito,* scilicet per separationem, secundo *in proposito* [6], per mansionem. Propter quod dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic et* [7] *vos, nisi in me manseritis.* Et ideo, si volunt fructificare, necesse est, quod Notandum. maneant in eo, unde fructus habet originem; ad Ephesios primo: « Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus eius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplevit »; Ioannis primo: « De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia ». Ideo vos non potestis fructificare, nisi manseritis in me; sed in me potestis, quia:

6. (Vers. 5.). *Ego sum vitis, et* [8] *vos palmites;* et ideo *qui manet in me, hic fert fructum multum.* Et ideo manete in me tanquam in fructus origine; *quia sine me nihil potestis facere;* Isaiae vigesimo sexto [9]: « Omnia opera nostra in nobis operatus es, Domine ». Et quod nihil possint sine ipso, ostendit per similitudinem:

7. (Vers. 6.). *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes,* scilicet a vite separatus. Extra vineam proiicitur per separationem ab unitate Ecclesiae; Apocalypsis ultimo [10]: « Foris canes et venefici et impudici » etc. Et non faciet fructum, unde *et arescet,* per amissionem humoris gratiae; *et colligent eum et in ignem mittent, et ardet,* quia ardebit per inflictionem poenae.

Unde quatuor mala consequuntur: primo, quod Mala 4 separationis. *proiicitur;* Matthaei decimo quinto [11]: « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. — Secundo, *arescet;* Matthaei vigesimo primo dixit Dominus ficulneae, in qua non invenit nisi folia: « Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et continuo exaruit »; Psalmus: « Aruit tanquam testa virtus mea ». — Tertio, *colligitur* per ministerium angelicum; unde Matthaei decimo tertio [12]: « Colligent de regno eius omnia scandala ». — Quarto, *igne comburitur;* Ezechielis decimo quinto: « Fili hominis, quid fiet de ligno vitis »? Et sequitur: « Ecce, igni datum est in escam ».

8. (Vers. 7.). *Si manseritis in me.* Supra [13] Secundum. ostendit, se esse fructus originem per *oppositum*

---

[1] Vers. 6. et 9. — August., Serm. 87. (alias 59. de Verbis Domini), c. 1. n. 1. seq.: Colimus enim Deum, et colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, ut nos eum meliorem colendo faciamus; colimus enim eum adorando, non arando. Ille autem colit nos, tanquam agricola agrum. Quod ergo nos ille colit, meliores nos reddit... Cultura eius est in nos, quod non cessat verbo suo exstirpare semina mala de cordibus nostris etc.

[2] Vers. 10.

[3] Vers. 9. — Subinde allegatur Ps. 65, 10. seqq. Gregor., IX. Epist. epist. 33. (alias 32.): Palmes enim *infructuosus tollitur,* quia peccator funditus *eradicatur.* Palmes vero *fructuosus purgari* dicitur, quia per disciplinam *reciditur,* ut ad uberiorem gratiam perducatur etc. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 76. (alias 75.) n. 1.

[4] Vers. 9. Cfr. infra n. 16.

[5] Vers. 16; sequitur c. 14, 21. et 23. — August., in Ioan. Evang. tr. 81. n. 1: *Manete,* inquit, *in me, et ego in vobis.* Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Utrumque autem prodest non ipsi, sed illis. Ita quippe in vite sunt palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant etc.

[6] Respicitur Aristot., IV. Topic. c. 4: Nam si oppositum *in opposito,* et propositum *in proposito* erit, ut si *caecitas* insensibilitas quaedam, et *visus* sensus. — Superius pro *ex palmite* C N *palmitis,* ed. et Gorranus *in palmite.*

[7] Vulgata *sic nec.* — Duo seqq. loci sunt Eph. 1, 22. seq. (ubi Vulgata *adimpletur*) et Ioan. 1, 16. Cfr. Concil. Trident. Sessio 6. c. 16.

[8] Vulgata omittit *et,* ac paulo inferius post *in me* addit (ita etiam B, ed. et Gorranus) *et ego in eo.*

[9] Vers. 12; cfr. supra pag. 92, nota 9. August., in Ioan. Evang. tr. 81. n. 3: Non ait: Quia *sine me parum* potestis facere, sed *nihil potestis facere.* [10] Vers. 15.

[11] Vers. 13. — Sequuntur Matth. 21, 19. et Ps. 21, 16.

[12] Vers. 41. — Subinde allegatur Ezech. 15, 2. et 4.

[13] Vers. 4-6. — Fide D supplevimus *Si manseritis in me.* Pro *Supra* ed. cum nonnullis codd. *Sic,* quae etiam inferius cum Gorrano vocibus *ipsam mansionem* interserit *in vite.*

mansionis; hic nunc ostendit per *ipsam mansionem*, quae fructum dat et respectu *sui* et respectu *proximi*. Respectu *sui*: *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint;* non sicut illi, de quibus Lucae octavo [1]: « Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt »; sed sicut illi, de quibus in Psalmo: « Qui servant testamentum eius et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea »; *quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis;* supra nono: « Si quis voluntatem Dei facit, hunc exaudit ». Non solum est fructus respectu *sui*, sed etiam *proximi* convertendi ad Dei gloriam; ideo subdit:

9. (Vers. 8.). *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis;* ut scilicet homines convertantur vestro verbo et exemplo; Matthaei quinto [2]: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est »; *et* ex hoc *efficiamini mei discipuli*, id est imitatores mei, qui plurimum fructum attuli per meam mortem, sicut supra duodecimo [3]: « Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert ». Sic etiam Apostoli; unde Ecclesia cantat de eis, quod « plantaverunt Ecclesiam sanguine suo »; ad Colossenses primo: « Adimpleo ea quae desunt passionum Christi ».

De mansionis modo.

10. (Vers. 9.). *Sicut dilexit me Pater.* Hic tertio tangitur *manendi modus*, qui est per dilectionem, ad quam nos debet invitare quod ipse prior dilexit; propterea dixit: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos;* et ideo *manete in dilectione mea;* primae Ioannis quarto [4]: « Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos ». Et quia vera dilectio per opus manifestatur, subiungit:

11. (Vers. 10.). *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego praecepta Patris mei servavi et maneo in eius dilectione;* supra decimo quarto [5]: « Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio ». Sic et nos debemus facere; primae Ioannis secundo: « Qui dicit, se in illo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare »; Deuteronomii decimo: « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et diligas eum ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua custodiasque mandata Domini et caeremonias eius, quas ego hodie praecipio tibi, ut bene sit tibi »?

De mansionis effectu.

12. (Vers. 11.). *Haec locutus sum vobis.* Hic tangitur quartum, scilicet *effectus mansionis;* et effectus est *gaudium in praesenti* et *gaudium in futuro*. Propter *gaudium in praesenti* dicit: *Ut gaudium meum in vobis sit,* hoc est gaudium purum, quo homo gaudet in Domino, non in mundo; de quo ad Philippenses ultimo [6]: « Gaudete in Domino semper; iterum dico: gaudete ». — Propter *gaudium in futuro* dicit: *Et gaudium vestrum impleatur,* de quo infra decimo sexto [7]: « Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum ». Gaudium nostrum impletur a gaudio Domini; de quo Matthaei vigesimo quinto: « Intra in gaudium Domini tui ».

Duplex gaudium.

Quaestiones.

13. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit: *Ego sum vitis vera.*

Obiicit Augustinus [8]: Si *vitis* de Christo dicitur, sicut dicitur *leo, lapis;* et ista dicuntur non per proprietatem, sed per similitudinem; et illa dicuntur *vera*, quae dicuntur per proprietatem: non videtur, quod deberet dicere: *Ego sum vitis vera*, sed similitudinaria.

Resp. 1.

Et respondet Augustinus [9], quod addens *vera*, « ab illa se discernit, cui dictum est: *Quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena*»? Ieremiae secundo: *Quomodo conversa es in pravum, vinea aliena?* Unde non dicitur *vera*, quia non per similitudinem; sed *vera*, quia non aliena.

Resp. 2.

Potest tamen dici, quod sicut *vinum verum* est, quod habet operationem vini; sic *vitis vera*, quae habet operationem vitis [10]. *Vitis* igitur *ad litteram* tunc est *vera*, quando vinum producit; *non vera*, quae non fructificat. Sic et *similitudinaria* dicitur *vera*, quae habet actum vitis; *non vera*, quae non habet. Sic et *Christus*, quia verum habet actum vitis, *vera vitis* est. Sed synagoga non, de qua Isaiae quinto [11]: « Exspectavit, ut faceret uvas, fecit autem spinas ».

---

[1] Vers. 13. Codd. allegant *Matth. 13,* ubi v. 21: Non habet in se radicem, sed est temporalis. — Duo seqq. loci sunt Ps. 102, 18. et Ioan. 9, 31.

[2] Vers. 16. — Glossa *interlinearis: Ut fructum plurimum afferatis,* per praedicationem et passionem, sicut ego. Cfr. Cyrill. Alexandr. et Theophylact., in hunc locum.

[3] Vers. 25. Ed. allegat 24. et 25. — Sequitur Coloss. 1, 24. In Gregorii *libro Responsali* pro secundo nocturno Apostolorum, Resp. 3 (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 78. col. 820): Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo (in Breviario Romano, Commun. Apostol. nocturn. 3. Resp. 1. lect.).

[4] Vers. 19. Codd. et Gorranus *Et nos* etc.

[5] Vers. 31. — Sequuntur I. Ioan. 2, 6. et Deut. 10, 12. seq.

[6] Vers. 4. — Bernard., Epist. 114. n. 1: Et revera illud verum et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, et quod, cum possederis, nemo tollet a te; cui comparata omnis aliunde iucunditas moeror est etc.

[7] Vers. 24. — Sequitur Matth. 25, 21. Glossa *ordinaria* in Ioan. 15, 11. (ex August., in Ioan. Evang. tr. 83. n. 1.): Gaudium Dei *de nobis*, qui praescivit et praedestinavit, semper est plenum; *in nobis* incipit ex fide, crescit immo et perficietur in resurrectione [August.: inchoatur in fide renascentium, implebitur in praemio resurgentium].

[8] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 1. Pro *leo, lapis* ed. *ovis, agnus, leo, petra et lapis angularis* (ita etiam textus originalis).

[9] Loc. cit. — Subinde allegatur Ier. 2, 21.

[10] Cfr. supra pag. 7, nota 2. verba Aristot. — Inferius e codd. supplevimus *Sic et similitudinaria... quae non habet.*

[11] Vers. 2, ubi pro *fecit autem spinas* (ita etiam August., loc. cit.) Vulgata *et fecit labruscas* (in M secunda manus substituit *labruscas*).

14. Quaest. II. Sed tunc restat quaestio: quare Dominus magis *grano frumenti* se comparat inter grana, et *ligno vitis* inter ligna?

Respondeo: Hoc est propter corpus *verum* et
Resp. *mysticum*. *Verum* corpus Christi verus cibus est,
Ratio 1. et verus sanguis est verus potus [1]. Quia igitur ex granis frumenti fit panis optime reficiens, et ex vite vinum optime potans; ideo comparavit se viti et grano. Et inde est, quod in his duabus speciebus Sacramen-
Ratio 2. tum altaris conficitur. — Alia ratio est propter corpus *mysticum*, quia, sicut ex purissimis granis frumenti et acinis uvae conficitur panis et vinum; sic ex puris fidelibus corpus Christi mysticum [2].

15. Quaest. III. Item quaeritur, secundum quam naturam Christus sit *vitis*, utrum secundum *divinam*, aut secundum *humanam*. — Et quod secundum *humanam*, dicit Augustinus [3]: « Unius naturae sunt vitis et palmites; propter quod, cum esset Deus, cuius naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cuius et nos palmites esse possemus ».

Sed contra hoc est: 1. Quia secundum quod vitis influit in palmites humorem: ergo si humorem gratiae non influit nisi solus Deus et secundum quod Deus [4], ergo est vitis secundum *divinam naturam*.

2. Item, in hac vite omnes Sancti ab Abel usque ad ultimum iustum manserunt et processerunt [5]; sed Christus secundum *humanam* naturam secutus est Abel: ergo non fuerunt in eo palmites secundum humanam naturam.

Respondeo: Intelligendum est, quod quaedam
Resp. cum distinctione. dicuntur de Christo secundum *divinam* naturam *pure*, ita quod nihilominus dicuntur, abstracta humana natura [6], sicut esse aeternum et impassibilem; quaedam secundum *humanam pure*, sicut esse mortalem et passibilem; quaedam secundum *humanam, prout unita divinae*, vel e converso, ut esse mediatorem. Nam si tantum Deus, iam non mediator; si tantum homo, iam non mediator; si Deus et homo, iam mediator [7]. Et secundum hoc *vitis* est et *caput* Ecclesiae secundum quod mediator. Ideo quod dicitur *vitis*, hoc non est secundum *humanam naturam pure*, sed secundum quod coniuncta est divinae in unitate hypostasis. Et propter unitatem hypostasis Christus est obiectum fidei secundum utramque naturam, unde in quantum credimus Deum et hominem [8]. Et quia sine hac fide implicita vel explicita nullus fuit salvus, humor gratiae ab hac vite in omnes Sanctos redundavit.

2. Et sic patet, quomodo fuit *vitis* respectu prae- Ad 2.
cedentium et sequentium; unde [9] *et qui praeibant et qui sequebantur clamabant: Hosanna Filio David.* Unde optime signatus est Christus per *botrum*, qui allatus est de terra promissionis, Numerorum decimo tertio [10], quem afferebant in humeris, et qui praeibant portabant, sed non videbant; sequentes portabant et videbant.

16. Quaest. IV. Item quaerit Augustinus [11] de hoc quod dicit: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*; quia sermo est exterius, munditia interius. Quomodo ergo potest exterior sermo interius mundare?

Respondeo: Dicendum, quod hoc vel est pro- Resp.
pter *fidem*, vel propter *fidei Sacramentum*: propter *fidem*, quia [12] *fides ex auditu*, quae cor purificat; propter *fidei Sacramentum*, quod est baptismus. Unde Augustinus [13]: « In aqua verbum mundat; detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum ». Istud autem verbum fidei et Sacramenti, etsi sit exterius,

---

[1] Ut insinuatur supra 6, 56.

[2] August, in Ioan. Evang. tr. 26. n. 17: Dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conflt, aliud in unum ex multis acinis confluit. Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. VIII. c. 7, et Comment. d. 11. p. II. a. 1. q. 1.

[3] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 1.

[4] Psalm. 83, 12: Gratiam et gloriam dabit Dominus. August., in Ioan. Evang. tr. 81. n. 3: Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset.

[5] Glossa *ordinaria* in Coloss. 1, 18: *Qui est principium*, Ecclesiae secundum *Divinitatem*, id est fundator Ecclesiae, quia omnes iustos, qui ab Abel usque ad ultimum iustum generantur, virtute Divinitatis et misericordiae suae dono illuminavit (cfr. tom. III. pag. 284, nota 9.). Petr. Lombardus, in hunc locum, istis verbis haec praemittit: Sed cum Ecclesia ab Abel coeperit [cfr. tom. IV. pag. 184, nota 8.], quomodo homo Christus caput est eorum qui *tunc* fuerunt?

[6] Ed. cum Gorrano: *dicantur de eo, abstracta humana.*

[7] Cfr. III. Sent. d. 19. a. 2. q. 2.

[8] Glossa *ordinaria* in Coloss. 1, 18. (cfr. supra nota 5.) subiungit: Secundum *humanitatem* etiam potest dici *principium* Ecclesiae, quia super fidem humanitatis eius fundata est. — De seq. propositione cfr. supra pag. 171, nota 4. et pag. 255, nota 11. — Superius pro *in quantum credimus* C F, ed. et Gorranus *credimus in Christum.*

[9] Sicut dicitur Marc. 11, 9. (cfr. Matth. 21, 9, quem allegat ed.). Beda, in hunc locum: Praecessit quidem Iudaicus populus, secutus est gentilis. Et quia *omnes* electi... in Mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt, qui praeeunt et qui sequuntur *hosanna clamabant.*

[10] Vers. 24, in quem locum Beda: *Botrus* autem ille pendens de ligno Christus est pendens de ligno crucis.. Duo vectores [Vulgata: *quem portaverunt in vecte duo viri*] duo populi sunt: prior Iudaicus Christo dorsum et non faciem dedit, et quem in Lege portabat non videbat... Posterior populus gentium est, qui, in Christum credens et semper illum portans, videt et quasi servus dominum sequitur etc. Cfr. supra c. 1. n. 41. et 42.

[11] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 3: Quare non ait: Mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait: *propter verbum, quod locutus sum vobis?*

[12] Ut dicitur Rom. 10, 17. — Act. 15, 9: Fide purificans corda eorum.

[13] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 3; ibid. habetur etiam seq. sententia August., ubi tamen post *quia creditur* plura adduntur; allegatur Rom. 10, 9: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde* etc.

tamen mundat, ut dicit Augustinus, « non quia dicitur, sed quia creditur; ad Romanos decimo: *Si confitearis in ore tuo,* ascendisse in caelum Dominum, *et in corde tuo credideris,* quia *Deus excitavit illum a mortuis, salvus eris* ».

17. Quaest. V. Quaeritur de hoc quod dicit: *Pater tollet omnem palmitem non ferentem fructum.*

Aut tollet de *vite,* aut tollet de *vita.* De *vite, non,* quia nullum Pater a Filio suo separat; aut si tollit, quomodo tollit de vite? quia qui non operatur bonum hoc ipso separatus est a vite, Christo, quia gratiam non habet, immo perdit. — Si de *vita;* istud falsum est, quia plus vivunt mali quam boni, ut videmus. — Item, bonos etiam tollit de vita corporali sicut malos.

Respondeo: Dicendum, quod palmites a Christo
Resp. trahunt non vitam *naturae,* sed vitam *gratiae* et vitam *gloriae.* Dicitur *auferri* vel separari palmes
Distinctio. ab hac vite non per mortem *naturae,* sed per mortem *culpae,* vel *damnationis extremae.* Unde palmites infructuosi et qui in vacuum gratiam Dei recipiunt a vite separantur *merito suae culpae* iudicio divinae iustitiae; unde Apocalypsis tertio [1]: *Quia tepidus es, incipiam te evomere;* quia iusto iudicio gratiam non apponit eis Deus. *Iudicio damnationis extremae* tollentur et *in ignem mittentur,* quando tempus merendi praecluditur; unde dicit: *tollet,* non quia statim auferat, cum locum poenitendi tribuat [2].

18. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.*

Contra hoc est, quia dilectio Patris est naturalis; dilectio Filii ad nos est pure gratuita: ergo non videtur similitudo. Quaeritur ergo: pro quanto dicit: *Sicut dilexit me Pater* etc.?

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Richar-
Resp. dus de sancto Victore [3], in divinis est amor *pure*
Triplex amor. *gratuitus, debitus* et *ex utroque permixtus.* Amor Patris ad Filium est *pure gratuitus,* quia Pater dat Filio et nihil recipit. Amor vero Spiritus sancti ad Patrem et Filium est *pure debitus,* quia tantum recipit. Amor vero Filii ad Patrem est *debitus,* quia recipit; ad Spiritum sanctum *gratuitus,* quia dat. Quoniam igitur Filius dilexit nos *gratuito pure,* ideo amorem, quo diligit nos, comparat amori Patris ad se [4].

Secundo hortatur discipulos ad dilectionem amicorum.

19. *Hoc est praeceptum meum.* Postquam hortatus est Dominus ad dilectionem Dei, hic secundo hortatur *ad dilectionem fratris et amici* [5], et hoc quidem facit per hunc modum. Primo ad dilectionem fraternam astringit intuitu *obedientiae;* secundo, intuitu *divinae amicitiae;* tertio, intuitu *remunerationis aeternae.* Divisio in 3 membra.

(Vers. 12.). Astringit primo *praecepto obedientiae,* innuens, hoc esse omnino in voluntate sua tanquam praecipuum; propter quod dicit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem;* unde supra decimo tertio [6]: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ». Et modus subiungitur: *Sicut dilexi vos,* « non verbo vel lingua, sed opere et veritate », sicut ego vos. Et quod ipse *opere* dilexerit eos, monstrat: De primo.

20. (Vers. 13.). *Maiorem,* inquit, *hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis* [7] *pro amicis suis;* quasi dicat: nihil plus potest facere quam vitam dare, quae omnibus carior est; ad Ephesios quinto: « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ». Et haec fuit vehementissima dilectio, non solum in Christo, qui tradidit se et animam suam, sed in Patre; unde ad Romanos octavo: « Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit »?

Unde notandum, quod *magna* est dilectio, qua mater diligit filium; super hanc dilexit nos Christus; Isaiae quadragesimo nono [8]: « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui ». — *Maior,* qua uxor virum, et super hanc Christus; Ieremiae tertio [9]: « Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eum ultra? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere, et ego suscipiam te ». — *Maxima* animae ad corpus; et super hanc dilexit nos; Ieremiae duodecimo [10]: « Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius ». Et ideo verum est il- Dilectio magna. Maior. Maxima.

---

[1] Vers. 16. Cfr. supra c. 9. n. 55. in fine.

[2] Hilar., IX. de Trin. n. 55, dicit, quod Pater agricola huius vitis sit, « cuius inutiles atque inferaces palmites desecans, deputaret arsuros ». Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 81. n. 3: Unum de duobus palmiti congruit: aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit.

[3] Libr. V. de Trin. c. 16-20; cfr. eiusdem de Quibusdam Dubiis in Apostolo, Patrolog. Lat. t. 196. col. 682, et tom. I. pag. 125, nota 7. — Inferius e codd. et Gorrano supplevimus *Amor vero Spiritus... quia tantum recipit.* Post *Amor vero Filii* ed. prosequitur *est ex utroque permixtus; ad Patrem enim est debitus* etc.

[4] Vide August., in Ioan. Evang. tr. 82. n. 2: Non *aequalitatem* naturae ostendit nostrae et suae, sicut est Patris et ipsius, sed *gratiam,* qua *mediator Dei et hominum est homo Christus Iesus* [I. Tim. 2, 5.].

[5] Cfr. supra n. 1.

[6] Vers. 34; sequitur I. Ioan. 3, 18.

[7] Vulgata omittit in hac propositione *quam.* — Subinde allegantur Eph. 5, 2. et Rom. 8, 32.

[8] Vers. 15.

[9] Vers. 1, ubi Vulgata post *ultra* plura addit.

[10] Vers. 7. — Sequitur Cant. 8, 6. Cfr. infra n. 26. et 27.

lud Canticorum ultimo: « Fortis est ut mors dilectio » etc.

21. (Vers. 14.). *Vos amici mei estis.* Hic se- De secundo. cundo hortatur ad dilectionem mutuam *intuitu divinae amicitiae;* unde offert amicitiam suam his qui servant praecepta sua, ut iuxta Domini praeceptum invicem diligant; propter quod dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis quae*[1] *praecipio vobis.* Magnum quid promittit, cum amicitiam promittit. Augustinus: « Magna est dignatio Domini, cum nos amicos vocare dignatus est », cum sit *amicus* nomen paritatis; « est enim amicitia divinarum humanarumque rerum pari cum voluntate consensio ». Si enim *sapientia* amicos Dei constituit; Sapientiae septimo[2]: « In animas sanctas se transfert et amicos Dei constituit »; quanto magis *dilectio?* Haec dilectio probatur in opere; ideo dicit: *Amici estis, si feceritis quae ego praecipio,* ex amore ut amici, non ex timore ut servi, quia non estis vocati in servitutem; propter quod dicit:

22. (Vers. 15.). *Iam non dicam vos servos,* licet prius fueritis; ad Romanos octavo[3]: « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum ». Et per signum hoc ostendit: *Quia servus nescit, quid faciat Dominus eius;* vos autem non sic; ideo dicit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Hoc signum magnae amicitiae, revelatio secretorum; ad Ephesios primo[4]: « Notum fecit nobis sacramentum voluntatis suae »; Matthaei decimo tertio: « Vobis datum est nosse mysteria regni Dei » etc.

23. (Vers. 16.). *Non vos me elegistis.* Hic tertio De tertio. hortatur ad dilectionem *intuitu remunerationis aeternae,* ad quam per praedestinationem aeternam vocati erant, non per se venerant. Propterea dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* ad Ephesios primo[5]: « Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate; qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae ». Ad quid elegerit, subdit: *Et posui vos, ut eatis et fructum afferatis,* in aliorum conversione; quod fit per praedicationem verbi Dei, quod est tanquam semen, quod fructum affert, quando recipitur in terram bonam; unde Lucae octavo[6]: « Quod vero in terram bonam, hi sunt, qui corde bono et optimo audiunt verbum et fructum afferunt in patientia »; primae Petri primo: « Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum ». *Et fructus vester maneat,* ad vestram salutem et consolationem per divinam remunerationem; et subiungitur remuneratio: *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo,* id est, quod sit ad vestram salutem, *det vobis.* Hoc autem, quod est petendum, est nostra salus; unde Matthaei sexto[7]: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ». Sic petebat illa sancta anima in Psalmo: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae ». Et intuitu huius remunerationis debent mandatum Christi servare; ideo illud iterat:

24. (Vers. 17.). *Haec mando vobis, ut diligatis invicem. Mandatum* dilectionis dicitur quasi *manu* Quid mandatum. *datum,* quia exemplo suo dedit; ideo supra decimo tertio[8]: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem »; et primae ad Thessalonicenses quarto: « De caritate fraternitatis non habemus necesse scribere vobis; ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem ».

Quaestiones.

25. Quaest. I. Sed quaerit Gregorius[9] primo de hoc quod dicit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem:* « Cum cuncta divina eloquia dominicis sint plena praeceptis, quid est, quod de dilectione singulariter dicit: *Hoc est praeceptum meum* »?

Et respondet, quod « divina praecepta *multa* Resp. sunt et *unum:* multa per *diversitatem operis,* unum in *radice dilectionis* ». Et dilectionem *radicem* dicit, « quia non habet viriditatem ramusculus boni operis, nisi manserit in radice dilectionis ». Quia ergo mandata ad praeceptum dilectionis referuntur, in quo omnia uniuntur et implentur; inde est, quod dicit: *Hoc est praeceptum meum,* singulariter.

26. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Contra: 1. Ex parva caritate alius facit, alius ex maiori potest mori pro amico; quid est ergo, quod dicit *maiorem?*

---

[1] Vulgata addit *ego.* — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 85. n. 1: « Magna dignatio... Sed, ut dixi, ista dignatio est, ut Dominus quos novit servos suos dignetur dicere amicos suos ». Subinde sequitur definitio *amicitiae* ex Cicerone, lib. de Amicitia, c. 6; cfr. tom. I. pag. 857, nota 3.

[2] Vers. 27. — Inferius Vulgata legit: *Vos* amici... praecipio *vobis.*

[3] Vers. 15. Cfr. Gal. 4, 5. et II. Tim. 1, 7.

[4] Vers. 9; cfr. v. 11. — Subinde allegatur Matth. 13, 11. Cfr. II. Sent. d. 29. a. 2. q. 1. ad 5. — Superius pro *magnae* plures codd. *magnum.*

[5] Vers. 4. seq. Cfr. supra Comment. in Sap. 4, 15. in fine. — Superius post *ad quam* codd. omittunt *per praedestinationem.*

[6] Vers. 15. — Sequitur I. Petr. 1, 23. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 5: *Posui,* ad gratiam plantavi, *ut eatis,* volendo, *fructum afferatis,* operando. Eatis enim volendo, dixi, quia velle aliquid facere iam mente ire est. Qualem vero fructum afferre debeant, subditur: *Et fructus vester maneat* etc.

[7] Vers. 33. — Subinde allegatur Ps. 26, 4.

[8] Vers. 34. — Sequitur I. Thess. 4, 9. — Isidor., V. Etymolog. c. 24. n. 20: *Mandatum* dictum, quod olim in commisso negotio alter alteri *manum dabat.*

[9] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1, ubi etiam responsio seq. habetur, in qua pro *ramusculus* textus originalis *ramus.*

2. Item, in patria erit multo maior caritas, quam sit in via; quid est ergo, quod dicit *maiorem caritatem* etc.?

Respondeo, quod hoc non dicitur quantum ad Resp. *habitum* caritatis, vel *actum eius praecipuum;* sed quantum ad *signum* vel *effectum*, quia hoc est praecipuum signum dilectionis [1].

27. Quaest. III. Sed tunc obiicitur: quia maius est pro inimico mori quam pro amico: ergo adhuc non est maximum signum dilectionis mori pro amico; unde arguit Apostolus ad Romanos quinto [2] per locum *a minori: Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius; multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.*

Ad hoc respondet Gregorius [3], quod hoc nomen Resp. 1. *amicis* non tantum supponit pro his qui Dominum diligebant, sed etiam pro inimicis, quia amici Domini erant, quoniam Dominus eos amabat, dum *pro eis animam suam ponebat.*

Vel intelligendum, quod Dominus loquebatur de Resp. 2. dilectione amicorum, et quantum ad illam dilectionem nullum maius signum quam mori pro amico; similiter quantum ad dilectionem inimicorum veram; nam nullum maius signum quam mori pro inimico. Unde non notatur hic excessus *simpliciter,* sed *in genere* [4].

28. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Iam non dicam vos servos.*

Contra: 1. Matthaei vigesimo quinto [5]: *Euge, serve bone et fidelis;* et si vocat beatificandos servos, quid est ergo, quod dicit: *Non dicam vos servos?*

2. Item, supra decimo tertio [6] dixit se *dominum eorum:* ergo *a relativis* et illos dixit *servos.*

Respondeo: Dicendum, quod *servus* dicitur du- Resp. cum distinctione. pliciter: uno modo, prout dicit obedientiam et subiectionem; et sic servus non distinguitur contra amicum, et sic omnes amici Dei sunt servi eius. Alio modo *servus* dicitur serviliter timens; et talis, qui solo timore servit, amicus non est; et de tali hic loquitur, quia nolebat, quod mandata eius serviliter implerent, sed potius amicabiliter [7].

29. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. — Contra:* Audivit Filius a Patre infinita, ergo nota fecit infinita.

Respondent, quod non loquitur de his quae Resp. 1. audivit secundum quod Deus, sed secundum quod homo [8].

Obiicitur tunc: quia diem iudicii homo Christus Obiicitur. novit, tamen discipulis revelare noluit [9]. — Propter Replicatur. hoc respondent ultra, quod omnia pertinentia ad salutem. — *Contra:* infra decimo sexto [10]: *Adhuc multa* Contra. *habeo vobis dicere, quae non potestis portare modo;* et constat, quod ad eorum salutem: ergo etc.

Respondet Augustinus [11]: *Omnia nota fecit,* id Resp. 2. est, disposuit nota facere; sic enim frequenter loquitur Scriptura, ponens praeteritum pro futuro in signum certitudinis. — Vel: omnia necessaria ad salu- Resp. 3.

---

[1] Glossa *interlinearis* in hunc locum: Ponere animam pro amicis non est dilectio, sed effectus dilectionis. Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. dub. 7: Hoc [Dominus] dicit quantum ad signum et exteriorem ostensionem. Vide etiam II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. ad 5.

[2] Vers. 10. — Bernard., Serm. de passione Domini, in feria IV. hebdomadae sanctae, n. 4: Tu maiorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam et tibi reconciliati sumus et Patri.

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 2: Mori etiam pro inimicis Dominus venerat, et tamen positurum se animam pro amicis dicebat, ut profecto nobis ostenderet, quia, dum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt, qui persequuntur. — Inferius respicitur Ioan. 10, 15: Animam meam pono pro ovibus meis.

[4] Aristot., V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.): Quaedam [dicuntur perfecta], eo quod secundum bene in nullo deficiunt nec habent *in aliquo genere excessum,* nec est quidquam extra; quaedam, eo quod omnino *in unoquoque genere excessum* non habent, nec quidquam est extra. Cfr. III. Sent. d. 30. q. 6, ubi inquiritur: Utrum sit maioris perfectionis et meriti diligere amicum, an diligere inimicum.

[5] Vers. 21.

[6] Vers. 13-15. — Boeth., III. de Differentiis topic., hanc maximam pro loco *a relativis* statuit: « In relativis autem absque se relativa esse non posse ». Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de his quae ad aliquid* (i. e. relativis), ubi etiam occurrit, quod converti possint: servus domini servus, et: dominus servi dominus.

[7] August., in Ioan. Evang. tr. 85. n. 3: Sicut enim duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium, sic duae sunt servitutes, quae faciunt duo genera servorum. Est timor, quem perfecta *caritas foras mittit* [I. Ioan. 4, 18.], et est alius timor castus, *permanens in saeculum saeculi* [Ps. 18, 10.]... In illo timore, *quem foras caritas mittit,* est etiam servitus simul foras cum ipso timore mittenda; utrumque enim iunxit Apostolus [Rom. 8, 15.], hoc est servitutem et timorem, dicendo: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Ad hanc servitutem servum pertinentem intuebatur et Dominus dicens: *Iam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus eius.* Non utique ille servus pertinens ad timorem castum, cui dicitur [Matth. 25, 21.]: *Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui* etc. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4. seqq., et ibid. Comment. p. II. per totam.

[8] Hanc et seq. responsionem insinuat Glossa *interlinearis: Quaecumque audivi,* ego homo ad opus hominum.

[9] Vide Matth. 24, 36, de cuius expositione cfr. tom. III. pag. 304, nota 9. et tom. IV. pag. 989, nota 1. — Seq. responsionem exhibet S. Doctor IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 4. ad 2. — Inferius post *salutem* ed. cum Gorrano addit *eis revelaverit.*

[10] Vers. 12.

[11] In Ioan. Evang. tr. 86. n. 1: Sed nimirum, quod facturus est, fecisse se dicit, qui ea *quae futura sunt fecit* [Isai. 45, 11. secundum Septuaginta; cfr. supra pag. 436, nota 1.]. Sicut enim dicit per Prophetam [Ps. 21, 18.]: *Foderunt manus meas et pedes meos,* nec ait: fossuri sunt, velut praeterita dicens, et ea tamen futura praedicens; ita et hoc loco ait, omnia se nota fecisse discipulis, quae se novit nota esse facturum in illa plenitudine scientiae, de qua dicit Apostolus [I. Cor. 13, 10.]: *Cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur* etc.

tem, secundum quod capere poterant [1]. — Et sic patent omnia.

30. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non vos me elegistis.*

Contra: 1. Deuteronomii vigesimo sexto [2]: *Dominum elegisti, ut sit tibi Deus.*

2. Item, si meritum liberi arbitrii consistit in electione [3], quomodo merebantur, si ipsum non elegerant?

Respondeo: Quod hoc intelligendum est: *primo,* Resp. quia non *primo* nos eligimus Dominum, sed *secundo;* quia ipse prius elegit *praedestinando* et postmodum eligit ex aliis *vocando,* sed nos postmodum eligimus vocationi *consentiendo* [4].

Tertio hortatur discipulos ad tolerantiam inimicorum.

31. *Si mundus vos odit* etc. Haec est tertia pars capituli [5], in qua Dominus hortatur ad *tolerantiam inimicorum persequentium;* et hoc quidem fa- Divisio in 5 membra. cit per hunc modum. Primo *praedicit mundi inimicitiam;* secundo vero, ex hoc *procedentem iniuriam;* tertio vero *ostendit persequentium* sive odientium *malitiam;* quarto vero, *suam innocentiam;* quinto vero *discipulos armat ad patientiam.*

(Vers. 18.). Primo ergo *praedicit mundi inimi-* De primo. *citiam,* quae futura erat contra membra ad exemplum capitis. Fuerat enim odium mundi respectu *capitis,* quod est Christus; propter quod dicit: *Si mundus vos odit, scitote,* id est, considerate, *quia me priorem vobis odio habuit.* Rationem huius odii assignavit Dominus supra capitulo tertio [6]: « Omnis, qui male agit, odit lucem »; et supra septimo: « Me odit mundus, quoniam testimonium illi perhibeo, quod opera eius mala sunt ». Propter hanc eandem rationem ostendit odium *membrorum;* unde rationem huius odii reddit: quia ipsi disconveniebant cum mundo; propter quod dicit:

32. (Vers. 19.). *Si de mundo fuissetis,* id est, in mundo mansissetis per pravam consuetudinem; *mundus quod suum erat diligeret;* unde supra septimo [7] dicitur mundanis: « Tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest vos odisse mundus ». *Quia vero de mundo non estis,* id est mundanae conversationis; *sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Illud odium significatum fuit Genesis vigesimo septimo [8] in odio Esau, ubi dicitur: « Oderat Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater eius ». *Esau* mundanos et reprobos significat, sed *Iacob* electos.

33. (Vers. 20.). *Mementote sermonis.* Hic tan- De secundo. gitur secundum, scilicet *iniuria,* eodem modo, quo inimicitia, scilicet *capitis* primo et *membrorum* propter caput et ad exemplum capitis. Propter quod dicit: *Mementote sermonis, quem dixi* [9] *vobis: Non est servus maior domino suo;* supra decimo tertio: « Amen, amen dico vobis: Non est discipulus supra magistrum, nec apostolus maior domino suo ». Et ideo arguit: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Et illud est consequens, ut, si odiunt et persequuntur *caput,* quod etiam *membra.* Unde Augustinus [10]: « Recusat esse in corpore qui odium mundi non vult sustinere cum capite ». De persecutione *capitis* habetur in Psalmo: « Persecuti sunt hominem inopem et mendicum et compunctum corde ». Non solum persequentur in facto, sed contemnent in corde: *Si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt,* id est, sicut meum sermonem contempserunt, ita et vestrum; Lucae decimo [11]: « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. — Vel *servaverunt,* id est, observaverunt ad calumnian- Aliter. dum; Matthaei vigesimo secundo: « Abeuntes Pharisaei consilium inierunt, ut Iesum caperent in sermone »; et in Psalmo: « Observabit peccator iustum ». — Et etiam persequuntur mundani caput et membra, non persequuntur caput propter membra, sed e converso; unde dicit:

34. (Vers. 21.). *Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum,* scilicet delendum, pro quo beati estis; unde Matthaei quinto [12]: « Beati estis, cum vos persecuti fuerint homines et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me ». Ratio

---

[1] Chrysost., in Ioan. homil. 77. (alias 76.) n. 1: Cum vero dicit *omnia,* intelligas ea quae audire illos oportebat. Theophylact., in Ioan. 15, 15: *Omnia* nota fecit eis, quae illi poterant audire et quorum erant capaces.

[2] Vers. 17.

[3] Cfr. Damasc., II. de Fide orthod. c. 22, ubi *electio* tanquam *ultimus actus* voluntatis in ordine intentionis respectu finis per media assequendi assignatur, et definitur, quod « nihil est aliud nisi e duabus rebus, quae proponuntur, alterius prae altera susceptio ». — Infra post *intelligendum est* ed. omittit *primo.*

[4] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 86. n. 2. et de Praedestinat. Sanctorum, c. 17. n. 34. Cfr. I. Sent. d. 40. a. 3. q. 1. et 2. — Ed. *libere consentiendo.*

[5] Cfr. supra n. 1, ex quo lectio ed. *quarta pars capituli* reprobatur.

[6] Vers. 20; sequitur 7, 7. — Maior pars codd. legit: *supra proponendo capitulo tertio.*

[7] Vers. 6. et 7. Ed. cum uno alteroque cod. et Gorrano omittit v. 6: *Tempus... paratum.*

[8] Vers. 41. — Cfr. Rom. 9, 13: Sicut scriptum est [Malach. 1, 2. seq.]: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Vide Hieron., I. Comment. in Amos 2, 11. seqq., et August., Serm. 4. (alias de Diversis 44.) c. 3. n. 3. seqq.

[9] Vulgata *sermonis mei, quem ego dixi.* — Subinde allegatur Ioan. 13, 16, in quo ed. cum Vulgata *Non est servus maior domino suo* pro *Non est discipulus supra magistrum,* quae verba sumta sunt ex Luc. 6, 40. ab ed. etiam allegato.

[10] In Ioan. Evang. tr. 87. n. 2: « Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite ». Ita legit etiam ed.; codd. cum Gorrano exhibent textum nostrum, omisso tamen *mundi.* — Sequitur Ps. 108, 17, quem August. exponit de Iuda et Iudaeis Christum eiusque membra persequentibus.

[11] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Matth. 22, 15. et Ps. 36, 12.

[12] Vers. 11. — Subinde allegantur Ioan. 8, 19. et 17, 25.

huius est caecitas infidelitatis; unde: *quia nesciunt eum qui misit me;* supra octavo: « Neque me scitis neque Patrem meum scitis »; et infra decimo septimo: « Pater iuste, mundus te non cognovit ».

De tertio. 35. (Vers. 22.). *Si non venissem.* Hic iam tertio *ostenditur odientium et persequentium malitia.* Ostendit ergo eorum malitiam inexcusabilem tum per ea quae *audierunt,* tum per ea quae *viderunt:* per

De auditis. ea quae *audierunt;* unde dicit: *Si non venissem et locutus eis non*[1] *fuissem,* verba scilicet fidei et eruditionis, *peccatum non haberent,* supple: ita grave et inexcusabile, quia, Lucae duodecimo, « servus, qui cognovit voluntatem domini sui et non facit, vapulabit multis; qui autem non cognovit vapulabit paucis »; et ideo, si non audissent, excusabiles essent aliquo modo per ignorantiam[2]. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo;* quia non ex ignorantia non credunt, sed ex odio, quod odium redundat in Patrem; propter quod dicit:

36. (Vers. 23.). *Qui me odit et Patrem meum odit;* superbia sua elevati, secundum illud Psalmi[3]: « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper ». Quia ergo ex malitia audire recusaverunt, ideo inexcusabiles fuerunt; Matthaei duodecimo: « Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis »; ad Romanos secundo: « Inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas; in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas ». Inexcu-

De visis. sabiles etiam sunt Iudaei propter ea quae *viderunt;* ideo dicit:

37. (Vers. 24.). *Si non fecissem in eis opera, quae nemo alius fecit; peccatum non haberent,* scilicet non credendo ita magnum; quia, sicut supra quinto[4], « opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me ». *Nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum;* et ideo scienter et ex malitia recusant credere et persequuntur; propterea inexcusabiles sunt; Matthaei undecimo: « Vae tibi, Corozain! vae tibi, Bethsaida! quia, si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae in te factae sunt, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii quam vobis ». Et haec Iudaeorum malignitas in Scriptura expressa est; propterea dicit:

38. (Vers. 25.). *Sed ut impleatur*[5] *sermo, qui in Lege eorum scriptus est* — sumitur large *Lex,* prout comprehendit Psalmos — *quia odio habuerunt me gratis;* in Psalmo scribitur: « Qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis et annuunt oculis »; et in alio Psalmo: « Dum loquebar illis, impugnabant me gratis ». Illud odium praesignatum fuit Genesis trigesimo septimo, ubi dicitur, quod « fratres Ioseph oderant eum et non poterant ei quidquam pacifice loqui ».

De quarto. 39. (Vers. 26.). *Cum autem venerit.* Hic quarto suam *insinuat innocentiam* exprimendam[6] testimo-

Testimonium 1. nio Spiritus sancti et Apostolorum; propter quod dicit: *Cum autem venerit;* ita me persecuti sunt tanquam virum nequam et morte dignum; *cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*[7], *ille testimonium perhibebit de me;* Actuum quinto: « Spiritus testis est, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi »; et perhibendo de mea innocentia testimonium, arguet mundum de malitia; infra decimo sexto: « Cum venerit ille, arguet mundum de peccato », quia non credit. — Non solum ille[8], sed et Testimonium 2. vos illo confirmati; unde:

40. (Vers. 27.). *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis;* Actuum primo[9]: « Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati ab eo tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, testem fieri resurrectionis eius nobiscum unum ex istis ». Hoc testimonium non dederunt Apostoli ante Spiritus sancti adventum, sed post. Unde Petrus, qui ad vocem ancillae Christum negavit[10], cum magna auctoritate principi sacerdotum post missionem Spiritus sancti respondit Actuum quinto: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus ».

Capitulum XVI.

De quinto. 1. (Vers. 1.). *Haec locutus sum vobis* etc. Hic iam quinto[11] *discipulos suos armat ad patientiam,* ut scilicet propter tribulationes non deficiant, sed sustineant; propterea dicit: *Haec locutus sum vo-*

---

[1] Vulgata omittit *non.* — Sequitur Luc. 12, 47. seq. Cfr. infra pag. 456, nota 2.

[2] Cfr. II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3, ubi ostenditur, quod ignorantia excusat peccatum vel a toto, vel a tanto.

[3] Psalm. 73, 23. — Duo seqq. loci sunt Matth. 12, 42. et Rom. 2, 1.

[4] Vers. 36. — Inferius allegatur Matth. 11, 21. seq. — August., in Ioan. Evang. tr. 91. n. 1: *Si non... peccatum non haberent;* peccatum illud scilicet magnum, de quo et superius [v. 22.] ait: *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Hoc est peccatum, quo in eum loquentem et operantem non crediderunt etc.

[5] Vulgata *adimpleatur.* De diversa acceptione *Legis* cfr. supra pag. 392, nota 3. — Tres seqq. loci sunt Ps. 34, 19; 119, 7. et Gen. 37, 4.

[6] Ed. cum Gorrano *astruendam,* et paulo inferius pro *ita me* (B F I K L N *ita ipsi me)* substituit *quasi diceret: Ipsi me.*

[7] Plurimi codd. omittunt *qui a Patre procedit.* — Sequuntur Act. 5, 32. et Ioan. 16, 8.

[8] Ed. et Gorranus addunt *testimonium mihi perhibebit.*

[9] Vers. 21. et 22. Pro *Oportet ergo* codd. et Gorranus *Oportet unum,* et pro *ab eo* Vulgata *in omni.*

[10] Cfr. infra 18, 17. — Subinde allegatur Act. 5, 29.

[11] Cfr. supra c. 15. n. 31.

bis, ut non scandalizemini; quia, sicut dicit Gregorius [1], « minus feriunt iacula, quae praevidentur, et tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra haec per providentiae clypeum munimur ». Ideo praemunit eos de tribulatione futura.

2. (Vers. 2.). *Absque synagogis facient vos;* Actuum octavo [2]: « Facta est persecutio magna in Ecclesia, quae erat Ierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae et Samariae ». Et ratio huius acerbae persecutionis subiungitur: *Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, se obsequium praestare Deo.* Hora ista fuit tempus praedicationis Apostolorum; tunc occidendo eos arbitrabantur se bene facere; unde exemplum est in Paulo, Actuum nono [3], qui « petiit litteras a principibus sacerdotum in Damascum, ut, si quos invenisset » etc. Talis autem cogitatio ortum habet ab infidelitate; et ideo dicit:

Ratio persecutionis.

Orta est ex infidelitate.

3. (Vers. 3.). *Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me,* id est propter ignorantiam et incredulitatem. Exemplum est in Paulo, primae ad Timotheum primo [4]: « Fui blasphemus et persecutor et contumeliosus, sed ignorans hoc feci in incredulitate ». Contra igitur haec mala armat discipulos praedicens eis; unde dicit:

4. (Vers. 4.). *Sed haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum* [5], qua scilicet persequentur, *reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Reminiscentia et memoria verborum Dei multum valet ad omnia mala perferenda, e contrario oblivio nocet; ideo Deuteronomii octavo [6]: « Cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui et negligas mandata eius ». Recordatio sermonum Dei hominem erigit et dirigit; unde dicitur Matthaei vigesimo sexto [7]: « Recordatus est Petrus verbi Iesu, et egressus foras, flevit amare »; Psalmus: « Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae ».

Notandum.

QUAESTIONES.

5. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Non noverunt me;* quaeritur, utrum ipsi Pharisaei cognoverint Christum. — Quod sic, videtur:

1. Quia dicitur Matthaei vigesimo primo [8] in parabola de vinea: *Illi cultores dixerunt: Hic est heres; venite, occidamus eum.*

2. Item, in littera [9] dicitur: *Nunc autem viderunt et oderunt et me et Patrem meum:* ergo scienter ipsum oderant.

SED CONTRA hoc est: 1. Quia Actuum tertio [10]: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri;* ergo principes per ignorantiam occiderunt Christum: non ergo cognoverunt.

2. Item, primae ad Corinthios secundo [11]: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent:* ergo non cognoverunt Christum.

RESPONDEO: Dicendum, quod Christus et Deus erat et Messias seu promissus princeps in Lege. Dicendum ergo, quod Iudaei mali cognoverunt, quod ipse erat Christus eis promissus et verax et innocens; sed quod esset Dei Filius, non cognoverunt [12]. Quia enim veritatem agnitam impugnaverunt, volentes ostendere, ipsum non esse neque bonum neque sanctum; ideo excaecati sunt, ut in eo Divinitatem non cognoscerent, in quo humanitatem odirent.

Resp. cum distinctione.

Quod ergo dicitur, aut quod cognoverunt, aut quod non; referenda est cognitio ad *diversa cognita.* — Alii referunt ad *diversa tempora,* quod in *principio* cognoverunt; sed *postmodum,* impugnando per malitiam, sunt excaecati [13].

Ad argg.

Aliter.

6. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit [14]: *Si non venissem et locutus non fuissem; peccatum non haberent.*

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 35. n. 1, ubi pro *providentiae* textus originalis *praescientiae.*

[2] Vers. 1.

[3] Vers. 2. — August., in Ioan. Evang. tr. 93. n. 4: Obsequium se putant praestare Deo, interficiendo famulos Dei. O error horrendus!

[4] Vers. 13, ubi post *sed* Vulgata addit *misericordiam consecutus sum, quia.* — Cfr. Rupert. abbas Tuitiens., in Ioan. 16, 3.

[5] Ita August., in Ioan. Evang. tr. 93. n. 4, ubi explicans adiungit: « *Hora eorum,* hora tenebrarum, hora nocturna; sed [Ps. 41, 9.] *in die mandavit Dominus misericordiam suam et in nocte* declaravit » etc. Chrysost. vero, in Ioan. homil. 77. (alias 76.) n. 3, secundum textum Graecum *eorum* iungit cum *reminiscamini:* μνημονεύητε τούτων.

[6] Vers. 11. Ed. cum Vulgata praefigit *Observa et.*

[7] Vers. 75. — Sequitur Ps. 21, 28.

[8] Vers. 38.

[9] Supra 15, 24.

[10] Vers. 17.

[11] Vers. 8.

[12] August., in Ioan. Evang. tr. 93. n. 3: Non cognoverunt Deum nec eius Filium. Cfr. Petr. Lombard., in I. Cor. 2, 8: « Vel de Iudaeis potest accipi, quorum quidam cognoverunt Christum, alii vero non cognoverunt. De ignorantibus dicit Petrus [Act. 3, 17.]: *Scio, fratres, quia per ignorantiam id gessistis.* Isti non cognoscebant, illum esse, qui in Lege promissus erat eis. Maiores vero, ut principes sacerdotum, scribae et Pharisaei cognoverunt, ipsum esse, qui in Lege promissus erat; sed Deum esse vel Filium Dei nescierunt. Et ideo de utrisque sic potest accipi: *si cognovissent,* vel minores, illum esse Messiam in Lege promissum; vel maiores, illum Deum esse vel Dei Filium; *nunquam Dominum gloriae crucifixissent* ». Ultima propositio habetur etiam in Glossa *ordinaria* in eundem locum: de aliis cfr. Comment., qui habetur inter opera Ambrosii, in hunc locum, ubi etiam additur: « Quamvis Dominum esse nescierint, nescii tamen non erant, quia rem impiam faciebant ». Vide tom. III. pag. 394, notam 5, in qua pro praenotatis Petri Lombardi verbis allegavimus Quaest. ex novo testam. (inter opera August.) p. I. q. 66. Cfr. II. Sent. d. 40. dub. 3. et supra c. 3. n. 4. ac c. 7. n. 66-75.

[13] Cfr. supra c. 6. n. 50; c. 7. n. 43. seq. et c. 8. n. 37. seq., ubi similiter hae adhibentur distinctiones — Superius pro *aut quod... aut quod non* ed. cum uno alterove cod. *quod aliquando... aliquando non.*

[14] Supra 15, 22.

1. Ergo secundum istam rationem illi qui non audiunt et non credunt, non damnantur propter infidelitatem; quod manifeste falsum est, quia nullus salvatur sine fide.

2. Item, secundum hoc Tyrii et Sidonii, qui non crediderunt, non damnabuntur; quod manifeste falsum est per testimonium Evangelii [1].

Respondeo: Dicendum, quod per excellentiam diversa genera peccatorum nomine *peccati* generaliter dantur intelligi, praecipue tamen inter alia peccatum in Spiritum sanctum, quod est mere peccatum, nullam praetendens excusationem [2]. Nomine igitur *peccati* intelligitur hic peccatum *in Spiritum sanctum*, quod accrevit peccato *infidelitatis*; et hoc non habuissent Iudaei, sed solum remansissent in *infidelitate*, si Dominus non per aperta signa manifestasset se eis.

7. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit [3]: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit* etc.

1. Istud videtur falsum, quia maiora et mirabiliora signa legimus in veteri testamento. Legimus enim mare rubrum divisum et Iordanem, homines quadraginta annis de caelo pastos, mortuos suscitatos [4] et multa talia.

2. Item, ipse Dominus dicit [5]: *Qui credit in me maiora horum faciet;* ergo signum operum non erat certum signum nec singulare, quod ipse esset Christus.

Ad hoc Glossa [6] respondet, quod non intelligitur
Resp. 1. de operibus *miraculosis*, sed de *mirabilibus*, ut quod *mulier circumdedit virum*, et quod ipse de Virgine natus, et consimilia. — Sed illud non solvit, Non probatur. quia haec non erant eis nota [7].

Propterea dicendum aliter: vel quod hoc dicitur Resp. 2. quantum ad operum multitudinem et diversitatem, quia nullus unquam tot miracula et tam varia et diversa fecerat, sicut Christus [8]. — Vel facienda est Resp. 3. vis in hoc quod dicit: *Fecissem, quae nemo alius fecit*, quia non erat Deus, sed ad eius invocationem facta sunt; Christus autem fecit tanquam ille qui erat omnipotens.

8. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit [9]: *Viderunt nunc et oderunt me et Patrem meum.*

Contra hoc est: 1. Quia, sicut dicit Augustinus [10], « nullius conscientia potest odisse Deum »; quomodo ergo oderunt Patrem?

2. Item, nemo odit nisi quod novit; sed ipse dicit, quod *non noverunt Patrem*, et nunc [11] et in multis locis: ergo Deum non habebant odio.

Respondetur ad hoc dupliciter: primo, ut distin- Resp. 1. guatur *odium:* quia est odium *verum*, quod est in Duplex odium. affectus controversia [12] adversus aliquem; et sic nullus potest odisse Deum. Et est odium *interpretativum*, quando aliquis ad modum odientis se habet. Sic dicitur aliquis *odire animam suam* [13], quando facit contra salutem propriam; sic etiam dicitur *odisse Deum*, quando voluntati eius adversatur.

Aliter dicitur, quod Deum est considerare ut Resp. 2. *bonum summum*, a quo omne bonum; est considerare ipsum ut *iustum* in suis operibus. Nullus potest Deum odisse nec odit in *se;* odit tamen secundum quod *iustus* [14].

---

[1] Matth. 11, 21. seqq. et Luc. 10, 13. seqq. Cfr. supra 15, 24. n. 37.

[2] Cfr. II. Sent. d. 43. a. 2. q. 1. — Superius pro *mere peccatum* ed. *magnum peccatum*, pro qua lectione allegatur in nota adiuncta August., in Ioan. Evang. tr. 89. n. 1: Sed *magnum* quoddam peccatum [Iudaei non haberent]; non *omne* peccatum quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata... hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit, ut credatur in eum. Cfr. supra pag. 454, nota 4.

[3] Supra 15, 24.

[4] Vide de his miraculis Exod. 14, 21. seq. (de mari rubro); Iosue 3, 13. seqq. (de Iordane); Exod. 16, 35. (de manna); III. Reg. 17, 21. seq. et IV. Reg. 4, 32. seqq. (de puero mortuo suscitato ab Elia et Eliseo). Cfr. Glossa *ordinaria* in Ioan. 15, 24. ex August., in Ioan. Evang. tr. 91. n. 2.

[5] Supra 14, 12.

[6] Scilicet *ordinaria* (cfr. supra nota 4. in fine.): Non ergo de talibus [quod satiaverit multitudinem paucis panibus, quod ambulaverit super aquas] hic dicit. Superat etiam Christus miracula omnium, quod natus de Virgine, quod de morte surrexit. — Inferius allegatur Ier. 31, 22: Femina circumdabit virum.

[7] Glossa praenotata ait: « Sed haec non sunt facta *in eis* nec *coram eis* ». Haec verba addit ed. hic: *quia non sunt* etc.

[8] Glossa praeallegata: Dicit ergo de sanitatibus, quot et quantas nullus fecerat *in eis*, et quia ipse per se ipsum fecit, nemo sine eo (his ultimis verbis tangitur seq. solutio). — Superius pro *dicendum* ed. *dicit* (Glossa), quae etiam post *miracula* addit *sanitatum*.

[9] Supra 15, 24.

[10] Libr. II. de Sermone Domini in monte, c. 14. 48: Nullius enim fere conscientia Deum odisse potest. — Ed. verba *sicut dicit Augustinus* transponit in seq. obiect. post *Item*.

[11] Scilicet in hoc cap. v. 3. Cfr. 5, 37. seqq.; 8, 19. et 55. — August., in Ioan. Evang. tr. 89. n. 5: Hic nobis fortasse dicatur: Quis potest odisse quem nescit?... Quomodo ergo nesciunt et oderunt? Ibid. tr. 90. n. 1: Non itaque dissimulanda nascitur quaestio, quomodo possint odisse quem nesciunt. — Superius post *ipse* ed. addit *Christus*.

[12] In sensu latiore pro *contrarietate*, quatenus includit aversionem ab aliquo, sub quo respectu Magister Sent. II. d. V. c. 1. ex Hug. a S. Victore ait: *Converti* ad Deum fuit ei caritate adhaerere, *averti* odio habere.

[13] Psalm. 10, 6: Qui autem diligit iniquitatem odit animam suam. Cfr. supra c. 12. n. 37. et 41. De seq. propositione vide II. Sent. d. 35. a. 1. q. 3. in fine, ubi exponitur *pro quanto quis dicatur Dei inimicus*, scil. pro tanto, « quia, cum Deus *praecipiat* unum, homo malus facit contrarium, et ita Deo adversatur ».

[14] Cfr. supra c. 3. n. 37, ubi similis distinctio de odio *lucis* sive veritatis occurrit, et c. 7. n. 8, ubi adducuntur Terentii verba; quod « veritas odium parit », quae Cicero, de Amicitia, c. 24, explicat: Molesta veritas, siquidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae. — Superius vocibus *in suis operibus* fere omnes codd. praefigunt *et*.

1. Quod ergo obiicitur de Augustino, dicendum,
Ad 1. quod Augustinus [1] illud retractat; tamen verbum illud verum est, accipiendo odium, sicut expositum est.

2. Quod obiicit, quod non cognoverunt; dicen-
Ad 2. dum est, quod est cognitio *certitudinis* et *claritatis per speciem;* et hac nullus Deum cognoscit, nisi sit comprehensor. Et est cognitio *certitudinis*, sed *aenigmatis* [2]; sed hac nullus Deum cognoscit nisi fidelis. Et est cognitio *aestimationis*, et hac infideles et multi mali cognoscunt. Et sic cognoverunt Patrem et per consequens odire possunt [3].

9. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, se obsequium praestare Deo.*

Ergo secundum hoc illi qui occidebant Apostolos, bona intentione occidebant: ergo merebantur. — *Si tu dicas,* quod non poterat bona intentione fieri; illud falsum est, quia mala *in genere,* quae non sunt mala *secundum se,* bene fieri possunt; et tale est *occidere.*

Respondeo: Dicendum, quod quaedam sunt
Resp. cum distinctione. opera, quae *nullo modo* possunt bene fieri, ut *mentiri,* sicut dicit Augustinus [4], quia « mox nominata coniuncta sunt malo », ut dicit Philosophus. Quaedam autem sunt, quae *statim* possunt bene fieri, cum adest bona intentio, ut sunt bona in genere [5]. Quaedam, quae non fiunt bona *sola intentione,* nisi adsit *causa* et *ordo,* et talia sunt *occidere* et consimilia. Unde quandocumque homo occidat alium pro Deo, nisi adsit ordo iudicii et causa, nullo modo bene fit. Tali modo fiebat in Apostolis, quia iusta causa et inquisitio deerat [6].

Tertio, circa exspectationem spei tria ponuntur.

10. *Haec autem vobis ab initio* etc. Supra [7] Dominus verbo eruditionis confirmavit discipulos in fide et in dilectione; in hac parte intendit eos confirmare *in spei exspectatione,* consolans eos multipliciter contra turbationem et desolationem de suo recessu. Et haec pars tertia partitur secundum triplex genus consolationis. Prima consolatio est ex
Divisio in 3 membra. *Spiritus sancti missione;* secunda vero, ex *Filii visitatione* et determinatur ibi [8]: *Modicum, et non videbitis me;* tertia est ex *Patris exauditione,* ibi: *Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem* etc.; ut sic animam tota Trinitas consoletur. Prima consolatio est ad dandam *intelligentiam;* secunda, ad *laetitiam;* tertia, ad *pacem et confidentiam.* Prima respicit [9] *rationalem;* secunda, *concupiscibilem;* tertia vero respicit *irascibilem.*

Primo consolatur discipulos ex Spiritus S. missione.

Primo igitur consolatur eos de *Spiritus sancti*
Describitur quadrupliciter. *missione;* et describitur haec consolatio per hunc modum. Primo praemittitur *discipulorum desolatio;* secundo, *Spiritus sancti promissio;* tertio, *missi officium;* quarto, *missionis principium.*

(Vers. 5.). Praemittit ergo primo *discipulorum*
Primo, de discipulorum desolatione. *desolationem* occasione sui recessus, cuius ratione etiam praedictas admonitiones fecerat; ideo dicit:

11. *Haec ab initio non dixi vobis* [10], scilicet quae praedicta sunt de Spiritus sancti missione et vestra persecutione; *quia vobiscum eram,* consolans vos mea praesentia, et ideo non dicebam vobis tristia; unde Matthaei nono [11]: « Non possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus ». *Et nunc vado ad eum qui misit me,* scilicet ad Patrem; ideo vobis praedico. Et ex hoc recessu facti erant discipuli non diligentes, sed tristes; unde dicit: *Et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Audiebant et non intelligebant et quaerere negligebant; et hoc erat prae tristitia.

---

[1] Libr. I. Retract. c. 19. n. 8: Item, quod dixi: *Nullius enim fere conscientia Deum potest odisse,* non video fuisse dicendum. Multi enim sunt, de quibus scriptum est [Ps. 73, 23.]: *Superbia eorum qui oderunt te.* Cfr. II. Sent. d. 5. dub. 1, ubi eadem obiectio solvitur: Dicendum, quod Augustinus illud retractat. Attamen veritatem habet aliquo modo illud verbum, si intelligatur de Deo, in quantum est summum bonum, ad quod participandum facta est creatura rationalis; unde cum semper appetat beatificari, nunquam beatificantem odit etc. — Ed. *retractat, ita tamen, ut verbum istud verum sit, accipiendo* etc.

[2] Epist. I. Cor. 13, 12: Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Ibid. II. 5, 7: Per fidem enim ambulamus et non per speciem. — Plures codd. et Gorranus: Et est cognitio *non certitudinis* etc.; perperam.

[3] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 90. n. 1. seqq.

[4] In libr. de Mendacio et in libr. contra Mendacium; cfr. III. Sent. d. 38. q. 2, ubi ex August. verbis hoc probatur. — Sententia Aristot. habetur in II. Ethic. c. 6; cfr. tom. I. pag. 32, nota 6.

[5] Cfr. II. Sent. d. 36. dub. 5: Bonum autem, secundum quod respicit materiam debitam, dicitur esse *bonum in genere,* pro eo quod, sicut *genus* dicit *esse* in potentia ad *esse completum,* quae completur per adventum differentiarum; sic in actu transeunte super materiam debitam quodam modo *inchoatur* bonum moris; illud autem bonum moris *specificatur* et *completur* per adventum circumstantiarum, unde potest fieri et bene et male. Similiter intelligendum est de *malo in genere* etc. — Subinde pro *fiunt bona* ed. *fiunt bene,* et inferius pro *quandocumque* ed. cum pluribus codd. et Gorrano *quantumcumque.*

[6] Vide I. Sent. d. 47. q. 4.

[7] Cfr. c. 14. n. 1.

[8] Vers. 16: Modicum et iam non etc., tertia pars incipit v. 20.

[9] Ed. cum Gorrano addit *vim;* cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. in fine corp. et tom. III. pag. 579, nota 6-9, ubi diversi actus huius triplicis vis afferuntur, ad quos respicitur.

[10] Vulgata: *Haec autem vobis ab initio non dixi.* August., in Ioan. Evang. tr. 94. n. 1, ista verba intelligit dicta non tam de passionibus Apostolorum v. 1-4. annuntiatis (nam eas Dominus iam illis praedixerat Matth. 10, 17; 24, 9; Marc. 13, 9; Luc. 12, 11. seq. et 21, 12.), quam de missione Spiritus sancti consolantis eos tempore tribulationis. Chrysost., in Ioan. homil. 78. (alias 77.) n. 1. ait: Verbera et abductiones praedixerat, non tamen significaverat, caedem eorum ita cordi fore hostibus, ut rem divinum cultum esse putarent.

[11] Vers. 15. — Inferius post *diligentes* ed. cum Gorrano addit *in inquisitione.*

12. (Vers. 6.). *Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum;* in quo significatur abundantia tristitiae, quia solum considerabant absentiam et non absentiae fructum; contra hoc dicitur primae ad Thessalonicenses quarto [1]: « Non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent ». Tales implentur tristitia; secundae ad Corinthios secundo: « Consolemini, ne forte abundantiori absorbeatur tristitia qui huiusmodi est »; Threnorum tertio: « Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio ».

Secundo, de Spiritus S. promissione.

13. (Vers. 7.). *Sed ego veritatem dico vobis* etc. Hic tangitur secundum, scilicet *Spiritus sancti promissio*, quae impletur in suo recessu, ex qua debent consolari; ideo dicit: *Sed ego veritatem* etc., quasi dicat: ita tristamini, sed e contrario debetis consolari de recessu. *Expedit vobis, ut ego vadam;* et ratio redditur: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et ratio huius est: quia, nisi fueritis desolati, non consolabimini; Matthaei quinto [2]: « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur ». Bernardus: « Delicata est nimis divina consolatio nec datur habentibus alienam ». *Si autem abiero, mittam eum ad vos;* quia, subtracta consolatione visibili, dabitur vobis consolator invisibilis; Isaiae vigesimo octavo [3]: « Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus ». Et ratio huius redditur ad Hebraeos quinto: « Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae; parvulus enim est ».

Tertio, de ipsius officio.

14. (Vers. 8.). *Et cum venerit ille.* Tangitur hic tertium, scilicet *Spiritus sancti officium*, tum per comparationem ad *mundanos*, et hoc est *arguere;* tum per comparationem ad *bonos*, et hoc est *docere.* Officium igitur per comparationem ad *malos* exprimit, cum dicit: *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.* Et ipse Salvator exponit:

Primo, quoad malos.

15. (Vers. 9.). *De peccato quidem, quia non crediderunt in me;* et hoc est peccatum infidelitatis, de quo supra octavo [4]: « Vos in peccato vestro moriemini; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro ».

16. (Vers. 10.). *De iustitia vero, quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me;* Glossa [5]: « Non de iustitia, quam fecerint, sed quam nolunt imitari ». Et haec est iustitia fidei, quae credit quod non videt; ideo dicit: *Quia ad Patrem vado* [6] etc.; et tunc creditis, quia « fides est substantia rerum sperandarum » etc., ad Hebraeos undecimo. Et haec est iustitia, scilicet fidei, per quam iustus salvatur; ad Romanos tertio: « Arbitramur, hominem iustificari per fidem sine operibus Legis ».

17. (Vers. 11.). *De iudicio vero* [7], *quia princeps huius mundi iam iudicatus est;* supra duodecimo: « Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras ».

Alia expositio.

18. Potest tamen aliter exponi. *Arguere* enim *mundum*, hoc est manifestare mundo, secundum illud ad Ephesios quinto [8]: « Quae arguuntur a lumine manifestantur ». Per adventum Spiritus sancti tria manifestata sunt mundo: *peccatum, iustitia* et *iudicium:* peccatum *mundi*, iustitia *Christi*, iudicium *diaboli.* Et ratio horum trium est: quia Christus *redemptor* erat mundi, diabolus *deceptor*, et mundus *detinebatur a diabolo* propter peccatum infidelitatis; ad Ephesios sexto [9]: « Adversus mundi rectores tenebrarum harum ». — Et de hoc *peccato* Spiritus sanctus *arguit mundum:* dum ostendit ei suam *infidelitatem*, arguit de peccato. Et huic concordat littera dicens: *De peccato, quia non crediderunt* [10].

Tria manifestantur.

Peccatum mundi.

Christus vero mundum redemit *sua iustitia.* Quia enim iustus fuit et pati non meruit, patiendo

Christi iustitia.

---

[1] Vers. 13. — Sequuntur II. Cor. 2, 7. et Thren. 3, 15.

[2] Vers. 5. — Sententia Bernardi exhibetur in libro Gaufridi abbatis (qui discipulus erat Bernardi) *Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu ex S. Bernardi sermonibus collectae*, sect. 55. n. 66: Pretiosa siquidem divina consolatio est nec omnino tribuitur admittentibus alienam.

[3] Vers. 9. — Subinde allegatur Hebr. 5, 13. — Superius pro *consolator* ed. *consolatio.*

[4] Vers. 24. — August., in Ioan. Evang. tr. 95. n. 2: *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me.* Hoc enim peccatum, quasi solum sit, prae ceteris posuit; quia hoc manente, cetera detinentur; et hoc discedente, cetera remittuntur. Cfr. supra pag. 456, nota 2.

[5] Glossa *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 95. n. 2.) in Ioan. 16, 8: *Et de iustitia*, non de sua, sed de credentium iustitia mundus arguitur, quorum comparatione damnatur; unde non ait: Non videbit me mundus, sed *Non videbitis me* [v. 10.], vos Apostoli... Est vera iustitia credere quod non videtur... *Iustus ex fide vivit* (Rom. 1, 17.). Glossa *interlinearis* in Ioan. 16, 8: *De peccato*, quod habet mundus, *et de iustitia*, quam non imitatur, *et de iudicio*, quod non timet.

[6] Ed. cum Gorrano integrum textum affert *et iam non videbitis me*, omittit tamen verba, quae sequuntur: *et tunc* [permulti codd. *tamen*] *creditis.* — Sequuntur Hebr. 11, 1. et Rom. 3, 28, in cuius fine non pauci codd. omittunt *Legis.*

[7] Vulgata *autem.* — Subinde allegatur Ioan. 12, 31.

[8] Vers. 13.

[9] Vers. 12.

[10] August., Serm. 144. (alias 61. de Verbis Domini) c. 2. n. 3: « Et primo quaerendum est: si de peccato mundus arguitur, cur et de iustitia? Quid enim de iustitia recte argui possit? An de peccato quidem *suo*, de iustitia vero *Christi* mundus arguitur?... Illi non crediderunt, ipse ad Patrem vadit. Illorum ergo peccatum, ipsius autem iustitia. Sed cur in eo solo voluit nominare iustitiam, quia vadit ad Patrem? Num non iustitia est etiam, quod huc venit a Patre? An illa potius misericordia est, quod a Patre ad nos venit, iustitia vero, quod ad Patrem vadit »? Subinde n. 3, adductis verbis Apostoli Phil. 2, 3-8: *Nihil per contentionem... factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ait: Haec est misericordia, qua venit a Patre. Quae igitur iustitia est, qua vadit ad Patrem? Sequitur et dicit [v. 9-11.]: *Propter quod et Deus exaltavit illum... in gloria est Dei Patris.* Haec est iustitia, qua vadit ad Patrem.

pro mundo ipsum salvavit; in cuius iustitiae attestationem sublimatus est ad dexteram Patris. Et huic concordat littera: *De iustitia*, scilicet mea, *quia vado ad Patrem*, per sublimationem, et hoc merito *iustitiae;* ad Philippenses secundo [1]: « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen ».

Diaboli iudicium.

Diabolus vero iniuste mundum detinebat et iniuste contra Christum pugnavit; ideo *iudicatus* est, quia amisit dominium in genus humanum [2]. Et huic consonat sequens littera: *De iudicio vero, quia princeps huius mundi iam iudicatus est*, id est, in causa Salvatoris reus factus est. — Legatur ergo sic littera: *Arguet mundum de peccato*, scilicet suo, *quia non crediderunt* etc.; *de iustitia*, scilicet mea, *quia ad Patrem vado*, in huius testimonium; *de iudicio*, scilicet diaboli, *quia princeps huius mundi iam iudicatus est.*

Secundo, quoad bonum.

Sic determinavit officium eius ad *mundanos;* deinde subiungit officium eius ad *discipulos*, et hoc est *docere*, quia non plene potuerunt doceri in praesentia Christi; ideo dicit:

19. (Vers. 12.). *Adhuc habeo multa vobis dicere; sed non potestis portare modo;* et ratio huius erat, quia adhuc carnales erant; unde primae ad Corinthios tertio [3]: « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis ». Sed ista carnalitas amovenda erat per adventum Spiritus sancti; ideo subdit:

20. (Vers. 13.). *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* unde primae Ioannis secundo [4]: « Unctio docebit vos de omnibus ». Et quod doceat *veritatem*, ostendit per hoc, quod non a se, sed ab alio; propterea dicit: *Non enim loquitur* [5] *a semetipso*, sicut diabolus, qui « mendax est et pater eius », supra octavo: « Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur ». *Sed quaecumque audiet, loquetur*, ideo vera loquetur; supra octavo [6]: « Qui misit me verax est, et ego quae audivi ab eo, haec loquor ». Nec tantum docebit veritatem de praeteritis, sed etiam de futuris; unde: *Et quae ventura sunt annuntiabit vobis;* unde primae ad Timotheum quarto: « Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis diebus discedent quidam a fide ».

Quarto, de Spiritus S. principio.

21. (Vers. 14.). *Ille me clarificabit.* Tangitur hic quartum, scilicet *Spiritus sancti principium;* et hoc quidem non tantum est Pater, verum etiam Filius; et ideo, sicut Filius, quia procedit a Patre, clarificat in suis operibus Patrem, a quo est [7]; sic et Spiritus sanctus Filium. Propterea dicit: *Ille me clarificabit;* et ratio redditur: *Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Cum Spiritus sanctus sit summe simplex, est quidquid habet: ergo si accipit aliquid a Filio, totum accipit, et ideo sequitur, quod a Filio procedit [8]. Sed ne credas ex hoc, quod ab ipso *solo* procedat, vel ab ipso *principaliter;* ideo ostendit, quod ab ipso procedit, una cum procedit a Patre. Propterea subdit:

Notandum.

22. (Vers. 15.). *Omnia, quae* [9] *habet Pater, mea sunt;* infra decimo septimo: « Mea omnia tua sunt, et tua mea ». *Propterea dixi: Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis; de meo*, quod tamen a Patre accepi. Sic Spiritus sanctus enuntiat Filium, a quo procedit, sicut et Filius Patrem; supra primo [10]: « Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ».

Quaestiones.

23. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?*

Contra: Supra decimo tertio [11]: *Dicit ei Petrus: Domine, quo vadis?*

Resp.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus ibat ad ignominiam passionis, ibat ad gloriam resurrectionis; et cum prius loqueretur, quod iret ad passionem, quaesivit Petrus: *Quo vadis?* Sed modo vult eis dicere, quod vadit ad gloriam resurrectionis; unde: *Vado ad eum qui misit me.* Et ipsi tantum turbati erant de itinere ad passionem, quod nihil cogitabant de gloria. Ideo de hac non quaerebant; sed Dominus volebat, quod quaererent, ut ipsos consolaretur [12].

24. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

Obiectio et resp.

Videtur ex hoc, quod Christus non fuerit omnipotens, quia Spiritum non poterat dare, nisi personaliter iret. — *Si tu dicas*, quod hoc non fuit propter Christi impotentiam, sed propter discipulorum ineptitudinem [13]; *contra* hoc est, quia Christi prae-

---

[1] Vers. 8. et 9.

[2] Cfr. supra c. 12. n. 53; c. 14. n. 49. et IV. Sent. d. 47. a. 1. q. 4. ad 1.

[3] Vers. 1. et 2. Vulgata interserit plura, quae afferuntur ab ed.

[4] Vers. 27. Ed. plura verba huius versus adducit.

[5] Vulgata *loquetur*. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 8, 44.

[6] Vers. 26. — Inferius allegatur I. Tim. 4, 1.

[7] Cfr. supra c. 5. n. 42. et 46; c. 14. n. 11. seqq. — Superius ed. omittit *ideo*.

[8] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 99. n. 4. Cfr. infra n. 26. et I. Sent. d. 11. q. 1. fundam. 9.

[9] Vulgata *quaecumque*. — Sequitur Ioan. 17, 10.

[10] Vers. 18. Cfr. infra n. 26.

[11] Vers. 36. Vide etiam 14, 5, ubi Thomas eandem quaest. ponit.

[12] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 78. (alias 77.) n. 1, et August., in Ioan. Evang. tr. 94. n. 3.

[13] Glossa *ordinaria* (secundum August., in Ioan. Evang. tr. 94. n. 4.) praedicta exhibet ita: Non quod positus in terra *non posset* dare, sed quia illi non sunt *idonei* accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse.

sentia potius disponebat ad gratiam, quam impediret; quod patet, quia ante adventum Christi non fuit tempus gratiae, sed post. — Respondetur, quod impediebantur, quia carnaliter ipsum amabant [1]; sed hoc nihil est, quia in illo amore non peccabant: ergo non repugnabat gratiae, unde simul manebat cum caritate. — *Si tu dicas*, quod non repugnat ut incompossibile, sed tamen ut impediens; hoc nihil est, quia, quando aliquis amat aliquem sensibiliter et spiritualiter, ferventius diligit, quia dilectio naturalis intendit spiritualem.

Replicatur et respondetur.

Iterum replicatur et respondetur.

Respondeo: Dicendum, quod triplici ex causa non fuit datus Spiritus sanctus ante ascensum Christi. Una ratio est ex parte *suscipientium*, quia, consolati sensibiliter praesentia corporali Christi, non desiderabant aliam consolationem. Deus autem non vult dona sua contemni, et ideo non dat nisi merentibus; ideo oportuit, Christum ab eis separari [2]. — Alia ratio ex parte *mittentis*, quia non decet, miserum dotare suos servitores, nisi ipse appareat gloriosus; ideo dicitur supra septimo [3]: *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* — Tertia ratio est ex parte *utriusque*, quia adhuc manebant inimicitiae inter nos et Deum; et ideo primo oportuit fieri reconciliationem [4] quam Spiritus sancti donationem. Ideo prius oportuit Christum pati, quam Spiritum sanctum mitti.

Resp. auctoris.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

25. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *cum venerit Spiritus, docebit vos omnem veritatem.*

1. Primo videtur male dicere, quod *docebit;* quia *docere* est actus sapientiae, et sapientia appropriatur Filio, non Spiritui sancto [5].

2. Item, quomodo *docebit omnem veritatem?* Secundum hoc videtur, quod Apostoli sciverunt geometriam et omnes artes; et illud falsum est, quia etiam male sciebant grammaticam; unde Apostolus dicebat: *Etsi imperitus* sum *sermone, non tamen scientia,* secundae ad Corinthios undecimo [6].

Respondeo: Dicendum, quod *docere* totius Trinitatis est, tamen aliquando tribuitur Filio, aliquando Spiritui sancto; quia duplex est cognitio, scilicet *speculationis,* et haec attribuitur Filio; et *experientiae et devotionis* [7], et haec attribuitur unctioni Spiritus sancti; et de hac loquitur hic.

Resp cum distinctione.

2. Et per hoc patet solutio ad sequens. Intelligit enim non de *omni veritate simpliciter,* sed *secundum pietatem* [8]; et haec est veritas necessaria ad salutem, quam plene cognoverunt Apostoli.

Ad 2. solutio 1.

Vel dicendum, quod non intelligit hoc, secundum quod *omnis* distribuit pro *singulis generum,* sed pro *generibus singulorum* [9]; est enim veritas *doctrinae, vitae* et *iustitiae,* et has docuit. De veritate *doctrinae;* Matthaei vigesimo secundo [10]: *Magister, scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces.* — De veritate *vitae;* Isaiae trigesimo octavo: *Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate.* — De veritate *iustitiae;* Proverbiorum decimo octavo: *Accipere personam in iudicio non est bonum, ut declines a veritate iudicii* [11].

Solutio 2.

Triplex veritas.

26. Quaest. IV. Quaeritur de hoc quod dicit: *De meo accipiet.*

1. Videtur falsum; quia, si Spiritus sanctus est Deus; et Deus nihil novum potest habere: ergo nihil amplius potest accipere. Quid est ergo, quod dicit: *De meo accipiet?*

---

[1] August., in Ioan. Evang. tr. 94. n. 4: Sed nolo, me *carnaliter* adhuc diligatis, et isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis.

[2] Cfr. August., loc. cit. in praecedente nota et I. de Trin. c. 9. n. 18; Leo, Serm. 74. (alias 72.) II. de Ascensione Domini, c. 3; Gregor., VIII. Moral. c. 24. n. 41; Bernard., Serm. 3. in Ascensione Domini, n. 3. et 4. — Superius pro *ante ascensum* non pauci codd. perperam *ante adventum,* N (M a secunda manu) *ante recessum,* Gorranus *ante ascensionem.*

[3] Vers. 39. Vide August., XXXII. contra Faustum, c. 17, et Leo, Serm. 76. (alias. 74.) II. de Pentecoste, c. 8. — Superius post *miserum* ed. cum Gorrano prosequitur *cuiusmodi erat Christus in carne mortali, donare suos servitores munere tam excellenti, nisi ipse* etc.

[4] Cfr. Rom. 5, 10. seq. et Coloss. 1, 20. seqq. — Hanc rationem affert Chrysost., in Ioan. homil. 78. (alias 77.) n. 3.

[5] Epist. I. Cor. 1, 24. vocat Christum « Dei sapientiam »; cfr. supra pag. 444, nota 1.

[6] Vers. 6.

[7] Cfr. III. Sent. d. 35. q. 1, ubi ostenditur, quod *sapientia* quatuor modis accipi potest, et si *magis proprie* accipiatur, « sic nominat cognitionem Dei experimentalem, et hoc modo est unum de septem donis Spiritus sancti, cuius actus consistit in degustando divinam suavitatem ». Vide etiam I. Sent. Prooem. q. 3. in corp.

[8] Respicitur Tit. 1, 1, ubi Paulus se nominat Apostolum Iesu Christi « secundum fidem electorum Dei et agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est ». Vide Hieron., in hunc locum.

[9] Cfr. supra pag. 332, nota 3.

[10] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Isai. 38, 3. et Prov. 18, 5, ubi Vulgata, quam sequitur ed., *impii* (N *iniusti*) pro *in iudicio.* — De triplici hac veritate cfr. Comment. in Luc. 17, 1, ubi haec divisio tribuitur Hieronymo (ita etiam Alex. Hal., S. p. II. q. 171. m. 6; S. Thom., S. II. II. q. 43. a. 7. arg. 4. et q. 109. arg. 3.); B. Albert., in III. Sent. d. 37. a. 15. pro ipsa allegat Glossam in Matth. 8. et Luc. 19, ubi tamen apud Strab. et Lyranum nihil hac de re occurrit; cfr. Matth. 18, 6, ubi Glossa *ordinaria* (ex Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 5; vide etiam supra pag. 291, notam 8.): « Nota, quod in quantum potes sine peccato, vitare scandalum proximi debes; quia, si de *veritate* est, pro scandalo veritas relinqui non debet ». Eadem verba refert Lyranus in Glossa *ordinaria* Luc. 17, 1. In edd. operum Alex. Hal. et S. Thomae (locis paulo superius citt.) in margine allegatur Glossa in Matth. 15, 12. super illud *Audito verbo hoc scandalizati sunt;* sed ibi solum in ipsa expositione, quam facit *Lyranus* in hunc locum, dicta distinctio occurrit (non in Glossa *ordinaria* neque *interlineari*). Gulielm. Antissiod., Sum. aureae lib. III. tr. 30. q. 4. seqq. hanc distinctionem, nullo auctore adducto, exhibet.

[11] Alex. Hal., S. p. II. q. 171. m. 6: Distingui autem possunt istae tres veritates; nam veritas *vitae* pertinet ad omnes, comprehendens omnia praecepta et prohibita et consilia; veritas *iustitiae* ad praelatos, comprehendens duas partes iustitiae,

2. Item quaeritur de ratione Domini: *Propterea*, inquit, *dixi: De meo accipiet, quia omnia, quae habet Pater, mea sunt.* — Aut *omnia* distribuit pro *essentialibus*, aut pro *proprietatibus;* si pro *proprietatibus*, falsum est, quia Filius non habet innascibilitatem. Si pro *essentialibus;* sed ex hoc non sequitur, quodsi Spiritus sanctus procedat a Patre, quod propter hoc procedat a Filio, quia *procedere* est personale; per eandem rationem posset dicere Spiritus sanctus de Filio: *De meo accipiet*, quia omnia, quae habet Pater, habet Spiritus sanctus [1].

Resp. Graecorum. Ad haec respondent Graeci, quod duplex est Spiritus sancti processio, *aeterna* scilicet et *temporalis;* quantum ad *aeternam* a solo Patre procedit, et sic accipit a Patre et non a Filio; quantum ad *temporalem* a Filio procedit; in cuius rei testimonium dicitur: *accipiet*, quia temporaliter procedit. Et rationem erroris sui accipiunt ab hoc sermone Domini; quia Dominus aliquando dicit, quod *mittet* Spiritum sanctum, sed nunquam dicit, quod *a se* Reprobatur. *procedat*, semper, quod a Patre [2]. — Sed tamen, salva pace sua, nihil dicunt, quia, sicut patet ex hac littera, Spiritus sanctus *accipit a Filio.* Quid accipit? Quidquid accipiat, hoc non est alterum quam ipse, cum summe simplex sit: ergo si *se accipit*, quomodo potest accipere ex tempore et non esse temporalis?

Resp. auctoris. Propterea dicendum, quod Spiritus sanctus *procedit* a Filio aeternaliter et temporaliter *mittitur* in creaturam [3].

Ad 1. 1. Quod ergo dicitur *accipiet*, respondetur in Glossa [4]: « Quod aeternitas comprehendit omne tempus propter diversas proprietates; unde de futuro dicitur *accipiet*, non quia novum accipiat, sed quia non desinit ». — Dicendum tamen, quod *accipiet* Aliter. idem est, ac si diceret: se accepisse monstrabit.

Ad 2. 2. Ad aliud dicendum, quod illa non est ratio *cogens*, quare Spiritus sanctus procedat a Filio; sed illa est ratio *dicti*, scilicet quomodo dixerat: *De meo accipiet*, non quia de proprio, excludendo Patrem, sed quia simul cum Patre [5]. Unde ea ratione dictum est, qua dicitur: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt.*

Secundo consolatur discipulos ex suae visitationis promissione.

27. *Modicum, et iam non videbitis me.* Haec est secunda pars capituli, in qua consolatur eos ex *suae visitationis promissione* [6], et procedit in hac parte secundum hunc modum. Primo ponitur *visitationis* Divisio in 5 membra. *Christi promissio;* secundo, *discipulorum dubitatio;* tertio vero, *dubietatis explanatio;* quarto, *exemplificatio;* quinto vero, *exempli adaptatio.*

De primo. (Vers. 16.). *Visitationem* igitur primo *promittit* post recessum; propterea dicit: *Modicum, et iam non videbitis me*, quia recedam a vobis scilicet; *et iterum modicum, et videbitis me*, quia statim post passionem visitaturus erat eos; unde *modicum* erat usque ad passionem, in qua debebat non videri; et *modicum* a passione usque ad resurrectionem, in qua debebat apparere; Isaiae quinquagesimo quarto [7]: « Ad punctum et in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te ». Et rationem, quare non essent eum visuri, reddit: *Quia vado ad Patrem* [8]. — Aliter exponitur de visione *per gloriam*, ut sit Alia expositio. sensus, quod modicum tempus erat usque ad reces-

---

scilicet severitatem in puniendo reos et liberalitatem in sustinendo miseros; veritas *doctrinae*, scilicet ad praedicatores et magistros [cfr. Glossa in Cap. *Qui scandalizaverit* supra pag. 291, nota 8. cit.: Veritas, quae triplex est, scilicet *bonae vitae*... ad quemlibet pertinet; alia *iustitiae*, haec ad iudicem pertinet; alia *disciplinae*, haec pertinet ad praelatos etc.]. Vel aliter secundum tres vires animae, ut veritas *vitae* concupiscibilem ordinet ad bonum; veritas *iustitiae* irascibilem compescat a malo; veritas *doctrinae* rationalem informet ad bonum discernendum et fugiendum malum (cfr. supra n. 10.).

[1] Anselm., de Processione S. Spiritus, c. 4: Dicet aliquis: si, quoniam unus Deus est Pater et Spiritus sanctus, cum Filius est de Patre, sequitur, *eum esse de Spiritu sancto;* aut cum Spiritus sanctus est de Patre, quia idem Deus est Pater et Filius, est etiam de Filio; cum Pater gignit Filium, necesse est, eum *gignere* quoque Spiritum sanctum... Et cum Spiritus sanctus procedit de Patre, propter eandem unitatem Deitatis Filii et Spiritus sancti *procedit* et Filius de Patre ita, sicut Spiritus sanctus etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 99. n. 6.

[2] Supra v. 7: Mittam eum ad vos; c. 15, 26: Quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit etc.

[3] Cfr. I. Sent. d. 11. q. 1; Hilar., VIII. de Trin. n. 20; August., in Ioan. Evang. tr. 99. n. 6. seqq., et Anselm., de Processione S. Spiritus, c. 11.

[4] Scilicet *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 99. n. 5.) in Ioan. 16, 13: De sempiterna re proprie dicatur *est*, secundum nos bene dicitur *fuit, erit. Fuit*, quia nunquam defuit; *erit*, quia nunquam deerit; *est*, quia semper est. Non praeteriit, quasi qui non maneat; non orietur, quasi qui non erat. Cum ergo nostra locutio per tempora varietur, de eo vere dicuntur verba cuiuslibet temporis, quia nullo tempore defuit, deest vel deerit. Et ideo non mirum, si *audiet* dixit de eo qui audivit et audit, id est semper scivit, scit et sciet. Cfr. August., contra Sermonem Arianorum, c. 24. — Inferius post *desinit* ed. cum Gorrano addit *accipere*.

[5] Leo, Serm. 76. (alias 74.) c. 5: *De meo accipiet*, quoniam quod accipit Spiritus, Patre dante, dat Filius. — Hilar., II. de Trin. n. 31: Diligenter est contuendum, quo modo et qua ratione sit dictum [*Deus spiritus est*]. Omne enim dictum ut dicatur, ex causa est, et *dicti ratio* ex sensu erit intelligenda dicendi, ne, quia responsum a Domino est: *Spiritus Deus est*, idcirco cum sancti Spiritus nomine et usus negetur et donum etc. — Inferius post *dictum est* ed. addit *De meo accipiet*, et in fine post *mea sunt* subiungit: *Graecis ergo respondendum, quod id dicit quoad sensum.*

[6] Cfr. supra n. 10.

[7] Vers. 7.

[8] Ita Chrysost., in Ioan. homil. 79. (alias 78.) n. 1; Cyrill. Alexandr., in Ioan. 16, 16; Beda, II. Homil. genuin. homil. 5. in Dominica 2. post Pascha, ex qua Glossa *ordinaria* apud Strabonem et Lyranum (posterior tamen Glossam longiorem exhibet, in qua etiam seq. expositio).

sum Christi et ascensum ad Patrem, et iterum modicum usque ad adventum eius ad eos, ut assumat in gloriam; unde supra decimo quarto [1]: « Et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis ».

De secundo.

28. (Vers. 17.). *Dixerunt ergo ex discipulis eius* etc. Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum dubitatio*, quae procedebat ex hoc quod dixerat: in modico non videndus et videndus; propter quod dicit: *Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me?* De hoc dubitant primo, quia videtur dicere duo contradictorie opposita; et de alio dubitant, scilicet quo iret; unde: *et quia vado ad Patrem?* Nesciebant enim, quomodo intelligeret hoc [2]; dubitabant de significatione verbi.

29. (Vers. 18.). *Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum? Nescimus, quid loquitur.* Nesciebant, quid per hoc volebat dicere; parvum habebant adhuc discipuli intellectum; unde increpavit eos Dominus Matthaei decimo quinto [3]: « Adhuc et vos sine intellectu estis »?

De tertio.

30. (Vers. 19.). *Cognovit autem Iesus.* Hic tangitur tertium, scilicet *dubietatis amotio*, quae facta est per Magistrum ante inquisitionem discipulorum; propter quod dicit: *Cognovit Iesus, quia volebant eum interrogare* etc.; Ecclesiastici vigesimo tertio [4]: « Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes »; et Ecclesiastici decimo sexto: « Omne cor intelligitur ab illo; et vias illius quis intelligit »? Et praevenit ipsorum dubitationem sive interrogationem, *et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quia dixi vobis* [5]: *Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me.* Huic dubitationi satisfacit

Duplex tempus.

ostendens duplex tempus, scilicet *tribulationis* et *consolationis*, et propter unum dictum esse: *Non videbitis*, et propter aliud *videbitis*. Et propter hoc non fuit contradictio, quia non refertur ad idem tempus, sed propter diversa tempora bis dictum est *modicum*. Propterea dicit:

31. (Vers. 20.). *Amen, amen dico vobis: Quia plorabitis et flebitis vos: plorabitis* exterius, *flebitis* interius, pro tempore, in quo me non videbitis; et ideo beati; Lucae sexto [6]: « Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis ». *Mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini.* Mundus gaudet; Iob vigesimo primo: « Gaudent ad sonitum tympani ». Sed boni tristantur; primae Petri primo: « Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus ». *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*, et ideo dictum est: *Modicum, et videbitis me;* Tobiae tertio [7]: « Post lacrymationem et fletum exsultationem infundis ». Ideo dicitur Ecclesiastae septimo: « Cor stultorum, ubi laetitia; cor sapientium, ubi tristitia est ».

De quarto.

32. (Vers. 21.). *Mulier, cum parit.* Tangitur hic quartum, scilicet *exemplificatio*. Et exemplificatio est de hoc, quomodo cito et in modico tempore tristitia convertetur in gaudium; et est exemplum de muliere parturiente, quae, cum parit, tristatur, quamvis bonum faciat; sed cum peperit, gaudet statim. Propterea dicit: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius*, scilicet pariendi, quam adhuc vellet differri prae dolore; quia vehemens dolor est in parturitione; Isaiae decimo tertio [8]: « Quasi parturiens dolebunt »; et primae ad Thessalonicenses quinto: « Et sicut dolor in utero habenti, et non effugient ». *Cum autem peperit* [9] *puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum;* prae gaudio, quod habet de prole; Genesis vigesimo primo: « Risum fecit mihi Dominus; quicumque audierit, corridebit mihi », dixit Sara.

De quinto.

33. (Vers. 22.). *Et vos igitur.* Hic est *exempli adaptatio*, quod ipsi tristabuntur similiter in Christi passione, sed gavisuri erant in eius glorificatione sive resurrectione; propter quod dicit: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*, et hoc de recessu sponsi; Matthaei nono [10]: « Venient dies, quando ab eis auferetur sponsus; et tunc lugebunt ». Sed ista tristitia modicum durabit; ideo dicit: *Iterum* [11] *videbo vos, et gaudebit cor vestrum;* infra vigesimo: « Gavisi sunt discipuli, viso Domino ». Et hoc non ad tempus, sed in aeternum; ideo dicit: *Et gaudium*

---

[1] Vers. 3. — Hanc expositionem praebet August., in Ioan. Evang. tr. 101. n. 6.

[2] Ed. cum Gorrano, superius omisso *unde*, hic legit: *quomodo intelligeret; hinc dubitabant etiam* [nonnulli codd. exhibent *etiam*, vel *et*, quod Gorranus cum multis codd. omittit] *de* etc.

[3] Vers. 16. — Chrysost., in Ioan. homil. 79. (alias 78.) n. 1: Quare ergo non intellexerunt? Aut propter tristitiam, ut arbitror; ipsa enim dictorum omnium memoriam eliminabat; vel ob dictorum obscuritatem, ut contraria protulisse videretur, quae vere contraria non erant. Si te videbimus, aiunt, quo vadis? Si vadis, quomodo te videbimus? Ideo dicunt: *Nescimus, quid loquitur.* Quod enim abiturus esset, id noverant; ignorabant autem, ipsum paulo post esse rediturum etc.

[4] Vers. 28; ibid. 16, 20. est seq. locus.

[5] Vulgata, quam sequitur ed., omittit *vobis.* — Aliquanto inferius post *non fuit* ed. cum nonnullis codd. addit *ibi.*

[6] Vers. 21. — Inferius pro *vos vero* Vulgata *vos autem.* Sequuntur subinde Iob 21, 12, ubi Vulgata (ita etiam B, ed. cum Gorrano) *organi* pro *tympani;* I. Petr. 1, 6.

[7] Vers. 22. — Sequitur Eccle. 7, 5.

[8] Vers. 8. — Subinde allegatur I. Thess. 5, 3: Tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti etc. Codd. pro *habenti* substituunt *habentis;* Gorranus: *Quasi dolor in utero habentis* etc.

[9] Vulgata *pepererit.* — Sequitur Gen. 21, 6.

[10] Vers. 15, ubi pro *lugebunt* Vulgata *ieiunabunt.*

[11] Vulgata *Iterum autem.* — Tres seqq. loci sunt Ioan. 20, 20; Rom. 6, 9. et Apoc. 7, 17.

vestrum nemo tollet a vobis; quia Christus, qui erat ipsorum gaudium, « resurgens a mortuis, iam non moritur »; Apocalypsis septimo: « Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum » etc. Et tunc erunt terminatae quaestiones vestrae nec turbabunt vos, ut modo; ideo dicit:

34. (Vers. 23.). *Et in illo die me non rogabitis*[1] *quidquam,* id est, non interrogabitis. Si hoc refertur ad diem gloriae, verum est, quia tunc omnia videbunt clare; Isaiae quinquagesimo quarto: « Ponam omnes filios tuos doctos a Domino ». Si autem intelligatur post glorificationem Christi, adhuc verum est; quia tunc habuerunt internum doctorem, iuxta illud quod dictum est supra eodem[2]: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem »; et: « Unctio docebit vos de omnibus ». — Vel: *non rogabitis,* quia non indigebitis, sed eritis beati, quibus ad votum cuncta succedunt.

Alia expositio.

QUAESTIONES.

35. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Modicum, et non videbitis me, quia vado ad Patrem.*

1. Quia dicitur Matthaei ultimo[3]: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

2. Item, quid est quod dicit: *Modicum, et videbitis me?* quia dicitur supra eodem[4]: *Ad Patrem vado, et iam non videbitis me.* Quomodo recedit et manet, videtur et non videtur?

RESPONDEO: Intelligendum, quod in Christo est *esse* divinum et *esse* humanum *visibile* et *invisibile, miserum* et *gloriosum.* Quantum igitur ad *esse* divinum nunquam recedit ab electis; quantum ad *esse humanum et invisibile* sub Sacramento non relinquet *usque ad consummationem saeculi;* quantum ad *esse humanum visibile et impassibile* non reliquit usque ad ascensionem; quantum ad *esse humanum visibile et passibile* reliquit in passione; quia non visus fuit passibilis nec cum eis ut passibilis postea conversatus[5].

Resp. cum distinctione. Triplex esse humanum.

36. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Plorabitis et flebitis vos* etc. — Quaeritur, utrum Apostoli in illa tristitia *meruerint,* vel *demeruerint.* Quod *meruerint,* videtur:

1. Quia dicitur secundae ad Timotheum secundo[6]: *Si compatimur, et conregnabimus:* ergo compati erat eis meritorium.

2. Item, tristitia mala convertitur in maiorem tristitiam, sed illa quae convertitur in gaudium, illa, inquam, bona tristitia est; sed tristitia Apostolorum conversa est in gaudium, sicut dicitur in littera[7]: *Tristitia vestra convertetur in gaudium:* ergo fuit bona et meritoria.

CONTRA hoc est: 1. Quia aut *volebant,* quod Christus moreretur, aut *non.* Si *non,* tunc peccabant, unde Petrus fuit de hoc reprehensus[8]; si vero *volebant:* ergo non dolebant.

2. Item videtur per textum[9], quia Dominus hortatur eos, ut *non turbentur;* sed Dominus non dehortatur bonum: ergo turbari non est bonum.

3. Item, supra decimo quarto[10] dicitur: *Si diligeretis me, gauderetis utique:* ergo gaudendum erat de passione; sed qui tristatur, unde gaudendum est, inordinate tristatur: ergo Apostoli inordinate et culpabiliter turbabantur.

RESPONDEO: Dicendum, quod dupliciter est iudicare de tristitia, cuiusmodi sit, scilicet ex parte *originis* et ex parte *modi.* — Ex parte *originis* tristitia ortum habet ex *dilectione*[11]. Quaedam igitur est ex dilectione *voluptuosa* et carnali, ut gulosus tristatur in amissione boni morselli; quaedam ex *naturali,* ut anima in separatione a corpore, aut mater in morte filii; quaedam ex *sociali,* ut tristatur amicus, quando corporaliter seiungitur ab amico, cuius conversatio placet; quaedam ex *spirituali,* ut quando aliquis diligit ex caritate et compatitur patienti. — Prima tristitia est *culpabilis;* secunda et tertia *supportabilis;* sed quarta *laudabilis.*

Resp. cum distinctione.

Ex parte originis quadruplex dilectio et tristitia.

Intelligendum est ergo, quod Apostoli dupliciter diligebant Dominum, scilicet amore *sociali,* quo diligit aliquis socium, quia non vult ab eo separari; et amore *spirituali;* ideo fuit in eis tristitia quaedam *laudabilis,* qua compatiebantur Christo; et quaedam *supportabilis,* qua nolebant separari a Christo[12].

In Apostolis duplex dilectio.

A parte *modi tristandi* intelligendum, quod modus habendus est in tristitia; unde dicit Apostolus[13]: *Non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent;* unde debet tristitia temperari gaudio. Et

Ex parte modi fuit defectus.

---

[1] Card. Hug., B. Albert. et S. Thomas (in suo Comment.) *interrogabitis* (secundum textum Syriac.; August., in Ioan. Evang. tr. 101. n. 4, idem ex textu Graeco refert). — Sequitur Isai. 54, 13. — Glossa *interlinearis* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 101. n. 5.) in Ioan. 16, 23: *In illo die,* aeternae visionis, quod non in hac vita, *me non rogabitis quidquam,* non petetis, vel interrogabitis, quia tunc erit plena cognitio et sufficientia.

[2] Vers. 13. — Sequitur I. Ioan. 2, 27. — De hac expositione cfr. Theophylact., in Ioan. 16, 23, qui sequitur Chrysost. et Cyrill. Alexandr., in hunc locum.

[3] Vers. 20.

[4] Vers. 16. Cfr. supra pag. 462, nota 3. verba Chrysost.

[5] Baruch 3, 38: Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est.

[6] Vers. 12. Cfr. supra c. 11. n. 26. Rom. 8, 17: Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

[7] Vers. 20.

[8] Matth. 16, 23.

[9] Supra 14, 1. et 27: Non turbetur cor vestrum. — Inferius pro *turbentur* N *tristentur.*

[10] Vers. 28.

[11] August., XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2: Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est... fugiens quod ei adversatur, timor est; idque, si acciderit, sentiens, tristitia est. — Du Cange, Glossarium etc.: *Morsellum,* pars, portio... *morsus, morsellus,* buccella, frustum... *morsellus,* frustulum.

[12] Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. ad 4. et dub. 4; III. Sent. d. 15. a. 2. q. 2. ad 1-3.

[13] Epist. I. Thess. 4, 13.

quantum ad hoc excesserunt Apostoli et reprehensibiles fuerunt, quia nullo modo gaudebant, immo ut desperantes dolebant. Et quantum ad hunc modum sive immoderantiam amovendam hortabatur Dominus, ut *non tristarentur;* hortabatur, ut *gauderent.* Unde Chrysostomus [1]: « Magna est tristitiae tyrannis, et multa nobis virilitate opus est, ut resistamus huic passioni; et quod *utile* castificantes, quod est *superfluum* dimittamus ». Ideo laudabiles erant in tristitia, sed vituperabiles in modo.

Tertio consolatur discipulos ex petitionum suarum exauditione.

37. *Amen, amen dico vobis.* Haec est tertia pars capituli, in qua Dominus discipulos consolatur ex *petitionum suarum exauditione* [2]; et procedit in
Divisio in 2 membra. hac parte per hunc modum. Primo notatur Domini *liberalis promissio;* secundo vero, *discipulorum consolatio,* ibi [3]: *Dicunt ei discipuli eius* etc.

Primum igitur describitur sic. Primo notatur
De primo tria. *Domini liberalitas* ad promittendum; secundo, *temporis opportunitas* ad petendum; tertio, *voluntatis promptitudo* ad exaudiendum.

(Vers. 23.). Primo ergo fit sive notatur *Domini*
Primum. *liberalitas ad promittendum* sub certitudine; propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis,* signum est certitudinis; *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si quid,* id est, si aliquid; illud *aliquid* est vita aeterna; unde Augustinus [4]: « Quidquid aliud petitur, nihil petitur, non quia res nulla omnino sit, sed quia in tantae rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est »; ideo Iacobi primo: « Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei ».

38. (Vers. 24.). *Usque modo non petistis.* Hic
Secundum. tangitur secundum, scilicet *aptitudo temporis ad petendum,* quae hactenus non fuerat, sed deinceps erat futura; propterea dicit: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo,* quia non erat tempus opportunum; quia Dominus ipse erat cum eis, qui omnia dabat; unde infra decimo septimo [5]: « Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo ». Sed amodo venit tempus; ideo dicit: *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum,* quia omnis vestra petitio ad illud gaudium referri debet. Hoc *gaudium plenum* consistit in dotibus animae et corporis; de quo Isaiae ultimo [6]: « Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt ». Et quod tempus aptum ad petendum adveniat, patet, quia usque modo nescierunt nec cognoverunt, a quo deberent petere; sed amodo cognoscent; ideo dicit:

39. (Vers. 25.). *Haec in proverbiis locutus sum vobis;* ideo in similitudinibus, quia, primae ad Corinthios tertio [7], « non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ». Sed *venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis,* occulte scilicet, *sed palam de Patre meo* [8] *annuntiabo vobis.* Hora ista erat tempus missionis Spiritus sancti.

40. (Vers. 26.). *In illo die,* hoc est tempore, *petetis in nomine meo,* quia tunc me et Patrem cognoscetis; unde Ieremiae trigesimo primo [9]: « Non dicet vir fratri suo: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum ». Et hoc fuit in tempore post acceptionem Spiritus sancti, qui non tantum docebat, sed etiam petere compellebat; ad Romanos octavo: « Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus », id est, postulare facit.

Et non dico vobis. Notatur hic tertium, scili- Tertium.
cet *ad exaudiendum promptitudo,* quia Pater paratus erat exaudire Apostolos rogantes sine aliquo intercessore medio; propterea dicit: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis,* quia non oportet [10].

41. (Vers. 27.). *Ipse enim Pater amat vos,* et ideo libenter exaudit; et ratio huius est: *Quia vos me amastis;* supra decimo quarto [11]: « Qui diligit me diligetur a Patre meo »; non solum amor erat in causa, immo etiam fides; *et credidistis, quia a Deo exivi.* Et merito fidei merentur exaudiri, quia

---

[1] In Ioan. homil. 78. (alias 77.) n. 1. Pro *utile castificantes* ed. cum Gorrano *inutile est castificantes* [Gorranus *castigantes*]; Card. Hugo, in Ioan. 16, 6, eandem sententiam affert: Magna tristitiae tyrannis violentia et multa... huic passioni *nobiliter, et quod utile est in ea fructificantes* [γενναίως, καὶ τὸ χρήσιμον ἀπ' αὐτοῦ καρπουμένους], quod superfluum est dimittamus.

[2] Cfr. supra n. 10. [3] Vers. 29.

[4] In Ioan. Evang. tr. 102. n. 2. — Subinde allegatur Iac. 1, 5. Cfr. infra n. 48.

[5] Vers. 12. — Superius post *opportunum* ed. prosequitur: *Vel quia hucusque a Patre per Christi merita nihil petierant, eo quod Dominus ipse* etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 102. n. 2: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo,* duobus modis intelligi potest: vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non, sicut cognoscendum est, cognovistis; vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei, quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis.

[6] Vers. 14. — Cfr. IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5. et p. II. per totam, ubi de dotibus animae et corporis. — Superius pro *vestra petitio* ed. *nostra petitio.*

[7] Vers. 1. — Superius pro *ideo* ed. cum Gorrano *id est,* et pro *similitudinibus* non pauci codd. et Gorranus *similibus.* Vide infra n. 49. et supra c. 10. n. 8.

[8] Vulgata omittit *meo.*

[9] Vers. 34. — Sequitur Rom. 8, 26. Cfr. supra pag. 443, nota 2.

[10] Chrysost., in Ioan. homil. 79. (alias 78.) n. 2: *Et non rogabo Patrem,* sufficit vestra in me dilectio ad patrocinium. Theophylact., in eundem locum: « Et in tantum vobis conservabo amicum Patrem, ut posthac neque me opus habeatis intercessore ». Glossa *interlinearis:* Quia nihil tunc deerit, etsi nunc rogo.

[11] Vers. 21. — Subinde allegatur Matth. 21, 22. Cfr. supra c. 11. n. 45.

dicitur Matthaei vigesimo primo: « Omnia, quae petieritis in oratione credentes, accipietis ». Quia ergo credidistis, meremini exaudiri. Sed usque tunc sufficerat credere, quod *exiisset* a Deo; deinceps oportebat credere, quod *rediret* ad Deum. Unde ad fidem eorum perficiendam subdit:

42. (Vers. 28.). *Exivi a Patre et veni in mundum: exivi*, per aeternam generationem, *veni*, per incarnationem, et hoc credidistis; unde supra undecimo [1]: « Tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ». *Iterum relinquo mundum*, per passionem, *et vado ad Patrem*, per gloriosam resurrectionem. Unde cum resurrexit, misit discipulis suis dicere per Mariam, infra vigesimo [2]: « Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum ». De his duobus dicitur in Psalmo: « A summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius ».

De secundo tria.

43. *Dicunt ei discipuli eius.* Postquam posita est Christi promissio, ponitur *discipulorum consolatio* [3], quae describitur hoc ordine. Primo notatur *consolatio;* deinde, quia decipiebantur, ponitur *instructio;* tertio, quia vacillabant, ponitur *confirmatio.*

Primum.

(Vers. 29.). Primo igitur insinuatur *discipulorum consolatio*, quam habebant de verbis Domini, quae iam intellexerant, et iam tempus consolationis promissum adesse credebant. Propter hoc *dicunt ei discipuli eius: Ecce, nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis;* et ita venit tempus, de quo dicis [4]: « Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam annuntiabo ».

44. (Vers. 30.). *Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget.* Et ita venit hora, de qua dixisti supra [5]: « In illo die me non rogabitis quidquam ». *In hoc credimus, quia a Deo existi*, quia scilicet omnia nosti; supra sexto: « Nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei » etc. Solius enim Dei est scire occulta; Ieremiae decimo septimo: « Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda et probans renes ».

Secundum.

45. (Vers. 31.). *Respondit Iesus.* Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum eruditio.* Quia enim, ex sermone Domini confortati, credebant se consolatos et in fide perfectos; docet eos Dominus humilia sapere, sicut supra fecit Petro; ideo resumit verbum eorum, ut corrigat. Propterea dicit: *Respondit eis Iesus: Modo creditis* [6], id est, iactatis vos de hoc, quod creditis.

46. (Vers. 32.). *Ecce, venit hora et iam venit*, id est, propinquat; *ut dispergamini unusquisque in propria*, id est, ut *dispergamini*, ita quod unusquisque *in propria*, quia unus cum altero non remansit nec fide nec corpore; Zachariae decimo tertio [7]: « Percute pastorem, et dispergentur oves gregis ». *Et me solum relinquatis;* Isaiae sexagesimo tertio: « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum ». Sed haec solitudo non erat per defectum divini auxilii, sed humani; ideo dicit: *Sed non* [8] *sum solus, quia Pater mecum est;* supra octavo: « Qui me misit mecum est et non reliquit me solum ». Nec est contrarium quod dicitur in Psalmo: « Ut quid me dereliquisti »? quia istud intelligitur de expositione ad poenam.

Tertium.

47. (Vers. 33.). *Haec locutus sum vobis.* Tangitur hic tertium, scilicet *discipulorum confirmatio.* Quia praedixerat dispersionem futuram, subiungit confortationem, quia hoc non dixerat, ut desperarent, sed ut per confidentiam pacem haberent. Propterea dicit: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis;* de qua Isaiae ultimo [9]: « Declinabo super eam quasi flumen pacis ». Ad hanc pacem non venitur nisi per pressuras; ideo dicit: *In mundo pressuram habebitis;* Actuum decimo quarto: « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei ». In his pressuris non est desperandum, ideo subdit: *Sed confidite, ego vici mundum;* primae ad Corinthios decimo quinto [10]: « Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum ». Hanc victoriam adipiscuntur credentes in Christum; primae Ioannis quinto: « Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra ».

Notandum.

Quaestiones.

48. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

1. Quaeritur: cum illud idem dixerit supra decimo quarto [11] et decimo quinto, ut quid nunc iterat decimo sexto? — Videtur *superfluum:* ergo si in verbis Christi nihil fuit superfluum, quare toties dicit?

---

[1] Vers. 27. Codd. et Gorranus allegant Matth. 16, 16, ubi tantum prima pars verborum occurrit: *Tu... vivi.*

[2] Vers. 17. — Sequitur Ps. 18, 7.

[3] Cfr. supra n. 37.

[4] Supra v. 25. — Aliquanto superius pro *quae iam* plures codd. *quia iam.*

[5] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 70. et Ier. 17, 9. seq.

[6] Vulgata interrogative: *Modo creditis?* Cfr. S. Thomas, Comment. in hunc locum, lect. 8. n. 2: Quod si accipiatur *interrogative*, est exprobratio tarditatis eorum ad credendum, quasi diceret: Usque modo distulistis credere? Si vero accipiatur *remissive* [cfr. supra pag. 266, nota 9.], exprobrat fidei ipsorum instabilitatem, quasi diceret: Verum est, quod nunc creditis, sed statim, quando tradar, dimittetis me etc. — De *Petro* vide supra 13, 6-11. et 37. seq.

[7] Vers. 7. — Sequitur Isai. 63, 3.

[8] Vulgata *Et non.* — Duo seqq. loci sunt Ioan. 8, 29. et Ps. 21, 2. Cfr. supra c. 8. n. 44.

[9] Vers. 12. — Sequitur Act. 14, 21.

[10] Vers. 57. — Subinde allegatur I. Ioan. 5, 4.

[11] Vers. 13. seq. et 15, 16. — Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.): Deus autem et natura nihil frustra faciunt.

2. Item quaeritur, quia hoc videtur *falsum;* quia Paulus petiit stimulum amoveri carnis a se, et tamen non obtinuit, secundae ad Corinthios duodecimo [1]. — Item, tota die videmus, quod Sancti petunt, et tamen non exaudiuntur. Quid est quod dicit: *Si quid* etc.?

Respondeo: Dicendum, quod ad hoc, quod aliqua oratio sit digna exauditione, requiritur, quod orans sit *dignus*, sit *assiduus;* quod petat quod sit *ad salutem;* quod petat *pro se* [2]. His conditionibus concurrentibus, intelligitur Christi promissio; et tunc non fallit, quin exaudiatur. — Ad hoc autem, quod sit *dignus*, necesse est, quod habeat *fidem, spem* et *caritatem;* ideo ter ista promissio facta est. Primo merito *fidei*, secundo *caritatis* et hic iam tertio *spei* [3]. — Ad hoc, quod sit *assiduus*, necesse est, quod pluries petat; ideo multoties iteravit: *Si quid petieritis*, ut ostenderet, multoties idem esse petendum. — Necesse est, quod petitio sua sit *salutaris;* ideo saepe dicit, quod *petieritis in nomine meo;* Augustinus [4]: Hoc est in re nominis, quia Iesus *salus. Petere in nomine Iesu*, hoc est petere quod est ad salutem; et ideo Paulus non fuit exauditus [5]. — Quarto, *pro se*, ideo dicit: *Dabit vobis*, non dicit: dabit aliis, sed vobis [6].

Resp. Orationis 4 conditiones.

49. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Haec in proverbiis locutus sum vobis.*

1. Quia dicitur Matthaei decimo tertio [7]: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis:* ergo non debebat discipulis loqui in proverbiis.

2. Item, quomodo loquitur in proverbiis, quia statim sequitur [8]: *Ecce, palam loqueris et proverbium nullum dicis?* Ergo aut discipuli dixerunt falsum, aut Dominus.

3. Item, cum ipsi haberent modicum intellectum [9], quare in proverbiis et occulte eis loquebatur? — Videtur, quod vellet amittere tempus.

Respondeo: Dicendum, quod *proverbium* aliquando dicitur *dictio parabolica*, aliquando dicitur *obscura sententia* [10]. Dominus in *sermonibus parabolicis* loquebatur turbis, tamen nihilominus discipulis loquebatur in *obscuris sententiis;* turbis quidem in *parabolis*, ut videntes non viderent; Apostolis in *obscuris sententiis*, ut intelligentibus postmodum magis doctrina placeret, sicut dicit Augustinus in libro de Doctrina christiana [11].

Resp. Quid proverbium.

2. Quod ergo dixerunt discipuli, quod palam loquebatur, dixerunt tanquam non intelligentes, quia credebant, se ipsum intelligere, et non intelligebant [12].

Ad 2.

3. Quod obiicit: quare dicebat discipulis, ex quo non intelligebant? respondeo, quod tunc aliquo modo cognoscebant, sed postmodum per adventum Spiritus sancti, qui verba Christi postillavit, clare vide-

Ad 3.

---

[1] Vers. 9.

[2] Cfr. Guliel. Antissiodor., Sum. lib. III. tr. 8. c. 5. q. 3, ubi solvitur quaestio de his quae requiruntur ad hoc, quod oratio sit efficax ad impetrandum, et « dicitur, quod quatuor exiguntur, scilicet quod ille qui orat, petat *pie, perseveranter, ad salutem* et *pro se*. Sed quaeritur: a quo loco Scripturae accipiuntur illae quatuor circumstantiae? Dicunt magistri, quod super istud Ioannis [16, 24.] *Petite et accipietis;* dicit autem [! Augustinus?] *pie, perseveranter;* aliae circumstantiae sumuntur ab illo loco: *Quidquid petieritis in nomine meo, fiet vobis* » etc. Vide etiam Alex. Hal., S. p. IV. q. 26. m. 5. a. 3, iam allegatum a nobis tom. II. pag. 662, nota 1.

[3] Guliel. Antissiodor., loco in praecedente nota cit.: Sed quaeritur, unde habuit Augustinus illas duas circumstantias *pie, perseveranter?* Constat enim, quod non apposuit de suo. Ad hoc dicendum, quod ipse habuit illas ab illo loco Ioannis [15, 7.]: *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quidquid petieritis, fiet vobis.* Manemus enim in Christo per fidem, spem, caritatem; verba autem eius in nobis manent per exercitium bonorum operum; ex hoc igitur, quod dicitur: *Si manseritis in me* etc., sumitur haec circumstantia *pie.* Pietas enim maxime habet ortum ab illis tribus virtutibus theologicis, quae animam faciunt religiosam [cfr. August., Enchirid. c. 2. seq.; XII. de Trin. c. 14. n. 22.]. Ab eo autem, quod sequitur: *Quidquid petieritis* etc., sumitur haec circumstantia *perseveranter,* quia hoc verbum *petieritis* futuri temporis est et praeteriti, et ita notat perseverantiam; praeterea perfecti est, et sic notat perfectionem etc. Cfr. Glossa *interlinearis* in Matth. 7, 7. et 8: *Petite,* fide, *et dabitur vobis; quaerite,* spe, *et invenietis; pulsate,* caritate, *et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit,* pie et perseveranter, *accipit* etc.

[4] In Ioan. Evang. tr. 73. n. 3: Ipsum enim *quodcumque* non ait *petieritis* utcumque, sed *in nomine meo... Christus* significat regem, *Iesus* significat salvatorem; non utique nos salvos faciet quicumque rex, sed *rex salvator,* ac per hoc quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris etc. Cfr. ibid. tr. 102. n. 1, ubi dicit: « Non peti in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere, cum dicit *in nomine meo* » etc. — Superius pro *Necesse* ed. cum variis codd. *Necessarium,* Gorranus *Tertium,* et subinde post *ideo* ed. prosequitur *saepe* [plurimi codd. *semper,* Gorranus *supra*] *dicit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc est in re nominis, quia Iesus salus interpretatur. Augustinus: « Non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis ». Petere ergo in nomine Iesu* etc.

[5] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 6: Hinc est, quod et Paulus non exauditur, quia, si liberaretur a tentatione, ei non proderat ad salutem [II. Cor. 12, 9.].

[6] August., in Ioan. Evang. tr. 102. n. 1: Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis; quia non utcumque dictum est *dabit,* sed *dabit vobis.*

[7] Vers. 11.

[8] Vers. 29.

[9] Cfr. supra v. 18. n. 29. et c. 1. n. 101.

[10] Theophylact., in Ioan. 16, 25: *Paroemia* [Proverbium] est sermo oblique et occulte ac per parabolas totum argumentum ostendens. Quia igitur Dominus multa eis occulte dixerat et parabolam narrarat de muliere et partu, dicit: *Haec per paroemias nunc locutus sum vobis* etc. Cfr. supra c. 10. n. 8. — Subinde respicitur Matth. 13, 13: Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident etc. Cfr. supra 12, 40. — Inferius pro *tamen* ed. *et tunc.*

[11] Libr. II. c. 6. n. 7. et 8. Permulti codd. *ut intelligentes postmodum magis doctrina placeat.*

[12] Ita August., in Ioan. Evang. tr. 103. n. 1, quem sequuntur Glossa *ordinaria* et *interlinearis* in Ioan. 16, 29.

runt[1]; sicut quis magis diligit aliquod occultum, quando intelligit, quam si omnino esset apertum.

50. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod discipuli dicunt: *Nunc scimus, quia scis omnia.*

1. Per quid sciebant discipuli, quod Dominus sciret omnia?

2. Item, quid est quod sequitur, quod *non opus est, ut quisquam te interroget?* Immo totum contrarium est, quia, si scit omnia, tunc est bonus doctor, et a tali debet unusquisque quaerere.

Respondeo: Dicendum, quod ideo sciebant, quod ipse sciret omnia, quia non erat opus, ut quisquam eum interrogaret *exprimendo suam dubitationem;* ipse enim sciebat, de quo homo dubitaret; et hoc quidem non poterat, nisi esset scrutans corda ut Deus[2], et ideo omnia sciebat. — Et quod non esset opus, ut quis ei aperiret suam dubitationem; sciebant per hoc, quod ipsi prius dubitaverant de hoc quod dixerat[3]: *Modicum;* et ipse non exspectavit interrogationem, sed praecognovit, *quia volebant eum interrogare,* et satisfecit. Ideo modo dicunt: *Nunc scimus* etc.

Resp. ad 2.

Ad 1.

Capitulum XVII.

Tertio confirmantur discipuli orationis subsidio quadrupliciter.

1. *Haec locutus est Iesus* etc. Supra Dominus discipulos confortavit exemplo et eruditionis verbo; hic confortat *orationis subsidio*[4]; et hoc facit in praesenti capitulo, in quo ponitur Christi oratio. Et habet praesens capitulum quatuor partes. In prima Dominus *sibi petit claritatis manifestationem.* In secunda *Apostolis petit sanctitatis conservationem,* ibi[5]: *Pater, manifestavi nomen tuum* etc. In tertia *credituris per Apostolos petit conformitatem gratiae,* ibi: *Non tantum pro eis rogo, sed pro eis* etc. In quarta, *tam his quam illis perpetuitatem gloriae,* ibi: *Pater, quos dedisti mihi, volo* etc.

In prima capituli parte Christus petit sibi claritatis suae manifestationem.

Primo igitur *sibi petit claritatis suae manifestationem* hoc ordine. Primo ponitur *petendi vel orandi modus;* secundo, *petitionis fructus;* tertio, *exaudiendi ratio;* quarto, *ipsa petitio.*

Divisio in 4 membra.

2. (Vers. 1.). *Petendi* igitur *modus* insinuatur in hoc, quod Christus *devote* petebat et intente; in cuius signum oculos ad caelum levabat. Propterea dicit: *Haec locutus est Iesus,* quae praedicta sunt, *et sublevatis oculis in caelum,* per devotionem; supra undecimo[6]: « Iesus, sursum elevatis oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me »; Psalmus: « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis »; Threnorum tertio: « Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum ». — Non solum devote, sed etiam *humiliter;* unde *dixit: Pater.* Deum vocat *Patrem,* quia ipsum honorat ut Patrem; supra octavo[7]: « Honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me ». — Petiit etiam *discrete;* ideo dicit: *Venit hora, clarifica Filium tuum.* Discrete petebat, quia tunc clarificari petebat, quando opportunitas temporis advenerat. De hac hora saepe dictum est, supra secundo[8] et septimo: « Nondum venit hora mea »; ideo clarificari per miracula nolebat, sed cum hora haec venerat, clarificari petebat. — In hoc igitur modo orandi instruimur, ut nos oremus *devote, humiliter* et *discrete*[9].

De primo.

Devote.

Humiliter.

Discrete.

3. *Ut Filius tuus* etc. Tangitur hic *petitionis fructus,* et hic est duplex, scilicet *divini nominis manifestatio* et *nostra beatificatio.* Propter *manifestationem divini nominis* dicit: *Ut Filius tuus* etc.; ita, Pater, clarifica Filium tuum, *ut* et *Filius tuus clarificet te,* quia propter hoc moriebatur; unde supra duodecimo[10]: « Pater, clarifica nomen tuum ». — Alius fructus est *nostra glorificatio;* propter quod dicit:

De secundo.

Primus fructus.

Secundus.

4. (Vers. 2.). *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,* id est, ostende, quod dederis ei potestatem omnis carnis, id est ad salvandam omnem carnem; Matthaei ultimo[11]: « Data est mihi omnis potestas in

---

[1] Secundum August., loco in praecedente nota cit.; secundum Chrysost., in Ioan. homil. 79. (alias 78.) n. 2, per Christum ipsum post resurrectionem clare cognoscebant; secundum Gregor., XXX. Moral. c. 4. n. 17, hoc erit in statu gloriae. — De seq. propositione cfr. supra c. 4. n. 64.

[2] Libr. I. Paralip. 28, 9: Omnia enim corda scrutatur Dominus. Cfr. Ps. 7, 10. et Ier. 17, 10.

[3] Vers. 18; subinde allegatur v. 19. — Cfr. August. in Ioan. Evang. tr. 103. n. 2.

[4] Cfr. supra c. 13. n. 1.

[5] Vers. 6, ubi Vulgata omittit *Pater;* tertia pars incipit v. 20: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro* etc.; quarta v. 24.

[6] Vers. 41. — Sequuntur Ps. 122, 1. et Thren. 3, 41. — Glossa *interlinearis:* Finito sermone ad discipulos, ad Patrem verba convertit et orare coepit. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 104. n. 1.

[7] Vers. 49.

[8] Vers. 4. et 7, 30; cfr. 8, 20. — Superius post *clarificari* ed. addit *id est manifestari tanquam verum Dei Filium.* Vide infra n. 7. et 9.

[9] Bernard., in Quadrag. serm. 4. n. 4: *Timida* quidem oratio caelum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus... *Tepida* vero in ascensu languescit et deficit... *Temeraria* ascendit, sed resilit; resistitur enim ei... Quae vero *fidelis* et *humilis* et *fervens* oratio fuerit, caelum sine dubio penetrabit etc.

[10] Vers. 28. — Superius ed cum Gorrano omittit *ita, Pater... clarificet te,* et inferius pro *propter quod* eadem ed. substituit *propter quem.*

[11] Vers. 18. Cfr. infra n. 10.

caelo et in terra », et hoc ad salutem: *Ut omne quod dedisti ei*, per praedestinationem scilicet, *det eis vitam aeternam*, per glorificationem. *Omne* pro *omni;* supra sexto [1]: « Haec est voluntas eius qui misit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die ». Et explanat, quae sit ista vita aeterna:

5. (Vers. 3.). *Haec est* [2], inquit, *vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum;* tertii Regum decimo: « Beati viri tui, et beati servi tui, hi qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam ». « Nosse te consummata iustitia est », Sapientiae decimo quinto; et gloria non est aliud quam iustitia consummata, quia « scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis », et ideo vitae aeternae.

6. (Vers. 4.). *Ego te clarificavi.* Notatur hic
De tertio. tertium, scilicet *exaudiendi ratio;* et hoc erat meritum Christi, quo merebatur glorificari sive clarificari; ideo dicit: *Ego te clarificavi super terram*, propter hoc mereor a te clarificari; *opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem* [3]; ideo consummavit, quia usque ad mortem obedivit; Lucae duodecimo: « Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor, donec perficiatur »? De hac consummatione ad Hebraeos secundo: « Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummare ». Et quia totum fecerat, ideo exaudiri debebat.

7. (Vers. 5.). *Et nunc clarifica me tu, Pater.*
De quarto. Tangitur hic quartum, scilicet *ipsa petitio*, qua petit claritatis suae manifestationem; propter quod dicit: *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret* [4], *apud te;* id est, illam claritatem manifesta, ut, sicut ab aeterno fui tibi aequalis, antequam mundus fieret, ita etiam sit aliis manifestum. Propter quod infra eodem dicitur: « Ego clarificatus sum in eis », id est in Apostolis, quia ipsi credebant ipsum aequalem Patri; supra decimo sexto: « Nunc credimus, quia a Deo existi »; supra primo: « Verbum erat apud Deum », scilicet aequale Deo, « et Deus erat Verbum ».

Quaestiones.

8. Quaest. I. Quaeritur de hoc, quod Filius orat: quia, si *orare* est indigentis [5] et impotentis; et Filius omnia potest: ergo non debet orare. — *Si tu dicas*, quod orat secundum quod homo; hoc nihil est, quia, quidquid meruit secundum quod homo, meruit ab instanti conceptionis.

Respondeo: Dicendum, quod Christus oravit se- Resp.
cundum quod homo; secundum enim naturam humanam non omnia poterat [6]. Etsi dignus erat per gratiam, nihil impediebat, hoc ipsum mereri bona operatione; unde patiendo et orando meruit glorificari. Sed hoc non fuit de indebito debitum facere, sed de Notandum.
debito uno modo facere debitum pluribus [7].

9. Quaest. II. Item quaeritur: 1. de hac petitione: *Pater clarifica* vel *glorifica* [8] *Filium tuum.* — *Contra:* Supra octavo [9]: *Ego gloriam meam non quaero:* ergo non debebat petere propriam gloriam vel propriam claritatem.

2. Item, secundum quam naturam hoc petit? — Secundum *divinam non*, quia secundum illam omnia potest; secundum *humanam non*, quia dicit paulo post [10]: *Clarifica claritate, quam habui, priusquam mundus fieret;* hoc non potuit esse secundum humanam naturam.

Respondeo: Ad primum dicendum, quod ipse Resp. ad 1.
claritatem quaerebat, ut ex illa glorificaretur Deus;

---

[1] Vers. 39; vide ibid. n. 64. et c. 10. n. 54. — Ed. *Omne pro omnibus* [C et Gorranus omittunt haec verba, quibus insinuatur, hic esse antiptosin; cfr. supra pag. 442, nota 6.], et in nota adiecta Bonelli dicit, quod secundum Cornel. a Lapide hoc loco « est hebraismus significans omnes homines redditque hunc sensum: ut omnibus hominibus, quos Filio dedisti per praedestinationem, det Filius vitam aeternam » etc. Superius pro *det eis* plures codd., ut E F H I K L N, *dedit ei*, respicientes ad lectionem nostram *Omne pro omni;* cfr. infra n. 10.

[2] Vulgata addit *autem.* — Tres seqq. loci sunt III. Reg. 10, 8. et Sap. 15, 3. (cfr. supra Comment.). Bernard., Tract. de gratia et lib. arb. c. 6. n. 19: Est autem *ordinatio* omnimoda conversio voluntatis ad Deum et ex tota se voluntaria devotaque subiectio. Huic vero tam *perfectae iustitiae* debetur, immo iungitur gloriae plenitudo; quia sic se comitantur duo ista, ut nec iustitiae possit haberi perfectio nisi in plena gloria, nec gloriae plenitudo absque perfecta iustitia. Cfr. August., XIX. de Civ. Dei, c. 27.

[3] Vulgata *faciam.* — Sequuntur Luc. 12, 50. et Hebr. 2, 10. Chrysost., in Ioan. homil. 80. (alias 79.) n. 2: Recte dixit *super terram;* nam in caelo glorificatus erat, cum naturalem haberet gloriam et ab Angelis adoraretur. Non ergo de gloria substantiae eius propria dicit... sed hanc [i. e. de illa] quae humano cultu exhibetur... ut autem discas, illum de huiusmodi gloria loqui, audi sequentia: *Opus consummavi...* Quomodo ergo dicit *consummavi?* Vel se quod in se erat totum effecisse; vel quod futurum est ut factum dicit; vel potius dicatur, totum iam factum fuisse, quia iam radix bonorum posita erat, ex qua necessario producendi fructus erant, seque iis qui post futuri erant, affuturum esse, cum ipsis coniungendum.

[4] Vulgata *esset.* — Subinde allegantur Ioan. 17, 10; 16, 30. et 1, 1. — Inferius multi codd. omittunt *sicut*, et aliquanto inferius substituunt *aequale verum* pro *aequale Deo;* cfr. supra c. 1. n. 3.

[5] August., in Ioan. Evang. tr. 102. n. 3. in fine: Petitio namque alicuius est indigentiae. Cfr. supra pag. 442, nota 9.

[6] Cfr. supra c. 14. n. 35, ubi in nota adiecta allegavimus III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1, in qua quaeritur: Utrum decuerit Christum orare.

[7] Vide supra c. 13. n. 52. et III. Sent. d. 18. per totam, praecipue a. 1. q. 2, ubi solvitur quaestio: Utrum Christus aliquid meruerit post conceptionem; in cuius solutione eadem distinctio de modo merendi ponitur.

[8] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 104. n. 3. et tr. 105. n. 3, vox Graeca δόξασον Latine reddi potest et a quibusdam reddita est: *clarifica*, vel *glorifica.*

[9] Vers. 50. [10] Vers. 5.

unde addidit: *Ut Filius tuus clarificet te;* et hoc non est quaerere *propriam* gloriam. Ille enim propriam gloriam quaerit, qui laudem suam sibi quaerit, non referendo ad Deum. — Vel dicendum, quod ipse non quaerebat gloriam ab hominibus, quia vana est, sed a Deo [1].

Aliter.

2. Quod quaeritur: secundum quam naturam hoc petit? — Dixit haereticus ex hoc, quod Filius fuit ante mundum, etiam secundum *illam* naturam orat, quia minor erat Patre. Hoc dicebat Arius [2].

Ad 2.

Opinio haeretica.

Sed Augustinus [3] dicit, quod hoc intelligitur secundum *humanam* naturam, et est exponendum: *claritate, quam habui apud te,* scilicet praedestinatione, quia ad Romanos primo: *Praedestinatus est Filius Dei in virtute.*

Solutio Augustini.

Aliter dicendum, quod differt *qui petit* et *cui* sive *pro quo* in hoc, quia *qui petit* vel orat secundum quod huiusmodi inferior est et impotens; sed *cui petitur,* hoc est dupliciter: aut petitur *sibi in se,* ut eius indigentia suppleatur, ut cum ego peto mihi peccatori; aut petitur *sibi in aliis,* ut eius gloria manifestetur; et sic ego possum aliquid petere Deo: Deus manifesta te, honorifica te. — Dico igitur, quod cum quaeritur: secundum quam naturam petebat? si quaeras de eo qui petit, *secundum quod* petit? dico secundum *humanam.* Si quaeras: *cui* petebat? dico, quod *secundum divinam.* Unde *me* demonstrat ibi hypostasim divinam aequalem Patri ab aeterno, quam aequalitatem manifestari petebat [4].

Alia solutio.

Distinctio.

10. Quaest. III. Quaeritur de hoc quod dicit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.*

Contra: 1. Matthaei ultimo [5] dicitur, quod post resurrectionem data est.

2. Item, *si dedit potestatem omnis carnis;* et ipse *dat omni, quod dedit sibi Pater, vitam aeternam* [6]*:* ergo omnes salvantur.

Augustinus [7] respondet, quod intelligitur secundum praescientiam hic *dedisti,* id est, praevidisti dari. — Chrysostomus [8] vero dicit, quod hoc intelligitur secundum divinam naturam: *dedisti* ab aeterno; in Matthaeo dicitur *data,* non tunc primo exhibita, sed manifestata.

Resp. 1.

Resp. 2.

2. Quod obiicitur: *omnis carnis;* distributio est pro *generibus singulorum,* id est de omni carne. Vel si fiat distributio pro *singulis generum* [9]*;* tunc facienda est vis in hoc quod est *dedisti;* quia non *dedit ei omnem carnem,* sed *potestatem dedit super omnem carnem*; sed ei *dedit praedestinatos,* ut salvet; *potestatem vero dedit* super malos, ut iudicet.

Ad 2.

11. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum.*

1. Non solum est *cognitio,* sed etiam *dilectio;* aut si tu dicas, quod *dilectio in cognitione;* quare non posuit ibi *dilectionem?*

2. Item, *Deum* aut tenetur *essentialiter,* aut *personaliter.* Si *personaliter:* ergo excluditur Spiritus sanctus. Si *essentialiter:* ergo frustra addidit: *Quem misisti Iesum Christum;* quia cognitio Christi-hominis non est de substantiali praemio [10], sed Christi-Dei.

Dicendum ad primum, quod in *cognitione,* quae est ad faciem, de necessitate intelligitur *dilectio,* unde cum dicitur, quod « visio est tota merces [11] », non excluditur dilectio. Magis autem dicitur de *visione* quam *dilectione,* quia *visio* distinguit quod est patriae ab eo quod est viae; sed *dilectio* non. Nunc enim non videmus, sed tamen diligimus.

Resp. ad 1.

2. Quod quaeritur: quomodo tenetur *Deus?* dicendum, quod si stat ibi *essentialiter,* tunc quod subiungitur: *et quem misisti,* intelligitur secundum humanam naturam, secundum quam, etsi non attendatur essentia praemii, tamen vehementissima erit de-

Resp. ad 2.

---

[1] Cfr. supra c. 5. n. 75. seq.; c. 7. n. 23. et c. 8. n. 66. seq.

[2] Vide supra pag. 371, notam 10. et 11; Hilar., III. de Trin. n. 12. — Superius pro *Dixit haereticus ex hoc, quod* Gorranus *diceret ex hoc haereticus, quod,* et subinde pro *minor erat* ed. cum uno alteroque cod. et Gorrano *minor est.*

[3] In Ioan. Evang. tr. 105. n. 5. seqq. Cfr. Hilar., III. de Trin. n. 12. seqq. et IX. n. 31. seqq. — Inferius allegatur Rom. 1, 4.

[4] Vide August., contra Sermonem Arianorum, c. 31. n. 29. et c. 34. n. 32; Basil., IV. adversus Eunomium, ubi haec verba *Pater, clarifica me,* explicat ita: « Non igitur accessionem petit gloriae, sed ut dispensationis fiat manifestatio ». Et paulo inferius: « Proinde eum talia secundum humanitatis dispensationem, non secundum Deitatis defectum dixisse constat ». Cfr. supra c. 5. n. 80. — Superius vocibus *secundum divinam* ed. praefigit *sibi,* et subinde pro *me* substituit *vere,* C N *ly* [cfr. supra pag. 144, nota 1.] *me.*

[5] Vers. 18: Data est mihi omnis potestas etc.

[6] Secundum v. 2. huius cap.

[7] In Ioan. Evang. tr. 111. n. 1: *Dedisti ei potestatem omnis carnis,* id est omnis hominis..., ubi ostendit, potestatem se quidem omnis hominis accepisse, ut liberet quos voluerit, damnet quos voluerit, qui vivos et mortuos iudicabit; sed eos sibi esse datos, quibus omnibus *det vitam aeternam...* Proinde non ei dati sunt, quibus vitam aeternam non dabit, quamvis et ipsorum potestas data sit, cui potestas data est omnis carnis, id est omnis hominis etc. Cfr. infra n. 32. et 42. — Subinde vocibus *praescientiam* et *praevidisti* ed. praefigit *praedestinationem et* ac *praedestinasti et.*

[8] In Ioan. homil. 80. (alias 79.) n. 1, ubi, haereticos impugnans, solvit istam quaestionem: *quandonam* potestatem illam accepit? Cfr. Hilar., IX. de Trin. n. 31, ubi haec verba expendens ait: Quodsi *acceptio potestatis* sola est significatio nativitatis, in qua accepit id quod est, non est infirmitati *datio* deputanda, quae totum hoc nascentem consummat esse, quod Deus est.

[9] Cfr. supra pag. 332, nota 3. et c. 16. n. 25. — De seqq. vide supra notam 7. — Inferius plures codd. *Si ei,* pro *Sed ei,* qui post *potestatem* omittunt *vero.*

[10] Ed. cum Gorrano addit *beatitudinis.*

[11] Cfr. supra pag. 442, nota 1. August., Enarrat. in Ps. 90. serm. 2. n. 13: Nescio, quid magnum est quod visuri sumus, quando tota merces nostra visio est, et ipsum magnum visum, hoc est Dominus noster Iesus Christus. Ipse qui humilis visus est, ipse videbitur magnus et laetificabit nos etc. — Epist. I. Cor. 13, 12: Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Vide IV. Sent. d. 49. p. I. q. 5. ad 1-3.

lectatio in Christo-homine [1], et ita additur: *et quem misisti Iesum Christum.* — Vel si tenetur *personaliter*, tunc Iesus Christus stat pro Filio secundum divinam naturam, et non excluditur Spiritus sanctus, quia est unio Patris et Filii. Unde haec dictio *solum* non additur ad exclusionem personarum, propter hoc quod qui videt unam personam videt aliam, sed ad exclusionem falsorum deorum [2].

Aliter.

In parte secunda Christus petit Apostolis sanctitatis conservationem.

12. *Manifestavi nomen tuum hominibus.* Haec est secunda pars capituli, in qua Apostolis petit *sanctitatis conservationem;* et primo petit eis *stabilitatem in bono;* secundo, *liberationem a malo,* ibi [3]: *Cum essem cum eis* etc.

Divisio in 2 membra.

Petitur ergo primo Apostolis *in bono conservatio;* et quia petitiones exaudiendae debent esse rationabiles [4], praemittitur multiplex ratio. Proceditur ergo hoc ordine. Primo ostenditur in Apostolis *diligens verborum Christi conservatio;* secundo, *divina electio;* tertio, *discipulorum desolatio;* quarto, infertur *ipsa petitio.*

De primo quatuor.

13. (Vers. 6.). Ponitur ergo primo vel insinuatur *verborum Christi diligens conservatio,* quam habuerunt in doctrina Christi, quae manifestata est eis; ideo dicit: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo,* id est, quos de mundo vocasti ad me per praesentem iustitiam; supra sexto [5]: « Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum ». Et ratio, quare traxit eos de mundo, subditur: *Tui erant,* per electionem aeternam, *et mihi eos dedisti,* ad erudiendum per doctrinam; Isaiae octavo [6]: « Ecce, ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus »; exponit Apostolus de Christo. Et ipsi congrue susceperunt; unde dicit: *Et sermonem tuum servaverunt;* de qua servatione supra decimo quarto [7]: « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me ». Et quomodo verbum vel sermonem Patris servaverunt, ostendit. Cum enim nec Patrem audierint nec viderint, quomodo sermonem servare potuerint, aliquis dubitaret; ideo dicit, quod servaverunt credendo in Filium.

Expositio litteralis. Ratio prima.

14. (Vers. 7.). *Et* [8] *nunc cognoverunt, quia omnia; quae dedisti mihi, abs te sunt,* et ideo te cognoverunt cognoscendo me; unde supra quinto: « Non potest Filius a se ipso facere quidquam »; supra decimo quarto: « Pater in me manens, ipse facit opera », et ideo « qui videt me videt et Patrem meum ». Et etiam sermonem Patris audierant; ideo dicit:

15. (Vers. 8.). *Quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis;* supra decimo quinto [9]: « Quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ». Et ipsi mea verba, quae dedi eis, servaverunt, et ideo sermonem tuum; propterea dicit: *Et ipsi acceperunt,* subiiciendo intellectum suum, *et cognoverunt vere, quia a te exivi,* secundum divinam naturam; *et crediderunt, quia tu me misisti,* in carnem scilicet. Et ita crediderunt et cognoverunt Divinitatem in Christo et humanitatem. Et attendendum quod dicit: *Et crediderunt, quia tu me misisti;* et post: *Et cognoverunt, quia a te exivi.* Ipsi dixerunt supra decimo sexto [10]: « In hoc cognovimus, quia a Deo existi »; quia per fidem humanitatis assumtae pervenitur ad intelligentiam generationis aeternae. Unde Augustinus [11] dicit, quod qui contempserunt Christum humilem non meruerunt agnoscere sublimem. Haec igitur est prima ratio exaudiendi pro eis, scilicet verborum Christi conservatio; unde supra decimo quinto [12]: « Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis ».

16. (Vers. 9.). *Et ego pro eis rogo.* Tangitur hic secunda ratio exaudiendi pro Apostolis, scilicet ipsa *divina electio;* quia ipse Dominus noster orabat pro electis, non pro reprobis. Propterea dicit: *Ego pro eis rogo,* quia scilicet electi sunt; ideo dicit: *Non pro mundo rogo,* « id est mundo deditis [13] », quos excaecasti; *sed pro eis quos dedisti mihi,* id est, per me salvasti; Actuum vigesimo septimo signanter dictum est Paulo: « Ecce, donavit tibi Deus animas omnium, qui navigant tecum ». Nec ex hoc, quod mihi dedisti, tibi abstulisti: *Quia tui sunt.*

Secunda.

---

[1] Vide supra c. 10. n. 11. in fine.

[2] Chrysost., in Ioan. homil. 80. (alias 79.) n. 2: *Solum verum Deum,* ad differentiam eorum, qui dii non sunt, sic loquitur etc. Cfr. Hilar., III. de Trin. n. 14. et IX. n. 32. seqq.; August., in Ioan. Evang. tr. 105. n. 3. et VI. de Trin. c. 9. n. 10.

[3] Vers. 12. — De primaria huius cap. divisione cfr. supra n. 1.

[4] Ita plures codd. et ed. cum Gorrano, alii codd. *rationales.* Inferius pro *ipsa petitio* D *Christi petitio.*

[5] Vers. 44; cfr. ibid. n. 64. et c. 10. n. 54.

[6] Vers. 18, qui locus allegatur Hebr. 2, 13. ad probandum, quod Christus per susceptam humanitatem et crucem (minoratus ab Angelis) factus est auctor salutis hominum in ipsum credentium.

[7] Vers. 21. — Inferius pro *dubitaret* ed. cum Gorrano *dubitare posset.*

[8] Vulgata omittit *Et.* — Tres seqq. loci sunt Ioan. 5, 19; 14, 10. et 9.

[9] Vers. 15.

[10] Vers. 30. Ed. transponit hunc locum superius post *et humanitatem.*

[11] In Ioan. Evang. tr. 4. n. 1-4. Cfr. tr. 25. n. 16. seqq., tr. 28. n. 5. et Enarrat. in Ps. 93. n. 8: Quia tenuerunt humilem, tenuerunt excelsum? Cfr. etiam in Ps. 138. n. 8. In tr. 2. in Epist. I. Ioan. n. 6. haec occurrit propositio: Qui in humilem [Christum] non offendit non formidabit excelsum.

[12] Vers. 7.

[13] Ut dicit Glossa *interlinearis* (August., in Ioan. Evang. tr. 107. n. 1.). — Inferius Vulgata *pro his* loco *pro eis* (de explicatione istorum verborum cfr. supra n. 13.). Subinde allegatur Act. 27, 24.

17. (Vers. 10.). *Et mea omnia tua sunt, et tua mea* [1]; supra decimo sexto: « Omnia, quae habet Pater, mea sunt », et e converso. Ideo dicebat supra septimo: « Mea doctrina non est mea »; ideo servi mei et electi mei sunt electi tui. Et haec est secunda ratio exaudiendi pro Apostolis, scilicet ipsorum electio; ideo supra decimo quinto: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut, quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis ».

18. *Et ego* [2] *clarificatus.* Tangitur hic tertia Tertia. ratio, scilicet *discipulorum desolatio* de recessu Christi, qui appropinquabat; propter quam appropinquationem dicit se *clarificatum* et recessisse, quia de proximo erat futura; ideo dicit: *Et ego clarificatus sum in eis;* quia ipsi eum cognoverant et in proximo cognoscere debebant.

19. (Vers. 11.). *Et iam non sum in mundo;* quia, supra decimo quarto [3], « iam non multa loquar vobiscum »; *et hi in mundo sunt, et ego ad te venio,* et ideo desolatos dimitto; supra decimo sexto: « Vado ad eum qui misit me; sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum ». Et haec erat tertia ratio exaudiendi; unde supra decimo quarto: « Ego ad Patrem vado; et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam ».

20. *Pater sancte.* Postquam praemissa est mul- Quarto, ipsa petitio. tiplex petendi ratio, subditur hic quarto loco *ipsa petitio,* qua petit eis conservationem in bono; propter quod dicit: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi,* id est in virtute nominis; supra decimo [4]: « Nemo potest rapere de manu Patris mei ». *Serva,* inquam, in bono; unde dicit: *Ut sint unum, sicut et nos,* scilicet unitate concordiae et pacis, quam unitatem servat Deus in electis, sed tamen cum eorum sollicitudine; ideo ad Ephesios quarto [5]: « Solliciti, servare unitatem Spiritus in vinculo pacis ».

QUAESTIONES.

21. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc, quod Dominus hic orat pro Apostolis;

1. Quia supra decimo sexto [6] dicitur: *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos:* facit ergo hic contrarium eius quod dixerat.

2. Item, ipse Dominus pro nullis orabat nisi pro praedestinatis [7], de quibus sciebat, quod Deus vellet salvare finaliter; sed sine sua oratione salvarentur: ergo frustra orabat.

3. Item, quare vocali oratione orabat? Quae necessitas? Quaest. incidens.

RESPONDEO: Dicendum, quod triplici ex causa Resp. Dominus oravit pro Apostolis, scilicet ad *salutis impetrationem, consolationem* et *eruditionem:* quia eis *merebatur,* quia ex auditu horum verborum *consolabantur,* quia orare *erudiebantur* ex hoc et nos ipsi; ideo vocali oratione oravit [8]. Triplex causa. Ad quaest. incid.

1. Quod obiicitur, quod supra Dominus dixit: *Non dico vobis, quod rogabo Patrem* etc.; non voluit Dominus negare, quin oraret pro eis; cum dicatur ad Hebraeos nono [9], quod *apparet vultui Dei ad interpellandum pro nobis;* sed quod non oraret Patrem tanquam invitum, sed tanquam ipsis Apostolis benevolum. Ad 1.

2. Sed quaerit: ad quid orat? Augustinus dicit de Praedestinatione Sanctorum, quod non exaudimur nisi pro praedestinatis, et pro illis non frustra oramus, quia « fortassis praedestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur [10] ». Sic in Christo. Ad 2.

22. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Pro eis rogo, non pro mundo.*

CONTRA: 1. Infra eodem [11]: *Ut mundus credat, quia tu me misisti;* orabat ergo, ut mundus crederet.

2. Item, pro eis orare debebat, pro quibus missus erat et mori debebat; sed mortuus est pro

---

[1] Vulgata addit *sunt.* — Sequuntur Ioan. 16, 15; 7, 16. et 15, 16.

[2] Vulgata omittit *ego.* — Chrysost., in Ioan. homil. 81. (alias 80.) n. 1: *Et clarificatus sum in eis,* id est, vel potestatem in eos habeo, vel glorificabunt me, cum et tibi credent et mihi similiterque glorificabunt etc.

[3] Vers. 30. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 16, 5. seq. et 14, 12. seq.

[4] Vers. 29. — Voci *nominis* ed. cum Gorrano praefigit *tui.*

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 26. et 27.

[7] Cfr. supra n. 16. — Ed. hic addit *et,* C *id est.*

[8] Vide III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. et Comment. in Luc. 11, 1. seqq.

[9] Vers. 24: Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; ibid. 7, 25: Semper vivens ad interpellandum etc. — Cfr. supra c. 16. n. 40.

[10] Libr. II. (sive de Dono perseverantiae) c. 22. n. 60: Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui sunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus? Fortassis enim sic praedestinati sunt ut nostris orationibus concedantur et accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiantur electi etc. — Cfr. XXI. de Civ. Dei, c. 24. n. 1, ubi dicit, quod Ecclesia, si certe nosset ex viventibus illos qui « praedestinati sunt in aeternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis; nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui, etsi adversantur Ecclesiae, ita tamen sunt praedestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia et filii efficiantur Ecclesiae » etc. — Ed. pro *de Praedestinatione Sanctorum* substituit *quod haec locutus est de Sanctis praedestinatis et,* pro quo in margine allegatur August., in Ioan. Evang. tr. 107. n. 2. Inferius pro *Sic et in Christo* eadem ed. *Sic etiam Christus,* Gorranus *Sic et de oratione Christi censendum est, Apostolos ita a Deo fuisse ad beatitudinem praedestinatos, ut hanc Christi oratione assequerentur.*

[11] Vers. 21.

mundo; supra tertio [1]: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

3. Item, pro *mundo* intelliguntur peccatores; sed [2] *non egent qui sani sunt medico, sed male habentes;* ergo pro talibus maxime erat orandum.

Resp. Mundi sensus 4.

Respondeo: Dicendum, quod *mundus* in hac oratione accipitur tripliciter et propter hoc generat ambiguitatem, et superadditur quartus modus. Dicitur enim *mundus* ipse *orbis nobis visibilis;* et sic accipitur supra primo [3]: *Mundus per ipsum factus est.* Aliquando dicitur *status nostrae conversationis,* secundum quod habet miseriam annexam; et sic ibi: *Hi sunt in mundo, et ego ad te venio.* Aliquando, prout nominat *statum praesentis conversationis cum culpa;* et sic infra: *Mundus eos odio habuit.* Aliquando, prout importat *reprobationem aeternam,* et sic accipitur ibi: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.* — Primo modo dicit naturam; secundo modo, naturam et miseriam; tertio, naturam et miseriam et culpam; quarto modo, naturam et miseriam et culpam et reprobationem divinam.

De secundo tria.

23. *Cum essem cum eis* etc. Postquam petiit conservationem in bono, petit hic *liberationem* sive ereptionem *a malo;* et ponitur hic ipsa petitio vel oratio per hunc modum. Primo enim notatur *necessitas petendi;* secundo vero, *forma petitionis;* tertio vero, *ratio exaudiendi.* — *Necessitas* ergo *petendi* conservationem venit ex duplici causa: tum ex *absentatione conservatoris,* tum ex *immersione tribulationis.*

Primo, duplex causa necessitatis petendi.

Expositio litteralis. Causa 1.

24. (Vers. 12.). *Absentabatur ab eis Christus,* qui eos conservaverat; propterea dicit: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* Ipse conservavit discipulos in *nomine Patris,* quia *in virtute* Patris et quia *ad gloriam* Patris; et post Pater servavit eos in nomine Filii; unde supra decimo sexto [4]: « Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis ». Et bene utique servabat; propterea dicit: *Quos dedisti mihi ego* [5] *custodivi,* tanquam bonus praelatus, cui dicitur tertii Regum vigesimo: « Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, érit anima tua pro anima illius ». De hac custodia in Psalmo [6]: « Ecce, non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel »; et rursus: « Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam »; unde Psalmus: « Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi »; Deuteronomii trigesimo secundo: « Circumduxit eum et docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui ». Et bene utique; unde dicit: *Et nemo ex his* [7] *periit nisi filius perditionis,* id est Iudas, qui *perditionis* dicitur, quia praescitus fuit ad mortem. Ipse enim perdidit se ipsum *temporaliter;* Matthaei vigesimo septimo [8]: « Abiit et laqueo se suspendit »; perdidit *aeternaliter;* Matthaei vigesimo sexto: « Vae homini illi! per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille ». Eadem ratione de antichristo secundae ad Thessalonicenses secundo dicitur: « Tunc revelabitur homo peccati, filius perditionis ». Hic non periit casu nec Christi negligentia, sed propria malitia, quae ab aeterno fuit praescita et per Scripturam praenuntiata; ideo dicit: *Ut Scriptura impleatur,* illius Psalmi [9] scilicet: « Deus, laudem meam ». Ita ergo ego bene eos servabam, et tunc non indigebant, ut pro eis orarem.

De Iuda.

25. (Vers. 13.). *Nunc autem ad te venio,* et eos dimitto, et ideo oro, ut ipsi mea oratione fiduciam concipiant; ideo dicit: *Haec* [10] *loquor in mundo,* id est, hanc orationem facio, ipsis audientibus; *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis,* ut per diffidentiam non turbentur, sed per spem exauditionis in se ipsis gaudeant, secundum illud supra decimo sexto: « Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum ». Ideo ipse petebat, ut ipsi concipiant gaudium plenum.

Haec est igitur prima necessitas, scilicet absentatio conservatoris; alia autem est *immersio tribulationis,* quae ex hoc irruitura erat super eos propter divini sermonis observantiam, propter quam mundus eos odio habebat. Propterea dicit:

Causa 2.

26. (Vers. 14.). *Ego dedi eis sermonem tuum;* supra decimo quarto [11]: « Sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, Patris ». Et ex hoc consecuti sunt odium mundi; ideo dicit: *Et mundus eos odio habuit.* Et ratio est, quia ipsi reliquerunt mundum; ideo dicit: *Quia non sunt de mundo, sicut ego* [12] *non sum de mundo,* id est a mundana conversatione segregati, sicut ego; supra decimo quinto [13]: « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero ego vos elegi de mundo, propterea odit vos mundus ». Apostoli segregati erant a mundo; unde ad Romanos primo dixit « Paulus, Apostolus Iesu Christi, segregatus », vere segregatus, quia ad Galatas ultimo dixit: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ».

Secundo, de forma petitionis.

27. (Vers. 15.). *Non rogo, ut tollas.* Tangitur hic secundum, scilicet *forma petitionis,* in qua pe-

---

[1] Vers. 16.

[2] Ut dicitur Luc. 5, 31. — Superius pro *pro mundo* non pauci codd. et Gorranus *per mundum.*

[3] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 17, 11. et 14.

[4] Vers. 23. — Cfr. infra n. 31. — Superius pro *et post* D *et postea.*

[5] Vulgata omittit *ego.* — Cfr. infra n. 32. — Sequitur III. Reg. 20, 39.

[6] Psalm. 120, 4. — Tres seqq. loci sunt Ps. 126, 1; 16, 8. et Deut. 32, 10.

[7] Vulgata *ex eis.* — Subinde vocibus *qui perditionis* N interserit *filius.*

[8] Vers. 5. — Sequuntur Matth. 26, 24. et II. Thess. 2, 3.

[9] Psalm. 108, in quo v. 7. seq.: Cum iudicatur, exeat condemnatus... et episcopatum eius accipiat alter. Cfr. Act. 1, 20.

[10] Vulgata *Et haec.* — Subinde allegatur Ioan. 16, 24.

[11] Vers. 24. — Glossa *interlinearis* in hunc locum: Hoc abiens reliquit eis, et haec est causa odii.

[12] Vulgata *sicut et ego.* — De *mundo* cfr. supra n. 22.

[13] Vers. 19. — Sequuntur Rom. 1, 1. et Gal. 6, 14.

Duplex malum. tit, eos removeri a duplici malo, scilicet *perversae affectionis* et *erroris*. — Petit igitur, eos conservari
Primum. a *perversa affectione*, ad quam mundus pertrahit, in quo conversari debebant; propterea dicit: *Non rogo, ut tollas eos de mundo*, per mortem scilicet carnis, sicut dicitur de Henoch Genesis quinto [1]: « Ambulavit Henoch cum Deo et non apparuit, quia tulit eum Deus ». Ad hoc tulit, ut servaret a malo; Sapientiae quarto: « Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius ». Non sic petebat eos servari, sed *in mundo;* ideo subdit: *Sed ut serves eos a malo*. Et ratio est, quare debent conservari in mundo:

28. (Vers. 16.). *De mundo non sunt, sicut ego* [2] *non sum de mundo*, scilicet conversatione; ideo petebat, eos salvari et servari, ne converterentur ad mundum per amorem; de qua servatione Apocalypsis tertio: « Quia servasti verbum patientiae meae, servabo et ego te ab hora tentationis, quae superventura est super orbem universum, tentare habitantes in terra ». Sic petit, eos servari a *malo*
Secundum. *praevaricationis;* petit etiam, servari a *malo erroris;* propter quod dicit:

29. (Vers. 17.). *Sanctifica eos in veritate. Sanctum*, hoc est sine terra [3]; *sanctificare*, hoc est mundare et purgare; *veritas* autem haec est in sermone Dei. Ideo dicit: *Sermo tuus veritas est;* et hoc sermone Dei sanctificantur discipuli, id est, ab errore purgantur. Chrysostomus [4]: « *Sanctifica eos in veritate*, id est, erudi eos, doce veritatem; recta enim dogmata sanctificant animam ». Novit enim verbum Dei purgare; ideo dictum est supra decimo quinto [5]: « Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis »; et ad Ephesios quinto: « Christus sanctificavit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae ». De sanctificatione huiusmodi, secundae ad Timotheum secundo: « Si quis emundaverit se ab istis, erit vas sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum ».

30. (Vers. 18.). *Sicut tu me misisti.* Tangitur hic tertium, scilicet *ratio exaudiendi*, quae duplex est, scilicet *commissum eis officium* et *pro eis oblatum sacrificium*. Ratione *commissi officii* debent servari et sanctificari, quia missi erant inter malos; ideo dicit: *Sicut tu me misisti in mundum*, ad passionem; *sic* [6] *et ego misi eos in mundum*, ad patiendum scilicet; unde Matthaei decimo: « Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum ». Ratione igitur *officii* dignum erat, ut servarentur; ratione etiam *sacrificii oblati;* ideo subdit:

Tertio, de ratione exaudiendi. Ratio 1. Ratio 2.

31. (Vers. 19.). *Et ego pro eis sanctifico me ipsum;* Chrysostomus [7]: « Id est, hostiam sanctam offero. *Hostiae* omnes sanctae dicebantur »; ad Romanos duodecimo: « Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem »; et sicut dicit Chrysostomus [8], « quia antiquitus sanctificatio erat in ove in typo, nunc autem non est in typo, sed in ipsa veritate; ideo ait: *Ut sint sanctificati in veritate* »; ad Hebraeos nono: « Si cinis vitulae aspersus et sanguis hircorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi »?

Quaestiones.

32. Quaest. I. Quaeritur de hoc quod dicit: *Cum essem cum eis, ego servabam eos.*

1. Videtur ex hoc innuere in se impotentiam, quia in ipsa absentia eos servare non poterat.

2. Videtur etiam ex hoc, quod opera Trinitatis sint divisa [9] et alternatim fiant, quia prius Filius servavit, modo rogat Patrem, ut eos servet.

---

[1] Vers. 24. — Subinde allegatur Sap. 4, 11. — Glossa *interlinearis* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 108. n. 2.): *Non rogo, ut tollas eos de mundo*, ubi adhuc necessarii sunt, etsi non sunt de eo. — Cfr. infra n. 34.

[2] Vulgata *sicut et ego.* — Sequitur Apoc. 3, 10.

[3] Origen., in Levit. homil. 11. n. 1, ubi explicat illud Levit. 19, 2: *Sancti estote* etc., et dicit: Quid est: *quia et ego sanctus sum?...* sicut ego excedo omnem creaturam atque ab universis, quae facta sunt, segregor, ita et vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti nec Deo dicati. Segregari autem dicimus non locis, sed actibus, nec regionibus, sed conversationibus. Denique et ipse sermo in Graeca lingua, quod dicitur ἅγιος, quasi *extra terram* esse significat. Quicumque enim se consecraverit Deo, merito extra terram, extra mundum videbitur; potest enim et ipse dicere: Super terram ambulantes conversationem in caelis habemus [cfr. Phil. 3, 20.] etc. Cfr. Glossa *ordinaria* in Levit. 19, 2, quae etiam ibid. super illud 29, 11: *Animal immundum, quod Domino immolari non potest* etc. (secundum Rabanum in hunc loc.), ait: Sciendum est, quod aliud est *sanctificari*, aliud est *sanctum esse*, aliud *Deo offerri*, aliud *Dei esse*. Quod enim sanctificatur et offertur sanctum *incipit* esse, quod non erat, et paulatim augmentatur. Quod sanctum est et Dei est *non eget augmento*, quia perfectum est.

[4] In Ioan. homil. 82. (alias 81.) n. 1: *Sanctifica eos in veritate tua*, sanctos redde per donum Spiritus et per recta dogmata; ut cum dicit [Ioan. 15, 3.]: *Mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis;* id ipsum nunc ait: Institue illos, doce veritatem. Atqui hoc Spiritum facere dicit. Cur autem illud a Patre nunc postulat? Ut rursum aequalitatem discas. Recta quippe de Deo dogmata animam sanctificant.

[5] Vers. 3; cfr. ibid. n. 16. — Sequuntur Eph. 5, 25. seq. et II. Tim. 2, 21.

[6] Vulgata et C omittunt *sic.* — Subinde allegatur Matth. 10, 16.

[7] In Ioan. homil. 82. (alias 81.) n. 1: Quid est: *Sanctifico me ipsum?* Offero tibi sacrificium [θυσίαν]. Sacrificia vero omnia sancta dicuntur, et proprie sancta, quae Deo consecrata sunt. Cum enim olim in figura sanctificatio esset in ove, nunc autem non in figura, sed in ipsa veritate sit; ideo ait: *Ut sint sanctificati in veritate tua.* — Sequitur Rom. 12, 1.

[8] Vide notam praecedentem. Plurimi codd. post *in ove* omittunt *in typo*, pro quo ed. *ut in typo*, Gorranus *ut in typo et figura.* Ed. cum Gorrano et Vulgata ante *sanctificati* addit *et ipsi;* codd. sequuntur lectionem Chrysostomi. — Subinde allegatur Hebr. 9, 13. seq.

[9] Cum secundum veritatem sint *indivisa;* cfr. tom. III. pag. 12, nota 2.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est *servare*, scilicet *effective* et *dispositive*. Primo modo est eius servare, cuius est *esse* dare; secundo modo potest esse alterius [1]. Primo modo Deus conservat hominem in bono; secundo, unus homo alium bona instructione et exemplo, ut praelatus subditos. — Dico igitur, quod Christus loquitur hic de conservatione, quae fuit *dispositive*, per modum dispositivum, scilicet exemplo et exhortatione et eruditione; et haec subtrahenda erat cum praesentia corporali [2]. Alio modo servabat *interius* cum Patre in quantum Deus; sed de ista non loquitur et hanc non subtrahebat, sed simul cum Patre exhibebat.

Resp. cum distinctione.

33. Quaest. II. Quaeritur de hoc quod dicit: *Quos dedisti mihi custodivi; et nemo periit ex eis nisi filius perditionis.*

Contra: Supra sexto [3]: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet;* et supra decimo: *Nemo rapit oves de manibus meis:* ergo nullus debuit de ovibus perire.

Respondeo: Dicendum, quod Pater dat Filio aliquos dupliciter, scilicet *aeterna praescientia quos praedestinavit et praescivit conformes fieri imaginis Filii sui* [4]; aliquos dat *secundum praesentem iustitiam.* — Cum igitur dicitur, quod non perdidit quemquam ex datis; loquitur *secundum praedestinationem;* cum excipit Iudam, loquitur *secundum iustitiam praesentem.*

Resp.

34. Quaest. III. Quaeritur de hoc, quod petit, discipulos suos conservari *a malo.* — Videtur, quod inordinate petat:

1. Quia ipsi erant in caritate; sed ex quantulacumque gratia vel caritate potest quis quantaecumque tentationi resistere [5]: ergo etc.

2. Item, ab illa gratia non potest cadere nisi per peccatum mortale; non potest peccare nisi volens: ergo quod unusquisque conservetur, est in libertate nostrae voluntatis: ergo superflue petit.

Respondetur ad hoc, quod, sicut dicit Augustinus [6], *permanere* in bono accepto *divini* est *muneris* et *nostrae sollicitudinis;* gratia enim conservatur in nobis per continuam influentiam; et ideo petitur a Domino, ut continue adiuvet. Unde si possimus sola voluntate deficere; nisi interveniat divinum subsidium, non possumus permanere.

Resp.

In parte tertia Christus petit crediturís conformitatem gratiae.

35. *Non pro eis* [7] *rogo tantum.* Haec est tertia pars capituli, in qua Dominus crediturís per Apostolos *petit conformitatem gratiae;* et hoc ordine procedit. Primo ponit *petitionem;* secundo, *exaudiendi rationem,* ibi [8]: *Et ego claritatem, quam dedisti.*

Divisio in 2 membra.

In petitione igitur petit crediturís duplicem unitatem, scilicet *dilectionis* et *fidei.*

De primo duo.

(Vers. 20.). Propter unitatem *dilectionis,* quam petit per Apostolos crediturís, dicit: *Non pro eis,* scilicet pro Apostolis, *rogo tantum, sed et pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me;* pro illis, inquam, rogo:

Expositio litteralis. Unitas dilectionis.

36. (Vers. 21.). *Ut* [9] *sint unum,* per conformitatem dilectionis, *sicut tu Pater in me, et ego in te,* id est, sicut nos unum sumus, *ut et ipsi sint unum in nobis;* ad Galatas tertio: « Omnes vos unum estis in Christo Iesu ». Ista unitas est per adhaerentiam caritatis; primae ad Corinthios sexto: « Qui adhaeret Deo unus spiritus est ». Quando vero uniuntur sibi invicem in Deo, tunc sunt unum in Deo; unde primae ad Corinthios duodecimo: « In uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus ».

37. Sic petit eis unitatem caritatis, petit etiam *unitatem fidei;* ideo ait: *Ut mundus credat, quia tu me misisti. Mundus,* id est universitas filiorum Dei dispersorum per mundum, quos debebat in unitatem fidei congregare. Supra undecimo [10] dictum est, quod moriturus erat, « ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum », et hoc uniendo in fide nominis sui; quia, supra primo, « dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius »; et Actuum quarto: « Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».

Unitas fidei.

38. *Et ego claritatem.* Tangitur hic secundum, scilicet *exaudiendi ratio,* quia ideo claritatem suam communicaverat Apostolis, ut mundus converteretur ad fidem. Triplicem autem claritatem communicaverat eis, scilicet *potentiae, sapientiae* et *bonitatis: potentiae* in faciendo miracula, propter quae convertebantur ad fidem *Iudaei,* qui [11] « quaerunt signa »;

De secundo. Triplex claritas. Prima.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. ad 3; III. Sent. d. 10. a. 2. q. 2. in corp.

[2] Vide supra c. 16. n. 24, et August., in Ioan. Evang. tr. 106. n. 2. — Epist. I. Cor. 3, 7: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui *incrementum* dat, *Deus;* cfr. supra c. 15. n. 2. et 15.

[3] Vers. 37. — Sequitur Ioan. 10, 29.

[4] Rom. 8, 29. Cfr. supra c. 6. n. 60. 64. et 100.

[5] De quo vide III. Sent. d. 30. q. 1.

[6] De Correptione et gratia, c. 6. n. 10. seqq.; de Dono perseverantiae, c. 1. n. 1. seqq. (plures codd. omittunt *Augustinus*). Vide etiam supra n. 20. — De *influentia* gratiae eiusque conservatione cfr. II. Sent. d. 26. q. 1. (circa finem corp.) 2. et 3. — Aliquanto inferius pro *Unde si* C N *Unde licet.*

[7] Vulgata addit *autem.* Cfr. supra n. 1.

[8] Vers. 22.

[9] Vulgata, quam sequitur ed., *Ut omnes.* — Tres seqq. loci sunt Gal. 3, 18; I. Cor. 6, 17. et 12, 13.

[10] Vers. 52. — Sequuntur Ioan. 1, 12. et Act. 4, 12.

[11] Ut dicitur I. Cor. 1, 22: Quoniam et Iudaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt.

Secunda. *sapientiae* in annuntiando documenta, propter quae *Graeci* converterentur, qui « quaerunt *sapientiam* ».

(Vers. 22.). Propter hanc *duplicem claritatem* dicit: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis;* Chrysostomus [1]: « Eam quae per *signa*, eam quae per *dogmata* ». De datione claritatis *signorum*, Lucae nono [2]: « Convocatis duodecim, dedit eis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent ». — De datione claritatis *documentorum*, Lucae vigesimo primo: « Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contra-
Tertia. dicere omnes adversarii vestri ». — Dedit etiam *claritatem bonitatis;* propter quod subdit: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*, per proportionem; et haec est proportio:

39. (Vers. 23.). *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum*, id est perfecti in unitate *caritatis*, et per hoc efficiantur clari. Unde Chrysostomus [3]: « Haec est magna gloria, ut sint unum, et haec signis maior gloria est. Sicut enim Deum admiramur, quoniam non est contentio atque discordia apud naturam illam, et maxima est haec gloria; ita et hi hinc efficiantur clari ». Unde supra decimo tertio [4]: « In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis ». Et hanc claritatem Apostolis dedit. — *Et cognoscat mundus, quia tu me misisti*, propter claritatem scilicet, quam dedi eis in nomine meo; *et dilexisti eos, sicut et me dilexisti;* et hoc cognoscat per unitatem et concordiam, quam videbit in eis. Chrysostomus [5]: « Ostendens, signo pacem magis homines posse attrahere. Sicut enim contentio dissolutivum, ita et consonantia communicativum »; Actuum secundo [6]: « Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus; fiebatque autem omni animae timor ».

Quaestiones.

40. Quaest. I. Quaeritur hic: quia, si nulli sunt salvati per Christum, nisi pro quibus oravit; et ipse solum oravit pro Apostolis et credituris per eos: ergo illi qui crediderunt per Christum, ut Nicodemus [7], caruerunt beneficio orationis, et ita salutis.

Respondeo: Dicendum, quod *credituri per Apostolos* non tantum dicuntur qui tantum ad eorum praedicationem conversi sunt, sed etiam qui eorum vestigiis adhaeserunt. — Vel potest dici, quod Dominus orabat pro his qui iam crediderunt generaliter, non tantum pro Apostolis [8]. Resp. Aliter.

41. Quaest. II. Item quaeritur de hoc, quod Dominus oravit pro credituris per Apostolos, *ut essent unum.*

Contra: Multi crediderunt, qui fuerunt divulsi et retrocesserunt: ergo non fuit pro omnibus exauditus.

Respondeo: Quidam sunt de numero fidelium *nomine*, ut mali Christiani; quidam *merito praesentis iustitiae;* quidam *cognitione praevisionis aeternae*, de qua secundae ad Timotheum secundo [9]: *Novit Dominus qui sunt eius;* et pro talibus orat Dominus, pro aliis non, quia primae Ioannis secundo: *Ex nobis exierunt, sed ex nobis non erant.* Resp. cum distinctione.

42. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sint unum, sicut et nos.*

1. Quid est quod dicit, cum sint unum in *essentia*, homines autem esse non possunt unum in *essentia?*

2. Item, *sicut tu in me, et ego in eis* [10]; nulla omnino videtur similitudo.

Dixit Arius, quod erat *similitudo*, et sicut, cum dicitur, quod sumus unum, non propter hoc sequitur, quod sumus unum in essentia; sic nec, quando Filius dicit [11]: *Ego et Pater unum sumus.* Resp. Arii.

Et male dicit, quia, quando dicitur, quod aliqui sint unum, sicut dicit Augustinus [12], vel necesse Reprobatur.

---

[1] In Ioan. homil. 82. (alias 81.) n. 2: *Et ego claritatem... dedi eis*, id est per signa, per doctrinam [τὴν διὰ τῶν σημείων, τὴν διὰ τῶν δογμάτων].

[2] Vers. 1; ibid. 21, 15. est seq. locus.

[3] In Ioan. homil. 82. (alias 81.) n. 2.

[4] Vers. 35.

[5] In Ioan. homil. 82. (alias 81.) n. 2: Δεικνὺς σημείου μᾶλλον τὴν εἰρήνην δυναμένην ἐπισπάσασθαι. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἔρις διαγυτικὸν, οὕτως ἡ συμφωνία συγκροτητικόν; quae verba in ed. Migne sic Latine exhibentur: Ut ostendat, pacem plus quam signa attrahere. Sicut enim contentio dissolvit, ita concordia copulat. Pro *attrahere* codd. *obstruere*, ed. *persuadere*, Gorranus legit *pacem potentiorem quam signa ad persuadendum.* Subinde C N legunt: *Sicut enim contentio dissolvit, ita concordia connectit.*

[6] Vers. 42. et 43.

[7] De quo supra 3, 1. seqq. et 7, 50. seqq.

[8] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 109. per totum, ubi eadem difficultas proponitur et solvitur. — Ed. hic addit *et credituris per eos.*

[9] Vers. 19; cfr. supra pag. 393, nota 6. — Sequitur I. Ioan. 2, 19. Vide supra n. 24. et 33.

[10] Vers. 23: *Ego in eis, et tu in me.* — Ed. allegat v. 21: Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

[11] Supra 10, 30. — Cfr. Hilar., VIII. de Trin. n. 5. seqq.

[12] Libr. VI. de Trin. c. 3. n. 4: Et nescio, utrum inveniatur in Scripturis dictum *unum sunt*, quorum est diversa natura. Si autem aliqua plura eiusdem naturae sint et diversa sentiant, non sunt unum, in quantum diversa sentiunt. Nam si iam unum essent ex eo, quod homines erant, non diceret [Ioan. 17, 22.]: *Ut sint unum, sicut et nos unum*, cum suos discipulos Patri commendaret. At vero Paulus et Apollo, quia et ambo homines et idem sentiebant: *Qui plantat*, inquit [I. Cor. 3, 8.], *et qui rigat unum sunt.* Cum ergo sic dicitur unum, ut *non addatur* quid unum, et plura unum dicantur, eadem natura atque essentia, non dissidens nec dissentiens significatur. Cum vero *additur* quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diversis natura. Sicut anima et corpus non sunt utique unum; quid enim tam diversum? nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est unus homo, aut unum animal... nusquam dixit [Dominus]: Ut nos et ipsum unum, sed *ut unum sint, sicut et nos unum sumus.* Pater ergo et Filius unum sunt, utique secundum unitatem substantiae etc. Cfr. ibid. IV. c. 8. n. 12; I. contra Maximin. Arian. c. 12. et II. c. 22. Vide I. Sent. d. 31. p. II. a. 2. q. 1. seq. — Inferius voci *determinationem* plures codd. praefigunt *in*, quod in B a secunda manu correctum in *ibi.*

est, *addi determinationem*, vel de necessitate dicit *conformitatem in natura*, non tantum *in voluntate;* unde de duobus hominibus vel pluribus, cum sese diligunt, *sunt unum* recte dicitur, sed de homine et Deo nequaquam. Unde necesse est, si Filius vere dicit Patri: *Ego et tu unum sumus*, quod habeant eandem naturam; si autem divina natura non est divisibilis, tunc *simpliciter* sunt unum.

Quod ergo quaerit, dicendum, quod similitudo
Resp. auctoris. est valde longinqua, sicut ibi [1]: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Sicut misericordia divina excedit in infinitum misericordiam meam, ita unitas unitatem.

Sed quare ecclesia malorum non facit unum,
Quaest. incidens. sicut Ecclesia Christi?

Responsio est: quia, si mali conveniant in ali-
Resp. qua malitia exterius, differunt tamen in voluntate interius, differunt in fine, quia quilibet proprium quaerit commodum [2]; sed boni conveniunt in utrisque.

In parte quarta Christus eisdem petit perpetuitatem gloriae.

43. *Pater, quos dedisti mihi.* Quarta pars capituli [3] est, in qua illis quibus petiit conformitatem
Divisio in 2 membra. gratiae, *petit perpetuitatem gloriae* hoc ordine. Primo ponitur *petitio;* secundo, *petitionis exaudiendae ratio.*

(Vers. 24.). *Petitio* est de gloria; et quia gloria
Expositio literalis. est per visionem Divinitatis, quam videbimus in pa-
De primo. tria; ideo dicit: *Pater, quos dedisti mihi*, per praedestinationem scilicet, *volo, ut, ubi sum ego, et illi sint* [4], per gloriosam cohabitationem; supra duodecimo: « Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, ibi sit et minister meus ». *Ubi sum*, id est, statim futurus sum secundum humanitatem. —
Alia expositio. Vel *ubi sum* secundum Divinitatem, id est, sint mecum, qui ubique sum. Augustinus [5]: « Esse *cum* illo magnum bonum est; nam miseri esse possunt, *ubi* est ille qui ubique est. Beati vero sunt *cum* illo, quia semper fruendo illi adhaerent ». Et quod ita intelligendum, patet per hoc quod sequitur: *Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Haec est excellentia Divinitatis; ideo dicit: *Quia dilexisti me ante mundi constitutionem;* supra quinto [6]: « Pater diligit Filium et omnia demonstrat illi ». Hanc claritatem videbunt soli boni; Isaiae vigesimo sexto: « Tollatur impius, ne videat claritatem Dei ». Ad hanc claritatem modo conformamur per gratiam; secundae ad Corinthios tertio: « Nos revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu ».

44. (Vers. 25.). *Pater iuste, mundus* etc. Tan- De secundo.
gitur hic secundum, scilicet *exauditionis ratio*, quare scilicet debent hi videre per gloriam, quia modo cognoscunt per gratiam; mali vero modo non cognoscunt nec tunc cognoscent; ideo dicit: *Pater iuste*, quia « reddes unicuique secundum opera sua [7] ». *Mundus te non cognovit;* supra primo: « Erat lux vera, quae illuminat » etc.; ideo non rogo pro mundo. *Ego autem cognovi te, et hi cognoverunt, quia tu me misisti*, et hoc me revelante; ideo dicit:

45. (Vers. 26.). *Et notum feci eis nomen tuum;* Psalmus [8]: « Narrabo nomen tuum fratribus meis »; Matthaei undecimo: « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare ». Nec tantum fecit notum *per se*, sed amplius faciet notum *per Spiritum sanctum;* ideo dicit: *Et notum faciam*, et hoc per Spiritum sanctum, qui est amor Patris et Filii; ideo dicit: *Ut dilectio, qua dilexisti me, sit in ipsis*, per Spiritus sancti donationem; ad Romanos quinto [9]: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ». *Et ego in ipsis*, quia, primae Ioannis quarto [10], « qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo »; et ideo dicitur ibidem:

---

[1] Luc. 6, 36. — Inferius pro *misericordia divina*, quod habent B et ed. cum Gorrano [hi duo addunt *enim* post *sicut*], alii codd. *misericordia tua*, et subinde codd. communiter omittunt *misericordiam meam*.

[2] Phil. 2, 21: Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi. Cfr. I. Sent. d. 31. p. II. a. 2. q. 2. ad 2.

[3] Cfr. supra n. 1.

[4] Vulgata, quam sequitur ed., addit *mecum*. — Sequitur Ioan. 12, 26. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 111. n. 1. seq., ubi verba *quos dedisti mihi* ita explicat: « Quos traxisti ad me [cfr. supra 6, 44.], quosque ego elegi et quibus dabo vitam aeternam »; verbis autem *ubi ego sum* subiungit: Quo intelligeremus, quod cito fuerat ascensurus in caelum, ut iam ibi esse se diceret, ubi fuerat mox futurus.

[5] In Ioan. Evang. tr. 111. n. 2: « Si secundum eam [formam Dei] velimus intelligere quod dictum est: *Volo, ut, ubi ego sum, et illi sint mecum*, abscedat ab animo omnis imaginum corporalium cogitatio... Sed qui vult quaerere quaerat potius, *ut cum illo sit*, non ubique, sicut ille, sed ubicumque esse potuerit... Esse enim *cum* illo magnum bonum est. Nam et miseri esse possunt, *ubi* est ille; quoniam quicumque ubicumque fuerint, est et ille; sed beati sunt *cum* illo, quia beati esse non poterunt nisi ex illo ». Quibus verbis Glossa *ordinaria* (secundum August. loc. cit.) apud Lyranum haec subiungit: *Cum* illo, quia fruuntur illo, vident illum, sicuti est. Mali non sunt *cum* illo, ut caeci in luce non sunt cum luce. Nec boni nunc ita sunt cum eo, etsi aliquo modo per fidem sint cum eo. — Codd. nostri, B. Albert. (Postilla in Ioan. 17, 24.) et Gorranus post *miseri esse* interserunt *non*, quae lectio aliena est a sensu Augustini.

[6] Vers. 20. — Sequuntur Isai. 26, 10, ubi pro *Tollatur* plures codd. *Tolletur*, et pro *claritatem* nonnulli codd. et Gorranus *gloriam* (Vulgata: *Misereamur impio... et non videbit gloriam Domini*), et II. Cor. 3, 18.

[7] Ut dicitur Matth. 16, 27. — Subinde allegatur Ioan. 1, 9.

[8] Psalm. 21, 23. — Sequitur Matth. 11, 27.

[9] Vers. 5. — Praedicta expositio est secundum Theophylact., in Ioan. 17, 26, qui sequitur Chrysost. et Cyrill. Alexandr., in eundem locum. August., in Ioan. Evang. tr. 111. n. 6: *Notum feci* per fidem, *notum faciam* per speciem: *notum feci* cum fine peregrinantibus, *notum faciam* sine fine regnantibus.

[10] Vers. 16; ibid. v. 13. est seq. locus.

« In hoc cognovimus, quoniam in ipso manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis ». Et qui hunc Spiritum habet et Filium securus est, ut habeat Patrem. Unde Augustinus [1] dicit, quod « Pater Filium suum dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in pignus adoptionis, se ipsum in hereditatem adoptatis ».

Quaestiones.

46. Quaest. I. Sed quaeritur de hoc quod dicit: *ut, ubi ego sum, et illi sint mecum. — Contra:* Supra decimo quarto [2]: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.*

Respondeo: « In dispari claritate par gaudium [3] »; Resp. ratione claritatis disparis est multitudo; ratione communis gaudii, ubi caput et membra.

47. Quaest. II. Item, *habitat lucem inaccessibilem,* primae ad Timotheum ultimo [4]

Respondeo, quod *inaccessibile* [5], vel quia nullo Resp. modo, vel quia difficulter, vel quia non humana virtute, vel quia acceditur sola divina gloria.

48. Quaest. III. Item, excellentiae corrumpunt [6]; sed claritas Dei est excellentissima.

Respondeo: Intelligendum: ubi apprehendens est Resp. *corporale,* apprehensum potest laedere.

49. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *mundus,* id est mundani, *non cognoverunt. — Contra:* Ad Romanos primo [7]: *Qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt* etc.

Respondeo: Est *notitia simplex* et *approbatio-* Resp. *nis* [8]*; simplici notitia* noverunt, *approbationis* non; et ideo cognoscendo nihil meruerunt.

Capitulum XVIII.

Secundo agitur de his quae passionem concomitantur, quadrupliciter.

1. *Haec cum dixisset* etc. Supra egit de antecedentibus ad passionem, scilicet a fine undecimi [9]; hic agit de his, in quibus *passio consummatur.* Et quia in passione comprehensus est et iudicatus, occisus et sepultus; ideo dividitur haec pars in quatuor partes. In prima agitur de Christi *comprehensione;* in secunda, de eius *condemnatione,* ibi [10]: *Et adduxerunt eum ad Annam;* in tertia, de eius *passione,* ibi: *Susceperunt autem Iesum* etc.; in quarta, de *sepulturae conditione,* in fine decimi noni, ibi: *Post haec autem rogavit Pilatum.*

Divisio in 4 partes.

Primo, de Christi comprehensione.

In prima igitur parte, in qua manifestatur, qualis fuit Christi *comprehensio,* tria ostenduntur: primo, quod fuit *proditiosa;* secundo, quod *voluntaria,* ibi [11]: *Iesus autem sciens quae ventura erant;* tertio, quod *ignominiosa,* ibi: *Cohors ergo et tribunus* etc. Tria ostenduntur.

In prima igitur parte procedit sic. Ostendit primo *adventum Christi* ad locum cognitum proditori; se- De comprehensione proditiosa duo.

---

[1] Vel potius auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 54. in fine: « Filium dedit [Pater] in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris, se denique servat hereditatem adoptatis ». Idem occurrit in alio opusculo, quod est inter opera Augustini, cui titulus *Manuale,* c. 26, ubi pro *adoptatis* substituitur *adoptionis.*

[2] Vers. 2.

[3] Ut dicit Prosper, Libr. sententiarum ex August. n. 362. (alias 360.): Multae quippe mansiones in una vita varias meritorum significant dignitates. Sed *ut Deus omnia in omnibus* erit [I. Cor. 15, 28.], fiet etiam in dispari claritate per [alias *par;* cfr. tom. IV. pag. 999, nota 1. et pag. 1010, nota 3.] gaudium, ut quod habent singuli commune sit omnibus. Quoniam per connexionem dilectionis a gloria capitis nulla erit aliena pars corporis. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2. — Inferius pro *et membra* ed. cum uno alteroque cod. *ibi* (Gorranus: *ibi erunt et*) *membra.*

[4] Vers. 16. — Ed. cum Gorrano addit *ergo nullus potest ad eum accedere* (Gorranus prosequitur *nec esse ubi ipse est*).

[5] Codd. post *inaccessibile,* addunt *sicut sine rismo Arist. in Poster. arismon.* Quae priora verba coniecimus ita corrigenda esse: sicut *sine orismo,* Aristoteles in Posterioribus. Ioseph. Laurent. Lucens., Amalthea onomastica: « *Orismus,* definitio, schema rhetoricum ». Aristot., II. Poster. c. 3. seqq., agit de definitione [graece: ὁρισμός] et demonstratione, et ostendit, quod non *omnium* sit definitio, quod quandoque sit *difficilis* etc.; ideoque ad haec respiciens S. Bonav. dicit: *Sicut sine orismo* [vel horismo] i. e. quae sunt absque definitione. Incertum nobis est, quid substituendum sit pro corrupto vocabulo *arismon:* num forte aoraton (ἀόρατον, invisibile), adynaton (ἀδύνατον, impossibile), an *aoriston* (ἀόριστον)? i. e. indefinitum (hic melius *indefinibile,* scil. vel absolute, vel difficulter definibile etc). Cfr. supra pag. 424, nota 3, ubi similis distinctio *impossibilitatis* ex Aristot. relata est; II. de Anima, text. 103. (c. 10.) et V. Metaph. text. 27. (IV. c. 22.), de *invisibili.* — Ed. post *inaccessibile* addit *dicitur,* deinde *acceditur* post *modo,* et ponit *gratia* pro *gloria.*

[6] Secundum Aristot., qui diversis in locis dicit, quod excellens sensibile corrumpit sensus. Cfr. tom. I. pag. 38, nota 5. et pag. 39, 5, ubi loci Aristot. hac de re sunt allegati; ibid. etiam seq. responsio insinuatur. — Inferius post *sed claritas* codd. omittunt *Dei est.*

[7] Vers. 21. — Superius post *non cognoverunt* ed. et Gorranus addunt *Deum.*

[8] Explicationem huius divisionis vide I. Sent. d. 36. dub. 3. et d. 38. dub. 3.

[9] Vers. 47. n. 64.

[10] In hoc cap. v. 13; tertia pars incipit 19, 16; quarta ibid. v. 38.

[11] Vers. 4: *Iesus itaque sciens omnia, quae* etc.; seq. pars habetur v. 12. — Superius ed. cum Gorrano *proditoria* pro *proditiosa;* cfr. Du Cange, Glossarium etc., ubi dicitur, quod *proditialiter, proditionaliter, proditiose* significent: perfide, per proditionem, et quod *proditionalis* idem sit ac perfidus.

cundo, *adventum proditoris* ad illum locum, ibi [1]: *Iudas ergo* etc.

Expositio litteralis. Primum.

2. (Vers. 1.). Continuans igitur dicta dicendis ait: *Haec cum dixisset,* supple: quae praedicta sunt; *Iesus egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Iste transitus praesignatus fuit secundi Regum decimo quinto [2]: « Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron ». Genitivus pluralis est *Cedron,* id est trans torrentem cedrorum, quia ibi erant arbores illae. *Egressus,* de civitate, quia extra comprehensus et passus; ad Hebraeos ultimo: « Christus extra portam passus est » etc. *Ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius,* non tanquam fugiens vel abscondens se, sed quietem quaerens; Canticorum sexto [3]: « Descendi in hortum meum, ut viderem »; Psalmus: « In pace factus est locus eius »; unde subdit:

3. (Vers. 2.). *Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum.* Et ratio subditur: *Quia frequenter Iesus conveniebat* [4] *illuc cum discipulis suis.* Victor: « Iudas hunc locum notaverat, eo quod ad illum Dominus saepe venire consueverat ». Locus iste erat in pede montis Oliveti; illuc ibat Iesus frequenter; Lucae vigesimo primo [5]: « Erat diebus docens in templo, noctibus autem exiens morabatur in monte Oliveti ».

Secundum.

4. (Vers. 3.). *Iudas ergo, cum accepisset cohortem.* Hic notatur *adventus proditoris* cum talibus, qui possent capere et tenere et ducere. Ideo, *cum accepisset cohortem,* a gentilibus scilicet, *et a principibus* [6] *et Pharisaeis ministros,* quia illis eum tradebat; Matthaei vigesimo sexto dicitur, quod « abiit ad principes sacerdotum et dixit illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam »? *Venit illuc,* quasi ipse ductor aliorum, *cum laternis et facibus et armis,* ne posset *latere* in nocte; quia enim in tenebris ambulabant, ideo lumen a facibus mendicabant; Iob vigesimo quarto [7]: « Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; et sic in tenebris quasi in luce ambulant »; vel se *defendere;* et hoc faciebant, quia nihil divinum in eo credebant, sed humanam tantum potentiam.

Quaestiones.

5. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit Ioannes, quod post orationem *egressus est trans torrentem Cedron;* quia, sicut dicit Augustinus, de Concordia Evangelistarum [8], finito sermone, *facta est contentio, quis eorum videretur esse maior.*

Resp.

Et dicendum, quod verbum beati Ioannis non est intelligendum praecise, quod statim post orationem, sed quod post orationem et non ante [9].

6. Quaest. II. Item, Matthaeus [10] vigesimo sexto dicit, quod *venit Iesus in villam, quae dicitur Gethsemani.* Lucas vero vigesimo secundo dicit, quod *egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum;* Ioannes, quod *trans torrentem Cedron.* — Videtur hic esse contrarietas.

Resp.

Respondet Augustinus in tertio de Concordia Evangelistarum [11]: « *Mons,* inquit, *olivarum* iste locus est, cuius nomen Matthaeus et Marcus dixerunt *Gethsemani;* et ibi intelligimus fuisse hortum, quem commemorat Ioannes ». Et Victor [12] dicit, quod « villa illa sita est in pede montis Oliveti ».

7. Quaest. III. Item quaeritur: quare Dominus egressus est urbem nocte? — Videtur, quod voluerit latitare.

Resp.

Respondet Chrysostomus [13], quod hoc non tantum fecit tunc, sed etiam saepe facere consuevit,

---

[1] Vers. 3.

[2] Vers. 23. — Sequitur Hebr. 13, 12. — Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 155. (ex Alcuino, in Ioan. 18, 1.): « *Cedron* genitivus est Graecus pluralis [textus Graecus: πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων], qui Latine dicitur *cedrorum* ». Secundum alios *Cedron* est vox Hebraica, non Graeca, et idem est ac denigratus, ater, tristis (*cedar,* sive kydar, idem est ac nigredo, tristitia; cfr. Hieron., de Nominib. Hebraic. de Genes. Hilar., in Ps. 119. n. 14.), et ita vocabatur iste torrens sive ab umbrositate proveniente ex multitudine arborum, quibus erat consitus, sive ab aquarum nigredine etc.

[3] Vers. 10. — Subinde allegatur Ps. 75, 3.

[4] Vulgata *convenerat.* — De Victore cfr. supra pag. 275, nota 11. Glossa *interlinearis* (cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 112. n. 2.): *Sciebat... locum,* ubi ipse lupus inter oves locum praenotaverat. Vide Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 1.

[5] Vers. 37. Cfr. infra n. 6.

[6] Vulgata *pontificibus.* — Sequitur Matth. 26, 14. et 15.

[7] Vers. 17. — Glossa *interlinearis: Venit illuc cum laternis* [plures codd. *lanternis*] *et facibus;* nox enim erat, in qua ideo cum lucernis et facibus, ut, si latere vellet, his quaereretur; *et armis,* ut his, si qui eum defendere vellent, expugnarentur. Cfr. Theophylact., in hunc locum: Laternas et faces gestant, ut ne occultans se in tenebris aufugeret.

[8] Libr. III. c. 3. n. 9, ubi allegatur Luc. 22, 24: *Facta est autem contentio* etc.

[9] August., in Ioan. Evang. tr. 112. n. 1: Hoc quod narrat [Ioannes], ingressum Dominum cum discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum eius illa finita esset oratio [in cap. praeced.], de cuius verbis ait: *Haec cum dixisset Iesus,* sed alia quaedam sunt interposita, quae ab isto praetermissa apud alios Evangelistas leguntur... Non ergo sic accipiamus quod ait: *Haec cum dixisset Iesus...* tanquam continuo post illa verba in illum hortum fuerit ingressus, sed ad hoc valeat quod dictum est: *Haec cum dixisset Iesus,* ut non eum ante opinemur ingressum, quam illa verba finiret.

[10] Vers. 36. — Sequuntur Luc. 22. 39. et Ioan. 18, 1.

[11] Cap. 4. n. 10.

[12] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Vide Glossam *ordinariam* apud Lyranum in Matth. 26, 36. (ex Beda, in eundem locum): « Gethsemani locus, in quo [Christus] oravit, est ad radicem montis Oliveti, ubi est hortus ». Hieron., Lib. de Situ et nominibus locorum Hebraic.: *Gethsemani,* locus, ubi Salvator ante passionem oravit. Est autem ad radices montis Oliveti, nunc ecclesia desuper aedificata.

[13] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 1: Saepe namque cum illis conveniebat, ut seorsim de necessariis illos alloqueretur, quae non par erat alios audire. Illud vero facit in montibus et hortis, tumultu vacuum locum semper quaerens, ne auditores a doctrina interpellarentur (ὥστε μὴ τὴν διάνοιαν ἐκκρούεσθαι τῆς ἀκροάσεως, quae verba S. Thomas, in Catena aurea, sic exhibet: ne mens impediatur ab auditione).

ut a tumultu hominum se subtraheret et de necessariis loqueretur.

8. Quaest. IV. Item, cum Iudas reliquisset eum domi, quomodo non duxit illuc cohortem, sed ad hortum?

Respondet Chrysostomus [1], quod libentius eum
Resp. domi quaereret, ut dormientem inveniret; sed sciebat, eum consuetudinem habere frequenter extra pernoctare.

9. Quaest. V. Item quaeritur: cum cohors illa esset militum gentilium, quomodo sequebatur Iudam?

Respondeo: Quod corrupti erant per pecuniam
Resp. datam, vel promissam. Unde Chysostomus [2]: « Veri erant milites, pecuniarum gratia omnia facere meditantes ».

10. Quaest. VI. Item quaestio est: quare de die non venerunt ad comprehendendum eum, cum haberent tantam cohortem?

Et respondet Chrysostomus [3], quod timebant tur-
Resp. bas, quae eum de die sequebantur.

11. *Iesus autem* [4], *sciens.* Hic ostenditur, quod
Expositio literalis. comprehensio Christi *voluntaria* fuit ex parte Christi
De comprehensione voluntaria quatuor. quadrupliciter: primo in hoc, quod cum posset latitare, *se ipsum obtulit;* secundo, quod se offerendo *inimicos prostravit;* tertio, quod se offerendo *solo imperio discipulos liberavit;* quarto, quod *eos resistere non permisit.*

(Vers. 4.). Notatur ergo primo, quod voluntarie
Primum. comprehensus est, quia *latitare potuit;* unde dicit: *Iesus autem, sciens omnia, quae ventura erant super eum,* ac per hoc valens eos declinare, antequam venirent; Ecclesiastici vigesimo tertio [5]: « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem » etc. Et tamen se ipsum obtulit; unde dicitur: *Processit et dixit eis: Quem quaeritis? Processit,* id est, se voluntarie obtulit; Isaiae quinquagesimo tertio [6]: « Oblatus est, quia ipse voluit » etc.; in Psalmo: « Confundantur et revereantur quaerentes animam meam ». Augustinus: « Illi eum quaerebant ad occidendum saeviendo, sed quaerebat nos ille moriendo ».

12. (Vers. 5.). *Responderunt* [7]*: Iesum Nazarenum,* in hoc patet, quod eum non agnoscebant. Chrysostomus: « In medio existens excaecavit eos, et sic latere potuit ».

Dicit eis Iesus: Ego sum. Hic notatur, quod Secundum.
voluntarie comprehensus est, quia se offerendo *illos prostravit;* unde sequitur: *Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis,* scilicet cum aliis stantibus; sed audito verbo, non steterunt, immo ceciderunt. Propter quod dicit:

13. (Vers. 6.). *Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum,* avertendo faciem suam ab eo, secundum illud Psalmi [8]: « Avertantur retrorsum et confundantur qui cogitant mihi mala ». *Et ceciderunt in terram.* Augustinus: « Una vox tantam turbam odiis ferocem, armis terribilem sine ullo telo percussit, repulit, stravit virtute latentis Divinitatis. Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit »? Iob vigesimo sexto [9]: « Et cum vix stillam sermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis illius quis poterit intueri »?

14. (Vers. 7.). *Iterum ergo interrogavit eos.* Tertium.
Hic notatur tertia ratio, quare voluntarie comprehensus, quia se ipsum manifestando *discipulos liberavit.* Manifestat ergo se eis, cum iterum interrogat: *Quem quaeritis? Illi autem dixerunt,* sicut prius: *Iesum Nazarenum.* Et sicut iterum interrogavit, ita secundo offert et manifestat se.

15. (Vers. 8.). *Respondit eis* [10] *Iesus: Dixi vobis, quia ego sum.* Et quia tunc non cognovistis, iterum dico, ut cognoscatis. Excaecati erant, ne eum cognoscerent, sicut Lucae ultimo: « Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent ». Postquam se obtulit, discipulos liberavit *solo imperio;* unde subdit: *Si* [11] *me quaeritis, sinite hos abire.* Augustinus: « Inimicis iubet, et hoc faciunt, quod iubet; sinunt eos abire, quos non vult perire ». Et ostendit

---

[1] Loc. cit.: Quo permotus Iudas illo venit? Vel unde didicit, illo veniendum esse? Hinc liquet, Iesum saepe foris pernoctavisse. Neque enim, si domi egisset, ille in desertum locum venisset, sed domum, ut dormientem illic caperet. Ne vero, hortum audiens, in *latibulum* venisse putares, addit: *Sciebat Iudas locum* etc. — Inferius pro *pernoctare* ed. *pernoctandi.*

[2] Loc. cit.: Milites erant, qui pecuniae causa nihil non agere parati erant (ποιεῖν πάντα μεμελετηκότες).

[3] Loc. cit.: Cur cum armis illum capturi veniunt? Timebant eius sequaces, et ideo intempesta nocte id aggressi sunt.

[4] Vulgata *itaque.*

[5] Vers. 28. — Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 1: Non ex illorum adventu haec primo didicit, sed imperturbato animo, ut omnia sciens, haec sic dixit et fecit.

[6] Vers. 7. — Sequitur Ps. 34, 4. Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 112. n. 3: Eum quippe illi occidendum quaerebant saeviendo, sed quaerebat nos et ipse moriendo [ed. cum Gorrano *ad salvandum moriendo*].

[7] Vulgata addit *ei.* — Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 1: Viden, insuperabilem potentiam, quomodo in medio consistens ipsos excaecaverit? Quod enim id non ex tenebris noctis proveniret, indicavit Evangelista, cum dixit, illos faces habuisse. Etiamsi vero faces non adfuissent, ex voce cognosci poterat; quod si illi ignorabant, quomodo ignorare potuit Iudas, qui frequenter cum ipso erat? Nam et ipse stabat cum eis, nec plus quam illi agnoscebat, immo etiam cum illis supinus lapsus est. Id vero fecit Iesus, ut ostenderet, eos se in medio stantem non modo non capere, sed ne videre quidem posse, nisi ipse vellet.

[8] Psalm. 34, 4. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 112. n. 3, ubi tamen textus originalis plura interserit.

[9] Vers. 14.

[10] Vulgata omittit *eis.* — Subinde allegatur Luc. 24, 16. Cfr. supra n. 12. verba Chrysost.

[11] Vulgata *Si ergo.* — August., in Ioan. Evang. tr. 112. n. 4: Inimicos videt, et hoc faciunt etc. — Inferius vocibus *Et ostendit* non pauci codd. interserunt *hoc.*

Evangelista, quod hoc propria virtute fecit; unde dicit:

16. (Vers. 9.). *Ut impleretur sermo, quem dixit*, supra decimo septimo [1]: *Quia quos dedisti mihi*, o Pater, *non perdidi ex eis quemquam*; quia solus pati voluit; Isaiae sexagesimo tertio: « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum ».

Quaest. incideus. 17. Sed quid est quod dicit: *Non perdidi ex eis quemquam?* Nonne dicitur Matthaei decimo sexto [2]: *Qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam?*

Solutio. Propterea exponit Augustinus [3] de perditione *aeterna*, « quia nondum sic credebant in eum, sicut credunt quicumque non pereunt ». Illud autem dictum est credentibus perfecte.

Quartum. 18. (Vers. 10.). *Simon autem* [4] *Petrus.* Hic notatur quartum signum, quod voluntarie comprehensus: quia *Petrum resistentem compescuit.* Innuitur ergo fervor Petri in tuendo Dominum in hoc, quod *habens gladium, eduxit eum*, quasi non potens continere; *et percussit servum pontificis*, quasi non discernens personam, *et amputavit* [5] *auriculam eius dexteram.* Chrysostomus: « Innuit impetum Apostoli, quia ad ipsum caput impetum fecit ». *Erat autem nomen servo Malchus;* hoc, ut dicit Chrysostomus [6], dixit Evangelista ad maiorem certitudinem habendam. Petrus, zelo Legis accensus, percussit illos maleficos; primi Machabaeorum secundo: « Vidit Mathathias et doluit, et accensus est zelus secundum iudicium Legis, et accessit et trucidavit eum ». — *Spi-*

Spiritualiter. *ritualiter:* Petrus, agnoscens [7], amputavit auriculam dexteram, id est obedientiam. — Petrum ergo sic resistentem compescuit; unde sequitur:

19. (Vers. 11.). *Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam.* Victor [8]: « Cesset vindicta, exhibeatur patientia », iuxta illud Matthaei quinto: « Ego dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in unam maxillam tuam, praebe ei alteram ». Et rationem reddit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut* [9] *bibam illum?* Quasi dicat: si recte sapis, necesse habes, velle quod vult Pater. De hoc calice Matthaei vigesimo sexto: « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste ». Hunc calicem Filius bibit; unde Matthaei vigesimo: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum »? et de voluntate Patris; unde ad Romanos octavo: « Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum ».

De comprehensione ignominiosa. 20. (Vers. 12.). *Cohors ergo et tribunus* etc. Hic tertio ostenditur, quod comprehensio Christi fuit *ignominiosa* ex parte cohortis, quia ipsum comprehenderunt et ligaverunt tanquam latronem. Ideo dicit: *Cohors ergo*, id est multitudo militum in una societate constituta, *et tribunus*, qui eis praeerat, *et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum et ligaverunt eum.* Victor [10] dicit, quod « mos erat Iudaeis, ut, quem morte dignum iudicarent, vinctum praesidi traderent », et ita tanquam malefactorem; ideo Matthaei vigesimo sexto dicit Dominus eis: « Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me ». Et ligaverunt, ne fugeret, quia dixerat Iudas Marci decimo quarto: « Quem osculatus fuero, ipse est; tenete eum et ducite caute ».

Quaestiones.

21. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc, quod Dominus se ipsum obtulit Iudaeis. — Videtur, quod dederit eis occasionem male faciendi.

---

[1] Vers. 12: Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit nisi filius perditionis. — Sequitur Isai. 63, 3.

[2] Vers. 25.

[3] In Ioan. Evang. tr. 112. n. 4.

[4] Vulgata, quam sequitur ed., *ergo*.

[5] Vulgata *abscidit*. — Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2: Nec sine causa *auriculam dexteram* dicit; sed, ut quidem puto, quo Apostoli impetum declararet, quod ipsum fere caput impeteret.

[6] Loc. cit.: Ideo nomen eius posuit Evangelista, ut possent ii qui tunc legerent, perquirere et rei veritatem explorare. — Sequitur I. Machab. 2, 24.

[7] Hieron., de Nominibus Hebraic., ex Luca: *Petrus*, agnoscens; ibid. de Act. Apostol.: *Petrus*, cognoscens sive dissolvens. — Card. Hugo, in hunc locum: *Simon ergo Petrus, habens gladium, eduxit eum*, per quem designantur quidam praelati habentes zelum *non secundum scientiam* [Rom. 10, 2.], qui videntes, Christum capi in membris, statim educunt gladium excommunicationis et amputant subditis aurem dexteram, id est obedientiam aliquantulam, quam prius habebant; ideo dicit eis Dominus: *Mitte gladium* etc., id est, revoca sententiam excommunicationis suo tempore non datam etc. Cfr. Bernard., Serm. in Cantic. serm. 58. n. 5, ubi dicit, quod Petrus tunc nimio fervore levavit gladium, quia erat *hora et potestas tenebrarum* [Luc. 22, 53.], in qua, si « quisque discipulorum levaret gladium vel ferri vel verbi, aut ferro truncandus erat et neminem lucraretur nec quidpiam fructus afferret, aut certe timoris gladio ad negandum cogendus » etc. — Inferius post *obedientiam* ed. cum Gorrano addit: *abstulit synagogae Iudaeorum, ut nec ipsi deinceps veterem Legem nisi secundum superficiem litterae possint audire, nec quisquam fidelium eos audire debeat.* Cfr. de hac expositione Origen., in Matth. Comment. series, n. 101; Hieron., in Matth. 26, 51, et August., in Ioan. Evang. tr. 112. n. 5, quorum sententia exhibetur in Glossa *ordinaria* in Matth. 26, 51. et Ioan. 18, 10. Vide etiam Hilar., in Matth. c. 32. n. 2; Ambros., X. in Luc. 22, 49. seqq. n. 66. seqq., et Bernard., Serm. in Cantic. serm. 28. n. 5, ubi alia datur explicatio.

[8] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Beda, IV. in Matth. 26, 52: *Tunc ait illi Iesus: Converte gladium tuum* etc., id est, cesset vindicta, remissio largiatur. Glossa *interlinearis* in eundem locum ait: Cesset vindicta, exhibeatur patientia, ut patientiam nostros doceamus, non vindictam [Rabanus: Ac si dixisset: Cesset vindicta, remissio largiatur. Oportuit enim, ut auctor gratiae populum evangelicum suo exemplo patientiam doceret et potius ad sustinendum fortiter adversa instrueret, quam ad vindicandum provocaret etc.]. Cfr. Origen., in Matth. Comment. series, n. 102. seq. — Subinde allegatur Matth. 5, 39.

[9] Vulgata *non*. — Subinde allegantur Matth. 26, 39; 20, 22. et Rom. 8, 32.

[10] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Eadem verba refert Glossa *ordinaria* in hunc locum. — Duo seqq. loci sunt Matth. 26, 55. et Marc. 14, 44.

Respondet Chrysostomus [1]: « Ostendit Dominus
Resp. omnia, quae sufficientia erant eos revocare », detinendo scilicet visum eorum, ne eum agnoscerent, et deiiciendo eos ad terram solo verbo. « Quia vero in malitia persistebant et nullam habebant excusationem, tunc deinde manibus eorum tradidit se ».

22. Quaest. II. Item quaeritur: cum Petrus tantum irritaret eos, quare non detinuerunt eum?

Respondet Chrysostomus [2], quod « nullus alius
Resp. eos detinuit, sed ea virtus, quae prius proiecit eos resupinos ».

23. Quaest. III. Item quaeritur: cum iussum esset Petro, quod non haberet *peram* [3]; quomodo tunc habebat *gladium?*

Ad hoc respondet Victor [4], quod Dominus man-
Resp. 1. datum illud dedit eis, quando misit ad praedicandum; instante vero persecutionis tempore, praecepit, ut ferrent necessaria victui et gladios emerent. Et accepit hoc a Lucae vigesimo secundo [5]: *Qui habet sacculum tollat et peram, et qui non habet gladium vendat tunicam suam et emat gladium.* —
Resp. 2. Vel potest dici, quod Dominus hoc non praecepit, quia vellet se defendere; sed ut ostenderet comprehensoribus patientiam, quia, cum haberet arma, noluit eis uti [6].

24. Quaest. IV. Item, cum dictum esset Apostolis Matthaei quinto [7]: *Si quis te percusserit in unam maxillam tuam, praebe ei et alteram;* videtur, quod male fecerit Petrus in hoc, quod percussit.

Respondet Chrysostomus [8]: « Hic non se ipsum
Resp. ulciscebatur, sed Magistrum. Deinde, neque perfecti quodam modo et consummati erant », sicut postmodum fuerunt post adventum Spiritus sancti; et tunc impleverunt perfectionem sibi pro tempore illo praeceptam.

25. Quaest. V. Item quaeritur, utrum successor Petri possit gladium materialem educere et percutere. — Et quod sic, videtur exemplo Petri.

Ad hoc respondet Bernardus ad Eugenium [9], lo- Resp.
quens de materiali gladio: « Tuus est gladius, tuo forsitan nutu, etsi non manu, evaginandus. Alioquin, si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis: *Ecce, duo gladii hic,* non respondisset Dominus: *Satis,* sed: nimis est. Uterque ergo est Ecclesiae, sed materialis exserendus pro Ecclesia, spiritualis autem ab Ecclesia exserendus ».

Secundo, de Christi condemnatione.

26. *Et adduxerunt eum ad Annam primum.* Hic incipit secunda pars principalis, in qua agit *de Christi condemnatione* [10]; et quia condemnationem eius praecessit multiplex examinatio, dividitur haec Divisio in 3 partes.
pars in tres. In prima agit de *examinatione facta ab Anna;* secundo, *a Caipha,* ibi [11]: *Et misit eum Annas ligatum;* tertio, *sub Pilato,* ibi: *Adducunt ergo Iesum ad Caipham.*

In prima tria notantur: *defectus iudicii, defec-* De 1. examinatione tria.
tus testimonii, illatio convicii; quae notantur in hoc, quod Christus primo *iudici iniquo praesentatur;* secundo, *a Petro negatur,* ibi [12]: *Sequebatur autem Iesum;* tertio, *examinatur,* ibi: *Pontifex ergo interrogavit Iesum.*

27. (Vers. 13.). Quantum ergo ad *praesentatio-* Expositio litteralis.
nem dicitur: *Et adduxerunt eum,* scilicet Iesum, De primo.
ad Annam primum, quia senior et antiquior et in malitia inveteratior; Danielis decimo tertio [13]: « Egressa

---

[1] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 1, ubi textus originalis omittit *detinendo... verbo.* Pro *eos revocare* (αὐτοὺς ἀναχρούσασθαι), quod exhibet I a secunda manu (et card. Hug. et S. Thomas, in Catena aurea, in hunc locum) et quod alii codd. omittunt, ed. cum Gorrano *ad absterrendum eos.*

[2] Loc. cit.

[3] Matth. 10, 10.

[4] Cfr. supra pag. 275, nota 11.

[5] Vers. 36. — Glossa *ordinaria* ex Beda in Luc. 22, 35: Non eadem regula vivendi persecutionis tempore, qua pacis discipulos informat. Missis siquidem discipulis ad praedicandum, *ne quid tollerent in via, praecepit* [Marc. 6, 8.], ordinans scilicet, ut qui *Evangelium nuntiat de Evangelio vivat* [I. Cor. 9, 14.]. Instante vero mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam tempori regulam decernit, permittens necessaria victui, donec, sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat.

[6] Glossa *ordinaria* ex Beda in Luc. 22, 36: Gladium vel habitum sumere, vel non habitum iubet emere, ut sciant legentes, non facultatem resistendi deesse discipulis, sed amorem Magistro potius inesse patiendi etc. Cfr. supra pag. 480, nota 8. verba Glossae *interlinearis.* Ambros., X. in Luc. 22, 37. n. 54: Qui [Christus], cum se posset ulcisci, maluit immolari. Vide Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2: « Et quomodo, inquies, qui iussus erat non peram habere, non duas tunicas [Matth. 10, 10], gladium habuit? Ut videtur mihi, hoc metuens se iam olim praemunierat ». Secundum Cyrill. Alexandr., in hunc locum, Petrus, quia lege non prohibebatur, gladium habuit ad defensionem (Christi et discipulorum) contra irruentes hostes et ras. Secundum Theophylact., in hunc locum, Petrus gladium habuit vel ex eo, « quod portaverit illum in usum agni paschalis etiam post coenam, vel quod, timens insidias, olim in hoc praeparaverit ».

[7] Vers. 39.

[8] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2: Hic certe non se, sed Magistrum ultus est. Ad haec, nondum perfecti et consummati erant. Tu vero, si vis Petrum philosophantem videre, videbis postea caesum et mille affectum malis nec exasperatum [Act. 3, 3. seqq.; 4, 18. seqq.].

[9] Libr. IV. de Considerat. c. 3. n. 7. (cfr. Epist. 256. n. 1.). Allegatur in hac sententia Luc. 22, 38: *Ecce, duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.* Textus originalis, quem sequitur ed., ultimam propositionem sic exhibet: *Uterque ergo Ecclesiae, et spiritualis scilicet gladius et materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exserendus* [codd. nostri *exercendus*]. Cfr. tom. V. pag. 196, nota 10.

[10] Vide supra n. 1.

[11] Vers. 24; v. 28. incipit tertia pars: *Adducunt ergo Iesum a Caipha;* cfr. infra n. 52. et 57.

[12] Vers. 15; seq. pars incipit v. 19.

[13] Vers. 5. Cfr. infra n. 38. — Subinde pro *Erat autem* Vulgata *Erat enim.*

est iniquitas a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum ». Et rationem reddit, cum dicit: *Erat autem socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius;* ideo ad ipsum quodam modo pertinere videbatur iudicium. Sub ipsis principibus passus est Christus, sub quibus praedicavit Ioannes; Lucae tertio [1]: « Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto ». Et notat eum de suspicione, quod non recte iudicaret, quia socer eius erat, qui conspiraverat in mortem Christi. Unde dicit:

28. (Vers. 14.). *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudaeis;* supra undecimo [2]: Expedit, unum hominem mori pro populo. Chrysostomus: « Ideo prophetiae illius meminit, quoniam salus orbis terrarum mors eius fuit, et ideo non debet auditor audiens Christi vincula tumultuari ».

29. (Vers. 15.). *Sequebatur autem Iesum.* Hic
De secundo tria. agit *de Petri negatione,* quam describit hoc ordine. Primo notatur *negandi occasio;* secundo, *ipsa negatio;* tertio, ex negatione *amoris refrigeratio.*

Occasio negandi fuit in hoc, quod cum esset
Primum. infirmus, volebat Dominum sequi. Propterea dicit: *Sequebatur autem Iesum Simon Petrus,* non perfecte; unde Matthaei vigesimo sexto [3]: « Petrus autem sequebatur *a longe* », et alio ducente; unde non solus erat, immo *et alius discipulus,* et hic erat ductor; unde: *Discipulus autem ille erat notus pontifici;* et ideo cum fiducia ibat, unde subdit: *Et introivit cum Iesu in atrium pontificis.* Quis iste fuerit, Glossa [4] non definivit. Videtur tamen fuisse Ioannes, ut dicit Victor, qui de se ut de alio loquebatur, quasi non timens.

30. (Vers. 16.). *Petrus autem stabat ad ostium foris,* vel quia non audebat intrare, vel quia non permittebatur. Ideo verum erat illud quod dictum est ei supra decimo tertio [5]: « Quo ego vado, non potes me sequi modo ». *Exivit ergo discipulus ille alius, qui erat notus pontifici,* et ratione familiaritatis *dixit ostiariae et introduxit Petrum.* Et sic manifestum est, quod tenuiter diligebat qui per alium introibat; in quo significatur, quod discipuli se debent mutuo iuvare; ideo ad Galatas ultimo [6]: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi ».

31. (Vers. 17.). *Dixit Petro ostiaria* [7]. Hic de- Secundum.
scribitur secundum, scilicet *negatio ex infirmitate procedens;* et hoc patet in hoc, quod Petrus ad vocem ancillae Dominum negavit. Introducitur ergo inquisitio ancillae: *Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius?* Non dicit *seductoris,* sed *hominis,* quasi commiserans loquitur; sed Petrus, pusillanimitate victus, negavit; unde sequitur: *Dicit ille: Non sum.* Chrysostomus [8]: « Quid est, Petre, nonne dixisti: Animam meam pro te ponam? — supra decimo tertio. — Quid ergo factum est, quod neque ostiariae fers interrogationem »?

32. (Vers. 18.). *Stabant autem servi.* Hic de- Tertium.
scribitur tertium, scilicet ex *negatione affectus infrigidatio;* quod innuitur in hoc, quod Petrus, iam Domini oblitus, stabat ad prunas cum servis et rursus, calore interiori tepefacto, quaerebat solatium in exteriori; propterea dicit: *Stabant autem servi et ministri ad prunas,* qui scilicet ceperant Dominum; *quia frigus erat, et calefaciebant se.* Augustinus [9]: « Non hiems erat, et tamen frigus erat, quod solet

---

[1] Vers. 2. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 113. n. 5.

[2] Vers. 49. et 50. — Immediate post verbo *Expedit* Vulgata praefigit *quia.* Cyrill. Alexandr. post *mori pro populo* adiungit: *Miserunt autem eum ligatum ad Caipham principem sacerdotem. Erat autem Caiphas, qui consilium dedit Iudaeis, quia expedit, unum hominem mori pro populo.* — Sententia Chrysost. habetur in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2.

[3] Vers. 58. In quem locum Beda (qui sequitur Ambros., X. in Luc. 22, 54. n. 72.): Mirandus est, et tamen venerandus, qui Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Quod enim *timet,* naturae est; quod *sequitur,* devotionis etc. — Superius pro *volebat Dominum* plures codd. *nolebat* [aliqui, ut F M, *noluit*] *Dominum,* ubi post *sequi* in cod. M secunda manus addidit *ex devotione.*

[4] Scilicet *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang. tr. 113. n. 2.): Quis sit iste, quia hic tacetur, non temere definiatur. Solet tamen iste Ioannes sic se significare. — De *Victore* cfr. supra pag. 275, nota 11. Gregor., Praefat. Moral. c. 1. n. 3: Moris enim Scripturae sacrae est, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur... Hinc Ioannes dicit [13, 23; 19, 26; 21, 20.]: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus* etc. Sententiam Chrysost. hac de re vide infra n. 39; cfr. etiam supra c. 13. n. 30. Hieron., Epist. 127. (alias 16.) n. 5: « Qui [Ioannes] propter generis nobilitatem erat notus pontifici et Iudaeorum insidias non timebat in tantum, ut Petrum introduceret in atrium ». In nota adiecta dicitur, quod Nonnus putat, Ioannem pontifici notum fuisse non ob generis nobilitatem, sed ob artem piscatoriam, quodque alii hoc deducunt ex eius peritia in Lege. Cfr. Nicephor., I. Histor. ecclesiast. c. 28: « Sub haec coena paratur in domo, ut aiunt, Ioannis Evangelistae, quam ille, possessione sua... in Galilaea Annae, eius temporis Iudaeae pontifici vendita, cuius gratia etiam illi notus exstitit... in locis circum Sion montem sitis comparaverat ». Alias explicationes apud vide Lyranum, in Ioan. 18, 15. Plerique recentiores censent, quod non fuit Ioannes nec alius Apostolus, sed erat secundum textum Syriacum *unus ex discipulis aliis.*

[5] Vers. 36. — Subinde post *discipulus* Vulgata omittit *ille.*

[6] Vers. 2. — Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2: Quod [Petrus] illuc se contulerit, amoris fuit; quod non ultra intus progressus sit, timoris pavorisque. Ideo namque haec scripsit Evangelista, ut viam pararet ad excusandam negationem.

[7] Vulgata *Dixit ergo Petro ancilla ostiaria.*

[8] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2. Allegatur Ioan. 13, 37. Chrysost., loc. cit. subiungit: Vilis erat ostiaria, neque aspera interrogatio. Non enim dixit: Deceptorisne et scelesti illius discipulus es? sed *hominis huius,* quod miserantis potius erat. Verum nihil horum pertulit Petrus.

[9] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 3. Pro *et tamen* textus originalis *sed tamen,* C *tamen,* maior pars codd. *et,* Gorranus *sed,* qui etiam subinde cum non paucis codd. substituit *quia* pro *quod.* — Inferius post *Erat autem* Vulgata addit *cum ipsis.*

etiam in aequinoctio verno aliquando contingere ». *Erat autem et Petrus stans et calefaciens se;* perdiderat enim illum ignem, de quo Lucae duodecimo [1]: « Ignem veni mittere in terram », quia tepuerat; Beda: « In tantum princeps Apostolorum frigore infidelitatis tepuit, ut ad vocem unius ancillae Christum formidaret confiteri ».

33. *Pontifex autem* [2] etc. Posita negatione Petri, hic subiungitur *examinatio Christi;* in cuius examinatione quatuor notantur, scilicet *pontificis interrogatio, Christi responsio, illatio iniuriae, supportatio patientiae.*

De tertio quatuor.

(Vers. 19.). *Pontificis* ergo *interrogatio* tangitur, cum dicitur: *Pontifex autem,* scilicet Annas, *interrogabat* [3] *Iesum de discipulis suis et doctrina eius,* ut, quia non poterat crimen obiicere, saltem caperet in sermone; non ut disceret, sed ut caperet, Matthaei vigesimo secundo.

Primum.

34. (Vers. 20.). *Respondit ei Iesus*: Hic ponitur secundum, scilicet *responsio Christi,* in qua Dominus confutat intentionem pontificis. Habebat enim doctrinam Christi suspectam, ideo de ea vult eum examinare; propterea ostendit Dominus, doctrinam suam non esse suspectam, quia non fuit *abscondita,* sed publica. Propterea dicit: *Ego palam locutus sum mundo;* et hoc probat: *Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Iudaei conveniunt.* Et quia posset dicere: in publico docuisti vera, in abscondito docuisti falsa; ideo ad maiorem certitudinem dicit: *Et in abscondito* [4] *locutus sum nihil;* Isaiae quadragesimo quinto: « Ego Dominus, et non est alius. Non in abscondito locutus sum in loco tenebroso ». Sic amovit suspicionem de doctrina ratione *occultationis;* removet deinde ratione *falsitatis;* unde mittit ad alios, nolens ipse respondere; propterea dicit:

Secundum. Ratio 1. Ratio 2.

35. (Vers. 21.). *Quid me interrogas,* cum mihi non credas et ab aliis scire possis? *Interroga eos qui audierunt, quid locutus sum eis* [5], ut eis credas; quia, *ecce, hi sciunt, quae dixerim ego.* Chrysostomus: « Non audentis sunt verba, sed confidentis in eorum quae dicta erant veritate »; Proverbiorum octavo: « Recti sunt omnes sermones mei; non est in eis pravum quid neque perversum ».

36. (Vers. 22.). *Haec* [6] *cum dixisset.* Hic ponitur tertium, scilicet propter responsionem *illatio iniuriae* facto et verbo. *Facto: Unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu;* Threnorum tertio [7]: « Dabit percutienti se maxillam »; et Michaeae quinto: « Percutient maxillam iudicis Israel ». Iniuriatus est *verbo: Dicens: Sic respondes pontifici?* Quasi dicat: stulte respondes, quia pontifici humiliter est respondendum; unde dixerunt Paulo Actuum vigesimo tertio: « Summum sacerdotem Dei maledicis »?

Tertium.

37. (Vers. 23.). *Respondit ei Iesus.* Hic notatur quartum, scilicet *supportatio patientiae,* quod innuitur in Domini responsione, quia malum servum *sustinet;* unde subdit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo;* quasi dicat: paratus sum sustinere poenam; *instruit;* unde dicit: *Si autem bene, cur* [8] *me caedis?* quasi: recognoscas, te male facere. In quo mira benignitas Christi notatur, quod non solum *sustinebat,* sed etiam *erudiebat,* secundum illud Levitici decimo nono [9]: « Ne oderis fratrem tuum, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum ».

Quartum.

Quaestiones.

38. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicitur Matthaei vigesimo sexto [10], quod ministri tenentes Iesum *duxerunt ad Caipham principem sacerdotum;* quomodo Ioannes dicit, quod ad *Annam?*

2. Item, cum Annas non esset pontifex [11], quare ad ipsum ductus est?

---

[1] Vers. 49. Gregor., II. Moral. c. 2. n. 2: Hinc est, quod de negaturo Petro praemittitur: *Quia frigus erat...* Iam namque intus a caritatis calore torpuerat et ad amorem praesentis vitae, quasi ad persecutorum prunas, infirmitate aestuante, recalebat. Cfr. Bernard., Serm. in Cantic. serm. 58. n. 5. (Ed. cum Gorrano post *quia tepuerat* addit *in Christi dilectione*). — Beda, IV. in Marc. 14, 54: Quo frigore torpens, ad horam Apostolus Petrus, quasi prunis ministrorum Caiphae, calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quaerebat etc. In Ioan. 18, 17. ipse (ex August., in Ioan. Evang. tr. 113. n. 2.) ait: Ecce, est illa promittentis audacia... Siccine pro Domino anima ponitur, ut, hoc ne fiat, vox ancillae formidetur? Cfr. tamen Haym., Homil. de Tempore, homil. 68. feria sexta parasceves, in qua passio D. N. I. Chr. secundum Ioannem explicatur, et dicitur: *Stabant autem servi... quia frigus erat, et calefaciebant se.* Frigus erat infidelitatis in cordibus illorum in tantum etiam, ut ille princeps Apostolorum in eo frigore torpescat, quia necdum calore sancti Spiritus inflammatus fuit, in quo non solum ipse iterum post acceptum S. Spiritus donum non timuit Christum coram imperatore et populo Romano confiteri, sed etiam pueri imberbes... Christum publice ad mortem confitebantur... quem claviger caeli confiteri ad unius ancillae vocem formidavit.

[2] Vulgata *ergo.* Cfr. supra n. 26.

[3] Vulgata *interrogavit,* quae etiam subinde vocibus *et doctrina* interserit *de.* — Sequitur Matth. 22, 15: Tunc abeuntes Pharisaei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. — B. Albert., Postilla in Ioan. 18, 19: *Pontifex ergo,* non anni illius [scil. Caiphas; cfr. v. 13.], sed qui potestatem cum Caipha emerat [nempe Annas; cfr. infra n. 38. et 43.]; vide etiam Calmet., in eundem loc.

[4] Vulgata *occulto.* — Subinde allegatur Isai. 45, 6. seq. Cfr. infra n. 41.

[5] Vulgata *locutus sum ipsis.* — Sententia Chrysost. habetur in Ioan. homil. 83. (alias 82) n. 3. Sequitur deinde Prov. 8, 8.

[6] Vulgata *Haec autem.*

[7] Vers. 30. — Sequuntur Mich. 5, 1. et Act. 23, 4.

[8] Vulgata *quid.* — Paulo superius verbo *instruit* ed. cum Gorrano praefigit *Et sic eum.*

[9] Vers. 17.

[10] Vers. 57.

[11] Cfr. supra v. 13.

Respondet Augustinus [1], quod ad utrumque adResp. ad 1. ductus est; sed Matthaeus, id brevius narrare volens, dicit, ipsum ad *Caipham* fuisse adductum, quia in domo eius maxime fuit examinatus.

2. Ad illud quod quaeritur, quare ad Annam
Resp. ad 2. primum adductus, quadruplex redditur ratio: ratio
Rationes quatuor. *dignitatis*, quia, sicut dicit Victor [2], praecedenti anno fuerat sacerdos; tunc enim emebatur summum sacerdotium. — Alia ratio, scilicet *consanguinitatis*, quia attinebat summo sacerdoti tanquam socer [3]. — Tertia ratio *opportunitatis*, quia domus eius erat in via. — Quarta ratio *malignitatis*, ut dicit Victor [4], « ut minoris culpae videretur Caiphas, si alterius sacerdotis Christus damnaretur sententia ».

39. Quaest. II. Item quaerit Chrysostomus [5]: quis fuit ille *alius discipulus*, de quo dicit, quod sequebatur Iesum?

Et respondet, quod Ioannes, qui nomen suum
Resp. tacet ratione humilitatis.

40. Quaest. III. Et tunc est quaestio: quare non omnino tacet de se?

Responsio est, quod ideo se adducit, ut fidem
Resp. nostram astruat; ideo nomen tacet, ut iactantiam vitare ostendat [6].

41. Quaest. IV. Item quaeritur 1. de hoc quod Dominus dicit: *In occulto locutus sum nihil;* cum ipse Dominus locutus fuerit multa suis discipulis in secreto [7].

2. Item, de hoc quod dicit: *Semper docui in synagoga et in templo;* cum dicatur Matthaei quinto [8], quod in *monte;* similiter Lucae sexto, quod in *loco campestri.*

3. Item, de hoc quod dicit: *Ego palam locutus sum mundo;* cum Dominus in parabolis et in sententiis occultis loqueretur, sicut dicitur Matthaei decimo tertio [9].

1. Ad primum respondet Augustinus [10]: « Quo- Resp. ad 1. prima.
niam, si aliqua dixit solis discipulis, non tamen dixit in occulto, quia illa volebat per eos innotescere multis; unde Matthaei decimo: *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis praedicate super tecta.* — Chrysostomus [11] respon- Secunda.
det: *Nihil locutus sum in occulto,* quia « non ex timore, vel dolo, sicut hi aestimabant. Solitarios discipulos docebat, sed ea quae alii capere non poterant ».

2. Ad aliud dicendum, quod *semper* distribuit Resp. ad 2.
ibi pro tribus solemnitatibus: Pascha, Pentecoste, Scenopegia, quando populus generaliter conveniebat [12].

3. Ad aliud dicendum, quod *palam locutus* est, Resp. ad 3.
non pro aperta intelligentia, sed pro multorum audientia. Augustinus [13]: « Modo quodam *palam* loquebatur, quia multi audiebant; modo quodam *non palam* loquebatur, quia non intelligebant ».

42. Quaest. V. Item quaeritur: cum Dominus Matthaei quinto [14] dicat: *Si quis te percusserit in unam maxillam, praebe ei et alterum;* quare Dominus non fecit, sed arguit percutientem se?

Respondet Augustinus [15]: « Veraciter, mansuete Resp.
iusteque respondit; et non solum alteram maxillam

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 1: Merito et Matthaeus, cum id brevius narrare voluisset, eum ad Caipham ductum fuisse commemorat, quia et ad Annam prius ideo ductus est, quod *socer* eius [Ioan. 18, 13.] fuerit, ubi intelligendum est, hoc eundem Caipham fieri voluisse. Cfr. Ibid. n. 5; tr. 114. n. 1. et III. de Consensu Evangelist. c. 6. n. 19.

[2] Cfr. supra pag. 275, n. 11. — August., in Ioan. Evang. tr. 113. n. 5: Proinde isti ambo pontifices [Annas et Caiphas] vicissim suos annos agebant; et erat annus Caiphae, quando passus est Christus. Cfr. Beda, I. in Luc. 3, 2, ubi similia docet subiungens: « Legalibus namque tunc praeceptis vi et ambitione cessantibus, nulli pontificatus honor vitae vel generis merito reddebatur, sed Romana potestate aliis nunc, item aliis summa sacerdotii praestabatur ». In cuius rei gratiam adducit quaedam ex Flavio Iosepho (XVIII. Antiq. c. 7.), scil. quod Valerius Gratus, Anna sacerdotio deturbato, Ismaelem, dein Eleazarum (filium Annae), subinde Simonem et tandem Caipham pontificatui subrogaverit. Cfr. XX. Antiq. c. 20, ubi de Anna (sive, ut Iosephus ipsum nominat, de Anano) narratur: « Hunc etenim seniorem Ananum dicunt fuisse felicissimum; filios namque [quinque] habuit, qui omnes Dei pontificatu sunt functi, quod nulli pontificum apud nos provenisse dignoscitur ». Ibid. c. 22. docet, primitus in pontificatu filium successisse patri mortuo: « Unde legitimum est, nullum posse pontificatum percipere, nisi de sanguine fuerit Aaron; ex alio namque genere, neque si in regno constitutus sit, pontificatum potest adipisci ». Vide Hieron., IV. Comment. in Matth. 26, 57: Moyses, Deo iubente, praeceperat, ut pontifices patribus succederent... Refert Iosephus [ubi?], istum *Caipham* unius tantum anni pontificatum ab Herode pretio redemisse. Non ergo mirum est, si nequam pontifex inique iudicet.

[3] August., in Ioan. Evang. tr. 113. n. 5: « Sed prius ad Annam secundum Ioannem venerunt cum illo [Iesu], non quia collega, sed quia *socer* eius erat ». Ibid. etiam seq. ratio insinuatur: Vel etiam domos eorum [Annae et Caiphae] ita fuisse positas, ut non deberet Annas a transeuntibus praeteriri. — Pro *consanguinitatis* ed. *affinitatis.*

[4] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Glossa *interlinearis* in Ioan. 18, 13: Voluit ad illum primo duci ut minoris culpae etc. Cfr. S. Thom., Catena aurea in Ioan. 18. n. 4, ubi haec sententia Bedae tribuitur.

[5] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2.

[6] Secundum Chrysost., loc. cit.: Ideo nomen tacet suum et Petrum priorem ponit; suique tamen meminisse coactus est, ut ediscas, eum accuratius quam alios ea quae in aula gesta sunt, enarrasse, utpote qui intus esset.

[7] Cfr. Matth., 17, 18. seqq.; 20, 17. seqq.; 24, 3. seqq.

[8] Vers. 1. — Sequitur Luc. 6, 17.

[9] Vers. 3: Et locutus est eis multa in parabolis etc.

[10] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 3, ubi tamen textus originalis plura interserit. Allegatur Matth. 10, 27.

[11] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 3: Quid ergo? Nihilne secreto dixit? Dixit quidem; at non, ut illi putabant, timens et seditiones movens; sed cum ea quae dicebat, supra multitudinis captum erant. — Inferius pro *Solitarios* ed. cum Gorrano *Solitarius autem,* omisso subinde *sed.*

[12] Cfr. Deut. 16, 16, ubi hae tres solemnitates a Domino designantur, in quibus quotannis omne masculinum apparere debebat in conspectu Domini, « in loco, quem elegerit ». Vide Exod. 23, 15. et 34, 23. Cfr. etiam supra pag. 297, nota 12.

[13] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 3.

[14] Vers. 39.

[15] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 4.

iterum percussuro paravit, sed et totum corpus figendum in ligno. Et hinc ostendit, praecepta patientiae non ostentatione corporis, sed cordis praeparatione esse facienda ».

De 2. examinatione duo.

43. *Et misit eum Annas* etc. Hic agitur de examinatione facta *sub Caipha;* et dividitur haec pars in duas, quia primo ponitur *Christi ad iudicem adductio;* secundo, *ipsius a discipulo negatio,* ibi [1]: *Erat autem Simon Petrus.*

Primum.

(Vers. 24.). Quantum ad primum breviter se expedit Evangelista et dicit, quod Christus missus est ad Caipham, nihil agens de examinatione facta ab eo, quia alii Evangelistae sufficienter dixerant. Ideo dicit: *Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem,* a quo multipliciter exhonoratus fuit et reprobatus; sicut dicitur Matthaei vigesimo sexto [2], quod « exspuerunt in faciem eius et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt » etc.

Secundum. Negationis occasio.

44. (Vers. 25.). *Erat autem.* Hic ponitur *negatio Petri,* et ponitur negandi *occasio* in hoc, quod erat commixtus ministris; unde dicit: *Erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se,* scilicet cum ministris, ut supra [3]. Et ex hoc, quod inter eos erat, contigit, quod quaererent ab eo. *Dixerunt ergo ei: Nunquid et tu ex discipulis eius es?* Et haec fuit *occasio negandi;* ideo sequitur negationis *iteratio: Negavit autem ille et dixit: Non sum.* Expavit Petrus ad multitudinem circumstantium; Ecclesiastici septimo: « Ne pecces in multitudine civitatis, nec te immittas in populum ».

Iteratio.

Consummatio.

45. (Vers. 26.). *Dicit ei unus ex servis pontificis.* Hic ponitur *negationis consummatio;* et ponitur *inquisitio servi,* deinde *negatio Petri* et *signum,* quod est cantus galli. *Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam* [4]. Ratio redditur, quare magis accusabat eum in ultionem fratris: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* quasi dicat: non potes te mihi occultare.

46. (Vers. 27.). *Iterum ergo negavit Petrus.* Hic *consummatur negatio Petri,* quia trina fuit; et in *signum* consummationis subditur: *Et statim gallus cantavit.* Augustinus [5]: « Ecce, Medici completa praedictio, aegroti convicta praesumtio. Non enim factum est quod iste dixerat: Animam meam ponam pro te; sed quod ille praedixerat: Ter me negabis ».

Quaestiones.

47. Quaest. I. Sed quaerit Chrysostomus [6]: unde est hoc, quod Evangelistae ita concorditer scripserunt de Petri negatione, cum videatur, quod peccatum socii deberent occultare?

Resp.

Respondet: Hoc quidem fecerunt, « non discipulum accusantes, sed nos erudire volentes, quantum malum est non Deo omne concedere, sed in se ipso confidere ».

48. Quaest. II. Item quaeritur de *modo* negandi. — Dominus enim praedixit ei: *Ter me negabis;* et hic dicit beatus Ioannes, quod solum negavit, quod non erat eius *discipulus.*

Resp.

Respondet Augustinus [7]: « Sane in hac negatione Petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum, qui dicit, eum non esse Christum; sed ab illo etiam, qui, cum sit, negat, se esse Christianum. Unde negavit Christum Petrus, dum negavit se Christi discipulum ».

49. Quaest. III. Item quaeritur de *loco* negationis Petri. — Et videntur alii Evangelistae dicere, quod fuerit in domo *Caiphae,* sicut dicitur Matthaei vigesimo sexto [8]; Ioannes videtur dicere, quod in domo *Annae.*

Resp. Opinio 1

Respondeo ad hoc: Est contrarietas inter expositores [9]. Nam Beda et Hieronymus dicunt, quod in-

---

[1] Vers. 25. — Post *discipulo* ed. supplet *facta.*

[2] Vers. 67. — Glossa *ordinaria* (ex August., in Ioan. Evang tr. 114. n. 1.): Dicto, quod Annas misit Iesum ad Caipham, redit ad locum narrationis, ubi reliquerat Petrum [cfr. v. 18.], ut explicet, quid in domo Annae de trina Petri negatione contigerat.

[3] Vers. 18. — Inferius post *Negavit* Vulgata omittit *autem,* ad quem locum Glossa *interlinearis* (ex August.): Ecce, *secundo* negat. — Sequitur Eccli. 7, 7.

[4] August., in Ioan. Evang. tr. 113. n. 6: Deinde, ut *tertia* negatio compleatur: *Dicit ei unus* etc. — Inferius post *fratris* ed. cum Gorrano addit *sive cognati.*

[5] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 6, in qua sententia allegatur Ioan. 13, 37. et 38. (Matth. 26, 34.). Codd. et Gorranus legunt non bene: *Non enim factum est quod ille praedixerat... sed quod ille* [C *iste*] *dixerat: Ter* etc.

[6] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 3: « Cur autem Evangelistae in hac re scribenda concordes sunt »? Responsio data inferius est ibid.

[7] In Ioan. Evang. tr. 113. n. 2, ex quo tamen in fine non *verba,* sed *sententia* tantum affertur.

[8] Vers. 57. 58. et 74.

[9] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 159: Secundum hunc ordinem Ioannis videtur Petri trina negatio inchoata in atrio Annae et consummata in atrio Caiphae; secundum alios (Evangelistas), qui non faciunt mentionem de Anna, videtur tota facta in atrio Caiphae. Augustinus, in libro de Concordia Evangelistarum [III. c. 6. n. 21. seqq.; cfr. in Ioan. Evang. tr. 113. n. 6.], asserit, totam factam in atrio Annae, et quae dicta sunt inde post missum Iesum ad Caipham recapitulando dicta. Hieronymus in Matthaeum [26, 75.] et Beda in Lucam [22, 54-62.] videntur velle, quod Petrus in atrio Caiphae negaverit. Cfr. card. Hugo in Ioan. 18, 27, ubi haec Petri Comestor. verba adducit [vide tamen paulo inferius]; B. Albert. (in eundem locum) autem ait: « Sic ergo negatio Petri in domo Annae profecto erat inchoata et in domo Caiphae consummata. Et hoc dicit Hieronymus et Beda; veritas est historiae. Augustinus tamen dicit, quod tota completa fuit in domo Annae; et quod dicitur fuisse completa in domo Caiphae, ideo dicitur, quia propter cognationem domus Caiphae domus Annae reputabatur et e converso ». Cum hac expositione conveniunt codd. nostri et Gorranus, qui legunt: *Nam Beda et Hieronymus dicunt, quod inchoata fuit in domo Annae* etc. — Ob-

choata fuit in domo *Annae*, sed consummata in domo *Caiphae;* et alii Evangelistae dicunt *finem* negationis,
Opinio 2. Ioannes autem respicit *principium*. — Augustinus vero dicit, quod tota completa fuit in domo *Annae*, sicut videtur dicere Evangelista. Et quod alii dicunt, esse factam in domo *Caiphae*, hoc dicunt: quia Caiphas erat summus pontifex, quod erat Annae erat et Caiphae.

50. Quaest. IV. Item quaeritur de *tempore* negationis. — Nam hic dicit Ioannes, quod post *tertiam* negationem gallus cantavit; sed Marci decimo quarto [1] dicitur, quod post *primam* negationem cantavit.

Respondeo: Ad litteram sic fuit, sicut dicit Mar-
Resp. cus [2], quod gallus cantavit ante trinam negationem et statim post trinam; sed primum galli cantum non advertit Petrus; secundum advertit et rediit ad cor suum [3], et ideo primum cantum alii tacent, sed ultimum omnes dicunt.

51. *Adducunt ergo Iesum* etc. Hic agitur de
De 3. examinatione duo. *tertia Christi examinatione*, quae facta est sub Pilato [4]. Et in hoc ostenditur malitia Iudaeorum primo, quia nolentem Pilatum *inducunt ad iudicandum;* secundo in hoc, quod volentem Christum tanquam innocentem liberare *inducunt ad condemnandum*, ibi [5]: *Et cum hoc dixisset, iterum exivit* etc.

Prima in duas; primo enim ponitur *Christi*
De prima malitia notantur duo. *oblatio;* secundo, *oblati examinatio*, ibi [6]: *Introivit ergo iterum* etc.

In *hac oblatione* notatur primo Iudaeorum *per-* Primo, de oblatione Christi quatuor.
versitas; secundo, *falsitas;* tertio, *improbitas* [7]; quarto, quomodo ex hoc *impletur divina voluntas*.

52. (Vers. 28.). *Perversitas*, quia innocentem Expositio litteralis. Primum.
in die festo ad condemnationis locum adducunt; propterea dicit: *Adducunt ergo Iesum*, scilicet ministri, *ad Caipham pontificem in praetorium* [8], quia illuc venerat, ut Christum traderet Pilato. *Erat autem mane;* tempus auget eorum malitiam, quia matutinum; tantum sitiebant mortem Christi, quod diu non poterant exspectare. Erat etiam tempus festivum; unde subdit: *Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed* [9] *manducarent pascha*, quia non poterant contaminati; Numerorum nono: « Immundi super animam hominis non poterant facere phase ». Augustinus: « O impia caecitas! Alienigenae iudicis praetorio contaminari timebant, et fratris innocentis sanguine, non timebant ».

53. (Vers. 29.). *Exivit ergo Pilatus ad eos* Secundum.
foras et dixit. Tangitur hic *Iudaeorum falsitas*, quia Christo crimen falsum imponunt ad inquisitionem Pilati; unde dicit: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* quasi diceret: sine causa nolo eum suscipere; Actuum vigesimo quinto [10]: « Non est consuetudo Romanis condemnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad

---

servandum tamen, quod haec lectio non convenit cum explicatione Bonaventurae quae habetur in Comment in Luc. 22, 60: *Haec autem trina* [edd. *tertia*] *negatio secundum Bedam et Hieronymum facta fuit in atrio Caiphae; secundum Augustinum autem, in libro de Concordia Evangelistarum, inchoata fuit in domo Annae et consummata in atrio Caiphae, cui concordat Ioannes* [cod. H in Luc. legit ita: *inchoata fuit in domo Annae, ubi negavit semel, sicut dicitur Ioan. 18; sed consummata fuit in atrio Caiphae; unde alii loquuntur recapitulando, vel Ioannes praeoccupando*]. Card. Hug., in Marc. 14, 68, dicit, quod Augustinus « videtur velle, quod omnes tres negationes fuerint in atrio Annae. Hieronymus et Beda volunt, quod semel negavit Petrus in domo Annae, et bis in domo Caiphae; et hoc videtur secundum seriem litterae Ioan. 18. Sed intellige, Augustinum dixisse praeoccupando, alios recapitulando. — Ed. ante *inchoata fuit*, refragantibus codd., addit *facta fuit in atrio Caiphae; alii autem quod.*

[1] Vers. 68.

[2] Cap. 14, 30: *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus;* cfr. ibid. v. 67-72, ubi negatio Petri narratur. — August., III. de Consensu Evangelist. c. 2. n. 7: Cum itaque omnes [Evangelistae] dicant, praedixisse Dominum, quod eum Petrus esset negaturus, antequam gallus cantaret, non autem omnes dicant, *quoties* gallus cantaret; Marcus hoc solus narravit expressius... Tota enim Petri negatio trina negatio est... Haec autem tota, id est trina negatio, si *post primum* galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres [alii Evangelistae, Matth. 26, 34; Luc. 22, 34. et Ioan. 13, 38, qui dicunt vel *antequam gallus cantet, ter me negabis*, vel *non cantabit* etc.]... Rursus, si totam trinam negationem *ante* peregisset, quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur ex persona Domini [14, 30.]: *Amen dico tibi, quia... priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es.* Quid enim attinebat dicere *priusquam bis*, quando, si ante primum galli cantum tota illa trina negatio compleretur... Sed quia ante primum galli cantum *coepta* est illa trina negatio, attenderunt illi tres, non quando eam *completurus* esset Petrus [scilicet ante secundum galli cantum] etc.

[3] Isai. 46, 8: Redite praevaricatores ad cor. — De seqq. cfr. Matth. 26, 74; Luc. 22, 60. et Ioan. 18, 27.

[4] Cfr. supra n. 26. — Subinde pro *Et in hoc* ed. cum pluribus codd. *Et in hac.*

[5] Vers. 38.

[6] Vers. 33.

[7] Ed. *dolositas*, quod etiam infra n. 55. a codd. exhibetur.

[8] Vulgata *a Caipha in praetorium.* August., in Ioan. Evang. tr. 114. n. 1: *ad Caipham in praetorium* (ita etiam Beda, Alcuin., card. Hug., B. Albert., S. Thomas; a tribus posterioribus etiam lectio Graeca *a Caipha* affertur). Cfr. Cornel. a Lapide, in hunc locum: Ita [*a Caipha*] legendum cum Romano, Graeco, Syro et Arabico. Quare vitiosum codicem habuit S. August., qui tr. 114. legit: *Adducunt ergo Iesum ad Caipham in praetorium;* indeque coactus est dicere, aut Caipham in domum Pilati venisse, aut utrumque in eadem domo habitasse [cfr. infra n. 58.], cuius contrarium liquet ex Evangelio. — Immediate post ed. legit: *quia illuc venerant, ut Christum traderent Pilato.* Cfr. August., III. de Consensu Evangelist. c. 7. n. 27: *Adducunt ergo*, inquit, *Iesum ad Caipham in praetorium. Erat autem mane;* ubi intelligimus, aut aliquam fuisse causam, quae coegerit Caipham esse in praetorio... aut in domo eius fuisse praetorium... Sed quia iam tanquam convictum reum adducebant, Caiphae autem iam antea visum fuerat, ut Iesus moreretur; nulla mora interposita est, quin occidendus Pilato traderetur.

[9] Vulgata *sed ut.* — Subinde allegantur Num. 9, 6, et August., in Ioan. Evang. tr. 114. n. 2, ubi textus originalis, quem sequitur ed., post *caecitas* plura addit.

[10] Vers. 16.

abluenda crimina ». Et respondent Iudaei, quod causa est maleficium; unde subdit:

54. (Vers. 30.). *Responderunt et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum,* volentes illam legem servare: « Innocentem et iustum non interficies », Exodi vigesimo tertio [1]; quasi dicant: est malefactor. Non probant, sed falso imponunt. Augustinus: « Respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, utrum sit malefactor Iesus. Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam praedixerat: Retribuebant mihi mala pro bonis ». Iob trigesimo sexto: « Causa tua quasi impii iudicata est ».

Tertium. 55. (Vers. 31.). *Dixit ergo eis Pilatus.* Hic notatur tertium, scilicet *Iudaeorum dolositas,* quia culpam volebant in alterum refundere; sed Pilatus recusat iudicare eum, non videns, eos habere causam debitam; unde: *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos et secundum Legem vestram iudicate eum,* quae dicit Exodi vigesimo secundo [2]: « Maleficos non patieris vivere ». Sed Iudaei e contrario ostendunt, quod oportet, ipsum iudicare, quia causa est mortis, et eis non licebat quemquam occidere; propterea dicit: *Dixerunt ergo ei Iudaei: Nobis non licet interficere quemquam;* sed ad te spectat, et hic « reus est mortis [3] »: ideo necesse habes de hac causa cognoscere. Dolose volunt per alium occidere, sed non excusantur; unde dicitur eis Actuum septimo: « Cuius vos proditores et homicidae fuistis ».

Quartum. 56. (Vers. 32.). *Ut sermo Iesu impleretur.* Hic notatur quartum, scilicet quod *impletur Christi voluntas.* Volebat enim mori morte crucis, qua occidebant gentiles; ideo dicit: *Ut impleretur,* id est, ita factum, ut impleretur sermo; *quem dixit,* supra tertio [4]: « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis », et supra duodecimo; *significans, qua morte moriturus esset,* quia crucis; Matthaei vigesimo: « Tradetur gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum ». Et hoc elegit Dominus tanquam vilissimum.

Quaestiones.

57. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit, quod *adducunt* eum *ad Caipham in praetorium;* quia statim dicit, quod *non intraverunt in praetorium.*

Et respondet Augustinus [5], quod *praetorium* dicitur primo locus, « ubi habitabat praeses »; secundo vero dicitur locus, ubi iudicabat, in quod si intrarent, reputabant se immundos.

Resp. 58. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Erat mane;* cum supra [6] dictum sit, quod ante cantum galli *misit eum Annas ligatum ad Caipham.*

Resp. Respondeo: In hoc discordant Chrysostomus et Augustinus. Nam Augustinus [7] dicit, quod adduxerunt eum ab Anna ad Caipham in praetorium; et dicit, quod hoc potest intelligi, vel quia Pilatus curiam teneret in domo Caiphae, vel quod Caiphas ad domum Pilati ivisset. Chrysostomus [8] dicit, quod non adducunt eum modo primo ab Anna, sed in galli cantu duxerunt ad domum Caiphae et postmodum mane a domo eius ad ipsum, qui iverat ad locum praetorii.

Opinio Augustini.

Opinio Chrysostomi.

59. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ne contaminarentur, sed manducarent pascha.* — Ergo nondum comederant pascha: ergo cum Christus comederit die praecedenti, non comedit tempore debito.

Resp. Graecorum. Ad hoc respondent Graeci, quod verum est, quod Christus praevenit pascha propter mortem [9]; unde dicunt, quod comedit *fermentatum* et ex eo confecit, et ideo ipsi conficiunt; et ex hoc verbo accipiunt causam erroris.

Resp. Latinorum. Nos vero exponimus, quod *pascha* idem est, quod cibus paschalis, et haec sunt azyma, quae comedebant per septem dies [10].

---

[1] Vers. 7. — Sequitur August., in Ioan. Evang. tr. 114. n. 3, ubi post *sanati* a textu originali plura adduntur. In fine allegatur Ps. 34, 12, post quem sequitur Iob 36, 17. [2] Vers. 18.

[3] Matth. 26, 66. — Subinde allegatur Act. 7, 52.

[4] Vers. 14; 12, 32. seq.: Et si ego exaltatus fuero... Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus. — Sequitur Matth. 20, 18. seq.

[5] In Ioan. Evang. tr. 114. n. 1; ibid. n. 2: Dies enim agere coeperant azymorum; quibus diebus contaminatio illis erat in *alienigenae* [ethnici] habitaculum intrare. Cfr. supra n. 52. Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 3: Atqui quae contaminatio ingredi in praetorium, in quo *poenas* dant scelesti?

[6] Vers. 24; v. 27: Et statim gallus cantavit.

[7] In Ioan. Evang. tr. 114. n. 1; cfr. supra pag. 486, nota 8. — Inferius post *ivisset* ed. addit *et tunc erat mane.*

[8] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 2: *Et adduxerunt eum ad Annam.* Cur ad Annam? Laeti rem ostentabant, ac si tropaeum erigerent. Ibid. n. 3: *Erat autem mane.* Antequam gallus cantaret, [ab Anna] ad Caipham ducitur; mane ad Pilatum. Queis ostendit Evangelista, a media nocte semper a Caipha interrogatum, in nullo convictum fuisse; ideoquè misit illum ad Pilatum. — Subinde Gorranus omittit *primo,* et post *ab Anna* ed. prosequitur *ad Caipham, sed ante galli cantum duxerunt... a domo eius ad Pilatum, qui* etc.

[9] Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 3. in fine: « Quid sibi vult illud *ut manducarent pascha?* Atqui illud iam Christus celebraverat una die azymorum. Vel pascha vocat totam solemnitatem; vel ipsi tum pascha faciebant, Christus vero pridie fecerat, caedem suam in parasceven reservans, quo die olim pascha celebrabatur ». Card. Hug., in Ioan. 18, 28, his verbis adductis subiungit: Hic loqui videtur Chrysostomus secundum opinionem Graecorum; sed super Matthaeum dicit plane, quod Christus suo tempore fecit pascha, sed illi qui omnia audebant, suo tempore non fecerunt, sed intenti captioni Christi in crastinum facere reservaverunt. Cfr. supra pag. 426, nota 11. et 12. — Inferius vocibus *ipsi conficiunt* ed. cum Gorrano interserit *in fermentato,* suppleri etiam potest *ex eo.*

[10] Vide supra pag. 425, notam 1, et Lyranum, in hunc locum, ubi ait: Id est azymos panes, qui a Iudaeis comedebantur in paschate per septem dies. Non enim erat licitum illos comedere nisi personis mundis, et ideo per paschatis manducationem non intelligitur hic comestio agni paschalis, ut male dicunt Graeci, quia illum comederant die praecedenti. — Codd. hic addunt *post,* Gorranus legit *per sex dies post.*

60. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nobis non licet interficere quemquam.* — Dicitur enim Exodi vigesimo secundo [1]: *Maleficos non patieris vivere;* et Lex multoties concedit.

Respondet Augustinus [2]: « Intelligendum est, Resp. 1. eos hoc dixisse propter diei festi sanctitatem, quem Resp. 2. iam celebrare coeperant ». — Vel dicendum, quod hoc dicunt propter imperium Romanorum, qui eis abstulerant potestatem occidendi, a quibus etiam emebant sacerdotium [3].

61. *Introivit ergo iterum* etc. Posita traditione Secundo, de oblati examinatione quatuor. Christi, qua Iudaei ipsum tradiderunt Pilato, ponitur hic eius *examinatio facta a Pilato* [4], in qua quatuor innuuntur: primo, *inquisitio;* deinde, *inquisitionis origo;* tertio, *ad inquisitionem responsio;* quarto, *responsionis discussio.*

(Vers. 33.). Primo ergo notatur *ipsa inquisi-* Expositio literalis. Primum. *tio*; propter quod dicit: *Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus;* quia egressus fuerat ad quaerendum causam a Iudaeis et non invenerat, revertebatur ad inquirendum eam a reo; *et vocavit Iesum et dixit ei: Tu es rex Iudaeorum?* Vere ipse rex, quia ipse, de quo Ieremiae vigesimo tertio [5]: « Suscitabo David germen iustum, et regnabit rex ». Ideo de hoc maxime quaerit, quia hoc dicendo videbatur contradicere caesari, qui tunc dominabatur Iudaeis.

62. (Vers. 34.). *Respondit Iesus* etc. Tangitur Secundum. secundum, scilicet *inquisitionis origo;* et ut sciatur origo, quaerit Dominus a Pilato: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Non quaerit, quia dubitet; sed ut per eius responsionem malitiam detegat Iudaeorum [6]; et hoc quidem fit in Pilati responsione; unde:

63. (Vers. 35.). *Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudaeus sum?* quasi dicat: hoc ego non impono tibi; *gens tua et pontifices tui* [7] *tradiderunt te mihi;* quasi dicat: hoc ab eis accepi: *Quid ergo fecisti,* propter quod ita te accusant?

64. (Vers. 36.). *Respondit Iesus.* Hic ponitur Tertium. tertium, scilicet *Domini responsio,* in qua Dominus ipse confutat pravam intentionem Iudaeorum. Intendebant enim Iudaei per hoc Pilatum et caesarem contra ipsum provocare, quasi nollet in regno habere collegam; ideo Dominus hoc excludit dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Augustinus [8]: « Audite, Iudaei et gentes: *Regnum meum non est de hoc mundo;* non impedio dominationem vestram in hoc mundo. Quid vultis amplius »? — Et rationem Redditur ratio. reddit, quod regnum eius non est de hoc mundo; et est ratio sua talis: pro rege terrae ministri certant [9], ne tradatur ad mortem; pro me vero ministri mei non decertant: ergo ego non sum rex terrenus. Et ponit *maiorem* huius rationis: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis; nunc autem;* apparet, supple; haec est conclusio; quod *regnum meum non est hinc,* quia nullus me defendit. Et ideo regnum eius non est de hoc mundo — quia, sicut dicitur primae Ioannis ultimo [10], « mundus totus in maligno positus est »; ideo petimus: « Adveniat regnum tuum » — sed in caelis est; unde Matthaei quinto: « Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum » etc.

65. (Vers. 37.). *Dixit itaque ei Pilatus.* Hic po- Quartum. nitur quartum, scilicet *responsionis discussio.* Et quia Dominus dixerat, se regnum habere; arguit Pilatus ex responsione Domini, quasi admirans: *Ergo,* inquit, *rex es tu?* quasi dicat: ex quo regem te esse fateris, videtur ex verbis tuis, te velle regnare. Et Dominus quidem *respondet,* conclusionem [11] Pilati concedendo et intentioni satisfaciendo. Concedit conclusionem Pilati, cum dicit: *Tu dicis, quia rex sum ego;* quasi dicat: ego non nego quod tu dicis; sed tamen non ad regnandum temporaliter veni, ut credis; unde subdit: *Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Natus,* scilicet nativitate temporali, non ad dominandum, sed ad veritatem docendum; Isaiae quinquagesimo quinto [12]: « Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus ». Et subdit huius signum: *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam;* supra octavo: « Qui ex Deo est verba Dei audit ». Et quia Pilatus non adhuc plene intelligebat, ideo adhuc quaerit; unde sequitur:

66. (Vers. 38.). *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* Huius quaestionis non audivit solutionem, quia non exspectavit. Ad hoc solvit Dominus supra decimo quarto [13]: « Ego sum via, veritas et vita ».

---

[1] Vers. 18. Cfr. Num. 35, 19; Deut. 13, 5. et 18, 20.

[2] In Ioan. Evang. tr. 114. n. 4.

[3] Rupert. abbas Tuitiens., in hunc locum: Verumtamen iudicatum quempiam non licebat occidere, nisi Romano praeside iudicationem confirmante. Cfr. supra pag. 484, nota 2.

[4] Cfr. supra n. 51.

[5] Vers. 5. — Inferius ed. omittit *qui tunc dominabatur Iudaeis.*

[6] Chrysost., in Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 4: Cur hoc Christus interrogat? Ut pravum Iudaeorum animum detegat. August., in Ioan. Evang. tr. 115. n. 1: Sed tamen dici voluit, non ut *ipse* sciret, sed ut scriberetur, quod *nos* voluit, ut sciremus.

[7] Vulgata omittit *tui.* — August., in Ioan. Evang. tr. 115. n. 1: Abstulit a se suspicionem... id se a Iudaeis audisse demonstrans. Deinde dicendo: *Quid fecisti?* satis ostendit, illud ei pro crimine obiectum, tanquam diceret: Si regem te negas, quid fecisti, ut tradereris mihi?

[8] In Ioan. Evang. tr. 115. n. 2. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[9] Ed. cum nonnullis codd. *decertant;* paulo inferius pro *non decertant* H *non certant.*

[10] Vers. 19. — Subinde allegantur Matth. 6, 10: *Adveniat* etc., et 5, 19.

[11] Ed. cum nonnullis codd. et Gorrano *conclusioni;* post *Pilati* ed. addit *Respondit Iesus, scilicet* [ita Vulgata], et paulo inferius post *ut credis* subiungit *sed spiritualiter.*

[12] Vers. 4. — Sequitur Ioan. 8, 47.

[13] Vers. 6.

QUAESTIONES.

67. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* — Ex hoc arguunt haeretici [1], quod mundus iste non pertineat ad Deum lucis, sed tenebrarum.

CONTRA: Supra primo [2]: *In propria venit.* — *Si dicas,* quod *mundus* non dicitur natura, sed homines mundane viventes; *contra:* Matthaei decimo tertio [3] dicitur, quod *Angeli colligent de regno eius omnia scandala;* sed constat, quod scandala non sunt nisi in hoc mundo.

RESPONDEO: Dicit Chrysostomus [4] breviter, quod Resp. 1. idem est, ac si dicat, regnum suum non esse mundanum ac corporale.

Aliter potest dici, quod *regnum Christi* dicun- Resp. 2. tur illi, in quibus ipse regnat — et ei obediunt — non per *potentiam,* sed per *obedientiam.* Tales autem solum sunt Sancti, et isti non sunt de mundo; supra decimo septimo [5]: *Non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.* Tamen sunt *in mundo;* unde ibidem: *Non rogo, ut eos tollas de mundo, sed ut custodias eos a malo.*

68. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.* — Aut *ex* dicit *materiam,* et tunc *nullus* ex veritate; aut *efficiens* [6], et tunc *omnes;* sed tamen non omnes audiunt.

Respondet Augustinus [7], quod in hoc verbo Resp. « gratiam commendavit, qua *secundum propositum sunt* praedestinati et *vocati Sancti.* Nam si naturam cogitemus, in qua creati sumus; cum omnes Veritas creaverit, quis non est *ex veritate?* Sed non omnibus praestatur *ex veritate,* ut audiant veritatem; sed quibus datum est, illi audiunt », supra sexto.

69. Quaest. III. Item quaeritur de hoc, quod Pilatus non exspectavit Domini responsionem in quaestione sua.

Respondet Augustinus [8], quod « subito venit illi Resp. 1. in mentem consuetudo Iudaeorum, qua solebat unus dimitti illis in pascha »; unde quia volebat eum liberare, statim exiit.

Aliter respondet Chrysostomus [9], quod « sciebat, Resp. 2. quod quaestio illa indigebat tempore, et ipse properabat ad liberationem Christi; ideo statim exiit ».

Aliter potest dici, quod quia Pilatus iudicium Resp. 3. suum a veritate inchoavit, sed in veritate non permansit; ideo de veritate quaestionem meruit inchoare, sed non solutionem audire [10].

70. *Et cum hoc dixisset* etc. Supra ostensa est De secunda malitia Iudaeorum notantur duo. malitia Iudaeorum in hoc, quod Pilatum compulerunt Christum examinare; hic ostenditur in hoc, quod *volentem dimittere faciunt condemnare* [11]. Et dividitur haec pars in duas, in quarum prima Iudaei *resistunt iudicio veritatis,* ne liberetur; in secunda impetrant et *extorquent falsitatis iudicium,* ut condemnetur, ibi [12]: *Pilatus ergo, cum audisset hos sermones.*

Et quia triplex est modus iudicandi: secundum Primo, quod resistunt iudicio veritatis tripliciter. *benignitatem, severitatem* et *aequitatem;* hoc triplici iudicio nititur Pilatus liberare Christum, et Iudaei e contrario resistunt. Ideo sunt hic tres partes. In prima resistunt *iudicio benignitatis;* in secunda, *iudicio severitatis,* ibi [13]: *Tunc apprehendit eum Pilatus;* in tertia, *iudicio aequitatis,* ibi: *Dicit eis Pilatus* etc.

Quantum ergo ad primum innuuntur tria: *al-* Primo resistunt iudicio benignitatis, de quo tria. *legatio innocentiae* in Christo, *rememoratio clementiae* in iudice, *induratio nequitiae* in Iudaeis.

71. (Vers. 38.). *Allegatur* ergo *innocentia in* Expositio litteralis. Primum. *Christo,* propter quam debet dimitti; unde dicit Evangelista: *Et cum hoc dixisset,* scilicet quaestionem praedictam, affectans Christum liberare; *iterum exivit ad Iudaeos,* qui scilicet erant extra praetorium, ut allegaret Christi innocentiam; unde: *Et dixit* [14] *eis: Ego nullam invenio in eo causam,* scilicet mortis. Et verum dixit; unde in Psalmo: « Neque iniquitas mea neque peccatum meum, Domine ».

72. (Vers. 39.). Et quia non sufficiebat allegare Secundum. innocentiam, ideo secundo *rememoratur clementia:*

---

[1] Scilicet Manichaei; cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 1. ad opposit. 1.

[2] Vers. 11. — De seq. obiectione cfr. supra c. 17. n. 22. et 26.

[3] Vers. 41. Cfr. de hoc Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 12. n. 1: Regnum caelorum praesentis temporis Ecclesia dicitur... Neque enim in illo regno beatitudinis... inveniri scandala poterunt, quae colligantur.

[4] In Ioan. homil. 83. (alias 82.) n. 4: Quomodo, inquies, *non est?* Non quod hic non imperet, sed quod etiam in caelo imperium obtineat, sed illud non est humanum, verum longe maius ac splendidius... Hinc ansam arripientes haeretici, alienum ipsum dicunt a Creatore. Quid ergo, cum dicit [Ioan. 1, 11.]: *In propria venit?* Quid cum [Ioan. 17, 14.]: *Non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo?* Sic et regnum suum dicit non hinc esse, non mundum privans providentia sua et imperio suo, sed ostendens, ut dixi, non humanum vel fluxum esse. — Inferius pro *ac corporale* E N *ac corruptibile.*

[5] Vers. 14; ibidem v. 15. seq. locus. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 115. n. 2. — Superius post *potentiam* ed. cum Gorrano addit *coacti,* et post *obedientiam* subiungit *spontanei.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 1. ad 6, ubi pro duplici hac acceptione afferuntur ista exempla: *materialiter,* ut ex ferro cultellus; *causaliter,* ut ex patre filius. — Ed. *causam efficientem,* quae etiam cum Gorrano post *omnes* addit *sunt ex veritate.*

[7] In Ioan. Evang. tr. 115. n. 4. Allegatur Rom. 8, 28: *secundum propositum,* ubi codd. omittunt *sunt praedestinati et vocati Sancti,* sed M legit *qua Christus secundum propositum vocat et iustificat electos.* Textus originalis hinc inde plura addit ultimamque propositionem aliis exhibet verbis. — Inferius allegatur Ioan. 6, ex quo ed. exhibet v. 66: *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 115. n. 5.

[9] In Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 1.

[10] Alcuin., in hunc locum: Nec exspectavit audire, quid responderet ei Iesus, quia forte dignus non fuit audire.

[11] Cfr. supra n. 51. [12] Cap. 19, 13.

[13] Cap. 19, 1: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum;* ibid. v. 6. incipit tertia pars.

[14] Vulgata *Et dicit.* — Sequitur Ps. 58, 5.

Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in pascha. Victor [1]: « Quia in pascha a servitute liberati sunt, in pascha haec consuetudo dimittendi fuit illis ». *Vultis* [2], *dimittam vobis regem Iudaeorum?* Augustinus: « Avelli ab eius corde non potuit, Christum esse regem Iudaeorum, tanquam hoc ibi, sicut in titulo, ipsa veritas fixerit, de qua, quid esset, interrogavit ».

73. (Vers. 40.). Deinde subditur *induratio malitiae in Iudaeis*, qui non fuerunt flexi propter Christi innocentiam nec ad iudicis clementiam, sed potius rei perstiterunt: unde dicit: *Clamaverunt rursus et dixerunt* [3]: *Non hunc, sed Barabbam*, scilicet non hunc innocentem, sed quem scimus esse nocentem; unde Evangelista addit: *Erat autem Barabbas latro;* in quo mira malitia exprimitur Iudaeorum, quod latronem et eius salutem Christo Domino praetulerunt. Unde Chrysostomus [4]: « O de polluta mente! Noxium petunt dimitti, innoxium vero cruciari iubent »; Actuum tertio: « Vos iustum et sanctum negastis et petistis, virum homicidam donari vobis; auctorem vero vitae interfecistis ».

Tertium.

Capitulum XIX.

1. *Tunc* [5] *apprehendit eum* etc. Hic intendit eum Pilatus liberare *iudicio severitatis*, flagellans innocentem, ut zelum mitiget Iudaeorum; et sunt hic tres particulae. In prima describitur *Christi ignominiosa flagellatio;* secundo, *flagellati ostensio,* ibi [6]: *Exivit iterum Pilatus foras;* tertio, *Iudaeorum induratio*, ibi: *Cum ergo vidissent eum pontifices.*

Secundo resistunt iudicio severitatis, de quo tria.

(Vers. 1.). *Ignominiosa Christi flagellatio* insinuatur primo in *afflictione,* deinde in *derisione.* — *Afflictionem* tangit, cum dicit: *Tunc apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit.* Chrysostomus [7]: « Flagellavit eum Pilatus, fortassis absolvere volens et mitigare Iudaicum zelum »; unde Lucae vigesimo tertio dixit Pilatus: « Emendatum illum dimittam », id est flagellis afflictum ad magis mitigandum Iudaeorum zelum. — Afflictioni addita est *irrisio:*

Primum.

Afflictio flagellationis.

2. (Vers. 2.). *Et milites plectentes* etc. Et quia reges solent honorari signo, habitu et verbo sive salutatione et reverentiae exhibitione; ideo quadrupliciter [8] irrident: primo in *signo coronae,* quod est signum regale, unde: *Plectentes,* id est plicantes, *coronam de spinis,* id est iuncis marinis acutis et pungitivis ad modum spinarum; *imposuerunt capiti eius.* De hac corona Canticorum tertio [9]: « Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua », id est synagoga. — Deinde illudunt eum in *habitu* vel vestitu; unde dicitur: *Et veste purpurea circumdederunt eum,* quasi esset rex; in quo significatur, quod caro eius erat sanguine purpuranda; quod significatum est Genesis trigesimo septimo [10]: « Tulerunt tunicam Ioseph et in sanguine haedi, quem occiderant, tinxerunt »; et Isaiae sexagesimo tertio: « Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari »? — Deinde illusio in *salutatione;* unde dicit:

Irrisio quadruplex.

In corona.

In habitu.

In verbo.

3. (Vers. 3.). *Et veniebant ad eum et dicebant: Ave, rex Iudaeorum,* et hoc quidem in opprobrium; Threnorum tertio [11]: « Saturabitur opprobriis ». — Non solum in verbo, sed in *reverentia,* quia loco reverentiae dabant alapas; unde dicit: *Et dabant ei alapas;* Threnorum tertio: « Dabit percutienti se maxillam »; et Isaiae quinquagesimo: « Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus ».

In alapis.

4. (Vers. 4.). *Exivit* [12] *iterum Pilatus foras.* Hic ponitur *Christi flagellati et illusi ostensio,* ut moveantur ad pietatem. Et primum quidem replicatur innocentia; unde: *Dicit: Ecce, adduco vobis eum foras.* Rationem subdit: *Ut cognoscatis, quia nul-*

Secundum.

---

[1] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Eadem verba exhibet Glossa *ordinaria* in hunc locum. Similia affert S. Thomas in Catena aurea in Ioan. c. 18. n. 11, sub nomine Bedae. Cfr. Alcuin., in hunc locum.

[2] Vulgata *Vultis ergo.* — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 115. n. 5.

[3] Vulgata *Clamaverunt ergo rursum omnes dicentes.* — Superius post *in Iudaeis* codd. legunt: *qui non* [D addit *fuerunt*] *flexi propter innocentiam, nec ad innocentis* [H *iudicis*] *clementiam, sed potius rei; unde dicit.* Pro *potius rei* Gorranus *in malitia sua, quo longius, eo acrius perstiterunt.*

[4] In Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 1: O exsecrandam mentem! Moribus sibi similes et noxios dimittunt, innoxium vero plecti iubent; hic enim iam olim mos illorum erat. — Sequitur Act. 3, 14. et 15.

[5] Vulgata *Tunc ergo.* — Cfr. supra c. 18. n. 70, ubi de divisionis membris.

[6] Vers. 4: *Exivit ergo iterum* etc.; v. 6. incipit tertia pars.

[7] In Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 1: *Flagellavit eum Pilatus,* forte ut, sedato Iudaeorum furore, illum erueret. — Subinde allegatur Luc. 23, 16, in quem locum Beda ait: Flagris illum et ludibriis, quantum ipsi iubetis, dummodo innoxium sanguinem non sitiatis, afficiam.

[8] Ed. cum Gorrano *tripliciter.*

[9] Vers. 11. — Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelio, c. 168: Qui attentius considerasse se dicunt spinas illas asserunt iuncos fuisse marinos, quorum acies non minus spina pungit, quia dura est et penetrativa. Unde et poeta [Ovid., IV. Metamorph. v. 299.]:

. . . Et acuta cuspide iunci.

[10] Vers. 31. — Sequitur Isai. 63, 2.

[11] Vers. 30; ibid. est seq. locus: *Dabit* etc., post quem allegatur Isai. 50, 6.

[12] Vulgata *Exivit ergo,* quae etiam inferius pro *Dicit* habet *et dicit eis.*

lam causam invenio in eo, scilicet « mortis [1] » vel afflictionis; et tamen afflixi eum.

5. (Vers. 5.). *Exiit* [2] *ergo Iesus.* Augustinus: « Non clarus imperio, sed plenus opprobrio »; unde sequitur: *Portans spineam coronam et purpureum vestimentum*, in quibus illuserant ei, secundum illud Matthaei vigesimo [3]: « Tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum ». *Et dicit eis: Ecce, homo; ecce*, ostensio flagellati et vituperati in hoc, quod se regem fecerat. Augustinus: « Spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis caesus est; fervet ignominia, frigescat invidia ».

Tertium.

6. (Vers. 6.). *Cum ergo vidissent eum.* Hic ad Christi ostensionem sequitur tertio *induratio pertinaciae Iudaeorum*, maxime pontificum; unde dicit: *Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Isaiae quinto [4]: « Exspectavi, ut faceret iudicium; et ecce, clamor ». Bis dicunt *crucifige* ad ostendendam mentis pertinaciam; Ieremiae duodecimo: « Facta est hereditas mea quasi leo in silva; dedit contra me vocem »; et Psalmus: « Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens », propter clamorem.

Tertio resistunt iudicio aequitatis dupliciter.

7. *Dicit eis Pilatus.* Supra nisus est Pilatus liberare Christum iudicio benignitatis et severitatis; hic nititur *iudicio aequitatis* [5], recurrens ad innocentiam, quod aequum est dimittere innocentem et nunquam sine causa occidere. Et huic Iudaei dupliciter resistunt: primo *accusando* et postea *committendo*.

Innountur quatuor.

Unde in hac parte innuuntur plura: primo, *Christi iustificatio;* secundo, *ipsius accusatio*, ibi [6]: *Responderunt Iudaei;* tertio, *accusationis inquisitio;* ibi: *Cum ergo audisset Pilatus hos sermones;* quarto vero subiungitur *Iudaeorum comminatio*, ibi: *Iudaei autem clamabant.*

Primo, Christi iustificatio.

Primo ergo ponitur *Christi iustificatio*, propter quam Pilatus non vult eum damnare, sed offert Iudaeis; unde dicit: *Dicit eis Pilatus*, qui quaerebant, Christum crucifigi: *Accipite eum vos et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam;* et ideo sine causa nolo crucifigere. Vere non inveniebat causam, quia, primae Petri secundo [7], « peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius ».

Secundo, Iudaeorum accusatio.

8. (Vers. 7.). *Responderunt ei Iudaei.* Hic ponitur *accusatio Iudaeorum;* unde dixerunt: *Nos Legem habemus*, quam scilicet observamus de voluntate Romanorum principum. Legem allegant pro se, cum sit contra se; supra septimo [8]: « Nonne Moyses dedit vobis Legem, et nemo ex vobis facit Legem »? *Et secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit,* et ita blasphemavit; Levitici vigesimo quarto: « Qui blasphemaverit morte moriatur »; unde supra decimo: « De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum ».

Tertio, Pilati inquisitio.

9. (Vers. 8.). *Cum ergo audisset.* Hic ponitur tertio *inquisitio* [9]. Quaerit igitur, motus ex accusatione Iudaeorum; unde dicit: *Pilatus, cum audisset hunc sermonem, magis timuit*, ne, si dimitteret, contra Legem faceret; et si non dimitteret, Filium Dei crucifigeret. Non debet bonus iudex timere; unde Ecclesiastici septimo [10]: « Noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates ». Ideo subdit:

10. (Vers. 9.). *Iterum ingressus in praetorium, dicit ad Iesum* [11]*: Unde es tu?* Quaerit de origine, quia ipsum de hoc accusabant; magnam et supra vires quaerit quaestionem; unde Isaiae quinquagesimo tertio: « Generationem eius quis enarrabit »? Et ideo non audit responsionem; Ecclesiastici tertio: « Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris ». Unde dicit: *Iesus autem responsum non dedit ei*, ut verificaretur illud Isaiae quinquagesimo tertio [12]: « Quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum ». Augustinus: « Ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur »; Threnorum tertio: « De ore Altissimi non egredientur nec bona nec mala ». Sic ergo tacentem inducit ad respondendum; propterea:

11. (Vers. 10.). *Dicit* [13] *ei Pilatus: Mihi non loqueris?* quasi dicat: erras, quod quaestionem

---

[1] Ut dicit Glossa *interlinearis*.

[2] Vulgata *Exivit*. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 116. n. 2.

[3] Vers. 19. — Verba August. inveniuntur in Ioan. Evang. tr. 116. n. 2, ex quo ed. in fine addit *Sed non frigescit, inardescit potius et increscit.*

[4] Vers. 7, in quem locum Hieron. ait: Exspectavit autem Deus, ut populus Iudaeorum *faceret iudicium*, id est uvas, et fecit *iniquitatem*, id est labruscas; et exspectavit *iustitiam*, ut largitorem tantorum munerum a Patre missum susciperet, et fecit *clamorem*, quo vociferatus est contra Dominum et clamavit: *Tolle, tolle, crucifige talem* etc. — Subinde allegantur Ier. 12, 8. et Ps. 21, 14, ubi August. in Enarrat. 1. ait: « Sicut leo, cuius *rapina* est, quod apprehensus adductus sum; et *rugitus:* Crucifige, crucifige ». In Enarrat. 2: Audiamus *rugitum* ipsorum in Evangelio: *Crucifige, crucifige.*

[5] Cfr. supra c. 18. n. 70.

[6] Vers. 7: *Responderunt ei Iudaei;* v. 8. incipit tertia pars: *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem;* et v. 12. quarta pars.

[7] Vers. 22. — Glossa *interlinearis: Ego enim non invenio in eo causam*, quare mori debeat.

[8] Vers. 19. — Subinde allegantur Lev. 24, 16. et Ioan. 10, 33.

[9] Ed. cum Gorrano *Pilati inquisitio.* — Subinde Vulgata legit *Cum ergo audisset Pilatus hunc* etc.

[10] Vers. 6, quem ed. integrum allegat.

[11] Vulgata: *Et ingressus est praetorium iterum et dixit ad Iesum.* Duo seq. loci sunt Isai. 53, 8. et Eccli. 3, 22. — Post *accusabant* ed. cum Gorrano addit *sed.*

[12] Vers. 7. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 116. n. 4, post quam allegatur Thren. 3, 38.

[13] Vulgata *Dicit ergo.* — B. Albert., in hunc locum: *Mihi non loqueris*, ac si dicat: Loquendo mihi deberes captare benevolentiam meam, ut amica de te sentiendo dimitterem, praecipue cum videas, me instare modis omnibus, quibus possum,

meam contemnis, cum deberes potius meam captare benevolentiam tanquam in manibus meis positus; et hoc infert: *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* et ideo et timendus et obsecrandus. Unde de hoc mirabatur, quod Christus in tanta necessitate non captabat eius gratiam; Matthaei vigesimo septimo [1]: « Et non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur praeses ». Et quia Pilatus se iactavit, Christus prudenter respondit quod eius superbiam humiliavit, docens « non altum sapere ».

12. (Vers. 11.). *Respondit Iesus: Non haberes in me potestatem* [2], *nisi datum tibi esset desuper;* Augustinus: *Desuper,* id est a Deo, secundum illud ad Romanos decimo tertio: « Non est potestas nisi a Deo ». — Sed secundum istam expositionem nullam videtur habere consequentiam quod sequitur: *Propterea qui tradidit me* etc.; ideo exponit Victor [3]: *Desuper,* id est a Caesare; et quia timore exerces, *qui tradidit me tibi maius peccatum habet;* quia magis peccat qui ex malitia, quam qui ex infirmitate vel impotentia. Et quia prudenter responderat, Pilatus eum liberare intendebat; unde dicit:

Alia expositio.

13. (Vers. 12.). *Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum.* Intelligens, potestatem suam sub alterius potestate constitutam, nolebat damnare innocentem; ideo volebat dimittere eum.

Iudaei autem clamabant. Hic ponitur quartum, scilicet *comminatio Iudaeorum;* et quia non poterant Christum damnare per accusationem, convertunt se ad clamosam comminationem; unde imponunt Pilato, si eum dimittat, infidelitatem contra Caesarem; ideo dicit: *Iudaei autem clamabant,* contra Pilatum scilicet, eo quod vellet Christum dimittere, *dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris,* immo proditor; quia dimittis inimicum Caesaris. Et hoc probant: *Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari;* quia tunc Caesar erat monarcha, unde ipsius erat dare potestatem regnandi; qui ergo se ipsum regem constituebat, contradicebat Caesari. Et haec comminatio Pilatum retraxit a veritate iudicii in liberando, quia timuit accusari apud Caesarem; Proverbiorum vigesimo nono [4]: « Qui timet hominem cito corruet ». Propter hoc dicebat Dominus discipulis Matthaei decimo: « Nolite timere eos qui occidunt corpus ».

Quarto, Iudaeorum comminatio.

14. *Pilatus ergo* [5], *cum audisset.* Ostensa est perversitas Iudaeorum in malignitate resistendo iudicio veritatis; hic ostenditur eorum perversitas *in extorquendo iudicium falsitatis* de condemnatione Christi. Describitur hic iudicium condemnationis Christi, quod quidem describitur hoc ordine. Primo notatur *loci et temporis circumstantia;* secundo, *condemnationis causa;* tertio vero, *ipsa sententia.*

Secundo notatur de malitia Iudaeorum, quod extorquent falsum iudicium, de quo tria.

(Vers. 13.). *Locus* notatur, cum dicit: *Pilatus ergo, cum audisset hos sermones.* In quo notatur, quod ipse iam ceciderat a iusta voluntate timore Caesaris, quasi dicat: timore perterritus; *adduxit Iesum foras,* id est ad locum publicum; ideo *foras,* ut in conspectu omnium condemnaretur. *Et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostratos* [6]. Hic describitur locus specialiter; *pro tribunali,* id est in iudiciali. *Tribunal* enim est iudicum, *solium* regum, sed *cathedra* doctorum. *Lithos,* sicut dicit Victor [7],

Primo, locus et tempus.

Locus.

---

ad tuam dimissionem. Sed de hoc redditur ratio Luc. 22, ubi [v. 67. seq.] sic dicitur: *Et ait Iesus: Si vobis dixero, non credetis mihi; si autem interrogavero, non respondebitis mihi neque dimittetis.*

[1] Vers. 14. — Inferius allegatur Rom. 11, 20: Noli altum sapere, sed time.

[2] Vulgata: *Non haberes potestatem adversum me ullam.* — De expositione huius loci, quam dedit August., vide in Ioan. Evang. tr. 116. n. 5; cfr. etiam supra pag. 82, nota 2, in qua alii loci August. allati sunt. Expositio haec fundatur in Rom. 13, 1. Propter ea quae sequuntur (scil. expositio Victoris), afferimus verba August., in Ioan. Evang. tr. 116. n. 5: Discamus ergo quod dixit, quod et per Apostolum docuit: quia *non est potestas nisi a Deo;* et quia plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si eum timore alterius maioris potestatis occidit. Talem quippe Pilato Deus dederat potestatem, *ut etiam esset sub Caesaris potestate.* Quapropter *non haberes,* inquit, *adversum me potestatem ullam,* id est, quantulamcumque habes, *nisi* hoc ipsum quidquid est, *tibi esset datum desuper.* Sed quoniam scio, quantum sit, non enim tantum est, ut tibi omni modo liberum sit; *propterea qui tradidit me tibi maius peccatum habet.* Ille quippe me tuae potestati tradidit invidendo, tu vero eandem potestatem in me exerciturus es metuendo... Et ideo non ait verax Magister: *Qui me tradidit tibi,* ipse habet peccatum, tanquam ille non haberet; sed ait: *maius habet peccatum,* ut etiam se habere intelligeret. Neque enim propterea illud nullum est, quia hoc maius est. Cfr. infra n. 23. et 24.

[3] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Vide B. Albert. (in hunc locum), qui utramque expositionem affert et adiungit, quod prima (ex Glossa *ordinaria,* cuius verba extensius secundum August. proposuimus), et secunda explicatio « in idem revertitur ».

[4] Vers. 25. — Sequitur Matth. 10, 28. — August., in Ioan. Evang. tr. 116. n. 7: Nunc vero non sic potuit contemnere Caesarem, auctorem potestatis suae, quemadmodum Legem gentis alienae [cfr. supra v. 7. seqq.].

[5] Vulgata *Pilatus autem.* Cfr. supra c. 18. n. 70.

[6] Vulgata *Lithostrotos* [Λιθόστρωτος, quod derivatur a λίθος, i. e. lapis, et στρώννυμι, i. e. sterno, ideoque *lithostrotos* idem est ac lapidibus stratus]. Isidor., XIX. Etymolog. c. 14: *Lithostrota* sunt elaborata arte picturae parvulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores. *Tesselli* autem a tesseris nominati, id est quadratis lapillis, per diminutionem. Cfr. Plin., XXXVI. Nat. Histor. c. 60. et 64. (alias 25.). Vide S. Thom., Catena aurea in Ioan. 19. n. 4: Beda: *Lithostratos* autem dicitur pavimentum quasi lapide stratum; et erat locus sublimis. Ibid. adducitur etiam quaedam *Glossa:* Sicut enim tribunal est iudicum, sic thronus vel solium regum et cathedra doctorum.

[7] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Glossa *interlinearis: Et sedit pro tribunali,* pro iudice vel in sede [iudiciaria], *in loco, qui dicitur Lithostratos,* id est iudicium vel iudiciale, *Hebraice autem Gabbatha,* id est collis vel sublimitas [cfr. Origenianum Lexicon nominum Hebraicorum etc., quod habetur in appendice tom. 3. operum Hieron., ubi secundum *interpretationem Latinam* Gabbatha idem est ac lapidibus stratus, *secundum*

interpretatur *iudicium; stratos* a *sterno* valet pavimentum vario stratum lapide, in cuiusmodi loco erat consistorium, ubi iudicabatur. Et hic locus *Hebraice autem Gabbatha*, id est sublimitas, quia solent iudices in sublimi loco sedere. — Vel *Gabbatha* interpretatur *picturatio* vel politio et significat idem quod *Lithostratos*, id est locus iudicialis, pictus vel politus [1].

15. (Vers. 14.). *Erat autem parasceve.* Ecce, Tempus. subiungitur *tempus*, quia erat feria sexta, quae dicitur *parasceve paschae*, id est praeparatio paschae, quia fiebat praeparatio in die Veneris pro die Sabbati, sicut dicitur Exodi decimo sexto [2], quod illo die colligebant pro duobus diebus. *Hora quasi sexta.* Hic tempus tangitur speciale, et dicit *quasi*, quia difficile est temporis horam determinare [3].

Et dicit Iudaeis. Hic notatur *causa* condemna- Secundo, causa duplex. tionis Christi, et haec non fuit eius culpa, sed *duritia perversitatis* in Iudaeis et *negatio veritatis*: Perversitas. *duritia perversitatis* in hoc, quod petunt, eum damnari morte crudelissima; unde dicit: *Ecce, rex vester*, quasi dicat Pilatus: non habetis aliquid aliud obiicere contra ipsum.

16. (Vers. 15.). *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Geminatio significat intensionem affectus ad mortem Christi; Ieremiae vigesimo sexto [4]: « Locuti sunt sacerdotes et prophetae ad principes et ad omnem populum dicentes: Iudicium mortis est viro huic ». Et quia non sufficiebat *duritia per-* Negatio veritatis. *versitatis*, nisi adderetur *negatio veritatis;* ideo sequitur inquisitio Pilati: *Regem* [5] *vestrum crucifigam?* quasi in hoc verbo notans eis voluntatem perversam in hoc, quod suam ignominiam appetebant. Sed vituperium regis redundat in populum, et propterea, ut vituperium videantur fugere, *negant verum;* unde: *Responderunt pontifices dicentes* [6]*: Non habemus regem nisi Caesarem;* et ita hic non est rex noster, nec ignominia eius est nostra. Et ex hac causa condemnavit eum Pilatus; unde dicit:

17. (Vers. 16.). *Tunc* [7] *tradidit eis illum, ut* Tertio, sententia. *crucifigeretur.* Hic tangitur tertium, scilicet *ipsa sententia*, qua condemnatus est poena crucis; et bene dicit: *Tradidit eis*, quia ad eorum petitionem fecit; Actuum tertio [8]: « Deus glorificavit Filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti »; et Lucae vigesimo tertio: « Pilatus adiudicavit fieri petitionem ipsorum », scilicet Iudaeorum. Fecit Pilatus contra Legem; Exodi vigesimo tertio: « Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio acquiesces sententiae plurimorum, ut a vero devies ».

Quaestiones.

18. Quaest. I. Sed quaeritur hic de illa consuetudine, quam habebant de dimissione vincti [9], utrum esset laudabilis. — Et videtur, quod sic, quia Dominus misericordiam acceptat magis quam iudicium, sicut patet de muliere adultera, supra octavo [10].

Sed tunc *obiicitur:* quia ex Lege praeceptum Contra. erat, ut malefici occiderentur [11]: ergo absolvere nocentes erat contra Legem et consuetudo mala.

Dicendum, quod consuetudo bona erat, dum Resp. tamen liberaretur qui magis congruebat; quia, etsi tunc esset tempus iustitiae, tamen debebant esse memores misericordiae in eis *factae* et *futurae* in paschate; et ideo quasi in signum hoc erat eis licitum [12].

Quod obiicit de Lege, dicendum, quod excel- Solutio obiectionis lentia solemnitatis praeponderabat acerbitati Legis [13].

Hieron. idem est ac collis sive sublimis]. B. Albert., in hunc locum: *Qui*, Graece, *dicitur lichostratos* (!), a lichos (!), quod est iudicium; stratos autem erat pavimentum varietate politorum marmorum, picturatum et variatum et stratum, in quo tota curia posset assistere. *Hebraice autem*, idem locus sic ad sedendum dicitur *Gabbatha*, quod Latine sonat collis sive sublimitas, eo quod sedes praesidis exaltabatur in sublime in quibusdam altis basibus subvecta, ac si staret in colle.

[1] B. Albert., in hunc locum: Dicit tamen Victor, quod Gabbatha interpretatur picturatio vel politio; et sic signat idem quod lichostratos. Et in talibus sedibus altis delectatur sedere ambitio.

[2] Vers. 5: Die autem sexto parent quod inferant, et sit duplum, quam colligere solebant per singulos dies. — Beda, IV. in Marc. 15, 42: Παρασκευὴ vero Graece Latine *praeparatio* dicitur. Quo nomine Iudaei, qui inter Graecos morabantur, sextam Sabbati appellabant, eo quod in illo ea quae requiei Sabbati necessaria essent, praeparare solerent, iuxta hoc quod de manna quondam praeceptum est: *Sexta autem die colligetis duplum* etc. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, hoc est requiem, voluit appellari; recte Salvator, eadem sexta die crucifixus, humanae restaurationis implevit arcanum.

[3] Cfr. infra n. 25. — Inferius ed. omittit *in Iudaeis et negatio veritatis: duritia perversitatis.*

[4] Vers. 11. — Cfr. infra n. 26.

[5] Vulgata, quam ed. cum Gorrano sequitur: *Dicit eis Pilatus: Regem.* — August., in Ioan. Evang. tr. 116. n. 8. seq.: Adhuc terrorem, quem de Caesare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere dicendo: *Regem vestrum crucifigam?* quos de ignominia Christi mitigare non potuit. Sed timore mox vincitur. *Responderunt* enim *pontifices: Non habemus regem* etc. — Inferius pro *Sed vituperium* ed. cum Gorrano *quia vituperium.*

[6] Vulgata omittit *dicentes.*

[7] Vulgata *Tunc ergo.*

[8] Vers. 13. — Subinde allegantur Luc. 23, 24. et Exod. 23, 2. — Inferius pro *Fecit Pilatus* ed. cum nonnullis codd. et Gorrano *Et sic fecit Pilatus.*

[9] Supra c. 18, 39.

[10] Ubi ipsam v. 11. absolvit: Nec ego te condemnabo etc.

[11] Exod. 22, 18: Maleficos non patieris vivere.

[12] Cfr. supra c. 18, 39.

[13] Etiam Iustinian., Cod. lib. I. tit. 7. de Episcop. audientia, leg. *Nemo deinceps* (3.) statuit: Ubi primus dies paschalis exstiterit, nullum teneat carceri inclusum, omnium vincula dissolvantur etc.

19. Quaest. II. Item quaeritur; utrum peccaverint petendo Barabbam [1]. — Quod *sic*, videtur: Actuum tertio improperatur eis: *Petistis virum homicidam dari vobis; auctorem vero vitae interemistis* ».

Sed quod *non peccaverint*, videtur: quia licebat eis petere quem volebant sine distinctione [2].

Respondeo, quod non peccaverunt in hoc, quod Resp. liberaverunt eum qui dignus erat morte; sed in hoc, quod eum innocenti praetulerunt; unde fuit ibi personae acceptatio. Unde Augustinus [3]: « Non reprehendimus, o Iudaei, quod per pascha liberatis nocentem, sed quod occiditis innocentem ».

20. Quaest. III. Item quaeritur de hoc, quod milites ita irriserunt Christum, cum tamen non dicantur habuisse mandatum a Pilato. Unde hoc fuit?

Respondet Chrysostomus [4], quod hoc pecunia Resp. faciebant, quia corrupti erant a principibus sacerdotum.

21. Quaest. IV. Item de hoc quaeritur, quod hic Ioannes dicit Christum a militibus illusum *ante* sententiam condemnationis, cum Matthaei vigesimo septimo [5] dicatur, quod milites *post* condemnationem illuserunt Domino: *Tradidit illis Iesum, ut crucifigeretur;* et tunc dicitur, quod milites illuserunt ei.

Potest dici, quod bis factum est: et ante con- Resp. duplex. demnationem et post [6]. — Vel Matthaeus hoc dicit per recapitulationem, quia ante factum fuerat.

22. Quaest. V. Item quaeritur: quare Dominus non respondit Pilato quaerenti: *Unde es tu?* — Videtur hoc fuisse arrogantiae.

Respondeo, quod ideo ad quaestionem illam non Resp. respondit, quia eam capere non poterat; unde Dominus discipulis suis dicebat supra decimo sexto [7]: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Sic et nunc.

23. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper.* — Ergo videtur, quod in hoc non peccaverit, quod Christum crucifixit, quia hoc sibi a Deo donatum.

Dicendum, quod in potestate duo considerantur, Resp. cum distinctione. scilicet ipsa *praesidentia* et *exsecutio*. *Prima* est a Deo, sicut dicit Apostolus [8], sed *exsecutio* non semper a Deo. Unde Dominus voluit dicere Pilato, quod potestatem a se non habebat; ideo de ipsa non debebat gloriari. *Exsecutio* vero a Deo fuit *permissive*, sicut dicit Chrysostomus [9].

24. Quaest. VII. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui tradidit me tibi maius peccatum habet.* — Videtur falsum, quia Iudaei peccaverunt ex ignorantia; credebant enim, eum esse blasphemum et dignum morte; sed Pilatus scienter occidit innocentem [10].

Respondeo: Utrique peccaverunt, sed Iudaei ma- Resp. gis, quia ex malitia, sed Pilatus ex infirmitate timoreque Caesaris [11].

Et quod obiicit, quod *ignoranter;* dicendum, Ad obiect. quod ignorabant, ipsum esse Deum, sed non, innocentem; vel si utrumque ignorabant, ex malitia erat; unde Sapientiae secundo [12]: *Excaecavit eos malitia eorum.*

25. Quaest. VIII. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod Christus condemnatus fuit *hora quasi sexta;* quia Marci decimo quinto [13] dicitur: *Erat autem hora diei quasi tertia, et crucifixerunt eum.* — Item, Matthaei vigesimo septimo dicitur, quod *tenebrae factae sunt ab hora sexta usque in horam nonam:* ergo ante horam sextam fuit iudicatus.

Respondet Augustinus [14]: « Hora tertia crucifixus Resp. 1. est Dominus linguis Iudaeorum, hora sexta manibus militum; ut intelligamus, horam quintam fuisse transactam, et aliquid de sexta coeptum, quando Pilatus sedit pro tribunali; et cum duceretur, et gererentur quae gesta narrantur; hora sexta completa est, ex qua hora usque in nonam sol obscuratus est ».

---

[1] Vide supra c. 18, 40. — Sequitur Act. 3, 14. seq.

[2] Cfr. Matth. 27, 15. et Marc. 15, 6.

[3] In Ioan. Evang. tr. 115. n. 5. Cfr. supra c. 18, 40.

[4] In Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 1: Et quomodo milites haec faciebant, non mandante praetore? In Iudaeorum gratiam; siquidem initio non ab illo iussi noctu profecti sunt, sed in gratiam Iudaeorum et pecuniae causa omnia audebant etc.

[5] Vers. 26. seqq. — Codd., supponentes illusionem Christi a Ioan. (19, 2. et 3.) narratam, breviter legunt: *Item de hoc quaeritur: quod* [aliqui codd. *quia* vel *quare*] *Matth. 27. dicitur, quod milites* etc. Claritatis causa retinuimus lectionem ed. et Gorrani.

[6] Cfr. Matth. 26, 67. seq. et 27, 26. seqq. — August., III. de Consensu Evangelist. c. 9. n. 36: Unde apparet, Matthaeum et Marcum recapitulando istud commemorasse, non quod tunc factum sit, cum eum Pilatus iam crucifigendum tradidisset; Ioannes enim apud Pilatum dicit haec gesta satis evidenter, unde isti quod praeterierant recoluerunt.

[7] Vers. 12. — Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 2, ubi duas rationes affert: Christus non respondet, ut scil. impleretur illa prophetia Isai. 53, 7. seq.: *Non aperiet os suum* etc.; et quia Pilatus, ut non responderet, meruit; audierat enim supra 18, 37: *Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum*, et (v. 36.): *Regnum meum non est hinc*, cum debuisset obsistere ipsumque eruere, id non fecerat, sed Iudaicum impetum secutus fuerat etc. — Ed. cum Gorrano omittit *Sic et nunc.*

[8] Rom. 13, 1: Non est enim potestas nisi a Deo Cfr. supra n. 12.

[9] In Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 2. ad obiectionem: « Atqui, si *datum* erat, neque hic neque illi obnoxii erant », respondet: « Frustra sic loqueris; hic enim *datum* pro concessum dicitur, ac si diceret: Haec fieri permisit; nec ideo tamen culpa liberi vos estis ». Cfr. II. Sent. d. 44. a. 2. q. 1.

[10] Cfr. supra 18, 38. et 19, 6. seqq.

[11] Cfr. supra pag. 493, nota 5. verba Augustini.

[12] Vers. 21. Cfr. Comment. in hunc locum. Vide etiam supra c. 8. n. 28; c. 11. n. 75. seq. et c. 16. n. 5.

[13] Vers. 25. — Subinde allegatur Matth. 27, 45.

[14] In Ioan. Evang. tr. 117. n. 1. Textus originalis, quem ed. sequitur, post *tribunali* hinc inde plura addit. Cfr. etiam III. de Consensu Evangelist. c. 13. n. 40. seqq.

Aliter respondet Victor[1], quod Dominus hora
Resp. 2. media inter tertiam et sextam crucifixus est; et quia extrema sunt nominata, et medium saepe sortitur nomen extremorum; ideo dicit Marcus hora *tertia*, sed Ioannes *sexta*, non simpliciter, sed cum determinatione: *quasi sexta*[2].

26. Quaest. IX. Item quaeritur de hoc, quod Iudaei petierunt, Dominum crucifigi; quare magis illo genere mortis quam alio voluerunt Dominum occidi?

Respondet Chrysostomus[3], quod « exprobratis-
Resp. sima haec erat mors. Formidantes igitur, ne aliqua eius post ipsum fiat memoria, student ad supplicium ducere maledictum, nescientes, quoniam per prohi-
Ex parte Dei 3 rationes. bitiones elevatur veritas ». — Ex parte Dei ratio fuit et *mysterium*, quia in ligno peccavimus, et *exemplum*, ne quis turpem formidaret mortem, et *iudicium*, quia[4] *placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.*

Tertio, de Christi passione notantur duo.

27. *Susceperunt autem Iesum.* Actum est supra[5] de Christi comprehensione et condemnatione; hic agi-
Divisio. tur de ipsius *passione;* et dividitur haec pars in duas, quia primo agit de *passione;* secundo, de *passionis consummatione*, ibi[6]: *Postea sciens Iesus* etc.

In prima parte describitur eius passio quantum
De 4. parte quatuor. ad quatuor, quae ibi insinuantur. Primo enim describitur *passionis vilitas;* secundo, *patientis dignitas*, ibi[7]: *Scripsit autem et titulum;* tertio, *crucifigentium crudelitas* sive cupiditas, ibi: *Milites ergo, cum crucifixissent;* quarto, *compatientium paucitas*, ibi: *Stabant autem iuxta crucem.*

Passionis igitur *vilitas* describitur in *incessu*, Primo, de passionis vilitate quatuor. in *loco*, in *genere passionis* et in *societate patientium.*

28. (Vers. 16.). Primo ergo *vilitas passionis in* Primum. *incessu* notatur in hoc, quod tanquam latro ducitur, et ipse baiulat sibi supplicium; propterea dicit: *Susceperunt autem Iesum;* Psalmus[8]: « Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam », scilicet milites Iesum; *duxerunt*, tanquam maleficum, scilicet extra castra; propter quod ad Hebraeos ultimo: « Exeamus ad eum extra castra, improperium » crucis « eius portantes ».

29. (Vers. 17.). *Et baiulans sibi crucem*, in qua scilicet tanquam latro puniretur. Tunc impletum est quod dictum erat Isaiae vigesimo secundo[9]: « Dabo clavem David super humerum eius »; et Isaiae nono: « Factus est principatus super humerum eius », quia ibi triumphavit. De hoc Augustinus: « Grande spectaculum! Sed si spectat impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium ».

Exivit in eum qui dicitur Calvariae locus[10]. Secundum. Hic innuitur vilitas a *loco;* quia in eo loco passus est, ubi puniebantur latrones et malefici. *Calvaria* enim dicitur ille locus, quia ibi decalvabantur capita

---

[1] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Hanc expositionem attribuit card. Hugo, in hunc locum, Augustino, tanquam tertiam, quam dedit super hanc dubitationem: Tertio solvit, quod in meditullio tertiae et sextae Dominus fuit crucifixus; sed tamen magis iuxta tertiam; et ideo dicit Marcus, quod *hora tertia;* Ioannes autem dicit, *quasi sexta*, non dicit simpliciter sexta; ideo in Ecclesia inter tertiam et sextam celebratur Missa. — De *medio* cfr. supra pag. 248, nota 2.

[2] Adiungimus quae dicit Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia c. 166. hac de re. Praemissa prima explicatione Augustini superius a Bonav. allegata, ait: Vel Ioannes vocat horam sextam *praeparationem* [cfr. supra pag. 493, nota 2.] dominicae mortis. Postquam enim in nocte iudicaverunt eum reum mortis, fluxerunt usque ad crucifixionem tres horae noctis et tres horae diei [ita August., locis paulo superius citt.]. Reor in *medio* illarum horarum Dominum crucifixum, ideo modo hanc, modo illam horam positam. Nam Ecclesia inter tertiam et sextam horam celebrat Missam, et cum mane celebratur, debet ante cantari Tertia. — Praeter has explicationes exortae sunt etiam duae opiniones, quae, eodem fundamento innixae, contendunt, emendandam esse vel lectionem Ioannis [*quasi hora sexta*], vel lectionem Marci [*hora tertia*]; quia, cum Graeci ad indicandos numeros utantur litteris alphabeti, transcriptores Evangelii litteram γ (quae indicat 3.) cum littera ζ (quae indicat 6.) propter similitudinem earum commutaverunt. Ita Theophylact., in Ioan. 19, 12-14, refert, quod hoc modo [lectionem Ioannis emendandam esse ex Marco] « solvunt quidam, quod scripturae error sit ». Econtra in Breviario in Ps. 77, 2. (inter opera Hieron.) dicitur: Hoc videtur esse diversum, sed non est diversum. Error scriptorum fuit. Et in *Marco* hora *sexta* scriptum fuit, sed multi episemum Graecum ζ putaverunt esse γ.

[3] In Ioan. homil. 84. (alias 83.) n. 2. Pro *exprobratissima* (ἐπονειδιστος; secundum Forcellini apud Plinium occurrit *exprobratus*), quod etiam exhibet S. Thom., Catena aurea in Ioan. 19. n. 4, plures codd. cum card. Hug. et Gorrano *exprobrabilissima*, ed. *opprobriosissima*, quae etiam inferius pro *elevatur* (αἴρεται) substituit *relevatur*.

[4] Ut dicitur I. Cor. 1, 21. — Ambros., IV. in Luc. 4, 1. n. 7: Mors per arborem, vita per crucem. August., Enarrat. in Ps. 140. n. 20: Ipsam [crucis mortem, qua nihil videbatur exsecrabilius] Dominus suscepit, ne discipuli eius mortem quidem non timerent, sed nec genus mortis horrescerent. Cfr. 83 Qq. q. 25; de Symbolo sermo ad catechumen. I. c. 3. n. 8. et contra Adimant. c. 21. in fine. — Superius pro *formidaret mortem* D *peccaret formidando.*

[5] Cfr. c. 18. n. 1. — Superius pro *Susceperunt autem Iesum* codd. *Susceperunt ergo milites.*

[6] Vers. 28.

[7] Vers. 19; tertia pars incipit v. 23. et quarta v. 25. — Inferius ed. omittit *sive cupiditas.*

[8] Psalm. 16, 12. — Subinde pro *duxerunt* Vulgata *et eduxerunt.* Sequitur Hebr. 13, 13, ubi vox *crucis* inserta sumta est ex Glossa *interlineari* (cfr. Haymo, in hunc locum).

[9] Vers. 22; sequitur 9, 6. — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 117. n. 3, ubi pro *spectat* textus originalis, quem ed. cum Gorrano sequitur, *spectet.*

[10] Vulgata *locum*, quae etiam inferius post *Hebraice* addit *autem.* — Hieron., IV. in Matth. 27, 33, reiecta expositione, quod locus iste ideo diceretur *Calvaria*, « quia ibi antiqui hominis [Adam] sit conditum caput », ait: Extra urbem enim et foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum, et Calvariae, id est decollatorum, sumsere nomen. Cfr. S. Bonav. Comment. in Luc. 23, 33: Dicitur ergo locus Calva-

damnatorum. *Calvaria* enim dicitur testa capitis carne nudata; *Hebraice Golgatha*, id est « locus decollationis [1] ».

30. (Vers. 18.). *Ubi eum crucifixerunt.* Notatur hic vilitas passionis a *genere mortis*, quia vilissimum genus mortis erat; Sapientiae secundo [2]: « Morte turpissima condemnemus eum ». Tertium.

Et cum eo alios duos [3], *hinc et hinc, medium autem Iesum.* Notatur hic vilitas a *societate*, quia isti duo erant latrones; unde Marci decimo quinto: « Crucifigunt cum eo duos latrones ». Tunc impletum est quod dicitur Isaiae quinquagesimo tertio: « Et cum iniquis deputatus est ». Ideo autem in *medietate*, ut significetur, quoniam *mediator;* unde in nativitate in *medio animalium*, Habacuc ultimo [4]; et in passione in *medio latronum*, quia pax vera, ad Ephesios secundo. Quartum.

31. *Scripsit autem et titulum.* Hic notatur secundum principale, scilicet *patientis dignitas*, et innuitur in titulo, quia titulus erat regis; et hic titulus hoc ordine describitur: primo, eius *inscriptio;* secundo, *scripti publicatio;* tertio, *contradictio* [5]; quarto, *ipsius approbatio.* Secundo, de patientis dignitate quatuor.

(Vers. 19.). *Inscriptio* igitur *tituli* tangitur, cum dicit: *Scripsit autem et titulum Pilatus et posuit super crucem;* Isaiae decimo nono [6]: « Erit altare Domini in medio terrae Aegypti, et titulus Domini iuxta terminum eius ». — Et nota, quod quidam est titulus *memorialis*, sicut mortuorum; quidam *praeconialis*, ut de domo; quidam *triumphalis;* et iste triumphalis [7], unde est in laudem Christi et vituperium Iudaeorum, quia, etsi tanquam latro damnatus esset, non tamen erat latro, sed rex; et hoc dicebat titulus: *Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum.* Hunc titulum approbat Scriptura; unde in Psalmo secundo [8]: « Ego constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius » etc. In hoc titulo describit ipsum Pilatus a *nomine*, cum dicit *Iesus;* Lucae primo: « Vocabis nomen eius Iesum »; a *patria*, *Nazarenus;* Lucae secundo: « Descendit cum eis et venit Nazareth »; a *dignitate regia*, cum dicit *rex;* Ieremiae vigesimo tertio: « Suscitabo David germen iustum, et regnabit rex ». — Secundum Matthaeum titulus dicitur *causa;* Matthaei vigesimo septimo [9]: « Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam »; quia in titulo illo innuitur, quare mortuus fuerit, scilicet ad *salvandum*, quia *Iesus*, et ad *faciendum nos Deo nostro regnum;* Apocalypsis quinto: « Dignus es, Domine Deus, accipere librum; quia occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo et fecisti nos Deo nostro regnum ». Notandum. Primum. Triplex titulus.

32. (Vers. 20.). *Hunc ergo titulum.* Hic ponitur *tituli publicatio;* unde dicit: *Multi legerunt Iudaeorum, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus;* ideo multi legebant, quia multi concurrebant, nec solum Iudaei, sed et alii; Isaiae trigesimo quarto [10]: « Requirite diligenter in libro sermonum Domini et legite; nec unum ex eis defuit ». *Et erat scriptum Hebraice, Graece et Latine*, ut omnes possent legere titulum, quia omnibus rex erat futurus, sicut dicitur Apocalypsis decimo nono [11], quod ipse « est Rex regum et Dominus dominantium »; ideo tribus linguis, quia Deuteronomii Secundum.

---

riae, quia ibi continebantur calvariae damnatorum, qui ibi decollabantur et suspendebantur. — Isidor., XI. Etymolog. c. 1. n. 27: *Calvaria*, ab ossibus calvis dicta, per defectionem, et neutraliter pronuntiatur. Card. Hugo, in Ioan. 19, 17: *Calvaria* autem dicebatur, quia ibi decalvabantur capita damnatorum. Calvaria enim ad litteram dicitur os capitis a carne nudatum etc.

[1] Ut notat Glossa *interlinearis*. — Hieron., de Nominibus Hebraic. de Matth.: *Golgatha*, calvaria. Syrum est, non Hebraeum [dicitur hic *Hebraice* Golgatha, propter affinitatem linguae Syriacae cum Hebraica, ut notat Bonelli. Calmet, in Matth. 27, 33. ait: E Syriacis nominibus, quae in Evangelio supersunt, intelligimus, Syriacum sermonem, in Iudaea Iesu Christi aetate vulgarem, non fuisse germanum].

[2] Vers. 20.

[3] Plures codd. addunt *homines*, Gorranus *supple: homines.* — Subinde allegantur Marc. 15, 27. et Isai. 53, 12.

[4] Vers. 2, ubi secundum septuaginta interpretes: In medio duorum animalium cognosceris. Cfr. tom. V. pag. 333, nota 1. — Sequitur Eph. 2, 14: Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum etc. — Superius pro *quoniam mediator* ed. cum Gorrano, qui adhuc plura subiungit, *quod mediator sit Dei et hominum* [1. Tim. 2, 5.], quae etiam inferius post *latronum* cum Gorrano addit *et in resurrectione in medio discipulorum.*

[5] Ed. cum Gorrano *Iudaeorum contradictio.*

[6] Vers. 19.

[7] Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 172. *Additio* 1: Tres sunt tituli: *triumphalis*, victorum gesta continens; *praeconialis*, qui in portis et domibus scribebatur [card. Hugo, in Ioan. 19, 19. affert hunc: Ut rosa flos florum, sic est domus ista domorum]; *memorialis*, qui supra sepulcra, id est epitaphium. — Ed. cum Gorrano omittit *quidam praeconialis, ut de domo.*

[8] Vers. 6. — Tres seqq. loci sunt Luc. 1, 31; 2, 51. (codd. et Gorranus allegant pro his verbis *Matth. 2*, ubi tamen v. 23. dicitur: Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth... Quoniam Nazaraeus vocabitur) et Ier. 23, 5.

[9] Vers. 37. — Subinde respicitur Matth. 1, 21: « Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; et allegatur Apoc. 5, 9. seq. — Inferius voci *Apocalypsis* ed. cum Gorrano praefigit *quia rex.*

[10] Vers. 16. — Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 1: *Scripsit autem titulum Pilatus*, tum ut Iudaeos ulcisceretur, tum ut Christum purgaret... Hoc autem non una lingua, sed triplici declaravit. Quia enim credibile erat, multos Iudaeis commixtos fuisse propter solemnitatem, ut nemo eius apologiam ignoraret, omnibus linguis Iudaeorum furorem denotavit.

[11] Vers. 16. — Sequitur Deut. 19, 15. Idem dicit Glossa *interlinearis* in Ioan. 19, 20. — August., in Ioan. Evang. tr. 117. n. 4: Hae quippe tres linguae ibi prae ceteris eminebant: Hebraea propter Iudaeos in Dei Lege gloriantes, Graeca propter gentium sapientes, Latina propter Romanos multis ac pene omnibus iam tunc gentibus imperantes. Cfr. Serm. 218. (alias 76. de Diversis) c. 5. n. 5. seqq. Theophylact., in Ioan. 19, 20: Insinuat autem et sublimius quiddam inscriptio triplicibus litteris inscripta. Manifestat enim, Dominum regem esse philosophiae *practicae* et *naturalis* et *theologicae*. Practica

decimo nono: « In ore duorum vel trium testium stat omne verbum ».

33. (Vers. 21.). *Dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum.* Hic notatur *Iudaeorum contradictio,* qua titulum volebant delere, cum esset in suam ignominiam; unde dicunt: *Noli scribere: Rex Iudaeorum, sed quia* [1] *dixit: Rex sum Iudaeorum,* ut scilicet ostenderetur non dignitas, sed praesumtio, qua se regem esse diceret; quocontra dicitur ad Hebraeos quinto: « Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret » etc.

Tertium.

34. (Vers. 22.). *Respondit Pilatus.* Hic ponitur *tituli affirmatio* seu approbatio contra Iudaeorum malitiam; unde Pilatus non delet, sed approbat: *Quod scripsi scripsi. Quod scripsi,* veraciter, *scripsi,* indelebiliter tanquam verum irrevocabile. Augustinus [2]: « Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod Veritas dixit »?

Quartum.

35. *Milites ergo cum crucifixissent eum.* Hic notatur tertium principale, scilicet *crucifigentium crudelitas* seu cupiditas in hoc, quod Christum exspoliaverunt et sic vestimenta eius diviserunt. Et notantur hic tria, scilicet vestimentorum *divisio per partes;* secundo, *per sortem;* tertio, *utriusque confirmatio* per auctoritatem, ne videatur in morte Christi aliquid fieri casualiter.

Tertio, de crucifigentium crudelitate tria.

(Vers. 23.). Dividunt ergo *per partes;* unde dicit: *Acceperunt vestimenta eius et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* In hoc apparet, ut dicit Augustinus [3], quatuor fuisse milites, qui Dominum crucifixerunt. *Et tunicam,* subaudi: acceperunt.

Primum.

36. (Vers. 24.). Hic notatur divisio tunicae facta *per sortem;* et ratio redditur: *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum,* id est tota continua; et quia non poterat convenienter dividi, *dixerunt* milites *ad invicem* [4]: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit;* quia, sicut dicitur Proverbiorum decimo octavo, « contradictiones comprimit sors et inter potentes quosque diiudicat ». — Et ne putetur, hoc casu factum, ostenditur, hoc a Propheta esse praedictum, cum dicit: *Ut Scriptura impleretur dicens,* Psalmo vigesimo primo [5]: « Deus, Deus meus, respice in me »: *Partiti sunt vestimenta mea,* quantum ad primum, *et super vestem meam miserunt sortem,* quantum ad divisionem tunicae. Et ista Scriptura intellecta fuit non de Iudaeis, sed de militibus; propterea dicit: *Et milites quidem haec fecerunt.*

Secundum.

Tertium.

Spiritualiter tunica Christi, quae indivisa, significat caritatem, quae est *vestis,* quia *operit turpitudinem;* primae Petri quarto [6]: *Quia caritas operit multitudinem peccatorum;* et *ornat,* unde dicitur *vestis nuptialis,* sine qua nemo intrat ad gaudium nuptiarum Agni; unde Matthaei vigesimo secundo: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Haec tunica est *inconsutilis,* quia ipsa non alio ligatur, sed est vinculum aliorum; ad Colossenses tertio [7]: *Super omnia autem habete dilectionem, quae est vinculum perfectionis.* — Haec tunica *non est dividenda* per scissionem; unde primae ad Corinthios primo: *Obsecro vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes;* et ad Ephesios quarto: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* — Hanc tunicam qui dividunt peiores sunt militibus crucifigentibus, qui Domini vestem inconsutilem dividere noluerunt.

Expositio spiritualis.

Notandum.

Quarto, de compatientium paucitate quatuor.

37. *Stabant autem iuxta crucem* etc. Hic notatur *compatientium paucitas;* quia ex omnibus caris eius tres aderant mulieres, inter quas et Mater Domini, cui etiam Dominus compatiebatur. Et notantur hic quatuor: *mulierum ad Dominum compassio, Domini erga Matrem sollicitudo* et ex sollicitudine *recommendatio* et ultimum *recommendationis acceptio* [8].

Primum.

(Vers. 25.). Notatur ergo *mulierum compassio* in hoc quod dicit: *Stabant iuxta crucem Iesu;* ideo corpore appropinquabant, quia affectus compassionis trahebat. Alii vero longe recesserant per incompassionem; unde dicitur in Psalmo [9]: « Qui iuxta me erant de longe steterunt ». Sed istae steterunt iuxta, quae magis diligebant, scilicet *Mater eius,* quae super omnes compatiebatur; unde Lucae secundo:

---

enim per *Romanas* scripturas figuratur; nam Romanorum principatus maxime virilis erat et strenuus in rebus bellicis; per *Graecas* vero naturalis, cui vacabant Graeci; per *Hebraicas* denique theologica; nam Hebraeis divinorum cognitio concredita fuit. Gloria igitur ei qui per crucem apparuit tale habere regnum etc.

[1] Vulgata addit *ipse.* — Sequitur Hebr. 5, 5. — Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 1: Nam vel crucifixo invidebant. Atqui quid hoc vobis nocebat? Nihil. Si enim mortalis erat, imbecillus et exstinguendus, cur timetis *scriptas litteras* dicentes, illum esse regem Iudaeorum? — Superius pro *qua titulum* N *quia titulum.*

[2] In Ioan. Evang. tr. 117. n. 5. Notamus, quod non pauci codd. perperam omittunt *quod Pilatus scripsit corrumpi potest,* et quod C, qui integra affert verba Augustini, vocibus *corrumpi potest* interserit *non* (N ut videtur, legit: *corrumpine potest*). Cfr. infra n. 41.

[3] In Ioan. Evang. tr. 118. n. 2: Unde apparet, quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo praesidi paruerunt.

[4] Vulgata *Dixerunt ergo ad invicem.* — Sequitur Prov. 18, 18. — Cfr. infra n. 43.

[5] Vers. 19. — Subinde post *vestimenta mea* Vulgata addit *sibi,* et pro *super* substituit *in.* — Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 1: Vide rursum, per prava illorum gesta prophetias ubique impleri. Nam illud quoque iam olim praedictum fuerat... Tu vero mihi consideres velim prophetiae accurationem. Non modo enim divisisse dicit Propheta, sed etiam non divisisse; alia diviserunt, tunicam non diviserunt, sed sorti rem commiserunt.

[6] Vers. 8. — Subinde allegatur Matth. 22, 12. Vide Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 9.

[7] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 1, 10. et Eph. 4, 3. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 118. n. 4, ubi etiam explicat, quod tunica significet caritatem.

[8] Ed. cum Gorrano *acceptatio;* idem recurrit infra n. 39.

[9] Psalm. 37, 12. — Subinde allegatur Luc. 23, 35. — Inferius pro *quae magis* ed. cum uno alteroque cod. *quem magis.*

« Tuam ipsius animam pertransibit gladius »; *et soror Matris eius, Maria Cleophae;* haec fuit mater
Notandum. Iacobi. — Notandum est, quod Anna *dicitur* habuisse tres viros [1]: Ioachim, Cleopham et Salome, et ex istis tribus viris habuit tres Marias, scilicet Matrem Domini, quae fuit filia Ioachim; matrem Iacobi, quae fuit filia Cleophae; matrem Simonis et Iudae, quae fuit filia Salome. — *Et Maria Magdalene,* quae dicta est a Magdalo castro [2]. Istae tres mulieres tanquam magis compatientes stabant iuxta crucem Domini.

38. (Vers. 26.). *Cum vidisset ergo Iesus.* Hic
Secundum. notatur secundum, scilicet *Domini erga Matrem sollicitudo,* in hoc, quod respexit eam et cui posset eam recommendare; unde dicit: *Cum vidisset ergo Iesus Matrem; cum vidisset* ut sollicitus; primae ad Timotheum quinto [3]: « Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet » etc. Et Chrysostomus: « Hic multam dilectionem monstrat Dominus ad Matrem et commendat eam discipulo, erudiens nos, usque ad ultimam respirationem omnem facere diligentiam eorum qui nos genuerunt ». Exodi vigesimo: « Honora patrem tuum et matrem tuam » etc. Hoc quod praecepit, implevit. *Et discipulum stantem, quem diligebat;* et ideo eam sibi familiariter recommendare poterat. *Stabat* Ioannes, non recesserat; unde erat unus de illis quibus dicitur Lucae vigesimo secundo [4]: « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis ».

Dicit Matri suae. Hic notatur tertium, scilicet
Tertium. *diligens recommendatio;* unde dicit: *Mulier, ecce, filius tuus;* quasi [5]: ita confidas de eo sicut de filio.

39. (Vers. 27.). *Deinde dicit discipulo: Ecce, mater tua;* quasi: ita eam custodias ut matrem.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in
Quartum. *suam* [6]. Hic notatur *recommendationis acceptio; in suam,* scilicet matrem, *accepit,* ut illam, sicut matrem filius, honoraret, custodiret et servaret.

Sed Augustinus [7] legit litteram istam: *in sua,* ut
Aliter. sit accusativus pluralis; et quaerit: Quomodo *in sua,* cum non haberet propria? — Et respondet: *in sua,* scilicet officia, servitia et beneficia, non in possessiones, quas non habebat.

Quaestiones.

40. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod supra [8] dictum est, quod *exivit* Iesus *baiulans sibi crucem;* quia Matthaei vigesimo septimo dicitur, quod *angariaverunt Simonem* quendam, *ut tolleret crucem eius.*

Respondet Augustinus in tertio libro de Con-
Resp. cordia Evangelistarum [9]: « Iesus portabat crucem, cum exiret in Calvariam; Simon autem ille in itinere angariatus est, cui data est postea crux portanda usque ad locum. Ita utrumque factum legimus, primo id quod Ioannes dicit, deinde id quod Matthaeus ».

41. Quaest. II. Item quaeritur de titulo, utrum Pilatus scripsit *vere,* vel *irrisorie.* — Quod *vere,* videtur per litteram, quia, Iudaeis petentibus, delere noluit, sed respondit [10]: *Quod scripsi scripsi.*

Quod autem *irrisorie,* videtur, quia ipsum
Contra. tanquam stultum, non tanquam verum regem derideri permisit a militibus, qui *coronam spineam imposuerant et alapas dabant* [11].

Ad hoc respondendum, quod Pilatus aliquam
Resp. illustrationem habuit, qua cognovit, ipsum esse innocentem; unde *sciebat, quod per invidiam tradidissent eum,* Matthaei vigesimo septimo [12]; qua etiam cognovit, ipsum esse regem Iudaeis promissum; unde semper eum vocabat *regem.* Unde Augustinus [13]: « Avelli a corde Pilati non potuit, Christum esse regem Iudaeorum, tanquam in eius corde ipsa veritas fixerit ».

---

[1] Haec sententia refertur ab Hug. a S. Vict., Qq. in Epist. ad Gal. (I, 19.) q. 5; et in eundem locum a Petr. Lombardo et a Lyrano in Glossa *ordinaria* (non a Strabone). Cfr. Euseb., III. Histor. eccles. c. 11. et IV. c. 22, ubi dicitur, quod Cleopha secundum Hegesippum frater Iosephi fuisse dicitur. Vide etiam Epiphan., III. adversus Haereses, haeres. 78. n. 7. seqq.; Theophylact., in Matth. 13, 54-57; et Hieron., de Perpetua Virginitate B. Mariae adversus Helvidium, n. 12. seqq., qui tamen quoad hanc rem alia incedunt via. — Pro *habuit tres* sola ed. *habuisse tres.*

[2] Lyranus affert hanc Glossam *ordinariam* in Luc. 8, 2: *Maria, quae vocatur Magdalene,* id est turrensis a Magdalo, id est turris, de qua dicitur [Ps. 60, 4.]: *Tu es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.* Cfr. Hieron., de Nominibus Hebraic., de Matthaeo: « *Magdalene,* turris, sed melius, sicut a monte montanus, ita turrensis a turri dicatur ». Epist. 127. (alias 16.) n. 5. idem dicit, quod Magdalene « ob sedulitatem et ardorem fidei *turritae* nomen accepit ».

[3] Vers. 8. — Sententia Chrysost. habetur in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 2, post quam sequitur Exod. 20, 12. Cfr. infra n. 44.

[4] Vers. 28. — Superius pro *sibi* ed. cum Gorrano *illi,* et subinde pro *unde erat... quibus* ed. *tanquam... de quibus.*

[5] Ed. cum uno alteroque cod. et Gorrano addit *dicat.* Idem recurrit paulo inferius, ubi tamen Gorranus legit: Ecce, mater tua, *id est* ita etc.

[6] Vulgata *in sua.* — S. Thomas, Catena aurea in Ioan. c. 19. n. 8: Beda: Alia littera habet: *Accepit eam discipulus in suam;* quidam volunt in suam matrem [ita etiam Glossa *interlinearis*], sed congruentius subauditur in suam curam.

[7] In Ioan. Evang. tr. 119. n. 1; ibid. n. 3. habetur seq. quaestio et responsio: Sed in quae *sua* Ioannes Matrem Domini accepit?... Suscepit ergo eam in *sua,* non praedia, quae nulla propria possidebat, sed officia, quae propria dispensatione exsequenda curabat.

[8] Vers. 17. — Subinde allegatur Matth. 27, 32.

[9] Cap. 10. n. 37.

[10] Vers. 22.

[11] Vers. 2. et 3.

[12] Vers. 18. — Ioan. 19, 15: Dicit eis Pilatus: *Regem* vestrum crucifigam? cfr. nota seq. — Immediate post pro *qua,* quod habent A N, plures codd. *sed qua,* H M et ed. *secundum quam* (ed. addit *illustrationem*), C *qui,* Gorranus *quia.*

[13] In Ioan. Evang. tr. 115. n. 5, ubi pro *in eius corde* textus originalis, quem sequitur ed., *hoc ibi, sicut in titulo.* Cfr. supra 18, 39.

Quod obiicit, quod derideri fecit vel permisit;
Ad obiect. dico, quod sic permisit, derideri regem, sicut flagellari innocentem, ut Iudaeos de poenis eius et opprobriis satiaret et ad misericordiam inclinaret [1].

42. Quaest. III. Sed tunc est quaestio: quomodo fuit ausus eum morti tradere?

Ad hoc dicendum, quod fuit timore perterritus,
Resp. ne accusaretur apud Caesarem, et errore deceptus, quia putabat, totam culpam esse Iudaeorum, ex quo ad ipsorum petitionem mittebat in eum manum; unde dicitur Matthaei vigesimo septimo [2], quod *accepit aquam et lavit manus suas et ait: Innocens ego sum;* et Iudaei totam culpam super se accipiebant, unde dixerunt: *Sanguis eius super nos et super filios nostros.* Sed erravit, quia in mortem innocentis consentiri non potest sine peccato.

43. Quaest. IV. Sed cum Matthaei vigesimo septimo [3] dicatur: *Diviserunt vestimenta eius, sortem mittentes;* videtur, quod non solum super tunicam, sed super omnia vestimenta miserunt sortem; Ioannes autem dicit solum de tunica. — Illud idem dicitur Marci decimo quinto [4]: *Diviserunt eius vestimenta, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.*

Ad hoc respondet Augustinus [5] et dicit, quod
Resp. « illud Matthaei intelligitur de tota divisione vestimentorum, quam quidem facientes venerunt ad tunicam, de qua sortem miserunt ».

Ad illud Marci dicendum, quod is est sensus:
Ad confirmationem. « diviserunt vestimenta primum, dein mittentes sortem super tunicam, quae remanserat vel superfuerat, quis tolleret eam [6] ».

44. Quaest. V. Item quaeritur, quare Dominus sic Matrem recommendavit, cum supra secundo [7] ita dure responderit: *Quid mihi et tibi est, mulier?*

Respondet Augustinus [8], et habetur in Glossa: Resp.
« Quia tunc, divina facturus, quasi ignotam repulit Matrem; iam ostendit, venisse horam, quam tunc praedixit, in qua moriturus agnoscit, de qua fuerat mortaliter natus, et humana patiens affectu ipsam commendat humano et exemplo instruit, ut a piis filiis impendatur cura parentibus ». — Ratio autem, Ratio commendationis
quare eam commendat Ioanni, ex parte *Domini* tangitur in littera [9], quia ipsum specialiter diligebat; sed ex parte *sua* tacetur; et dicunt Sancti, quod fuit, « ut Virginem virgo custodiret ».

45. *Postea sciens Iesus* etc. Supra [10] egit de pas- De 2. parte, sive passionis consummatione, tria.
sione, hic agit de *passionis consummatione*, et sunt hic tres partes. Primo dicitur eius *consummatio* quantum ad *Scripturae testimonium;* secundo, quantum ad *factum*, ibi [11]: *Et inclinato capite;* tertio, quantum ad *effectum*, ibi: *Iudaei ergo, quoniam parasceve erat.*

Consummatio igitur passionis Christi quantum De primo notantur tria.
ad *Scripturae testimonium* attenditur in hoc, quod circa ipsum omnia fierent, quae per Prophetas praedicta erant. Et insinuatur ipsa [12] hoc ordine, scilicet *consummandi intentio, ipsa consummatio, consummationis assertio.*

46. (Vers. 28.). *Consummandi intentio* ergo in- Expositio litteralis. Primum.
nuitur in hoc quod dicit: *Postea sciens Iesus, quia iam* [13] *omnia consummata sunt,* supple: quae scripta sunt de Filio hominis; sed non plene, ideo dicit *iam; ut consummaretur Scriptura,* id est, volens perfecte consummare Scripturam, quae dicit in Psalmo [14]: « In siti mea potaverunt me aceto »; *dicit: Sitio.* Et hoc fuit signum infirmitatis assumtae et veritatis naturae contra illos haereticos, qui dicebant, quod non erat vere passus. Et hoc quidem non tantum dixit

---

[1] Cfr. supra n. 1.

[2] Vers. 24; ibid. v. 25. est seq. locus. Cfr. supra n. 12. seq. et n. 24. — Superius pro *apud Caesarem* plurimi codd. *ad Caesarem.*

[3] Vers. 35. — Ioan. 19, 24: Sortiamur de illa [tunica], cuius sit. [4] Vers. 24.

[5] In Ioan. Evang. tr. 118. n. 3: Matthaeus enim dicendo: *Diviserunt vestimenta eius, sortem mittentes,* ad totam divisionem vestimentorum voluit intelligi etiam tunicam pertinere, de qua sortem miserunt; quia utique omnes vestes dividendo, in quibus et illa fuit, de ipsa sortiti sunt. — Pro *quidem* ed. cum Gorrano *quidam.*

[6] August., loc. cit.: *Quis quid tolleret,* id est, quis eam tolleret, tanquam si totum ita diceretur: *Diviserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis* tunicam, quae partibus aequalibus superfuerat, *tolleret.*

[7] Vers. 4.

[8] In Ioan. Evang. tr. 119. n. 1. seq., ubi tamen in textu originali quaedam transponuntur, et plura adiiciuntur. Glossa *ordinaria* in Ioan. 19, 26. a verbis, quae hic allegantur, in tantum discedit, quod ipsa in principio pro *Quia tunc* substituit *Qui,* subinde omittit *moriturus* (ita etiam plures codd. cum Gorrano), ac *et humana patiens affectu ipsam commendat humano* (plures codd. cum Gorrano omittunt solum *et* ac *ipsam),* et demum pro *et exemplo instruit* ponit *et docet.*

[9] Vers. 26: Cum vidisset ergo Iesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat [Glossa *interlinearis:* Prae ceteris familiarius]. — De seq. ratione, quam Sancti afferunt, cfr. supra pag. 245, nota 2. Vide etiam Ambros., de Institut. virginis, c. 7. n. 46. seqq.; Theophylact., in Ioan. 19, 27: Puro pura est commissa.

[10] Cfr. supra n. 27.

[11] Vers. 30; seq. pars incipit v. 31.

[12] Scilicet: consummatio passionis. — Ed. *insinuantur ipsa.*

[13] Vulgata omittit *iam.* — Superius post *sciens Iesus* ed. addit *sicut praedixit Isaias 10, 23: Consummationem et abbreviationem faciet Dominus Deus exercituum in medio omnis terrae,* quod additamentum exhibent C N inferius post *non plene* (etiam in E habetur, sed in margine, et non patet, ubi in textu ponendum sit). Ed. et Gorranus omittunt *ideo dicit iam;* plures codd. *ideo dicit auctor iam.*

[14] Psalm. 68, 22. August., in Ioan. Evang. tr. 119. n. 4: Vidit ergo, *quia consummata sunt omnia,* quae oportebat, ut fierent, antequam acciperet acetum et traderet spiritum; atque ut hoc etiam consummaretur, quod Scriptura praedixerat: *Et in siti mea potaverunt me aceto; sitio,* inquit; tanquam diceret: Hoc minus fecistis, date quod estis; Iudaei quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino Patriarcharum et Prophetarum etc. — Subinde pro *dicit: Sitio* Vulgata *dixit: Sitio.* — De haereticis, inter quos etiam Saraceni, qui inferius nominantur, cfr. III. Sent. d. 2. a. 2. q. 1. et d. 16. a. 1. q. 1. in corp. — Vide infra n. 56.

propter indigentiam, quantum ad complendam Scripturam.

47. (Vers. 29.). *Vas ergo erat positum.* Hic Secundum. ponitur *ipsa consummatio,* qua potaverunt eum aceto, quod quidem ad manum habebant; unde dicit: *Vas ergo erat positum aceto plenum; illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes,* id est ponentes spongiam circa hyssopum ligatam, *obtulerunt ori eius,* per arundinem, sicut dicitur Matthaei vigesimo septimo [1]: « Currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto et imposuit arundini et dabat ei bibere ».

48. (Vers. 30.). *Cum ergo accepisset Iesus ace-* Tertium. *tum.* Hic ponitur *consummationis assertio;* unde dicit: *Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est,* scilicet quod scriptum erat de me ante spiritus emissionem. De hac consummatione Lucae decimo octavo [2]: « Consummabuntur omnia, quae scripta sunt de Filio hominis »; ad Hebraeos quinto: « Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae ».

Et inclinato capite etc. Posita consummatione in De secundo. Scripturae testimonio, hic ponit consummationem *in facto;* et haec consummatio fuit in morte, quia finis passionum praesentium mors est; unde dicit: *Inclinato capite, tradidit spiritum.* Augustinus [3]: « *Tradidit spiritum,* tanquam ille qui *potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam;* et hoc *inclinato capite.* Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Christus, quando voluit, mortuus est »? Unde spiritum *obtulit,* sicut dicitur ad Hebraeos quinto [4]: « Cum lacrymis et clamore valido offerens » spiritum suum. Et haec fuit consummatio praedictorum, sicut dicitur ad Hebraeos decimo: « Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos »; et ad Hebraeos secundo: « Decebat, eum qui multos filios adduxerat in gloriam, per passionem consummare ».

49. *Iudaei vero* [5], *quoniam parasceve erat.* De tertio, quatuor. Hic ponitur consummatio in *passionis effectu,* quae quidem fuit in apertione lateris Christi, ex quo fluxit « sanguis et aqua [6] », unde efficaciam habent Sacramenta, ut dicit Glossa. Et notantur hic quatuor, scilicet *petitio depositionis crucifixorum, crurifragium latronum, apertio lateris Christi* et *confirmatio testimonii.*

(Vers. 31.). *Petitio depositionis crucifixorum* Primum. facta est a Iudaeis; et ratio redditur, quia erat in die sequenti magnus dies Sabbati; propter quod dicit: *Iudaei ergo, quoniam parasceve erat,* id est dies proximus ante Sabbatum [7]; *ut non remanerent in cruce corpora Sabbato,* propter solemnitatem scilicet; *erat enim magnus dies ille Sabbati,* quia intra solemnitatem azymorum; *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum et tollerentur.* Augustinus [8]: « Ideo eorum frangebantur crura, ut morerentur et auferrentur ex ligno, ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diuturni cruciatus norrore foedarent ». Deuteronomii vigesimo primo: « Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur ».

50. (Vers. 32.). *Venerunt ergo milites.* Hic no- Secundum. tatur *crurifragium latronum. Venerunt ergo milites,* ad petitionem Iudaeorum, *et primi quidem,* scilicet ad quem primo venerunt, *fregerunt crura,* quia vivebat adhuc; *et alterius, qui crucifixus erat* [9] *cum eo,* supple: crura fregerunt, et sic exspiraverunt; ut sic ipsi distinguerentur ab Agno, cuius ossa debebant integre conservari, quia solus integer a peccato. Illi poterant dicere illud Psalmi sexti: « Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea ».

51. (Vers. 33.). *Ad Iesum autem cum venis-* Tertium. *sent.* Hic notatur *apertio lateris Christi.* Et primo dicit, quare non fregerunt crura eius, scilicet quia mortuus erat; et hoc est quod dicit: *Ut viderunt eum* [10] *mortuum, non fregerunt eius crura;* quia propter hoc faciebant, ut accelerarent mortem. Et subditur apertio; unde dicit:

---

[1] Vers. 48. — August., in Ioan. Evang. tr. 119. n. 4. seq.: Hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus... Nec moveat, quomodo spongia ori eius potuerit admoveri, qui in cruce fuerat exaltatus a terra. Sicut enim apud alios Evangelistas [Matth. 27, 48; Marc. 15, 36.], quod hic praetermisit, in *arundine* est factum, ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem vero Scriptura significabatur, quae implebatur hoc facto etc. — Superius pro *ligatam* non pauci codd. *ligatum.*

[2] Vers. 31. — Sequitur Hebr. 5, 9.

[3] In Ioan. Evang. tr. 119. n. 6: Deinde, quia nihil remanserat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret, tanquam ille qui *potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam* [Ioan. 10, 18.]; peractis omnibus, quae ut peragerentur exspectabat, *inclinato capite, tradidit spiritum.* Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Iesus mortuus est, quando voluit? — Ed. ex August. adiungit *peractis omnibus* ante verba *inclinato capite,* et immediate post subiungit *tradidit spiritum.* Cfr. infra n. 59.

[4] Vers. 7; ibid. 10, 14. et 2, 10. sunt duo seqq. loci.

[5] Vulgata *ergo,* quod etiam codd., nonnullis exceptis, inferius exhibent.

[6] Infra v. 34, in quem Glossa *ordinaria* apud Lyranum exhibet verba August., quae infra n. 52. afferuntur.

[7] Cfr. supra pag. 492, nota 2.

[8] In Ioan. Evang. tr. 120. n. 4. — Subinde allegatur Deut. 21, 22. seq.

[9] Vulgata *est.* — Sequitur Ps. 6, 3. — Inferius pro *Illi poterant* Gorranus *cui illi poterant,* ed. *qui poterat.* Cfr. infra n. 54.

[10] Vulgata addit *iam.* — Cyrill. Alexandr., in Ioan. 19, 32. seq.: Crura confringunt, graviori casu ac necessitate in mortem eos detrudentes. Sed cum Iesum inclinasse caput comperissent et iam exspirasse putarent, frustra eius crura confringi existimant, sed cum adhuc mortuum esse, nonnihil diffiderent, lancea latus eius perfodiunt etc.

52. (Vers. 34.). *Sed unus militum lancea latus eius aperuit.* Augustinus[1]: « De hoc non dicit *vulneravit*, sed *aperuit*, ut illic quodam modo ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt ». Et propterea subditur: *Et continuo exivit sanguis et aqua.* Augustinus: « Iste sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua ista salutare temperat poculum; haec et lavacrum praestat et potum »; Apocalypsis primo[2]: « Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo »; et ad Ephesios quinto: « Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro » etc.

53. (Vers. 35.). *Et qui vidit* etc. Hic innuitur quartum, scilicet *testimonii confirmatio.* Et hoc confirmat *testimonio suo* et *Scripturae testimonio: suo,* quia ipse vidit et praesens fuit; unde dicit: *Et qui vidit testimonium perhibuit.* Et approbat testimonium, quia *verum,* unde: *et verum est testimonium eius;* et quia *certum,* unde: *et ille scit, quia vera dicit.* Et ideo dicit: *Ut et vos credatis;* quia citius fides accommodatur ei qui vidit, quam qui relatione cognovit; Proverbiorum duodecimo[3]: « Qui quod novit loquitur iudex iustitiae est; qui autem mentitur testis est fraudulentus »; et primae Ioannis primo: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae » etc. — Non solum hoc *suo* confirmat *testimonio,* sed etiam *Scripturae,* unde dicit:

Quartum. Testimonium proprium. Testimonium Scripturae.

54. (Vers. 36.). *Facta sunt*[4] *haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo,* Exodi duodecimo; et ideo non fregerunt crura.

55. (Vers. 37.). *Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt;* Zachariae duodecimo[5]: « Aspicient ad me, quem confixerunt »; et ideo verum est, quod miles latus eius aperuit. Haec Scriptura nondum plene impleta est, sed in die iudicii; Apocalypsis primo: « Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt ». Chrysostomus[6]: « Nullus discredat neque verecundans aspiciat; quae enim maxime exprobrabilissima videntur esse, haec sunt fundamenta nostrorum bonorum ».

Quaestiones.

56. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit, quod, *ut consummaretur Scriptura,* petiit potum. — Videtur ordo praeposterus, quia non Dominus est propter Legem, sed Lex et Scriptura propter Dominum; unde[7]: *Finis Legis Christus.*

Dicendum, quod *ut* non est ibi *causale,* sed *consecutivum*[8]; ut non sit sensus, quod propter Scripturam implendam hoc Dominus fecerit, sed hoc consecutum est ad factum Domini, scilicet impletio Scripturae, quae hoc praedixerat. Resp.

57. Quaest. II. Sed est quaestio, quare magis dicitur Dominus consummasse Scripturam in potu aceti quam in aliis.

Et responsio est, quod Dominus in omnibus membris passus fuerat; ut totus pateretur, non restabat nisi os et lingua; ideo, quia tunc generaliter omnia membra sunt passa, tunc dicitur *passio* quodam modo consummata, et per consequens *Scriptura*[9]. Resp.

58. Quaest. III. Item quaeritur de hoc, quod statim sic habuerunt acetum paratum; quomodo hoc fuerit. Nunquid sciebant, quod ipse potum peteret?

Ad hoc dicunt quidam, quod vinum ad bibendum portaverant, quod propter calorem conversum fuerat in acetum. — Alii dicunt, quod studiose acetum portaverant, ut ipsum bibendo citius interiret[10]. Resp. 1. Resp. 2.

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 120. n. 2: Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed *aperuit,* ut illic etc. Ibid. est etiam locus seq. — Cfr. infra n. 60.

[2] Vers. 5. — Sequitur Eph. 5, 25. seq.

[3] Vers. 17. — Subinde allegatur I. Ioan. 1, 1. — August., in Ioan. Evang. tr. 120. n. 3: Non dixit: *Ut et vos* sciatis, sed *ut credatis; scit* enim qui vidit, cuius *credat* testimonio qui non vidit. Magis autem ad fidem credere pertinet quam videre. Nam quid est aliud credere quam fidem accommodare?

[4] Vulgata addit *enim.* — Locus, qui allegatur, est Exod. 12, 46. — August., in Ioan. Evang. tr. 120. n. 3: *Os non comminuetis ex eo,* quod praeceptum est eis qui celebrare pascha iussi sunt ovis immolatione in vetere Lege, quae dominicae passionis umbra praecesserat etc.

[5] Vers. 10. — Subinde allegatur Apoc. 1, 7.

[6] In Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 3: Nemo itaque fidem neget neque prae pudore nostris noceat [μηδὲ αἰσχυνόμενος βλαπτέτω τὰ ἡμέτερα]. Nam quae maxime contumeliosa videntur [Τὰ γὰρ μάλιστα ἐπονείδιστα δοκοῦντα εἶναι], haec sunt bonorum nostrorum honestissima [ταῦτά ἐστι τὰ σεμνολογήματα τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν]. Card. Hugo, in Ioan. 19, 36: « Nullus igitur decredat, neque verecundus inspiciat quae nostra; quae enim maxime exprobrabilissima videntur esse, haec sunt fundamenta bonorum nostrorum ». Cum plurimis codd. nostris et Gorrano retinuimus *maxime exprobrabilissima,* pro quo B *maxime exprobratissima,* ed. *maxime opprobriissima* (cfr. supra pag. 495, nota 3.). Nova translatio *maxime contumeliosa.* — Pro *bonorum* ed. contra originale *honorum.*

[7] Ut dicit Apostolus Rom. 10, 4.

[8] Cfr. supra pag. 382, nota 1. verba Chrysost.

[9] Cyrill. Alexandr., in Ioan. 19, 28. seq.: Multis enim ac variis doloribus exsiccata [caro], siti torquetur... Etenim difficile non erat omnipotenti Verbo Dei id a sua carne removere, verum, sicut cetera, ita hoc quoque sponte perpessus est. Potum itaque petit; verum illi tam longe ab omni humanitate et dilectione Dei aberant, ut pro salubri potu perniciosum obtulerint ipsumque caritatis opus impietatis accessionem fecerint etc.

[10] Theophylact., in Ioan. 19, 28. seqq.: Aceto eum potant, id quod condemnatis faciebant, quia hyssopum propter hoc aderat, ut letale (cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 85. alias 84. n. 2.). Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 177: Fuerunt qui dicerent, crucifixos citius mori, si acetum cum felle biberent, et ideo milites acetum secum tulisse, ut citius possent liberari a custodia, si citius morerentur quos crucifigerent. Potuit esse, quod vile vinum secum tulerant ad bibendum, et ex calore quasi acetum factum est. Unde ad notandum eius acredinem alius Evangelista [Marc. 15, 23.] dicit *vinum myrrhatum,* alius [Matth. 27, 34.] *cum felle mistum.*

Resp. 3. — Alii dicunt, quod erat vinum myrrhatum, quod erat amarissimum et acutum sicut acetum, ad magis cruciandum eum iam crucifixum. Unde dicunt, tunc etiam impletam esse Scripturam[1]: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

59. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit Ioannes, quod dixit Christus: *Consummatum est, et inclinato capite, emisit spiritum.* Lucas vero vigesimo tertio[2] dicit, quod clamavit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* sed Matthaeus et Marcus, quod clamavit voce magna: *Eli, Eli* etc.

Et intelligendum, quod omnia ista dixit; sed
Resp. primum dixit: *Sitio;* deinde, dum illi acetum pararent, clamavit: *Eli;* et ad hanc vocem qui parabat acceleravit ferre acetum et circumponere; quo accepto, dixit: *Consummatum est;* et tunc inclinans caput, cum clamore valido exspiravit dicens: *In manus tuas*[3] etc.

60. Quaest. V. Item quaeritur: quare latus eius apertum sive vulneratum fuit post mortem et non ante?

Et intelligendum, quod nulla facta sunt circa
Resp. eum, nisi quae Deus congrua ratione permisit. Huius
Ratio allegorica. autem redditur ratio *allegorica* et *litteralis: allegorica,* quia, sicut de latere Adae dormientis formata est Eva, ita de latere Christi dormientis in cruce formata est Ecclesia. Unde Augustinus[4]: « Ob hoc secundus Adam in cruce dormivit, ut inde formaretur
Ratio litteralis. eius coniux, quod de latere eius effluxit ». — *Litteralis* vero ratio est, quia Dominus Christus, etsi ostenderet humanitatem, tamen volebat simul Divinitatis ostendere veritatem. Unde hoc ostendit ante passionem in sui comprehensione, hoc in passione in tenebris, hoc post mortem ostendit in effluxione aquae et sanguinis. Unde Ambrosius[5]: « Licet corporis Christi fuerit natura mortalis, dissimilis tamen gratia fuit. Nam post mortem sanguis in nostris corporibus coalescit, ex illo autem incorrupto corpore omnium vita manavit, aqua et sanguis exivit; illa, quae abluat; iste, qui redimat; bibimus pretium nostrum, ut bibendo redimamur ».

Quarto, de Christi sepultura notantur tria.

61. *Post haec autem rogavit.* Supra[6] actum est de Domini comprehensione, condemnatione et passione; hic agitur de quarto, scilicet de *sepulturae conditione,* et hoc ordine agitur. Primo ponitur *suspensi corporis depositio;* secundo, *depositi conditio,* ibi[7]: *Venit autem et Nicodemus;* tertio, *conditi in sepulcro collocatio,* ibi: *Erat autem in loco* etc. Primum factum est a Ioseph, secundum a Nicodemo, tertium ab utroque.

Ioseph ergo deposuit corpus Iesu; et quia non
De depositione corporis. poterat nisi per licentiam, ideo *petiit* et *petitum obtinuit* et *obtentum deposuit.*

(Vers. 38.). *Petiit,* quia discipulus erat Christi,
Ioseph petiit Christi corpus. quamvis occultus; propterea dicit: *Post haec,* id est post passionis consummationem, *rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea.* Arimathaea idem est quod Ramatha, villa Elcanae, Samuelis et Annae[8]; de qua primi Regum primo in principio. Ioseph scilicet rogavit, *eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum,* quia, sicut dicitur supra nono[9], « iam conspiraverant Iudaei, ut, si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret ». Etsi esset occultus, tamen verus, quia dilexit non tantum vivum, sed etiam mortuum; Proverbiorum decimo septimo: « Omni tempore diligit qui amicus est ». *Rogavit,* inquam, *ut tolleret corpus Iesu,* id est, de cruce deponeret, et *obtinuit;* propterea dicit: *Et*
Illud obtinuit et deposuit. *permisit Pilatus,* ut scilicet sepeliretur. *Venit ergo et tulit corpus Iesu,* venit scilicet a loco, ubi erat Pilatus, ad crucem et *deposuit.*

62. (Vers. 39.). *Venit autem et Nicodemus.* Hic
De conditione eiusdem. agitur de *conditione* ex aromatibus facta a Nicodemo, et tangitur *devotio* Nicodemi in *apportatione*
Devotio Nicodemi. *multorum aromatum* et in *conditione corporis. Venit autem et Nicodemus, qui* scilicet *venerat ad Iesum nocte primum,* supra tertio[10]. Agitur de hoc adventu, in quo innuitur ratio adveniendi, quia erat etiam discipulus, quamvis occultus; *ferens mixtu-*
Primo, in apportatione aromatum. *ram myrrhae et aloes,* id est unguentum ex his confectum, quod servabat corpus a putrefactione. Non-

---

[1] Psalm. 68, 22. Cfr. Beda, in Marc. 15, 23, ubi etiam dicit: *Myrrhatum vinum* intelligendum est Matthaeum [27, 34.] dixisse *cum felle mistum.* Fel quippe pro amaritudine posuit. Et myrrhatum vinum amarissimum est; quamquam fieri possit, ut et felle et myrrha vinum amarissimum reddetur [reddatur, redderetur?]. — Plures codd. *interirent.*

[2] Vers. 46. — Subinde allegantur Matth. 27, 46. et Marc. 15, 34.

[3] Vide August., III. de Consensu Evangelist. c. 17. et 18. n. 54. et 55.

[4] In Ioan. Evang. tr. 120. n. 2.

[5] Libr. X. in Luc. 23, 49. n. 135. Textus originalis post *mortalis* addit *licet qualitas similis,* substituit *congelascit* (ita etiam Gorranus, plures codd. *convalescit*) pro *coalescit,* et post *incorrupto* sic prosequitur *licet corpore, sed defuncto, omnium vita manabat.* Aqua enim et sanguis exivit [Ioan. 19, 34.]; *illa, quae diluat; iste, qui redimat. Bibamus ergo pretium* etc.

[6] Cfr. supra c. 18. n. 1.

[7] Vers. 39, tertia pars incipit v. 41.

[8] Glossa *interlinearis* in Matth. 27, 57: *Ab Arimathaea,* ipsa est Ramatha, Helchiae [? eadem Glossa in Marc. 15, 43. et Luc. 23, 51. habet *Elcanae*] et Samuelis civitas. Beda, in eundem locum: *Arimathia* autem ipsa Ramathaim est, civitas Helcanae et Samuelis, in regione Thamnitica iuxta Diospolim. Idem dicit Hieron., de Situ et nomin. locorum Hebraic., de Regnorum libris sub nomine *Armathem Sophim.* Cfr. ibid. de libro Iesu: *Ruma,* quae et Aria, ubi sedet Abimelech, sicut in libro Iudicum (9, 41.) scriptum est, quae nunc appellatur Remphis. Est autem in finibus Diospoleos et a plerisque Arimathaea *nunc* dicitur.

[9] Vers. 22. — Sequitur Prov. 17, 17. — Cfr. infra n. 66. et 67.

[10] Vers. 2. Cfr. infra n. 68. — Superius pro *apportatione* plures codd. et Gorranus *appositione.*

dum enim credebat resurrectionem, sicut nec discipuli; tamen multum amabat, unde dicit: *Quasi libras centum;* non enim intelligebat adhuc quod in Psalmo [1] dicitur: « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem ».

Secundo, in corporis conditione.

63. (Vers. 40.). *Acceperunt ergo.* Tangitur devotio Nicodemi in *corporis conditione. Acceperunt ergo,* ipse scilicet et Ioseph, *corpus Iesu et ligaverunt illud linteis et aromatibus* [2], perunxerunt, supple; *sicut mos est Iudaeis sepelire,* scilicet honorifice; Genesis ultimo: « Praecepit Ioseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem ». Chrysostomus [3]: « Sepeliunt ipsum, non ut condemnatum, sed, ut consuetudo est Iudaeis, multum scilicet honorifice, ut magnum quendam et mirabilem ».

Collocatio corporis in sepulcro. Ratio duplex.

64. (Vers. 41.). *Erat autem in loco.* Hic ponitur tertium, scilicet *in sepulcro collocatio.* Et ratio, quare in loco illo collocatur, duplex innuitur, scilicet *loci congruitas* et *temporis brevitas: loci congruitas,* quia propinquum et novum; unde dicit: *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus et in horto monumentum novum;* et ideo novum, *in quo* scilicet *nondum quisquam positus fuerat* [4]. Et tale monumentum Domino congruebat, ut non alterius aestimaretur facta resurrectio, qui cum Domino iaceret. Augustinus dicit, quod « sicut in Mariae Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus fuit; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est ».

65. (Vers. 42.). *Ibi ergo propter parasceven Iudaeorum,* et ita solemnitas imminebat, propter quam nec longe ferre licebat; *quia iuxta erat monumentum,* id est prope, *posuerunt eum* [5], scilicet Iesum. Augustinus: « Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret, quando iam propter parasceven, quam *coenam puram* Iudaei Latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat ».

Quaestiones.

66. Quaest. I. Sed quaeritur hic: quare nullus discipulorum Domini accessit ad sepeliendum ipsum? — *Si dicas,* quod timore Iudaeorum non audebant; sed Ioseph multo magis timebat: ergo multo magis debebat iste dimittere [6].

Respondeo: Ratio fuit et *humana* et *divina:* *humana,* quia, etsi discipuli et iste timerent Iudaeos, tamen iste erat nobilis persona, sicut dicitur Marci decimo quinto [7]; et ideo confidebat de impetratione, quia notus erat Pilato. Ratio *divina,* quia, si discipuli sepelissent, probabile argumentum habuissent Iudaei, quod corpus eius postmodum furati essent [8]. Resp. cum 2 rationibus.

67. Quaest. II. Item quaeritur de *metu Ioseph,* utrum fuerit bonus. — Quod *non,* videtur, quia magis est amanda salus propria quam confusio mundana: ergo si iste non audebat nomen Christi confiteri propter metum, malus erat metus [9].

Sed contrarium dicitur Lucae vigesimo tertio [10], quod *erat vir bonus et iustus.* Contra.

Respondeo: Timor ille non erat *iniquitatis,* sed cuiusdam *naturalis infirmitatis,* qua homo timet pudorem; nec fuit *culpa,* quia non tantum timuit, ut negaret, ut Petrus, sed non, ut publice praedicaret; et hoc non erat tunc necessitatis, sed perfectionis. Ambrosius [11]: « Quid mirum, si occultatur iustus, cum occultabantur et Apostoli, iustorum magistri »? Resp.

68. Quaest. III. Item quaeritur de *devotione* [12] *Nicodemi.* — Videtur enim, quod peccaverit: quia, sicut peccatum est in tenacitate, sic peccatum est in superflua effusione; sed superflua fuit unguenti effusio, quia nullius necessitatis vel utilitatis; et praeterea non erat opus tanto.

Respondeo, quod laudatur devotio Nicodemi; nec fuit ibi perditio, sed devotio, sicut dicitur supra Resp.

---

[1] Psalm. 15, 10. — Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 3: Tum ipsi operi manum adhibuit etiam Nicodemus, et magnifice sepeliunt. Adhuc enim illum pro puro homine habebant. Et aromata ferunt huiusmodi, quae maxime possint corpus diuturno tempore conservare, ne citius in corruptionem vergat; quo indicabatur, illos non magnum quidpiam de ipso sentire; attamen multum amorem prae se ferebant.

[2] Vulgata *linteis cum aromatibus.* — Subinde allegatur Gen. 50, 2.

[3] In Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 3, in fine: Mihi videtur, eum [Ioseph] ex insignioribus viris fuisse, ut ex funeris sumtu liquet, et Pilato notum fuisse, quapropter id impetravit ipsumque sepelivit, non ut damnatum, sed, *ut mos erat Iudaeis sepelire,* virum magnum et admirandum [ὡς μέγαν τινὰ καὶ θαυμαστόν]. — Pro *magnum quendam* plures codd., refragantibus C E cum ed., Gorrano et textu originali, *magnum quidem.*

[4] Vulgata *erat.* — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 120. n. 5. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4: Dispensatum est, ipsum deponi in novo monumento, in quo nemo depositus ante fuerat, ut non crederetur, alterum resurrexisse, qui cum illo depositus fuisset etc.

[5] Vulgata *Iesum;* non pauci codd. *ubi* (? *ibi*) *posuerunt eum.* — In sententia August., quae est in Ioan. Evang. tr. 120. n. 5, codd. omittunt *Iudaei Latine usitatius apud nos.* — Superius vocibus *nec longe* ed. cum Gorrano interserit *eum.*

[6] Vide Chrysost. in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 3. circa finem. — Superius pro *sed* ed. *contra, quia.*

[7] Vers. 43: Venit Ioseph ab Arimathaea, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans etc. — Hanc rationem insinuat Chrysost.; cfr. supra nota 3.

[8] Cfr. Matth. 27, 64: Iube ergo, custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius et furentur eum etc.

[9] Matth. 10, 32. seq.: Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo etc. Ambros., X. in Luc. 23, 50. n. 138: Quomodo *iustus* latebram periculi timore quaesivit? [10] Vers. 50.

[11] Libr. X. in Luc. 23, 50. n. 138: « Ego autem puto, quod ideo occulte petierit, ut corpus impetraret, non ut periculum caveret. Et tamen quid mirum, si occultabatur iustus, quando occultabantur et Apostoli, iustorum magistri »? Codd. nostri et Gorranus haec ultima verba sic exhibent: *cum occultabantur Apostoli iustorum?*

[12] Cod. N *unctione;* cfr. supra n. 62.

duodecimo [1]; et sicut non potest homo servire Divinitati nimium, sic corpori Christi pro nobis crucifixo nullus potest superfluum impendere obsequium. Ideo, etsi superfluitas fuisset circa alium, non tamen circa illud corpus sanctissimum.

Ad obiect. Quod obiicit: Non indigebat; dicendum, quod ipse credebat indigere, et hoc quidem non erat laudis, sed ignorantiae. Sed in hoc, quod dignum magno honore credebat et illi impendebat, devotio commendatur [2].

69. Quaest. IV. Sed quaeritur ex *parte Domini*: cum ipse Dominus omnem formam debuerit nobis dare perfectionis; et ipse doceat Matthaei octavo [3] contemnere sepulturam: videtur, quod sua dispositione in loco vili et contemptibiliter debuerit se facere sepeliri, sicut et viliter pati.

Resp. Respondeo: Dicendum, quod nobis contemnenda est sepultura propter fidem resurrectionis; quia credimus, quod ubicumque pulveres sunt dispersi, a Domino in unum colligentur nec effugient divinae cognitionis et virtutis potentiam [4]. Sed sepultura Christi erat ad fidem nostrae resurrectionis astruendam; in hoc enim, quod credimus, caput nostrum resurrexisse, et nos credimus resurrecturos. Et ideo, ut resurrectio eius esset certa, debuit in loco patenti et honorabiliter sepeliri et a militibus etiam custodiri ad suspicionem tollendam [5].

Ad obiect. Quod ergo obiicit, quod exemplum dare debuit, quod non curaremus de vilitate sepulturae; dicendum, quod sic debuit dare exemplum morum, ut tamen fidei non praeiudicaret, ut sic currat humilitas simul et veritas. Nihilominus tamen satis dedit exemplum, quod non est curandum de sepultura. Si enim, dum viveret, de poenis et ignominia corporis non curavit; ostendit post mortem, multo minus esse curandum de vilitate corporis exanimis [6].

Capitulum XX.

Tertio tractatur de Christi resurrectione tripliciter.

1. *Una autem Sabbati* etc. Egit supra [7] Evangelista de his quae spectant ad Domini incarnationem et passionem; ab hoc loco usque in finem agit de his quae spectant ad eius *resurrectionem*. Agitur ergo in hac parte de manifestatione resurrectionis Christi. Et quia hanc manifestationem praeivit discipulorum sollicitudo, et secuta est nostra instructio sive fidei certitudo; ideo in hac parte sunt tres partes; in quarum prima describitur *sollicitudo discipulorum et mulierum*, quibus se manifestavit. In secunda describitur *ipsa manifestatio*, ibi [8]: *Abierunt ergo discipuli*. In tertia, *nostrae fidei confirmatio*, ibi: *Hic est discipulus ille* etc.

Primo, de sollicitudine discipulorum et mulierum.

Prima pars dividitur; quia enim Dominus utrumque sexum redemerat et utrique se manifestare volebat; praemittitur non tantum sollicitudo virorum, sed etiam mulierum. Ideo primo ponitur sollicitudo *Mariae;* deinde *discipulorum*, ibi [9]: *Exiit ergo Petrus* etc. Primo, de sollicitudine Mariae Magdalenae.

Expositio litteralis. 2. (Vers. 1.). Sollicitudo Mariae notatur et in *vigilantia ad requirendum* et in *diligentia ad renuntiandum*. — Vigilans quippe ad *requirendum* fuit, quia summo diluculo venit; propterea dicit: *Una autem Sabbati*, scilicet die dominica, quae est *una*, id est prima dies *Sabbati*, id est septimanae, secundum illud Lucae decimo octavo [10]: « Ieiuno bis in Sabbato ». *Sabbatum* etiam dicitur septimus dies; Exodi vigesimo: « Memento, ut diem Sabbati sanctifices ». *Maria Magdalene venit mane*, tanquam sollicita videre Domini corpus, et ideo non exspectavit diem; et ideo addit: *Cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum*. Chrysostomus [11]: « Maria, omnino circa Magistrum amicabiliter se habens, quia Sabbatum transiit, non sustinuit quiescere; sed venit diluculo profundo ad monumentum, a loco mitigationem quandam invenire volens ». Et quia *mane*, ideo in- Vigilantia ipsius.

---

[1] Vers. 3. seqq.; cfr. Matth. 26, 10. seqq.: Opus enim bonum operata est in me etc. — B. Albert., Postilla in Ioan. 19, 39: Dicendum, quod haec obiectio impia est, quia corpus consideratur tripliciter, scilicet ut sanctitati animae est comparatum, et sic debetur ei honor; et prout est ordinatum ad resurrectionem gloriae, et sic debetur ei veneratio; et prout est divinum, Divinitati unitum, et sic debetur ei cultus divinus etc. — Inferius pro *circa aliam* ed. cum uno alteroque cod. *circa aliud*.

[2] Cfr. supra n. 62. et 63. verba Chrysost.

[3] Vers. 22: Sequere me et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. — Inferius pro *contemptibiliter* A B *contemptibili;* subinde verbo *pati* ed. cum Gorrano addit *voluit*.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 43. a. 1. q. 1. seqq. — De seq. propositione cfr. I. Cor. 15, 12 seqq.

[5] Vide Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4.

[6] Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 5, et August., de Cura gerenda pro mortuis, c. 2. et 3. n. 4. et 5.

[7] Cfr. c. 1. n. 17.

[8] Vers. 10. *Abierunt ergo iterum discipuli;* tertia pars incipit 21, 24.

[9] Vers. 3.

[10] Vers. 12. — Sequitur Exod. 20, 8. Theophylact., in Ioan. 20, 1: *Unam Sabbatorum* nominat quam nos Dominicam vocamus. Nam *Sabbata* dies hebdomadae nominant; *unam* autem dierum Sabbati, primam. Etenim revera dies omnes una sunt; saepe autem, cum accipitur una et componitur, multas facit. Una itaque est *prima;* bis autem si accipiatur, fit secunda; et tertio, tertia et deinceps. Futuri autem saeculi typus est dies iste, quod saeculum unus dies est, nunquam nocte dissectus aut dimidiatus etc. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 120. n. 6: *Una Sabbati* est quem iam diem dominicum propter Domini resurrectionem mos christianus appellat; quem Matthaeus [28, 1.] solus in Evangelistis *primam Sabbati* nominavit. — Superius pro *notatur* non pauci codd. et Gorranus *ponitur*.

[11] In Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4.

venit; Proverbiorum octavo [1]: « Qui mane vigilaverint ad me invenient me ». — *Et vidit lapidem*, hic notatur diligentia *ad renuntiandum* in hoc, quod visam monumenti apertionem refert discipulis; unde: *Et vidit lapidem revolutum* [2] *a monumento*. Ista remotio lapidis significata fuit Iudicum decimo sexto, ubi dicitur, quod « Samson apprehendit ambas fores portae cum postibus et seris impositasque humeris suis portavit ad verticem montis ».

Diligentia ad renuntiandum.

3. (Vers. 2.). *Cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum*, qui praecipue inter alios Christum diligebat, *et ad alium discipulum, quem diligebat* [3] *Iesus*, id est ad Ioannem, qui se non nominat propter humilitatem; *et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento;* in Graeco additur *meum* ad expressionem affectus. *Tulerunt*, scilicet infinite, vel Iudaei, vel custodes, *et nescio* [4], *ubi posuerunt eum*, quod erat ei causa maioris doloris. Quia enim eum adhuc carnaliter cognoscebat et amabat; ideo, carne eius subtracta, nulla consolatio remanebat [5].

4. (Vers. 3.). *Exiit ergo Simon Petrus.* Hic notatur sollicitudo *discipulorum* et in *velocitate currendi* et in *curiositate considerandi*, ibi [6]: *Et cum inclinasset se.* Solliciti igitur fuerunt, quia, audito, quod sublatus esset, velociter venerunt; unde dicit: *Exiit ergo Simon Petrus et ille alius discipulus et venerunt ad monumentum;* hoc dictum est per anticipationem, hoc est, arripuerunt iter, ut venirent ad monumentum; et velociter veniebant [7], unde dicit:

Secundo, de duplici sollicitudine discipulorum.

Prima.

5. (Vers. 4.). *Currebant autem duo simul*, velociter scilicet, sed in hac velocitate dispariter; unde: *Et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro et venit prior* [8] *ad monumentum* — ideo *velociter*, quia comprehendere volebant; primae ad Corinthios nono: « Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis » — vel quia iunior erat et citius currere poterat, vel quia ad videndum erat ferventior; sed tamen Petrus fuit in considerando diligentior; unde sequitur disparitas in diligentia considerationis [9]. Nam:

6. (Vers. 5.). *Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit;* et sic in quaerendo fuit velox, sed in consideratione [10] remissus, Petrus autem e contrario; unde dicit:

Secunda.

7. (Vers. 6.). *Venit autem* [11] *Simon Petrus sequens eum et introivit in monumentum*, non contentus tantum extra aspicere, ut Ioannes. Et sic verificatum est illud Matthaei decimo nono: « Erunt novissimi primi, et primi novissimi ». *Et vidit linteamina posita*, separatim.

8. (Vers. 7.). *Et sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum*, tanquam hoc gestum esset per festinationem; *sed separatim involutum in unum locum; linteamina* ad operiendum corpus; supra decimo nono [12]: « Acceperunt corpus Iesu et ligaverunt illud linteaminibus »; *sudarium* ad operiendum faciem; supra undecimo: « Et facies eius involuta erat sudario ». Et sic omnia diligenter respexit ante quam Ioannes, qui eum praecesserat, sed tamen in diligenti consideratione sequitur eum; unde dicit:

---

[1] Vers. 17. — Cfr. infra n. 11-13.

[2] Vulgata *sublatum*. — Sequitur Iudic. 16, 3, in quem locum cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 21. n. 7, cuius verba retulimus tom. III. pag. 456, nota 6. — Vide infra n. 14.

[3] Vulgata *amabat*, quae etiam paulo inferius pro *dicit eis* substituit *dicit illis*. — Ed. omittit *qui se non nominat propter humilitatem* (cfr. supra c. 18. n. 29. et 39; c. 19, n. 44.). August., in Ioan. Evang. tr. 120. n. 6: Nonnulli codices etiam Graeci habent *tulerunt Dominum meum*, quod videri dictum potest propensiore caritatis vel famulatus affectu; sed hoc in pluribus codicibus, quos in promptu habuimus, non invenimus.

[4] Vulgata *nescimus* (ita etiam E). — Superius pro *infinite*, quod B M omittunt, ed. cum Gorrano *ministri*. Cfr. B. Albert., in hunc locum: *Tulerunt Dominum de monumento*, hoc est abstulerunt. Qui autem abstulerint, *non determinavit*, quia notum putat esse discipulis; quia illi qui omnia mala contra Dominum attentaverunt, etiam hoc malum fecerunt etc.

[5] Cfr. infra n. 34.

[6] Vers. 5. — Cfr. infra n. 15. et 16.

[7] August., in Ioan. Evang. tr. 120. n. 7: Advertenda hic et commendanda est recapitulatio, quomodo reditum est ad id quod fuerat praetermissum, et tamen, quasi hoc sequeretur, adiunctum est. Cum enim iam dixisset *venerunt ad monumentum*, regressus est, ut narraret, quomodo venerunt, atque ait: *Currebant autem duo simul* etc.

[8] Vulgata *primus*. — Sequitur I. Cor. 9, 24. — Post *duo simul* ed. cum C addit: *Semper simul vadunt, unde et ad orationem simul. Act. tertio* [v. 1.]: *Petrus et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Currebant autem duo simul.* Haec sumta sunt ex Chrysost., in Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 2.

[9] Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4: Hic mihi perpende, quam sit Evangelista a fastu alienus, et quomodo accuratam Petri perquisitionem testificetur. Nam cum praevenisset illum et vidisset *linteamina posita*, nihil ultra perquisivit, sed discessit; ille vero fervens, cum intrasset, omnia diligenter inspexit et quid amplius vidit, et tunc hic ad spectaculum evocatus est etc. — Superius pro *ad videndum* multi codd. et Gorranus *videre*.

[10] Nonnulli codd. et ed. *considerando*.

[11] Pro *autem*, quod plures codd. omittunt, Vulgata *ergo*. — Subinde allegatur Matth. 19, 30.

[12] Vers. 40; sequitur 11, 44. — Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4: Et vident *linteamina posita*, quod erat resurrectionis signum. Neque enim, si quispiam corpus abstulissent, illud antea nudavissent; nec si furati essent, ita curassent sindonem auferre, involvere et certo loco ponere, sed, ut erat corpus, abstulissent. Ideo Ioannes dicere praeoccupat, cum multa myrrha fuisse sepultum [cfr. supra 19, 39.], quae non minus quam plumbum linteamina corpori conglutinat, ut cum audieris sudaria seorsim posita iacuisse, ne feras eos qui dicunt, ipsum furto sublatum fuisse. Neque enim fur adeo stultus fuisset, ut in re superflua tantam poneret curam. Qua de causa sudaria reliquisset? Quomodo id faciendo latuisset? Nam diutius erat ea in re immorandum, et si tardasset, deprehensus fuisset etc. — Superius post *linteamina* ed. cum Gorrano addit *autem fuerant*, quae etiam aliquanto inferius pro *consideratione* substituit *inquisitione*.

9. (Vers. 8.). *Tunc ergo introivit et ille alius discipulus, qui venit primus* [1] *ad monumentum*, scilicet exemplo Petri, *et vidit*, quae praedicta sunt, *et credidit.* — Sed aliter exponitur secundum Chrysostomum, aliter secundum Augustinum. Nam Chrysostomus [2] exponit: *credidit*, eum scilicet resurrexisse; et argumentum habuit ex hoc, quod si aliquis sustulisset, non sic omnia ordinate reliquisset, quae erant magis utilia quam corpus. Augustinus [3] autem aliter exponit: *credidit*, scilicet corpus esse sublatum, sicut mulier dixerat; et hoc probat per litteram sequentem:

Duplex expositio.

10. (Vers. 9.). *Nondum enim sciebat* [4] *Scripturam, quia oportet eum a mortuis resurgere;* ideo non credidit resurrexisse, sed sublatum esse. — Tamen, si velimus tenere expositionem Chrysostomi [5], littera sequens sic continuatur: *Vidit et credidit*, id est, tunc primo ex visu credidit, quia ante non credebat; *nondum enim sciebat Scripturam.*

Quaestiones.

11. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo: cum aliae mulieres cum Magdalena venissent ad monumentum, propter quid tantum de ea loquitur Ioannes?

Respondet Augustinus in tertio libro de Concordia Evangelistarum [6]: « Maria, inquit, Magdalena ceteris mulieribus, quae Domino ministraverant, plurimum ferventior erat; propter quod solam non immerito Ioannes commemoravit, tacitis aliis, quae cum ea fuerunt, sicut alii testantur ».

Resp.

12. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Mane venit ad monumentum.* — *Contra:* Matthaei vigesimo octavo [7] dicitur, quod *vespere venerunt videre sepulcrum.*

Respondet Augustinus [8] dicens, quod « *vespere Sabbati* idem est, quod nocte Sabbati »; et hoc probat, quod ita debet intelligi, per litteram sequentem: « *quae lucescit in prima Sabbati;* quod fieri non potest, si solum noctis initium intellexerimus; sed *vespera* per synecdochen *noctem* dat intelligere, quae luce incipit terminari ». — Alii [9] respondent, quod illud dictum est, quia *vespera* praeparaverunt se emendo aromata, sed *mane* diluculo venerunt, sicut dicit Ioannes.

Resp. 1.

Resp. 2.

13. Quaest. III. Item, quid est quod dicitur: *Cum adhuc tenebrae essent,* quia Marci decimo sexto [10] dicitur: *Orto iam sole?*

Respondeo: Sicut dicit Augustinus in libro de Concordia Evangelistarum [11], bis venit Maria: primo, antequam vocaret discipulos, et postea iterum rediit; et primo venit, cum adhuc essent tenebrae; post, cum sol luceret.

Resp.

14. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Vidit lapidem revolutum* etc. — Nonne maioris virtutis fuisset eo clauso exire? Videtur, quod sic.

Et dicendum, quod Dominus surrexit, clauso monumento, et illud apertum est postmodum ab Angelo. Chrysostomus [12]: « Surrexit quidem, et la-

Resp.

---

[1] Vulgata: *et ille discipulus, qui venerat primus* (ed. *qui venerat prius* [nonnulli codd. habent etiam *prius*] *vel prior*). — Notamus, quod secundum nonnullos verba *et credidit*, non, ut volunt Chrysost., Cyrillus Alexandr. etc., *Petrum et Ioannem* respiciant, sed solum Ioannem, qui credidisse dicitur Domini resurrectionem (cfr. inferius sententiam August.).

[2] In Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4: « Ut discas, non festinanter et tumultuose hoc factum esse, ut haec separatim iacerent, et illa seorsim involuta; hinc enim factum, ut *resurrectionem crederent* ». De argumento addito cfr. supra pag. 505, nota 12.

[3] In Ioan. Evang. tr. 120. n. 9: Hic nonnulli parum attendentes putant, hoc Ioannem credidisse, quod Iesus resurrexit; sed quod sequitur hoc non indicat. Quid sibi enim vult, quod statim adiunxit: *Nondum enim sciebant Scripturam...* Quid ergo *vidit*, quid *credidit? Vidit* scilicet inane monumentum; *et credidit* quod dixerat mulier, eum de monumento esse sublatum. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 5.

[4] Vulgata *sciebant*, quae etiam subinde pro *oportet* (ed. cum Gorrano *oporteret*) substituit *oportebat* (ita etiam C).

[5] Vide n. 9.

[6] Cap. 24. n. 69.

[7] Vers. 1.

[8] Libr. III. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 65. Textus originalis plura interserit. Pro *dat intelligere* plures codd. et Gorranus *dat intelligi.* De *synecdoche* cfr. supra pag. 254, nota 2. et pag. 405, nota 8.

[9] Beda, in Matth. 28, 1: Vespere quidem Sabbati venire coeperunt, sed lucescente mane in prima Sabbati, ad sepulcrum pervenerunt, id est, vespere aromata paraverunt, sed parata mane ad sepulcrum detulerunt, quod Matthaeus quidem brevitatis causa obscurius posuit, sed Evangelistae alii, quo ordine sit factum, evidentius ostendunt etc.

[10] Vers. 2. Ed. *Valde mane oriente, vel orto iam sole.*

[11] Libr. III. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 69, secundum sensum. B. Albert., Postilla in Ioan. 20, 1, eandem difficultatem proponit et respondet: Sed ad hoc dicit beatus Augustinus, scilicet quod bis venit Maria Magdalena, scilicet primo in tenebris, et tunc discessit, et orto iam sole, rediit. Et primum tangit Ioannes, et secundum Marcus etc. Cfr. etiam Comment. in Ioan. sub nomine S. Bonav. in ed. Vaticana publicatum, ubi (in c. 20. n. 2.) dicitur: « Et ad istud respondendum secundum Augustinum, quod Maria bis venit, scilicet primo, *cum essent tenebrae*, et deinde, *orto sole*, et tunc renuntiavit discipulis ». — Ed. sola in textu ex August., loc. cit. n. 65. haec addit: Quod Ioannes dicit: *mane, cum adhuc tenebrae essent*, hoc intelligitur Marcus dicere, valde mane oriente iam sole, id est, cum caelum ab orientis parte iam albesceret; quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate. Ideo non repugnat illi qui ait, *cum adhuc tenebrae essent.* Die quippe surgente, aliquae reliquiae tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait: valde mane, tanquam sol ipse videretur iam super terras, sed potius, sicut dicere solemus eis quibus volumus significare temperius aliquid faciendum. Cum enim dixerimus mane, ne putent iam sole supra terram conspicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus *valde mane*, ut illud quod etiam albescente vocatur, intelligant. Alii respondent, bis etc. — Cfr. infra n. 32.

[12] In Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4. Pro *iacentibus* H, card. Hugo et S. Thomas in Catena aurea *iniacentibus* (ἐπικειμένων), plures alii codd. *ibi iacentibus*, M a secunda manu et B. Albert. *manentibus.* Cfr. infra n. 63.

pide et signaculis iacentibus, Iesus. Quia vero oportebat, alios certificari; aperitur monumentum post resurrectionem, et ita creditur quod factum est ».

15. Quaest. V. Item quaeritur: unde hoc, quod isti soli cucurrerunt, et alii non?

Resp. Dicendum, quod vel quia istis solis relatum est; vel, sicut dicit Gregorius [1], « illi prae ceteris cucurrerunt, qui prae ceteris amaverunt ».

16. Quaest. VI. Item, 1: cum Lucas dicat vigesimo quarto [2], quod Petrus ivit ad monumentum, tantum de Petro loquitur; quid est, quod Ioannes hic duos cucurrisse dicit?

2. Item, quae necessitas erat, quod Ioannes hic de se faceret mentionem? — Videtur, quod melius fecisset tacendo.

Resp. Respondet Augustinus in tertio de Concordia Evangelistarum [3], quod Lucas Petrum solum commemoravit, quia illi Magdalena primo nuntiavit; et tamen ipse utrumque commemorat; unde Cleophas dixit: *Abierunt quidam ex nostris ad monumentum* etc.

Ad 2. Ad aliud, quod quaeritur: quare de se facit mentionem? duplex est ratio: *litteralis* scilicet, quia Ratio litteralis. volebat Petrum sibi praeponere, ut Petrum laudaret, se ipsum humiliaret; quia, cum ipse prior venisset, Allegorica. posterior introivit [4]. — *Allegorica* vero est, quia per Ioannem populus *Iudaicus*, per Petrum seniorem *gentilis* designatur. Ioannes prius cucurrit, sed non introivit; quia Iudaeus prius Legem suscepit, sed non credidit; gentilis vero tardius veniens credidit [5].

Secundo, de manifestatione resurrectionis.

17. *Abierunt ergo* [6] *discipuli ad semetipsos* etc. Supra egit de sollicitudine, hic agit de *manifestatione;* et quia manifestatio utrique sexui facta est, Divisio. ideo dividitur haec pars in duas. In prima agitur de manifestatione facta *mulieri;* in secunda, de manifestatione facta *discipulis*, ibi [7]: *Cum ergo esset sero* etc.

Primo, de manifestatione facta mulieri notantur quinque.

Manifestatio igitur facta *mulieri* hoc ordine describitur. Primo insinuatur Mariae *desolatio;* se- Divisio. cundo, desolatae offertur *consolatio*, ibi [8]: *Dum ergo fleret* etc.; tertio, nolenti consolari offertur *Christi manifestatio*, ibi: *Haec cum dixisset, conversa* etc.; quarto, de manifestatione publicanda sibi datur *praeceptio*, ibi: *Dicit ei Iesus: Noli me tangere;* quinto, manifestationis seu apparitionis *relatio*, ibi: *Venit Maria Magdalene.*

18. (Vers. 10.). Insinuatur ergo vehemens Mariae De primo. *desolatio*, quae ipsam inquietam non sinebat recedere a sepulcro, etiam aliis discipulis recedentibus; propterea dicit: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos*, « id est, ubi habitabant [9] », priusquam ad monumentum venerant, ut aliquam consolationem reciperent.

19. (Vers. 11.). *Maria autem stabat ad monumentum foris,* « id est ante illum saxei sepulcri locum [10] », et perseveranter manebat; ideo invenit; Lucae undecimo: « At ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget et dabit illi, quotquot habet panes necessarios »; ad Colossenses quarto: « Orationi instate, vigilantes in ea » etc. *Plorans;* Augustinus [11]: « Oculi, qui Dominum quaesierant et non invenerant, iam lacrymis vacabant, et plus dolet mulier, quod fuerat Dominus ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno ».

Notandum, quod Maria flevit *compunctione*, Lu- Triplex fletus. cae septimo [12]; flevit *compassione*, supra undecimo: « Iesus, ut vidit eam plorantem »; flevit *devotione*, ut hic, de quo Psalmus: « Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus »?

Dum ergo fleret. Hic desolatae *consolatio offer-* De secundo duo. *tur* et in *visu* et in *affatu*, sed ipsa neutro consolatur. In *visu* consolatur in aspectu Angelorum [13]; Primum.

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 2. — Chrysost., in Ioan. homil. 85. (alias 84.) n. 4: Cum venisset illa et haec dixisset, hoc audito, illi [Petrus et Ioannes] ad sepulcrum statim properant.

[2] Vers. 12: Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum etc.

[3] Cap. 25. n. 70: Cum ipse Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum, et Cleopham dixisse, ipse [Luc. 24, 24.] retulerit, quod *quidam eorum ierant ad monumentum;* intelligitur attestari Ioanni, quod duo ierint ad monumentum; sed Petrum solum primo commemoravit, quia illi primitus Maria nuntiaverat.

[4] Cfr. supra pag. 505, nota 9. verba Chrysost.

[5] Secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 2. et 3. — Plurimi codd. superius omittunt *designatur.*

[6] Vulgata addit *iterum;* cfr. supra n. 1, ubi etiam membra divisionis ponuntur.

[7] Vers. 19.

[8] Vers. 11; tertia pars incipit v. 14: quarta v. 17; quinta v. 18.

[9] August., in Ioan. Evang. tr. 121. n. 1: Id est, ubi habitabant et unde ad monumentum cucurrerant. Multi codd. legunt *ubi habitabant prius et* [C *prius cum*] *ad monumentum venerant.* Subinde pro *ut aliquam consolationem reciperent,* quod habent A F G I K L, ed. cum aliis codd. *quasi* [ita C E; plures alii codd. *id est;* Gorranus *aut*] *aliquam recipientes* [Gorranus *recepissent*] *consolationem.*

[10] Ut dicit August., III. de Consensu Evangelist. c. 24. n. 69. In C N additur *stabat*, qui subinde cum pluribus aliis codd. pro *et perseveranter* substituunt *id est perseveranter,* ed. cum Gorrano *perseveranter.* — Sequuntur Luc. 11, 8. et Coloss. 4, 2.

[11] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 1, ubi pro *et plus dolet mulier* textus originalis, quem sequitur ed., *amplius dolentes.* — Cfr. infra n. 29.

[12] Vers. 38: Et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius etc. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 11, 33. et Ps. 41, 4.

[13] Ed. cum Gorrano hic legit: *sed ipsa in neutro consolatur, nec in visu nec in affatu Angelorum,* et inferius post *recepit* (ed. cum pluribus codd. *recipit*) addit *desolationem.* — Cfr. infra n. 30.

unde dicit: *Dum ergo flèret*, quasi desolata, *inclinavit se et prospexit in monumentum*, ut saltem ex aspectu loci consolationem aliquam reciperet; sed maiorem recepit. *Inclinavit se*, per humilitatem; Iob vigesimo secundo [1]: « Qui humiliatus fuerit erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur ». Unde:

20. (Vers. 12.). *Et vidit duos Angelos in albis sedentes.* Ideo *in albis sedent*, quia nuntiare venerant splendorem nostrae solemnitatis, scilicet resurrectionis. *Unum ad caput et alium* [2] *ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu.* Gregorius exponit, quare sic positi erant. « Ille, inquit, ex passione annuntiandus erat, qui Deus est ante saecula et homo in fine saeculorum; quasi *ad caput* sedet Angelus, dum per Apostolum Ioannem praedicatur, quia *in principio erat Verbum* etc.; et quasi *ad pedes*, cum dicitur: *Verbum caro factum est* ». Et sic facta est ei consolatio *ex visu;* Lucae ultimo [3]: « Mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, eum vivere ».

21. (Vers. 13.). Non solum consolatur eam Dominus in visu, sed etiam in *affatu* Angelorum; unde dicit: *Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras?* quasi dicant: noli flere. Non enim erat iam tempus fletus, sed gaudii, Domino resurgente. Sed illa *consolari renuit*, causam sui doloris recolens: *Quia* [4] *tulerunt Dominum meum*, id est corpus, per synecdochen dicitur; *et nescio, ubi posuerunt eum.* Augustinus: « Haec erat maior causa doloris, quia nesciebat, quo iret ad consolandum dolorem ». Unde poterat dicere illud Psalmi [5]: « Renuit consolari anima mea » etc.; Threnorum primo: « Idcirco oculus meus plorans et deducens lacrymas, quia recessit a me consolator meus, vertens animam meam ».

Secundum.

22. (Vers. 14.). *Haec cum dixisset.* Hic nolenti consolari fit *Christi manifestatio;* et primo se manifestat sensibus *carnis*, deinde *mentis* [6]: sensibus *corporis, visui* scilicet per aspectum et *auditui* per colloquium. — *Aspicit* ergo primo Iesum, unde dicit: *Haec cum dixisset*, per quae ostendebat, se nolle consolari; *conversa est retrorsum et vidit Iesum stantem.* Ideo *conversa* est, quia amor non sinebat eam sistere, immo modo huc, modo illuc respiciebat. Vel, sicut dicit Chrysostomus [7], « Christus, silenter post ipsam apparens, obstupescit Angelos, et illi motu et signo ostenderunt, se aliquid magnum vidisse; et hoc mulierem convertit retrorsum ». *Et vidit Iesum*, oculis corporis, non cordis; unde: *Et nesciebat, quia Iesus esset* [8].

De tertio duo.

Primum, dupliciter.

Quoad visum.

23. (Vers. 15.). Sic manifestavit se per aspectum, manifestat etiam per *colloquium;* unde: *Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras?* quasi dicat: noli plorare. *Quem quaeris?* Illum quaerebat, quem et sponsa Canticorum tertio [9]: « In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea »; quasi dicat: non debes eum cum mortuis quaerere, quia « resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur », ad Romanos sexto. Sed nec adhuc per colloquium recognoscit; unde dicit: *Illa aestimans, quod* [10] *hortulanus esset*, quia sic diluculo venerat in hortum; *dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum*, id est Iesum. Non fecerat mentionem de Iesu ipsi, cum quo loquebatur, et tantum dicebat *eum;* quia, sicut dicit Gregorius [11], « hoc agere solet in animo vis amoris, ut quem ille semper cogitat, nullum alium ignorare credat ». *Dicito mihi, ubi posuisti eum* [12]; *et ego eum tollam.* Non ei sufficiebat videre, nisi eum tolleret, secundum illud Canticorum tertio: « Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae »; ideo tollere volebat.

Quoad auditum.

---

[1] Vers. 29. — Ed. *Inclinavit se, quia ostium illud erat humile. Inclinavit se per humilitatem; Iob* etc. Econtra C E N omittunt *Inclinavit se... ipse salvabitur.*

[2] Vulgata *unum.* — Sententia Gregorii [cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 121. n. 1.] habetur II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 3; in ipsa allegatur Ioan. 1, 1. et 14, ex qua allegatione et ex textu originali minus probabilis videtur lectio codd. et Gorrani (et S. Thomae, in Catena aurea in Ioan. c. 20. n. 2.), in qua pro *per Apostolum Ioannem* substituitur *per Apostolos.* Ibid. homil. 21. n. 2: Qui [Angelus] stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostrae gaudia nuntiavit. Candor etenim vestis splendorem nostrae denuntiat solemnitatis. Nostrae dicamus, an suae? Sed ut fateamur verius, et suae dicamus et nostrae. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit; et Angelorum festivitas exstitit, quia nos revocando ad caelestia eorum numerum implevit etc.

[3] Vers. 22. et 23, quos codd. non integre afferunt. — Cfr. infra n. 31. et 32.

[4] Vulgata, quam sequitur ed., *Dicit eis: Quia.* — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 121. n. 1, ubi etiam dicit: *Quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum.* Dominum suum vocans *corpus* exanime Domini sui, a toto partem significans [i. e. per synecdochen; cfr. supra pag. 405, nota 8.].

[5] Psalm. 76, 3. — Subinde allegatur Thren. 1, 16.

[6] Ed. *deinde mentis sensibus: sive primo corporis visui* etc.

[7] In Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 1. Cfr. infra n. 30. et 33. — Pro *Vel, sicut* multi codd. et Gorranus *Unde sicut.*

[8] Vulgata *Et vidit Iesum stantem, et non sciebat, quia Iesus est.*

[9] Vers. 1. — Sequitur Rom. 6, 9. — Ed. omittit *quasi dicat: noli plorare. Quem quaeris?*

[10] Vulgata *Illa existimans, quia.*

[11] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 5.

[12] Codd. *Dicito mihi, si tu sustulisti.* — Sequitur Cantic. 3, 4. Chrysost., in Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 1: Rursum dicit positum, sublatum, ac si mortuus esset. Hoc porro significat: Si propter Iudaeorum timorem hinc *sustulistis eum, dicito mihi, et ego eum tollam.* Magna benevolentia, magnus amor mulieris; sed nihil sublime sapit. Ideo iam non visu, sed voce se notum ipsi facit.

24. (Vers. 16.). *Dicit ei Iesus.* Manifestavit se sensui exteriori, hic se manifestat *interiori* ipsam nominatim vocando; unde: *Dicit ei Iesus: Maria.* Gregorius [1]: « Postquam eam communi vocabulo appellavit ex sexu et agnitus non est; vocat ex nomine, ut eum recognoscat, a quo recognoscitur ». *Conversa illa,* scilicet per intellectus captivationem; Apocalypsis primo [2]: « Conversus sum, ut viderem vocem, quae loquebatur mecum »; *dicit ei: Rabboni, quod interpretatur magister. Conversa,* non *corpore,* quia prius corpore erat conversa, sed *corde;* unde Augustinus [3]: « Tunc, inquit, conversa corpore, quod non erat putavit; nunc corde conversa, quod erat agnovit ». Recognoscens autem eum, vocat *magister;* quia sic consueverat eum vocare; supra undecimo [4] dixit Martha Mariae: « Magister adest et vocat te ».

Secundum.

25. (Vers. 17.). *Dicit ei Iesus.* Hic Mariae iam cognoscenti iniungitur *manifestationis publicatio;* et primo eam *corrigit;* secundo ad *annuntiandum mittit.* — *Corrigit* in hoc quod dicit: *Noli me tangere;* et rationem reddit: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.*

De quarto duo.

Primo, ipsa corrigitur.

26. Sed haec littera videtur habere *falsitatem* et *dubietatem:*

Quaest. incidens.

1. Quia alii Evangelistae [5] dicunt, quod « accesserunt mulieres et tenuerunt pedes eius ».

2. Item, quae ratio est ista: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Immo haec est ratio, quare tangere debuit, quia, si ascendisset, non posset tangere [6].

Propter hoc littera ista multipliciter exponitur.

Solutio prima.

Augustinus [7] exponit de tactu *cordis* seu fidei; unde dicit: « *Noli me tangere,* id est, noli me sic credere, quemadmodum adhuc sapis. Quomodo enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? Et hoc dicit sequens littera: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum,* id est ad Patris aequalitatem in corde tuo ».

Secunda.

Secundum Gregorium [8] intelligitur de tactu *corporali;* sed hoc Dominus non prohibet, ut dicit, « quia tactum horruit feminarum, cum scriptum sit: *Accesserunt mulieres et tenuerunt pedes eius* »; sed in hoc voluit ipsam indignam ad tangendum ostendere tanquam non recte credentem, vel plene; et hoc probat per litteram sequentem: « *Nondum enim ascendi ad Patrem.* In corde nostro tunc Iesus ascendit ad Patrem, cum aequalis creditur Patri ».

Tertia.

Secundum Chrysostomum [9] intelligitur de tactu *corporali;* et Dominus non prohibet *tangere,* sed innuit, se cum reverentia magis, quam cum erat passibilis, esse tangendum; et hoc indicat ratio sequens, in qua Dominus dicit: *Nondum ascendi,* sed tamen praeparo me ad ascendendum, et ideo non sum vobiscum ut prius.

Quarta.

Potest etiam et aliter illud exponi: quia Maria fervens erat videre Dominum, unde et diligentissime quaesierat, volebat in oscula pedum ruere et eum non dimittere; sed Dominus eam redarguit, ostendens, hic non esse locum fruitionis et tactus Christi, sed cum Patre, unde dicit: *Noli me tangere,* id est, tangendo me hic frui velle; *nondum enim ascendi,* ubi est locus fruitionis, ubi nunquam frustraberis; sed nunc oportet sequestrari corporaliter [10]. Unde eam mittit ad annuntiandum quod viderat.

Secundo, ipsa mittitur.

Vade autem ad fratres meos, Apostolos scilicet, de quibus in Psalmo [11]: « Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiae laudabo te »; *et dic eis,* annuntia *veritatem Christi resurgentis,* quae

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 5, ubi finem sententiae textus originalis sic exhibet: *vocat ex nomine; ac si ei aperte dicat: Recognosce eum, a quo recognosceris.*

[2] Vers. 12. Epist. II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. — Subinde pro *quod interpretatur* Vulgata *quod dicitur.*

[3] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 2.

[4] Vers. 28. [5] Matth. 28, 9.

[6] August., in Ioan. Evang. tr. 121. n. 3: Quid est hoc? Si stans in terra non tangitur, sedens in caelo quomodo ab hominibus tangeretur?

[7] Loc. in praecedente nota cit.: *Noli me tangere,* id est, noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis [hic plura adduntur in textu originali]. Quomodo... flebat? *Nondum enim ascendi,* inquit, *ad Patrem meum;* ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum. Cfr. Hieron., Epist. 120. (alias 150.) cap. sive quaest. 5: Et est sensus: Quem mortuum quaeris, viventem tangere non mereris. Si me necdum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es etc.

[8] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 5. seq.: *Noli me tangere.* Non quia post resurrectionem Dominus tactum renuit feminarum, cum de duabus ad sepulcrum eius venientibus scriptum sit [Matth. 28, 9.]: *Accesserunt et tenuerunt pedes eius.* Sed cur tangi non debeat, ratio quoque additur, cum subinfertur: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In corde etenim nostro tunc Iesus etc. — Pro *in corde nostro* ed. cum uno alteroque cod. et Gorrano *in corde tuo.*

[9] In Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2: Videtur mihi, adhuc velle illam cum ipso versari, ut prius, et ex gaudio nihil magnum cogitare, etiamsi longe melior factus erat secundum carnem. Ab hac ergo illam cogitatione abducens... illius cogitationem erigit, ut cum maiore reverentia sibi attendat... *Nondum ascendi,* declarat, se eo festinare et tendere; eum autem, qui illuc migraturus erat nec ultra cum hominibus versaturus, non oportebat eodem quo prius animo intueri.

[10] Cfr. Quaestiones et respons. ad orthodoxos (inter opera S. Iustini), q. 48, ubi in responsione dicitur: *Noli me tangere,* dictum est Mariae a Salvatore in hanc sententiam: Noli me assectari, ita ut mecum semper sis, ut in ea quam ante meam crucem habui vitae consuetudine. Volebat enim paulatim discipulos assuescere, ut ipsius corporis aspectu et praesentia carerent; quapropter nec semper discipulis videndum se praebebat, quamdiu in terris post resurrectionem moratus est, nec omnino inaspectabilem; sed interposito spatio utrumque faciebat, ut et illis videretur et non videretur. — Superius pro *frui velle* ed. *frui non velis,* quae etiam subinde pro *frustraberis* cum nonnullis codd. substituit *sequestraberis a me.* Multi codd. hic legunt *corporaliter, et statim; unde eam mittit* etc.

[11] Psalm. 21, 23.

Veritas resurgentis consistit in tribus.

consistit in *dignitate glorificationis*, qua iam erat idoneus ire in caelum; ideo dicit: *Dic eis: Ascendo;* ad Ephesios quarto [1]: « Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes caelos ». Consistit etiam veritas resurrectionis Christi in *excellentia Divinitatis;* unde dicit: *Ad Patrem meum et Patrem vestrum,* non eodem modo *meum,* quo *vestrum;* unde Gregorius [2]: « *Meum* per naturam, *vestrum* per gratiam ». Consistit etiam veritas resurrectionis Christi in *excellentia humanitatis,* et hanc tangit, cum dicit: *Deum meum et Deum vestrum;* Augustinus [3]: « *Deum meum,* sub quo et ego *homo* sum, *Deum vestrum,* inter quos et ipsum *Mediator* sum ».

27. (Vers. 18.). *Venit ergo* [4] *Maria Magdalene.*

De quinto.

Hic notatur quintum, scilicet *manifestationis relatio* facta a Magdalena; unde dicit: *Annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi,* supple: quae praedicta sunt; Chrysostomus [5]: « Annuntiat et visum et verba, ut in utroque erudiantur ».

Quaestiones.

28. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de ordine istius manifestationis. — Si enim discipuli digniores erant, videtur, quod primo eis Dominus apparere debebat, et iterum discipuli docere mulieres, quam mulieres discipulos [6].

Resp. cum duplici ratione.

Respondeo: Dicendum, quod hoc factum est *ordine divinae dispensationis* et *merito humanae sollicitudinis: ordo divinae dispensationis;* propter quod dicit Gregorius [7]: « Quia in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulcro mulier viris annuntiat vitam, et dicta vivificatoris narrat quae mortiferi serpentis verba narraverat ». *Meritum humanae sollicitudinis,* quia, discipulis recedentibus, mulier remansit afflicta et desolata; et ideo citius meruit apparitione dominica consolari et refici [8].

29. Quaest. II. Item quaeritur: cum Petrus Dominum tam ferventer diligeret, quare non remansit ad monumentum plorans, ut Maria, sed recessit?

Et respondet Chrysostomus [9]: « Compassibile quodam modo est muliebre genus »; et ideo non mireris, quod Maria amare flebat ad sepulcrum, Petrus vero nihil tale compassus est. — Alii sumunt rationem ex parte *fidei:* quia enim mulier minus de resurrectione sperabat, ideo magis de sublato corpore dolebat; Petrus autem, etsi non plene, tamen aliquo modo confidebat; unde dicitur in Luca [10], quod « abiit secum mirans ». — Alii sumunt rationem a parte *amoris,* scilicet quia pro tempore illo vehementius discipulis ardebat et ferventior erat, ideo et sollicitior existebat [11].

Resp. 1.

Resp. 2.

Resp. 3.

30. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod dum Maria fleret, *inclinavit se et prospexit in monumentum.* — Ad quid respiciebat, ex quo ipsum non esse sciebat?

Respondet Gregorius [12]: « Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis ». Et Augustinus [13] dicit, quod « quia vehementer amabat, ideo nec suis nec aliorum oculis putavit facile esse credendum ».

Resp.

31. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod post recessum discipulorum vidit Angelos; quia dicitur Lucae vigesimo quarto [14], quod mulieres retulerunt Apostolis, quod viderant Angelos; et tunc dicitur quod discipuli iverunt ad monumentum.

Respondet Augustinus in tertio de Concordia Evangelistarum [15], quod « Lucas illud dicit per reca-

Resp.

---

[1] Vers. 10. Cfr. infra n. 35.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 6. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2. — Superius pro *Divinitatis* ed. *benignitatis.*

[3] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 3, ubi etiam praecedentem explicationem insinuat: Non ait: Patrem nostrum; aliter ergo meum, aliter vestrum: natura *meum,* gratia *vestrum.*

[4] Vulgata omittit *ergo.*

[5] In Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2: Nuntiavit autem Maria et visionem et verba, quae possent illos consolari [ἅπερ ἱκανὰ ἦν αὐτοὺς παραμυθήσασθαι].

[6] Cod. B legit: *et iterum videtur, quod magis discipuli docere deberent mulieres quam e converso;* ed.: *et iterum, quod discipuli debebant docere mulieres potius, quam* etc.

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 6.

[8] Gregor., loc. cit. n. 1: A monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. Exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa, eius quem ablatum credidit ardebat desiderio. Unde contigit, ut eum sola tunc videret, quae remansit, ut quaereret; quia nimirum virtus boni operis perseverantia est etc.

[9] In Ioan. homil. 86. (homil. 85.) n. 1: Περιπαθές πως τὸ γυναικεῖον γένος, καὶ πρὸς οἶκτον ἐπιῤῥεπέστερον, id est secundum card. Hug.: Magis enim compassibile est quodam modo muliebre genus et ad propitiationem aptius.

[10] Cap. 24, 12. In quem locum Theophylact.: At Petrus non cessat quemadmodum neque ignis materiam nactus; sed venit ad sepulturam et videt sola lintea; et tunc hanc utilitatem primum accipit a transitu ad sepulcrum: *Admirans* etc. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 1, ubi de Maria dicit: « Imbecillis erat natura necdum futuram resurrectionem clare noverat, quemadmodum etiam illi [Petrus et Ioannes], visis linteaminibus, credentes abierunt ad semetipsos perculsi ». August., in Ioan. Evang. tr. 121. n. 1: Viris enim redeuntibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus. Et oculi, qui Dominum quaesierant et non invenerant, lacrymis iam vacabant, amplius dolentes... Tenebat itaque ad monumentum iam dolor iste mulierem. Cfr. supra n. 19.

[11] Cfr. supra nota 8. verba Gregorii.

[12] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 2.

[13] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 1: Quid sibi ergo vult, quod ista, cum fleret, rursum in monumentum inclinata prospexit? Utrum, quod nimium dolebat, nec suis nec illorum oculis facile putabat esse credendum? An potius divino instinctu in animo eius effectum est, ut prospiceret?

[14] Vers. 4. seqq.

[15] Cap. 25. n. 70: Hoc autem de Petro commemorat [Lucas], priusquam narret de his duobus, quos invenit in via [Emmaus], posteaquam narravit de mulieribus, quae viderant Angelos et ab eis audierant, quod resurrexisset Iesus, tanquam

pitulationem; tunc enim cucurrerunt ad monumentum, quando tantummodo annuntiatum fuit de corpore ablato; et post factum est de visione Angelorum, quam postmodum retulerunt ».

32. Quaest. V. Item dubitatur: 1. Quia Marci decimo sexto [1] dicitur de *uno solo* Angelo: *Introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris coopertum stola candida*

2. Item, Marcus [2] dicit, Mariam *intrasse*, iste, tantum *aspexisse*.

Ad hoc respondet Augustinus in tertio de Con- Resp. cordia Evangelistarum [3]: « Prima, inquit, Sabbati, id est die dominico, diluculo venerunt mulieres ad monumentum, sicut omnes Evangelistae narrant; et ut viderunt lapidem sublatum, antequam diligentius inspicerent, cucurrerunt et nuntiaverunt Petro et Ioanni, qui cucurrerunt ad monumentum et postea reversi sunt. *Maria autem* cum aliis *stabat ad monumentum foris plorans* [4], id est ante illum saxei sepulcri locum, sed tamen intra illud spatium, quò iam ingressae fuerant. Tunc viderunt *Angelum sedentem in dexteris* super lapidem revolutum a monumento, de quo Angelo narrat Matthaeus vigesimo octavo [5] et Marcus decimo sexto. Tunc dixit eis: *Nolite timere vos* etc., quae dicit Matthaeus et Marcus. Ad haec verba Maria, dum fleret, *inclinavit se et prospexit in monumentum*, sicut hic [6] dicitur; ubi vidit *duos Angelos in albis sedentes, qui dicunt ei: Mulier, quid ploras?* Et tunc intelligendum, quod Angeli surrexerunt et *steterunt*, sicut Lucas [7] dicit, quod *duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti* ».

Unde solvitur contrarietas ex hoc, quod unus Recapitula- dicit quod alter omittit; et ex hoc, quod Marcus vo- tio. cat *monumentum* aliquod spatium ante sepulcrum maceria communitum, Ioannes vero ipsum locum, in quo erat corpus Iesu.

33. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc, quod Dominus se non statim manifestavit mulieri in propria effigie, sed visus est quasi hortulanus.

Respondet Gregorius [8], quod ratio huius erat Resp. 1. modus quaerendi Mariae. « Quia enim Maria amabat et dubitabat, videbat et non cognoscebat ». — Ber- Resp. 2. nardus [9] autem reddit rationem, quod hoc erat ad magis accendendum eam; unde dicit: « O delectabile pietatis spectaculum! Ipse qui quaeritur et desideratur, *occultat* se et *manifestatur;* occultat se, ut ardentius requiratur, et requisitus cum gaudio inveniatur, et inventus cum sollicitudine teneatur, et tentus non dimittatur ».

34. Quaest. VII. Item quaeritur, utrum Maria Christum crederet esse Deum? — Et quod sic, videtur, quia supra undecimo [10] dixit Martha: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* — Et etiam, quomodo fuissent ei remissa peccata sine fide recta?

Sed contrarium videtur dicere Gregorius et Au- Contra. gustinus super illud [11]: *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, sicut expositum est.

Respondendum, quod Maria ante passionem Chri- Resp. stum Deum esse credebat, tamen vehementissime eum in carne amabat; et ideo in passione tantum dolorem concepit, ut iam absorpta non nisi de humanitate et morte cogitaret, et ideo non recoleret opera Maiestatis, sed poenas humanitatis.

35. Quaest. VIII. Item, quid est quod dicit: *Ascendo ad Patrem*, cum Pater sit ubique?

Respondetur, quod *causaliter* intelligitur, quia Resp. 1. faciebat vel facturus erat se credere aequalem Patri per omnia; ideo dicitur *ascendere* [12] etc. — Vel ad Resp. 2. locum, ubi Pater magis manifestatur in suis operibus; unde dicitur *a dexteris sedere*, id est in potioribus bonis [13].

Secundo, de manifestatione facta discipulis.

36. *Cum ergo esset sero die illo* etc. Supra egit de manifestatione Domini facta mulieribus, hic agit de manifestatione facta *discipulis* [14]. Et sunt in Divisio in 3 partes. hac parte tres particulae secundum tres manifestatio-

---

tunc Petrus ad monumentum cucurrerit. Sed intelligitur hoc Lucas recapitulando posuisse de Petro. Tunc enim cucurrit Petrus ad monumentum, quando et Ioannes, cum tantummodo a mulieribus, praecipue a Maria Magdalene nuntiatum eis fuerat de corpore ablato; tunc autem illa nuntiaverat, quando vidit lapidem avulsum a monumento, et postea facta sunt haec de visione Angelorum atque ipsius Domini etc.

[1] Vers. 5. — Ed. legit: *Quia, ubi hic dicitur de duobus Angelis Marci... candida. Hic de sedentibus, Lucae ultimo* (v. 4.) *de stantibus.*

[2] Cap. 16, 5: Et introeuntes in monumentum etc.; Ioan. 20, 11: Inclinavit se et prospexit in monumentum.

[3] Cap. 24. n. 69. Textus originalis hinc inde plura interserit.

[4] Ioan. 20, 11.

[5] Vers. 2. seqq., ubi etiam habentur verba inferius posita: *Nolite timere vos* etc.; Marc. 16, 5. seqq.

[6] Vers. 11. v. 12. et 13. est seq. locus.

[7] Cap. 24, 4.

[8] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 25. n. 4, ubi pro *cognoscebat* textus originalis *agnoscebat.*

[9] In Meditatione in passionem et resurrect. Domini (inter opera Bernardi), c. 15. n. 38: O pium, o delectabile etc.

[10] Vers. 27. [11] Vers. 17. n. 26.

[12] Cfr. III. Sent. d. 22. dub. 4: Et iste ascensus [in caelum Trinitatis; cfr. supra pag. 327, nota 8.] non est ascensus ad locum, sed potius ad dignitatem et aequalitatem Patris. Nec est secundum acquisitionem novae dignitatis in Christo, sed propter manifestationem eius quod habuit ab aeterno etc. Vide etiam supra n. 26. et c. 3. n. 27.

[13] Marc. 16, 19: *Sedet a dextris Dei;* Ps. 109, 1: *Sede a dextris meis;* in quem locum Glossa *ordinaria:* i. e. in potioribus meis bonis et occultis. Cfr. III. Sent. d. 18. dub. 3, ubi duplex haec explicatio affertur. Cfr. etiam II. Sent. d. 2. p. II. dub. 2: Quod obiicitur de Christo, quod sedet *a dexteris;* dicendum, quod hoc, si dicatur secundum divinam naturam, dicitur per omnimodam aequalitatem. Si autem secundum humanam, sic dicitur *sedere a dextris*, quia in potioribus bonis Patris; unde in empyreo ceteros excellit, tam Angelos quam homines, et loco et dignitate. — Ed. addit *Patris.*

[14] Cfr. supra n. 17.

Duplex ratio divisionis.

nes, quae diversificantur quantum ad *modum* manifestandi et quantum ad *rationem:* quantum ad *modum;* nam prima est per *aspectum,* secunda per *tactum,* tertia per *gustum.* Primo enim se *ostendit;* secundo, *palpabilem exhibuit;* tertio, *comedit.* — Quantum ad *rationem* etiam manifestandi; nam primo ad *removendum incredulitatem omnium discipulorum;* secundo, ad *removendum incredulitatem Thomae;* tertio vero, ad *confirmationem dilectionis in Petro.* Et incipit secunda manifestatio ibi [1]: *Et post dies octo;* tertia vero, ibi: *Postea manifestavit se,* in principio vigesimi primi capituli.

De prima manifestatione notantur tria.

In prima manifestatione tria determinantur. Primum est *ipsa manifestatio;* secundum, ad manifestationem consequens *discipulorum missio,* ibi [2]: *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis;* tertio, incidens *alterius manifestationis occasio,* quae fuit absentia Thomae, ibi: *Thomas autem* etc.

Ipsa ergo *manifestatio* hoc ordine describitur.

Primo, de ipsa manifestatione quinque.

Ponuntur enim quinque [3], quae ipsam declarant, scilicet *discipulorum congregatio, Christi apparitio, apparentis allocutio,* post allocutionem *sui ostensio,* post ostensionem *discipulorum congratulatio.*

37. (Vers. 19.). Primo ergo tangitur *discipu-*

Primum.

lorum congregatio, quae erat et propter *tempus,* quia sero; et propter *Iudaeos,* qui persequebantur; ideo dicit: *Cum ergo esset sero die illo,* scilicet die dominico [4], in quo apparuit Magdalenae, *una Sabbatorum,* quia in illis diebus sabbatizabant Iudaei, comedentes azyma; *et fores essent clausae,* ad sui tuitionem, unde: *ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum;* ideo simul in unum clausis ianuis convenerant, et per hoc digni erant, quibus Dominus appareret, secundum illud Matthaei decimo octavo [5]: « Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ».

38. Cum, inquam, ita essent, *venit Iesus et*

Secundum.

stetit in medio. Hic notatur secundum, scilicet *Domini apparitio;* ideo *stetit in medio,* ut ab omnibus videretur; ideo *stetit in medio,* ut se Mediatorem et reconciliatorem esse ostenderet; supra primo [6]: « Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis », dictum est Iudaeis. Ipse enim, sicut dicitur ad Ephesios secundo, « est pax nostra, qui fecit utraque unum ».

39. Ideo sequitur: *Et dixit eis: Pax vobis.* Hic Tertium.

notatur tertium, scilicet *benigna allocutio,* in qua allocutione ipsos confortavit; unde Lucae ultimo [7]: « Dixit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere ». Unde Chrysostomus: « Voce firmavit fluctuantem mentem, dicens: *Pax vobis;* hoc est, ne tumultuemini »; ad Philippenses ultimo: « Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra ».

40. (Vers. 20.). *Et cum haec* [8] *dixisset, ostendit eis manus et latus.* Hic notatur quartum, scilicet *Christi ostensio,* in qua ostendit, se esse eundem, qui passus fuerat, non tantum in spiritu, sed et in corpore; et ideo ostendit manus et latus, in quibus fuerant vulnera, et cicatrices remanserant; unde Lucae ultimo [9]: « Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum ». Quartum.

41. *Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.* Quintum.

Hic tangitur quintum, scilicet *discipulorum congratulatio* ex aspectu Domini; quod gaudium promiserat eis Dominus supra decimo sexto [10]: « Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum ».

42. (Vers. 21.). *Dixit ergo eis iterum.* Hic tan- Secundo, de discipulorum missione tria.

gitur secundum, scilicet ad manifestationem consequens *discipulorum missio* [11], in qua tria innuit Evangelista, quae Dominus mittendis discipulis contulit, scilicet *idoneitatem, auctoritatem* et *potestatem: idoneitatem,* cum pacem tribuit; unde dicit: Primum.

Dixit ergo eis iterum: Pax vobis, id est tranquillitas, sine qua nullus ad persecutiones mitti est idoneus. Unde Chrysostomus [12]: « Quia praelium inexpugnabile habebant ad Iudaeos, ideo dicit rursus: *Pax vobis,* parem praelio dans consolationem » — Tribuit etiam *auctoritatem,* cum mittit; unde dicit: Secundum.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, id est,

---

[1] Vers. 26; tertia pars incipit 21, 1.

[2] Vers. 21; tertium v. 24.

[3] Ed. perperam *sex,* ideoque inferius quinto membro *discipulorum congratulatio* addit sextum, scil. *post congratulationem discipulorum missio;* sed cfr. paulo superius, ubi hoc membrum allegatur tanquam *secundum* primae manifestationis. Pro *declarant* ed. *determinaverant.*

[4] Cfr. supra n. 2. — Ed. *vesperi die dominico.*

[5] Vers. 20. — Chrysost., in Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2: Interdiu autem non venit, ut simul omnes congregarentur; multo namque erant stupore repleti.

[6] Vers. 26; cfr. ibid. n. 59. — Sequitur Eph. 2, 14.

[7] Vers. 36. — Sententia Chrysost. habetur in Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2, post quam allegatur Phil. 4, 7. — Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 192. *Additio 1:* Inde est, quod in mittendo partem hostiae in calicem, ubi signatur resurrectio, subditur: *Pax Domini sit semper vobiscum;* et episcopus, cum primo convertit se ad populum in Missa, dicit: *Pax vobis.* Osculum vero longe post introductum est pro causa supradicta.

[8] Vulgata *hoc.*

[9] Vers. 39. Cfr. infra n. 64.

[10] Vers. 22.

[11] Cfr. supra nota 3, ubi falsam lectionem ed. insinuavimus, quae etiam hic occurrit: *Hic tangitur sextum* [ita Gorranus et B], *scilicet ad congratulationem consequens discipulorum missio.* Plures codd. omittunt *secundum.*

[12] In Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2. in fine. Secundam partem huius sententiae: *ideo dicit* etc., maior pars codd. ita exhibet: *inducit hoc: Pax vobis, adversanter* [adversantem?] *dans praelio consolationem;* C N *ideo dicit: Pax vobis, adversative* etc. Card. Hugo, in hunc locum: *ideo non semel, sed bis inducit hoc: Pax vobis, adversans praelio, dans consolationem.* Textus originalis est: συνεχῶς [i. e. continue, vel saepe; nos retinuimus cum Bonelli *rursus*] ἐπιλέγει τὸ, Εἰρήνη ὑμῖν, ἀντίῤῥοπον [i. e. aequivalentem, sive ut quaedam versiones habent *parem;* hanc vocem, quam Bonelli omisit, fide textus originalis addidimus] διδοὺς τοῦ πολέμου τὴν πάραμυθίαν.

sicut ego a me ipso non veni, sed missus, et ideo auctoritate veni; sic ego vos mitto, dans vobis auctoritatem; unde ad Romanos decimo [1]: « Quomodo praedicabunt, nisi mittantur »? Unde et Isaias, sexto, petebat hanc auctoritatem, cum dicebat: « Ecce ego, Domine; mitte me »; contra de malis prophetis Ieremiae vigesimo tertio: « Currebant, et ego non mittebam eos, non loquebar ad eos » etc. — Tribuit etiam *potestatem*, cum Spiritum sanctum contulit; unde et dicit:

Tertium.

43. (Vers. 22.). *Haec cum dixisset, insufflavit in eos* [2]. Augustinus: « Insufflando significavit, Spiritum sanctum non solius Patris esse, sed et suum ». *Et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*, id est donum Spiritus sancti, non ad omnia, sed ad remittenda peccata; et in hoc contulit potestatem clavium; propterea dicit:

44. (Vers. 23.). *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, id est, quos solveritis soluti sunt; *et quorum retinueritis, retenta erunt* [3], id est, quos ligaveritis ligati sunt; Matthaei decimo sexto: « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis ».

Tertio, de alterius manifestationis occasione tria.

45. *Thomas autem, unus ex duodecim.* Hic ponitur tertium, scilicet incidens *tertiae manifestationis occasio*, quae hic describitur quantum ad tria, scilicet *Thomae absentationem, discipulorum relationem* et *ipsius indurationem.*

Primum.

46. (Vers. 24.). Tangitur *eius absentatio*, cum dicit: *Thomas autem, unus ex duodecim*, id est unus ex specialiter electis; supra sexto [4]: « Nonne ego duodecim vos elegi »? Lucae sexto: « Elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit ». *Qui dicitur Didymus*, quia dubius erat [5], *non erat cum eis, quando venit Iesus;* et ita Dominum venientem non vidit, quia a congregatione recesserat.

Secundum.

47. (Vers. 25.). *Dixerunt ergo ei alii discipuli.* Tangitur hic secundum, scilicet *discipulorum relatio.* Referunt enim quod viderant: *Vidimus Dominum.* Ideo hoc referebant, ut audiens testimonium videntium credat resurrectionem; sed verificatum est quod scribitur supra tertio [6]: « Quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis ».

Tertium.

48. Unde sequitur tertium, scilicet *Thomae indauratio. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius* etc. Duritia ostenditur in hoc, quod non credit per *auditum*, nisi ipse videat, *in manibus* scilicet, *fixuram clavorum.* Duritia etiam ostenditur in hoc, quod non tantum nolebat credere per *auditum*, sed nec etiam per *visum*, nisi adesset *tactus;* ideo dicit: *Et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius*, quod scilicet fuit lancea perforatum; *non credam.* In hoc durus fuit; unde Chrysostomus [7]: « Sicut simpliciter credere, et ut contingit, facilitatis est; ita circumscrutari et multum investigare grossissimae mentis est ». Sed haec duritia divina dispensatione in Apostolo permissa est ad tollendum nostram; unde Gregorius [8]: « Minus mihi praestitit Maria Magdalene, quae citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. Ille enim, dum in Magistro vulnera palpavit carnis, in nobis vulnera sanavit infidelitatis ».

Quaestiones.

49. Quaest. I. Sed quaeritur hic de potestate discipulis collata. Dicitur enim: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc.

Contra: 1. Isaiae quadragesimo tertio [9]: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me:* ergo solius Dei est peccata remittere.

2. Item, Matthaei nono [10]: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata; ait paralytico: Surge* etc.: ergo eiusdem potestatis est remittere peccata et curare incurabilem. Sed illud est potentiae infinitae et solius Christi-hominis et Dei: ergo et remittere peccata. Quaeritur igitur, quomodo differenter sit Dei, Christi-hominis et sacerdotis?

---

[1] Vers. 15. — Subinde allegantur Isai. 6, 8. et Ier. 23, 21.

[2] Vulgata omittit *in eos.* — Sententia August. habetur in Ioan. Evang. tr. 121. n. 4. Cfr. infra n. 49-53, ubi de hoc et seq. versu fusius.

[3] Vulgata *sunt.* — Sequitur Matth. 16, 19.

[4] Vers. 71. — Subinde allegatur Luc. 6, 13.

[5] Cfr. supra pag. 399, nota 3. — Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 1: Verisimile est, ex dispersione praecedenti illum nondum reversum fuisse. Cfr. infra n. 54. — B. Albert., in hunc locum: Beatus Bernardus autem dicit, quod ideo non vidit aliis apparentem Dominum, quia fuit extra congregationem Sanctorum. Et haec sunt eius verba: Falleris, Thoma sancte, si putas, te invenire Iesum extra congregationem Sanctorum, qui semper est cum millibus Angelorum. Iudas in Epistola sua [v. 14.]: *Venit Dominus cum millibus Sanctis* [cfr. Serm. V. in Ascensione Domini, n. 13: Falleris, Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras ab Apostolorum collegio separatus. Non amat Veritas angulos... in medio stat, id est disciplina et vita communi etc.].

[6] Vers. 11.

[7] In Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 1. Pro *credere, et ut contingit* [καὶ ὡς ἔτυχε πιστεύειν] ed. cum Gorrano *et qualitercumque credere*, et subinde post *investigare* ed. addit *et quaerere fidem, quae per sensum est, scilicet tactum*, quibus verbis videtur respicere, quae apud Chrysost., loc. cit. paulo inferius, habentur, scil. quod Thomas « crassiore quam ceteri animo esset. Ideo per crassissimum omnium sensum fidem quaerebat neque oculis credebat » etc.

[8] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 29. n. 1: Minus enim mihi Maria Magdalene praestitit... diu dubitavit. Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit. Cfr. ibid. homil. 26. n. 7: Egit namque miro modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem quam fides credentium discipulorum profuit etc.

[9] Vers. 25.

[10] Vers. 6. Ed. allegat Marc. 2, 10.

3. Item, de hoc quod subditur: *Quorum retinueritis, retenta sunt:* ergo videtur, quod sacerdotes possint nobis claudere ingressum regni.

Respondeo: Dicendum, quod in peccato duo considerantur, scilicet *culpa* et *reatus poenae; culpam* remittere solius Dei est *effective*, quia solius est dare *gratiam*, quae delet culpam; *meritorie* est Christi-hominis; *dispositive* vero sacerdotis est, quia facit, quo facto, Deus remittit, conferendo scilicet Sacramenta [1]. — Est autem alia remissio quantum ad *poenam*, et super hanc habet potestatem sacerdos, facta remissione culpae, et Christus-homo; sed potestas Christi-hominis est *excellentiae* et *universalis*, potestas vero sacerdotis est *ministerialis* et *particularis* [2]. Et sunt hae potestates ordinatae, quia sacerdos non habet effectum in remittendo poenam nisi per passionem Christi, nec rursus passio Christi alicui confertur, nisi cui Deus remittit culpam.

Resp. cum distinctione. De remissione culpae.

Item, poenae.

3. Quod obiicitur, quod salus nostra est in manu sacerdotis; dicendum, quod potestas ista intelligenda est, *clave non errante.* Tunc autem erat, vel quando solvit quem Deus non vivificavit; vel quando minus ligat, quam sit ligandus. Unde Gregorius [3]: « Illum discipuli viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli solverent mortuum, foetorem magis ostenderent quam virtutem ».

Ad 3.

50. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Accipite Spiritum sanctum.* — Videtur enim, quod nondum deberet eis dare Spiritum sanctum, quia dicitur supra decimo sexto [4]: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos:* ergo si nondum ascenderat, nondum debebat dare Spiritum sanctum.

Respondeo: Dicendum, quod Spiritus sanctus dicitur *accipi* vel *dari*, non ratione *essentiae*, sed *effectus.* Habuerunt ergo discipuli Spiritum sanctum *ante* passionem, sed ad *salutis suae operationem*, quae est per gratiam; habuerunt *post* passionem *ante ascensionem* ad *peccatorum remissionem;* habuerunt *post ascensionem* ad *fidei nostrae publicationem;* ideo tunc confirmati fuerunt, et in linguis igneis Spiritus sanctus descendit [5].

Resp.

51. Quaest. III. Item quaeritur: quibus dicitur [6] pluraliter: *Accipite Spiritum sanctum?* — Videtur, quod pluribus.

Contra: Matthaei decimo sexto [7]: *Tibi dabo claves regni caelorum*, dixit Dominus Petro: ergo videtur, quod potestas relaxandi peccata fuit specialiter in Petro, hic autem videtur, quod in omnibus.

Et dicendum, quod potestas *dimittendi* sive potestas *solvendi* data est omnibus Apostolis; tamen specialius Petro data est plenitudo potestatis et eius successoribus, tanquam principi et capiti omnium Apostolorum [8]. Quia ergo caput erat, dicitur in Mat-

Resp.

---

[1] Cfr. IV. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. seq. et d. 18. p. I. a. 2. q. 1; ibid. q. 2. agitur de potestate sacerdotis supra *poenam.* Vide etiam III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. et d. 20. q. 4. circa finem corp., ubi de influxu passionis Christi in remissione peccatorum.

[2] Vide IV. Sent. d. 18. p. I. dub. 2.

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 6; cfr. supra c. 11. n. 60. et 63. Cfr. Pallavicin., XII. Histor. Trident. Concil. c. 12, ubi sententia haec S. Bonav. de remissione peccatorum defenditur contra eos qui dicunt, ipsam esse reiectam a Concilio. Nam « eius opinionem haud prorsus reiici, propterea quod ipsa antegressa reconciliatio ponitur ab eo tanquam profecta *non ex vi solius contritionis,* quod affirmabat Petrus ab Osma, damnatus diserte a Sixto IV. et tacite postea a nostro Concilio; sed *ex vi voti,* quod in contritione includitur, huius Sacramenti suscipiendi, adeo ut supersit in peccatore, quamvis perfecte contrito, obligatio confitendi. Et praeterea, quia ipse affirmat, in ipso absolutionis actu remitti aliquod debitum eo usque perseverans, hoc est partem poenae temporariae, quae post condonationem aeternae adhuc debetur, et gratiam sanctitatis infundi. Haec sunt (?), quibus S. Bonaventurae opinio utcumque defenditur » etc. Vide S. Thom., Comment. in Ioan. c. 11. lect. 6, ubi dicit: Sed haec [quorundam] positio [secundum quam sacerdotes non *absolvunt* a culpa, sed solum a parte poenae temporalis] nimis parum attribuit Ecclesiae clavibus. Hoc est enim proprium Sacramentorum novae legis, quod in eis gratia conferatur... Sed hoc dubium facere videtur, quod... ad absolutionem consequendam accedunt adulti plerumque antea per contritionem peccatorum remissionem consecuti, ut sic sequens absolutio nihil facere videatur ad peccatorum remissionem. Sed... similiter est dicendum de poenitentia. Si quis enim ante absolutionem sacerdotis plene contritus fuerit, consequitur remissionem peccatorum, eo quod habet *in voto*, ut subiiciat se Ecclesiae clavibus, sine quo vera contritio non esset. Si autem antea *non plena* fuisset contritio sufficiens ad remissionem, in *ipsa absolutione* remissionem culpae consequitur, nisi ponat obstaculum Spiritui sancto. — Cfr. IV. Sent. d. 18. p. I. a. 2. q. 1, ubi in scholio ostenditur, idem circa hanc rem sensisse S. Bonaventuram et *verus status* quaestionis et auctoris *sensus*, a Pallavicin. insufficienter relati, explanantur.

[4] Vers. 7; cfr. ibid. n. 24.

[5] Vide supra c. 7. n. 57. et c. 14. n. 34. Patres in exponendo hoc loco satis conveniunt, scil. in eo, quod Apostoli receperint Spiritum sanctum i. e. donum Spiritus sancti ad remissionem peccatorum; adiungit Cyrill. Alexandr., quod etiam Thomas, licet non esset cum aliis Apostolis, hoc donum acceperit, quia hoc dedit « Christus non aliquibus seorsim, sed universis discipulis. Quapropter eam [virtutem Spiritus] accipiunt, tametsi quidam non aderant, dantis liberalitate non ad praesentes solum contracta » etc. Ad hoc probandum adducit Num. 11, 24. seqq., ubi narratur, quod Eldad et Medad receperunt donum prophetiae, licet non fuerint cum aliis sexaginta octo circa tabernaculum.

[6] Ed. *quare dicatur.*

[7] Vers. 19.

[8] Bernard., II. de Considerat. c. 8. n. 16: Ergo iuxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Cfr. Qq. disputat. de Perfectione evang. q. 4. (de obedientia Papae praestanda) a. 3. ad 5. et 6. (tom. V. pag. 196), ubi S. Bonav. verba Matthaei et Ioannis hic allata exponit ita: Dicendum, quod longe aliter dictum fuit eis [aliis Apostolis] et Petro. Nam Petro *divisim et singulariter* dictum fuit, quia in eo potestatis plenitudo erat principaliter et singulariter collocanda; aliis vero dictum fuit *simul*... Unde licet *consimilem* haberent potestatem, non tamen habebant *aequalem* etc. Vide etiam ibid. Breviloq. p. VI. c. 12. et Collat. 22. in Hexaëm. n. 15; IV. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. in corp.; d. 20. p. II. q. 5. in fine.

thaeo: *Tibi dabo;* quia vero alii suae potestatis erant participes, ideo dicitur: *Accipite* etc.

32. Quaest. IV. Item, cum Dominus non dixerit nisi undecim: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis* etc.; videtur, quod non omnes sacerdotes habeant hanc potestatem, sed solum illi qui tenent locum Apostolorum, quales sunt episcopi, non simplices sacerdotes. — Item, videtur Gregorius [1] hoc dicere, quod « solvendi et ligandi auctoritatem accipiunt qui locum regiminis sortiuntur ».

Resp. cum distinctione. Ad hoc dicendum, quod dupliciter est *ligare* et *solvere:* vel in foro *poenitentiali,* vel in foro *iudiciali.* Primo modo convenit presbyteris ratione ordinis; secundo modo convenit episcopis et ceteris superioribus ratione dignitatis. Unde Hugo de sancto Victore [2]: « Alia est ligatio, quą ligant ministri Ecclesiae veraciter poenitentes debito iniunctae satisfactionis, et alia, qua ligantur intolerabiliter delinquentes vinculo anathematis ».

33. Quaest. V. Item obiiciunt haeretici [3] de hoc quod prius dicitur: *Accipite Spiritum sanctum;* et post: *Quorum remiseritis peccata* etc., quod nullus sacerdos habet potestatem ligandi et solvendi, nisi habeat Spiritum sanctum inhabitantem: ergo mali sacerdotes non absolvunt, nec etiam summus Pontifex, si malus est. Quodsi hoc, tunc in periculo est nostra salus.

Resp. 1. Ad hoc multipliciter respondetur. — Quidam enim dicunt, quod prius datur Spiritus sanctus, et post exsecutio potestatis solvendi, quia solutio vel remissio non fit nisi in caritate Ecclesiae; unde dicunt, quod non est necesse, quod sacerdos habeat caritatem, sed sufficit, quod saltem sit in Ecclesia [4].

Resp. 2. Aliter respondetur, quod dupliciter est solvere, scilicet *merito et officio* et *officio tantum.* Ad hoc, quod *merito* solvat, necesse est, quod habeat Spiritum sanctum; sed ad hoc, quod solvat *officio,* non oportet. Quod ergo Dominus prius dat Spiritum sanctum, hoc est, ut *digne* exsequatur, vel ad significandum, quod sine gratia Spiritus sancti non datur remissio peccatorum. Sed non oportet, quod illa gratia sit in sacerdote, sed in Sacramentis [5].

Resp. 3. Potest autem et aliter dici, quod Spiritus sanctus dicitur dari, quando dantur dona sua. Sunt igitur quaedam dona, quae sunt *a* Spiritu sancto et *cum* Spiritu sancto et nunquam *sine,* ut *caritas.* Sunt et alia, quae sunt *a* Spiritu sancto et nunquam *cum* Spiritu sancto, ut *timor servilis.* Sunt et alia, quae sunt et *a* Spiritu sancto et possunt esse *cum* Spiritu sancto et *sine,* et talia sunt *characteres* [6]. Et quia potestas conficiendi et ligandi et solvendi sunt tales, manent et in iustis et in iniustis; et hoc divina dispensatione actum est, ut peccatum praelati subdito non praeiudicet.

34. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Thomas non erat cum discipulis, quando venit Iesus;* quia Lucae ultimo [7] dicitur de duobus discipulis euntibus in Emmaus, quod *regressi sunt in Ierusalem et invenerunt congregatos undecim;* et dum ipsi narrarent quod viderant, dicit, quod *stetit Iesus in medio eorum:* ergo si non erant undecim nisi cum Thoma, videtur, quod Thomas tunc ibi esset.

Resp. Ad hoc respondet Augustinus in tertio de Concordia Evangelistarum [8]: « Intelligendum est, inquit, quod Thomas inde exierat, antequam eis loquentibus Dominus appareret »; unde verum est, quod discipuli illi invenerant Thomam, sed dum illi in sermone persisterent, Thomas exivit, et Dominus intravit.

De secunda manifestatione notantur duo.

35. *Et post dies octo.* Hic agitur de *secunda manifestatione* Domini, facta ad removendum incredulitatem Thomae [9]; et duo in hac parte notantur primo *manifestatio;* secundo, ex manifestatione consequens *fidei aedificatio,* ibi: *Respondit Thomas.* Divisio.

De ipsa manifestatione quatuor. In *manifestatione* plura nobis insinuantur, scilicet *discipulorum congregatio, Domini apparitio, eiusdem allocutio* et *sui ad se palpandum exhibitio* sive ad Thomam perfecta ostensio.

Primum. (Vers. 26.). Discipulorum *congregatio* tangitur, cum dicitur: *Post dies octo,* scilicet post resurre-

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 5: Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur.

[2] Vel potius *Richardus* de S. Vict., de Potestate ligandi et solvendi, c. 9: Alia est illa ligatio, qua ligant veraciter poenitentes debito iniunctae satisfactionis, et alia, qua ligant intoleranda committentes, nec tamen poenitentes, vinculo anathematis. Cfr. IV. Sent. d. 18. p. II. q. 3. in corp.

[3] Waldenses; cfr. Alan. ab Insulis, II. contra Haeretic. c. 5. seqq.; vide etiam IV. Sent. lit. Magistri, d. XIX. c. 1. seqq., et ibid. Comment. a. 1. q. 2.

[4] B. Albert., Postilla in Ioan. 20, 22: Adhuc ulterius obiicitur pro errore haereticorum, qui *Manichaei* dicuntur. Dicitur enim hic primo: *Accipite Spiritum sanctum,* et postea subinfertur: *Quorum remiseritis peccata...* Ad hoc respondet magister Wilhelmus, quod collatio praecedens Spiritus sancti non significat sanctitatem ministri, in qua sanctitate peccata remittuntur; sed potius sanctitatem Ecclesiae, cuius ipse sacerdos minister est, quia non nisi in sanctitate Ecclesiae peccata remittuntur. Et haec solutio est vera. Et ideo, quando dicitur: *Accipite Spiritum sanctum,* hoc non dicitur illis hominibus, prout singulares homines sunt, sed dicitur eis, prout sunt ministri Ecclesiae, qui pro Ecclesia et non pro se recipiunt hoc quod recipiunt etc. Cfr. IV. Sent. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. et 2.

[5] Cfr. IV. Sent. lit. Magistri, d. XIX. c. 1, et ibid. Comment. a. 1. q. 2. in corp.

[6] Vide III. Sent. d. 34. p. II. a. 1. q. 1. ad 1. — Ed. *et talia sunt donum prophetiae et donum scientiae et characteres. Et quia potestas confitendi* [perperam].

[7] Vers. 33. et 36. Vide Comment. S. Bonav. in hos locos.

[8] Cap. 25. n. 74.

[9] Cfr. supra n. 36. — Secundum huius partis membrum habetur v. 28: *Respondit Thomas.*

ctionem et primam apparitionem; *iterum erant discipuli eius intus*, in eadem domo quieti a strepitu; *et Thomas cum eis;* et sic, quia simul erant et intus erant, ad videndum Dominum habiles erant, secundum illud Matthaei decimo octavo [1]: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ».

Secundum.

56. *Venit Iesus, ianuis clausis, et stetit in medio.* Hic tangitur secundum, scilicet *Domini apparitio;* unde veniens stetit in medio, ut nullus sit, qui non videat.

Tertium.

Et dixit eis [2]*: Pax vobis.* Hic notatur tertium, scilicet *Domini allocutio.* Iste modus alloquendi ipsum manifestabat, quia sic salutare consueverat, pacem optando, et suos discipulos sic docuerat salutare; Matthaei decimo [3]: « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui ».

Quartum.

57. (Vers. 27.). *Deinde dicit Thomae.* Hic notatur quartum, scilicet *sui ad se palpandum exhibitio.* Quia enim Thomas dixerat [4]: « Nisi mittam digitum meum in locum clavorum » etc.; ideo Dominus dicit ei: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas.* Quia etiam dixerat: « Nisi mittam manum meam in latus eius »; ideo Dominus dicit ei: *Et affer manum tuam et mitte in latus meum.* Et quia etiam dixerat: Nisi hoc fecero, « non credam »; ideo Dominus dicit: *Et noli esse incredulus, sed fidelis;* ex quo per omnia satisfeci tuae voluntati. Unde Gregorius [5]: « Divina dispensatione gestum est, ut electus discipulus tunc deesset, quando Dominus aliis apparuit; post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet ». Habacuc secundo [6]: « Qui autem incredulus est, non erit anima eius recta in semetipso; iustus autem meus ex fide vivit ».

De fidei aedificatione tria.

58. *Respondit Thomas.* Hic notatur *fidei aedificatio* ex Domini manifestatione procedens. Tripliciter autem astruitur nostra fides ex divina manifestatione: aut per *praesentiam* sive per visum, aut per *absentiam* sive per auditum, aut per *Scripturae testimonium.* Primo ergo modo aedificata est fides in Thoma, qui credebat; secundo modo, in aliis, qui referentibus crediderant; tertio modo, in his qui Scripturis crediturі erant.

Primo ergo notatur fides *Thomae credentis per visum;* secundo commendatur fides aliorum *credentium per auditum;* tertio, illorum qui *crediturі erant per Scripturae testimonium.*

De fide Thomae.

59. (Vers. 28.). Tangitur ergo fides Thomae, quae innuitur in recta eius confessione; unde dicit: *Respondit Thomas et dixit* [7], post tantam ostensionem: *Dominus meus,* quantum ad humanitatem, *et Deus meus,* quantum ad Divinitatem; ideo enim *Deus,* quia creavit; ideo *Dominus,* quia nos comparavit ut servos; primae Petri primo [8]: « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati et incontaminati Christi Iesu ».

De fide credentium per auditum.

60. (Vers. 29.). *Dicit* [9] *ei Iesus.* Hic commendatur fides eorum qui *aedificati sunt per auditum,* et praefertur fidei Thomae, quae fuit per praesentiam et visum; et ideo dicit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt;* quia maioris fuit libertatis et plus habuit de suo talis fides. Chrysostomus [10]: « Cum quis dicit: nunc vellem esse secundum tempora illa et videre Christum mirificantem; excogitet, quoniam *beati qui non viderunt et crediderunt* »; primae Petri primo: « Quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis ».

De fide credentium per Scripturam.

61. (Vers. 30.). *Multa quidem et alia signa.* Hic tangitur fides *credentium per Scripturam* talium manifestationum [11]; ideo dicit, huiusmodi manifestationes conscriptas esse ad astruendam fidem eorum qui eas videre non potuerunt. Et ideo non omnia scripta sunt, sed quae sufficiunt ad fidem nostram; ideoque dicit: *Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum* [12]*, quae non sunt scripta in libro hoc;* quia non est nostrum omnia narrare, sed fidem aedificare; unde subdit:

62. (Vers. 31.). *Haec autem scripta sunt, ut credatis;* ad Romanos decimo quinto [13]: « Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ». *Credatis,* inquam, *quia Iesus est Filius Dei,* id est in Christo humanitatem et Divinitatem; Lucae primo [14]: « Vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur »; primae Ioannis quinto: « Quis est autem, qui vincit

---

[1] Vers. 20. Cfr. supra n. 46. in fine. Vide etiam infra n. 63.

[2] Vulgata omittit *eis.*

[3] Vers. 12.

[4] Supra v. 25, ubi etiam habentur verba subinde allegata: *Nisi mittam manum* etc., et: *Non credam.*

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 7: Nunquid casu gestum creditis, ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens... palpans crederet? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est.

[6] Vers. 4. — Cfr. infra n. 64-66.

[7] Vulgata addit *ei.* — Theophylact., in hunc locum: Vide autem, quomodo is qui prius incredulus, tactu lateris theologus optimus demonstratus sit. Duas enim naturas et unam hypostasim unius Christi docuit. Dicendo enim *Dominum,* humanam indicat naturam; nam de hominibus dicitur *Dominus,* sicut [supra v. 15.]: *Domine, si tu sustulisti eum.* Dicendo autem: *Deus meus,* divinam substantiam ostendit, et ita unum et eundem esse Dominum et Deum.

[8] Vers. 18. et 19.

[9] Vulgata *Dixit.* — Cfr. n. 68.

[10] In Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 1. Pro *et videre* [καὶ ὁρᾷν] varii codd. *et viderem,* ed. *ut viderem.* — Subinde allegatur I. Petr. 1, 8.

[11] Ed. *tales manifestationes,* M *talium manifestationem.*

[12] Vulgata addit *suorum.* — Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 1: Cum enim pauciora quam alii hic Evangelista narrasset, dicit, neque alios omnes omnia recensuisse, sed quanta opus esset, ut auditores ad fidem pertraherent.

[13] Vers. 4. — Subinde Vulgata legit *quia Iesus est Christus Filius Dei.*

[14] Vers. 31. seq. — Sequitur I. Ioan. 5, 5.

mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei »? Et quia non est status in fide, ideo finem istum ordinat ad ultimum: *Et ut credentes vitam habeatis*, quia, sicut dicitur ad Hebraeos undecimo[1], « sine fide impossibile est placere Deo », sed credentes *vitam* possident; primae Petri primo: « Credentes exsultabitis laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fidei vestrae salutem animarum vestrarum ». *In nomine eius*, id est in fide nominis eius; Actuum quarto[2]: « Non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri »; primae Ioannis ultimo: « Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam aeternam habetis, qui creditis in nomine Filii Dei ».

Quaestiones.

63. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit: *Venit Iesus, ianuis clausis.* — Si enim ad hoc veniebat, ut per tactum Thomae cognosceretur; videtur, quod in ipso modo veniendi fidem, quam astruebat, infirmaret; quia, sicut spiritus non potest tangi, sic nec quod potest tangi clausis potest ianuis introire; et ideo videri poterat totum phantasticum[3].

Respondent quidam, quod Christus debuit ostenResp. 1. dere non solum, se habere corpus, in quo passus est, sed etiam corpus *divinum*, id est Divinitati unitum. Et ut ostenderet, esse divinum, clausis venit ianuis. Unde Augustinus[4]: « Moli corporis, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe, non eis apertis, intrare potuit, quo nascente, virginitas Matris inviolata permansit ».

Alii vero respondent, quod per hoc non ostenResp. 2. dit, se corpus habere divinum, sed *gloriosum;* quia hoc non erat suum, sed omnium corporum glorificatorum. Et verbum Augustini intelligendum est per locum *a minori;* et ita exponit illud Gregorius[5]: « Quid mirum, si, ianuis clausis, post resurrectionem suam intravit, qui antea veniens, non aperto Virginis utero, exiit »? Et ita per locum *a minori* arguit.

Respondendum ergo ad rationem, quod sic de- Ad obiect. bebat probare idem esse corpus, ut etiam ostenderet gloriosum.

64. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Infer digitum tuum huc et mitte manum in latus.*

1. Ex hoc videtur, quod corpus Christi esset vulneratum; sed si hoc, non erat gloriosum.

2. Item, si dicas, quod cicatrices remanserunt; videtur, quod non plenam gloriam habeat, quia perfectius curatur, in quo nulla remanent imperfectionis vestigia: ergo videtur, quod corpus Christi non sit perfecte glorificatum[6]. — *Si dicas*, quod remanserant propter discipulos tantum; tunc videtur, quod non verae, sed falsae cicatrices essent.

Respondet Augustinus in libro de Sex Solutio- Resp. nibus contra paganos[7]: « Sciant, inquit, qui has quaestiones proposuerunt, Christum non vulnera, sed cicatrices discipulis demonstrasse, quae tunc falsae essent, si nulla vulnera praecessissent; nec ex impotentia sunt, qui divina dispensatione et arte optimi medici sunt relictae ». Exemplum ponit Augustinus de milite vulnerato, qui non vult sanari a medico, quin signa vulnerum remaneant.

Ratio autem, quare servatae sunt, triplex fuit, Ratio triplex servandi cisicut dicit Victor[8]: « Sic, inquiens, cicatrices vulne- catrices. rum non ex impotentia curandi servavit, sed ut in perpetuum victoriae suae circumferat triumphum; et ad fidem resurrectionis astruendam, ut idem corpus, quod moritur, resurgere demonstraret; et ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis et ostensis eiusdem mortis innuat indi-

---

[1] Vers. 6. — Seq. locus est I. Petr. 1, 8. seq., ubi multi codd. *laetitia immarcescibili et incontaminata* [cfr. ibid. v. 4.].

[2] Vers. 12. — Subinde allegatur I. Ioan. 5, 13.

[3] Chrysost., in Ioan. homil. 86. (alias 85.) n. 2, ubi exponens Ioan. 20, 19. ait: Cur in vespere apparuit? Quia verisimile erat, ipsos tunc maxime formidare. Sed quod mirabile est, quomodo non ipsum *phantasma* esse putaverint? Nam *ianuis clausis*, et statim ingressus est.

[4] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 4. B. Albert., Postilla in Ioan. 20, 19: Ad haec autem et similia sine praeiudicio videtur esse dicendum, quod non est corporis *gloriosi* intrare, *ianuis clausis*, sed corporis *divini* potius, quod ex Divinitate habet *posse faciendi* quod vult. Et tale corpus divinum intendit ostendere discipulis, ex quo Deus verus ostenderetur et homo verus; et ideo, *ostiis clausis*, intravit. Et hoc est quod dicit Augustinus: « Moli corporis... permansit ». Gregorius: Quid mirum etc. — Superius pro *id est Divinitati* maior pars codd. et Gorranus *et Divinitati.*

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1, ubi textus originalis, quem ed. sequitur, post *suam* addit *in aeternum iam victurus* et *moriturus* post *qui antea.* — De loco *a minori* cfr. tom. I. pag. 835, nota 5. — Superius vocibus *non erat* ed. cum Gorrano interserit *tantum.*

[6] Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 1: Quaerendum autem incumbit, quomodo corpus incorruptibile clavorum cicatrices habuerit et a mortali manu tangi potuerit. Ibid. dicit: Propter discipulum [Thomam] enim id ostenditur.

[7] Sive Epist. 102. (alias 49.) q. 1. n. 7, ubi tamen textus originalis plura hinc inde addit. Ibid. habetur etiam exemplum de milite vulnerato.

[8] Cfr. supra pag. 275, nota 11. Vide August., loco in praecedente nota cit., ubi duas primas rationes insinuat. Serm. 242. (alias 147. de tempore) c. 2. n. 3: « Quare ergo Dominus cum suorum vulnerum cicatricibus resurrexit? Quid ad hoc dicimus, nisi quia et hoc potestatis fuit, non necessitatis. Sic resurgere voluit, sic se voluit quibusdam dubitantibus exhibere. In illa carne cicatrix vulneris sanavit vulnus incredulitatis ». Cfr. Chrysost., Cyrill. Alexandr., Theophylact., in Ioan. 20, 20. et 27, qui dicunt, Christum cicatrices servasse, ut signa essent veritatis corporis et resurrectionis ipsius. Ambros., X. in Luc. c. 26. n. 170: Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quae Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit; quod vulnera suscepta pro nobis caelo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dextram locat, tropaea nostrae salutis amplectens; tales illic Martyres nobis cicatricis suae corona monstrabit.

ciis ». Posset quarta ratio reddi: ad confusionem damnandorum; unde Apocalypsis primo [1]: *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*

65. Quaest. III. Item, de hoc quod dicit: *Et mitte manum tuam in latus meum* etc. — Ergo corpus Christi erat palpabile; sed, sicut dicit Gregorius [2], « omne palpabile est corruptibile »: ergo corpus illud erat corruptibile. — *Si dicas*, sicut dicit Chrysostomus, quod « hoc erat condescensionis quod fiebat »; *tunc obiicitur:* quia, si *palpari* est contra naturam corporis glorificati, ergo manifestum, quod in hoc non ostendebat, se habere corpus *glorificatum*, sed potius *non glorificatum.*

Et respondetur, quod ista ratio non valet, quia
Resp. 1. intrando, ianuis clausis, ostendit *gloriosum*, sed per tactum ostendit esse *idem*, quod fuerat passum.

Potest tamen aliter dici, quod, sicut dupliciter
Resp. 2. aliquid est *visibile:* uno modo, quia visum latere non potest, ut lapis; alio modo, quia, cum latere possit, potest etiam immutare [3] — primum est quodam modo *infirmitatis* et est in corpore non glorioso, secundum *virtutis* et est in corpore glorioso — sic *tangi*, quia tactum non potest refugere, est *infirmitatis* quodam modo et corporis non gloriosi; tangi vero, quia terminat impulsum manus ut solidum, quod quidem potest sua virtute manum penetrare, hoc *magnae virtutis*. Et hoc fuit in corpore glorioso, et maxime in corpore Christi [4].

66. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

Opponit Gregorius [5]: « Cum Paulus dicat ad Hebraeos undecimo: *Fides est argumentum non apparentium;* fides est illarum rerum, quae apparere non possunt; quae enim apparent fidem non habent, sed agnitionem: ergo si Thomas vidit Dominum, non iam habuit fidem, sed scientiam ».

Respondet Gregorius [6] et Augustinus, quod « aliud Resp.
vidit, aliud *credidit; vidit* hominem et Deum confessus est; unde dicit: *Dominus meus et Deus meus* ».

67. Sed tunc *obiicitur:* 1. Quia saltem vidit Nova obiectio.
eum quem prius viderat mortuum: ergo *sciebat* resurrectionem, non credebat.

2. Item, Thomas non credebat, nisi quia videbat: ergo « humana ratio fidei suae praebebat experimentum »: ergo « fides sua non habebat meritum [7] ».

Respondeo: Dicendum, quod quia Apostoli scie- Solutio.
bant ludificationes daemonum, poterant aestimare totum illud, quod faciebat Christus, esse a spiritu aliquo in assumto corpore; et inde erat, quod etiam aliqui dubitabant [8]. Et propterea dico, quod per visionem illam non fuit certa cognitio, nec habuerant per illas ostensiones rationes *cogentes*, quae auferrent fidei meritum, sed solum *inducentes*, quae adiuvant animum infirmum et nondum in fide stabilitum [9].

68. Quaest. V. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* — Videtur, quod debuisset dicere: quia *tetigisti* me, quia ei non suffecerat, quod videret.

Ad hoc respondet Augustinus [10] dupliciter: vel Resp. duplex.
quia vere *visus* intelligitur tactus, quia *visus* dicitur communiter sensus; vel quia Thomas tangere non fuit ausus; unde dicit: « Non ait *tetigisti*, sed *vidisti*, quoniam generalis quodam modo est sensus visus; quamvis dici possit, non ausum fuisse discipulum tangere [11] ».

---

[1] Vers. 7. Cfr. IV. Sent. d. 48. a. 1. q. 3. ad 1. et 2. — Glossa *ordinaria* [ex Beda] in Luc. 24, 40: *Ostendit eis manus* etc., ut, ostensa vulnerum cicatrice, infidelitatis vulnus sanaret, quas cicatrices et tunc servavit et in iudicio servaturus est: primo ad fidem resurrectionis astruendam; deinde, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat; tertio, ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis insinuet indiciis; sed postremo, ut in iudicio, quam iuste damnentur impii, denuntiet, ostensa quam ab illis accepit cicatrice. Non ergo ex impotentia curandi cicatrices servavit, sed ut perpetuum victoriae suae circumferat triumphum.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1: Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur. — Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 1: Sed ne turberis; id enim Christi sese ad humilia demittentis [συγκαταβάσεως] erat. Corpus enim tam tenue, tam leve, ut, ianuis clausis, ingrederetur, crassitie omni carebat; sed ut resurrectio crederetur, sese talem exhibuit etc.

[3] Scilicet sensorium visus; qua immutatione facta, videtur sive visu percipitur. Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. sect. 2. a. 2. q. 2. in corp.

[4] Cfr. IV. Sent. d. 49. p. II. sect. 2. a. 3. q. 2.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 8. Allegatur Hebr. 11, 1.

[6] Loc. cit., ex quo verba inferius allegata. — August., in Ioan. Evang. tr. 121. n. 5: Videbat tangebatque *hominem* et confitebatur *Deum*, quem non videbat neque tangebat; sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud, iam remota dubitatione, credebat.

[7] Secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.

[8] Ignat., Epist. ad Smyrnaeos, c. 3: Quando ad Petrum et socios eius venit, eis dixit: « Apprehendite, palpate me et videte, quod non sim *daemonium incorporale* ». Cfr. Hieron., de Viris illustribus, c. 16, ubi haec verba Ignatii affert; idem in Praefat. libri XVIII. Comment. in Isai. ait: Cum enim Apostoli eum putarent *spiritum*, vel iuxta Evangelium, quod Hebraeorum lectitant Nazaraei, *incorporale daemonium* etc. — Superius pro *Christus* ed. *Christi species.*

[9] Cfr. III. Sent. d. 23. dub. 1. et d. 24. a. 2. q. 1. seqq.

[10] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 5: Non ait: Tetigisti me, sed *vidisti me*, quoniam generalis quodam modo sensus est *visus*. Nam et per alios quatuor sensus nominari solet, velut cum dicimus: Audi et vide, quam bene sonet... tange et vide, quam bene caleat... Unde et hic ipse Dominus: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc et vide manus meas*, quid aliud ait, quam *tange et vide?* Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo sive intuendo sive etiam tangendo, *quia vidisti me*, inquit, *credidisti.* Quamvis dici possit, non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum; non enim scriptum est: Et tetigit Thomas. Cfr. tamen supra nota 6, ubi dicere videtur, quod Thomas tetigerit vulnera Christi. — Subinde pro *vere visus* N *ibi vere visus*, ed. cum Gorrano *iste visus.*

[11] Ambros., X. in Luc. 24. n. 168: Dicit aliquis: Quomodo ergo Thomas, cum adhuc non crederet, tetigit tamen Christum?

Capitulum XXI.

De tertia manifestatione notantur duo.

1. *Postea manifestavit* etc. Hic agitur de tertia manifestatione [1], quae facta est ad *Petri confirmationem;* et dividitur haec pars in duas. In prima agitur de *manifestatione;* in secunda, de *Petri confirmatione,* ibi: *Cum ergo prandissent* etc.

Divisio.

Prima in duas, quia ad descriptionem manifestationis necesse est describere circumadiacentia; ideo primo tanguntur *illa;* secundo, *ipsa manifestatio,* ibi [2]: *Mane autem facto* etc.

Primo, de ipsa manifestatione duo.

Circumadiacentia manifestationem sunt *locus,* in quo manifestatur; et *personae,* quibus manifestatur; et *actus* sive negotium, ratione cuius manifestatur [3].

Circumadiacentia tria.

2. (Vers. 1.). Primo ergo describitur *locus,* in quo facta est haec manifestatio, cum dicitur: *Postea manifestavit se iterum Iesus* [4] *ad mare Tiberiadis;* ecce, locus. « Mare Tiberiadis idem est, quod stagnum Genesareth et quod mare Galilaeae »; dicitur autem *Tiberiadis* a Tiberiade civitate, quae iuxta illud stagnum sita est; dicitur autem *mare Galilaeae* a regione, in qua est; dicitur *stagnum Genesareth* a natura propria ipsius stagni, ut dicatur *Genesareth,* quasi auras generans [5]. — *Manifestavit autem sic.* Hic tanguntur *personae,* quibus manifestatur; unde dicit:

Primum.

Secundum.

3. (Vers. 2.). *Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei et alii ex discipulis eius duo.* Et ita erant septem, quia talis numerus est conveniens et sufficiens ad omne genus testimonii. Et commendatur in hoc septiformis gratia Spiritus sancti, quae debet esse in his qui vadunt *piscari,* id est populum Domino congregare; de quo septenario dicitur Isaiae quarto [6]: « Apprehendent septem mulieres virum unum » — sine his mulieribus non fit propagatio spiritualis — et Isaiae undecimo: « Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini ».

4. (Vers. 3.) *Dicit eis Simon Petrus.* Hic tangitur *actus* sive officium, occasione cuius manifestatur; et hic quidem fuit actus piscationis, in quo omnes convenerant. Sed Petrus erat principalis, quia propter ipsum specialiter haec manifestatio facta est; unde dicit: *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari,* tanquam principalis, quia piscator fuerat; Matthaei quarto [7]: « Ambulans Iesus secus mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream, fratrem eius, mittentes rete in mare; erant enim piscatores ». Et alii comitantur; unde dicit: *Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et* ideo, concordes in unum, *exierunt et ascenderunt navem,* ut piscarentur, *et in illa nocte* [8] *nihil prendiderunt,* et ita in vanum laboraverunt; Lucae quinto: « Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepi-

Tertium.

Sed ille non de resurrectione Domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse, et *tactu suo* debuit me docere, sicut docuit et Paulus [II. Cor. 15, 53.]: *Oportet enim, hoc corruptibile induere incorruptionem* etc. Pro opinione, quod Thomas cicatrices *tetigerit,* allegantur Chrysost. (cfr. supra pag. 517, nota 6.), Gregor. (loco supra pag. 516, nota 5. allegato), Cyrill. Alexandr. et Theophylact., in Ioan. 20, 27.

[1] Cfr. supra c. 20. n. 43. — Secunda pars huius partis (*Cum ergo prandissent*) incipit v. 15.

[2] Vers. 4.

[3] Cfr. tom. IV. pag. 400, nota 1, ubi ex Ciceron., I. Rhetor. c. 24. seqq., attulimus duplex genus circumstantiarum seu attributorum, scil. eorum quae *personis,* et eorum quae *negotio* sive facto conveniunt.

[4] Vulgata addit *discipulis.* — Glossa *interlinearis: Mare Tiberiadis,* idem est quod mare Galilaeae et stagnum Genesareth.

[5] Beda, in Luc. 5, 1: Stagnum Genesareth idem dicunt esse quod mare Galilaeae vel mare Tiberiadis. Sed mare Galilaeae ab adiacente provincia dictum, mare Tiberiadis a proxima civitate, quae olim Chennereth vocata, sed ab Herode tetrarcha instaurata, in honorem Tiberii Caesaris Tiberias est appellata [cfr. Hieron., de Situ et nominibus locor. Hebraic., de Numeris, *Chennereth*]. Porro Genesar a lacus ipsius natura, qua crispantibus aquis de se ipso sibi excitare auram perhibetur, Graeco vocabulo, quasi generans sibi auram dicitur. Neque enim in stagni morem sternitur aqua, sed frequentibus auris spirantibus agitatur, haustu dulcis et ad potandum habilis. Sed Hebraeae linguae consuetudine omnis aquarum congregatio, sive dulcis sive salsa, mare nuncupatur. Qui lacus, interfluente Iordane, centum quadraginta stadiis in longitudinem et quadraginta extenditur in latitudinem. Cfr. Hieron., de Nominibus Hebraic. de Matthaeo: « *Gennesar,* ortus [vel ut in nota adiecta dicitur *hortus*] principium ». Etymologia, quam Beda attulit, a Maurinis in Comment. Hieron. super Matth. 14, 34, in nota adiecta tribuitur Hegesippo, III. Excid. Ieros. c. 26: *Genesar* dicitur Graece vocabulo, quasi generans sibi auram, aqua dulcis et ad potandum habilis. Vide infra n. 13.

[6] Vers. 1; seq. locus est 11, 2. et 3. — Hieron., II. Comment. in Isai. 4, 1: Ceterum in adventu Domini Salvatoris *septem mulieres,* id est septem gratiae Spiritus sancti, de quibus in consequentibus [11, 1. seqq.] idem Propheta dicturus est: *Exiet virga de radice Iesse... et requiescet super eum spiritus Domini... spiritus timoris Domini;* apprehendent Iesum, quem multo tempore desideraverant, quia nullum alium potuerant invenire etc. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 6: Cur cum septem discipulis ultimum convivium celebrat [Ioan. 21, 9. seqq.], nisi quod eos tantummodo, qui septiformi gratia sancti Spiritus pleni sunt, futuros secum in aeterna refectione denuntiat? Septem quoque diebus omne hoc tempus evolvitur, et saepe septenario numero perfectio designatur etc.

[7] Vers. 18. — Cfr. infra n. 14.

[8] Vulgata *in navim et illa nocte.* — Subinde allegantur Luc. 5, 5, et Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 3. (multi codd. in fine ante *sublimitas* omittunt *magna,* pro quo Gorranus *maior*).

mus »; Gregorius: « Facta est discipulis piscationis magna difficultas, ut, Magistro veniente, fieret admirationis magna sublimitas ».

Domini manifestatio.

5. *Mane autem facto.* Hic agitur de *Domini manifestatione*[1]; et dividitur haec pars in duas; quia primo describitur *ipsa manifestatio;* deinde ad praecedentes manifestationes *comparatur,* ibi: *Hoc iam tertio* etc.

Descriptio naturae eiusdem secundum duplicem naturam.

In ipsa manifestatione quia dupliciter se manifestat: et quoad *divinam* naturam per miraculi operationem, et quoad *humanam* per comestionem; ideo sunt ibi duae particulae. In prima describitur manifestatio facta per *piscium comprehensionem;* in secunda, per *comestionem,* ibi[2]: *Ut ergo descenderunt in terram* etc.

De manifestatione naturae divinae quinque.

Manifestatio ergo quoad mirabilem *piscium comprehensionem* hoc ordine describitur. Primo enim notatur *Christi apparitio;* secundo, *allocutio;* tertio, mirabilis *piscium comprehensio;* quarto, *Domini cognitio;* quinto, fervens *Petri dilectio.*

Primum.

6. (Vers. 4.). *Domini* igitur *apparitio* tangitur, cum dicitur: *Mane autem facto, stetit Iesus in littore.* Ad litteram *mane stetit,* quia nocte ipsum videre non possent; secundum spiritualem intellectum, quia *mane* tempus gratiae significat, in quo Christus apparuit; ad Romanos decimo tertio[3]: « Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis ». Et licet appareret, tamen discipuli non cognoscebant; ideo dicit: *Non tamen discipuli cognoverunt, quia Iesus est.* Chrysostomus[4]: « Non mox ostendit se ipsum, ut per miraculum, quod facturus erat, eum cognoscerent ».

Secundum.

7. (Vers. 5.). *Dicit*[5] *ergo eis Iesus.* Hic notatur secundum, scilicet *Domini allocutio;* et quaerit ab eis causam tanti laboris: *Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Pulmentarium* vocat hic omne illud, quo panis conditur, sive piscis sit, sive aliud, quod nos communiter dicimus *pulmentum,* quasi quaerat ab eis Dominus, utrum pisces habeant vel ceperint, ex quibus cibum suum condire possint, ut panis illi[6] adiunctus sapiat. *Responderunt* ergo ei: *Non;* quasi dicant: adhuc laboramus, quia nondum habemus.

Tertium.

8. (Vers. 6.). *Dixit*[7] *eis: Mittite in dexteram navigii rete et invenietis.* Hic notatur tertium, scilicet *mirabilis piscium comprehensio.* Et fuit *mirabilis;* quia, cum nihil possent capere, ad divinum imperium tot ceperunt ipsi obtemperando; unde: *Miserunt ergo rete*[8], iuxta mandatum Domini, *et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.* Simile accidit Lucae quinto: « Cum hoc fecissent, comprehenderunt multitudinem piscium copiosam »; ideo in magna copia, ut ostendatur divina largitas, quae, secundum illud Iacobi primo, « dat omnibus affluenter et non improperat ».

Quartum.

9. (Vers. 7.). *Dicit*[9] *ergo discipulus* etc. Hic notatur quartum, scilicet *Domini cognitio* a Ioanne; unde: *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus,* id est Ioannes, *Petro: Dominus est.* Ideo *Dominum* vocat, quia se potentem ostendit, et cui omnia obediunt, etiam pisces; et ideo timendus, secundum illud Malachiae primo[10]: « Si ego Dominus, ubi est timor meus »? Vocabant enim discipuli eum *Dominum;* supra decimo tertio: « Vos vocatis me *Magister* et *Domine* ».

Quintum.

10. *Simon ergo*[11] *Petrus.* Hic notatur quintum, scilicet *Petri fervens dilectio,* in hoc, quod non potuit se continere, quin statim curreret; ideo dicit: *Simon autem Petrus, cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se,* ne nudus appareret coram Domino; *erat enim nudus; et misit se in mare,* ad natandum scilicet. Simile fecit Matthaei decimo quarto[12]: « Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas ».

11. (Vers. 8.). *Alii autem discipuli navigio venerunt;* quia non erant ita ferventes, non audentes mare intrare; Sapientiae decimo quarto[13]: « Exiguo ligno credunt homines animas suas » etc. Et alia ratio: *Non enim erant longe a terra,* et ideo cito venire poterant; *sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium.*

---

[1] Cfr. supra n. 1. — Secundum membrum huius partis habetur v. 14: *Hoc iam tertio.* — Subinde pro *comparatur* ed. cum Gorrano *comparatio.* [2] Vers. 9.

[3] Vers. 12. Cfr. infra n. 15. — Superius pro *videre non possent* [Gorranus *potuissent*] multi codd. *vidisse non possent.*

[4] In Ioan. homil. 87. (alias 86.). n. 2: Laborant ergo, et praepeditis astitit Iesus, neque statim sese cognoscendum dedit, ut in colloquium venirent. Dicit ergo illis: *Nunquid pulmentarium habetis?* Adhuc humano more loquitur, ac si empturus aliquid esset ab eis. Cum se nihil habere dicerent, iussit ad dexteram rete mitti; cum misissent, ceperunt.

[5] Vulgata *Dixit.* — Isidor., XX. Etymolog. c. 2. n. 7: « *Pulmentum* vocatur a *pulte,* sive enim sola pultis, sive quid aliud eius permixtione sumatur, *pulmentum* proprie dicitur ». Du Cange, Glossarium etc.: *Pulmentarium,* idem quod *Pulmentum.* Io. de Ianua: Pulmentum dicitur cibus delicatus et suavis, a pulpa [caro sine pinguedine]. Item pulmentum vel pulmentarium dicitur quilibet cibus citra panem. Auctor Mamotrecti ad 14. Numer.: Pulmentarium, quilibet cibus praeter panem, scilicet *companaticum* etc. Cfr. Plinius, XVIII. Histor. natur. c. 19. (alias 8.).

[6] Ed. *illis;* in nostra lectione *illi* stat pro *condimento,* vel *pulmento.*

[7] Vulgata *Dicit.* — Cfr. infra n. 16.

[8] Vulgata omittit *rete.* — Subinde allegantur Luc. 5, 6. et Iac. 1, 5.

[9] Vulgata *Dixit.* — Inferius post *a Ioanne* ed. addit *habita.*

[10] Vers. 6. — Sequitur Ioan. 13, 13. — Cfr. infra n. 17.

[11] Vulgata omittit *ergo* (et *autem,* quod inferius codd. exhibent).

[12] Vers. 28. — Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2: Ubi autem illum agnovit, omnia proiecit et pisces et retia seque succinxit Petrus. Viden' et reverentiam et desiderium? Atqui *ducentis cubitis* aberant; sed neque illum navi adire sustinuit, verum natando venit. — Superius ante *continere* codd. omittunt *se.*

[13] Vers. 5. — Subinde vocibus *Et alia* ed. interserit *additur,* Gorranus *adducitur.*

Expositio spiritualis.

12. Secundum *spiritualem* intelligentiam: piscatores nocte piscantes nihil prendiderunt; mane facto, apparuit Iesus, et retia impleverunt, et cubitis ducentis distantes a terra, retia traxerunt. — *Piscatores* sunt praedicatores; Ieremiae decimo sexto [1]: *Ecce, ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos;* et Matthaei quarto: *Venite post me; faciam, vos fieri piscatores hominum.* — *Tempus noctis* est tempus Legis propter umbram litterae figurarum Legis; ad Hebraeos decimo [2]: *Umbram habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* — Qui *nocte*, id est tempore Legis, *piscantur*, nihil accipiunt, quia, sicut dicitur ad Hebraeos septimo [3], *Lex neminem ad perfectum duxit.* — *Mane facto*, id est tempore gratiae, apparet Christus; secundae ad Corinthios tertio [4]: *Usque hodie velamen est super cor eorum. Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* — Tunc *retia implentur*, quia post adventum Christi in carnem veritas manifestatur, et *pisces* in rete Ecclesiae comprehenduntur; propter quod Dominus dicebat supra duodecimo [5]: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* — Hos *pisces*, scilicet fideles, praedicatores *trahunt*, quia per bona exempla ad vitam perducunt; de quo modo trahendi dicitur in Canticorum primo [6]: *Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum.* — Et hoc *distantes ducentis cubitis*, in quo scilicet innuitur duplex perfectio, quae debet esse in praedicatore, scilicet *vitae* et *doctrinae;* de quibus Matthaei quinto [7]: *Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

Quaestiones.

13. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo: cum stagnum Genesareth sit aqua dulcis et parva etiam in respectu maris [8], quare Evangelista appellat *mare?*

Resp. Dicendum, quod iuxta morem Iudaeorum hoc facit, qui magnam congregationem aquarum *mare* appellant, secundum illud Genesis primo [9]: *Congregationesque aquarum appellavit maria.*

14. Quaest. II. Item, cum scribatur Lucae nono [10]: *Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei;* quid est, quod Petrus, qui retia reliquerat, rursus ad piscandum revertitur?

Resp. Respondet Gregorius [11], quod « negotium, quod ante conversionem sine peccato exstitit, hoc post conversionem repetere culpa non fuit ». Unde Augustinus: « Intelligendum est, discipulos non fuisse prohibitos arte sua licita et concessa victum necessarium quaerere, si aliud, unde viverent, non haberent ».

15. Quaest. III. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Stetit Iesus in littore;* quaerit Gregorius [12], cum Dominus « ante passionem coram discipulis in *fluctibus maris* ambulaverit, supra sexto; quid est, quod post resurrectionem suam discipulis in mare laborantibus in *littore* stetit »?

Resp. Respondet Gregorius [13]: « Per *mare* praesens saeculum significatur, per *soliditatem littoris* perpetuitas aeternae quietis. Quia ergo Redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat ».

16. Quaest. IV. Item, cum Dominus ante passionem iusserit, rete mitti in mare, Lucae quinto [14], non distinguens partem; quid est, quod post resurrectionem iubet, mitti in *dexteram navigii* partem?

Resp. Respondet Gregorius [15]: « Illa piscatio, in qua specialiter, in quam partem mitti rete debeat, non iubetur, praesentem Ecclesiam designavit, quae bonos simul ac malos colligit. Haec autem piscatio in solam *dexteram* missa est, quia ad videndum eius claritatis gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quae de sinistro opere nihil habebit ».

17. Quaest. V. Item quaeritur: quid est, quod Ioannes hic docet Petrum, cum dicit Petro: *Dominus est?* Nonne Petrus ita bene cognoscebat Dominum, ut Ioannes?.

---

[1] Vers. 16. — Sequitur Matth. 4, 19.

[2] Vers. 1. — Superius vocibus *litterae figurarum* ed. cum paucis codd. et Gorrano interserit *et.*

[3] Vers. 19. — Theophylact., in Ioan. 21, 9-14: Intellige insuper haec et per allegoriam. *Nox* enim erat, quando tenebrae idololatriae invaluerunt ante solis Christi adventum, quando Prophetae *laboraverunt* et *nihil ceperunt.* Nam quamvis unam gentem Israeliticam conclusisse in sagena videbantur, tamen, quia et haec subinde ad idololatriam redibat, nihil forte apprehenderunt. Ubi autem *diluculum* solis iustitiae infulsit, et *apostolicum rete eiectum est, dextera* certo doctrina, ad quam Lex et Prophetae comparati *sinistra* intelliguntur; tunc igitur *trahitur rete*, et *ad Christum adducuntur* non ethnici tantum, quos et *centum* dixeris, verum etiam Israelitae, qui per *quinquaginta* intelligi possunt etc.

[4] Vers. 15. et 18.

[5] Vers. 32. — Superius ed. omittit *veritas.*

[6] Vers. 3.

[7] Vers. 19. De hac duplici perfectione cfr. supra pag. 460, nota 10. et 11. — August., in Ioan. Evang. tr. 122. n. 7: *Ducentis cubitis* existimo figuratum propter utriusque generis *electos*, et circumcisionis et praeputii, tanquam centum et centum, quia in summa centenarii numerus *ad dexteram* transit.

[8] Cfr. supra pag. 519, nota 5. verba Bedae, in quibus etiam seq. responsio insinuatur.

[9] Vers. 10. — Superius voci *magnam* ed. cum Gorrano praefigit *quamcumque.*

[10] Vers. 62.

[11] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 1. — August., in Ioan. Evang. tr. 122. n. 3.

[12] Loc. in praecedente nota cit. n. 2. Allegatur supra 6, 19.

[13] Loc. cit. Textus originalis plura hinc inde interserit. Cod. A post *quietis* addit *vel potvit esse ratio, quia Petrus signatur.*

[14] Vers. 4: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

[15] Loc. paulo superius cit. n. 3. Gregor. sequitur Augustinum, in Ioan. Evang. tr. 122. n. 6. seq.

Respondet Chrysostomus [1], quod « Petrus erat
Resp. ferventior, Ioannes vero mente excellentior et perspicacior; ideo citius *cognovit*, sed non citius cucurrit ». — Vel potuit esse ratio, quia Petrus in piscando sollicitior [2] erat etc.

18. *Ut ergo descenderunt in terram.* Sic mani-
De manifestatione humanae naturae quatuor. festata maiestate Divinitatis per mirabilem piscium comprehensionem, manifestat hic *veritatem humanitatis* per comestionem; et in hac quidem procedit hoc ordine. Primo notatur *Domini providentia* ad cibos parandum; secundo, *benignitas* ad invitandum; tertio, *discipulorum illuminatio* [3] ad cognoscendum; quarto, *Domini munificentia* ad cibaria distribuendum.

19. (Vers. 9.). *Providentia* igitur ad cibaria prae-
Primum. parandum innuitur in ciborum praeparatione, quae est facta miraculo; unde dicit: *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem superpositum et panem*, et ita prandium, ad quod invitabat, paratum erat; Matthaei vigesimo secundo [4]: « Ecce, prandium paravi, et omnia parata ». Et haec quidem miraculo erant; unde Chrysostomus: « Non adhuc, ut ante crucem, ex materia supposita operatur, sed mirabilius ducit signa, ostendens, quoniam quod tunc ex subiecta materia faciebat propter quandam dispensationem faciebat ». Vult dicere, quod ex nihilo factus est ille piscis. Nec tantum praeparavit miraculo, sed etiam praeparatio facta est *Petri ministerio* ad divinum praeceptum; unde sequitur:

20. (Vers. 10.). *Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc;* ut miraculo veritas comprobetur.

21. (Vers. 11.). *Ascendit autem* [5] *Simon Petrus*, tanquam diligentior inter alios, *et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus;* in quo ostenditur miraculi magnitudo et in numero et in quantitate. Per *magnos pisces* intelligimus Beatos, qui magni sunt caritate; Matthaei undecimo [6]: « Qui minor est in regno caelorum maior est illo ». Et ad maiorem miraculi expressionem addit quod factum est circa rete; unde dicit: *Et cum tanti essent, non est scissum rete;* quocontra dicitur Lucae quinto [7]: « Comprehenderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete ». Itaque, *cum tanti essent*, scilicet « numero et quantitate », in tali numero fuerunt propter significantiam: vel quia numerus ille *perfectionem* significat, considerata proportione numerali [8];

---

[1] In Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2.

[2] Codd. C N *intentus*. — Hieron., contra Ioannem Hierosol. n. 35. hanc affert rationem: Prior enim virginitas virginale corpus agnoscit.

[3] Plurimi codd. hic *allocutio;* cfr. tamen infra n. 23, ubi exhibent nostram lectionem.

[4] Vers. 4. — Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2: Neque enim ex subiecta materia id faciebat, quod tamen [ὥσπερ] per quandam dispensationem ante crucem facere solebat [ἐποίει]. Cfr. Cyrill. Alexandr., in hunc locum: Ceterum prunas praeter exspectationem positas aspiciunt et Christum lignorum struem accendentem et ei piscem divina virtute *captum* imponentem etc. — Glossa *interlinearis: Viderunt prunas positas*, quibus significatur calor caritatis, *et piscem*, fidem, *superpositum*, super prunas, *et panem*, Verbum Dei scilicet viderunt non super prunas. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 2: *Viderunt prunas... et panem.* Ubi non est intelligendum, etiam superpositum panem fuisse prunis, sed tantum subaudiendum *viderunt...* Hinc ergo fecit prandium Dominus illis septem discipulis suis, de *pisce* scilicet, quem prunis superpositum viderant, huic adiungens ex *illis quos ceperant*, et de *pane... Piscis assus*, Christus est passus; ipse est et *panis*, qui de caelo descendit [Ioan. 6, 41.]. Huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam... et eis qui haec credunt, sperant, diligunt, participatio tantae beatitudinis per hoc prandium demonstratur.

[5] Vulgata omittit *autem*. — Gregor., ll. Homil. in Evang. homil. 24. n. 1, dicit, quod solus *Petrus traxit rete in terram*, quia « ipsi sancta Ecclesia est commissa ». Rupert., abbas Tuitiens., in hunc locum: Cum supra [v. 6.] dictum sit... *Miserunt ergo et iam non valuerunt trahere...* quomodo nunc dicitur: *Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram*, cum multo magis non valeret solus, nisi quia per Petrum, cui prae ceteris specialiter dictum est [Matth. 16, 19]: *Et tibi dabo claves regni caelorum*, universitas eorum designatur, quorum est ius vel officium tractare hoc rete piscium etc.

[6] Vers. 11. — August., in Ioan. Evang. tr. 122. n. 9, ubi praemisso Matth. 5, 19: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis... minimus vocabitur* etc., ait: Consequens est ergo, ut qui minimus est in regno caelorum, qualis nunc est Ecclesia, non intret in regnum caelorum, qualis tunc erit Ecclesia, quoniam, docendo quod solvit, ad eorum societatem, qui faciunt quod docent, non pertinebit; et ideo non erit in numero *piscium magnorum*, quoniam *qui fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno caelorum.* Et quia hic magnus erit, ideo ibi erit, ubi minimus ille non erit. Usque adeo quippe ibi magni erunt, ut *qui minor* ibi *est, maior sit eo* quo hic nemo maior est [Matth. 11, 11.] etc. — Superius pro *in quantitate*, quod habet ed. cum pluribus codd. et Gorrano, A B F M *in qualitate.* Inferius pro *miraculi expressionem* D *miraculi ostensionem.*

[7] Vers. 6. Vide infra n. 26. — Subinde affertur explicatio ex Glossa *interlineari: Cum tanti essent*, numero et quantitate.

[8] August., in Ioan. Evang. tr. 122. n. 8: Cum itaque Legis *denario* [decem praeceptis] Spiritus sanctus per *septenarium* numerum accedit, fiunt *decem et septem;* qui numerus, ab uno usque ad se ipsum, computatis omnibus, crescens, ad centum quinquaginta tres pervenit. Ad unum enim si adiicias duo, fiunt utique tres; his si adiicias tres et quatuor, fiunt omnes decem; deinde si adiicias omnes numeros, qui sequuntur usque ad decem et septem, ad supradictum numerum summa perducitur etc. Ibid. etiam dicit: Qui numerus [153] ter habet etiam quinquagenarium numerum et insuper ipsa tria propter mysterium Trinitatis; quinquagenarius autem, multiplicatis septem per septem, et unius adiectione completur... Unus autem additur, ut eo significetur, unum esse, qui per septem propter operationem septenariam demonstratur, et novimus, Spiritum sanctum post ascensionem Domini quinquagesimo die missum etc. Cfr. Gregor., ll. Homil. in Evang. homil. 24. n. 4. Cyrill. Alexandr., in hunc locum, docet, *centenario* designari gentium plenitudinem, *quinquagenario* reliquias populi Iudaici salvandas, *ternario* Trinitatem, per quam et ad cuius gloriam fideles vocantur et salvantur. Rupert., abbas Tuitiens., in hunc locum, censet, per *centenarium* designari coniugatos, per *quinquagenarium* viduos vel continentes, per *ternarium* virgines.

vel quia *universitatem*, quia, sicut dicit Hieronymus [1], « tot genera piscium in mari esse, a philosophis descripta leguntur ».

Secundum. 22. (Vers. 12.). *Dicit eis Iesus.* Hic notatur secundum, scilicet *Domini benignitas* ad invitandum discipulos ad cibum; ideo dicit: *Dicit eis Iesus: Venite, prandete;* invitat ad *prandium*, sed in futura resurrectione invitabit ad *coenam*, secundum illud Apocalypsis decimo nono [2]: « Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ». Invitat nunc ad cibum *corporalem*, ut innuat, quod invitat ad *spiritualem;* Canticorum quinto: « Comedite, amici, et bibite et inebriamini, carissimi »; et Isaiae quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite; venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac [3].

Tertium. 23. *Et nemo discumbentium.* Hic notatur tertium, scilicet *illuminatio discipulorum* ad Dominum cognoscendum; unde dicit: *Et nemo discumbentium*, id est ad comedendum residentium, *audebat eum interrogare: Tu quis es?* Unde Chrysostomus [4]: « Cum silentio et reverentia multa sedebant, attendentes in eum ». *Scientes, quia Dominus est,* id est, propterea non interrogabant eum: tu quis es? ad Hebraeos penultimo [4]: « Serviamus placentes Deo cum metu et reverentia »; ad Philippenses secundo: » Cum metu et tremore salutem vestram operamini ».

Quartum. 24. (Vers. 13.). *Et venit Iesus.* Hic notatur quartum, scilicet *Domini munificentia* ad cibaria distribuendum; unde dicit: *Et accepit panem et dabat* [5] *illis et piscem similiter,* dabat illis, ut comederent. Et similiter intelligendum, quod ipse cum eis *comederit;* unde Chrysostomus [6]: « Hic quidem non dicit, quod comedit cum eis; Lucas alibi ait, Lucae ultimo: Cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis »; unde Gregorius [7] dicit: « Assum piscem Dominus comedit et panem ». Christus *dabat,* in quo se gratiarum omnium liberalissimum distributorem significabat; Matthaei vigesimo quinto [8]: « Unicuique dedit secundum propriam virtutem ».

Comparatio huius manifestationis ad praecedentes. 25. (Vers. 14.). *Hoc iam tertio.* Posita manifestatione, ponitur *manifestationis ad praecedentes comparatio* [9]; et computatur cum praecedentibus *tertia,* non quia plures non fuerint, sed quia sufficit istas tres scribere ad credendum, secundum illud Deuteronomii decimo nono: « In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum ». Ideo dicit. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis,* quasi sufficiens sit trinam manifestationem explicasse; Actuum decimo [10]: « Dedit, eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praeordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis ».

---

[1] Libr. XIV. Comment. in Ezech. 47, 6. seqq.: Aiunt autem qui de animantium scripsere naturis et proprietate... de quibus Oppianus [Anazarbaeus] Cilix est, poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quae omnia capta sunt ab Apostolis, et nihil remansit incaptum, dum et nobiles et ignobiles, divites et pauperes et omne genus hominum de mari huius saeculi extrahitur ad salutem. Cfr. Glossa *ordinaria* in eundem locum Ezech. — Codd. et Gorranus substituunt *Isidorus;* etiam card. Hugo, in hunc Ioan. locum, ait: « Glossa *Isidori:* Piscium omnium, qui in aqua vivunt, centum quinquaginta tria esse genera, philosophi enumerant ». B. Albert., hic: « *Isidorus* autem dicit, quod in mari illo non sunt nisi centum quinquaginta tria genera piscium, et de quolibet genere piscium aliquis fuit comprehensus. Sed hoc probare esset difficile; et hoc ideo non approbatur ». Cfr. Isidor., XII. Etymolog. c. 6. n. 63: « Animalium omnium in aquis viventium nomina 144, Plinius ait » etc. In ed. Plinii, quam prae manibus habemus (ed. August. Taurin. 1832) libr. XXXII. Histor. natur. c. 53. (alias 11.) habetur, pisces « centum septuaginta quatuor omnino generum esse », et in nota adiecta dicitur: In quibusdam mss. *centum quadraginta quatuor,* errore minime obscuro; cum enim, IX. 16, piscium species esse affirmet, ut diximus 144, praeter crustis intecta [nostra ed. legit ibi: Piscium sunt species septuaginta quatuor, praeter crustis intecta], quae sunt 30, ex utroque eo numero effici manifestum est 174.

[2] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Cant. 5, 1. et Isai. 55, 1. — Superius post *invitat* ed. cum Gorrano addit *modo.*

[3] In Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2.

[4] Vers. 28. — Sequitur Phil. 2, 12.

[5] Vulgata *Et accipit panem et dat.*

[6] In Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2. in fine: At hic non dicit, ipsum comedisse cum illis. Lucas vero alibi [Act. 1, 4.] dicit: *Et convescens cum illis* [a S. Bonav. allegatur Luc. 24, 43.].

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 5: « Assum ergo piscem comedit et panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet, quia et passionem ex nostra humanitate pertulit et refectionem nostram ex sua Divinitate procuravit ». Ed. cum Gorrano legit: *Assum piscem Dominus comedit. Itaque discipulis suis panem Christus dabat* etc. — Cfr. infra n. 27. et 28.

[8] Vers. 15. Cyrill. Alexandr., in Ioan. 21, 13: Christus eis potius distribuit, ut rursum velut in typo quodam disceremus, Christum etiam tunc temporis fore nobis divinorum donorum largitorem ac distributorem, in quantum Dominus est. — Codd. omittunt *gratiarum omnium liberalissimum.*

[9] Cfr. supra n. 5. — Subinde allegatur Deut. 19, 15. — August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 3: *Hoc iam tertio...* Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus... ut ista sit tertia; prima quippe habenda sit eademque una propter unum diem, quotiescumque se et quibuscumque die illo, quo resurrexit, ostendit; secunda post dies octo, et haec tertia, et deinde, quoties voluit usque ad diem quadragesimum, quo ascendit in caelum, quamvis non scripta sint omnia. Cfr. III. de Consensu Evang. c. 25. n. 82; ibid. n. 83. ait: Invenimus itaque apud quatuor Evangelistas *decies* commemoratum, Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem etc. Vide S. Bonav., Comment. in Luc. 24, 35. Cornel. a Lapide, in hunc locum: *Tertio,* scilicet computando eas apparitiones, quae factae *pluribus Apostolis simul,* quas solas hic Ioannes commemorat etc.

[10] Vers. 40. seq. — B. Albert., Postilla in Ioan. 21, 14: Licet pluries apparuit, tamen Ioannes in his Evangelium terminat, quia sufficit ista triplex manifestatio: [quarum prima fuit] *ad consolationem, et veritatem* [secunda facta Thomae dubitanti] *et potestatem* [sive ut paulo superius dixerat *in plenitudine potestatis*]. Deut. 19: *In ore duorum* etc.

QUAESTIONES.

26. Quaest. I. Sed quaeritur hic primo de hoc quod dicit: *Cum tanti essent, non est scissum rete.* — Cum in prima piscatione, Lucae quinto [1], dicatur, quod *rumpebatur rete* propter multitudinem piscium copiosam; quid est, quod nunc integrum perseverat?

Respondet Gregorius [2]: « In alia piscatione prae
Resp. multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei cum electis reprobi intrant, qui ipsam Ecclesiam haeresibus scindunt. In hac vero piscatione rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia, in continua pace requiescens, nullis dissensionibus laceratur ».

27. Quaest. II. Item quaeritur de hoc, quod Dominus *comedit* piscem et panem, secundum quod dicitur Lucae ultimo [3]; cum sit tantum corporis animalis: ergo aut Christus habuit corpus animale, aut phantastice comedit.

RESPONDEO: Dicendum, quod est *comedere ex*
Resp. cum distinctione. *necessitate*, et hoc est corporis animalis tantum; et est *comedere ex potestate*, et hoc non tantum animalis, sed etiam gloriosi et spiritualis, quod pure ex potestate comedit. Corporibus enim glorificatis non aufertur *potestas*, sed *necessitas* [4].

28. Quaest. III. Item quaeritur: quid fiebat de illo cibo? Cum enim corpus glorificatum non nutriretur, videtur, quod haberet egressum naturae consuetum.

RESPONDEO: Dicendum, quod sicut aqua in ignem
Resp. proiecta statim ab igne absorbetur, sic cibus a corpore glorificato susceptus statim consumitur virtute quadam spirituali. Unde Augustinus in libro de solutione Sex Quaestionum [5]: « Aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens: illa *indigentia*, iste *potentia*. Futurae ergo resurrectionis corpus imperfectae felicitatis erat, si cibis eguerit; imperfectae felicitatis erit, si cibos sumere non poterit ». Et ratio huius est, quia in primo *indigens*, in secundo *impotens*.

29. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Hoc iam tertio manifestavit se Iesus* etc. — Propter quid Dominus interpolate discipulis se manifestabat et non erat cum eis continue usque ad ascensionem?

Et respondet Chrysostomus [6], quod « subtraxit Resp. et ratio 1.
se ab aspectu illorum aliquando, ut avidius quaereretur, et quaesitus amaretur, et amatus insignius et devotius veneraretur ». — Alia ratio: quia discipuli, Ratio 2.
quamdiu fuit cum eis Dominus, eum carnaliter diligebant; ut eos disponeret ad spiritualem amorem et per hoc ad receptionem Spiritus sancti: ideo praesentiam corporalem ab oculis subtrahebat paulatim, quousque plene subtraheret in ascensione, et tunc fieret amor eorum omnino spiritualis. Propterea scriptum est supra decimo sexto [7]: « Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos » etc.

30. *Cum ergo prandissent, dicit* etc. Supra Secundo, de Petri in dilectione confirmatione duo.
descripta est Christi resurgentis manifestatio, hic describitur *Petri in dilectione Christi confirmatio* [8]. Et quia quod confirmatur ad perfectionem tendit, ideo pars ista in duas dividitur. Primo enim Petrus in *dilectione Christi solidatur;* secundo, *ad consummationem dilectionis*, quae est per passionem, *invitatur*, ibi [9]: *Amen, amen dico tibi* etc.

Confirmatio igitur Petri in dilectione fit Christi Primo, Petrus in dilectione solidatur trina interrogatione.
trina interrogatione; unde sunt tres partes in prima parte secundum tres interrogationes: *prima*, ibi [10]: *Cum ergo prandissent; secunda*, ibi: *Dicit ei iterum: Simon* etc.; *tertia*, ibi: *Dicit ei tertio: Simon* etc.

Prima igitur [11] hoc ordine describitur: nam po- Interrogatio 1, de qua tria.
nitur *Christi inquisitio;* secundo, *Petri responsio* et *Domini* additur *exhortatio.* — *Inquisitio Chri-*

---

[1] Vers. 6. — Pro *in prima* plures codd. et Corranus *in ipsa.*

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 24. n. 3.

[3] Vers. 42. seq.: At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis; et cum manducasset etc. — Ed. legit: *comedit piscem et favum mellis, secundum quod... cum autem talis sit cibus tantum* etc.; permulti codd.: *et panem, cum, secundum quod dicitur Lucae ultimo, sit tantum* etc., in qua lectione principalis sententia manifestationis Christi a Luca narratae expressa videtur; Luc. 24, 36. seqq. narrat, quod Iesus stetit in medio discipulorum, qui existimabant, se *spiritum* videre; ad quam existimationem tollendam dicit eis: « *Palpate* et videte, quia spiritus *carnem et ossa* non habet, sicut me videtis habere... Adhuc autem illis non credentibus... dixit: Habetis hic aliquid, quod *manducetur?* At illi obtulerunt ei partem piscis assi » etc.

[4] August., XIII. de Civ. Dei, c. 22: Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur. Unde et spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent. Cfr. Chrysost., in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2. in fine.

[5] Sive Epist. 102. (alias 49.) q. 1. n. 6, ubi textus originalis *candens* pro *calens*. Cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 22. m. 2. a. 3.

[6] Ita etiam B. Albert., Postilla in Ioan. 21, 14, qui verbo *amaretur* praefigit *ardentius;* codd. nostri, contradicentibus B. Alberto et Gorrano nec non ed., finem verborum sic exhibent *insignius vocaretur*. Duobus in locis invenimus Chrysost. hac de re tractantem: in Ioan. homil. 87. (alias 86.) n. 2. et in Act. homil. 1. n. 4. Primo loco ait: Viden', quomodo non frequenter cum illis versetur, neque sicut antea? Apparuit enim vespere et evolavit; deinde post dies octo semel etc. Secundo loco dicit: Neque enim, ut ante resurrectionem, semper cum illis erat... Adveniebat enim et avolabat rursum. Quare? Animos illorum *ad altiora ducebat* nec sinebat, illos perinde *erga se affici atque antea.* — Pro *respondet Chrysostomus* ed. *respondetur secundum Bernardum;* in nota adiecta dicitur, quod « nihil horum simile invenio apud Chrysostomum », sed quod simile apud Bernardum inveniatur; cfr. supra c. 20. n. 33. Vide etiam supra pag. 509, notam 10.

[7] Vers. 7. Cfr. ibid. n. 24.

[8] Vide supra n. 1.

[9] Vers. 18.

[10] Vers. 15. secunda pars habetur v. 16; tertia v. 17.

[11] Ed. cum uno alteroque cod. addit *inquisitio.*

sti facta est per manifestationem, quae fuit per comestionem; ideo dicit:

31. (Vers. 15.). *Cum ergo prandissent.* Attendendum est, quod in prandio non quaesivit de dilectione, quia, sicut dicitur Ecclesiastici sexto [1], « est amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis ». Sed post quaerit: *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ideo de *dilectione* quaerit, quia gregem suum non vult nisi amanti committere; ideo de *maiori* dilectione, quia magis amanti vult committere. Unde Gregorius [2]: « Qui caritatem non habet praedicationis officium suscipere nequaquam debet »; certe multo minus praelationis, quia, sicut dicitur Ioannis decimo, « bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ».

Primum.

32. *Dicit ei: Etiam, Domine.* Hic ponitur *Petri responsio*, in qua respondet, quod *amat*, sed non, quod *plus amet*, quia amorem aliorum nesciebat. Unde Augustinus [3]: « Quod respondet Petrus *amo te* nec addidit *plus his;* hoc respondit, quod de se ipso sciebat; non enim, quantum ab alio diligeretur, scire poterat, quia cor alterius videre non poterat ». *Tu scis, quia amo te;* in hac responsione ostendit Petrus, non se respondere adulatorie, sed vere. Unde Chrysostomus [4]: « Ipsum vocat testem, qui scit occulta ». Sic invocabat Ieremias, decimo septimo: « Diem hominis non desideravi, tu scis ».

Secundum.

33. *Dicit ei.* Hic notatur post responsionem *ad operationem exhortatio;* quia « probatio dilectionis exhibitio est operis [5] »; ideo dicit: *Pasce agnos meos;* in quo mira dilectio Christi ad oves exprimitur, quia hoc praecipue inter alia signum suae dilectionis ostendit; et hoc quidem Petrus implevit et impleri monuit, primae Petri quinto [6]: « Seniores, pascite qui in vobis est gregem Dei » etc.

Tertium.

Interrogatio 2, de qua tria.

34. (Vers. 16.). *Dicit ei iterum.* Hic ponitur *secunda* inquisitio, in qua similiter proceditur, ut prius. Ponitur enim *Christi inquisitio;* secundo, *Petri responsio;* et tertio, *exhortatio.*

Inquirit ergo Dominus, ut prius, de dilectione: *Simon Ioannis, diligis me? Simon Ioannis* dicitur, quia filius erat Ioanna [7]. — Et *respondet* Petrus: *Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te.* Beda [8]: « O quam fidelis et pura anima! quae Conditori suo, cuius oculis omnia nuda et aperta sunt, dicere non metuit: *Domine, tu scis, quia amo te* ». — *Dicit ei.* Hic ponitur *exhortatio*, ut prius: *Pasce agnos meos.* Exhortationem praedictam iterat; unde Beda [9]: « Haec est sola et vera probatio integri in Deum amoris, si erga fratres studueris curam solliciti exercere laboris ». *Pasce,* scilicet exemplo, sicut ille, de quo in Psalmo: « Pavit eos in innocentia cordis sui ».

Primum. Secundum. Tertium.

35. (Vers. 17.). *Dicit ei tertio.* Hic ponitur *tertia* inquisitio illo ordine, quo prius, scilicet *quaestio, responsio, exhortatio.*

Interrogatio 3, de qua tria.

Quaerit ergo Dominus de eodem: *Simon Ioannis, amas me?* Ex hac littera patet, quod *amare* accipitur in bono, ut *diligere* [10]. — Et *contristatus est Petrus.* Hic notatur *responsio Petri;* sed tamen respondit *cum tristitia*, quia, sicut dicit Chrysostomus [11], timebat, ne similiter ei accideret, sicut accidit, quando dixit: « Animam meam pono pro te »; et ideo contristatus est, *quia dixit ei tertio: Amas me?* Sed tamen non desperavit, immo fiducialiter respondit et *dixit ei;* unde responsioni addit: *Domine, tu omnia nosti,* tanquam Deus; *tu scis, quia amo te,* etiam melius nosti quam ego. Sciebat enim, quod ille erat, qui dixit Ieremiae decimo septimo [12]: « Ego Dominus scrutans corda et renes », id est cogitationes et affectiones. — *Dicit ei: Pasce oves meas.* Hic notatur *exhortatio;* et per *oves* intelliguntur subditi perfectiores [13].

Primum. Secundum. Tertium.

Notandum est, quod Dominus praecipit *pascere oves,* non tondere, non comedere, quia pastor non

Notandum.

---

[1] Vers. 10. — Cfr. infra n. 36. et 37.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1. — Subinde allegatur Ioan. 10, 11.

[3] In Ioan. Evang. tr. 124. n. 4. Post *ab alio* textus originalis addit *quolibet*, ed. *et qualiter*.

[4] In Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 1. — Sequitur Ier. 17, 16. — Subinde vocibus *Sic* [plures codd. *Sicut*] *invocabat* ed. interserit *Deum*, Gorranus *et Deum*.

[5] Ut dicit Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 1.

[6] Vers. 1. seq.

[7] Vide supra 1, 42. et ibid. notam 2.

[8] Libr. II. Homil. genuin. homil. 15. in Vigilia beatorum Apost. Petri et Pauli, ubi pro *anima* textus originalis, quem in hoc sequitur ed., *conscientia*, et pro *aperta sunt* cum multis codd. incongrue *aperta novit* [ita in duabus Bedae edd. a nobis inspectis]; plures codd. *meruit* pro *non metuit*. Respicitur Hebr. 4, 13: Omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius etc.

[9] Loc. in praecedente nota cit. — Subinde allegatur Ps. 77, 72.

[10] August., XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 1. seq.: Tertia vero interrogatione et ipse Dominus non ait: *Diligis me*, sed *amas me?*... Unde intelligimus, quod etiam, cum dicebat Dominus: *Diligis me?* nihil aliud dicebat, quam *amas me?*... Hoc propterea commemorandum putavi, quia nonnulli [a Maurinis allegatur Origen. homil. 1. in Cantic.] arbitrantur, aliud esse dilectionem sive caritatem, aliud amorem. Dicunt enim, dilectionem accipiendam esse in bono, amorem in malo. Sic autem nec ipsos auctores saecularium litterarum locutos esse, certissimum est etc. — Pro *in bono* ed. *in eodem sensu*, pro qua lectione in nota adiecta adducuntur verba Augst., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5: Ubi etiam demonstratur, unum atque idem esse amorem et dilectionem etc.

[11] In Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 1: Cum igitur semel et iterum interrogatus, illum ipsum, qui secreta cordis novit, in testem vocasset, et adhuc tertio interrogatus, turbatus est, ob priora timidus effectus (nam tunc affirmate locutus, postea superatus est): ideo rursus ad illum confugit. Nam cum dicit: *Tu omnia scis*, id est praesentia et futura; viden', quanto melior factus sit, quanto modestior, non arroganter contradicens, ut antea? Ideo turbatus est: Num forte, cum amare me putem, non amo tamen, ut ante altum sapiens et asseverans, postea superatus sum? — Allegatur Ioan. 13, 37.

[12] Vers. 10. — Subinde pro *Dicit ei* Vulgata *Dixit ei.*

[13] Theophylact., in hunc locum: *Agni* fortasse dicuntur simpliciores, qui facile introducuntur [τάχα οἱ εἰσαγωγικοτεροι], *oves* vero perfectiores. Cfr. infra n. 40.

se ipsum pascere praecipitur amore Christi, sed oves; Ezechielis trigesimo quarto [1]: « Vae pastoribus Israel! qui pascebant semetipsos; nonne oves pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis et lanis operiebamini ».

QUAESTIONES.

36. Quaest. I. Sed quaeritur hic: cum alii Apostoli circumstarent, qui Dominum diligebant; propter quid a solo Petro quaesitum est de dilectione [2]?

Resp. et ratio 1. Responsio una est: quia sibi erat cura gregis specialiter committenda inter alios, ideo ab eo specialiter de dilectione quaeritur. Unde Chrysostomus [3]: « Eximius Apostolorum erat Petrus et os discipulorum et vertex collegii »; propterea, alios praeteriens

Ratio 2. et transcurrens, huic de talibus loquitur. — Potest etiam alia ratio assignari: quia Petrus eum notabiliter negaverat, et ideo videbatur non essę dignus, ut ceteris Apostolis praemitteretur; ideo Dominus quaerit, ut ostendat eius caritatem prae ceteris excellentem, et pastorale officium, quod dederat, confirmaret [4].

37. Quaest. II. Item, cum Petrus non posset ad hanc quaestionem respondere: *Diligis me plus his?* quia de aliis nesciebat [5]; quomodo Dominus quaerit?

Resp. RESPONDEO: Dicendum, quod hoc Dominus quaerit, ut ostendat eius *excellentiam* in quaerendo et *correctionem* in respondendo; unde Augustinus [6]: « Quod Petrus plus aliis Dominum dilexerit, hoc evidenter apparet, ubi eum interrogans ait: *Diligis me plus his?* Quod utique sciebat, et tamen interrogabat, ut et nos *amorem* eius erga Dominum nossemus ». Et Petri *correctio* ostenditur in hoc, quod non audet se aliis praemittere, ut supra ante passionem, cum dixit [7]: « Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego ».

Quaest. incid. 1. 38. Sed tunc est quaestio: quare Dominus toties quaerit: Petre, *diligis me?*

Resp. et ratio 1. Respondet Augustinus [8]: « Quod ideo ter quaerit, ut reddatur trinae negationi trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori ». — Ratio 2. Alia ratio redditur, quia ideo quaerebat, ut gregem suum commendaret; et quia ter gregem commendare volebat, ideo ter de dilectione requirit [9].

Quaest. incid. 2. 39. Sed tunc est quaestio: quare dicit ei ter: *Pasce?*

Resp. Et respondetur, quod oves Christi tripliciter debent pasci, scilicet *verbo*, *exemplo* et *temporali subsidio;* unde Beda [10]: « Sollicitudo pastoralis officii exigit, ut rector Ecclesiae, ne plebi temporalia desint subsidia, diligenter provideat et eidem exempla virtutis ostendat eique verbum praedicationis sollicitus impendat ».

Quaest. incid. 3. 40. Sed tunc quaeritur: quare bis dicit pascendos *agnos* et semel *oves?*

Resp. RESPONDEO, quod per *agnos* imperfecti et tenelli in fide intelliguntur, et hi ampliori pastura, hoc est cura sollicitiore, indigent; per *oves* vero grandiusculi, qui se valent regere, et hi non tanta cura indigent [11].

Secundo, Petrus ad consummationem dilectionis invitatur. 41. *Amen, amen dico tibi.* Postquam facta est Petri in dilectione confirmatio, fit hic eius *ad dilectionis consummationem invitatio* [12]. Consummatio autem dilectionis est, ut homo ponat animam suam pro Christo; ideo fit hic *ad passionem imitandam invitatio*, et proceditur hic per hunc ordinem. Primo, Divisio in 4 membra. *Petrus invitatur et certificatur* de genere suae mortis. Secundo, *petit certificari de genere mortis Ioannis.* Tertio, *respondetur ei*, Ioannem non esse passurum. Quarto, *corrigitur intellectus credentium*, Ioannem non esse moriturum.

De primo. 42. (Vers. 18.). *Certificatur* ergo *Petrus* a Domino de genere suae mortis, scilicet per passionem et crucem; et ut certum reddat, dicit: *Amen, amen dico tibi;* et haec est passio, quod in senio suo crucifigendus esset pro Christo; unde dicit: *Cum esses iunior, cingebas te et ambulabas, ubi vole-*

---

[1] Vers. 2. et 3. — August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5: Sit amoris officium, pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium, negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum etc. — Superius ed. omittit *non tondere*, C N et Gorranus *non comedere.*

[2] Chrysost., in Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 1: Et cur, aliis praetermissis, de his hunc alloquitur?

[3] Loc. in praecedente nota cit.

[4] Cyrill. Alexandr., in Ioan. 21, 15-17: Ex eo vero, quod Dominus dicit: *Pasce agnos meos,* traditi iam ei apostolatus renovatio quaedam esse censetur etc. Cfr. infra n. 37. et 38. — Superius pro *praemitteretur* C *proponeretur,* N *praeponeretur,* ed. *praeficeretur.*

[5] Cfr. supra n. 32. verba Augustini.

[6] In Ioan. Evang. tr. 124. n. 4. — Superius pro *in quaerendo* D *in inquirendo,* et subinde pro *correctionem* plures codd. *correptionem,* ed. *circumspectionem Petri.*

[7] Marc. 14, 29. — Haec expositio est secundum Chrysost. supra pag. 525, nota 11. allegatum. — Superius pro *correctio* unus alterque cod. *correptio,* ed. *circumspectio et humilitas.*

[8] In Ioan. Evang. tr. 123. n. 5. Hanc rationem afferunt etiam Hieron., Epist. 77. (alias 30.) n. 4; Cyrill. Alexandr. et Theophylact., in Ioan. 21, 15. seqq.

[9] Chrysost., in Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 1: Ter interrogat et ter eadem imperat, ut ostendat, quanti faciat ovium curam, et hoc maximum esse amoris erga se argumentum.

[10] Libr. II. Homil. genuin. homil. 15. in Vigilia beatorum Apost. Petri et Pauli. Cfr. Glossa *ordinaria* in Ioan. 21, 17. — Bernard., Serm. 2. in tempore Resurrectionis, n. 3: Emant proinde aromata sua tres mulieres: mens, lingua, manus. De his enim, ut arbitror, Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem Domini. *Pasce,* inquit, mente; *pasce* ore; *pasce* opere; *pasce* animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

[11] Cfr. supra pag. 525, nota 13. — Pro *grandiusculi,* quod nonnulli codd. omittunt, M *perfecti.*

[12] Vide supra n. 30. — Beda, II. Homil. genuin. homil. 15. in Vigilia beatorum Apost. Petri et Pauli: Veri autem pastoris... evidens et speciale indicium est, cum quisquis... quoque vitam pro grege Christi ponere in promptu habet. Unde nunc ipse, postquam pascendas oves suas Petro... commisit, subsequenter addidit, dicens: *Amen, amen dico tibi* etc.

bas, id est, sequebaris voluntatem tuam; Ecclesiastici decimo octavo[1]: « Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere ». *Cum autem senueris, extendes manus tuas*, scilicet in cruce; *et alius te cinget*, « vinculis scilicet », ut Nero, *et ducet, quo tu non vis*, « id est ad mortem »; quia, sicut dicitur secundae ad Corinthios quinto[2], « nolumus exspoliari, sed supervestiri ». Et ratio huius redditur ad Ephesios quinto: « Quia nemo unquam carnem suam odio habuit ». Cinctus fuit Petrus vinculis; Actuum duodecimo: « Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus ». Et quia haec verba aliud a littera praetendebant, ideo ponitur expositio facta ab Evangelista.

43. (Vers. 19.). *Hoc autem*, scilicet quod ex- Explicatio. tendes manus tuas, *dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum:* quia morte *crucis*, quae, etsi ante Christum vilipendenda erat, postmodum exstitit gloriosa; et hac Petrus gloriosus effectus est. Unde Augustinus[3]: « Ille negator et praesumendo elatus, negando prostratus, post flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo est coronatus ». Hac Petrus Dominum *clarificavit*, sicut Paulus dicebat ad Philippenses primo[4]: « Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem ». Et quia passio bona non est, nisi sit *voluntaria;* ideo hortatur Petrum pati voluntarie; et propterea dicit: *Et cum hoc dixisset, dicit ei*, id est Petro: *Sequere me*, ad passionem crucis voluntarie veni, secundum quod ipse Petrus dicit primae Petri secundo[5]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius ». De hac consecutione vel sequela supra decimo tertio dixit Dominus Petro: « Quo ego vado, tu non potes venire modo; sequeris autem postea ».

44. (Vers. 20.). *Conversus Petrus vidit disci-* De secundo. *pulum*[6] etc. Hic secundo, sciens Petrus mortem suam, *quaerit de morte Ioannis;* cupiebat enim, ut, cui iunctus fuerat in vita per multam dilectionem, iungeretur in mortis similitudine. Et quia Petrus sciebat, quod Dominus Ioannem amabat; volebat scire, qua morte ipsum mori volebat; ideo dicit: *Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem*, scilicet Ioannem. Et signum dilectionis praecipuae ostenditur, cum infertur: *qui et recubuit in Coena super pectus eius*, supra decimo tertio[7], *et dixit: Domine, quis est, qui tradet te?* Quaesivit ab eo quod secretum erat; et hoc signum erat dilectionis, quia sibi revelatum est, sicut dicitur supra decimo tertio; et hoc signum est amicitiae, sicut dicitur supra decimo quinto: « Vos dixi amicos, quia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis ».

45. (Vers. 21.). *Hunc ergo cum vidisset Petrus*, quem sciebat specialiter dilectum, *dicit ad Iesum*[8]: *Domine, hic autem quid?* supple: patietur, ut ad te veniat? Chrysostomus: « Valde amabat Ioannem Petrus; quia ergo magna Dominus praedixerat Petro, volens et hunc accipere communicatorem, ait: *Domine, hic autem quid* »?

46. (Vers. 22.). *Dicit ei Iesus.* Hic tertio *certi-* De tertio. *ficatur Petrus*, Ioannem non esse passurum, per Domini responsionem, in qua *revelat veritatem*, ut satisfaciat quaestioni, et *arguit curiositatem*, ut corrigat quaerentem. *Veritatem revelat*, cum ait: Veritas revelatur. *Dicit ei Iesus: Sic*[9] *eum volo manere, donec veniam;* Beda: « *Sic*, id est absque violentia persecutionis diem exspectare novissimum »; respondet quaerenti. — Cum dicit: *Quid ad te? Tu me sequere*, Curiositas arguitur. *arguit* eum *de curiositate* quaestionis; unde Chrysostomus[10]: « Quid ad te, si sic volo eum manere? Tu ea quae tui ipsius sunt, attende, et de his sollicitus sis »; Ecclesiastici tertio: « In pluribus operibus eius ne fueris curiosus, sed quae praecepit tibi, cogita illa semper »; et ideo repetit: *Tu me sequere*, quasi dicat: de hoc cogites et sollicitus sis.

47. (Vers. 23.). *Exiit ergo sermo iste inter* De quarto. *fratres.* Hic quarto *corrigitur intellectus credentium*, Ioannem non esse moriturum simpliciter; unde dicit: *Quod*[11] *discipulus ille non moritur*, contra

---

[1] Vers. 30. — August., in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5: *Extendes*, inquit, *manus tuas*, hoc est, crucifigeris. Glossa *interlinearis: Et alius te cinget*, vinculis; *et ducet, quo tu non vis*, ad mortem.

[2] Vers. 4. — Sequuntur Eph. 5, 29. et Act. 12, 6. Vide infra n. 48.

[3] In Ioan. Evang. tr. 123. n. 4: Hunc invenit exitum ille negator et amator, praesumendo etc. — Cfr. infra n. 49.

[4] Vers. 20. — Post *Paulus* plures codd. et Gorranus addunt *qui*.

[5] Vers. 21. — Subinde allegatur Ioan. 13, 36. — Glossa *interlinearis: Sequere me*, quasi: ne timeas mori pro me, cum ego prius pro te [ex Beda, I. Homil. genuin. homil. 8. in natali S. Ioan. Evang.].

[6] Vulgata et B *illum discipulum*.

[7] Vers. 23; ibid. v. 26. habetur seq. locus (cfr. ibid. n. 42.), post quem sequitur 15, 15. Vide infra n. 51. et 52.

[8] Vulgata *dixit Iesu*. — Sententia Chrysost. habetur in Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 2. Textus originalis plura interserit. Pro *communicatorem* (κοινωνὸν) nonnulli codd. *comitatorem*, Gorranus *comitem*, ed. *comitem et collegam*, card. Hugo *socium et communicatorem praesulatus et martyrii*.

[9] Ed. habet lectionem *Si*. Cfr. Cornel. a Lapide, qui dicit: Est hic triplex lectio. Prima Graecorum, indeque Syri, Arabici et Aethiopici: *Si eum volo manere*. Secunda S. Hieron., lib. 2. contra Iovinian. et aliorum: *Si sic*. Tertia Latinorum, praesertim Romanorum: *Sic eum volo manere*, itaque legunt S. August., Beda, Rupertus, Glossa etc. — Beda, I. Homil. genuin. homil. 8. in natali S. Ioan. Evang.: *Dicit ei Iesus: Sic eum*... Non, inquit, eum per passionem martyrii volo consummari, sed absque violentia persecutoris diem exspectare novissimum, quando ipse veniens eum in aeternae beatitudinis mansione recipiam. Cfr. infra n. 53.

[10] In Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 2: Opus tibi commissum est, hoc cura, hoc perfice, pugna, decerta. Quid enim, si velim eum hic manere? Tu tua cures et provideas. — Sequitur Eccli. 3, 22. Cfr. infra n. 50.

[11] Vulgata *quia*. — Subinde allegatur Ps. 88, 49.

illud Psalmi: « Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem ». *Et non dixit*[1] *Iesus.* Hic ponitur illius *correctio,* quia hoc non dixit Iesus, scilicet quia non moritur; *non dixit: Non moritur,* quia, sicut dicitur Ecclesiastae nono, « nemo est, qui semper vivat »; *sed: Sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?* Remissive est legendum et exponendum ut supra[2].

QUAESTIONES.

48. Quaest. I. Sed quaeritur hic de hoc quod dicit: *Alius cinget te et ducet, quo tu non vis.* — Videtur ex hoc, quod passio Petri fuerit involuntaria: ergo non fuit meritoria.

RESPONDEO: Duplex est voluntas: *rationis* et
Resp. cum distinctione. *naturae; volens* passus est voluntate *rationis,* sed *nolens* voluntate *naturae* vel sensualitatis. Nec mirum, quia sic fuit in capite; unde Matthaei vigesimo sexto[3]: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; verumtamen non, sicut ego volo, sed sicut tu.* Unde Augustinus: « Petrus *nolens* ad mortem venit, *volens* mortem vicit et reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeo naturalem, ut eum beato Petro nec senectus auferre potuerit ».

49. Quaest. II. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Significans, qua morte clarificaturus esset Deum,* quia supra quinto[4]: *Ego claritatem ab hominibus non accipio:* ergo cum Petrus esset homo, non clarificavit Deum.

RESPONDEO: Dicendum, quod etsi Deus non cla-
Resp. rificetur *in se,* clarificatur tamen *nobis* in Sanctis suis patientibus ad eius gloriam; quia per hoc nobis innotescit, quanta pro amore Dei nobis patienda sunt exemplo Sanctorum[5].

50. Quaest. III. Item quaeritur de hoc, quod Dominus specialiter dicit Petro: *Tu me sequere;* quia, si intelligitur per viam *perfectionis,* multi alii sunt secuti; si per viam *passionis,* similiter; si per *genus mortis,* secutus est etiam Andreas[6].

Et respondetur hic secundum aliquos, quod *tu*[7] Resp. 1. non dicit ibi discretionem simpliciter, sed solum respectu Ioannis, de quo erat sermo. — Vel dicendum, Resp. 2. quod *tu* dicit ibi magis significantiam quam discretionem; quia enim Petrus erat vertex Ecclesiae et praecipuus praelatus; sicut excellebat in praelatione, sic etiam debebat excellere in imitatione[8].

51. Quaest. IV. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.*

1. Quomodo fuit hoc ausus dicere, cum dicatur Ecclesiastae nono[9]: *Nemo scit, utrum amore, an odio dignus sit?*

2. Item, cum Christus omnes diligeret, propter quid Ioannes hoc sibi attribuebat, scilicet quod magis diligebatur? — Videtur falsum: quia Petrus magis diligebat[10]: ergo melior erat; sed Deus magis diligit meliores: ergo magis diligebat Petrum quam Ioannem.

Ad hoc responderi potest, quod Ioannes *revela-* Resp.
tione, vel certis[11] signis noverat, se amari.

2. Ad secundum, videtur dicere Augustinus[12], Ad 2. solutio 1. quod Ioannes magis diligebatur, sed Petrus magis diligebat; et ideo quaerit, quis melior erat; et dicit, quod Petrus melior, sed Ioannes felicior; et retorquet verba haec ad allegoriam, dicens, quia per Ioannem *contemplativa,* per Petrum *activa* vita significatur. — Sed hoc magis auget quaestionem; unde Non sufficit. ipse Augustinus[13] dicit, quod latet hic iustitia, et apparet misericordia.

Propterea dicendum, quod *magis diligere* hoc Resp. 2. est dupliciter: vel quia *ad maius praemium;* et sic magis diligebat Iesus Petrum, hoc intellecto, quod semper magis dilexerit Petrus Dominum. Alio modo *magis diligere* est quantum *ad maiorem exhibitionem,* quia plura ostendebat signa dilectionis; et sic magis diligebat Ioannem[14].

52. Quaest. V. Sed tunc est ulterius quaestio: quare magis se exhibebat Ioanni, ex quo plus dili-

---

[1] Vulgata addit *ei.* — Sequitur Eccle. 9, 4.

[2] Vers. 22. n. 46. — De *remissive* cfr. supra pag. 266, nota 9. — Ed. legit: *Quid ad te? Id est pertinet. Increpative loquitur* [ita card. Hugo, in Ioan. 21, 22.], *et est exponendum: Tu me sequere, ut supra.*

[3] Vers. 39. — De duplici voluntate (secundum Hug. a S. Vict.) cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. in corp. et III. Sent. d. 17. a. 1. q. 2. in corp. — Verba August. habentur in Ioan. Evang. tr. 123. n. 5.

[4] Vers. 41.

[5] Cfr. supra c. 5. n. 80. Chrysost., in Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 1. in fine: Non dixit: moriturus esset, sed *clarificaturus esset Deum,* ut discas, pati pro Christo gloriam esse et honorem.

[6] Haec quaestio insinuatur ab August., in Ioan. Evang. tr. 124. n. 1.

[7] Cfr. supra pag. 344, nota 15.

[8] Chrysost., in Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 1. in fine: *Sequere me.* Hic ostendit curam et affectum magnum erga ipsum. Quod si quis dixerit: Cur ergo Iacobus Ierosolymorum thronum accepit? respondebo, Petrum non throni huius, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse. Cfr. supra n. 36. Cyrill. Alexandr., in Ioan. 21, 19: *Sequere me,* quae verba, si communem sententiam sequimur, de assectatione discipulorum possunt intelligi, sed aenigmatice, ut videtur, aliud nihil subinnuunt nisi: Vestigia meorum periculorum sequere, eandemque viam quodam modo insistens, verboque et opere vocatorum ad fidem animas adiuvans etc.

[9] Vers. 1.

[10] Secundum August., de quo vide paulo inferius. — Superius pro *attribuebat, scilicet quod* ed. *attribuebat? Si quia.*

[11] Ed. *ceteris.* Cfr. supra Comment. in Eccle. 9, 1. et quaest. II. ibid.

[12] In Ioan. Evang. tr. 124. n. 4. seq.

[13] Loc. cit. n. 5: Aggrediar igitur in eius manifesta misericordia, cuius est occulta iustitia, de solvenda quaestione tam ingenti... disputare etc. Cfr. Glossa *ordinaria* in hunc locum.

[14] Cfr. III. Sent. d. 32. q. 6, ubi in corp. triplex modus solvendi hanc quaestionem affertur. — Superius vocibus *maiorem exhibitionem* ed. cum Gorrano interserit *familiaritatis.*

gebat Petrum quam Ioannem? — Videtur, quod fictio esset in Domino.

Resp. Ad hoc responderi potest, quod licet Petrus maius praemium mereretur, tamen conveniens erat, Christum maiorem familiaritatem exhibere Ioanni, quia Ioannes erat iuvenis et erat virgo et innocens; et haec sunt, quae miro modo et in conspectu Dei et hominum faciunt hominem amabilem et gratiosum. Unde Beda [1] dicit: « Hic est Ioannes, qui privilegio amoris praecipui ceteris altius meruit a Domino honorari; et quod specialis praerogativa castitatis eum ampliori dilectione fecerat dignum ». Et Glossa [2] dicit, quod « Ioannes familiarior fuit, quia tenerior erat ».

53. Quaest. VI. Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sic eum volo manere, donec veniam.* — Ergo videtur, quod saltem usque ad Domini adventum anima ipsius a corpore non sit separata; nam post [3] non habetur ex littera: ergo videtur, quod Ioannes nondum sit mortuus; in cuius rei argumentum est, quod corpus eius non invenitur.

Respondeo: Dicendum, quod praeter expositionem primam discipulorum, quam fecerunt, quam arguit ipse Evangelista [4], quod non moreretur, tres
Resp. 1. sunt aliae expositiones. Una est, quod non est mortuus, sed morietur in adventu Domini; sed modo in sopore est sub terra, et ideo corpus eius non ha-
Improbatur. betur. — Sed ista positio est improbabilis; quia non est credendum, quod Dominus discipulo, quem amabat, tamdiu differret suam demonstrare gloriam, quam cupiebat Apostolus, ad Philippenses primo [5]: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*

Alia est opinio, quod Dominus ipsum assumsit
Resp. 2. in corpore et anima, et in illa assumtione obiit et
Non probatur. revixit. — Etsi ista opinio non possit ita reprobari, tamen, quia non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur [6].

Tertia opinio dicit, quod Ioannes est mortuus, et Resp. 3. de corpore eius nihil asserit, quia nihil certum invenitur. Quod autem dictum est: *Sic eum volo manere, donec veniam,* id est, « diem exspectare novissimum, non saeculi, sed mortis suae, quando ipse veniens eum in aeternae beatitudinis mansione recipiam [7] ».

Tertio, de nostrae fidei confirmatione.

54. *Hic est discipulus ille* etc. Supra posita est discipulorum sollicitudo et Christi manifestatio; hic ponitur *fidei nostrae confirmandae ratio* [8]. Hanc autem confirmat in nobis Evangelista dupliciter: *cer-* Divisio. *tificando in veritate* et *solidando in humilitate. Certificat* in veritate, dum se dicit testem verum et securum; *solidat* in humilitate, dum ostendit, se non posse omnia scribere ad plenum, ibi [9]: *Sunt autem et alia multa* etc.

55. (Vers. 24.). Dicit igitur: *Hic est discipulus* Primo, certificatio in veritate. *ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec,* cui credendum est, omni dubitatione postposita, quia *et scimus, quia verum est testimonium eius.* Chrysostomus [10]: « Quia multa certitudine scripsit, non refutat sui ipsius testimonium in medium ferre, provocans unumquemque examinare et scrutari quae facta sunt. Consuetudo nobis est, cum valde vera dicimus, neque nostrum testimonium denegare; unde Actuum quinto dixerunt Apostoli: Testes sumus horum verborum ».

56. (Vers. 25.). *Sunt autem et alia multa,* Secundo, confirmatio in humilitate. *quae fecit Iesus.* Ostendit, se non omnia scripsisse ad plenum; in quo intellectum nostrum humiliat, ne credamus nos ad omnia sciendum capaces. Propterea dicit, se non scripsisse [11]. Ideo dicit: *Quae si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror posse capere eos qui scribendi sunt libros* — construi debet sic littera: *capere eos libros, qui scri-*

---

[1] Verba ipsa occurrunt in Breviar. Romano pro festo S. Ioan. (27. Dec.), resp. lect. 3. Noct. 1. et lect. 2. Noct. 2. Sententialiter ipsa exhibet Beda, I. Homil. genuin. homil. 8. in natali S. Ioan. evang. et Comment. in Ioan. 1, 1. Cfr. supra pag. 245, nota 2. et tom. III. pag. 706, nota 8; ibid. pag. 707, nota 1. exhibuimus verba Chrysost., secundum quae haec specialis dilectio fundatur in eo, quod videtur Ioannes « modestiam et mansuetudinem magnam exhibuisse ». August., in Ioan. Evang. tr. 124. n. 7. ait: Sunt qui senserint, et hi quidem non contemptibiles sacri eloquii tractatores, a Christo Ioannem Apostolum propterea plus amatum, quod neque uxorem duxerit et ab ineunte pueritia castissimus vixerit etc.

[2] Glossae *interlineares,* quas hac de re invenimus, sunt: in Ioan. 13, 23: Non plus omnibus, sed familiarius, ut per pacem de vita exiret, non [per] passionem; 19, 26: Prae ceteris familiarius; 21, 20: Commendat privilegium amoris sui.

[3] Dicitur enim: *Donec veniam.* — Ed. cum Gorrano *oppositum.*

[4] Vide supra v. 23.

[5] Vers. 23. — De hac positione eiusque reprobatione cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 124. n. 2. et 3. — Superius pro *positio* C *expositio,* multi alii codd. et Gorranus *ratio.*

[6] In epist. 9. ad Paulam et Eustochium, de assumtione B. M. V. (inter opera Hieron.) c. 2. haec et seq. opinio tangitur: Quod [iam resuscitatum esse] et de beato Ioanne evangelista, eius ministro, cui virgini a Christo Virgo commissa est, plurimi asseverant; quia in sepulcro eius, ut fertur, nonnisi manna invenitur, quod et scaturire cernitur. Verumtamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire velimus auctoritate nostra, quod non probemus etc. Cfr. Nicephor., II. Ecclesiast. Histor. c. 42. in fine.

[7] Ut dicit Beda supra pag. 527, nota 9. allegatus. Vide supra pag. 245, notam 7. — De his opinionibus cfr. Calmet., Dissertatio de obitu S. Ioan. evang. (in principio Comment. in Ioan. Evang.) et Cornel. a Lapide, in Ioan. 21, 22.

[8] Vide supra c. 20. n. 1.

[9] Vers. 25.

[10] In Ioan. homil. 88. (alias 87.) n. 2. Post *denegare* textus originalis plura addit. Allegatur Act. 5, 32.

[11] Supplevimus e codd. (etiam Gorranus ista exhibet) *ad plenum... scripsisse.* Pro *non scripsisse* H substituit *non omnia scripsisse.*

bendi sunt — quia parva est nostra capacitas; unde supra decimo sexto [1]: « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo ».

Quaestio.

57. Sed quid est, quod dicit, quod signa [2] Christi non possent capi in toto mundo, cum non solum acta sua, sed omnia, quae gesta sunt ab initio saeculi, si scribantur, caperet mundus libros?

Resp. cum distinctione.

Et dicendum, quod duplex est capacitas: *corporalis* et *spiritualis*, quae est per intellectum. Si de *corporali* dicatur, *per hyperbolem* dictum est, sicut in aliis locis Scripturae, ut in Psalmo [3]: *Posuerunt in caelum os suum;* et de Salomone, quod fecit tantam copiam *argenti, quanta est lapidum in Ierusalem*, tertii Regum decimo. Si autem de captu *intelligentiae* dicatur vel accipiatur, verum est ad litteram; unde Augustinus [4]: « Nos scientes, quod intelligentia nostra non caperet quae de Christo scribi possent; curemus, recta fide intelligendo quae scripsit, recta operatione exercendo quae docuit, ad dona sempiterna pervenire, quae Dominus ipse promisit », ipso adiuvante, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen [5].

Explicit.

---

[1] Vers. 12. [2] Ed. addit *et opera.*

[3] Psalm. 72, 9. — Sequitur III. Reg. 10, 27. August., in Ioan. Evang. tr. 124. n. 8: Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, quae in eo scribi quomodo possent, si scripta non ferret? Sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent, quamvis salva rerum fide plerumque verba excedere videantur fidem. Quod non fit, quando aliquid, quod erat obscurum vel dubium, causa et ratione reddita exponitur; sed quando id, quod apertum est, vel augetur vel extenuatur, nec tamen a tramite significandae veritatis erratur... Hunc loquendi modum Graeco nomine non solum Graecarum, verum etiam Latinarum litterarum magistri *hyperbolem* vocant. Qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis litteris invenitur, ut est [Ps. 72, 9.]: *Posuerunt in caelum os suum;* et [Ps. 67, 22.]: *Verticem capilli perambulantium in delictis suis* etc.


[4] Verba ipsa non invenimus; cfr. in Ioan. Evang. tr. 45. n. 7, ubi dicit, quod si verborum Scripturae « non apprehendero intelligentiam, vel explicandi quod intelligo non habuero facultatem, vel tam fuerit quisque tardus, ut etiam exponentem non sequatur, non de se desperet, maneat *in fide*, ambulet *in via*, audiat Apostolum dicentem [Phil. 3, 15.]: *Et si quid sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit, verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.* Vide ibid. tr. 47. n. 6. — Pro *unde Augustinus* ed. *ut dicit Augustinus.* Etiam B. Albert., Postilla in Ioan. 21, 25: Unde Augustinus: Nos scientes, quod intelligentia nostra non caperet de Christo quae scribi possent, curemus, recta fide credere et intelligere quae scripsit, recta operatione exercendo implere quae docuit, ut ad dona sempiterna pervenire valeamus, quae Dominus promisit.

[5] Ed. cum pluribus codd., ut AHIKL, addit *Laus tibi Christe, quoniam labor explicit iste.* Deinde ed. subiungit: *Explicit postilla optima super Ioannem, edita a Domino Fratre Bonaventura de Balneo regio Ordinis Fratrum Minorum Cardinali, ad usum Fratrum Minorum.* Cod. B legit: *Explicit explanatio Evangelii Ioannis.* C: *Explicit.*


SCHOLION.

Ultimarum divisionum membra, quae ibi omissa sunt, ubi posuimus *etc.*, videri possunt in notis marginalibus.

Schema I.



Schema II.


De manifestatione Verbi in speciali
Primo per tria testimonia Ioannis Bapt. c. 1, 19.
primum, de duarum naturarum veritate
de ipso praecursore ponuntur quatuor etc.
de Christo tria etc.
secundum, de baptizandi potestate
testimonii perhibitio etc.
testimonii corroboratio etc.
tertium, de sanctitate
ipsa testificatio
discipulorum conversio
conversorum susceptio
Secundo, per ipsum Verbum dupliciter c. 1, 43.
quoad conditiones ex parte eorum quibus fit manifestatio c. 1, 43 — 4, 54.
manifestatio facta discipulis
discipulorum vocatio
vocatio simplicis — et sapientis
vocati attractio — attracti confirmatio
manifestatio ipsis facta per miraculum
per signum
auctoritatis
potestatis
manifestatio facta Iudaeis c. 2, 63.
per verbum eruditionis c. 3, 1.
diligentia Nicodemi etc.
doctrina Domini etc.
per Sacramentum regenerationis c. 3, 22-36.
baptismus Christi et Ioannis
inde exorta quaestio
quaestionis determinatio
manifestatio facta Samaritanis c. 4, 1.
praedicandi opportunitas duplex etc.
praedicationis forma
praedicatio facta specialiter mulieri etc.
» » communiter Samaritanis etc.
manifestatio facta Galilaeis c. 4, 43.
in eis defectus reverentiae — et fidei
impetratio miraculi — aedificatio fidei
quoad conditiones ex parte Verbi manifestati se manifestat c. 5 — 12.
primo, curatorem in paralytici sanatione c. 5.
miraculosa sanatio etc.
curationis calumniatio c. 5, 9.
calumniationis confutatio per ostensionem potentiae c. 5, 18.
in generali etc.
magnitudinis declaratio
declarandi ratio
in speciali declaratur
potentia in vivificando etc.
» in iudicando etc.
confutationis roboratio c. 5, 31.
testimonii certitudo etc.
Iudaeorum reprehensio etc.
secundo, conservatorem c. 6.
primo, refectione corporali descripta
quoad antecedentia per quatuor etc.
quoad concomitantia per tria etc.
quoad consequentia per quatuor etc.
secundo, refectione spirituali c. 6, 34
turbarum excitatio etc.
duplex refectio spiritualis
secundum naturam divinam etc.
» humanam etc.
tertio, directorem et illustratorem c. 7—10.
verbo doctrinae
Doctoris propalatio
ipsius occultatio etc.
occulti manifestatio etc.
doctrinae communicatio
confutatur Iudaeorum perversitas etc.
manifestatur doctrinae nobilitas etc.
miraculo potentiae c. 9.
mirabilis caeci illuminatio etc.
Pharisaeorum disceptatio etc.
spiritualis caeci illuminatio etc.
exemplo bonae vitae c. 10.
in parabola describitur bonus pastor
quoad ingressum
» indicium
» officium etc.
parabola exponitur et Christo adoptatur
quoad ingressum etc.
» affectum etc.
» indicium etc.
quarto, perfectum reparatorem in resuscitatione Lazari c. 11.
de antecedentibus miraculum
denuntiatio infirmitatis etc.
adventus medici etc.
intercessio sive meritum fidei
Marthae etc.
Mariae etc.
exauditio pietatis etc.
de ipso miraculo
Lazari vocatio potestativa — resuscitatio
ligati solutio — aliorum vel aedificatio, vel destructio

Schema III.

- De Verbi incarnati passione c. 11, 46 — 19, 42.
  - primo, de antecedentibus passionem c. 11, 47.
    - Iudaeorum machinatio
      - eorum conspiratio
        - humani consilii indagatio — ipsius determinatio
        - Christi occultatio — occulti inquisitio
      - conspirationis corroboratio
        - convivium Domini — effusio unguenti
        - indignatio Iudae — excusatio Mariae Magd.
      - eiusdem amplificatio etc.
      - in conspiratione obstinatio etc.
    - Christi praedictio suae passionis c. 12, 20.
      - vocationis gentium praefiguratio etc.
      - passionis fructificatio etc.
      - praedicti fructus expositio etc.
      - futura Iudaeorum excaecatio etc.
    - discipulorum confirmatio c. 13.
      - per humilitatis exemplum
        - Christus proponit se exemplum etc.
        - » hortatur ad imitandum etc.
        - » detegit Iudae perversitatem etc.
        - » ostendit discipulorum infirmitatem etc.
      - per eruditionis et consolationis verbum c. 14, 1.
        - erudit discipulos in fide
          - primo ad constantiam in ea
          - secundo ad bonam operationem
        - » » in dilectione c. 15.
          - hortatio ad dilectionem Dei etc.
          - » » » amicorum etc.
          - » » » inimicorum etc.
        - » in spei exspectatione c. 16, 4.
          - ex Spiritus S. promissione etc.
          - ex Filii visitatione etc.
          - ex Patris exauditione etc.
      - per orationis subsidium c. 17.
        - Christus petit sibi claritatis manifestationem
          - petendi modus
          - petitionis fructus
          - exaudiendi ratio
          - ipsa petitio
        - Christus petit Apostolis sanctitatis conservationem
          - stabilitatem in bono etc.
          - liberationem a malo etc.
        - Christus petit credituris conformitatem gratiae etc.
        - » » his omnibus perpetuitatem gloriae etc.
  - secundo, de concomitantibus passionem c. 18, 19
    - de Christi comprehensione
      - fuit proditiosa
      - » voluntaria etc.
      - » ignominiosa
    - de Christi condemnatione 18, 13—19, 15.
      - de examinatione facta ab Anna
        - Christus iudici praesentatur etc.
        - » a Petro negatur etc.
        - » a Pontifice examinatur etc.
      - de examinatione facta a Caipha
        - discipuli negatio
        - Christi adductio
      - de examinatione facta sub Pilato
        - Iudaei adducunt Pilatum ad iudicandum etc.
        - » » » ad condemnandum etc.
    - de Christi passione c. 19, 16.
      - de ipsa passione
        - quoad passionis vilitatem
          - in genere passionis
          - in societate patientium
          - in accessu
          - in loco
        - » patientis dignitatem
          - expressa in tituli inscriptione
          - scripti publicatio
          - contradictio
          - approbatio
        - » crucifigentium crudelitatem et cupiditatem etc.
        - » compatientium paucitatem
          - mulierum compassio
          - Domini erga Matrem sollicitudo
          - recommendationis acceptio
          - recommendatio
      - de passionis consummatione
        - quoad Scripturae testimonium etc.
        - quoad factum
        - quoad effectum
          - petitio depositionis — crurifragium latronum
          - apertio lateris — consummatio testimonii duplex
          - apertio latens
    - de sepulturae conditione c. 19, 38.
      - suspensi corporis depositio etc.
      - depositi conditio etc.
      - conditi in sepulcro collocatio

SERAPHICI DOCTORIS

SANCTI BONAVENTURAE

COLLATIONES

IN EVANGELIUM S. IOANNIS

COLLATIONES[1]

IN EVANGELIUM S. IOANNIS

Capitulum I. *In principio erat Verbum.*

COLLATIO I.

(Vers. 5.). Ioannis primo: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.*

1. *Moraliter* in istis verbis duo tanguntur. Primo, Divisio. *commendatur nobis*[2] *praesentia divinae claritatis*, cum dicitur: *Lux in tenebris lucet.* — Secundo, *reprehenditur in nobis ignorantia humanae caecitatis*, cum dicitur: *Et tenebrae eam non comprehenderunt.*

Circa primum considerandum est, *quae sit* ista Pars I. lux — et quis sit *eius effectus.*

Lux ista « est lux vera, quae illuminat omnem Primo, Christus est lux dupliciter. hominem venientem in hunc mundum », infra eodem[3], Christus videlicet, qui est lux et quantum ad naturam *Divinitatis* et quantum ad naturam *humanitatis.* Quantum ad naturam *Divinitatis illustrat interius* hominem vel animam, quantum ad naturam *humanitatis informat exterius* vitam.

2. Est igitur lux Christus secundum quod *homo;* Est lux ut homo. de quo Ioannis octavo[4]: « Ego lux veni in mundum; qui sequitur me non ambulat in tenebris » etc. Hoc ad humanitatem refertur; non enim sequitur in eo excellentiam Dei, sed humilitatem hominis. — Est autem secundum quod homo lux *arguens,* lux Triplex lux. *dirigens,* lux *delectans: arguens* malos, *dirigens* iustos, *delectans* Beatos. — *Arguit malos;* ad Ephesios quinto[5]: « Omnia enim, quae arguuntur, a lumine manifestantur »; et ideo oditur a malis; Ioannis tertio: « Omnis, qui male agit, odit lucem ». — *Dirigit iustos;* Ioannis duodecimo: « Ambulate, dum lucem habetis, ut tenebrae vos non comprehendant »; Lucae primo: « Visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris sedent » etc., « ad diri-

---

[1] Ita inscribitur hoc opusculum in nostris codicibus; istas tamen *Collationes* proprie non esse nisi *schemata* collationum sive sermonum, manifeste apparet. Immo earum complures non sunt nisi breves *annotationes,* adiectae quibusdam Evangelii sive versibus, sive paucis verbis. Quod autem ipse auctor has *annotationes* a longioribus *collationibus* distinxerit, ex eo patet, quod solet primo loco ponere *collationes* secundum ordinem versuum capituli; deinde autem, repetens alios versus praetermissos, adiungit breves observationes, quae ordinarie incipiunt verbis: *nota,* sive *notandum est.* — Propterea congruum esse putavimus, breviora haec schemata distinguere a collationibus tum speciali inscriptione *annotationum,* tum distincta numeratione.

Praeterea observamus, quod in codicibus singulae collationes vel annotationes inter se non sunt distinctae numeri appositione nec initio novae lineae, sed tantum quodam separationis signo et litteris initialibus depictis vel grandioribus; interdum ne hoc quidem observatur. Ipsa tamen *Evangelii capitula* distinguuntur, in cod. A per initium novae lineae et allatis primis capituli verbis, in codd. B C insuper ponitur distincte *capitulum primum... capitulum secundum* etc.

Quoad alia remittimus lectorem ad Prolegomena nostra; hic tantum notamus, quod hae Collationes compositae sunt in usum praedicationis, et quod quasi supplementum quoddam sunt Commentarii in Ioannem, qui totus fere est in expositione sensus *litteralis* et in solvendis quaestionibus exegeticis. Hae autem Collationes pro praedicatoribus tractant res practicas, sacrum textum passim applicant etiam secundum sensum *tropologicum* sive moralem atque praeclara afferunt de Christo et Ecclesia documenta. Supponunt ipsum praecedentem Commentarium, nec pauca ex eo alio modo repetunt. Ex comparatione duorum operum satis patet, eundem esse utriusque auctorem. — Cum autem lector facile recurrere possit ad Commentarium praecedentem, ubi tum in *expositione* eiusdem versiculi tum in annexis *quaestionibus* cum appositis nostris notis non pauca inveniuntur ad hunc textum illustrandum apta; ideo nobis superfluum esse visum est, speciali allegatione locum Commentarii indicare vel alibi dicta repetere. Remittimus igitur lectorem ad eundem versum in Commentario conferendum.

[2] Ita C; A B *Primo, quoniam datur nobis.*

[3] Vers. 9. — Inferius A B omittunt *hominem vel.*

[4] Vers. 12: *Ego sum lux mundi, qui sequitur* etc.; cfr. 12, 46; *Ego lux in mundum veni.* — Inferius pro *Dei* C *Divinitatis,* qui etiam subinde pro *Est autem* substituit *Christus autem.*

[5] Vers. 13. — Subinde allegantur Ioan. 3, 20; 12, 35; Luc. 1, 78. seq. et Apoc. 21, 23.

gendos pedes nostros in viam pacis ». — *Delectat Beatos;* Apocalypsis vigesimo primo: « Civitas illa non eget sole neque luna; claritas enim Dei illuminat illam, et lucerna eius est Agnus ».

Secundo, effectus huius lucis.

3. *Lux in tenebris lucet.* Lux ista, ut dictum est, *lucet exterius* secundum operationes *humanae* naturae; item *lucet interius* secundum operationes *divinae* naturae. — Lucet autem tripliciter secundum operationes humanae naturae [1], scilicet *signis, verbis* et *exemplis:* in *signis* lucet eius potentia, in *verbis* eius sapientia, bonitas in *exemplis.*

Lucet secundum humanam naturam tripliciter.

In signis.

Lucet etiam in *signis;* Psalmus [2]: « Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae », coruscationes, inquam, miraculorum, quas vidit, et « commota est terra ».

In verbis.

— Lucet etiam in *verbis;* Ioannis duodecimo: « Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis »

In exemplis.

aeternae. — Lucet etiam in *exemplis;* Habacuc tertio: « Splendor eius ut lux erit; cornua in manibus eius ». « Splendor eius ut lux erit », in conversatione; « cornua in manibus eius », in passione. Ideo Ioannis octavo: « Qui sequitur me non ambulat in tenebris ».

Lucet secundum divinam naturam.

4. *Lux in tenebris lucet.* Christus iterum lux est secundum quod *Deus;* de quo Ioannis duodecimo [3]: « Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, non maneat in tenebris »; quod refertur ad Divinitatem; *credimus* enim in Christum *Dominum,* non in *hominem* secundum quod homo.

Lucis proprietas triplex.

Nota autem, quod lux habet *puritatem* in materia, *speciositatem* in forma, *sublimitatem* in situ. Christus autem secundum quod Deus est *lux altissima, lux purissima, lux speciosissima.* Altitudo attestatur *potentiae,* speciositas *sapientiae,* puritas *bonitati.* — Est igitur Christus lux *altissima;* primae ad Timotheum ultimo [4]: « Lucem inhabitat inaccessibilem ». Lux *speciosissima;* Sapientiae septimo: « Speciosior est sole et super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur prior ». Lux *purissima;* primae Ioannis primo: « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae ».

Lux altissima.

Speciosissima.

Purissima.

Lucet per triplex lumen.

5. Haec lux lucet *interius* secundum operationes *divinae* naturae. Emittit autem interius triplicem lucem sive lumen: lumen *scientiae;* Psalmus [5]: « Emitte lucem tuam et veritatem tuam »; item: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte ». — Lumen *gratiae;* Isaiae quinquagesimo octavo: « Orietur in tenebris lux tua »; et sexagesimo: « Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum ». — Lumen *laetitiae spiritualis;* Psalmus: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti laetitiam in corde meo »; quocontra dicitur Threnorum tertio: « Minavit me Dominus et adduxit in tenebras et non in lucem ».

Pars II.

6. Sequitur: *Et tenebrae eam non comprehenderunt;* ubi *reprehenditur ignorantia humanae caecitatis.* Circa quod considerandum est, quae sint *istae tenebrae* — et qui *illorum defectus.*

Primo, quae sint tenebrae.

Tenebrae istae peccatores sunt, qui *in tenebris sunt* — et *tenebras quaerunt* — et *ad tenebras tendunt.* In tenebris *spiritualibus* sunt, tenebras *temporales* quaerunt et ad tenebras *aeternales* tendunt.

Primo, peccatores sunt in tenebris.

— *In tenebris sunt;* Psalmus [6]: « Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant »; Ecclesiastici undecimo: « Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt ».

Easdem quaerunt.

— *Tenebras quaerunt;* Ioannis tertio: « Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera ».

Ad eas tendunt.

— *Ad tenebras tendunt;* in Canonica Iudae: « Quibus procella tenebrarum servata est in aeternum »; Iob decimo: « Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine ». — Isti ergo *tenebrae sunt.*

Secundo, deficiunt in comprehensione.

In *comprehensione* autem *lucis* deficiunt, quia *aversi;* Psalmus [7]: « Averterunt se et non servaverunt pactum »; quia *operti;* Psalmus: « Operti sunt iniquitate et impietate sua »; quia *caeci;* Matthaei decimo quinto: « Sinite eos; caeci sunt et duces caecorum ». *Avertuntur* Deum deserendo, *operiuntur* peccatum operando, *excaecantur* in peccato perseverando.

Ratio triplex.

Aliter.

7. Aliter. *Tenebrae eam non comprehenderunt.* Notandum, quod sunt tenebrae *culpae,* tenebrae *miseriae,* tenebrae *naturae.* — De *tenebris culpae,* Ecclesiastici undecimo [8]: « Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt. » — De *tenebris miseriae,* Tobiae quinto: « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video »? — *Tenebrae naturae* sunt naturales defectus creaturae, de quibus primae Ioannis primo: « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae », id est ullus defectus.

Tenebrae culpae.

Item, miseriae.

Item, naturae.

Comprehensio triplex.

8. Item nota, quod est *comprehensio* triplex: per *inclusionem* vel per commensurationem; item per *apertam visionem;* item per *fidei et caritatis adhaesionem.* — Primo modo nullae unquam tenebrae Deum comprehendunt, quia nulla unquam natura in aliquo statu potest Deo commensurari. Unde Damascenus [9]: « Infinitus est Deus et incomprehensibilis »; et

---

[1] Ex B supplevimus *secundum operationes humanae naturae, scilicet.*

[2] Psalm. 76, 19. — Sequuntur Ioan. 12, 36; Habac. 3, 4. et Ioan. 8, 12. — Inferius post *Dum lucem habetis* C prosequitur *doctrinae, qui est Christus, credite in lucem, scilicet Christum, ut* etc.

[3] Vers. 46.

[4] Vers. 16. — Duo seqq. loci sunt Sap. 7, 29. et I. Ioan. 1, 5.

[5] Psalm. 42, 3. — Subinde allegantur Ps. 12, 4; Isai. 58, 10; 60, 1; Psalm. 4, 7. et Thren. 3, 2.

[6] Psalm. 81, 5. — Sequuntur Eccli. 11, 16; Ioan. 3, 19; Iud. v. 13. et Iob 10, 20. seq. — Superius A B omittunt *In tenebris spiritualibus... aeternales tendunt.*

[7] Psalm. 77, 57. — Duo seqq. loci sunt Ps. 72, 6. et Matth. 15, 14.

[8] Vers. 16. — Subinde allegantur Tob. 5, 12. et I. Ioan. 1, 5.

[9] Libr. I. de Fide orthod. c. 4. — Immediate post allegatur Eccli. 43, 34.

Ecclesiastici quadragesimo tertio: « Ne laboretis, non enim comprehendetis ». — Primo modo et secundo non comprehendunt eum tenebrae *miseriae,* quia nullus miser Deum videt aperta visione; ad Philippenses tertio [1]: « Non me arbitror comprehendisse ». — Primo modo et secundo et tertio non comprehendunt eum *tenebrae culpae.* Homo enim peccator nec Deum *includit,* quia creatura est; nec Deum *videt,* quia miser est; nec ei *per fidem et caritatem adhaeret,* quia peccator est. Unde hic dicitur, quod *tenebrae eam non comprehenderunt;* et ad Ephesios tertio: « In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis »; quia aliter non possetis scire; « quae sit longitudo », scilicet aeternitatis, « latitudo », scilicet immensitatis, « sublimitas », scilicet maiestatis, « et profundum », scilicet sapientiae et veritatis.

COLLATIO II.

(Vers. 14.). *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.*

1. In verbis istis exprimitur nobis duplex indi- Introductio et divisio. cium caritatis. Primum est in hoc, quod Dominus noster exhibet se nobis *fratrem.* — Secundum in hoc, quod exhibet se nobis *familiarem.* — Primum fecit Dominus carnem assumendo, quod notatur, cum dicitur: *Verbum caro factum est;* secundum, in nobis habitando, quod notatur, cum dicitur: *Et habitavit in nobis.* Eramus enim *abiecti;* sed Deus adhibet remedium contra abiectionem, cum exhibet se *fratrem.* Eramus *desolati;* sed Deus adhibet remedium contra desolationem, cum se exhibet nobis *familiarem.* Duplex remedium.

2. Nostrae igitur *abiectioni* est remedium, quia *Verbum caro factum est.* Sed *cuiusmodi Verbum* — et *qualiter caro factum est?* Pars I. De 1. remedio duo.

Verbum, inquam, *maiestate altissimum, virtute immensum, duratione aeternum. — Altissimum* est *maiestate;* nam [2] « Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum »; ideo Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego in altissimis habito » etc.; et Sapientiae decimo octavo: « Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit ». — *Immensum* est *virtute,* quia « per ipsum omnia facta sunt », Ioannis primo; item in Psalmo: « Verbo Domini caeli firmati sunt » etc.; ad Hebraeos primo: « Portans omnia verbo virtutis suae ». — *Aeternum* est *duratione,* quia « Verbum erat in principio apud Deum »; Psalmus: « In aeternum, Domine, Verbum tuum permanet in caelo ». Primo, Verbi proprietates tres.

3. Hoc Verbum, inquam, *caro factum est,* scilicet *carni unitum, in carne contentum, in carne natum et passum. — Carni unitur* Verbum, et ecce, *maiestas humilis;* ad Philippenses secundo [3]: « Cum in forma Dei esset etc., exinanivit semetipsum, formam servi accipiens » etc. Hanc humiliationem maiestatis viderunt pastores, Lucae secundo, quoniam « videntes cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc »; cognoverunt enim Verbum Dei reclinatum in praesepio, quod erat eis dictum de puero. Secundo, de modo incarnationis tria. Primum.

4. *In carne continetur* Verbum, et ecce, *immensitas brevis;* ad Romanos nono [4]: « Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram »; vere *abbreviatum,* quia positione factum est *breve* quod erat natura productum, in praesepio *breve* quod erat ubique, utique immensum. Secundum.

5. *In carne nascitur* Verbum, et ecce, *aeternitas temporalis;* ad Galatas quarto [5]: « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege ». Si *factum:* ergo *temporale.* Hoc est Verbum factum, de quo Lucae secundo: « Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est » etc. *Videamus,* inquam, *Verbum* secundum carnem *factum,* qui videre nunquam potuimus *Verbum,* quod secundum Divinitatem nec est factum nec creatum, sed genitum. — Psalmus: « Cantate, inquit, Domino, quia mirabilia fecit ». Fecit enim, ut sit *maiestas abiecta,* et *immensitas parva, aeternitas facta;* quod totum memorat Evangelista, cum dicit: *Verbum caro factum est.* Tertium. Epilogus.

6. Sequitur: *Et habitavit in nobis; in nobis,* id est in nostra *humanitate* — vel: *in nobis,* id est in nostra *societate* — vel: *in nobis,* id est in nostra *mente.* In nostra *humanitate* habitavit *corporaliter,* in nostra *societate* habitavit *sacramentaliter,* in nostra *mente spiritualiter.* — Habitat ergo Verbum in nostra *humanitate;* de quo tertio Regum octavo [6]: « Dixit Dominus, ut habitaret in nebula », *nebula,* humanitas assumta, de qua profluxit omnium medicina. — Habitat in nostra *societate sacramentaliter;* de quo Matthaei ultimo: « Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi »; et Psalmus: « In pace », id est in fratrum concordia, « factus est locus eius »; « in Sion » id est in Ecclesia, « habitatio eius ». — Habitat in nostra *mente spiritualiter;* Ioannis decimo quinto: « Manete in me, et ego in vobis »; secundi Machabaeorum decimo quarto: « Tu, Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti, templum habitationis tuae fieri in nobis ». Pars II. Triplex inhabitatio. Prima. Secunda. Tertia.

---

[1] Vers. 13. — Subinde allegatur Eph. 3, 17. et 18. — Inferius A omittit *nec Deum includit, quia creatura est.*

[2] Ioan. 1, 1. — Sequuntur Eccli. 24, 7; Sap. 18, 15; Ioan. 1, 3; Ps. 32, 6; Hebr. 1, 3; Ioan. 1, 2. et Ps. 118, 89.

[3] Vers. 6. et 7. — Subinde allegatur Luc. 2, 17; ibid. v. 7. dicitur: *Et reclinavit eum in praesepio;* et v. 12: *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.*

[4] Vers. 28, ubi Vulgata *faciet* pro *fecit.* — Inferius pro *vere abbreviatum,* quod A omittit, B *Verbum abbreviatum.* Subinde A omittit *ubique.*

[5] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Luc. 2, 15. et Ps. 97, 1.

[6] Vers. 12; cfr. supra pag. 358, nota 6. — Quatuor loci, qui sequuntur, sunt Matth. 28, 20; Ps. 75, 2; Ioan. 15, 4. et II. Mach. 14, 35.

7. Vel aliter: *Habitavit in nobis*, id est *intra nos*; ubi potest notari, quod Dominus habitat *intra nos* ad *sanctificandum*, *inter nos* ad *regendum*, *circa nos* ad *protegendum*. — *Obsessi* sumus, sed Dominus habitat *circa nos* ad *protegendum*; ideo « non commovebitur in aeternum qui habitat in Ierusalem, quia Dominus in circuitu populi sui », secundum quod dicitur in Psalmo [1]; et Isaiae vigesimo sexto: « Salvator ponetur in ea », id est in Ecclesia, « murus et antemurale ». — *Ignari* sumus, et ipse habitat *inter nos* ad *regendum*; Apocalypsis vigesimo primo: « Ecce, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum illis; et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus ». — *Miseri* sumus, sed ipse habitat *intra nos* ad *consolandum* et *sanctificandum*; de quo potest intelligi quod supra habitum est secundi Machabaeorum decimo quarto, et quod hic dicitur: *Habitavit in nobis*.

Alia expositio. Triplex finis. Primus. Secundus. Tertius.

COLLATIO III.

(Vers. 16.). *De plenitudine eius nos omnes accepimus*.

1. Dici solet, quod cui caput infirmum, cetera membra dolent; et e converso dici potest: cui caput est sanum, cetera membra vigent [2]. Bona enim dispositio capitis est membrorum omnium vigoratio, et capitis abundantia corporis relevatio. Secundum haec duo notantur in verbis istis: *abundantia capitis*, cum dicitur: *De plenitudine eius*, id est Christi, qui est Ecclesiae caput — et *relevatio corporis*, cum dicitur: *Nos omnes accepimus*, qui scilicet sumus Ecclesiae corpus. Fluit enim quodam modo spirituali a Christo capite in nos, qui sumus membra eius, spiritualis motus et sensus; est enim, secundum quod dicitur in Psalmo [3], « sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam etc. et usque in oram vestimenti eius », cui attestatur quod hic dicitur: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*.

Introductio et divisio.

2. *De plenitudine eius*. Notandum, quod est quadruplex plenitudo, scilicet *sufficientiae*, *abundantiae*, *excellentiae* et *supereffluentiae*. — Plenitudo *sufficientiae* reperitur in quolibet *iusto*; de qua Psalmus [4]: « Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione ». — Plenitudo *abundantiae* reperitur in quolibet viro *perfecto*, secundum quod legitur Actuum sexto: « Stephanus, plenus gratia »; et Actuum secundo: « Repleti sunt omnes Spiritu sancto » etc. — Plenitudo *excellentiae* reperitur in beatissima *Virgine*, cui dictum est Lucae primo [5]: « Ave, gratia plena »; quam plenitudinem tractans, beatus Bernardus ait: « Legimus Stephanum *plenum gratia*, Apostolos *repletos* Spiritu sancto, sed longe dissimiliter in Maria. Non enim habitavit in eis plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria ». — Plenitudo *supereffluentiae* reperitur in *Christo*, de quo, secundum quod hic dicitur, *nos omnes accepimus*. Unde et ipse dicit Ecclesiastici vigesimo quarto: « Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini ».

Pars I. Quadruplex plenitudo. Prima est in omni iusto. Secunda, in perfecto. Tertia, in Maria. Quarta, in Christo.

3. Fuit autem in Christo quadruplex plenitudo, scilicet *sapientiae* — *clementiae* — *virtutis* — et *gloriae*. Plenitudo *sapientiae* apparuit in *praedicatione*, plenitudo *clementiae* in *passione*, plenitudo *virtutis* in *resurrectione*, plenitudo *gloriae* in *ascensione*. — Fuit ergo plenus *sapientia*; Lucae secundo [6]: « Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo ». — Fuit plenus *clementia*; unde ei convenit quod dicitur Esther decimo quinto: « Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum ». Tu quidem *mirabilis es, Domine*, cuncta *creando*, et *facies tua*, Christe, *plena apparuit gratiarum*, omnia *recreando*. Ipse enim est *sapientia*, « quae desursum est, quae plena est misericordia et operibus bonis », secundum quod dicitur Iacobi tertio. — Plenus fuit *virtute* et potentia, in cuius persona dicitur Michaeae tertio [7]: « Repletus sum ego fortitudine Spiritus Domini, iudicio et virtute ». — Plenus fuit *gloria*; unde ad Colossenses secundo: « In ipso habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter ».

In Christo quadruplex plenitudo. Plenitudo sapientiae. Clementiae. Potentiae. Gloriae.

4. *Sapientia*, ut dictum est, apparuit in *praedicatione*; docebat enim eos « sicut potestatem habens » etc., secundum quod dicitur Matthaei septimo [8]. — *Clementia* in *passione*; tunc enim patuit, quod « apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio », secundum quod dicitur in Psalmo. — *Potentia* in *resurrectione*; tunc enim data « est ei omnis potestas », id est dari manifestata, secundum quod dicitur Matthaei ultimo. — *Gloria* in *ascensione*; tunc enim « vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre », Ioannis primo, quando quidem « assumtus est in caelum et sedet ad dexteram Patris », secundum quod dicitur Marci ultimo.

Singulae explicantur.

---

[1] Psalm. 124, 2. — Immediate post sequitur Isai. 26, 1. et subinde Apoc. 21, 3. et II. Mach. 14, 35. Cfr. n. 6.

[2] Hieron., Epist. 58. (alias 13.) n. 11: Capite quippe sano, omnes sensus vigent. Lib. I. Comment. in Isai. 1, 5: Inter ipsos quoque sensus et omnia membra corporis principalem locum obtinet caput, in quo visus et odoratus, auditus et gustus est. Cum igitur caput doluerit, omnia membra debilia sunt.

[3] Psalm. 132, 2.

[4] Psalm. 144, 16. — Duo seqq. loci sunt Act. 6, 8. et 2, 4.

[5] Vers. 28. — Bernard., Homil. 3. super *Missus est*, n. 2: Legimus in Actibus Apostolorum et Stephanum plenum gratia, et Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto; sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit *plenitudo Divinitatis corporaliter* [Col. 2, 9.], quemadmodum in Maria. — Subinde allegatur Eccli. 24, 26.

[6] Vers. 40. — Sequuntur Esther 15, 17. et Iac. 3, 17. — Inferius pro *Christe*, *plena*, quod habet C, A B *Christus plenus*.

[7] Vers. 8. — Subinde allegatur Col. 2, 9.

[8] Vers. 29. — Sequuntur Ps. 129, 7; Matth. 28, 18; Ioan. 1, 14. et Marc. 16, 19.

De plenitudine gloriae quatuor.

5. In hoc enim apparuit gloria Unigeniti, quod sedet in dexteris Dei, quae quidem Unigeniti gloria solet notari in quatuor; quorum primum est, quod Pater *omne iudicium* dedit ei, secundum quod dicitur Ioannis quinto[1]: « Pater omne iudicium dedit Filio ». — Secundum est in hoc, quod per omnia *similis est Patri*. Ipse enim est « splendor gloriae et figura substantiae eius », secundum quod dicitur ad Hebraeos primo. — Tertium est, quod *constituit eum caput super omnem Ecclesiam*, secundum quod dicitur ad Ephesios primo: « Omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam ». — Quartum est, quod dedit ei *sedere ad dexteram suam*, secundum quod habetur, ut dictum est, Marci ultimo.

Ista quatuor proprie conveniunt Christo nec alii conveniunt creaturae; unde versus:

> Judicium, paritas, praelatio, sessio dexterae
> Sunt Unigeniti praecellens gloria nati.

Pars II. De hac plenitudine accepimus quatuor.

6. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* — De plenitudine *sapientiae* accepimus *doctrinam instructionis;* Apocalypsis tertio[2]: « In mente habe, qualiter acceperis et audieris, et serva et poenitentiam age »; Ioannis decimo septimo Veritas ait: « Verba, quae dedisti mihi, dedi eis », scilicet discipulis; « et ipsi acceperunt et cognoverunt vere, quia a te exivi »; *dedi*, docendo, et *ipsi acceperunt*, credendo. — De plenitudine *clementiae* accepimus *gratiam adoptionis;* ad Romanos octavo[3]: « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum » etc. — De plenitudine *potentiae* accepimus *virtutem protectionis*, quam ipse promittebat Apostolis, Actuum primo: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus in vos, et eritis mihi testes » etc. — De plenitudine *gloriae* accepimus *praemium aeternae retributionis;* Sapientiae quinto: « Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini »; et Marci decimo: « Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres etc., qui non accipiat centies tantum in hoc saeculo et vitam aeternam in futuro ».

Epilogus.

Sic ergo accepimus a Christo *doctrinam instructionis*, *gratiam adoptionis*, *virtutem protectionis*, *gloriam* vel praemium *retributionis*. Primum *illuminat intellectum;* secundum *informat affectum;* tertium *roborat effectum;* quartum *adimplet desiderium*.

Obligamur ad quatuor.

7. Notandum autem, quod *ratio accepti* obligat nos ad quatuor: ad *gratiarum actionem* — ad *mentis humiliationem* — ad *virtutis profectum* — et *acceptorum distributionem*. Gratiarum actio *impetrat*, mentis humiliatio *conservat*, virtutis exercitatio *ditat*, acceptorum distributio *dilatat*.

Singula exponuntur.

Obligamur ad *gratiarum actionem*, iuxta quod dicitur primi Paralipomenon vigesimo nono[4]: « Tua sunt omnia, Domine, et quae de manu tua accepimus dedimus tibi ». — Ad *mentis humiliationem;* primae ad Corinthios quarto: « Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis »? — Ad *virtutis profectum et exercitationem;* secundae ad Corinthios sexto: « Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis »; et primae ad Thessalonicenses quarto: « Rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oportet vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis ». — Ad *acceptorum distributionem;* primae Petri quarto: « Unusquisque prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei »; et Matthaei decimo: « Gratis accepistis, gratis date ».

Quidam accipiunt, quidam non.

8. *De plenitudine eius nos omnes accepimus. Nos*, inquam, *omnes*, qui aliquid accepimus; hoc ideo dictum sit, quia de plenitudine eius quidam *accipiunt et ditantur* — quidam autem de plenitudine eius *accipere non merentur*. — Accipiunt enim *de plenitudine eius* quatuor genera hominum, scilicet *innocentes*, *obedientes*, *pugnantes* et *contemplantes*. Congruit enim, ut de manu patrisfamilias accipiant *filii*, *servi*, *milites* et *amici*. Per *filios* intellige *innocentes*, qui patris imaginem custodiunt impollutam; et isti de manu patris merentur accipere, secundum quod dicitur in Psalmo[5]: « Innocens manibus et mundo corde, hic accipiet benedictionem a Domino ». — Per *servos* intellige *obedientes*, qui mandata Domini perficiunt; et isti merentur accipere, secundum quod dicitur primae ad Corinthios tertio: « Unusquisque propriam mercedem » accipiet « secundum suum laborem ». — Per *milites* intellige *pugnantes*, qui regis bella gerunt; et isti merentur accipere, secundum quod habetur Iacobi primo: « Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se ». — Per *amicos* intellige *contemplantes*, qui quasi in thalamo cum sponso dormiunt; et isti merentur accipere quod ab ipso petunt, secundum quod dicitur Matthaei septimo: « Qui petit accipit, et qui quaerit invenit »; et Ioannis decimo sexto dicit Salvator amicis suis: « Usque modo

Accipiunt 4 genera hominum.

Filii.

Servi.

Milites.

Amici.

---

[1] Vers. 22. — Tres seqq. loci sunt Hebr. 1, 3; Eph. 1, 22. et Marc. 16, 19. — Inferius ex C addidimus *secundum quod dicitur ad Ephesios... omnem Ecclesiam.*

[2] Vers. 3. — Subinde allegatur Ioan. 17, 8. — Inferius pro *docendo*, quod habet C, alii *dicendo*.

[3] Vers. 15. — Sequuntur Act. 1, 8; Sap. 5, 17. et Marc. 10, 29. seq.

[4] Vers. 14. — Subinde allegantur I. Cor. 4, 7; II. Cor. 6, 1; I. Thess. 4, 1; I. Petr. 4, 10. et Matth. 10, 8.

[5] Psalm. 23, 4. — Loci, qui sequuntur, sunt I. Cor. 3, 8; Iac. 1, 12; Matth. 7, 8. et Ioan. 16, 24. — Inferius C *contemplativos* pro *contemplantes;* immediate post ex C addidimus *quasi*.

non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum ».

Item, quatuor non accipiunt.

9. Isti accipiunt et ditantur; sed sunt alii, qui *accipere non merentur*. Non enim congruit, ut paterfamilias largiatur *ignotis*, *ignaris* et *indignis*, sive *ingratis*. — *Ignoti* sunt Domino qui propter temporalia ipsum obliviscuntur, ut mundani; et isti non accipiunt, secundum quod habetur Ioannis decimo quarto[1]: « Ego, ait Veritas, rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis etc.; quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum »; ideo *nescit* Deum, quia de solis mundanis cogitat et obliviscitur eum. — *Ignari* sunt sive stulti qui concupiscentias insequuntur; et isti non merentur accipere, quia statim acceptum in lutum proiicerent. Istis dicitur Iacobi quarto[2]: « Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis ». — *Indigni* sunt qui haesitando postulant, quia de largitate Dei diffidunt, sed nec isti merentur accipere; unde Iacobi primo: « Qui haesitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino ». — *Ingrati* sunt illi quibus accepta *non sufficiunt*, sicut illi, de quibus Matthaei vigesimo[3], qui « accipientes singulos denarios, murmuraverunt adversus patremfamilias »; et isti non merentur amplius accipere, sed magis amittere; merentur enim, ut ibi tangitur, *novissimi* esse. *Ingrati* etiam sunt qui de acceptis Domino *non serviunt*, similes servo pigro, qui mnam acceptam non multiplicavit, et ideo acceptam amittere meruit, secundum quod dicitur Lucae decimo nono: « Auferte ab eo mnam et date illi qui decem mnas habet ».

Ignoti. Ignari. Indigni. Ingrati.

Exhortatio.

10. Nos igitur exhibeamus nos Deo *notos* ad ipsum frequenter revertendo, et exhibeamus nos *gnaros* concupiscentias declinando, et exhibeamus nos *dignos* fideliter postulando, et exhibeamus nos *gratos* eidem de acceptis fideliter serviendo; et sic poterimus *accipere de plenitudine eius*.

COLLATIO IV.

(Vers. 26.). *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.*

Divisio.

1. In verbis istis duo tanguntur. Primum est *miseratio divinae pietatis*, quae nobis exhibita est, cum Christus ad nos descendit; et hoc tangitur, cum dicitur: *Medius vestrum stetit.* — Secundum est *ingratitudo humanae caecitatis*, quae in hoc manifestata est, quod « mundus eum non cognovit[4] »; et hoc tangitur, cum dicitur: *Quem vos nescitis.*

Christus est primus, novissimus, medius.

2. Ait igitur: *Medius vestrum* etc. Nota, quod quandoque Christus legitur *primus*, quandoque *medius*, quandoque *novissimus*. Et revera Christus se exhibuit *primum* ad deducendum, *novissimum* ad protegendum, *medium* ad congregandum. — *Primus* fuit ad *deducendum;* unde Michaeae secundo[5]: « Ascendet ante eos pandens iter »; et post: « Transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum »; Isaiae quadragesimo primo: « Primus ad Sion dicet: Ecce, adsunt, et Ierusalem evangelistam dabo ». — *Novissimus* fuit ad *protegendum;* Isaiae quinquagesimo tertio[6]: « Desideravimus eum, despectum et novissimum virorum »; Hieronymus: « *Novissimum*, ut reciperet ictus persequentium ». Unde subiungitur infra eodem: « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit ». — *Medius* fuit ad *congregandum*, ut ad ipsum congregarentur fideles, sicut antiquitus filii Israel ad tabernaculum, secundum quod dicitur Levitici vigesimo sexto[7]: « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiiciet vos ultra anima mea ». Unde et hic dicitur: *Medius vestrum stetit.*

Explicatio.

Horum figura.

3. Haec tria figurata sunt in nube, quae aliquando *praecedebat* filios Israel in *ducatum directionis;* Numerorum nono[8]: « Cum ablata fuisset nubes, tunc proficiscebantur »; aliquando *sequebatur* in *praesidium protectionis;* Exodi decimo quarto: « Tollens se Angelus, qui praecedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis »; aliquando *stabat* in *signum mansionis;* Numerorum nono: « In loco, ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur ».

Christus medius tripliciter.

4. *Medius*, inquit, *vestrum*. Nota, quod Christus fuit *medius* inter hominem et *Deum* — inter hominem et *Angelum* — inter hominem et *hominem*. — Inter hominem et *Deum* medius fuit, quia hominem *Deo reconciliavit;* primae ad Timotheum secundo[9]: « Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ». — Medius fuit inter hominem et *Angelum*, quia hominem *Angelo pacificavit;* unde, Lucae secundo, annuntiaverunt, Christo nato, Angeli,

Primo.

Secundo.

---

[1] Vers. 16. et 17.

[2] Vers. 3; ibid. 4, 6. et 7. habetur seq. locus.

[3] Vers. 10. et 11; ibid. 16: Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi etc. — Sequitur Luc. 19, 24. — Inferius pro *mnam acceptam* C *pecuniam acceptam.*

[4] Ioan. 1, 10. — In hac collatione prima tantum pars exponitur.

[5] Vers. 13; ibid. etiam est seq. locus. — Sequitur Isai. 41, 27.

[6] Vers. 2. et 3; subinde allegatur v. 4. — Hieron., in hunc locum, ait: Despectus erat et ignobilis [sive, ut paulo superius dixit, et habetur in Hebraeo: *despectus et novissimus*], quando pendebat in cruce et factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat. Ibid. in v. 7-9. dicit circa finem: *Dominus* autem *voluit... conterere eum in infirmitate* ac vulnere, de quo et ipse dicebat [Ps. 68, 27.]: *Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt.* Et per Zachariam [13, 7.] loquitur Deus: *Percutiam pastorem, et oves dispergentur.* Ergo ut pateretur, non fuit necessitatis, sed voluntatis Patris et suae etc.

[7] Vers. 11.

[8] Vers. 17. — Subinde allegantur Exod. 14, 19. et Num. 9, 17.

[9] Vers. 5. — Tres seqq. loci sunt Luc. 2, 14; Col. 1, 20. et Luc. 23, 12.

quia « in terra pax hominibus bonae voluntatis »; et ad Colossenses primo: « Pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis
Tertio. sunt ». — Medius fuit inter hominem et *hominem*, quia homines ad concordiam revocavit; unde legitur Lucae vigesimo tertio, quod cum eum misisset Pilatus ad Herodem, « facti sunt amici Pilatus et Herodes in illa die; nam antea inimici erant ad invicem ».

5. Nota, quod Christus, existens medius inter
His tribus appropriatur simile. *Deum et hominem*, minor erat Deo et maior homine, et ideo fuit quasi *sub* una extremitate et *super* aliam; unde fuit quasi *medium* in prima figura. — Medius autem existens inter *hominem et Angelum*, maior erat utroque, utpote rex hominum et Angelorum; unde fuit quasi *super* utramque extremitatem, et ideo erat quasi *medium* in secunda figura. — Medius vero existens inter *Herodem et Pilatum*, exhibuit se minorem utroque, utpote iudicandum; unde fuit quasi *sub* utraque extremitate, et ideo fuit *medium* in tertia figura [1].

6. *Medius*, inquit, *vestrum*. Nota, quod tria con-
Tria ad medium respiciunt. siderant medium: medium inspicit *ratio, virtus* et *natura* [2]. Circa medium *rationis* consistit *certitudo veritatis;* circa medium *moris*, *rectitudo virtutis* vel salutis; circa medium *naturae, valitudo sanitatis*. Medium *rationis* extrema *ordinat;* medium *moris* extrema *moderat;* medium *naturae* extrema *contemperat*.

7. Christus igitur fuit quasi *medium rationale*,
Christus medium rationale. circa quod est certitudo veritatis; medium, inquam, *extrema ordinans*. Ipse enim medius existens *inter* duo testamenta, vetus ac novum ordinavit et utriusque veritatem patefecit. Unde Habacuc tertio [3]: « In medio annorum », scilicet Legis et gratiae, « notum facies », id est, veritatem manifestabis; secundum aliam litteram: « In medio duorum animalium », id est
Medium morale. duorum testamentorum, « cognosceris ». — Fuit etiam Christus quasi *medium morale*, circa quod est *rectitudo virtutis;* medium, inquam, *extrema moderans;* unde Lucae vigesimo secundo [4], discipulis immoderate contendentibus, « quis illorum esset maior in regno caelorum », ostendit Iesus in se ipso modum humilitatis, ostendens se ipsum *medium* et dicens: « Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat », id est, sicut qui minor stat. Item Matthaei decimo octavo: « Advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum » etc. — Fuit iterum Christus quasi *medium*
Medium naturale. *naturale*, circa quod est *valitudo salutis;* unde in Psalmo [5]: « Operatus est salutem in medio terrae »,

8. *Medius*, inquit, *vestrum*. Nota, quod *me-*
Tres proprietates medii. *dium* locus est *unitatis;* extrema enim per medium uniuntur. — Item, medium est locus *communitatis;* convenit enim medium *utrique* extremorum. — Item, medium est locus *aequalitatis*, quia medium aequaliter distat ab extremis [6].

9. Christus ergo fuit *medium unitatis;* « ipse
Christus medium unitatis. enim est pax nostra, qui fecit utraque unum », ad Ephesios secundo [7]. Et hoc significatum est Ioannis vigesimo, quando « stetit in medio » discipulorum « et dixit eis: Pax vobis »; ipse enim semper vocat suos ad unitatem pacis. — Christus iterum fuit in medio *com-*
Communitatis. *munitatis*, quia omnibus bona sua communicavit; Isaiae quinquagesimo quinto [8]: « Omnes sitientes, venite ad aquas ». Et hoc figuratum est Apocalypsis vigesimo secundo, ubi ostensus est Ioanni fluvius procedens de sede Dei et Agni, « in medio plateae civitatis », non in angulo, ut esset alicuius proprius, sed *in medio plateae* civitatis, ut esset omnibus communis. — Christus iterum fuit in medio *aequalitatis;*
Aequalitatis. Deus enim personam non accipit; Actuum decimo [9]: « In veritate comperi, quod non sit personarum acceptor Deus ». Tali dicitur Danielis decimo tertio: « Sede in medio nostrum et indica nobis ».

10. Aliter *notatur* Christus *medius vestrum:*
Alia applicatio. sicut *cor* in medio animalis *ad vivificandum* [10]; sicut

---

[1] Cfr. Aristot., I. Prior. c. 4. seqq. Petrus Hispanus, Summul. tr. *de Syllogismo* (tr. 4.): Omnis enim syllogismus constat ex tribus terminis et duabus propositionibus, quarum propositionum prima vocatur *maior*, secunda *minor*. Ex tribus autem terminis non possunt fieri duae propositiones, nisi alter illorum terminorum sumatur *bis*, et tunc ille terminus bis sumtus aut *subiicitur* in una et praedicatur in alia, et sic est *in prima figura;* aut *praedicatur* in utraque, et sic est *in secunda figura;* aut *subiicitur* in utraque, et sic est *in tertia figura*. Horum autem terminorum alter vocatur *medium*, alter *maior extremitas*, alter vero *minor extremitas*. *Medium* est terminus bis sumtus ante conclusionem; *maior extremitas* est terminus sumtus in maiore propositione cum medio; *minor extremitas* est terminus sumtus in minore propositione cum medio.

[2] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. et VI. c. 1. — Superius A *inquam*, sed B C *inquit*, ex quibus etiam inferius post *sanitatis* addidimus *vel salutis*.

[3] Vers. 2. Alia translatio est septuaginta interpretum (cfr. supra pag. 496, nota 4.). Hunc locum Hieron. exponens ait: Sunt qui duo animalia duo intelligant testamenta, novum et vetus, quae vere animantia sint atque vitalia, quae spirent, et in quorum medio Dominus cognoscatur. — Subinde post *manifestabis* A B addunt *illis*.

[4] Vers. 24. et subinde v. 27, post quem sequitur Matth. 18, 2. — Pro *immoderate* C *immodeste*.

[5] Psalm. 73, 12. — Cfr. de praecedentibus et seqq. in Hexaëm. (tom. V.) collat. 1. n. 10. seqq., ubi septem media respectu Christi distinguuntur.

[6] Aristot., II. Ethic. c. 6: *Rei* quidem *medium* id dico, quod ab utroque extremo aeque distat. Idem III. de Partib. animal. c. 1. ait: « Medium particeps utriusque extremi est »; et ibid. c. 2. dicit, quod « medium commune pariter utrique extremo sit ». Cfr. supra pag. 248, nota 2. — Superius pro *inquit* A *inquam*.

[7] Vers. 14. — Sequitur Ioan. 20, 26.

[8] Vers. 1. — Subinde allegatur Apoc. 22, 1. seq.

[9] Vers. 34. — Sequitur Dan. 13, 50. — Pro *Deus enim* C *Christus enim sive Deus*, qui etiam inferius pro *Tali* substituit *Et talibus*.

[10] Aristot., III. de Partib. animal. c. 3: Cor enim in parte priori atque in medio situm est, in quo principium vitae omnisque motus et sensus etc. Ibid. c. 4: Cor ceteris animalibus in medio pectore est, homini tantum paulo vergit ad laevam etc. — Paulo superius pro *vestrum* C *nostrum*, qui etiam inferius pro *sustinendum* substituit *sustentandum*.

lucerna in medio templi *ad illuminandum;* sicut *columna* in medio domus *ad sustinendum*, et huius similia.

11. *Medius vestrum stetit.* Nota, quod Christus medius *stetit*, medius *iacuit*, medius *sedit*, medius *pependit*, medius *ambulavit*. — *Iacuit* in medio animalium; Habacuc tertio [1]: « In medio duorum animalium cognosceris ». In medio duorum animalium cognitus est iacens in praesepio, Lucae secundo. — *Sedit* in medio doctorum; Lucae secundo: « Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum ». — *Pependit* in medio latronum; Ioannis decimo nono [2]: « Crucifixerunt cum eo alios duos hinc et inde, medium autem Iesum ». — *Ambulavit* in medio candelabrorum; Apocalypsis secundo: « Haec dicit qui ambulat in medio candelabrorum aureorum ». — *Stetit* in medio discipulorum; Ioannis vigesimo: « Stetit Iesus in medio » discipulorum suorum « et dixit eis: Pax vobis ».

De Christo medio quinque dicuntur.

Nota et expone, quod Christus iacens in medio *animalium* dat formam *innocentibus relinquendi vanitatem*. — Christus sedens in medio *doctorum* dat formam *studentibus inquirendi veritatem*. — Christus ambulans in medio *candelabrorum aureorum* dat formam *proficientibus custodiendi honestatem*. — Christus pendens in medio *latronum* dat formam *patientibus sustinendi adversitatem*. — Christus in medio *discipulorum* dat formam *praesidentibus convocandi subditos ad fraternitatem*.

Horum expositio.

COLLATIO V.

(Vers. 33.). *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat.*

1. Notabiliter tanguntur hic tria de Spiritu sancto, scilicet quia *apparet* — quia *descendit* — et quia *manet*. — *Apparitio* eius notatur in verbo *visionis*, cum dicitur: *Super quem videris. Descensio*, cum adiungitur: *Spiritum descendentem. Mansio*, cum additur: *Et manentem.* Descendit Spiritus in *gratiae vivificatione;* apparet in *bonorum operum exhibitione;* manet vero in *eorundem perseverantia et continuatione.* Haec eadem notantur Actuum secundo [3] de Spiritu sancto: *descensio*, cum dicitur: « Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis ». *Apparitio*, cum dicitur: « Et apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis ». *Mansio*, cum dicitur: « Seditque supra singulos eorum ».

Tria tanguntur de Spiritu S.

2. *Descendit* ergo Spiritus divinus et animam *vivificat* suo modo spirituali, sicut spiritus humanus suo modo naturali vivificat corpus; unde Ezechielis trigesimo septimo [4]: « Ecce, ego intromittam in vos spiritum, et vivetis ». — Notandum ergo, quod *spiritus naturalis* vivificans tria facit: dat enim cor-

Primo, ipse descendit.

Tres effectus Spiritus S.

pori *sensum, loquelam* et *motum*. Ita *Spiritus divinus* animam gratificans dat ei *sensum devotionis, verbum aedificationis* et *motum bonae operationis*. — De primo, ad Romanos octavo [5]: « Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt; qui autem secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus sentiunt »; ecce, quia Spiritus dat *sensum*. — De secundo, Actuum secundo: « Repleti sunt omnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis »; ecce, quia Spiritus dat *verbum*. — De tertio, Ezechielis primo: « Quocumque ibat spiritus, illuc, eunte spiritu, et rotae pariter elevabantur. Spiritus enim vitae erat in rotis ». — Isti sunt tres effectus Spiritus *descendentis et vivificantis*.

De primo.

De secundo.

De tertio.

3. Spiritus sanctus non solum *descendit*, sed *apparet*. Sunt autem, ut cetera dimittamus, tria signa suae apparitionis. Apparuit enim super discipulos in specie *flaminis* — in specie *linguae* — et in specie *ignis;* quae tria notantur Actuum secundo [6]: quando « factus est sonus tanquam advenientis spiritus vehementis »; ecce primum; quando « apparuerunt dispertitae linguae »; ecce secundum; « tanquam ignis »; ecce tertium.

Secundo, ipse apparet tribus signis.

4. In specie *ignis* apparuit, quia ipse incendit in corde ardorem caritatis; « caritas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis », ad Romanos quinto [7]. Hic est ignis, de quo Lucae duodecimo: « Veni ignem mittere in terram ». — In specie *linguae* apparuit, quia ipse immittit ori doctrinam veritatis; unde Ioannis decimo sexto: « Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ». Hic est enim ille prolocutor, de quo Matthaei decimo: « Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ». — In specie *flaminis* sive spiritus apparuit, quia subministrat operi *vigorem virtutis;* unde ad Romanos octavo [8]: « Ipse Spiritus adiuvat infirmitatem nostram »; et in Psalmo: « Verbo Domini caeli », id est viri caelestes, « firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum ». — Spiritus enim sanctus est *ignis* in corde, *veritas* in ore vel sermone et *virtus* in opere; et ideo apparet in specie *ignis, linguae* et *flaminis* sive spiritus.

De signo ignis.

De signo linguae.

De signo flaminis.

5. Sequitur: *Et manentem.* — Spiritus sanctus non solum *descendit* et *apparet*, sed etiam *manet*. Manet autem Deus non ubique per gratiam, sed ubi *diligitur*, ubi *honoratur* et ubi *invitatur*. — Ma-

Tertio, ipse manet.

---

[1] Vers. 2. Cfr. supra pag. 541, nota 3. — Sequitur Luc. 2, 16; ibid. v. 46. est seq. locus.

[2] Vers. 18. — Subinde allegantur Apoc. 2, 1. et Ioan. 20, 19. (cfr. v. 26.).

[3] Vers. 2. et 3.

[4] Vers. 5. — Superius pro *et animam vivificat* C *animam vivificans.*

[5] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Act. 2, 4. et Ezech. 1, 20.

[6] Vers. 2. et 3.

[7] Vers. 5. — Sequuntur Luc. 12, 49. (pro quo A B *in Evangelio);* Ioan. 16, 13; Matth. 10, 20.

[8] Vers. 26. — Sequitur Ps. 32, 6, post quem pro *Spiritus enim sanctus* B *Spiritus enim factus.*

Manet, ubi diligitur.

net, inquam, ubi *diligitur;* unde primae Ioannis quarto [1]: « Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo »; non, ubi *ignoratur;* unde Ioannis decimo quarto: « Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et

Ubi honoratur.

in vobis erit ». — Manet etiam, ubi *honoratur;* unde Ioannis decimo quarto [2]: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit »; ecce, honorificatio; « et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus »; non, *ubi negligitur,* quia, sicut dicitur Sapientiae primo, « spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum ».

Ubi invitatur.

— Manet etiam, ubi *invitatur,* sicut et ipse Salvator mansit cum discipulis invitantibus ipsum: « Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, Domine »; et sequitur: « Et intravit cum illis », Lucae ultimo [3]. Ita facit Spiritus sanctus; unde Sapientiae septimo: « Propterea optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae ». — Si volumus ergo, ut maneat nobiscum Spiritus, oportet, ut *diligamus* eum per caritatem, *honoremus* eum per obedientiam, *invitemus* per orationem.

COLLATIO VI.

(Vers. 29.). *Ecce, Agnus Dei; ecce, qui tollit peccata mundi.*

1. In verbis istis demonstratur nobis Salvator

Divisio.

ex duobus: ex *personae gratiositate,* cum *dicitur: Agnus Dei;* ex *effectus utilitate,* cum dicitur: *Ecce, qui tollit peccata mundi.* Ex primo apparet *dulcis,* ex secundo *utilis,* et ideo amabilis, quia, sicut dicitur [4],

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

2. Dicit ergo: *Ecce, Agnus Dei.* Nota, quod

Primo, de Christi gratiositate tria.

Christus fuit agnus *immaculatus,* agnus *anniculus,* agnus *mansuetus; immaculatus* per *puritatem incorruptionis, anniculus* per *humilitatem conversa-*

Primum.

tionis, mansuetus ad *tolerantiam passionis.* — Ecce ergo, *agnus immaculatus,* in cuius figura dicitur Exodi duodecimo [5]: « Erit autem agnus absque ma-

Secundum.

cula ». — Ecce, *anniculus,* propter quod ibi subiungitur: *masculus anniculus,* et idem figuratur Levitici primo: « Si de pecoribus oblatio est etc., agnum anniculum, immaculatum offeret Domino ». — Ecce, Tertium.

agnus mansuetus; Ieremiae undecimo [6]: « Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam »; Isaiae quinquagesimo tertio: « Quasi agnus coram tondente se obmutescet ». — Agnus *humilis* docet ordinari ad *Deum;* agnus *mansuetus,* ad *proximum;* agnus *immaculatus,* ad *corpus proprium.*

3. *Ecce, Agnus Dei,* qui datus est nobis in Triplicem dat gratiam.

pretium redemptionis, in *cibum refectionis,* in *solatium exilii* et peregrinationis. Eramus enim *exules,* sed ipse venit in *solatium;* eramus *inopes,* ipse se dedit in *cibum;* eramus *captivi,* ipse se obtulit in *pretium.* — Est igitur in *pretium redemptionis;* pri- Primum.

mae Petri primo [7]: « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis etc., sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati Iesu Christi ». — In *cibum re-* Secundum.

fectionis; Exodi duodecimo de esu agni paschalis: « Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni ». — In *solatium per-* Tertium.

egrinationis; Apocalypsis septimo: « Non esurient neque sitient amplius etc., quia Agnus, qui in medio throni est, reget eos et deducet eos ad fontes vitae aquarum ».

4. *Ecce, qui tollit peccata mundi.* Nota, quod Secundo, de effectus utilitate tria.

Christus peccata *abluit, tollit* et *remittit.* In peccato enim est considerare *maculam, reatum* et *offensam* [8]. Macula *abominabilis* est, et ideo indiget *lavari.* Reatus *ad poenam intolerabilem obligat,* et ideo indiget *tolli.* Offensa *inexcusabilis,* et ideo indiget *remitti.* — Sed ecce, qui peccata *abluit;* Primum.

Apocalypsis primo [9]: « Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo ». — Peccata *tollit;* unde Secundum.

hic: *Ecce, Agnus* etc.; et Isaiae quinquagesimo tertio: « Iniquitates multorum tulit »; et supra eodem: « Vere dolores nostros ipse tulit et languores nostros ipse portavit ». — Peccata *dimittit;* Lucae septimo: Tertium.

« Remittuntur tibi peccata tua »; sequitur: « Quis est hic, qui peccata dimittit »?

COLLATIO VII.

(Vers. 51.). *Videbitis caelum apertum.*

1. Nota, quod caelum aliquando aperitur ad Caelum aperitur ad tria.

mittendum exenia [10] *beneficiorum* — ad *ostendendum mysteria secretorum* — ad *recipiendum in gaudia*

---

[1] Vers. 16. — Subinde allegatur Ioan. 14, 16. seq.

[2] Vers. 23. — Sequitur Sap. 1, 5.

[3] Vers. 29. — Subinde allegatur Sap. 7, 7. — Inferius pro *honoremus* C *honorificemus.*

[4] Ab Horat., Epist. ad Pisones (sive de Arte poetica) v. 243.

[5] Vers 5. — Sequitur Levit. 1, 10. seq.: *Quodsi de pecoribus oblatio est... masculum absque macula offeret... coram Domino.* Hesychius, hoc loco, pro *masculum* substituit *agnum anniculum,* et Glossa *ordinaria* (secundum Isidor., Quaest. in Levit. c. 6. n. 3.) ait: *Anniculum* etc. Agnus oblatus, Christus innocens crucifixus. Unde: *Ecce, Agnus Dei; ecce, qui tollit peccata mundi.*

[6] Vers. 19. — Sequitur Isai. 53, 7, post quem A addit *Glossa* (B *Nota*), scilicet conferenda, quae sumta ex Hieron. (in hunc locum) ait: *Et quasi agnus.* In cuius figura populus Israel agnum in Aegypto comedit [Exod. 12, 3. seqq.]. Hic est *Agnus, qui tollit peccata mundi* etc.

[7] Vers. 18. — Subinde allegantur Exod. 12, 9. et Apoc. 7, 16.

[8] Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 1.

[9] Vers. 5. — Sequuntur Isai. 53, 12. et 4. ac Luc. 7, 48. seq.

[10] Du Cange, Glossarium etc.: *Exenium,* exennium, idem quod *xenium,* munus, donum, oblatio atque adeo quaevis praestatio etc. — Subinde pro *gaudia praemiorum* A B *praemia gaudiorum.*

De primo. *praemiorum.* — Caelum aperit Deus *incipientibus* ad *emittendum;* quod figuratum est Matthaei tertio [1] et Lucae tertio, ubi legitur, quod baptizatus Iesus « confestim ascendit de aqua, et ecce, caeli aperti sunt, et vidit Spiritum Dei sicut columbam descendentem
De secundo. super se ». — Caelum aperit Deus ad *ostendendum* quae sunt in caelo, et sic apertum est Ioanni Apocalypsis undecimo: « Apertum est templum Dei in caelo, et visa est arca testamenti eius in tem-
De tertio. plo eius ». — Caelum aperit Deus ad *recipiendum,* et sic apertum est Stephano, qui vidit caelos apertos, « vidit et introivit »; de qua aperitione Actuum septimo: « Ecce, video caelos apertos et Iesum stantem a dextris Dei ».

2. Notandum autem, quod tripliciter meretur
Hoc meretur tripliciter. quis invenire caelum apertum: *offerendo — pul-*
De primo. *sando* — et *properando.* — Solet enim libenter aperiri *offerentibus;* et ideo dicitur Malachiae tertio [2]: « Inferte omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus: Si non aperuero vobis cataractas caeli et effudero vobis benedictionem usque ad abundan-
De secundo. tiam ». — Aperitur etiam *pulsantibus;* Matthaei septimo: « Pulsate, et aperietur vobis »; et ibidem:
De tertio. « Pulsanti aperietur ». — Aperitur nihilominus *properantibus;* properantes enim inveniunt ostium *apertum,* quod tardantes inveniunt *clausum;* ideo dicitur Lucae decimo tertio [3]: « Contendite intrare per angustam portam, quia dico vobis, multi quaerent intrare et non poterunt. Cum autem intraverit paterfamilias et clauserit ostium, incipietis foris stare et pulsare » etc.; et Matthaei vigesimo quinto habetur de virginibus, quod illae « quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias ». Novissimis vero
Exhortatio. responsum est: « Nescio vos ». — Cogitemus ergo *offerre* munus bonae operationis et *pulsare* per instantiam orationis et *properare* per fervorem aemulationis; et *caelum aperietur nobis.*

3. Nota de hoc quod dictum est supra [4], quod ad *emittendum* est apertum caelum Christo intranti, ad *ostendendum* Ioanni contemplanti, ad *recipiendum* Stephano patienti.

ANNOTATIO 1.

(Vers. 3.). *Omnia per ipsum facta sunt.* — Notandum, quod est verbum *faciens,* verbum *factum* et Triplex est verbum.
verbum *fiens.* — Verbum *faciens* est Verbum ab aeterno genitum, de quo hic: *Omnia per ipsum facta* Primum.
sunt. — Verbum *factum* est verbum menti interius Secundum.
impressum, de quo Lucae tertio [5]: « Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in
deserto ». — Verbum *fiens* est verbum vocaliter pro- Tertium.
latum, quod tantum est in *fieri;* de quo dicit Damascenus, quod verbum nostrum est anypostatum, id est non subsistens et in aërem effusum. De hoc dicitur [6], quia « volat irrevocabile verbum ».

ANNOTATIO 2.

(Vers. 6.). *Fuit homo missus a Deo* etc. — Nota, quod Ioannes fuit missus ante Dominum [7], ut Tres tituli S. Ioannis.
praeco ad annuntiandum, ut *praecursor* ad iter praeparandum, ut *nuntius* ad hospitium accipiendum. —
De primo habetur hic [8]: *Fuit homo missus a Deo,* De primo.
cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. — De se- De secundo.
cundo, Malachiae tertio: « Ecce, ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam ».
— De tertio, Lucae primo: « Ipse praecedet ante il- De tertio.
lum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios et incredulos ad prudentiam iustorum » etc. — Ioannes *praeconizavit* praedicando, *iter praeparavit* baptizando, *hospitium accepit* corda hominum ad fidem Christi convertendo.

ANNOTATIO 3.

(Vers. 23.). *Ego vox clamantis in deserto.* — Alii tres tituli eiusdem.
Nota, quod Ioannes aliquando dictus est *propheta,* aliquando *vox,* aliquando *lucerna.* Prophetae est *cognoscere veritatem;* vocis est *promere verbum;* lucernae
est *ostendere lucem.* — Beatus Ioannes *propheta* fuit, Propheta.
quia cognovit veritatem divina revelatione; Matthaei undecimo [9], Lucae septimo: « Etiam dico vobis, et plus

---

[1] Vers. 16. — Immediate post allegatur Luc. 3, 22. et sequuntur Apoc. 11, 19. et Act. 7, 55. Verba inferius de Stephano allegata *vidit et introivit* occurrunt in Lib. Respons. (inter opera Gregorii), pro festo S. Stephani, in Respons. II. et III. Noct. (in Breviar. Romano, III. Noct. et ad Laudes). — Cod. A haec verba, sicut et seqq. *de qua aperitione Actuum septimo: Ecce video caelos* omittit. Cfr. August., Serm. 314. (alias 95. de Diversis) n. 1.

[2] Vers. 10. — Sequitur Matth. 7, 7. et 8.

[3] Vers. 24. seq. — Subinde allegatur Matth. 25, 10. et 12.

[4] Num. 1.

[5] Vers. 2. — Subinde allegatur Damasc., I. de Fide orthod. c. 6, ubi de discrimine Verbi aeterni et humani agens dicit: Quin potius [Pater] Verbum suum ex se genitum semper habet, non quod ad instar nostri non subsistat et in aërem diffluat [ἀνυπόστατον καὶ εἰς ἀέρα χεόμενον], sed in se consistens [ἐνυπόστατον] etc. — Codd. nostri scribunt *anapostatum;* passim in antiquis codd. Graeca verba vitiose scribuntur.

[6] Horat., Epist. 18. v. 71:

Et semel emissum volat irrevocabile verbum.

Pro *De hoc dicitur, quia* B *Secundum hoc quod dicitur, quod.*

[7] Cod. A *a Deo,* qui etiam *suscipiendum* pro *accipiendum* substituit.

[8] Vers. 6. et 7. — Sequuntur Malach. 3, 1. (cfr. Matth. 11, 10.) et Luc. 1, 17.

[9] Vers. 9. et Luc. 7, 26. — Sequuntur Ioan. 1, 23; Matth. 5, 16. et Ioan. 5, 35.

Vox. quam propheta ». — Fuit iterum *vox*, quia veritatem protulit in praedicatione; unde Ioannis primo: « Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini » etc. Lucerna. — Fuit *lucerna*, quia veritatem ostendit in conversatione, secundum quod dicitur Matthaei quinto: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona ». De ipso dicitur Ioannis quinto: « Ipse erat lucerna ardens et lucens »: *ardens* in affectu per caritatem, *lucens* in effectu per sanctam operationem. Fuit ergo *propheta*, quia *cognitor* veritatis; *vox*, quia *praedicator* veritatis; *lucerna*, quia *operator* veritatis.

Iterum, *ego vox clamantis in deserto* [1]. — Nota, quod ideo Ioannes dicitur *vox*, quia *vox praecedit* verbum, *vox manifestat* verbum, *transit* et relinquit verbum. — Ita et Ioannes *praecessit* Christum; Lucae primo: « Ipse praeibit ante illum ». *Manifestavit* Christum; Ioannis primo: « Ecce, Agnus Dei ». *Transivit* et reliquit Christum; unde Ioannis tertio: « Illum oportet crescere, me autem minui ». Quare dicatur vox.

Capitulum II. *Nuptiae factae sunt.*

COLLATIO VIII.

(Vers. 1.). *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Iesu ibi.*

Divisio. 1. Volens Evangelista describere miraculum nuptiarum, convertit intentionem suam ad duo, scilicet ad describendum *nuptiarum convivium* — et ad describendum *coetum assistentium*, et hoc non incongrue. In *convivio* enim factum est miraculum, ab *assistentibus sancitum* [2]. *Convivium* nuptiarum incipit describere, cum dicit: *Nuptiae factae sunt; coetum assistentium*, cum dicit: *Et erat Mater Iesu ibi.*

Corporalium nuptiarum sanctitas. 2. *Nuptiae*, inquit, *factae sunt.* Praetermissis nuptiis *corporalibus*, quarum sanctitati attestatur, quod Deus eas auctoritate propria in *paradiso* instituit, sicut habetur in Genesis secundo [3]: « Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae »; et easdem in *terra* sua praesentia consecravit et miraculorum suorum initiis insignivit, ut habetur in Spiritualium nuptiarum quatuor genera. praesenti Evangelio; notandum, quod secundum *spiritualem intellectum* quatuor sunt genera nuptiarum. Sunt enim nuptiae *carnales* — nuptiae *spirituales* — nuptiae *sacramentales* — et nuptiae *aeternales;* sive nuptiae *culpae*, nuptiae *gratiae*, nuptiae *eucharistiae* et nuptiae *gloriae.*

Triplex matrimonium. 3. Est enim matrimonium *hominis* et *carnalis concupiscentiae* [4], et huiusmodi habet nuptias *culpae.* Est matrimonium *Dei* et *animae*, et huiusmodi habet nuptias *gratiae.* Est matrimonium *Iesu Christi* et *Ecclesiae*, et huiusmodi habet in praesenti nuptias *eucharistiae* quasi prandium et in futuro quasi coenam nuptias *gloriae.* — Sic *triplex matrimonium* habet *quadruplex convivium* nuptiale. Primum fit in *prostibulo concupiscentiae;* secundum, in *thalamo conscientiae;* tertium, in *tabernaculo Ecclesiae;* quartum, in *palatio gloriae.*

Nuptiarum carnalium effectus quadruplex. 4. Sunt ergo nuptiae *carnales*, in quibus est « animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae », secundum quod habetur Sapientiae decimo quarto [5]. — Notandum. Nuptiarum huiusmodi matrimonium *initiatur* in mala delectatione, *ratificatur* in consensu, *consummatur* in opere.

De nuptiis spiritualibus. 5. Sunt nuptiae *spirituales Dei* et *animae;* et hae possunt intelligi convenienter per nuptias factas in Cana Galilaeae. *Cana* idem est quod zelus [6]; *Galilaea* transmigratio sive transmeans, aut rota sive volubilis. Istae enim nuptiae fiunt in conscientia animae habentis zelum dilectionis; quae quidem anima transmigrat in montem Domini per *devotionem mentis*, et est volubilis per *agilitatem operis.* In his nuptiis convertit Dominus aquam lacrymarum in vinum consolationis, maxime si sit *Mater Iesu ibi.* — Notandum. Quoniam autem istae nuptiae sunt Religiosorum proprie, notandum, quod horum matrimonium *initiatur* in ingressu religionis, *ratificatur* in voto professionis, *consummatur* in perfecta impletione promissionis.

De nuptiis sacramentalibus. 6. Sunt etiam nuptiae *sacramentales*, quae significantur Esther secundo [7], ubi Assuerus, repudiata Vasthi, « adamavit Esther super omnes mulieres et posuit diadema regni in capite eius et fecit eam regnare in loco Vasthi, et iussit, praeparari convivium permagnificum cunctis principibus et servis suis pro coniunctione et nuptiis Esther ». *Vasthi*, synagoga; *Esther*, Ecclesia; *Assuerus*, Christus; *fides*,

---

[1] Ioan. 1, 23. — Tres seqq. loci sunt Luc. 1, 17; Ioan. 1, 29. et 3, 30.

[2] Ita C; A *ad preces assistentium*, B *ab assistente tentum* (obtentum). Pars II. hic non exponitur.

[3] Vers. 24. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 9. n. 2.

[4] Verbis transpositis, legunt B C *hominis carnalis et concupiscentiae.* Inferius post *Ecclesiae* C prosequitur *et huiusmodi sunt nuptiae eucharistiae in praesenti quasi prandium et in futuro quasi nuptiae gloriae.*

[5] Vers. 26. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 6. seqq., ubi de hoc matrimonio sententia August. proponitur.

[6] Hieron., I. Comment. in Matth. 10, 4: « *Simon Cananaeus.* Ipse est qui in alio Evangelista [Luc. 6, 15.] scribitur *Zelotes. Cana* quippe *zelus* interpretatur ». De interpretatione *Galilaeae* cfr. eiusdem verba supra pag. 290, nota 5. Vide etiam Bed., in Ioan. 2, 1, ubi docet, quod « hoc, quod *in Cana Galilaeae*, id est in caelo [?] transmigrationis perpetratae, eaedem nuptiae factae perhibentur, typice denuntiat, eos maxime gratia Christi dignos existere, qui zelo fervere piae devotionis et aemulari charismata meliora [I. Cor. 12, 31.] ac de vitiis ad virtutes progredi bona operando, de terrenis ad aeterna norunt sperando et amando transmigrare ».

[7] Verba inferius allegata sumta sunt ex 2, 17. seq. Cfr. Raban. (ex quo Glossa *ordinaria*), in hunc locum.

coniunctio; *convivium permagnificum*, eucharistia. — Nuptiarum huiusmodi matrimonium *initiatum* fuit in Christi promissione facta sanctis Patribus [1], *ratificatum* fuit in incarnatione, *consummatum* in passione.

Notandum.

7. Sunt etiam nuptiae *aeternales*, de quibus Apocalypsis decimo nono [2] dicitur: « Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ». — Et illarum quidem nuptiarum solemnitas *initiatur* in praesenti in iustis per spem de futuris bonis; *ratificatur* in adeptione primae stolae, animae scilicet, et *consummatur* in adeptione secundae stolae, scilicet corporis.

De nuptiis aeternalibus.

Notandum.

8. Cum igitur quatuor sint genera nuptiarum, et omne coniugium faciat ex pluribus unum; notandum, quod primae faciunt duo in *una carne*, id est in una carnalitate; primae ad Corinthios sexto [3]: « An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur? Erunt, inquit, duo in carne una ». — Secundae faciunt unum in *uno spiritu;* primae ad Corinthios sexto: « Qui adhaeret Deo unus spiritus est ». — Tertiae faciunt unum in *uno corpore mystico;* ad Romanos duodecimo: « Unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ». — Quartae faciunt unum in *una beatitudine*, de qua Ioannis decimo septimo: « Pater, rogo, ut sint consummati in unum, sicut et nos unum sumus »; loquebatur de discipulis.

Unio fit quadrupliciter.

9. *Nuptiae factae sunt* etc. Cum sint quatuor genera nuptiarum, a nuptiis *culpae* revocamur et ad alias invitamur. Sunt autem nuptiae culpae fugiendae, quia habent in principio *ignominiam* et in fine *poenam*. — In principio sunt *ignominiosae;* non enim decet spiritum ad imaginem Dei creatum tam vilem uxorem, sicut est carnalis concupiscentia, ducere; quod figuratum est Genesis vigesimo septimo [4], dicente Rebecca: « Taedet animam meam vitae meae super filias Heth; si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terrae, nolo vivere ». *Rebecca*, conscientia; *Iacob* filius eius, humanus spiritus; *filiae Heth*, carnales concupiscentiae, quibus si se *coniunxerit* spiritus per consensum, machinatur in mortem conscientiae. — In fine sunt *exitiosae;* consummantur enim in poena, secundum quod dicit Veritas Lucae decimo septimo [5]: « Sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus Filii hominis. Edebant et bibebant et ducebant uxores et dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam; et venit diluvium et perdidit omnes ».

Fugiendae sunt nuptiae culpae.

Ratio 1.

Ratio 2.

10. Ab istis ergo revocamur, ad alias autem invitamur. Invitamur ad nuptias *gratiae*, ut Deo nubamus; ad nuptias *eucharistiae*, ut ibi discumbamus; ad nuptias *gloriae*, ut ibi regnemus. — Ad nuptias *gratiae* invitatur anima [6], ut Deo *desponsetur;* ubi cavendum est, ne inveniatur digna *repudio;* quod accidit duabus de causis. Prima est, quando *abnegat debitum* per inobedientiam; secunda est, quando *ingreditur torum alienum* per impudicitiam. — Primum incurrit anima omittendo praecepta; secundum, committendo illicita. Propter primum repudiata est Vasthi, quia noluit obedire Assuero [7]; propter secundum « licet homini dimittere uxorem causa fornicationis », ut habetur Matthaei decimo nono.

Ad alias invitamur.

Primo, ad nuptias gratiae.

Duplex ratio repudii.

11. Ad nuptias *eucharistiae* invitatur anima, ut ibi *recumbat* et epuletur; ubi cavendum est, ne inveniatur digna *repelli a convivio*, quod fit duabus de causis. Prima est, quando *se gerit nimis superbe;* secunda, quando *non est parata satis honeste.* — Prima causa est in hypocritis vel ambitiosis, in quibus est superbia intentionis; secunda est in lascivis et dissolutis, in quibus est inhonestas conversationis. Propter primum dicitur Lucae decimo quarto [8]: « Cum invitatus fueris ad nuptias, vide, ne recumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus » etc. Nota totam parabolam. Propter secundum eiectus est de nuptiis ille quem invenit rex « non indutum veste nuptiali », quem iussit « proiici in tenebras exteriores », ut habetur Matthaei vigesimo secundo.

Secundo, ad nuptias eucharistiae.

Duplex ratio exclusionis.

12. Ad nuptias *gloriae* invitatur anima, ut ibi *coronetur;* ubi cavendum est, ne inveniatur digna *repelli a caelesti palatio;* quod fit duabus de causis. Prima est, quando venire *contemnit;* secunda, quando venire *negligit.* — Venire *contempserunt* illi, de quibus Matthaei vigesimo secundo [9] dicitur, quia « misit rex hora coenae servos suos vocare invitatos ad nuptias », at illi nolebant venire; et causa fuit, ut Lucae decimo quarto tangitur, quia alius *emerat villam* mundanae vanitatis, alius *boves* mundanae

Tertio, ad nuptias gloriae.

Duplex ratio exclusionis.

---

[1] In C additur *de Christo.*

[2] Vers. 9. — Inferius pro *consummatur* C *consummabitur*, qui prosequitur *post iudicium in adeptione utriusque stolae, animae scilicet et corporis.*

[3] Vers. 16, in quo allegatur Gen. 2, 24. — Sequuntur I. Cor. 6, 17; Rom. 12, 5; Ioan. 17, 20. et 22. seq.

[4] Vers. 46. — Hugo a S. Vict., II. Allegor. in vetus testament. c. 11. dicit, quod « *Rebecca* significat matrem gratiam, quae Iacob de paterna benedictione consuluit ». Ibid. c. 12: *Iacob* secundum sensum tropologicum significat spiritum... quia spiritus *lenis* est, dum, suadente ratione, quaerit tantum necessaria. *Esau* significat corpus, quia corpus *pilosum* [Gen. 27, 11: Nosti, quod Esau, frater meus, homo *pilosus* sit, et ego *lenis*], dum, instigante concupiscentia [cfr. Gen. 26, 34, ubi dicitur, quod Esau duxit duas uxores de *Heth*, quae ambae offenderant *animum* Isaac et Rebeccae], quaerit superflua.

[5] Vers. 26. et 27.

[6] Ita C; A B *invitamur, ut anima Deo* etc. Inferius pro *ingreditur torum alienum* (ita C, cum quo convenit A, qui tamen omittit *alienum*) B *transgreditur torum.*

[7] Vide Esther 1, 11. seqq. — Subinde allegatur Matth. 19, 9: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem etc. Ibid. v. 3: Si *licet homini dimittere uxorem* suam, quacumque ex causa?

[8] Vers. 8. — Sequitur Matth. 22, 11-13. — Cod. C omittit *Nota totam parabolam.*

[9] Vers. 3. seqq. — Subinde allegantur Luc. 14, 18. seqq. (A B *ibidem*, scil. Matth. 22, ubi tamen quae sequuntur non occurrunt); Matth. 25, 1-12. et Apoc. 19, 7.

curiositatis, alius desponsaverat *concupiscentiam* carnalis voluptatis. De quibus dixit rex : « Quia nemo eorum gustabit coenam meam ». — Venire *neglexerunt* illae *fatuae virgines*, quae tarde venientes, et ideo clausam ianuam invenientes, audierunt : « Nescio vos », sicut habetur Matthaei vigesimo quinto. Propter hoc commendatur vigilantia sponsae Apocalypsis decimo nono, de qua dicitur : « Venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se » etc.

COLLATIO IX.

(Vers. 3.). *Vinum non habent.*

Introductio. 1. O quam bonum est, Matrem Iesu ad suum convivium invitare, quae pauperibus convivii adhibet *solatium* compassionis, *consilium* instructionis, *suffragium* orationis ! *Compassionis indicium* est, quod dicit : *Vinum non habent. Instructionis consilium*, quod dixit [1] : *Quaecumque vobis dixerit, facite. Suffragium orationis* fuit, quod a Filio miraculum conversionis aquae in vinum impetravit.

Triplex vinum. 2. *Vinum non habent.* Notandum, quod est vinum *naturae* — vinum *gratiae* — et vinum *culpae.*

Vinum naturae. Vinum *naturae* est *moderandum;* Ecclesiastici trigesimo primo [2] : « Ne comprimaris in convivio » vino. « Intellige, quae sunt proximi tui, ex te ipso ». Est autem moderandum propter tria : ut vivas in *iucunditate* quantum ad *animam;* Ecclesiastici trigesimo primo : « Exsultatio animae et cordis vinum moderate potatum ». Ut vivas in *sanitate* quantum ad *corpus;* Ecclesiastici trigesimo primo : « Aequa vita hominibus vinum in sobrietate »; et infra eodem : « Sanitas est animae et corpori sobrius potus ». Ut vivas in *prosperitate* quantum ad *possessionem*, quia, Ecclesiastici trigesimo primo, « vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit »; et Proverbiorum vigesimo primo : « Qui amat vinum et pinguia non ditabitur ».

Vinum culpae triplex. 3. Vinum *culpae* est *abominabile;* Deuteronomii trigesimo secundo [3] : « Fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile ». Est autem

Primum. triplex : *luxuriae* vel voluptatis; Amos sexto : « Bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti »; Sapientiae secundo : « Vino pretioso et unguentis nos impleamus »; ad Ephesios quinto : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria »; Proverbiorum vigesimo : « Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas ». — *Avaritiae* vel cupiditatis; Proverbiorum quarto [4] : Secundum. « Comedunt panem impietatis et vinum iniquitatis bibunt »; Ezechielis vigesimo septimo : « Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis optimi coloris ». — *Superbiae* vel vanitatis; Tertium. Habacuc secundo [5] : « Quomodo vinum decipit potantem, sic erit vir superbus et non decorabitur ». Hoc est vinum illius *meretricis magnae*, id est vanitatis mundanae, « cum qua fornicati sunt reges terrae et inebriati sunt qui inhabitant terram », scilicet « vino prostitutionis eius », Apocalypsis decimo septimo.

Triplex poena. 4. Vinum hoc sequitur vinum *poenae* triplex : vinum *remorsus conscientiae.* Haec est poena, quae Prima. infertur in praesenti; Proverbiorum vigesimo tertio [6] : « Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blande, sed in fine mordebit ut coluber et sicut regulus » etc. — Vinum *damnationis aeternae*, quae poena sustinenda est in inferno; Apocalypsis decimo quarto : « Si quis adoraverit bestiam et imaginem eius et acceperit characterem eius in fronte sua, aut in manu sua; hic bibet de vino irae Dei, quod mistum est mero in calice ipsius, et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum et ante conspectum Agni »; Ieremiae vigesimo quinto : « Sume calicem vini furoris huius de manu mea » etc. — *Temporales calamitates et miseriae;* tertii Esdrae tertio [7] : « Viri, quam praevalet vinum omnibus hominibus ! seducit mentem » etc.; et Ecclesiastici trigesimo primo : « Amaritudo animae vinum multum potatum ».

Vinum gratiae quadruplex. 5. Vinum *gratiae* quadruplex : *Raspetum compunctionis;* Psalmus [8] : « Ostendisti populo tuo dura ; potasti nos vino compunctionis ». — *Rosetum compassionis;* Canticorum quinto : « Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo », id est planctum compassionis cum laetitia redemptionis, quae inveniuntur in cruce Christi. — *Salmetum devotionis;* Canticorum octavo : « Dabo tibi poculum ex vino condito et mustum pomorum granatorum meorum ». — *Claretum* sive aromaticum *internae fruitionis;* Canticorum primo : « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis ».

---

[1] Vers. 5 : *Quodcumque dixerit vobis* etc. — Superius pro *pauperibus convivii* C *pauperibus conviviis.*

[2] Vers. 17. et 18. — Quatuor seqq. loci sunt Eccli. 31, 36; v. 32; v. 37. et v. 38, post quem allegatur Prov. 21, 17.

[3] Vers. 33. — Sequuntur Amos 6, 6; Sap. 2, 7; Eph. 5, 18. et Prov. 20, 1. (A B omittunt hunc ultimum textum).

[4] Vers. 17. — Subinde allegatur Ezech. 27, 18.

[5] Vers. 5. — Sequitur Apoc. 17, 1. et 2.

[6] Vers. 31. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 14, 9. seq. et Ier. 25, 15.

[7] Vers. 18, post quem sequitur Eccli. 31, 39. — In A et C hoc tertium membrum omittitur.

[8] Psalm. 59, 5. — Tres seqq. loci sunt Cantic. 5, 1; 8, 2. et 1, 1. seq. — Du Cange, Glossarium etc.: « *Raspetum*, vinum *recentatum*, Gallis *Raspé* ». Idem ait : « *Recentatum* vinum... sic nuncupatum... quod vinum antiquum musto, vel lixivio, vel tortivo commisceretur vel quasi renovaretur... *Recentare* enim veteres Romanos pro *renovare* dixisse constat etc. « *Claretum*, Anglis *claret*, Hisp. *clarea*, vinum factitium dulce vel aromatites... *Claretum*, Vinum rubellum, Gall. *clairet* » etc. « *Rosatum*, nude pro *rosatum vinum*, rosa conditum ». — Pro *salmetum* B *sementiatum*, C *sementalium*. Superius substituimus *quadruplex* pro *triplex*, quod perperam habent codd.

Vinum culpae fugiendum ob 3 rationes.

6. Vinum *culpae fugiendum*, quia *infatuat;* Isaiae vigesimo octavo [1]: « Prae vino nescierunt et prae ebrietate erraverunt; absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem ». — Quia *depauperat;* Proverbiorum vigesimo primo: « Qui amat vinum et pinguia non ditabitur ». — Quia *exterminat;* Ecclesiastici trigesimo primo: « Multos exterminavit vinum »; Proverbiorum vigesimo tertio: « Cui vae? Cuius patri vae? etc. Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis »?

Vinum gratiae appetendum ob 3 rationes.

7. Vinum *gratiae* est *appetendum*, quia *sanativum;* Lucae decimo [2] de Samaritano, qui iussit, plagae vulnerati infundi vinum et oleum. — Quia *confortativum;* tertii Esdrae tertio: « Omnem mentem convertit in securitatem »; primae ad Timotheum quinto: « Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates ». — Quia *iucundativum;* Psalmus: « Vinum laetificat cor hominis »; Canticorum primo: « Exsultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum ».

COLLATIO X.

(Vers. 19.). *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

Introductio et divisio.

1. In verbis istis duo tanguntur. Primo praedicitur *passio* Salvatoris, cum dicitur: *Solvite templum hoc.* — Secundo *resurrectio* ipsius, cum dicitur: *Et in tribus diebus* etc. — *Solvite*, ait, *templum*, « id

Imperativi sensus 5.

est, solvetis [3] ». Scriptura enim aliquando imperativo utitur *imperative*, ut Ecclesiastae ultimo: « Deum time et mandata eius observa ». Aliquando *consultive*, ut Matthaei decimo nono: « Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus ». Aliquando *permissive*, ut Matthaei octavo: « Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos. Et dixit eis: Ite ». Aliquando *ironice;* Ioannis decimo tertio: « Quod facis fac citius », dixit Dominus Iudae de proditione. Aliquando *praedictive*, ut hic: *Solvite templum* « id est, solvetis ».

Templum quintuplex.

2. *Solvite templum.* Nota, quod multiplex est templum *spirituale*, scilicet templum *gloriae* — templum *Ecclesiae* — templum *fidelis animae* — templum *uteri virginalis* — et templum *humanitatis assumtae.* — De templo *gloriae*, Apocalypsis undecimo [4]: « Apertum est templum Dei in caelo, et visa est arca testamenti eius in templo eius »; et Psalmus: « In templo eius omnes dicent gloriam ». — De templo *Ecclesiae*, Malachiae tertio: « Ecce, ego mitto angelum meum »; et sequitur: « Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis ». *Mitto angelum*, id est Ioannem; *et veniet Dominator*, id est Christus; *ad templum*, id est ad Ecclesiam. — De templo *fidelis animae*, primae ad Corinthios tertio [5]: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos ». — De templo *uteri virginalis*, Ezechielis quadragesimo tertio: « Maiestas Dei ingressa est templum per viam portae, quae respicit ad orientem ». *Maiestas Dei*, plenitudo Divinitatis; *templum*, uterus virginalis; *oriens*, caelestis curia; *porta illuc respiciens*, devotio assidua; *via* Deum adducens, humilitas vera, « quia respexit humilitatem ancillae suae ». De isto templo Augustinus [6]: « Templum Dei factus est uterus virginalis, nesciens virum ». — De templo *humanitatis assumtae*, hic: *Solvite templum hoc.* Templum hoc fuit aedificatum in incarnatione, solutum in passione et reaedificatum in resurrectione, secundum quod hic dicitur: *Solvite templum hoc, et excitabo illud.*

De primo. De secundo. De tertio. De quarto. De quinto.

Explicatur templum gloriae.

3. De templo *gloriae* nota, quod est *desiderabile* recordantibus; Ionae secundo [7]: « Cum angustiaretur anima mea in me, Domini recordatus sum; ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum ». Est *mirabile* contemplantibus; Psalmus: « Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate ». *Delectabile* intrantibus; Psalmus: « Afferentur in laetitia et exsultatione, adducentur in templum regis ».

Item, templum uteri virginalis, quod fuit a Deo dedicatum.

4. De templo *uteri virginalis* nota, quod fuit a Deo *dedicatum in sanctificatione*, quando scilicet « sanctificavit tabernaculum suum Altissimus », sicut dicitur in Psalmo [8]. Tunc enim potuit dici: « Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate ». Et re vera in hoc templo mirabilis fuit adaequatio, quando convenerunt fides et ratio, mater et virgo, Deus et homo: primum in *mente*, secundum in *carne*, tertium in *prole*.

---

[1] Vers. 7. — Sequuntur Prov. 21, 17; Eccli. 31, 30. et Prov. 23, 29. 30.

[2] Vers. 34. (Pro *plagae vulnerati*, quod habet C, A *in vulnerato*, B *vulnerato*). — Subinde allegantur III. Esdr. 3, 20; I. Tim. 5, 23; Ps. 103, 15. et Cantic. 1, 3.

[3] Ut dicit Glossa *interlinearis;* cfr. supra pag. 277, nota 5. — Sequuntur Eccle. 12, 13; Matth. 19, 21. et 8, 31. seq.; Ioan. 13, 27. Cfr. II. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. ad 1.

[4] Vers. 19. — Duo seqq. loci sunt Ps. 28, 9. et Malach. 3, 1, de cuius explicatione cfr. Hieron., ex quo sumta est Glossa *ordinaria.*

[5] Vers. 17. — Sequuntur Ezech. 43, 4; Luc. 1, 48.

[6] Sententia haec exprimitur his verbis in Serm. 208. (in Appendice; alias 35. de Sanctis, et post 83. in Appendice), in festo Assumt. B. Mariae, n. 4: Haec est Dei templum, fons ille signatus et porta in domo Domini clausa. Ad hanc namque, ut dixi, Spiritus sanctus descendit, huic virtus Altissimi obumbravit. Haec est immaculata etc. Ibid. Serm. 128. (alias 13. de Tempore), in Natali Domini 12, n. 1: Mox viri nesciam sermo Dei maritat; simul facta est mater et virgo... virgo habens filium, nesciens virum etc. Cfr. Coelii Sedulii hymnus:

> Domus pudici pectoris
> Templum repente fit Dei,
> Intacta nesciens virum
> Virgo creavit filium.
> (in Breviar. Romano:
> Concepit alvo filium).

[7] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Ps. 64, 5. seq. et 44, 16.

[8] Psalm. 45, 5. — Sequitur Ps. 64, 5. seq.

Secundo, ornatum tripliciter.

Fuit a Deo *ornatum in conversatione;* ornatum, inquam, *bonis cogitationibus,* quod figuratum est tertii Regum sexto[1] per *fenestras obliquas,* quas fecit Salomon in templo. *Fenestrae obliquae* sive vitreae, per quas ingreditur lux, sunt meditationes sanctae, per quas ingreditur divina irradiatio in animam. — Ornatum *sanctis affectionibus,* quod significatum est in eodem[2], ubi dicitur, quod omnes « cardines ostiorum ex auro erant ». Per *aurum* intellige caritatem; per *cardines* templi, Virginis *affectiones,* quae omnes caritate erant informatae. — Ornatum etiam *virtuosis operibus;* unde in eodem[3] dicitur, quod Salomon « omnes parietes templi sculpsit variis caelaturis et torno ». In *varietate* nota *multiplicitatem* virtutis; in *sculptura, eminentiam* perfectionis; in *torno, modestiam* discretionis.

Tertio, a Deo inhabitatum.

Fuit etiam templum a Deo *inhabitatum in incarnatione;* unde Ezechielis quadragesimo tertio[4]: « Maiestas Dei ingressa est templum ». Nota et expone secundum quod supra. Bernardus: « Nec in terris locus dignior virginalis uteri templo, in quo Dei Filium Maria suscepit; nec in caelis regali solio, in quo Mariam Mariae Filius collocavit ».

Templum humanitatis assumtae, de quo tria.

5. De templo *humanitatis assumtae* nota, quod locus est *divinae habitationis;* ibi enim visus est temporaliter qui in caelo regnat aeternaliter; et ideo de hoc potest dici illud quod dicitur in Psalmo[5]: « Dominus in templo sancto suo; Dominus in caelo sedes eius ». In templo enim carnis apparet qui in abscondito caeli sedet. — Est etiam locus *divinae exauditionis;* Psalmus: « Exaudivit de templo sancto suo vocem meam ». De hoc templo exaudivit latronem in cruce pendentem, cui dictum est: « Hodie mecum eris in paradiso ». — Est etiam locus *divinae visitationis,* quia « visitavit nos oriens ex alto[6] ». Salus enim nostra processit de isto templo, quod figuratum est, Ezechielis quadragesimo septimo, « in aquis, quae descendebant in latus templi dexterum »; de quibus dicitur infra in eodem, quod omnes, ad quos « pervenerit torrens, vivent ». *Aquae,* quae *descendebant in latus templi* dexterum, sunt Sacramenta, quae effluxerunt de latere Christi.

Templum Ecclesiae.

6. De templo *Ecclesiae* nota, quod huiusmodi templum *fuit fundatum* in *Apostolis* et *Patriarchis, aedificatur* in *iustis, consummabitur* in *Beatis.* — *Fuit fundatum* in sanctis Patribus; quod figuratum est tertii Regum quinto[7], ubi praecepit Salomon, quod « tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi et quadrarent »; *grandes,* virtute; *pretiosos,* caritate; *quadratos,* perfectione. — *Aedificatur* in iustis; ad Ephesios secundo: « Fratres, iam non estis hospites et advenae etc., superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum etc., in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino ». — *Consummabitur* in Beatis; Ieremiae trigesimo: « Aedificabitur civitas in excelso, et templum iuxta ordinem suum ». *Civitas* haec est Ecclesia, quae dicitur *civitas* ratione *firmitatis,* et *templum* ratione *sanctitatis.*

Fundatum in Patribus.

Aedificatur in iustis.

Consummabitur in Beatis.

Praelatorum triplex officium.

7. Templum istud debent *praelati aedificare, ornare, custodire. Aedificare* sive instaurare debent verbo praedicationis; primo Esdrae quinto[8]: « Nos sumus servi Dei et aedificamus templum, quod erat exstructum ante hos annos ». — *Ornare,* exemplo conversationis; Ecclesiastici quadragesimo quinto: « Circumcinxit illum », scilicet Aaron, « tintinnabulis aureis, dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonum in templo in memoriam gentis suae » etc. — *Custodire,* vigilantia sollicitudinis *pastoralis,* quod figuratum est primi Paralipomenon nono de levitis, de quibus dicitur, quod « per gyrum templi morabantur in custodiis suis, ut, cum tempus fuisset, aperirent fores ».

Subditorum triplex debitum.

8. In isto templo debent *subditi adorare, laudare* et *offerre. Adorare* divinam potentiam; Psalmus[9]: « Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo ». *Laudare* divinam sapientiam; Psalmus: « In templo eius omnes dicent gloriam ». *Offerre* confitendo divinam clementiam; Psalmus: « A templo tuo, quod est in Ierusalem, tibi offerent reges munera ». — Vel dic: adorare *corde,* laudare *ore,* offerre *opere.*

Aliter.

Templum fidelis animae, de quo tria.

9. De templo *fidelis animae* nota, quod fidelis anima dicitur *templum,* quia ad modum templi locus est *sanctitatis, emunitatis* et *religionis.* — Locus est *sanctitatis* a Deo sanctificatus et inhabitatus; primae ad Corinthios tertio[10]: « Templum Dei

Primum.

---

[1] Vers. 4. Cfr. Beda, de Templo Salomonis, c. 7: *Fenestrae* templi doctores sunt sancti et spirituales quique in Ecclesia, quibus mente excedentibus Deo arcana secretorum caelestium specialius ceteris videre conceditur Qui, dum ea quae in occulto vident, publice fidelibus pandunt, quasi suscepto lumine solis, *fenestrae obliquae,* id est intus latiores, fuisse perhibentur etc.

[2] Cap. 7, 50. — Inferius pro *Virginis* C *virginales,* qui etiam subinde cum B habet *omnes,* sed A *omni.*

[3] Cap. 6, 29. Cfr. Beda, in hunc locum (de Templo Salomonis, c. 14.).

[4] Vers. 4. De expositione cfr. supra n. 2. — Verba Bernardi habentur in Serm. 1. in Assumt. B. V. Mariae, n. 3.

[5] Psalm. 10, 5. Baruch 3, 38: Post haec in terris *visus est* et cum hominibus conversatus est. — Duo seqq. loci sunt Ps. 17, 7. et Luc. 23, 43.

[6] Ut dicitur Luc. 1, 78. — Subinde allegatur Ezech. 47, 1. et 9, ubi C *ad quos pervenerit aqua ista, vivent.* — Cfr. supra Comment. in Ioan. 19, 34. n. 52.

[7] Vers. 17. Cfr. Beda, de Templo Salomonis, c. 4, qui etiam hoc de Prophetis et Apostolis explicat. — Duo seqq. loci sunt Ephes. 2, 19. et 21; Ier. 30, 18. — Superius pro *huiusmodi templum fuit fundatum* A *huiusmodi templi fundamentum est,* qui etiam subinde pro *Fuit fundatum* substituit *Fundamentum est.*

[8] Vers. 11. — Subinde allegantur Eccli. 45, 9. seq. et I. Paralip. 9, 27. — Superius pro *sive instaurare* B *sive construere.*

[9] Psalm. 5, 8. — Sequuntur Ps. 28, 9. et 67, 30.

[10] Vers. 17. et 16. — Subinde allegantur I. Cor. 3, 17; III. Reg. 8, 33. et II. Cor. 6, 15. seq. — Du Cange, Glossa-

sanctum est, quod estis vos »; et ibidem : « Nescitis, quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat
Secundum. in vobis »? — Locus est *emunitatis* a Deo emunitus; unde primae ad Corinthios tertio : « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus »; et tertii Regum octavo : « Si fugerit populus tuus hostes suos » etc.
Tertium. — Locus est *religionis* soli divino cultui dedicatus, propter quod idolorum omnis cultus, id est peccatorum servitus, interdicitur in hoc templo; secundae ad Corinthios sexto : « Quae conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fidelis cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis »? quasi dicat : nullus; et adiungitur : « Vos estis templum Dei vivi » etc. — Sic ergo anima fidelis est locus *sanctitatis, emunitatis* et *religionis,* propter quod dicitur *templum Dei.*

10. Sed ecce, peccatores templi huius *polluunt*
A peccatoribus polluitur. sanctitatem, *violant* emunitatem, *immutant* religionem. — *Polluunt sanctitatem;* Psalmus [1] : « Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum ».
Violatur. — *Violant emunitatem;* unde Nahum secundo : « Portae fluviorum apertae sunt, et templum ad solum dirutum, et miles captivus
Immutatur. abductus est » etc. — *Immutant religionem,* quia templum et vasa eius alienis usibus exponunt; primi Machabaeorum secundo : « Sancta in manus extraneorum facta sunt; templum Dei sicut homo ignobilis; vasa eius captiva abducta sunt ». — Templum illud esset *mundandum* per dolorem poenitentiae, esset *reaedificandum* per profectum iustitiae, esset *ornandum* per decorem scientiae.

ANNOTATIO 4.

(Vers. 23.). *Signa, quae faciebat, videntes, multi crediderunt in nomine eius.*

Nota, quod aliqui crediderunt in Christum pro-
Tres credendi rationes. pter *signa,* aliqui propter *verba,* aliqui propter *opera :* propter *signa,* ut hic : *Multi crediderunt* etc. — Propter *verba;* Ioannis quarto [2] : « Et multo plures crediderunt propter sermonem eius ». — Propter *opera;* Ioannis decimo : « Si non vultis mihi credere, operibus credite ».

ANNOTATIO 5.

(Vers. 24.). *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.*

Nota, quod Christus cavit sibi a *turbis,* a *Iu-*
Christus sibi cavit a turbis. *daeis,* ab *Herode* et a *discipulis.* — A *turbis,* ut hic :
A Iudaeis. *Ipse Iesus non credebat semetipsum eis.* — A *Iudaeis,* Ioannis decimo [3] : « Quaerebant eum apprehendere,
Ab Herode. et exivit de manibus eorum ». — Cavit ab *Herode;* Lucae vigesimo tertio : « Interrogabat eum Herodes multis sermonibus. At ipse nihil ei respondit ». —
A discipulis. Cavit sibi a *discipulis;* Lucae ultimo, quando « cum illis ibat », et tamen se illis non manifestabat. — A turbis cavit propter illorum *infirmitatem;* a Pharisaeis propter illorum *perversitatem;* ab Herode propter eius *curiositatem;* a discipulis propter eorum *imperfectionem;* docens nos cavere ab *infirmis* et *perversis* et *curiosis* et etiam aliquando ab *amicis.*

ANNOTATIO 6.

(Vers. 25.). *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.*

Nota, quod *homo* accipitur tripliciter. Aliquando
Homo intelligitur tripliciter. accipitur pro *fragilitate naturae,* ut in Psalmo [4] : « Sciant gentes, quoniam homines sunt ». — Aliquando pro *inordinatione concupiscentiae;* primae ad Corinthios tertio : « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis »? — Aliquando pro *dignitate personae;* Sapientiae nono : « Constituisti hominem, ut dominaretur omni creaturae, quae a te facta est ».

CAPITULUM III. *Erat autem homo ex Pharisaeis.*

COLLATIO XI.

(Vers. 4.). *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?*

1. Verba ista sunt Nicodemi de verbis Domini
Introductio et divisio. dubitantis, qui ideo quaerebat, quia nativitatum differentias ignorabat. Ad cuius quaestionis solutionem notandum est, multiplicem esse nativitatem. Est enim nativitas *naturae* — nativitas *culpae* — nativitas *gratiae.* Nativitas *naturae* est miseranda, nativitas *culpae* detestanda, nativitas *gratiae* veneranda.

2. De nativitate *naturae;* Iob quinto [5] : « Homo
Primo, de nativitate naturae. nascitur ad laborem, et avis ad volatum »; et haec
Triplex ipsius defectus. est *miserabilis,* quia ipsam sequitur *poenalitas vitae, necessitas mortis* et *adversitas pugnae.* —
Primus. Ipsam sequitur *poenalitas vitae;* Iob decimo quarto :

---

rium etc. : *Emunitas,* Hostiensi in Summa est libertas concessa Ecclesiis vel ecclesiasticis personis et rebus aliis ad eas spectantibus; et dicitur ab *extra* et *munia,* id est officia vel onera, a quibus Ecclesiae sunt immunes. Cfr. etiam Forcellini, Lexicon, ubi dicitur, quod multi legunt apud Tertull. *emunitas* pro *immunitas.* — B post *emunitatis* secunda manu addit *id est libertatis.*

[1] Psalm. 78, 1. — Sequuntur Nahum 2, 6. seq. et 1. Machab. 2, 8. seqq.

[2] Vers. 41. — Subinde allegatur Ioan. 10, 38. Cfr. supra Comment. in c. 6. n. 50.

[3] Vers. 39. — Duo seqq. loci sunt Luc. 23, 9. et 24, 15. seqq.

[4] Psalm. 9, 21. — Subinde allegantur 1. Cor. 3, 3. et Sap. 9, 2.

[5] Vers. 7. — Sequuntur Iob 14, 1; Sap. 2, 2. et 5, 13; Eccle. 4, 1-3.

« Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis ». — *Necessitas mortis;* Sapientiae secundo: « Ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus, tanquam si non fuerimus »; et Sapientiae quinto: « Nos nati continuo desinimus esse » etc. — *Adversitas pugnae;* Ecclesiastae quarto: « Vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium et neminem consolatorem etc. Et laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorem utroque iudicavi qui nondum natus est nec vidit mala, quae sub sole fiunt ».

Secundus.

Tertius.

3. De nativitate *culpae;* Iob tertio [1]: « Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est: Conceptus est homo ». Haec est *detestabilis* vel detestanda propter tria, quia scilicet sic nascens in *ignominia nascitur*, in *maledictione vivit*, in *damnatione moritur*. — Nativitas ista est *ignominiosa;* Proverbiorum decimo septimo [2]: « Natus est stultus in ignominiam suam »; Ezechielis decimo sexto dicitur animae peccatrici: « Quando nata es, in die ortus tui non est praecisus umbilicus tuus, et in aqua non es lota in salutem etc., sed proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae, in die, qua nata es » etc. — Est iterum *maledicta;* Ecclesiastici quadragesimo primo: « Vae vobis! impii, qui dereliquistis legem Altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini; et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra ». — Est etiam *perniciosa;* Sapientiae quinto: « Nos nati continuo desivimus esse et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumti sumus. Talia dixerunt hi qui peccaverunt, in inferno ». *Nos*, inquam, *nati* in peccato, *desivimus esse* peccando. Unde Bernardus [3]: « Domine, omnia sunt propter te; qui ergo sibi, non tibi, incipiunt vivere, incipiunt *non esse* ». *Et nullum signum virtutis valuimus ostendere* in mundo; et ideo *in malignitate nostra consumti sumus* in inferno.

Secundo, de nativitate culpae.

Triplex eius defectus.

Primus.

Secundus.

Tertius.

4. De nativitate *gratiae;* Ioannis tertio [4]: « Oportet vos nasci denuo ». Haec autem est *veneranda*, quia sic nascens succedit Patri in *nobilitate*, in *strenuitate*, in *hereditate*. Solent namque filii nobilium a patribus trahere generis *nobilitatem*, naturalium *strenuitatem* et hereditariam *successionem*. — *Generis nobilitatem*, sic et filii *gratiae* habent a Patre suo *nobilitatem*. Isti enim sunt, « qui non ex sanguinibus », id est ex diabolica malitia, « neque ex voluntate viri », id est cupiditate mundana, « neque ex voluntate carnis », id est carnali concupiscentia, de quibus nascuntur peccatores; « sed ex Deo nati sunt », et ideo nobiles, Ioannis primo [5]. — Habent etiam a Patre *morum strenuitatem;* unde Ioannis tertio: « Quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est »; quasi dicat: natum carnis inclucit vitam *carnalem*, natum ex spiritu vitam *spiritualem*, iuxta illud:

Et documenta damus, qua simus origine nati.

— Habent etiam a Patre *hereditariam successionem;* unde « si filii, et heredes », ad Romanos octavo [6]; unde Ioannis tertio: « Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei »; quasi dicat: illorum est succedere in regno Patris, qui denuo nascuntur per Spiritum sanctum.

Tertio, de nativitate gratiae. Habet tria bona.

Primus.

Secundus.

Tertius.

5. Notandum autem, quod tria ostendunt, hominem natum esse ex Deo. Solet enim filius naturalis patrem *recognoscere*, patrem *diligere* et patrem *imitari*. Secundum hoc probatur Dei filius qui Patrem Deum *recognoscit per fidem;* Ioannis primo [7]: « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius »; primae Ioannis quinto: « Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est ». — Probatur etiam ex Deo natus qui eum *diligit per caritatem;* primae Ioannis tertio: « Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus ». — Probatur etiam ex Deo natus qui eum *imitatur per virtutem*, et hoc tripliciter; in *fugiendo peccatum;* primae Ioannis quinto [8]: « Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tanget eum ». In *superando mundum;* primae Ioannis quinto: « Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum; et haec est victoria, quae vincit mundum

Tria signa huius nativitatis.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Imitandus Deus in tribus.

---

[1] Vers. 3. — Inferius post *in ignominia* [A C *ignominiam*] *nascitur* A B prosequuntur *in miseria vivit, in maledictione* [B addit *et*].

[2] Vers. 21. — Tres seqq. loci sunt Ezech. 16, 4. seq.; Eccli. 41, 11. seq. et Sap. 5, 13. seq.

[3] Serm. in Cantic. serm. 20. n. 1: Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia [cfr. Prov. 16, 4.]; et qui esse vult sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia; *Deum time et mandata eius observa; hoc est,* inquit [Eccle. 12, 13.], *omnis homo.* Ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. — Codd. B C legunt: *qui ergo sibi, non tibi incipit* [*esse?*], *incipit vivere, incipit non esse;* A differt a nostra lectione eo, quod post *non tibi* addit *sunt.* Inferius pro *in mundo* B *in iudicio*, C omittit *in mundo; et ideo.*

[4] Vers. 7, post quem C prosequitur: *Hic autem haec veneranda* etc., qui etiam inferius pro *trahere* substituit *contrahere.* Subinde ante *sic et filii* B C omittunt *Generis nobilitatem.*

[5] Vers. 13. — Sequitur Ioan. 3, 6, et subinde allegatur sententia Silii Italici (poetae epici, cuius exstant libri XVII Punicorum, et qui mortuus est an. 100 post Christum), lib. XV. 128. — Inferius pro *natum carnis* C *nativitas* (quod etiam B in margine habet) *carnis;* deinde ex B pro *inducit* eligimus *includit*, et addidimus *natum ex spiritu vitam spiritualem.*

[6] Vers. 17. — Sequitur Ioan. 3, 3. — Inferius pro *in regno Patris* A *in regnum proprium*, C *in regno proprium.*

[7] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt I. Ioan. 5, 1. et 3, 1. — Inferius pro *Probatur etiam ex Deo natus* B *Probatur etiam esse Dei filius.*

[8] Vers. 18. — Ex eadem Epist. Ioan. subinde allegantur 5, 4. et 2, 29. — Inferius pro *In faciendo iustitiam* C *In operando bonum.*

fides nostra ». In *faciendo iustitiam;* primae Ioannis secundo: « Si scitis, quoniam Deus iustus est, scitote, quoniam et omnis, qui facit iustitiam, ex ipso natus est ».

COLLATIO XII.

(Vers. 18.). *Qui non credit iam iudicatus est.*

1. Si iam iudicatus est, quomodo iterum iudica- Difficultas. bitur? Quodsi non iudicabitur *qui non credit*, et verum est quod dicit Scriptura, quod *qui credit in* Filium *non iudicatur* [1]; tum ergo nec iudicabitur qui credit, nec qui non credit: quid ergo iudicabit ille qui « venturus est iudicare vivos et mortuos »?

2. Propterea ad intelligendum ea quae dicit Scri- Solvitur per distinctionem. ptura de iudicio divino, notandum, quod est iudicium Dei in *praesenti* — et est iudicium Dei in *futuro*. — *Iudicium* Dei in *praesenti* multiplex: *praescientiae;* Ioannis tertio [2]: « Qui non credit iam iudicatus est », id est, iudicari praescitur. — *Discretionis;* Secundum. Ioannis duodecimo: « Nunc iudicium est mundi », id est distinctio bonorum a malis; et Ioannis nono: « Ego in iudicium in hunc mundum veni, ut qui non Tertium. vident videant » etc. — *Examinationis;* primae Petri quarto: « Tempus est, ut iudicium incipiat a domo Quartum. Dei ». — *Retributionis;* Psalmus: « Exaltare, qui iudicas terram, redde retributionem superbis ».

Iudicium in praesenti quadruplex. Primum.

3. Iudicium *in futuro* multiplex: ex parte *iudi-* Iudicium in futuro ex parte iudicandorum triplex. *catorum* et ex parte *iudicantium*. — Ex parte *iudicatorum*, iudicium *discussionis;* Ecclesiastae duodecimo [3]: « Cuncta, quae fiunt, adducet Dominus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit ». — Iudicium *definitionis;* Apocalypsis vigesimo: « Libri aperti sunt, et iudicati sunt mortui ex his quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum ». — Iudicium *condemnationis;* Ioannis tertio: « Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum ». — Iudicium *discussionis* erit mediocriter bonorum et mediocriter malorum tantum, ut ait Hieronymus [4]. Iudicium *distinctionis* erit omnium bonorum et malorum. Iudicium *damnationis* omnium malorum, nullorum autem bonorum.

4. Ex parte *iudicantium* dividitur iudicium fu- Ex parte iudicantium est quintuplex. Primum. turum. Est enim iudicium *auctoritatis*, et illud est *Dei;* Psalmus [5]: « Dominus iudicabit populos ». — Iudicium *exsecutionis*, et illud est *Christi;* Ioannis Secundum. quinto: « Pater omne iudicium dedit Filio »; et infra eodem: « Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est ». — Iudicium *assessionis*, et illud Tertium. erit *Apostolorum* proprium; Matthaei decimo nono [6]: « Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel »; *iudicantes*, quasi assessorie. — Iu- Quartum. dicium *approbationis*, et illud erit omnium *iustorum;* Sapientiae tertio: « Iudicabunt iusti nationes » etc.; *iudicabunt*, id est, iudicium Dei de nationibus approbabunt. — Iudicium *comparationis;* et hoc est Quintum. *bonorum* respectu malorum, et *minus malorum* respectu peiorum; Matthaei duodecimo: « Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac » etc.; et Lucae undecimo: « Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione hac » etc.; *in iudicio surgent*, id est, ex sui comparatione iudicandos esse ostendent.

Annotatio 7.

(Vers. 19.). *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum* etc.

Nota, quod *iudicium* aliquando appellatur iu- Triplex sensus iudicii. dicii causa, scilicet *culpa;* ad Romanos quinto [7]: « Iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis in iustificationem »; *iudicium*, id est *culpa;* similiter et hic: *Hoc autem est iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* — Aliquando *iudicis sententia;* Ioannis septimo: « Rectum iudicium iudicate ». — Aliquando *iudicati poena;* ad Galatas quinto: « Qui conturbat vos portabit iudicium, quicumque est ille ».

Annotatio 8.

(Vers. 27.). *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de caelo.*

Require supra capitulo primo [8]: *quid* accipitur et *a quo*, et *qui accipiunt* et *qui non*, *ad quid obligat* accepti ratio.

COLLATIO XIII.

(Vers. 30.). *Illum oportet crescere, me autem minui.*

1. In verbis istis duo tanguntur. Primo propo- Divisio. nitur nobis *augmentum Christi* in exemplum *virtutis*, ut discamus esse virtute magni, et hoc, cum

---

[1] Ioan. 3, 18. Inferius allegantur verba Symboli Apostolorum: *venturus est iudicare* etc., de quibus cfr. Ioan. 5, 27. seqq. et Act. 10, 42.

[2] Vers. 18. — Sequuntur Ioan. 12, 31. et 9, 39; I. Petr. 4, 17. et Ps. 93, 2.

[3] Vers. 14. — Subinde allegantur Apoc. 20, 12. et Ioan. 3, 17. — Inferius pro *definitionis* (cfr. supra Comment. in Ioan. c. 5. n. 57.) C *discretionis* (cfr. supra Comment. in Ioan. c. 12. n. 51.).

[4] Secundum Glossam *ordinariam* in Ps. 1, 5. (cfr. supra pag. 128, nota 2.), quae a Petro Lombardo, in hunc locum, attribuitur *Hieronymo* (cfr. Breviarium, in Ps. 1, 5, quod est inter opera Hieron.) et Augustino (in hunc locum). — In A B omittitur pars primi membri et totum secundum membrum *(Iudicium distinctionis)*.

[5] Psalm. 9, 8. — Subinde allegatur Ioan. 5, 22. et 27.

[6] Vers. 28. — Sequuntur Sap. 3, 8. (Vulgata omittit *iusti*, pro quo B C *Sancti)*; Matth. 12, 42. et Luc. 11, 32. Cfr. supra Comment. in Ioan. c. 5. n. 56.

[7] Vers. 16. Cfr. August., Enchirid. c. 50. n. 14. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 7, 24. et Gal. 5, 10.

[8] Collat. III.

dicitur: *Illum oportet crescere.* — Secundo proponitur nobis *minutio Ioannis* in exemplum *humilitatis,* ut discamus esse humilitate parvi.

Quomodo Christus creverit.

2. Dicit ergo: *Illum oportet crescere.* Nota, quod crevit Christus in *bonis spiritualibus* quantum ad evidentiam magis quam [1] quantum ad existentiam, crevit in *praedicatione,* in *passione* et in *resurrectione.* — In *praedicatione* crevit quantum ad ostensionem *veritatis;* Lucae secundo [2]: « Puer crescebat et confortabatur, plenus sapientia, et Spiritus Dei erat in illo »; primo Regum tertio: « Crevit Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit de omnibus verbis eius in terram, et cognovit universus Israel. quod Samuel fidelis esset propheta Domini »; Esther decimo: « Fons parvus crevit in fluvium magnum »; quod fuit in praedicatione Christi, secundum illud Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego sapientia effudi flumina ».

Primo, in praedicatione.

Secundo, in passione.

3. Crevit in *passione* quantum ad ostensionem *bonitatis.* Tunc enim patuerunt « viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto [3] »; sicut dicit beatus Matthaeus decimo tertio: « Simile est regnum caelorum », id est Christus, « grano sinapis, quod accipiens homo », scilicet Deus Pater, « seminavit in agro suo », id est in mundo, « quod minimum quidem est omnibus seminibus », reputatione; talis enim fuit Christus in passione; « cum autem creverit » per ostensionem bonitatis suae, « maius est omnibus oleribus », id est plantulis spiritualibus, « et fit arbor, ita ut volucres caeli », id est animae spirituales, « veniant et habitent in ramis eius », id est in brachiis crucis eius.

Tertio, in resurrectione.

4. Crevit in *resurrectione* quantum ad ostensionem *potestatis.* Unde post resurrectionem ait Matthaei ultimo [4]: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra »; quod figuratum est Danielis secundo, quando lapis, « qui percussit statuam, crevit et factus est mons magnus et implevit universam terram ». *Lapis,* Christus; *statua,* diabolus. Lapis ergo *statuam percussit* in passione, *crevit* in resurrectione, *factus est mons magnus* in ascensione, *et implevit universam terram* in Spiritus sancti missione.

Quomodo Christianus debeat crescere.

5. *Illum oportet crescere.* Sicut crevit Christus, ita debet crescere Christianus. Debet crescere, sicut arbor, in *altitudine,* in *fortitudine,* in *latitudine.* — In *altitudine* per *eminentiam virtutis;* Marci quarto [5]: « Semen cecidit in terram bonam et dabat fructum ascendentem et crescentem »; secundi Paralipomenon decimo septimo: « Magnificatus est Iosaphat et crevit usque in sublime ». — In *fortitudine* per *constantiam virtutis;* Exodi primo: « Crevit populus et confortatus est nimis »; Lucae primo de Ioanne: « Puer crescebat et confortabatur spiritu ». — In *latitudine* per *multiplicationem virtutis;* Genesis primo [6]: « Crescite et multiplicamini et replete terram »; Genesis vigesimo sexto: « Dilatavit nos Dominus et crescere fecit super terram »; ad Colossenses primo: « Ambuletis digne Deo placentes et fructificantes in omni opere bono ».

Primo, in altitudine.

Secundo, in fortitudine.

Tertio, in latitudine.

6. Nota tria, quae *impediunt incrementum spirituale: nutrimenti defectio,* quam patiuntur illi qui non habent humorem gratiae; Iob octavo [7]: « Nunquid potest vivere scirpus sine humore, aut crescere carectum sine aqua »? Econtra dicitur de viro iusto in Psalmo: « Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum ». — *Nutrimenti subtractio,* quam patiuntur illi qui se effundunt et se implicant diversis occupationibus. Nam gratiae fatuorum effunduntur; Ecclesiastici vigesimo primo [8]: « Cor fatui quasi vas confractum et omnem sapientiam non tenebit »; et Genesis quadragesimo nono: « Ruben primogenitus meus »; et sequitur: « Effusus es sicut aqua, non crescas ». — *Nutrimenti* vel nutritae rei *suffocatio,* quam patiuntur qui suffocantur a curis huius saeculi et sollicitudinibus; Matthaei decimo tertio [9]: « Cum crevisset herba et fructum fecisset, apparuerunt simul et zizania »; Lucae octavo: « Exortae spinae suffocaverunt illud »; Matthaei decimo tertio: « Creverunt spinae et suffocaverunt ea ».

Tria impedimenta crescendi. Primum.

Secundum.

Tertium.

7. Ad procurandum autem incrementum spirituale tria sunt necessaria. Oportet enim *terram exercere;* Exodi primo [10]: « Quanto plus opprimebantur filii Israel, tanto magis crescebant ». — *Nutrimentum adhibere;* Ezechielis decimo nono: « Fructus eius et frondes eius creverunt ex aquis multis »; primae Petri secundo: « Lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem ». — *Superflua amputare* vel per *paupertatem;* Genesis quadragesimo primo [11]: « Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae »; vel per *eleemosynarum largitionem,* de quibus ait Aposto-

Media tria incrementi.

---

[1] Contextu exigente, supplevimus *quam*, quod in codd. desideratur.

[2] Vers. 40. — Subinde allegantur I. Reg. 3, 19. seqq.; Esther 10, 6. et Eccli. 24, 40.

[3] Luc. 1, 78. — Sequitur Matth. 13, 31. seq.

[4] Vers. 18. — Sequitur Daniel. 2, 35. — Subinde C omittit *Lapis, Christus... terram.*

[5] Vers. 8. — Subinde allegantur II. Paralip. 17, 12: Crevit ergo Iosaphat et magnificatus est usque in sublime; Exod. 1, 20. et Luc. 1, 80.

[6] Vers. 28. — Duo loci, qui sequuntur, sunt Gen. 26, 22. et Col. 1, 10.

[7] Vers. 11. — Sequitur Ps. 1, 3, quem A omittit.

[8] Vers. 17. — Subinde allegatur Gen. 49, 3. et 4.

[9] Vers. 26. — Duo loci seqq. sunt Luc. 8, 7. (quem locum codd. citant diversimode; A: *supra eodem,* B: *Et ante,* C: *Et simul;* ibid. pro *suffocaverunt illud* A B *suffocaverunt triticum,* C *suffocaverunt verbum)* et Matth. 13, 7, quem locum omittit C.

[10] Vers. 12. — Sequuntur Ezech. 19, 10. et I. Petr. 2, 2. — Vocibus *Nutrimentum adhibere* C interserit *gloriae (gratiae?* cfr. paulo inferius).

[11] Vers. 52. — Subinde allegantur II. Cor. 9, 10. et Matth. 6, 28.

lus secundae ad Corinthios nono: « Multiplicabit Dominus semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae »; vel per *sollicitudinis abiectionem;* Matthaei sexto: « Considerate lilia agri, quomodo
Notandum. crescunt; non laborant neque nent ». — Habeas ergo *exercitium poenitentiae* vel patientiae, *nutrimentum doctrinae* vel etiam gratiae per modestiam paupertatis vel saltem per largitionem eleemosynae, et poteris in Domino crescere.

8. *Illum oportet crescere.* Debet Christianus cre-
Item, debet crescere in gratia. scere in *gratia;* ad Ephesios quarto [1]: « Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo qui
In scientia. est caput Christus » etc. — In *scientia;* secundae Petri tertio: « Crescite ergo in gratia et cognitione Domini nostri Iesu Christi »; et ad Colossenses primo: « Ambuletis digne Deo placentes, fructificantes in omni
In vita. opere bono et crescentes in scientia Dei ». — In *vita;* Proverbiorum quarto [2]: « Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem »; *semita quasi lux* est vita hominis alios illuminans; « sic luceat lux vestra coram hominibus » etc.,
In fama. Matthaeus. — In *fama,* Esther nono: « Fama nominis eius crescebat quotidie et per cunctorum ora volitabat ».

9. Vel sic dicas: quia debet crescere in *cogni-*
Alio modo. *tione veritatis,* ut supra [3], secundae Petri tertio et ad Colossenses primo. — In *amore bonitatis;* ad Ephesios quarto, ut supra: « In caritate crescamus » etc. — In *operatione virtutis;* Iob primo: « Operibus manuum eius benedixisti, et possessio eius crevit in terra ». — In *constantia virtutis;* Lucae primo: « Puer crescebat et confortabatur spiritu et manebat in desertis usque ad ostensionem sui in Israel ».

ANNOTATIO 9.

(Vers. 16.). *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Nota, quod Christus datus est nobis in *foedus* Christus datus ad sex beneficia.
dilectionis; unde hic: *Sic Deus dilexit mundum* etc. — In *solatium desolationis;* Canticorum octavo [4]: « Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris solum et deosculer te, et iam me nemo despiciat »? — In *ducem directionis;* Isaiae quinquagesimo quinto: « Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus ». — In *scutum defensionis;* Isaiae quinquagesimo: « Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus ». — In *cibum refectionis;* Ioannis sexto [5]: « Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ». — In *praemium retributionis;* Apocalypsis secundo: « Vincenti dabo edere de ligno vitae »; de quo Augustinus [6]: « Domine, promittis mihi omnia, si amem te; da te solum, et sufficit mihi ».

ANNOTATIO 10.

(Vers. 20.). *Qui male agit odit lucem.*

Nota, quod lucem odiunt tria genera hominum, Lucem odiunt pigri.
scilicet *pigri;* Iob vigesimo quarto [7]: « Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius nec reversi sunt per semitas eius ». — *Infirmi;* primi Regum tertio Infirmi.
exemplum de Heli, qui « non poterat videre lucernam, donec exstingueretur ». — *Malefici;* unde hic, Malefici.
Ioannis tertio: *Omnis, qui male agit odit lucem.* — Odit *piger* lucem, quia ipsum *excitat; infirmus,* quia *cruciat; maleficus,* quia ipsum *manifestat.*

ANNOTATIO 11.

(Vers. 33.). *Signavit, quia Deus verax est.*

Nota, quod triplex est signaculum Christi: ex Triplex signaculum Christi.
parte *carnis,* peccati immunitas; Ioannis primo [8]: « Ecce, Agnus Dei » etc. Ex parte *animae,* donorum pluralitas; Ioannis tertio: « Non ad mensuram dat Deus spiritum ». Ex parte *divinae naturae,* Verbi Divinitas; Ioannis primo: « Verbum caro factum est ».

CAPITULUM IV. *Ut autem cognovit.*

COLLATIO XIV.

(Vers. 6.). *Iesus autem, fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem.*

Christus dat duplex exemplum. 1. Notandum hic, quod Iesus *fatigatus* dat nobis *exemplum sustinendi* laborem; Iesus autem *sedens* dat nobis *documentum inveniendi quietem.* — Si igitur gravat labor, consideremus Christum laborantem; si delectat quies, sedeamus ad fontem, ad Christus est fons dupliciter.
Christum scilicet, qui est fons quantum ad *Divinitatem* et quantum ad *humanitatem.* Quantum ad *Divinitatem* Christus est fons de *summo descendens;*

---

[1] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt II. Petr. 3, 18. et Col. 1, 10.

[2] Vers. 18. — Sequuntur Matth. 5, 16. et Esther 9, 4.

[3] Num. 8, ubi etiam duo seqq. loci allegati sunt. — Subinde sequuntur Iob 1, 10. et Luc. 1, 80. — Inferius pro *In operatione virtutis* A *In possessione.*

[4] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Isai. 55, 1. et 50, 6.

[5] Vers. 52. et Apoc. 2, 7.

[6] Cfr. Serm. 334. (alias 48. de Sanctis) n. 3, ubi ostendit, quod amor erga Deum debet esse gratuitus et propter Deum solum, quia, quidquid dederit Deus praeter se, vile est; « ipse enim sufficit tibi, praeter illum nihil sufficit tibi ». Cfr. I. Confess. c. 5. n. 4. et XIII. c. 8. n. 9; Enarrat. in Ps. 85. n. 11; de Diligendo Deo (inter opera August.) c. 17. seq.

[7] Vers. 13. — Sequitur I. Reg. 3, 2. et 3; cfr. supra pag. 93, nota 7.

[8] Vers. 29. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 3, 34. et 1, 14. — In A tota haec *annotatio* desideratur.

Canticorum quarto [1]: « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano ». Quantum ad *humanitatem*. Christus est fons de *imo ascendens;* Genesis secundo : « Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terrae ».

Ab ipso derivantur quinque fontes.

2. Latius autem considerando fontis huius apertionem, inveniemus, a fonte Christo fontem derivari *sapientiae*, fontem *misericordiae*, fontem *gratiae*, fontem *spiritualis laetitiae*, fontem *vitae aeternae*.

Primus. — Fons *sapientiae* purgat ignorantiam intellectus ; de quo Ecclesiastici primo [2]: « Fons sapientiae verbum Dei in excelsis ».

Secundus. — Fons *misericordiae* culpam purgat, quae est in affectu ; Zachariae decimo tertio : « Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae ».

Tertius. — Fons *gratiae* reficit virtutem quantum ad *activos ;* de quo fonte Ieremiae secundo [3]: « Dereliquerunt me, fontem aquae vivae », id est vivificantis, « et foderunt sibi cisternas dissipatas ».

Quartus. — Fons *spiritualis laetitiae* delectat mentem quantum ad *contemplativos ;* quem sitiebat Psalmista dicens : « Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum ».

Quintus. — Fons *vitae aeternae* beatificat animam ; de quo Psalmus : « Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen ».

Notandum. — Sic ergo habes quinque fontes, quos si diligenter consideras, duo primi sunt contra malum, duo sequentes promovent in bono, quintus vero fons effundit praemium.

Item, quinque aquae. Prima.

3. Notandum, quod diversitatem *fontium* sequitur diversitas *aquarum*. Habemus namque de fonte *sapientiae* aquas *instructionis ;* Ecclesiastici decimo quinto [4]: « Cibavit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum ».

Secunda. — De fonte *misericordiae*, aquas *remissionis*, de quibus Ezechielis trigesimo sexto : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ».

Tertia. — De fonte *gratiae*, aquam *refectionis ;* Isaiae duodecimo : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris » ; Psalmus : « Super aquam refectionis educavit me ».

Quarta. — De fonte *spiritualis laetitiae*, aquas *consolationis ;* Proverbiorum vigesimo quinto [5]: « Aqua frigida animae sitienti, nuntius bonus de terra longinqua ».

Quinta. — De fonte *vitae aeternae*, aquas *aeternae felicitatis*, de quibus Psalmus : « De torrente voluptatis tuae potabis eos » ; et Apocalypsis septimo : « Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol neque ullus aestus ; quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad fontes vitae aquarum ». — Sic ergo habes in Salvatore quinque genera *fontium* et quinque genera *aquarum*, de quibus Isaiae duodecimo : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris ». Notandum.

Aptantur 5 Christi vulneribus.

4. Possunt autem adaptari isti quinque fontes quinque *vulneribus* Christi, quorum quatuor inflicta sunt Christo ante mortem, quintum vero post mortem. Sic et istorum fontium quatuor aperiuntur nobis in vita ista, quintum vero post in gloria [6].

Annotatio 12.

(Vers. 8.). *Discipuli eius abierunt, ut cibos emerent.*

Sex genera ciborum.

Notandum, quod secundum Scripturam multiplex distinguitur *cibus*. Est enim cibus *naturalis*, *legalis*, *carnalis*, *spiritualis*, *sacramentalis*, *aeternalis*. — Cibus *naturalis* ministratur nobis in mensa *naturae*, de quo Matthaei decimo [7]: « Dignus est operarius cibo suo ». — Cibus *legalis*, in mensa *synagogae*, quem interdicit Apostolus ad Romanos decimo quarto : « Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas ». — Cibus *carnalis*, in mensa *concupiscentiae ;* Proverbiorum trigesimo : « Per tria movetur terra », quorum unum est, cum « stultus saturatus fuerit cibo ». — Cibus *spiritualis*, in mensa *conscientiae*, de quo Ioannis sexto : « Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam ». — Cibus *sacramentalis*, in mensa *eucharistiae ;* Ioannis sexto [8]: « Caro mea vere est cibus » etc. — Cibus *aeternalis*, in mensa *gloriae*, de quo Tobiae duodecimo : « Ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor ».

Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum.

Collatio XV.

(Vers. 32.). *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.*

Nobis apponitur triplex cibus.

1. Ut sciamus, quo vesci debeat homo iustus, notandum, quod triplex est cibus, qui nobis apponitur in praesenti : cibus *naturalis* — cibus *carnalis* — et cibus *artificialis*. Primus *sustentat naturam*, secundus *nutrit concupiscentiam*, tertius *confortat animam*.

De cibo naturali tria. Primum.

2. Circa cibum *naturalem* nota, quod *condigne est promerendus ;* Matthaei decimo [9]: « Dignus est

---

[1] Vers. 15. — Sequitur Gen. 2, 6. — Aliquanto superius pro *delectat* C *dulcescat*, et subinde ex B vocibus *fons descendens* interseruimus *de summo*.

[2] Vers. 5. — Subinde allegatur Zach. 13, 1.

[3] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Ps. 41, 3. et 35, 10. — Inferius pro *praemium*, quod praebet C, A *lumen*, B *primum*.

[4] Vers. 3. — Sequuntur Ezech. 36, 25; Isai. 12, 3. et Ps. 22, 2.

[5] Vers. 25. — Tres seqq. loci sunt Ps. 35, 9; Apoc. 7, 16. et Isai. 12, 3.

[6] Vide Bernard., Serm. 1. in Nativitate Domini, n. 8.

[7] Vers. 10. — Subinde allegantur Rom. 14, 15; Prov. 30, 21. seq. et Ioan. 6, 27.

[8] Vers. 56. — Sequitur Tob. 12, 19.

[9] Vers. 10. — Sequuntur II. Thess. 3, 10; Gen. 3, 19; Ezech. 4, 10. (ubi pro *viginti stateres* codd. nostri *decem stateres*, et paulo ante pro *modeste* C *modice*) et Eccli. 37, 32.

operarius cibo suo »; quasi dicat: et non alius; secundae ad Thessalonicenses ultimo: « Si quis non vult operari, non manducet »; Genesis tertio: « In sudore
Secundum. vultus tui vesceris pane tuo ». — Item, *modeste est accipiendus;* Ezechielis quarto: « Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die; a tempore usque ad tempus comedes illud »; quasi dicat: comedes ad pondus et ad tempus; Ecclesiastici trigesimo septimo: « Noli esse avidus in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam ». —
Tertium. Item, *liberaliter est distribuendus;* quocontra de avaro, Iob vigesimo [1]: « Non remansit de cibo eius, propterea nihil remanebit de bonis eius ». Exemplum de divite epulone, Lucae decimo sexto.

3. Circa cibum *carnalem* attende, quare fugien-
Cibi carnalis 3 effectus. Primus. dus: quia comedentem reddit *egenum*, eo quod nimis est venalis; Threnorum primo [2]: « Omnis populus gemens et quaerens panem; dederunt pretiosa quaeque pro cibo ad refocillandam animam ». —
Secundus. Comedentem facit *immundum;* est enim pollutus; Levitici undecimo: « Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit »;
Tertius. *aqua*, id est concupiscentia. — Comedentem facit *debilem* et infirmum; est enim male nutritivus; Iob trigesimo [3]: « Radix iuniperorum cibus eorum »; Threnorum primo: « Sacerdotes vestri in urbe consumti sunt, quia quaesierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam »; Isaiae quinquagesimo quinto: « Quare appenditis argentum vestrum non in panibus,
Notandum. et laborem vestrum non in saturitate »? — *Depauperat* expellendo gratiam, *polluit* ingerendo culpam seu maculam, *infirmat* corrumpendo sive vulnerando naturam.

4. Circa *spiritualem* cibum attende, quare *appe-*
Cibus spiritualis appetendus, quia nobilis. *tendus:* quia *nobilis* est; Sapientiae decimo sexto [4]: « Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de caelo praestitisti eis sine labore » etc.; et Psalmus: « Panem Angelorum manducavit homo;
Quia utilis. cibaria misit eis in abundantia ». — Quia *utilis;* bene enim reficit et confortat; tertii Regum decimo nono: « Cum surrexisset Elias, comedit et bibit et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei
Quia delectabilis. Horeb ». — Quia *delectabilis;* Sapientiae decimo sexto [5]: « Paratum panem de caelo praestitisti eis sine labore, habentem omne delectamentum et omnis saporis suavitatem »; Psalmus: « Cibavit eos ex adipe frumenti et de petra melle saturavit eos ».

5. Nota autem tria, quae auferunt homini dele-
Tria impediunt delectationem. Primum. ctationes cibi spiritualis. Primum est *sensus defectio;* secundi Regum decimo nono [6] de Berzellai: « Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave vel amarum? aut delectare potest servum tuum potus et cibus? vel audire possum ultra vocem cantorum et cantatricum »? Psalmus: « Aruit cor meum, quia
Secundum. oblitus sum comedere panem meum ». — Secundum est *sensus infectio*, quod solet esse in infirmis, quorum aduritur palatum; Iob trigesimo tertio [7]: « Increpat Dominus per dolorem in lectulo et omnia ossa eius marcescere facit; abominabilis ei fit in vita sua panis, et cibus animae suae ante desiderabilis »; Psalmus: « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis ». —
Tertium. Tertium est *sensus repletio;* Numerorum vigesimo primo: « Cur eduxisti nos de Aegypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquae, nauseat anima nostra super cibo isto levissimo ». —
Notandum. Attende, quia sensus male *repletur* lascivia malae operationis, male *inficitur* per concupiscentiam malae affectionis, *deficit* autem propter inconsuetudinem devotionis; et sunt illi quasi *saturati*, quasi *adusti* illi, illi quasi *deficientes* et languidi.

COLLATIO XVI.

(Cap. VI, 27.). *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam* [8].

1. In hoc verbo innuitur nobis quaedam cibi di-
Duplex cibus. stinctio. Est enim cibus, qui *perit*, et ille est *culpae* — et est cibus, qui *permanet in vitam aeternam*, et ille est *gratiae.*

Est autem cibus *culpae* multiplex: cibus *luxu-*
Cibus culpae septuplex. Luxuria. *riae;* secundi Regum decimo tertio [9]: « Veniat, obsecro, Thamar, soror mea, ut det mihi cibum et faciat mihi pulmentum, et comedam de manu eius »; nota de amore. — Cibus *gulae;* Numerorum undecimo:
Gula. « Adhuc carnes erant in faucibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, et ecce, furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatus est locus ille sepulcra concupiscentiae »; Psalmus: « Adhuc escae eorum erant in ore
Superbia. ipsorum, et ira Dei ascendit super eos ». — Cibus *superbiae;* Danielis primo [10]: « Tenta nos, obsecro, decem diebus, et dentur nobis legumina ad vescendum et aqua ad bibendum, et contemplare vultus nostros et vultus puerorum, qui vescuntur cibo

---

[1] Vers. 21. — Subinde allegatur Luc. 16, 10. seqq.

[2] Vers. 11. — Sequitur Lev. 11, 34.

[3] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Thren. 1, 19: *Senes mei in urbe* etc., et Isai. 55, 2.

[4] Vers. 20. — Subinde allegantur Ps. 77, 25; III. Reg. 19, 8.

[5] Vers. 20, post quem sequitur Ps. 80, 17.

[6] Vers. 35. — Subinde allegatur Ps. 101, 5.

[7] Vers. 19. seq. — Sequuntur Ps. 106, 18. et Num. 21, 5.

[8] Ad praedicta de cibo complenda S. Bonav. hic anticipando exponit versum capituli sexti. Cum haec expositio fiat per modum completae collationis, eam a praecedente etiam numeratione distinximus. Vide infra pag. 567, annotat. 22.

[9] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Num. 11, 33. et Ps. 77, 30. seq.

[10] Vers. 12. et 13. Verba *cibus superbiae* referenda certe sunt ad cibum aliorum puerorum, scil. cibum *regium.* — Sequuntur Osee 12, 1. et Prov. 23, 6. seq.

regio; et sicut videris, sic facies cum servis tuis »; Osee duodecimo: « Ephraim pascit ventum et sequitur aestum ». — Cibus *invidiae;* Proverbiorum vigesimo tertio: « Ne comedas cum homine invido, et ne desideres cibos eius, quoniam in similitudine arioli et coniectoris aestimat quod ignorat ». — Cibus *irae,* quem prohibet Dominus in figura Levitici septimo [1]: « Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus ». — Cibus *avaritiae;* Proverbiorum vigesimo tertio: « Ne desideres de cibis eius », id est mundi, « in quo est panis mendacii »; Ecclesiastici decimo tertio: « Confundet te in cibis suis », id est mundus in divitiis, « donec te exinaniat bis et ter, et in novissimo deridebit te, et postea videns derelinquet te et caput suum movebit ad te ». Expone totum de *mundo,* cuius cibi divitiae sunt, quas propinat avaris ad credentiam [2]. — Cibus *accidiae;* Iudicum decimo nono: « Mane facto parabat Levites iter; cui rursus socer: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, et assumtis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris ». — Nota, quod tantum fecit eum morari, quod venit ad malum hospitium. Nam

Invidia. Ira. Avaritia. Accidia.

Languida segnities hodiernos crastinat actus.

Hic cibus est cavendus.

2. Cibus *gratiae* est similiter multiplex. — Cibus *gratiae,* hic reddit *vitam;* Psalmus [3]: « Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio eius. Rivos eius inebria, multiplica genimina eius ». — Cibus *sapientiae,* hic reddit *sensum;* Ecclesiastici decimo quinto: « Cibavit illum pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potabit illum »; Matthaei vigesimo quarto: « Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore »? Proverbiorum decimo tertio: « Multi cibi in novalibus patrum, et aliis congregantur absque iudicio ». — Cibus *spiritualis laetitiae,* hic reddit *motum;* Ecclesiastici decimo quarto [4]: « Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum »; Psalmus: « Qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulavimus cum consensu ». — Hic est cibus triplex *interior* in conscientia.

Cibus interior gratiae, triplex. Gratia. Sapientia. Spiritualis laetitia.

3. Sequitur cibus triplex *exterior* in vita: cibus *poenitentiae;* Psalmus [5]: « Cibabis nos pane lacrymarum et potum dabis nobis in lacrymis in mensura ». Hic est omnibus *medicinalis* sive sanativus cibus *aegrotantium.* — Cibus *iustitiae;* Ioannis quarto: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me, ut perficiam opus eius ». Hic est cibus *nutritivus et augmentativus* cibus *laborantium.* — Cibus *patientiae;* ad Hebraeos quinto: « *Perfectorum* est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali ». — Hic est triplex cibus exterior in vita.

Item, exterior. Poenitentia. Iustitia. Patientia.

4. Sequitur cibus *superior* in altari, et hic est septimus, scilicet cibus *eucharistiae;* Ioannis sexto [6]: « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ». *Omnibus* huiusmodi cibus est quaerendus.

Cibus septimus.

Annotatio 13.

(Vers. 42.). *Hic est vere salvator mundi;* qui salvat a malo *culpae;* Matthaei primo [7]: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum »; Lucae secundo: « Annuntio vobis gaudium magnum » etc.; « quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus ». — Qui salvat a malo *tentationis* sive pugnae; Psalmus: « Salvasti nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti ». — Qui salvat a malo *poenae* sive miseriae; ad Philippenses tertio: « Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae ».

Salvat a malo culpae. Item, tentationis. Item, poenae.

A malo *culpae* salvat *poenitentes;* Lucae septimo [8], exemplum de Magdalena, cui dictum est: « Fides tua te salvam fecit; vade in pace ». — A malo *pugnae, constantes;* primi Machabaeorum quarto: « Mementote, qualiter salvi facti sunt patres nostri; et nunc clamemus in caelum, et miserebitur nostri Deus noster ». — A malo *miseriae, perseverantes;* Matthaei decimo: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ». — Habe ergo *poenitentiam* de culpa, *constantiam* in pugna, *perseverantiam* in gratia.

Applicatio. Notandum.

Annotatio 14.

(Vers. 18.). *Quinque viros habuisti, et hunc quem habes, non est tuus vir.*

1. *Mulier,* anima fidelis; *vir* eius legitimus, Christus; quoties ergo anima ad Deum convertitur, vero sponso coniungitur; quoties ad alium, fornicatur. — Mulieri isti improperantur *quinque viri* — et de *sexto* etiam reprehenditur — cum dicitur: *Quinque viros habuisti,* et spiritualiter possunt dici *quinque viri,* quibus anima abutitur, *quinque sensus.* — Primus igitur vir est *gustus,* cui serviunt *gulosi;* in quorum persona dicitur Ecclesiastae secundo [9]: « Melius est

Sensus spiritualis. De gustu.

---

[1] Vers. 26. — Subinde allegantur Prov. 23, 3. et Eccli. 13, 8.

[2] Du Cange, Glossarium etc. de nomine *credentia* etiam hanc refert significationem: *Credentia,* Italis *credenza,* experimentum, praegustatio. — Sequitur Iudic. 19, 8.

[3] Psalm. 64, 10. et 11. — Sequuntur Eccli. 15, 3; Matth. 24, 45. et Prov. 13, 23.

[4] Vers. 17. — Subinde allegatur Ps. 54, 15.

[5] Psalm. 79, 6. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 4, 34. et Hebr. 5, 14.

[6] Vers. 56.

[7] Vers. 21, post quem sequitur Luc. 2, 10. et 11. — Subinde allegantur Ps. 43, 8. et Phil. 3, 20. seq.

[8] Vers. 50. — Duo seqq. loci sunt I. Machab. 4, 9. seq. et Matth. 10, 22.

[9] Vers. 24. — Sequuntur Isai. 22, 13; Sap. 2, 8. seq. et 7. seq.

comedere et bibere et ostendere animae suae bona »; Isaiae vigesimo secundo: « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur ». — Secundus est *tactus*, cui serviunt *luxuriosi;* in quorum persona dicitur Sapientiae secundo: « Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum sit exsors luxuriae nostrae ». — Tertius est *odoratus*, cui serviunt *deliciosi;* in quorum persona dicitur Sapientiae secundo: « Unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis » etc. — Quartus est *visus*, cui serviunt *avari;* de quibus Ecclesiastici decimo quarto [1]: « Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis; non satiabitur ». — Quintus est *auditus*, cui serviunt curiosi; tales erant Athenienses, Actuum decimo septimo: « Ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi »; et secundae ad Timotheum quarto: « Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus ».

De tactu. De odoratu. De visu. De auditu.

Isti ergo sunt quinque viri, quos reprehenditur anima fidelis habuisse; qui etiam significantur per quinque iuga boum, de quibus Lucae decimo quarto [2] dicitur: « Iuga boum emi quinque ».

Horum figura.

2. Adhuc arguitur Samaritana virum sextum, qui non est suus, habere, cum dicitur: *Et hunc quem habes, non est tuus vir;* et hic vir est *error*. Voluptates enim corporis sequitur error mentis, secundum quod dicitur in Psalmo [3]: « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus ». Virum istum monetur anima dimittere et ad sponsum proprium se transferre, cum dicitur ei a Christo: « Voca virum tuum », supra eodem.

De sexto viro.

COLLATIO XVII.

(Vers. 46.). *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.*

1. Considerandum est in verbis istis, *quae sit* infirmitas ista — et *unde* contracta.

Divisio.

Infirmitas ista est infirmitas *culpae;* et dicitur *infirmitas culpae* propter tria, scilicet quia *deformat, depauperat, debilitat. Deformat* polluendo *conscientiam;* debilitat vulnerando *naturam;* depauperat expellendo *gratiam*.

De primo triplex ratio.

2. Culpa igitur est infirmitas, quia *deformat;* primi Machabaeorum primo [4]: « Virgines et iuvenes infirmati sunt, et omnis speciositas mulierum immutata est »; Threnorum primo: « Egressus est a filia Sion omnis decor eius ». — Quia *depauperat;* Ecclesiastae quinto: « Sicut egressus est nudus de utero matris suae, sic revertetur »; et sequitur: « Mirabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic revertetur »; Threnorum primo: « Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius ». — Quia *debilitat;* Threnorum primo: « Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere »; Psalmus: « Infirmata est in paupertate virtus mea ».

Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

3. Videndum est praeterea, *a quo* infirmitas ista sit *contracta*. Notandum autem, quod aliquando infirmitas contrahitur a *loco*, aliquando a *cibo*, aliquando a *labore inordinato*. In loco nota malam *occasionem;* in cibo, malam *delectationem;* in labore inordinato, malam *operationem* [5]. — Contrahitur igitur infirmitas a *loco;* unde cum describitur infirmus in praesenti Evangelio, notabiliter subiungitur *locus*, cum dicitur: *Infirmabatur Capharnaum*, quod interpretatur ager pinguedinis, vel villa consolationis [6]. In his enim solet contrahi infirmitas spiritualis. Iterum, Osee quarto: « Maledictum et mendacium et furtum et homicidium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit; propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea ». — Contrahitur etiam infirmitas a *cibo;* Ecclesiastici trigesimo septimo: « In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquat usque ad choleram ». — Contrahitur etiam a *labore inordinato;* Isaiae quadragesimo: « Deficiunt pueri et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadunt »; Psalmus: « Humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret ».

De secundo tria. Primum. Secundum. Tertium.

COLLATIO XVIII.

(Vers. 47.). *Incipiebat enim mori.*

Introductio.

1. Non solum describit Evangelium aegroti *infirmitatem*, sed infirmitatis *gravitatem* in hoc, quod appropinquabat aegrotus ad mortem; quod notat, cum dicit: *Incipiebat enim mori*. Ubi notandum est, quod mortis spiritualis quadruplex signum est, scilicet amissio *motus*, amissio *gustus*, amissio *loquelae* et amissio *sensus*. — Tunc enim incipit homo spiritualiter mori, quando amittit *motum bonae operationis;* unde Iacobi secundo [7]: « Fides sine operibus mortua est ». — Quando amittit *gustum devotionis;* Psalmus: « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis ». — Item, quando amittit *loquelam confessionis;* Psalmus: « Non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi »? — Item, quando amittit *sensum discretionis;* propter quod clamavit David: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte »; et quarti Regum quarto dicitur de filio mulieris, ad quem venerat Giezi, quod « non erat vox neque sensus », ut significaretur esse mortuus.

Signa 4 mortis spiritualis. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

2. Contra, nota, quod *vitae spiritualis* signa quatuor sunt, scilicet recuperatio *sensus discretionis;*

Item, vitae spiritualis. Primum.

---

[1] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Act. 17, 21. et II. Tim. 4, 3.

[2] Vers. 19.

[3] Psalm. 31, 9. — Sequitur Ioan. 4, 16.

[4] Vers. 27. — Sequuntur Thren. 1, 6; Eccle. 5, 14. et 15; Thren. 1, 10. et 14; Ps. 30, 11.

[5] Ita B; A *ordinationem*, C *rationem*.

[6] Cfr. supra pag. 323, nota 7. — Quatuor loci seqq. sunt Osee 4, 2. et 3; Eccli. 37, 33; Isai. 40, 30. et Ps. 106, 12.

[7] Vers. 20. — Subinde allegantur Ps. 106, 18; 6, 6; 12, 4. et IV. Reg. 4, 31.

unde quarti Regum quarto[1] de puero, quem suscitavit Eliseus, quia « oscitavit septies aperuitque oculos ». — Item, recuperatio *loquelae confessionis;* unde Lucae septimo de adolescente, quem suscitavit Iesus, dicitur, quod « resedit qui erat mortuus et coepit loqui ». — Item, recuperatio *gustus devotionis;* unde Lucae octavo, postquam resuscitavit Iesus filiam archisynagogi, « iussit illi dari manducare ». — Item, recuperatio *bonae operationis;* unde Ioannis undecimo, suscitato Lazaro, « dixit Iesus: Solvite eum et sinite eum abire ».

Secundum. Tertium. Quartum.

COLLATIO XIX.

(Vers. 49.). *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.*

1. Duo tanguntur in verbis istis: imploratur *pietas medici*, cum dicitur: *Domine, descende* — et ostenditur *necessitas infirmi*, cum dicitur: *priusquam moriatur filius meus.*

Divisio.

Necessitas ergo *infirmi* est imminentia mortis; ubi notandum est, quod quidam moriuntur *egestate*, quidam *infirmitate*, quidam *adversitate*. — *Egestate* moriebatur qui clamabat in Psalmo[2]: « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me ». — *Infirmitate* moriebatur iste filius reguli, qui infirmabatur Capharnaum; de quo prius dicitur: « Incipiebat enim mori ». — *Adversitate* moriebantur, de quibus dicitur Threnorum primo: « Foris interficit gladius, et domi mors similis est ». — In *egestate* intellige indurationem mentis; in *infirmitate*, corruptionem carnis; in *adversitate*, impugnationem hostis.

De necessitate infirmi tria. Moriuntur egestate. Infirmitate. Adversitate.

2. Propter hanc triplicem necessitatem infirmi imploratur *descensus medici;* ubi nota, quod Dominus descendit ad *reficiendum*, ne moriatur *egestate;* ad *curandum*, ne moriatur *infirmitate;* ad *liberandum*, ne moriatur *adversitate.*

De descensu medici tria.

Dicit ergo regulus: *Descende, Domine,* ne *moriatur filius meus* per *egestatem indevotionis;* de quo descensu in Psalmo[3]: « Descendit sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram ». — Item, *descende, Domine,* ne *moriatur filius meus* per *infirmitatem carnalis corruptionis;* de quo descensu Matthaei octavo: « Ait Iesus: Ego veniam et curabo eum », loquitur de filio centurionis; et hic, Ioannis quarto, rogabat regulus Iesum, ut descenderet et sanaret filium eius. — Item, *descende, Domine,* ne *moriatur filius meus* per *impugnationem hostis;* de quo descensu Exodi tertio: « Vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto, et descendi, ut liberem eum ». — Descende ergo, Domine, ad *reficiendam mentem*, ad *curandam carnem*, ad *repellendum hostem*, ne moriatur filius meus.

Primum. Secundum. Tertium. Notandum.

Annotatio 15.

(Vers. 13.). *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.*

Notandum, quod est sitis multiplex. Est autem sitis *naturae;* Ioannis quarto[4]: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.* — Est sitis *culpae;* Ecclesiastici vigesimo sexto: « Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet et ab omni aqua proxima bibet et contra omnem palum sedebit ». — Est sitis *poenae;* Isaiae sexagesimo quinto: « Servi mei comedent, et vos esurietis; servi mei bibent, et vos sitietis ». — Est sitis *gratiae;* Psalmus: « Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. — Est sitis *gloriae;* Ecclesiastici vigesimo quarto: « Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient ».

Sitis naturae. Culpae. Poenae. Gratiae. Gloriae.

Annotatio 16.

(Vers. 36.). *Et qui metit mercedem accipit.*

Nota, quod merces ista est merces *magna*, merces *multa* et merces *aeterna*. — Merces *magna;* Genesis decimo quinto[5]: « Noli timere, Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. — Merces *multa;* Lucae sexto: « Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in caelo ». — Merces *aeterna*; Ioannis quarto: *Qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam.*

Merces triplex.

Annotatio 17.

(Vers. 41.). *Et multo plures crediderunt propter sermonem eius.*

Nota, quod quidam crediderunt propter *verba veritatis*, ut isti, de quibus hic dicitur: *Multo plures crediderunt* etc. — Alii, propter *signa potestatis;* supra secundo[6]: « Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa, quae faciebat ». — Alii, propter *exemplum sanctitatis;* Ioannis decimo: « Si non vultis mihi credere, operibus credite » etc.

Tria motiva fidei.

---

[1] Vers. 35. — Tres seqq. loci sunt Luc. 7, 15. et 8, 55; Ioan. 11, 44.

[2] Psalm. 21, 16. — Sequuntur Ioan. 4, 47. et Thren. 1, 20.

[3] Psalm. 71, 6. — Tres loci seqq. sunt Matth. 8, 7; Ioan. 4, 49. et Exod. 3, 7. seq.

[4] Vers. 13. — Subinde allegantur Eccli. 26. 15; Isai. 65, 13; Ps. 41, 3. et Eccli. 24, 29.

[5] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Luc. 6, 23. et Ioan. 4, 36.

[6] Vers. 23. — Sequitur Ioan. 10, 38. — Superius pro *quod quidam* (ita C) A *quod multi*, B *quod alii.*

CAPITULUM V. *Post haec erat dies festus.*

COLLATIO XX.

(Vers. 2.). *Est autem Ierosolymis probatica piscina* etc.

1. Moraliter: *piscina* est humana conscientia; Expositio spiritualis. *aqua* huius piscinae, lacrymarum abundantia; *Angelus* movens aquam, inspiratio divina; *commotio aquae* ad sanationem infirmorum, commotio mentis humanae ad dolorem vel compunctionem peccatorum; de qua commotione Psalmus [1]: « Sana contritiones eius, Notandum. quia commota est ». — In hac piscina lavanda sunt per contritionem corda nostra, ut placeant Deo nostra sacrificia, quia « sacrificium Deo spiritus contribulatus ».

2. Haec piscina habet *quinque porticus*, quia Quinque porticus poenitentiae. poenitentia habet quinque introitus. — Primus introitus, per quem descendit peccator ad poenitentiam, est consideratio *gratiae*, quam *amisit*, ad *dolendum*. — Secundus est consideratio *culpae*, quam *commisit*, ad *erubescendum*. — Tertius, consideratio *divinae iustitiae*, quam *offendit*, ad *timendum*. — Quartus, consideratio *poenae aeternae*, quam *meruit*, ad *horrendum*. — Quintus, consideratio *divinae misericordiae*, quae illi *occurrit*, ad *amandum*.

3. Primus igitur est consideratio *status gratiae*, Consideratio prima. quem amisit peccator. Per hunc introivit Petrus, Matthaei vigesimo sexto [2], quando, « recordatus verbi, quod dixerat ei Iesus, exivit foras et flevit amare »; Apocalypsis secundo: « Memor esto, unde excideris, Secunda. et poenitentiam age » etc. — Secundus est consideratio *culpae commissae*. Per hunc introitum intravit David in piscinam, secundi Regum ultimo, quando percussit cor suum post enumerationem populi dicens: « Peccavi valde in hoc facto; sed precor, Domine, transfer iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis »; Ieremiae secundo: « Vide vias tuas in convalle; scito, quid feceris »; Psalmus: « Cogitavi et converti pedes Tertia. meos » etc. — Tertius est consideratio *offensae iustitiae divinae*. Per hunc intravit publicanus in piscinam, Lucae decimo octavo [3], qui prae timore iustitiae « nolebat oculos levare ad caelum, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori »; quia timeo iustitiam, ideo imploro misericordiam; ad Hebraeos decimo ait Apostolus: « Scimus, qui dixit: Mihi vindicta, et ego retribuam; et iterum: Dominus iudicabit populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis »; Iob quadragesimo secundo: « Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo et ago poenitentiam » etc. — Quartus est consideratio *poenae meritae*. Per hunc introivit rex Ninivae, Ionae tertio [4], qui ad vocem Ionae comminantis subversionem civitatis « surrexit de solio suo » etc. Simile de Achab, tertii Regum penultimo. — Quintus est consideratio *divinae misericordiae*, quae hominem praevenit. Per hunc introivit Magdalena, Lucae septimo, cui « dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum »; Ieremiae tertio: « Revertere ad me, et ego te suscipiam ». Gregorius [5]: « Debemus misericordiam vocantis erubescere, cuius iustitiam nolumus formidare » etc.

Quarta. Quinta.

4. *Considera* igitur gratiam amissam et *dole;* culpam commissam et *erubesce;* divinam iustitiam et *time;* poenam aeternam et *horre;* divinam clementiam et *dilige*. Per haec descende in piscinam poenitentiae.

Notandum.

ANNOTATIO 18.

(Vers. 3.). *In his iacebat multitudo languentium, caecorum, claudorum, aridorum.*

1. Nota: peccant *caeci* per ignorantiam contra *Filii sapientiam;* Matthaei decimo quinto [6]: « Caeci sunt et duces caecorum ». — *Claudi*, per impotentiam contra *Patris potentiam;* ad Hebraeos duodecimo: « Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non quis claudicans erret, magis autem sanetur ». — *Aridi*, per malitiam contra *Spiritus sancti bonitatem;* Ecclesiastici trigesimo septimo: « O praesumtio nequissima! unde creata es, cooperire aridam malitia vel dolositate illius »?

Quid sint caeci. Quid claudi. Quid aridi.

2. Vel sic: *caecitas* est *ignorantia intellectus;* Psalmus [7]: « Dereliquit me virtus mea; et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum ». — *Ariditas* est *indevotio in affectu;* Psalmus: « Aruit tanquam testa » etc. — *Claudicatio* est *inordinatio in effectu;* Psalmus: « Filii alieni mentiti sunt » etc.

Alia expositio.

COLLATIO XXI.

(Vers. 14.). *Ecce, sanus factus es; iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

---

[1] Psalm. 59, 4. — Subinde allegatur Ps. 30, 19.

[2] Vers. 75. — Quatuor seqq. loci sunt Apoc. 2, 5; II. Reg. 24, 10; Ier. 2, 23. et Ps. 118, 59.

[3] Vers. 13. — Subinde allegantur Hebr. 10, 30. seq; et Iob 42, 5. seq. — Cod. C omittit ea quae post *Tertius est* sequuntur usque ad *Ecce, sanus factus es* (Collat. 21.).

[4] Vers. 6. — Sequuntur III. Reg. 21, 27; Luc. 7, 47. et Ier. 3, 1.

[5] Regulae pastoralis p. III. c. 28: Debemus igitur pietatem vocantis erubescere, si iustitiam nolumus formidare; quia tanto graviori improbitate contemnitur, quanto et contemptus adhuc vocare non dedignatur.

[6] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 12, 13. et Eccli. 37, 3.

[7] Psalm. 37, 11. — Sequuntur Ps. 21, 16. et deinde Ps. 17, 46.

1. In istis verbis duo facit Dominus. Primo me- Divisio. morat sanato *beneficium gratiae*, cum dicit: *Ecce, sanus factus es.* — Secundo interdicit *recidivum culpae*, comminando supplicium poenae, cum dicit: *Iam amplius noli peccare* etc. Primum necessarium est sanato, ne sit *ingratus*, scilicet commemorare gratiam; secundum, ne sit *incautus*, scilicet devitare culpam.

2. *Ecce sanus factus es.* Considerantibus para- De primo quadruplex medicina. lytici sanationem occurrit *quadruplex medicina.* Est enim medicina *praeparativa*, medicina *purgativa*, medicina *reparativa* et medicina *praeservativa.* — Prima. Medicina *praeparativa* est *dolor contritionis*, et per hanc sanatur infirmus; unde Psalmista [1]: « Sana contritiones eius, quia commota est »; idem: « Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea »; et iterum: « Qui sanat contritos corde ». — Secunda. Medicina *purgativa* est *gratia remissionis*, et per hanc sanat Dominus; unde in Psalmo: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas ». — Tertia. Medicina *reparativa* est *profectus bonae operationis*, et per hanc efficitur homo sanus; unde Proverbiorum quarto [2] dicitur de praeceptis disciplinae: « Vita sunt invenientibus ea et Quarta. universae carnis sanitas ». — Medicina *praeservativa* est *modestia conversationis*, et per hanc etiam custoditur homo sanus; Ecclesiastici trigesimo primo: « Vigilia et tortura et cholera homini infrunito; somnus sanitatis in homine parco ».

3. Sequitur: *Iam amplius noli peccare, ne de- De secundo. terius tibi aliquid contingat;* ubi interdicitur *recidivum culpae.* Circa quod notandum est, quod reci- Quatuor damna. divanti [3] accidit *deterius* quadrupliciter: primo, quia homo fit impotentior *ad resurgendum;* secundo, quia culpa fit difficilior *ad remittendum;* tertio, quia Deus fit difficilior *ad placandum;* quarto, quia diabolus fit difficilior *ad expellendum.*

4. *Homo* igitur fit *impotentior ad resurgen- Primum. dum;* unde ad Hebraeos sexto [4]: « Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, caeleste etiam donum gustaverunt et participes facti sunt Spiritus sancti etc., et prolapsi sunt, rursus renovari ad poe- Secundum. nitentiam ». — *Culpa* etiam fit *difficilior ad remittendum;* Ieremiae secundo: « Quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas »! et secundae Petri secundo: « Si refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini et Salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Contingit enim eis illud veri Proverbii: Canis reversus ad vomitum et sus lota in volutabro luti ». — Deus etiam fit *difficilior ad placandum;* Tertium. quod figuratum est tertii Regum secundo [5] de Semei, qui primum peccans invenit misericordiam, eo pacto, quod staret in Ierusalem; secundo vero peccans sine ulla misericordia occisus est. — *Diabolus* etiam fit Quartum. *difficilior ad expellendum;* quod figuratum est Lucae undecimo de spiritu immundo, revertente in domum suam, « qui assumit septem spiritus nequiores se, et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus ».

COLLATIO XXII.

(Vers. 21.). *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.*

1. Nota, quod mortui vivificantur a *Deo*, a *Chri-* Vivificantur mortui a tribus. *sto* et ab *homine.* — *Deus* vivificat mortuos *effective;* ad Romanos quarto [6]: « Ipse vivificat mortuos », scilicet effective, « et vocat ea quae non sunt, sicut ea quae sunt ». — *Christus, meritorie;* primae ad Corinthios decimo quinto: « Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur ». — *Homo, dispositive;* unde Isaiae quinquagesimo septimo: « Vivificat spiritum humilium et vivificat cor contritorum »

2. *Pater*, inquit, *suscitat mortuos et vivificat.* — Primo, a Patre quoad triplicem mortem. Nota, quod Pater vivificat a morte *naturae*, a morte *culpae*, a morte *miseriae.* — A morte *naturae* suscitantur tam iusti quam iniusti; a morte *culpae* omnes, tam electi quam praesciti; a morte *miseriae* tantummodo electi. — Vivificat ergo a morte *naturae;* ad Romanos quarto [7]: « Ipse est qui vivificat mortuos ». — A morte *culpae;* Isaiae quinquagesimo septimo: « Habitat cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium et vivificet cor contritorum ». — Vivificat a morte *miseriae;* ad Romanos octavo: « Qui suscitavit Iesum a mortuis vivificabit mortalia corpora nostra propter eius spiritum inhabitantem in vobis ». — *Pater,* inquit, *vivificat mortuos.* Require Nota. supra quarto capitulo [8] de signis vitae et mortis spiritualis.

3. *Filius quos vult vivificat.* — Nota, quod Secundo, a Filio. quaedam sunt, quae vitam spiritualem *ostendunt*, de quibus supra [9] habitum est; quaedam vero, quae Nota. ad vitam spiritualem *disponunt.* Ad vitam spiritualem *disponit* se homo et etiam *disponitur* a Deo. — *Disponit* autem se homo tripliciter: *Peccatum* Homo se disponit tripliciter. *dimittendo;* Ezechielis decimo octavo [10]: « Si averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est,

---

[1] Psalm. 59, 4. (alias 2.). — Subinde allegantur Ps. 6, 3. (B C *Sana animam meam*, quod est ex Ps. 40, 5.); 146, 3. et 102, 3.

[2] Vers. 22, ubi Vulgata *carni* pro *carnis.* — Sequitur Eccli. 31, 23. et 24.

[3] Cod. C *recidivis.*

[4] Vers. 4-6. — Subinde allegantur Ier. 2, 36; II. Petr. 2, 20. et 22. (cfr. Prov. 26, 11.).

[5] Vers. 36-46. — Sequitur Luc. 11, 24. seqq.

[6] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt I. Cor. 15, 22. et Isai. 57, 15.

[7] Vers. 17. — Subinde allegantur Isai. 57, 15. et Rom. 8, 11.

[8] Collat. XVIII.

[9] Collat. XVIII.

[10] Vers. 27. — Duo seqq. loci sunt Isai. 57, 15. et Ps. 118, 93.

et fecerit iudicium et iustitiam, animam suam vivificabit ». — De *peccato dolendo;* Isaiae quinquagesimo septimo: « Dominus habitat cum contrito et humili spiritu » etc. — In *bono se exercendo;* Psalmus: « In aeternum non obliviscar iustificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me ».

A Deo disponitur tripliciter.

Disponitur etiam homo a Deo tripliciter: *flagello correptionis;* primi Regum secundo [1]: « Dominus mortificat et vivificat ». *Verbo praedicationis;* Psalmus: « Eloquium tuum vivificavit me ». *Gratia inspirationis;* Psalmus: « Conversus vivificasti me, et de abyssis terrae iterum reduxisti me ».

COLLATIO XXIII.

(Vers. 32.). *Alius est, qui testimonium perhibet de me.*

Pro Christo quadruplex testimonium.

1. Nota, quod Christus habuit quadruplex testimonium. Habuit enim testimonium *vitae*, testimonium *famae*, testimonium *Scripturae* et testimonium *vocis paternae*. Primum testimonium est quasi per *signa;* secundum, quasi per *nuntium;* tertium, quasi per *litteras*, et quartum, quasi *viva voce*. His enim quatuor modis solet testimonium perhiberi.

De singulis.

2. Habuit ergo Christus testimonium *vitae;* Ioannis quinto [2]: « Opera, quae ego facio, ipsa testimonium perhibent de me ». — Testimonium *famae;* Ioannis quinto; « Vos misistis ad Ioannem, et ipse testimonium perhibuit veritati »; et Ioannis duodecimo: « Testimonium perhibebat ei turba, quae fuerat cum eo, quando vocavit Lazarum de monumento ». — Testimonium *Scripturae;* Ioannis quinto: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam aeternam habere; et illa sunt, quae testimonium perhibent de me ». — Testimonium *vocis paternae;* Ioannis quinto: « Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me »; item: *Alius est, qui testimonium perhibet de me.*

Alia tria testimonia.

3. Nota, quod testimonium habuit Christus a *Scripturis*, a *creaturis*, a *personis divinis*. — A *Scripturis*, scilicet *Moysaica*, *prophetica* et *evangelica*. — A Scriptura *Moysaica;* et de hoc loquitur

Primum est triplex.

hic [3]: « Scrutamini Scripturas »; et post sequitur: « De me ille », scilicet Moyses, « scripsit ». — A Scriptura *prophetica;* Actuum decimo: « Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem » etc. — A Scriptura *evangelica;* Ioannis decimo nono: « Et qui vidit testimonium perhibuit »; et ultimo: « Hic est discipulus ille » etc.

Item, secundum.

4. A creaturis, *intellectuali*, scilicet Angelo; *rationali*, scilicet homine; *insensibili*, scilicet obediente. — A creatura *intellectuali*, scilicet Angelo, qui perhibet testimonium obsequendo; supra primo [4]: « Videbitis Angelos ascendentes » etc. — A creatura *rationali*, scilicet homine; Ioannis duodecimo: « Testimonium perhibebat illi turba, quando Lazarum vocavit de monumento ». — A creatura *insensibili* obediente; Matthaei vigesimo primo: « Maledixit ficulneae, et continuo arefacta est ».

Item, tertium.

5. A *personis divinis*, scilicet Patris et Filii et Spiritus sancti. A persona *Patris;* Ioannis quinto [5]: « Testimonium perhibet de me qui misit me Pater ». A persona *Filii;* Ioannis octavo: « Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso ». A persona *Spiritus sancti;* Ioannis decimo quinto: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, testimonium perhibebit de me ». — A tota Trinitate insimul; primae Ioannis ultimo: « Tres sunt, qui testimonium dant in caelo ».

COLLATIO XXIV.

(Vers. 40.). *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*, Ioannis quinto.

Divisio.

1. In his verbis duo facit Dominus. Primo *increpat malitiam* ad se venire nolentium, cum dicit: *Non vultis.* — Secundo *tangit fructum* ad se venientium, cum dicit: *Ut vitam* aeternam *habeatis.*

De primo tria.

2. Dicit ergo: *Non vultis venire.* — Nota, quod veniendum est *ad* Christum, *post* Christum et *per* Christum. — Veniendum est *ad* Christum *docentem* tanquam *magistrum*, ipsum *audiendo;* Matthaei undecimo [6]: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et oneratis estis, et ego reficiam vos ». — Veniendum *post* Christum *conversantem*, tanquam post *paedagogum*, ipsum *imitando;* Matthaei quarto: « Venite post me; faciam, vos fieri piscatores hominum ». — Veniendum est *per* Christum *patientem* tanquam per *ostium*, in ipsum *credendo;* Ioannis decimo quarto: « Nemo venit ad Patrem nisi per me ». — De omnibus istis Ioannis decimo quarto: « Ego sum via », dirigens in conversatione; « veritas », instruens in praedicatione; « vita », ad vitam aeternam introducens in passione.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Notandum.

De secundo tria.

3. *Non vultis*, inquit, *venire ad me.* Item tangit *fructum* veniendi ad Deum, cum dicit: *Ut vitam aeternam habeatis.* Fructus autem iste triplex est. Primus est *impetratio veniae;* secundus est *adeptio gratiae;* tertius est *perceptio gloriae.* — Primus

Fructus primus.

---

[1] Vers. 6. — Sequuntur Ps. 118, 50. et 70, 20.

[2] Vers. 36. — Subinde allegantur Ioan. 5, 33; 12, 17; 5, 39; 5, 37. et 32.

[3] Vers. 39, post quem sequitur v. 46. — Tres seqq. loci sunt Act. 10, 43; Ioan. 19, 35. et 21, 24.

[4] Vers. 51. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 12, 17. et Matth. 21, 19. — Damasc., II. de Fide orthod. c. 27, loquens de differentia hominis et brutorum, dicit, quod bruta « a natura aguntur magis [i. e. obediunt], quam agant... homo contra, cum sit rationis particeps, naturam potius ducit, quam ab ea ducatur ». Cfr. supra pag. 405, nota 7.

[5] Vers. 37, post quem allegantur Ioan. 8, 18; 15, 26. et I. Ioan. 5, 7.

[6] Vers. 28. — Sequuntur Matth. 4, 19; Ioan. 14, 6. (cfr. Comment. in hunc locum).

igitur fructus est *impetratio veniae;* Isaiae primo [1]: « Quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam; et venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt ». — Secundus
Secundus. fructus est *adeptio gratiae;* Matthaei undecimo [2]: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos »; et Isaiae quinquagesimo quinto: « Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione
Tertius. vinum et lac ». — Tertius fructus est *perceptio aeternae gloriae*; Ioannis quinto [3]: *Non vultis venire ad me, ut vitam aeternam habeatis;* et Canticorum quarto: « Veni de Libano, veni, coronaberis ».

4. Sequitur de *modo* veniendi ad Christum. Mo-
Modus veniendi ad Christum triplex. dus autem veniendi ad Christum triplex est, scilicet
Per fidem. per *fidem veritatis*, per *amorem bonitatis*, per *operationem virtutis.* — Primus modus est per *fidem veritatis;* Ioannis sexto [4]: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum »; Glossa:
Per amorem. « Id est, credit in me ». — Secundus modus est per *amorem bonitatis;* Canticorum secundo: « Veni, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna ma-
Per operationem virtutis. ceriae ». — Tertius modus est per *operationem virtutis;* Ioannis tertio: « Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera eius »; et Lucae nono: « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me ».

5. Ista autem *operatio virtutis*, per quam ve-
Ultimum fit tripliciter. niendum est ad Christum, triplex est. — Prima est
Primo. via *mandatorum;* secunda, semita *consiliorum;* ter-
tia, compendium *supererogationum.* — Prima operatio virtutis est *via mandatorum;* Matthaei decimo nono [5]: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata »; et Matthaei vigesimo secundo: « Omnia parata sunt, venite ad nuptias »; et Lucae decimo quarto: « Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut veni-
Secundo. rent ». — Secunda est *semita consiliorum;* Matthaei decimo nono: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis the-
Tertio. saurum in caelo, et veni et sequere me ». — Tertia est *compendium supererogationum;* Matthaei decimo quarto [6]: « Domine, si tu es, iube, me venire ad te super aquas ». Nota de sancto Benedicto. Et ad Hebraeos duodecimo: « Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes ».

COLLATIO XXV.

(Vers. 28. 25.). *Qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.*

1. In istis verbis tangitur ordo spiritualis re-
Divisio in 3 membra. suscitationis, et tanguntur ibi tria. Tangitur enim ibi *status mortis* et *status vitae* et *via* [7] perveniendi ad vitam de morte. — *Status mortis* est status culpae, et hic tangitur, cum dicitur: *Qui in monumentis sunt.* — *Via* perveniendi ad vitam est verbum doctrinae, et haec tangitur, cum dicitur: *Audient vocem Filii Dei* vivi. — *Status vitae* est status gratiae, et hic tangitur, cum dicitur: *Et qui audierint vivent;* ac si diceretur: qui sunt in morte [8] culpae audient vocem doctrinae et vivent vita gratiae.

2. *Qui in monumentis sunt audient* etc. —
De statu mortis tres figurae. Nota, quod mortuus spiritualis, id est peccator, aliquando significatur in Scriptura esse quasi in *thalamo,* aliquando quasi in *vico,* aliquando quasi in *monumento.* Quasi in *thalamo* est mortuus, quando *occiditur* peccator interius, id est in *consensu* [9]; quasi in *vico,* quando exterius *defertur* in *opere;* quasi in *monumento,* quando ulterius *sepelitur* in mala consuetudine. — Mortuus ergo spiritualis aliquando *iacet in thalamo,* quando peccat in solo consensu; et
Prima. talis significatur per filiam archisynagogi, quam suscitavit Iesus in thalamo, Matthaei nono [10], Lucae octavo.
Secunda. — Item, mortuus spiritualis aliquando *effertur in vico,* quando peccat in opere; et talis significatur per « adolescentem, filium unicum viduae, matris suae », quem suscitavit in porta civitatis, Lucae
Tertia. septimo. — Item, mortuus spiritualis aliquando *sepelitur in monumento,* quando peccat ex consuetudine; et talis significatur per Lazarum, quem suscivit Iesus quatuor dies habentem in monumento, Ioannis undecimo. — Non ergo desperet peccator, sive
Notandum. peccaverit in voluntate, sive in opere, sive in consuetudine, quia etiam qui in monumentis sunt vivent, *si audierint* vocem doctrinae.

---

[1] Vers. 17. — Superius et etiam inferius pro *perceptio gloriae* B C *meritum gloriae.*

[2] Vers. 28. — Sequitur Isai. 55, 1.

[3] Vers. 40, post quem allegatur Cant. 4, 8. Cfr. Glossa *ordinaria* ex Gregorio in hunc locum.

[4] Vers. 44, ubi Glossa *interlinearis* [cfr. August. et Beda, in hunc locum]: *Nemo potest venire ad me* etc., credere in me, nisi gratia eum praevenerit, nisi Pater eum revelaverit, quae revelatio est attractio. — Tres seqq. loci sunt Cantic. 2, 13. et 14; Ioan. 3, 21. et Luc. 9, 23.

[5] Vers. 17. — Subinde allegantur Matth. 22, 4; Luc. 14, 17. et Matth. 19, 21.

[6] Vers. 28. — Sequitur Hebr. 12, 1-3. — Pro *Benedicto* B C *Bonifacio.*

[7] Codd. *status,* sed infra recte *via.*

[8] Codd. A B *monumentis.*

[9] Cod. C *incidit peccator interius in consensum.*

[10] Vers. 18. seq.; Luc. 8, 41. seq. — Subinde allegantur Luc. 7, 12. seq.; Ioan. 11, 17. et 43. seq. Cfr. supra pag. 406. nota 5. — Inferius post *in opere* B addit *malo.*

3. *Audient*, inquit, *vocem Filii Dei. Audient*, inquam, ad *intelligendum*, ad *credendum*, ad *obediendum*. Sic enim est audiendum verbum, ut *intelligamus*, secundum quod dicitur in Psalmo [1]: « Audi, filia, et vide », id est, intellige, « et inclina aurem tuam » etc. — Sic etiam audiendum est, ut *credamus;* Ioannis quinto: « Qui verbum meum audit et credit in me habet vitam aeternam ». — Sic audiendum est, ut *obediamus*. Taliter audiebat de quo dicitur in Psalmo: « In auditu auris obedivit mihi ». — Propter haec tria dicitur Apocalypsis secundo: « Qui habet aures audiendi audiat ».

De via ad vitam tria. Primum. Secundum. Tertium.

4. Primo modo non audiunt qui verbo Dei non *intendunt;* de quibus in Psalmo [2]: « Non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi ». — Secundo modo, qui verbo Dei non *credunt*, de quibus Isaiae sexto: « Excaeca cor populi huius et aures eius aggrava, ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat et convertatur, et sanem eum ». — Tertio modo non audiunt, si qui verbo Dei non *obediunt;* similes sunt illi, de quo dicitur Iacobi primo: « Quia, si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo »; et talibus dicitur Ioannis octavo: « Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ». — Nos ergo audiamus *vocem Filii Dei* ad *intelligendum*, ad *credendum* et ad *obediendum*, ut simus « auditores et factores verbi, non auditores tantum »; et sic poterimus vivere per verbum.

Contrarium fit tripliciter. Primo. Secundo. Tertio. Notandum.

5. Sequitur: *Et qui audient vivent. — Vivent*, inquam, per *fidem veritatis*, per *amorem bonitatis* et per *opera virtutis*. Hic enim est triplex vivendi modus spiritualis, ut vivamus per *fidem*, secundum quod dicitur Habacuc secundo [3]: « Iustus meus in sua fide vivit ». Vivamus etiam per *caritatem;* primae Ioannis tertio: « Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui enim non diligit manet in morte ». Vivamus etiam per *opera virtutis*, de quibus Proverbiorum quarto: « Vita enim sunt invenientibus ea »; Ezechielis decimo octavo: « Si fuerit vir iustus et fecerit iudicium et iustitiam etc.; vita vivet et non morietur ». — Exeamus ergo de monumento culpae, et audiamus verbum doctrinae, et vivemus vita gratiae [4].

De statu vitae tria. Notandum.

ANNOTATIO 19.

(Vers. 14.). *Ecce, sanus factus es.*

1. Nota, quod quosdam sanavit Dominus *manu*, quosdam *verbo*, quosdam autem *nutu* solo. — *Tactu* manus sanavit leprosum; Lucae quinto [5]: « Extendens Iesus manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare; et confestim discessit lepra ab eo ». — *Virtute*, scilicet *verbi*, sanavit paralyticum; Ioannis quinto: « Dixit enim Iesus: Tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est. — *Nutu* solius voluntatis sanavit filium reguli, qui « infirmabatur Capharnaum », Ioannis quarto, quem nec vidit nec tetigit, sed solius voluntatis imperio sanavit eum, cum dixit patri suo: « Filius tuus vivit ».

Christus sanavit infirmos per tria. Tactu. Verbo. Nutu.

2. Ita intellige, quod Dominus sanat quosdam *flagello correctionis;* Iob quinto [6]: « Vulnerat et medetur, percutit, et manus eius sanabunt ». — Quosdam sanat alloquendo solo *verbo praedicationis;* Sapientiae decimo sexto: « Neque herba neque malagma sanavit eos, at sermo tuus, Domine, qui sanat omnia ». — Quosdam autem sanat illustrando *gratia inspirationis*, secundum quod dicitur Malachiae quarto: « Orietur vobis timentibus Deum sol iustitiae, et sanitas in pennis eius ».

Applicatio.

ANNOTATIO 20.

(Vers. 13.). *Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset*, supple: qui sanaverat eum.

Attende, quam magna est misericordia Dei solius: sanaverat eum, et nondum *cognoscebatur* ab eo. Quanta faceret pro illo, si ab illo diligeretur, si ab illo rogaretur, qui ipsum sanabat, antequam ab eo cognosceretur? In hoc ergo est magna misericordia Dei erga nos, quia beneficia eius praeveniunt nostram *cognitionem*, nostram *dilectionem*, nostrum *obsequium* sive nostram operationem. — Nostram *cognitionem* praevenit, ut hic patet, cum dicitur: *Is qui sanus effectus fuerat, nesciebat, quis esset.* — Nostram *dilectionem*; unde ad Romanos quinto [7]: « Cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii eius ». — Nostrum *obsequium* sive operationem; ad Titum tertio: « Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit ».

Misericordia Dei praeveniens tripliciter.

ANNOTATIO 21.

(Vers. 19.). *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

Nota, quod aliquem esse alterius filium probant tria: *mansio*, *aemulatio* et *imitatio*. Solet enim filius *imitari* patrem, *aemulari* pro patre, *succedere* patri in mansione. Haec tria probaverunt, Christum esse Filium Dei. Tenuit enim Patris *mansionem;* unde Lucae secundo [8]: « Quid est, quod me quaerebatis; nescieba-

Tria probant, HUNC alterius filium.

---

[1] Psalm. 44, 11. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 5, 24; Ps. 17, 45. et Apoc. 2, 7. (cfr. Matth. 11, 15; 13, 9. et 43.).

[2] Psalm. 80, 12. — Sequuntur Isai. 6, 10; Iac. 1, 23. et Ioan. 8, 47. In fine respicitur Iac. 1, 22.

[3] Vers. 4. — Subinde allegantur I. Ioan. 3, 14; Prov. 4, 22. et Ezech. 18, 5. et 21.

[4] Cod. C *et vivamus in gratia vitae.*

[5] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 5, 8. seq. et 4, 46. ac 50.

[6] Vers. 18. — Sequuntur Sap. 16, 12. et Malach. 4, 2.

[7] Vers. 10. — Subinde allegatur Tit. 3, 5.

[8] Vers. 49. — Sequitur Ioan. 2, 16.

tis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse »? — Habuit Patris *zelum* sive aemulationem, ex cuiusmodi zelo Ioannis secundo dicebat: « Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Recordati sunt discipuli, quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me ». — Habuit etiam Patris *imitationem*, de qua hic dicitur: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, et quaecumque ille facit, haec similiter et Filius facit.*

Capitulum VI. *Post haec abiit Iesus.*

COLLATIO XXVI.

(Vers. 11.). *Accepit Iesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.*

Introductio.

1. *Accepit*, inquit, *Iesus*. Notabiliter dicitur Iesus panes accepisse et distribuisse. *Distribuente Domino*, abundat cibus; *distribuente* vero *homine*, esurit populus. Dicuntur autem tria hic, scilicet quod *accepit*, quod *gratias egit* et quod *distribuit*: *accepit* ad multiplicandum, *gratias egit* ad benedicendum, *distribuit* ad reficiendum.

De 5 panibus hordeaceis spiritualiter intellectis.

2. *Accepit*, inquit, *panes*. Sed quot panes? *Quinque panes hordeaceos*, ait Evangelista [1], *et duos pisces*. — Isti quinque panes, spiritualiter intelligendo, significant quinque panes, quibus anima reficitur in praesenti, panem scilicet *poenitentiae*, panem *doctrinae*, panem *iustitiae*, panem *patientiae* et panem *eucharistiae*. — Panis *poenitentiae* reficit *revertentes*; panis *doctrinae* reficit *ignorantes*; panis *iustitiae* reficit *laborantes*; panis *patientiae* reficit *pugnantes*; panis *eucharistiae* reficit *omnes*.

Primo, de pane poenitentiae.

3. Primus igitur panis est panis *poenitentiae*, de quo in Psalmo [2]: « Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam ».

Duae proprietates.

Cinis est *minutus* et est *amarus*. Cineris *minutio* significat peccatorum recordationem, quae debent memorari usque ad minima; cineris *amaritudo*, peccatorum contritionem, quae debet esse amara. Haec autem duo habet panis poenitentiae, secundum illud Isaiae trigesimo octavo [3]: « Recogitabo tibi omnes

Figura.

annos meos in amaritudine animae meae ». — De isto eodem pane significatum est Exodi duodecimo, ubi legitur, quod « filii Israel coxerunt farinam, quam dudum conspersam tulerant de Aegypto, et fecerunt

Quare sit hordeaceus.

subcinericios panes ». — Iste panis *hordeaceus* est: *panis*, quia habet *refectionem*; *hordeaceus*, quia habet *asperitatem*. Reficit enim spiritum et macerat carnem; unde bene significatur Iudicum septimo per panem subcinericium, qui confregit castra Madian; de quo sequitur, quia « non erat aliud nisi gladius Gedeonis ». Est enim *panis* spiritui et *gladius* carni.

Secundo, de pane doctrinae.

4. Secundus panis est panis *doctrinae*. Quemadmodum enim cibus corporalis reficit carnem, ita doctrina spiritualis reficit mentem, secundum illud Deuteronomii octavo [4]: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei »; item Matthaei quarto. Hic est panis *scholarium*, qui facit ad cognitionem veritatis, de quo Lucae ultimo: « Cognoverunt Dominum in fractione panis »; *panem frangere* est Scripturam exponere. — Et iste panis *hordeaceus est*. Nam habet in *refectione asperitatem*, secundum illud ad Hebraeos duodecimo [5]: « Omnis disciplina in praesenti videtur esse non gaudii, sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum reddit » etc.

Quare hordeaceus.

Tertio, de pane iustitiae.

5. Tertius panis est panis *iustitiae*. Hic est panis *servientium*, de quo Proverbiorum duodecimo [6]: « Qui operatur terram suam satiabitur panibus; qui autem sectatur otium stultissimus est ». De isto pane qui non laborat non manducet; qui vero laborat non indiget, secundum illud Psalmi: « Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem ». — Iste panis *hordeaceus* est. Habet enim cum *suavitate* refectionis *asperitatem* laboris, secundum illud Genesis tertio: « In sudore vultus tui vesceris pane tuo ». — De isto figuratum est Numerorum undecimo,

Quare hordeaceus.

Figura.

ubi dicitur, quod « circuibat populus et colligens manna, frangebat mola, sive terebat in mortariolo, coquens in olla et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati ». Nota et expone.

Quarto, de pane patientiae.

6. Quartus panis est panis *patientiae*. Hic est panis *pugnantium*, de quo Ezechielis duodecimo [7]: « Panem suum in solitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent ». — Iste panis *hordeaceus* est.

Est hordeaceus.

Habet enim et *refectionem* et *asperitatem*: *refectionem* animae et *asperitatem* sive duritiam poenae; quod *figuratum* est Iosue nono, ubi legitur de Ga-

Figura.

baonitis, quod « panes, quos portabant ob viaticum, duri erant et in frusta comminuti ». Verumtamen duritia panis, quantacumque sit, temperari potest in sanguine passionis, secundum illud Bernardi [8]: « Si passio Christi ad memoriam reducitur, nihil tam durum, quod non aequanimiter toleretur ».

---

[1] Vers. 9.

[2] Psalm. 101, 10. — Inferius pro debent *memorari* C *numerari*.

[3] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Exod. 12, 39. et Iudic. 7, 13. seq.

[4] Vers. 3. Matth. 4, 4. — Sequitur Luc. 24, 35.

[5] Vers. 11.

[6] Vers. 11. — Inferius respicitur II. Thess. 3, 10: *Si quis non vult operari, nec manducet;* et allegantur Ps. 36, 25; Gen. 3, 19. et Num. 11, 8.

[7] Vers. 19. — Sequitur Iosue 9, 5.

[8] Cfr. Serm. in Cantic. serm. 43. n. 5, ubi dicit: « Videntes angustias Domini, levius vestras portabitis ». Ibid. serm. 61. n. 8: « Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur ». In *Manipulo florum* Thomae de Hibernia Ord. Praedic., sub nomine *Passio* allegatur: *Chrysostomus* super Matth. c. 27.

Quinto, de pane eucharistico.

7. Quintus panis est panis *eucharistiae.* Hic est panis *nuptialis*, qui reficit omnes in mensa eucharistiae, de quo praedicitur Ioannis sexto [1]: « Panis, quem ego dabo vobis, caro mea est ». — Hic est panis *hordeaceus* in praesenti, licet in futuro sit *triticeus*, quia purus; in praesenti hordeaceus, quia cum afflictione animae assumendus, secundum illud primae ad Corinthios undecimo: « Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat ».

Est hordeaceus.

Quid duo pisces.

8. Sequitur: *Et duos pisces.* Per duos pisces intellige duas consolationes, quas habet anima in praesenti, quasi ad mitigandas praedictorum panum asperitates [2]. Prima est *exspectatio bonorum aeternorum;* secunda est *experientia spiritualium.* Prima consolatione sustentatur anima in *adversitate temporali;* secunda reficitur in *prosperitate spirituali.* Prima consolatio est quasi piscis marinus, quia capitur in adversitate, scilicet in aqua amara; secunda, quasi piscis fluvialis, quia capitur in prosperitate, quasi in aqua dulci, secundum illud Psalmi [3]: « Ponam in mari manum eius et in fluminibus dexteram eius ».

COLLATIO XXVII.

(Vers. 19.). *Vident Iesum ambulantem supra mare.*

Quatuor miracula in mari facta.

1. Notandum est, quod quatuor miracula fecit Iesus in mari. Primum fecit in mirabili maris *divisione*, Exodi decimo quarto [4]; secundum in mirabili maris *quietatione,* Matthaei octavo; tertium in mirabili maris *calcatione,* Ioannis sexto; quartum in mirabili *piscium congregatione,* Lucae quinto et Ioannis ultimo. Collige ergo, quia Dominus mare *dividit,* mare *quietat,* mare *calcat,* in mari *pisces congregat.*

Notandum.

Quadruplex mare mysticum.

2. Ad quae intelligenda nota, quod est quadruplex mare, scilicet mare *interius,* mare *exterius,* mare *inferius* et mare *superius.* — Mare *interius* est mare *peccatricis conscientiae;* mare *exterius* est mare *temporalis miseriae;* mare *inferius* est mare *negotiationis mundanae;* mare *superius* est mare *catholicae Ecclesiae.* — Mare ergo est *peccatrix conscientia* propter sui *inquietudinem;* Isaiae quinquagesimo septimo [5]: « Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest »; et Threnorum secundo: « Magna est velut mare contritio tua ». — Mare iterum est *temporalis miseria* propter sui *amaritudinem,* vel *profunditatem;* Ionae secundo: « Proiecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me »; et in Psalmo: « Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me ».

Primum.

Secundum.

Tertium.

— Mare est *negotiatio mundana* propter sui *periculositatem;* Ecclesiastici quadragesimo tertio [6]: « Qui navigant mare enarrent pericula eius »; et in Psalmo: « Hoc mare magnum et spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus ».

Quartum.

— Mare *superius*, hoc est Ecclesia propter sui *fecunditatem* et *plenitudinem;* Isaiae sexagesimo: « Tunc videbis et affluens, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris » etc.; et Matthaei decimo tertio: « Simile est regnum caelorum sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset » etc. De hoc mari dicitur in Psalmo: « Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud ». Sic ergo est quadruplex mare.

Quatuor miracula in his.

3. Sed ecce, Dominus *dividit* mare, *quietat* mare, *calcat* mare et *congregat pisces* in mari.

Mystica applicatio.

— Nota ergo, quod Dominus *dividit* mare *peccatricis conscientiae; quietat* mare *temporalis miseriae; calcat* mare *negotiationis mundanae; congregat pisces* in mari *Ecclesiae.*

Dividit primum mare.

— *Dividit* mare *conscientiae*, et hoc *poenitentibus*, secundum illud Psalmi [7]: « Divisit mare rubrum in divisiones »; *divisio maris* est scissio cordis per contritionem, secundum illud Ioel secundo: « Scindite corda vestra » etc.

Figura.

— Haec divisio maris significata est, Exodi decimo quarto, in illo miraculo, quando divisit Dominus mare filiis Israel, quando exierunt de Aegypto. Unde dixit Moysi: « Eleva virgam tuam et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum ».

Tranquillat secundum.

4. Dominus *tranquillat* mare *temporalis miseriae*, et hoc *proficientibus*, secundum illud Psalmi [8]: « Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas »; et Ecclesiastici quadragesimo tertio: « In sermone eius siluit ventus, et in cogitatione sua placavit abyssum »; *maris placatio* est mitigatio tribulationis, de qua primae ad Corinthios decimo: « Fidelis Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis ».

Figura.

— Haec placatio figurata est in illo miraculo Matthaei octavo, quando « consurgens Iesus imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna ».

Calcat tertium.

5. Dominus *calcat* mare *negotiationis mundanae,* id est calcabile facit, et hoc viris *perfectis,* sicut

---

[Homil. 87. alias 88. n. 1, ubi *sententialiter* tantum verba seqq. habentur]: Si passio Redemptoris ad memoriam reducitur, nihil tam durum est, quod non aequo animo toleretur. Parva enim toleramus, si recordamur, quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad caelum. Ille enim opprobria... sustinuit, et nos miseri... uno sermone fatigamur etc.

[1] Vers. 52. — Sequitur I. Cor. 11, 28.

[2] Ita B; A C *ad condiendum panem dictarum asperitatum* (C *praecedentium asperitatum*).

[3] Psalm. 88, 26.

[4] Vers. 21. — Subinde allegantur Matth. 8, 26; Ioan. 6, 19; Luc. 5, 6. et Ioan. 21, 11.

[5] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Thren. 2, 13; Ion. 2, 4. et Ps. 68, 3.

[6] Vers. 26. — Subinde allegantur Ps. 103, 25; Isai. 60, 5; Matth. 13, 47. seq. et Ps. 94, 5.

[7] Psalm. 135, 13. — Sequuntur Ioel 2, 13; Exod. 14, 21. seq. et 14, 16.

[8] Psalm. 88, 10. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 43, 25; I. Cor. 10, 13. et Matth. 8, 26.

fecit Petro Matthaei decimo quarto [1] dicenti: « Domine, si tu es, iube, me venire ad te super aquas. At ille ait: Veni » etc. *Calcatio aquarum* est contemptus temporalium, quae « ad nihilum deveniunt, sicut aqua decurrens »; et hoc etiam figuratum est in praesenti miraculo, de quo hic dicitur: *Vident Iesum ambulantem supra mare.*

Figura.

6. Dominus etiam *congregat pisces* in mari *Ecclesiae.* Ipse enim est, qui « filios Dei, qui erant dispersi, congregavit in unum », secundum quod habetur Ioannis undecimo [2]. Et hoc facit Dominus praedicatoribus et praelatis, quibus ipse dicit Matthaei quarto: « Venite post me; faciam, vos fieri piscatores hominum »; *piscatio hominum* est conversio fidelium. — Haec figurata est in illo miraculo, quod fecit Dominus Lucae quinto, cum dixit Petro: « Duc in altum, et laxate retia in capturam »; et sequitur, quod « cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam ». Simile miraculum habetur Ioannis ultimo.

Congregat in quarto.

Figura.

Dominus igitur *dividit* mare *conscientiae peccatricis; quietat* mare *miseriae temporalis; calcat* mare *mundanae negotiationis; congregat pisces* in mari *Ecclesiae militantis;* et hoc est quadruplex miraculum, quod ostendit Dominus spiritualiter in mari discipulis suis.

Notandum.

ANNOTATIO 22.

(Vers. 27.). *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.*

Require supra capitulo quarto [3] de septemplici cibo gratiae et septemplici cibo culpae.

ANNOTATIO 23.

(Vers. 37.). *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet* etc.

Require supra capitulo quinto [4], *quare* sit veniendum ad Christum, et *qualiter* sit veniendum ad ipsum.

COLLATIO XXVIII.

(Vers. 44.) *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui in caelis est, traxerit eum.*

1. In verbis istis duo facit Dominus. Primo, ne homo *excedat* per praesumtionem, ostendit *defectum humanae impotentiae,* dicens: *Nemo potest venire ad me* — secundo, ne *corruat* homo per desperationem, subiungit *auxilium miserationis divinae,* cum dicit: *Nisi Pater meus, qui in caelis est, traxerit eum.*

Divisio.

2. Dicit ergo: *Nemo potest venire ad me.* Nemo, inquam, potest *ex se;* cuius causa est triplex, scilicet quia *homo est gravis* — quia *via difficilis* — quia *virtus debilis.* Virtus enim debilis non potest ferre molem gravem per viam difficilem. — *Nemo* ergo *potest venire ad me,* quia *moles est gravis;* Sapientiae nono [5]: « Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem »; et Iob septimo: « Factus sum mihimetipsi gravis ». — Quia *via difficilis;* Matthaei septimo: « Quam angusta et arcta est via, quae ducit ad vitam »; ecce, quia difficilis ad *progrediendum;* « et pauci inveniunt eam »; ecce, quia difficilis ad *arripiendum.* — Quia *virtus est debilis;* Ioannis decimo quinto [6]: « Sine me nihil potestis facere »; et Ioannis decimo quinto: « Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic neĉ vos, nisi in me manseritis.

Primo, deficit homo ob triplicem rationem.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

3. Sequitur: *Nisi Pater meus, qui in caelis est, traxerit eum.* — Ostenso defectu humanae impotentiae, adhibet Dominus Iesus *remedium pietatis paternae,* cum dicit: *Nisi Pater meus traxerit eum.* Tractio enim Patris remedium est humanae impossibilitatis. — Notandum autem, quod Pater trahit nos multipliciter. Solet enim aliquid trahi sursum *fune,* qualiter trahitur moles in tracha. Solet etiam aliquid trahi sursum *ponderè,* qualiter trahitur stater [7] in statera. Solet aliquid trahi sursum *occulta virtute,* qualiter trahitur ferrum ab adamante, quod non per violentiam sive per vim manifestam trahitur, sed a tota specie.

Secundo, de remedio divino.

Triplex tractio.

4. Per hunc modum trahit Pater sursum *funibus flagellorum;* unde Osee undecimo [8]: « In funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis »; *funiculi Adam* poenalitates humani generis sunt, quibus Dominus ligavit Adam, quando insanivit per culpam. In his trahit Deus animam, quam per flagella reducit ad gratiam.

Tractio prima.

5. Trahit etiam *pondere beneficiorum,* quasi ponens in statera beneficia sua, ut sursum trahat corda nostra; Ieremiae trigesimo primo [9]: « In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miserans tui ». Multas enim miserationes appendit Dominus, ut nos attraheret; nec hoc illi sufficiebat, nisi pro nobis attrahendis se ipsum in statera crucis appenderet. Appendit ergo in statera crucis se ipsum, ut traheret ad se per crucem genus humanum. Unde Ioannis duodecimo: « Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum ».

Secunda.

6. Trahit etiam Dominus sursum *occulta virtute spiritualium desideriorum.* Immittit quidem Deus spirituale desiderium et trahit ad se occulto cordis

Tertia.

---

[1] Vers. 28. et 29. — Subinde allegatur Ps. 57, 8: *Ad nihilum devenient* etc.

[2] Vers. 52. — Sequuntur Matth. 4, 19; Luc. 5, 4. et 6; Ioan. 21, 6. seqq.

[3] Collat. XVI.

[4] Collat. XXIV.

[5] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Iob 7, 20. et Matth. 7, 14.

[6] Vers. 5, post quem allegatur 15, 4.

[7] Id est *pondus*, secundum Forcellini, Lexicon.

[8] Vers. 4.

[9] Vers. 3. — Inferius allegatur Ioan. 12, 32.

desiderio cor humanum; unde Iob trigesimo quarto[1]: « Si direxerit ad eum homo cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet ». Nota Glossam in Canticorum primum: « Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum ». — Sic igitur trahit Pater sursum.

Sed trahitur deorsum tripliciter.

7. Sed non omnis attrahitur; quia est qui trahit *deorsum*, diabolus scilicet, de quo Iob vigesimo primo[2]: « Dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahet et ante se innumerabiles ». Trahit autem tripliciter: per *superbiam*, per *avaritiam*, per *luxuriam*. — Per *superbiam* trahit *ambitiosos*. Isti trahuntur in *cauda;* Apocalypsis duodecimo: « Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum caeli et misit eas in terram ». Bene dicit: *tertiam partem*, quia alia pars intendit *bonae actioni*, alia pars *contemplationi*, tertia *ambitioni;* et haec trahitur in cauda draconis. — Trahit etiam per *avaritiam*, et sic trahit *cupidos*. Isti trahuntur in *unda fluminis;* de quo Apocalypsis duodecimo[3]: « Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine ». Flumen istud a *fluendo* divitiae sunt, quae superfluunt et refluunt et avarorum corda trahunt. — Trahit etiam per *luxuriam*, et sic trahit *lascivos*. Isti trahuntur *blanditiis mulieris* meretricis, id est *carnalis voluptatis;* de qua Proverbiorum septimo: « Irretivit eum mulier multis sermonibus et blanditiis labiorum protraxit illum; statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur » etc.

Per superbiam.

Per avaritiam.

Per luxuriam.

COLLATIO XXIX.

(Vers. 67.). *Multi discipulorum eius abierunt retro.*

Divisio.

1. Circa recessum discipulorum a Christo nota recedendi *causam* — recedendi *modum* — et recedendi *fructum*. — Circa primum notandum, quod quidam *retrahuntur*, ne ad Christum veniant; quidam *extrahuntur*, postquam pervenerunt, ne cum ipso permaneant.

Primo, recedendi causae duplex effectus.

Quidam retrahuntur tripliciter.

Amore voluptatis.

2. Venientes autem ad Christum *retrahit* triplex causa, scilicet amor *carnalis voluptatis*, amor *terrenae proprietatis*[4] et amor *propriae voluntatis*. — Quidam abeunt a Christo amore *voluptatis;* de quibus Ieremiae septimo[5]: « Abierunt in voluptatibus suis et pravitate cordis sui, factique retrorsum et non in ante ». — Quidam abeunt amore *terrenae proprietatis*, sicut ille adolescens, cui dictum est Matthaei decimo nono: « Vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus »; at ille « abiit tristis; erat enim multas possessiones habens ». — Quidam abeunt amore *propriae voluntatis*, scilicet qui nolunt « captivare se ipsos in obsequium Christi[6] » quemadmodum discipuli, qui, nolentes se ipsos relinquere propter Christi doctrinam, reliquerunt doctrinam et adhaeserunt sibi; de quibus hic dicitur, quod *multi discipulorum eius abierunt retro*. — Haec ergo sunt tria, quae retrahunt ad Christum accedentes.

Amore proprietatis terrenae.

Amore propriae voluntatis.

Quidam extrahuntur tripliciter.

3. Sunt etiam tria, quae a Christo *extrahunt* incedentes, ne cum ipso perseverent. Primum est *memoria bonorum temporalium;* secundum, *fastidium bonorum spiritualium;* tertium, *desperatio aeternorum*. — Propter *memoriam bonorum temporalium* recedebant qui dicebant Exodi decimo sexto[7]: « Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium et comedebamus panem in saturitate »! Numerorum undecimo: « Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones ». — Propter *fastidium spiritualium bonorum* recedebant filii Israel, Numerorum vigesimo primo, cum dicebant: « Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo », spiritualiter exponendo; et Numerorum undecimo: « Arida est anima nostra, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi manna ». — Propter *desperationem aeternorum* recedunt qui dicunt cum filiis Israel, Numerorum decimo quarto[8]: « Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio! Nonne melius est reverti in Aegyptum »? Et propter hoc dixerunt: « Constituamus nobis ducem et revertamur in Aegyptum ». Haec dicebant timentes difficilem terrae introitum, secundum illorum opinionem, qui dixerunt supra decimo tertio: « Terra devorat habitatores suos ». Verum tamen magis est credendum Caleb et Iosue dicentibus Numerorum decimo quarto: « Terra, quam circuivimus, valde bona est; si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam ».

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

Secundo, recedendi modus triplex.

4. *Multi discipulorum abierunt retro*. Visa abeundi *causa*, nota abeundi *modum*, qui triplex est. Quidam enim abeunt retro *aspiciendo* per *cogitationem;* quidam, retro *aspirando* per *affectionem;* quidam, retro *incedendo* per *conversationem*. — Retro *aspexit* uxor Lot, et retro aspiciendo, Genesis de-

Primo, retro aspiciendo.

---

[1] Vers. 44. — Glossa *ordinaria* (ex Beda) in Cantic. 1, 3, dicit, quod verbis: *Trahe me post te* etc., intelligatur « vox illorum qui post tempora incarnationis ad fidem venerunt... Illa (ante incarnationem), ut veniret... haec non ad se ultra eum descendere taliter flagitat, sed ipsa potius ad caelos sequi desiderat; quod quia per se non posse fieri conspicit, eius ducatum implorat, ad quem venire desiderat. *In odorem unguentorum*, in consideratione miraculorum ».

[2] Vers. 33. — Sequitur Apoc. 12, 4.

[3] Vers. 15. — Subinde allegatur Prov. 7, 21. et 22.

[4] Cod. B addit *vel prosperitatis*.

[5] Vers. 24: *Abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali factique* etc. — Sequitur Matth. 19, 21. et 22.

[6] Respicitur II. Cor. 10, 5: Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

[7] Vers. 3. — Sequuntur Num. 11, 5; 21, 5. et 11, 6.

[8] Vers. 3. et 4. — Duo seqq. loci sunt Num. 13, 33. et 14, 7. seq.

cimo nono [1], « versa est in statuam salis »; nota historiam et expone; et Lucae nono: « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei ». Non sic ambulant animalia sancta; Ezechielis primo: « Non revertebantur animalia, cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur ». — Retro *aspirabant* filii Israel, Numerorum decimo quarto: « Nonne melius est reverti in Aegyptum »? Et iterum: « Constituamus nobis ducem » etc. Non sic dicebat Apostolus ad Philippenses tertio, qui « omnia arbitratus est ut stercora, ut Christum lucrifaceret ». — Retro *incedebant* discipuli, de quibus hic dicitur: *Multi discipulorum abierunt retro.* Non sic Petrus [2]: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». — Dimittamus igitur quae retro sunt, et dirigamus ad ea quae ante sunt, *aspectum*, *affectum* et *incessum*, cum Apostolo dicente ad Philippenses tertio: « Ea quae retro sunt obliviscens », non retro aspiciens, sicut uxor Lot; « ad ea quae sunt priora, me ipsum extendens », non ad praeterita respiciens, sicut filii Israel; « ad destinatum persequor bravium », non retrocedendo cum carnalibus discipulis, sed incedendo cum Apostolis, « si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum ».

Secundo, retro aspirando.

Tertio, retro incedendo.

Exhortatio.

5. *Discipuli*, inquit, *abierunt retro.* Post recedendi *modum* nota recedendi *fructum*, qui triplex est. — Recedentes a Christo amittunt *praemium gloriae;* Lucae nono [3]: « Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei ». Si non est *dignus regno* qui retro *aspicit*, multo minus est dignus qui retro *aspirat*, vel retro *incedit.* — Incurrunt *remorsum conscientiae;* Genesis decimo nono, de uxore Lot, quae « respiciens retro versa est in statuam salis »; in sale nota amaritudinem conscientiae. — Merentur *supplicium gehennae;* Ieremiae decimo quinto: « Reliquisti me, abiisti retrorsum; extendam manum meam super te et interficiam te ». Exemplum de Semei, tertii Regum secundo.

De recedendi fructu triplici. Primus.

Secundus.

Tertius.

ANNOTATIO 24.

(Vers. 15.). *Fugit in montem solus.*

Nota, quod solitudo valet ad tria, scilicet ad *mundi turbationem evitandam;* Psalmus [4]: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine ». — Ad *quietem contemplationis intrandam;* Threnorum tertio: « Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se » etc. — Ad *divinam consolationem obtinendam;* Osee secundo: « Lactabo eam et ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius ».

Solitudinis tres fructus.

ANNOTATIO 25.

(Vers. 19.). *Vident Iesum ambulantem supra mare.*

Nota, quod in isto miraculo Dominus tria mirabilia fecit: mare *calcavit* et mare *placavit* et mare *transvolare fecit.* — *Calcavit;* unde dicitur hic: *Vident eum ambulantem supra mare.* — *Placavit;* unde dicitur Marci sexto [5], quod « ascendit ad illos in navem, et cessavit ventus ». — Mare *transvolare fecit;* unde dicitur hic, quod « statim fuit navis ad terram, in quam ibant ». — Et haec significant quae facit Dominus fidelibus tribulatis. Mare *calcat*, quando tribulationem *suppeditat;* mare *placat*, quando tribulationem *mitigat;* mare *transit*, quando tribulatio *cessat.* Facit enim Dominus, ut sit tribulatio *brevis* duratione, et tunc mare *transitur;* ut sit *levis* afflictione, et tunc mare *placatur;* ut sit *nulla* reputatione, et sic mare *calcatur.*

Tria miracula.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Applicatio.

ANNOTATIO 26.

(Vers. 26.). *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.*

Nota, quod quaeritur Christus aliquando causa *commoditatis temporalis*, ut hic: *Quaeritis me* etc. — Aliquando causa *persecutionis;* Matthaei secundo [6]: « Surge et accipe puerum et Matrem eius et fuge in Aegyptum et esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum enim est, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum ». — Aliquando causa *devotionis;* Lucae secundo: « Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te ».

Triplex causa quaerendi Christum.

ANNOTATIO 27.

(Vers. 33.). *Panis Dei est, qui de caelo descendit et dat vitam mundo.*

Nota, quod panis iste excellit omnem alium panem; *delectat* enim *mentem*, *roborat virtutem*, *continuat vitam.* — *Delectat mentem;* Sapientiae decimo sexto [7]: « Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem ». — *Roborat virtutem;* Psalmus: « Panis confirmat cor hominis ». — *Continuat vitam;* unde hic dicitur, quod *dat vitam mundo;* et Ioannis sexto: « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum ». — Primum pertinet ad *contemplationem;* secundum, ad *actionem;* sed tertium, ad *utrumque.*

Tres effectus eucharistiae.

Primus.

Secundus.

Tertius.

---

[1] Vers. 26. — Subinde allegantur Luc. 9, 62; Ezech. 1, 9; Num. 14, 3. et 4; Phil. 3, 8.

[2] Ioan. 6, 69. — Sequitur Phil. 3, 13, 14. et 12.

[3] Vers. 62. — Tres seq. loci sunt Gen. 19, 26; Ier. 15, 6. et III. Reg. 2, 42. seqq.

[4] Psalm. 54, 8. — Sequuntur Thren. 3, 28. et Osee 2, 14.

[5] Vers. 51. — Subinde allegatur Ioan. 6, 21. — Inferius pro *suppeditat* A *suspenditur.*

[6] Vers. 13. — Sequitur Luc. 2, 48.

[7] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Ps. 103, 15. et Ioan. 6, 52.

Capitulum VII. *Post haec autem ambulavit.*

COLLATIO XXX.

(Vers. 7.). *Me autem odit mundus.*

1. Notandum, quod mundus Christum *ignoravit* ut caecus — *odivit* ut invidus — *occidit* ut sacrilegus. Fuit *caecus* mundus in *ignorando;* Ioannis primo [1]: « Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit ». — *Invidus* in *odiendo;* Ioannis decimo quinto: « Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit ». — *Sacrilegus* in *occidendo;* Matthaei vigesimo primo dicunt mundani: « Hic est heres; venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem eius ». Ideo « qui voluerit esse amicus huius saeculi inimicus Dei constituitur », Iacobi quarto. « Nolite ergo diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt », primae Ioannis secundo.

Contra Christum mundus tripliciter peccavit.

2. *Mundus,* inquit, *me odit.* Odivit eum sicut *invidus,* quia Christus *magnus* erat in mundo; odivit eum sicut *adversarius,* quia Christus erat *contrarius* mundo; odivit eum sicut *mali conscius,* quia Christus erat *alienus* a mundo. — Christus ergo *magnus* reputabatur, et ideo odivit eum mundus; Ioannis decimo quinto [2]: « Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem viderunt et oderunt me et Patrem meum ». — Item, Christus fuit mundo *contrarius,* et ideo odivit eum mundus; unde hic: *Me autem odit mundus.* — Item, Christus fuit a mundo *alienus,* et ideo suspectus habebatur a mundo; propter quod odiebat eum mundus; Ioannis decimo quinto [3]: « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret »; nunc autem, « quia vero non estis de mundo, propterea odit vos mundus »; et de se ipso dicit: « Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit ».

Invidiae ratio triplex. Prima. Secunda. Tertia.

COLLATIO XXXI.

(Vers. 24.). *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.*

1. In verbis istis *interdicit* Dominus *iudicium malum,* cum dicit: *Nolite iudicare secundum faciem* — et *commendat iustum iudicium,* cum subiungit: *Sed iustum iudicium* etc.

Divisio.

Nolite iudicare secundum faciem. Nota, quod multiplex est iudicium *malum.* Est enim iudicium *temerarium,* et hoc est malum propter defectum *scientiae;* Ioannis septimo [4]: « Nunquid Lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat »? quasi dicat: iudicaret temerarie, si iudicaret sine causae cognitione. — Est etiam iudicium *praesumtuosum,* et hoc malum est propter defectum *vitae.* Non enim debet homo reprehensibilis alium iudicare; ad Romanos secundo [5]: « In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae iudicas ». — Est etiam iudicium *usurpativum,* et hoc est malum propter defectum *potestatis iudiciariae;* quod reprehendit Apostolus ad Romanos decimo quarto: « Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo aut stat, aut cadit »; et primae ad Corinthios quarto: « Nolite ante tempus iudicare » etc. Et nota, quod hoc triplex iudicium habet defectum ex parte *iudicantis.*

Primo, interdicitur. malum iudicium triplex. Temerarium. Praesumtuosum. Usurpativum. Notandum.

2. Est etiam triplex iudicium malum, quod deficit ex parte *ordinis iudicandi,* utpote quando in iudicato non est causa iudicii. Iudicium ergo illud aliquando procedit usque ad *suspicionem* tantum, et appellatur iudicium *suspiciosum,* ut quando ex levi coniectura alius iudicat alium; de quo hic: *Nolite iudicare secundum faciem.* — Aliquando procedit usque ad *definitionem,* et appellatur iudicium *definitivum;* de quo Matthaei septimo [6]: « Nolite iudicare, et non iudicabimini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini ». — Aliquando procedit iudicium usque ad *punitionem,* et appellatur iudicium *iniquum;* de quo Actuum vigesimo tertio: « Percutiet te Deus, paries dealbate; et tu sedens iudicas me secundum Legem, et contra Legem iubes, me percuti »; et Isaiae quadragesimo nono: « Eos qui te iudicaverunt, ego iudicabo ». — Recollige ergo et attende, quod triplex est iudicium malum, ex eo quod in *iudicante* non est facultas iudicandi; et triplex est iudicium malum, ex eo quod non est in *iudicato* causa iudicii.

Item, triplex ex parte iudicati. Primum. Secundum. Tertium. Epilogus.

3. *Nolite iudicare secundum faciem.* — Nota, quod quatuor inducunt hominem ad male iudicandum. Primum est *timor,* quem inhibet Scriptura, Levitici decimo nono [7]: « Non consideres personam pauperis nec honores vultum potentis; iuste iudica

Quatuor causae mali iudicii. Prima.

---

[1] Vers. 10. — Subinde allegantur Ioan. 15, 18; Matth. 21, 38; Iac. 4, 4. et I. Ioan. 2, 15.

[2] Vers. 24.

[3] Vers. 19. et 18. — Superius pro *suspectus* A *despectus.*

[4] Vers. 51. — Inferius pro *iudicaret,* B *non iudicat enim,* C *iudicaret enim.*

[5] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Rom. 14, 4. et I. Cor. 4, 5.

[6] Vers. 1. seq. — Subinde allegantur Act. 23, 3. et Isai. 49, 25. Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 118. et 119.

[7] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Iob 6, 29. et Iac. 3, 15. seqq.

Secunda. proximo tuo ». — Secundum est *odium*, quod detestabatur Iob sexto: « Respondete, obsecro, absque contentione, et loquentes id quod iustum est, iudi-
Tertia. cate »; Iacobi tertio: « Sapientia, quae » etc. — Tertium est *dilectio* sive favor *popularis*, qui prohibetur Exodi vigesimo tertio [1]: « Pauperis non misereberis in iudicio »; et ibidem: « Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum
Quarta. acquiesces sententiae, ut a vero devies ». — Quartum est *cupiditas*, quae prohibetur Exodi vigesimo tertio: « Non accipies munera, quae excaecant oculos prudentium et subvertunt verba iustorum »; et Ecclesiastici vigesimo: « Exenia et dona excaecant oculos iudicum ». — Quatuor ista continentur his versibus [2]:

Quatuor ista: timor, odium, dilectio, census,
Saepe solent hominum rectos pervertere sensus.

4. Sequitur: *Sed iustum iudicium iudicate.* —
Secundo, commendatur iudicium iustum. Hic *commendat* Dominus *iudicium iustum*. Ubi notandum est, quod ad iuste iudicandum [3] quaedam requiruntur in *iudice* — et quaedam in *iudicii ordine*.
Ex parte iudicis requirontur quatuor. — Ex parte *iudicis* requiritur iudicis *sapientia* in cognitione, *iustitia* in intentione, *irreprehensibilitas* in conversatione, *auctoritas* in exsecutione.

5. Primo ergo requiritur *sapientia in cogni-*
Primum. *tione*, ut ius scilicet noverit et causam sciat, quia sine hoc esset iudicium *temerarium*. Hanc postulabat Salomon tertii Regum tertio [4]: « Dabis, inquit, servo tuo cor docile, ut possit iudicare populum » etc.; et sequitur in eodem: « Qui timuerunt regem, videntes, sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium ».

6. Requiritur etiam *iustitia in intentione*, ut
Secundum. scilicet iudicet non libidine vindictae, vel irae, vel cuiusque malitiae, sed amore iustitiae, quia sine hoc esset iudicium *iniquum;* et ad hoc hortatur Scriptura secundi Paralipomenon decimo nono [5]: « Non exercetis, ait, iudicium hominis, sed Dei, et quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit »; et adiungit: « Non enim est apud Deum nostrum iniquitas nec personarum acceptio nec cupido munerum ». Et ideo dicitur Sapientiae primo: « Diligite iustitiam qui iudicatis terram »; et in Psalmo: « Recta iudicate, filii hominum ».

7. Requiritur etiam *irreprehensibilitas in con-*
Tertium. *versatione;* non enim congrue potest qui damnandus est, alium damnare; alioquin iudicium erit *praesumtuosum;* propter quod dicitur ad Romanos secundo [6]: « Inexcusabilis es, o homo, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae iudicas »; Matthaei septimo: « Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo » etc.

8. Requiritur etiam *auctoritas in exsecutione*, Quartum.
sine qua esset etiam iudicium *usurpatum;* propter quod dicitur ad Romanos decimo quarto [7]: « Tu quis es, qui iudicas alienum servum »? et Lucae duodecimo: « Homo, quis constituit me iudicem super vos aut divisorem »? quasi dicat: non debes iudicare non constitutus a superiore. — Haec ergo quatuor requiruntur in iudice.

9. Sunt et alia quatuor, quae requiruntur in Item, quatuor ex parte ipsius iudicii.
iudicii exsecutione, scilicet *inquisitio* diligens, *definitio* iusta, *exsecutio* constans, *punitio* modesta. —
Requiritur *inquisitio diligens;* unde Iob vigesimo Primum.
nono [8]: « Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam »; et secundi Paralipomenon decimo nono dicitur iudicibus: « Cum diligentia cuncta facite »; et Ioannis septimo: « Nunquid Lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat »? — Requiritur *definitio iusta;* Levitici Secundum.
decimo nono: « Non consideres personam pauperis »; et sequitur: « Iuste iudica proximo tuo ». — Re- Tertium.
quiritur *exsecutio constans;* Ecclesiastici septimo [9]: « Noli quaerere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitatem, ne forte extimescas faciem potentis ». — Requiritur *punitio modesta;* Ecclesiastae se- Quartum.
ptimo: « Noli esse iustus multum, neque plus sapias, quam necesse est »; et ideo statuitur modus poenae Deuteronomii vigesimo quinto, cum dicitur: « Pro mensura peccati erit et plagarum modus; ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedat ».

COLLATIO XXXII.

(Vers. 34.). *Quaeretis me et non invenietis.*

1. Nota, quod a bonis quaeritur Christus et in- Aliter boni quaerunt, aliter reprobi.
venitur ab illis; quaeritur autem, sed non invenitur a reprobis, quibus hic dicitur: *Quaeretis me et non invenietis.* — Quare autem non invenitur Dominus Triplex ratio, quare Christus non inveniatur.
a quaerentibus, causa triplex est: una est ex parte *temporis* — alia, ex parte *loci* — tertia, ex parte *modi quaerendi*. Quaerunt ergo et non inveniunt illi qui quaerunt, non *quando* inveniri potest — et qui quaerunt, non *ubi* inveniri potest — et qui quaerunt, non *qualiter* inveniri potest.

2. Quaerunt, non *quando* inveniri potest, qui Ex parte temporis triplex defectus. Primus.
non quaerunt *de die*, vel qui non quaerunt *continue*, vel qui non quaerunt *tempestive*. — Quaerunt

---

[1] Vers. 3. et 2. — Sequuntur Exod. 3, 8. et Eccli. 20, 31: *Xenia et dona* etc. Cfr. supra pag. 543, nota 10.

[2] Iidem versus occurrunt supra in Comment. in Ioan. c. 7. n. 74.

[3] Cod. C *ad iustum iudicium.*

[4] Vers. 9. et 28.

[5] Vers. 6. et 7. — Subinde allegantur Sap. 1, 1. et Ps. 57, 2.

[6] Vers. 1. — Sequitur Matth. 7, 5. — Superius vocibus *alium damnare* C interserit *iudicare, id est.*

[7] Vers. 4. — Seq. locus est Luc. 12, 14. — Inferius pro *non constitutus* C *nisi constitutus.*

[8] Vers. 16. — Sequuntur II. Paralip. 19, 7; Ioan. 7, 51; Lev. 19, 15.

[9] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 7, 17. et Deut. 25, 2. seq.

ergo et non inveniunt qui non quaerunt *de die gratiae*, sed in nocte culpae; unde Canticorum tertio [1]: « Per noctes quaesivi quem diligit anima mea »; et sequitur: « Quaesivi et non inveni ». Nec mirum, quia
Secundo. quaesivit obscuro tempore. — Quaerunt et non inveniunt qui quaerunt *interrupte*, cum ipse sit quaerendus *continue;* unde in Psalmo: « Quaerite Dominum et confirmamini; quaerite faciem eius semper ». Nota fabulam de vetula, quae dicebat: Quaere pul-
Tertio. crum maritum. — Quaerunt et non inveniunt qui non quaerunt *tempestive*, sicut illa, de qua Canticorum quinto [2]: « Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat atque transierat »; et sequitur: « Quaesivi et non inveni illum »; et Ioannis septimo dicitur: « Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum qui me misit »; et subiungit: *Quaeretis me et non invenietis;* quasi dicat: quia
Notandum. tarde quaeritis. — Propter haec tria dicitur Isaiae quinquagesimo quinto: « Quaerite Dominum, dum inveniri potest ».

3. Quaerunt, non *ubi* inveniri potest, qui quae-
Item, ex parte loci. runt in *lecto carnalis voluptatis*, vel qui in *foro mundanae negotiationis*, vel qui in *choro pompae*
Defectus primus. *saecularis*. — Quaeritur ergo in *lecto carnalis voluptatis;* Canticorum tertio [3]: « In lectulo meo quaesivi quem diligit anima mea »; sed non invenitur, quia sequitur: « Quaesivi illum et non inveni »; unde Iob vigesimo octavo: « Non invenitur in terra suaviter viventium ». — Quaeritur in *foro mundanae*
Secundus. *negotiationis;* Canticorum tertio [4]: « Surgam et circuibo civitatem; per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea ». Expone de civitate mundi, de qua Psalmus: « Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate ». Sed nec ibi invenitur; unde sequitur: « Quaesivi illum et non inveni »; Osee undecimo: « In medio tui Sanctus, et non ingrediar civita-
Tertius. tem »; loquitur de se ipso Dominus. — Quaeritur in *choro pompae saecularis;* Lucae secundo [5]: « Existimantes, illum esse in comitatu, venerunt iter diei unius, et requirebant eum inter cognatos et notos »; sed nec ibi invenitur; unde sequitur: « Et non in-
Notandum. venientes regressi sunt in Ierusalem ». — Propter haec tria corripit Dominus quaerentes se Lucae secundo: « Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse »?

4. Quaerunt et non inveniunt qui non quaerunt,
Item, ex parte modi. *qualiter* inveniri potest, ut in quibus est *evagatio rationis*, vel *obliquitas intentionis*, vel *remissio*
Defectus primus. *operis*. — Non inveniunt in quibus est *evagatio rationis*, de quibus Osee quinto [6]: « In gregibus suis et in armentis suis vadent ad quaerendum Dominum »; supple: per curiosam cogitationem; « et non invenient; ablatus est ab eis »; Sapientiae primo: « In simplicitate cordis quaerite Dominum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum ». — Item, Secundus.
non invenitur ab his, in quibus est *obliquitas intentionis*, sive sit intentio *maligna*, qualem habuit Herodes; Matthaei secundo [7]: « Futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum »; sive sit intentio *carnalis*, qualem habebant turbae; Ioannis sexto: « Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia de panibus manducastis »; sive sit *curiosa*, qualem habebant Pharisaei, Ioannis undecimo, « qui quaerebant Iesum et colloquebantur ad invicem in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum »? — Item, non invenitur ab his, in quibus est Tertius.
remissio operis; propter quod dicitur Lucae decimo tertio [8]: « Contendite intrare per angustam portam, quia dico vobis, multi quaerent intrare et non poterunt ». Propter hoc dicitur Isaiae vigesimo primo: « Si quaeritis, quaerite; convertimini et venite ».

Annotatio 28.

(Vers. 16.). *Doctrina mea non est mea.*

Nota, qualiter docet nos vitare arrogantiam, Docetur vitare arrogantiam.
qui, cum exhibuerit nobis in se ipso sapientiam, potentiam et iustitiam, attribuit tamen Patri omnium istorum honorem. — Patri attribuit honorem *sapien-* Quoad sapientiam.
tiae; unde hic: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, Patris; et infra octavo [9]: « Sicut docuit me Pater, haec loquor ». — Patri attri- Potentiam.
buit honorem *potentiae;* unde Ioannis quinto: « Non potest Filius a se quidquam facere, nisi quod viderit Patrem facientem »; et infra octavo: « A me ipso facio nihil ». — Patri attribuit honorem *iustitiae;* Iustitiam.
unde Ioannis quinto: « Non possum ego a me ipso facere quidquam, sed sicut audio, iudico ».

Annotatio 29.

(Vers. 18.). *Qui a semetipso loquitur gloriam propriam quaerit.*

Et hoc malum est, quia gloria propria est glo- Propria gloria est vana.
ria *vana*, gloria *vilis* et *momentanea*. — *Vana;* unde Isaiae quadragesimo [10]: « Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos foeni ». — *Vilis;* primi Vilis.
Machabaeorum secundo: « A verbis viri peccatoris ne timueris, quia gloria eius stercus et vermis est ».

---

[1] Vers. 1. — Sequitur Ps. 104, 4.

[2] Vers. 6. — Subinde allegantur Ioan. 7, 33. et 34; Isai. 55, 6.

[3] Vers. 1. — Sequitur Iob 28, 13.

[4] Vers. 2. — Tres seqq. loci sunt Ps. 54, 10; Cant. 3, 1. et Osee 11, 9.

[5] Vers. 44. et 45. ac inferius v. 49.

[6] Vers. 6. — Sequitur Sap. 1, 1. et 2.

[7] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 26. et 11, 56.

[8] Vers. 24. — Subinde allegatur Isai. 21, 12.

[9] Vers. 28. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 5, 19; 8, 28. et 5, 30.

[10] Vers. 6. — Sequuntur I. Machab. 2, 62. et Ps. 48, 17. seq.

Momentanea. — *Momentanea;* unde in Psalmo: « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius; quoniam, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius ».

ANNOTATIO 30.

(Vers. 38.). *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

Gratia est aqua viva triplici ratione. Nota, quod gratia Dei dicitur *aqua viva,* quia vitam *tribuit,* vitam *custodit,* ad vitam *perducit.* — Vitam *tribuit;* Ezechielis quadragesimo septimo [1]: « Omnia, ad quae pervenerit torrens, vivent ». — Vitam *custodit;* Numerorum vigesimo: « Aperi nobis thesaurum tuum, fontem aquae vivae, ut satiati, cesset murmuratio eorum ». — Ad vitam *perducit;* Ioannis quarto: « Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ».

ANNOTATIO 31.

(Vers. 46.). *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.*

Nunquam locutus est sic potenter; Matthaei septimo [2]: « Admirabantur turbae super doctrina eius; erat enim docens eos sicut potestatem habens, non sicut scribae et Pharisaei ». — Item, *nunquam locutus est homo sic* sapienter; Lucae secundo: « Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius »; Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego sapientia effudi flumina ». — Item, *nunquam locutus est homo sic* dulciter; quam dulcedinem sentiens, « mulier extollens vocem, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti [3] ». — Item, *nunquam locutus est homo sic* utiliter; Ioannis sexto: « Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt ».

Sic potenter. Sapienter. Dulciter. Utiliter.

ANNOTATIO 32.

(Vers. 51.). *Nunquid Lex nostra iudicat hominem?*

Require supra de iudicio eodem capitulo septimo [4].

CAPITULUM VIII. *Iesus perrexit in montem.*

COLLATIO XXXIII.

(Vers. 10.). *Mulier, ubi sunt qui te accusabant?*

Introductio et divisio. 1. Mirabilis est prorsus misericordia Salvatoris in absolutione huius adulterae, quia primo *repellit accusationem;* quod ostendit hic se fecisse, cum dicit: *Ubi sunt qui te accusabant?* — Secundo, *suspendit condemnationem,* cum dicit [5]: *Nec ego te condemnabo.* — Tertio, *tribuit remissionem,* cum dicit: *Vade,* quasi libera et absoluta. — Quarto, *adiungit instructionem,* cum dicit: *Noli peccare.*

De liberatione ab accusatione duo. 2. Ostendens ergo adulteram *ab accusatione liberatam,* ait: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant?* In quibus verbis duo tangit: *praesentem accusatorum dispersionem,* cum eos quasi non existentes requirit: *Ubi sunt?* — Secundo, *praeteritam eorundem accusationem,* cum dicit: *Qui te accusabant.*

Animam adulterantem quatuor accusant. Ad intelligendum autem, qualiter Christus liberat animam ab accusatoribus suis, notandum, quod animam spiritualiter adulterantem quatuor accusant: accusat *conscientia,* accusat *fama,* accusat *lex divina,* accusat *diabolica malitia.* — Accusat *conscientia;* ad Romanos secundo [6]: « Testimonium illis reddente conscientia, et inter se invicem cogitationum accusantibus aut defendentibus » etc.; iudicabuntur, supple. — Accusat *fama;* quocontra de Samuele dicitur Ecclesiastici quadragesimo sexto: « Non accusavit illum homo »; primae ad Timotheum quinto: « Adversum presbyterum noli accusationem accipere nisi sub duobus aut tribus testibus ». — Accusat *lex divina;* Ioannis quinto [7]: « Est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis ». — Accusat *diabolica malitia.* Diabolus ipse est, qui « accusat fratres die ac nocte », Apocalypsis duodecimo.

Conscientia. Fama. Lex Dei. Diabolus.

Ab his liberat Christi misericordia. Culpam dimittendo. 3. Ab istis accusationibus liberat *Christi misericordia.* Ab accusatione *conscientiae* liberat *culpam dimittendo.* Dimissa enim culpa, non habet de quo clamet conscientia; sicut liberavit publicanum, Lucae decimo octavo [8], qui coram Domino accusavit se prius, secundum illud Proverbiorum decimo octavo: « Iustus in principio accusator est sui »; et sequitur, quia « descendit iustificatus in domum suam ». — Ab accusatione *famae* liberat *infamatores humiliando,* quemadmodum, Ioannis octavo [9], humiliavit infamatores adulterae dicens: « Qui sine peccato est mittat in eam lapidem »; Lucae septimo, infamatorem Magdalenae; propter quod dicitur ad Romanos octavo: « Quis accusabit adversus electos Dei? Si Deus pro nobis, quis contra nos »? — Ab accusatione

Infamatores humiliando.

---

[1] Vers. 9. — Duo seqq. loci sunt Num. 20, 6. et Ioan. 4, 14.

[2] Vers. 28. et 29. — Sequuntur Luc. 2, 47. et Eccli. 24, 40.

[3] Luc. 11, 27. — Sequitur Ioan. 6, 64.

[4] Collat. XXXI.

[5] Vers. 11, ubi etiam duae seqq. allegationes. — Superius pro *huius adulterae... accusationem, quod* C *huius mulieris... actionem, quam.*

[6] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 46, 22. et I. Tim. 5, 19.

[7] Vers. 45. — Sequitur Apoc. 12, 10.

[8] Vers. 13, post quem sequuntur Prov. 18, 17. et Luc. 18, 14.

[9] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 40. seqq.; Rom. 8, 33. et 31.

In forum misericordiae causam deducendo.

legis divinae liberat causam in *forum misericordiae deducendo*. Accusat enim lex divina secundum *forum iustitiae*, sed cessat rigor iustitiae, cum Deus absolvit in *foro misericordiae*. Sic liberavit adulteram istam, quam Iudaei accusabant secundum Legem dicentes [1]: « Moyses praecepit huiusmodi lapidare ». Christus autem, convictis accusatoribus, deduxit causam in *forum misericordiae* dicens: *Nec ego te condemnabo*. — Ab accusatione *diabolicae malitiae* liberat *diabolum prosternendo*. Diabolus enim ex malignitate accusat, et ideo est magis prosternendus quam audiendus; unde Apocalypsis duodecimo [2] laudatur Dominus, « quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei die ac nocte ».

Diabolum prosternendo.

ANNOTATIO 33.

(Vers. 12.). *Ego sum lux mundi.*

Require supra capitulo primo [3] de luce, Christo.

COLLATIO XXXIV.

(Vers. 26.). *Qui misit me verax est.*

1. Veneranda est missio Salvatoris propter tria. Solet enim venerari donum vel propter *excellentiam dantis*, vel propter *excellentiam muneris*, vel propter *indigentiam recipientis*. — Propter hanc triplicem rationem veneranda est missio Salvatoris. Magnus est *qui mittit*, Deus Pater; Ioannis octavo [4]: « Solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater ». — Item, magnus est *qui mittitur*, scilicet Dei Filius; ad Galatas quarto: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege ». — Item, indigebant eo *quibus mittitur;* unde Genesis penultimo: « Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium ».

Missio Salvatoris veneranda ob 3 rationes.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

2. Et revera ipse fuit *exspectatio gentium*, quia ipse fuit missus *omnibus* in *remedium*. Missus enim fuit *poenitentibus*, ut relevarentur a culpa — *patientibus*, ut relevarentur a poena — *proficientibus*, ut promoverentur in iustitia — *contemplantibus*, ut sublimarentur in gratiae experientia.

Est remedium quadruplex.

3. Missus est ergo *poenitentibus*, ut *relevarentur a culpa*. In *culpa* autem est considerare tria: *maculam*, *reatum* et *offensam;* et ideo mittitur Christus ad *iustificandum*, ad *redimendum*, ad *reconciliandum*. — Mittitur ad *iustificandum* a culpa; ad Romanos octavo [5]: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustificatio Legis impleretur in nobis ». — Mittitur ad *redimendum* a poena; ipse est enim, « qui redemit de interitu vitam [6] »; ad Galatas quarto: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret »; Psalmus: « Redemptionem misit Dominus populo suo ». — Mittitur ad *reconciliandum* contra offensam; primae Ioannis quarto: « In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus eum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris ».

Poenitentibus dat tria.

Venit ad iustificandum.

Ad redimendum.

Ad reconciliandum.

4. Missus est ad *patientes*, ut eos relevaret a *poena;* quod fit tribus modis: *eripiendo*, *sanando* et *custodiendo: eripiendo* a captivitate, *sanando* ab infirmitate, *custodiendo* ab utroque. — Mittitur ergo ad *eripiendum;* Psalmus [7]: « Emitte manum tuam de alto; eripe me et libera me de aquis multis ». — Mittitur ad *sanandum;* Psalmus: « Misit manum suam et sanavit eos ». — Mittitur ad *custodiendum;* Ioannis sexto: « Haec est voluntas eius qui misit me Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo ».

Tria dat patientibus.

Eripit.

Sanat.

Custodit.

5. Mittitur *activis* ad *promovendum* in iustitia, quod facit tripliciter: *docendo*, *excitando* et *deducendo: docendo intellectum*, ut sciant; *excitando affectum*, ut velint; *deducendo effectum*, ut valeant. — Mittitur ergo ad *docendum;* Sapientiae nono [8]: « Mitte illam », scilicet sapientiam, « de caelis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te ». — Mittitur ad *excitandum;* Lucae decimo quarto: « Misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent »; et Proverbiorum primo: « Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam ». — Mittitur ad *deducendum;* Malachiae tertio: « Ecce, ego mittam angelum meum, et praeparabit viam ante faciem tuam ».

Tria dat activis.

Docet.

Excitat.

Deducit.

6. Mittitur *contemplantibus* ad *sublimandum* in experientia gratiae; quod facit tribus modis: *revelando*, *visitando* et *certificando: revelando* secreta mysteriorum; *visitando* fruitione spiritualium gaudiorum; *certificando* de adeptione praemiorum. — Mittitur ergo ad *revelandum;* Ezechielis secundo [9]: « Vidi, et ecce, manus missa ad me, in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me ». — Mittitur ad *visitandum;* Genesis trigesimo septimo: « Veni, mittam te ad fratres tuos. Vade et vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos ». — Mittitur ad *certificandum;* Isaiae sexagesimo pri-

Tria dat contemplativis.

Revelat.

Visitat.

Certificat.

---

[1] Ioan. 8, 5; subinde allegatur v. 11.
[2] Vers. 10.
[3] Collat. 1.
[4] Vers. 26. — Duo seqq. loci sunt Gal. 4, 4. et Gen. 49, 10.
[5] Vers. 3. et 4.
[6] Psalm. 102, 4: Qui redimit (ita etiam C) de interitu vitam tuam. — Sequuntur Gal. 4, 4; Ps. 110, 9. et 1. Ioan. 4, 10.
[7] Psalm. 143, 7. — Duo seqq. loci sunt Ps. 106, 20: *Misit verbum suum* etc., et Ioan. 6, 39.
[8] Vers. 10. — Subinde allegantur Luc. 14, 17; Prov. 1, 20. et Malach. 3, 1.
[9] Vers. 9. — Sequuntur Gen. 37, 13. seq. et Isai. 61, 1. seq.

mo: « Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem annum placabilem Domino ».

ANNOTATIO 34.

(Vers. 35.). *Servus non manet in domo in aeternum; filius autem manet in aeternum.*

Servitus quintuplex. Nota hic multiplicem servitutem. Est enim servitus *naturalis*, servitus *legalis*, servitus *spiritualis*, servitus *carnalis* et servitus *aeternalis*.

Prima. — Servitus *naturalis sustinenda* est; unde ad Ephesios sexto [1]: « Servi, obedite dominis carnalibus cum omni timore et tremore » etc. De ista dicitur a Iudaeis Ioannis octavo: « Nemini servivimus unquam ».

Secunda. — Servitus *legalis* est *evacuanda;* ad Galatas quarto: « Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena mundi elementa, quibus denuo servire vultis »? et quinto: « State et nolite iterum iugo

Tertia. servitutis contineri ». — Servitus *spiritualis* est *amplectenda;* ad Romanos septimo [2]: « Mente servio legi Dei »; et ad Philippenses tertio: « Spiritu Deo servimus et gloriamur in Christo Iesu »; et ad Galatas quinto: « Per caritatem servite invicem ».

Quarta. — Servitus *carnalis* est *abominanda*, de qua Ioannis octavo [3]: « Qui facit peccatum servus est peccati »; et iterum: *Servus non manet in domo in aeternum.*

Quinta. — Servitus *aeternalis* est *horrenda;* haec est, quae continuatur a culpa in poenam, secundum illud Matthaei decimo octavo: « Serve nequam, omne debitum dimisi tibi » etc.; et sequitur, quod « iussit, eum proiici in tenebras exteriores ».

COLLATIO XXXV.

(Vers. 36.). *Si ergo Filius Dei vos liberaverit, vere liberi eritis.*

Libertas quintuplex. 1. Nota secundum multiplicem differentiam *servitutis* multiplicem differentiam *libertatis.* — Est enim

Prima. libertas *naturae* contra servitutem *naturalem;* de qua Iob tertio [4]: « Parvus et magnus ibi sunt et servus et liber a domino suo ». Exemplum de servo, qui, imminente periculo maris, arridebat domino suo dicens, quia hodie essent pares et biberent ambo in

Secunda. cipho uno. — Est libertas *fidei* contra servitutem *legalem;* de qua ad Galatas quinto: « In libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis ».

Tertia. — Est libertas *culpae* contra servitutem *spiritualem;* de qua Iob undecimo [5]: « Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat »; et ad Romanos sexto: « Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae ».

Quarta. — Est libertas *gratiae* contra servitutem *carnalem;* secundae ad Corinthios tertio: « Ubi Spiritus Domini, ibi libertas »; et ad Galatas quarto:

Quinta. « Non sumus ancillae filii, sed liberae ». — Est libertas *gloriae* contra servitutem *aeternalem;* ad Romanos octavo: « Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei ».

Alia divisio. 2. *Servus non manet in domo in aeternum.* Notandum, quod est servitus *mala* — et servitus *bona.* — Servitus *mala* triplex. Quidam enim ser-

Servitus mala triplex. viunt *carni;* de quibus ad Romanos decimo sexto [6]:

Carnis. « Huiusmodi non serviunt Deo, sed ventri suo »; ad Philippenses tertio: « Quia multi ambulant, quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico » etc. De hac servitute ait Seneca: « Multis serviet qui corpori servit »; et idem: « Maior sum et ad maiora genitus, quam ut mancipium corporis mei sim ». —

Mundi. Quidam autem serviunt *mundo*, quibus dicitur Lucae decimo sexto [7]: « Nemo potest duobus dominis servire »; et iterum: « Non potestis Deo servire et mammonae ». — Quidam serviunt *peccato;* Ioan-

Peccati. nis octavo: « Qui facit peccatum servus est peccati »; secundae Petri secundo: « A quo quis superatus est, huius et servus est ».

Haec est laboriosa. 3. Servitus haec mala est, quia *laboriosa* est; Ieremiae decimo sexto [8]: « Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte ».

Ignominiosa. — Item, quia *ignominiosa;* Exodi primo: « De servitute luti et lateris ». Nota et expone.

Infructuosa. — Item, quia *infructuosa;* ad Romanos sexto: « Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae; quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis »?

Servitus bona triplex. 4. Est servitus *bona* triplex. Debemus enim *Deo*

Dei. servire; Psalmus [9]: « Servite Domino in timore ». — Debemus *praelato* servire; primae ad Timotheum

Praelati. sexto: « Qui habent fideles dominos non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt ». — Debemus etiam servire *proximo;* ad Galatas

Proximi. quinto: « Per caritatem spiritus servite invicem ».

De servitute Dei tria. Primo, in quibus serviendum. 5. De servitute *Dei* nota, *in quibus* serviendum Deo — *qualiter* — et *propter quid.* — Nota igitur primo differentias servitiorum et attende,

---

[1] Vers. 5. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 8, 33; Gal. 4, 9. et 5, 1.

[2] Vers. 25. — Subinde allegantur Phil. 3, 3. et Gal. 5, 13.

[3] Vers. 34. et 35. — Inferius exhibetur Matth. 18, 32; ibid. 34: *Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus* etc. Ibid. 22, 13: *Mittite eum in tenebras exteriores* etc.; cfr. 25, 30: *Inutilem servum eiicite in tenebras exteriores; illic erit fletus et stridor dentium.*

[4] Vers. 19. — Sequitur Gal. 5, 13.

[5] Vers. 12. — Subinde allegantur Rom. 6, 20; II. Cor. 3, 17; Gal. 4, 31. et Rom. 8, 21.

[6] Vers. 18. — Sequitur Phil. 3, 18, et subinde Seneca, Epist. 14. n. 1. et Epist. 65. (alias 66.) n. 21.

[7] Vers. 13, ubi etiam seq. textus. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 8, 34. et II. Petr. 2, 19.

[8] Vers. 13. — Subinde allegantur Exod. 1, 14. et Rom. 6, 20. seq.

[9] Psalm. 2, 11. — Sequuntur I. Tim. 6, 2. et Gal. 5, 13.

Deo servitur in negotio actionis. quod quidam serviunt Deo in *negotio actionis*, ut illi servi, quos vocavit Dominus, Lucae decimo nono [1], et « dedit eis decem mnas et ait eis: Negotiamini, dum

In proelio passionis. venio ». — Quidam serviunt Deo in *proelio passionis*, sicut illi, de quibus in Psalmo dicitur: « Effuderunt sanguinem servorum tuorum ». Ad hoc servitium armabat suos Dominus, Ioannis decimo quinto, dicens: « Non est servus maior domino suo. Si me

In thalamo contemplationis. persecuti sunt, et vos persequentur ». — Quidam serviunt Deo in *thalamo contemplationis;* de quibus in figura servorum Salomonis, tertii Regum decimo [2]: « Beati servi tui, qui stant coram te semper et au-

In ministerio praelationis. diunt sapientiam tuam ». — Quidam serviunt Deo in *ministerio praelationis*, quales describens Dominus ait Matthaei vigesimo quarto: « Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam tuam, ut det illis cibum in tempore »?

6. Nota postea, *qualiter* est Deo serviendum.

Secundo, qualiter. Vigilanter. Sciendum igitur, quod est serviendum *vigilanter* quantum ad *sollicitudinem rationis;* unde Lucae duodecimo [3]: « Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem ». — Est etiam serviendum

Fideliter. Deo *fideliter* quantum ad *rectitudinem intentionis*, ut dicatur servo quod dicitur Matthaei vigesimo quinto: « Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis » etc. — Est etiam serviendum Deo

Libenter. *libenter* quantum ad *promptitudinem voluntatis*, secundum quod dicitur in Psalmo [4]: « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit

Perseveranter. mihi ». — Serviendum est etiam Deo *perseveranter* quantum ad *continuationem operis;* Lucae primo: « Serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris ».

7. Nota, *quare* est Deo serviendum. Sunt ergo

Tertio, quare. Movet timor supplicii. tria, quae movent nos ad serviendum Deo. Movet nos *timor supplicii.* Comminatur enim supplicium male servienti; unde dicit Lucae duodecimo [5]: « Servus, qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis ». —

Amor praemii. Movet nos *amor praemii;* ad Romanos sexto: « Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero

Pudor opprobrii. vitam aeternam ». — Movet nos *pudor opprobrii.* Sequitur enim confusio non servientes Deo; unde ad Romanos sexto [6]: « Cum servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae. Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis »? — Movet etiam nos *ho-*

Honor officii. *nor officii;* unde super primum ad Romanos Glossa [7]: « Deo servire regnare est »; et Ecclesiastici vigesimo tertio: « Gloria magna est sequi Dominum »; unde et beata Agatha: « Illa est vera libertas, in qua Christi servitus comprobatur ».

Aliae tres rationes. 8. Item nota, quod serviendum est Deo ratione *debiti*, ratione *commodi*, ratione *honesti:* ratione

Ratione debiti tripliciter. *debiti*, quia *conditor;* unde in Psalmo [8]: « Servite Domino in laetitia »; et postea subiungit causam: « Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, et non ipsi nos ». — Quia *protector;* unde Lucae primo: « Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi ». — Quia *sustentator;* haec est enim causa, quare quis alii debet servire, secundum quod dicebant Aegyptii Ioseph Genesis quadragesimo septimo: « Eme nos in servitutem regiam et praebe semina, ne, deficiente cultore, terra redigatur in solitudinem ».

Item, ratione commodi. 9. Item, serviendum est ratione *commodi*, quia scilicet *remittit culpam;* unde in Psalmo [9]: « Iudicabit Dominus populum suum et in servis suis deprecabitur », id est, miserebitur. — *Immittit gratiam;* ad Romanos sexto: « Exhibeatis membra vestra servire iustitiae in sanctificationem »; et eodem: « Servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem », quae quidem non est nisi per gratiam. — Quia *promittit gloriam;* Isaiae sexagesimo quinto: « Servi mei comedent, et vos esurietis »; dicitur malis, et exponitur de refectione gloriae et esurie gehennae.

Item, ratione honesti. 10. Item, serviendum est Deo ratione *honesti.* Honestum est enim servire Deo ratione *dominii*, quia magnus est; Psalmus [10]: « Omnia serviunt tibi ». — Honestum est etiam ratione *officii*, quia nobile est; unde Glossa super primum ad Romanos: « Servire Deo regnare est ». — Honestum etiam est ratione *servi*, quia ad hoc factus est; Isaiae quadragesimo nono: « Haec dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi », id est ad serviendum sibi.

---

[1] Vers. 13. — Inferius allegantur Ps. 105, 38: Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum etc. (cfr. Ps. 78, 10: Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est), et Ioan. 15, 20.

[2] Vers. 8. — Sequitur Matth. 24, 45.

[3] Vers. 37; cfr. v. 43. — Subinde allegatur Matth. 25, 21. — Superius pro *rationis* secunda manus in B substituit *actionis*.

[4] Psalm. 17, 45. — Sequitur Luc. 1, 74. et 75.

[5] Vers. 47. — Seq. locus est Rom. 6, 22.

[6] Vers. 20. seq.

[7] *Interlinearis* (apud Lyranum) in v. 1; cfr. Petr. Lombard., in hunc locum: *Servus Iesu Christi.* Ecce conditio... Et ne misera servitus videatur, non simpliciter ait *servus*, sed addit *Iesu*, id est Salvatoris, cui merito omnes servire debent; ei etenim servire regnare est. — Sequitur Eccli. 23, 38. In festo S. Agathae (5. Febr.) Breviar. Roman., II. Noct. 2. antiph.: Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur. Cfr. Surius, Histor. seu vitae Sanct., 5. Febr. de vita S. Agathae (auctore Simeone Metaphraste) § 4: Nostra nobilitas et gloria sita est in eo, quod Christi annuntiatur servitus.

[8] Psalm. 99, 2. et 3. — Duo seqq. loci sunt Luc. 1, 74. et Gen. 47, 19.

[9] Psalm. 134, 14. — Subinde allegantur Rom. 6, 19. et 22; Isai. 65, 13. (cfr. Hieron., in hunc locum, ex quo Glossa *ordinaria*).

[10] Psalm. 118, 91. — De seq. Glossa cfr. supra nota 7. Subinde allegatur Isai. 49, 5.

ANNOTATIO 35.

(Vers. 43.). *Quare loquelam meam non cognoscitis?*

1. Nota, quod Dominus loquitur nobis aliquando per *signa creaturae;* aliquando per *litteras Scripturae;* aliquando quasi *per nuntios*, et hoc in praedicatione; aliquando quasi *voce viva*, et hoc interna inspiratione. — Loquitur ergo per *signa creaturae;* Proverbiorum primo [1]: « Sapientia foris praedicat », id est in creaturis; unde Proverbiorum sexto: « Vade ad formicam, o piger, et considera vias eius ». — Loquitur per *litteras Scripturae;* unde Exodi vigesimo: « Locutus est Dominus cunctos sermones hos »; et Ieremiae trigesimo sexto: « Tolle volumen et scribe in eo omnia verba, quae locutus sum tibi adversus Israel et Iudam ». — Loquitur per *nuntios in praedicatione*, quibus dicitur Matthaei decimo [2]: « Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ». — Loquitur *voce viva* et interna inspiratione; unde in Psalmo: « Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus »; et Osee secundo: « Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius ». — Cum igitur Dominus loquatur *signis, litteris, nuntiis* et *verbis*, recte improperat indoctis: *Quare loquelam meam non cognoscitis?*

Deus loquitur nobis 4 modis. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

2. *Quia non potestis audire sermonem meum.* Nota, quod gravis fuit Christus malis ad *audiendum;* unde hic: *Quia non potestis* etc. Ad *videndum;* Sapientiae secundo [3]: « Gravis est nobis etiam ad videndum ». Ad *sustinendum;* Ioannis undecimo: « Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum »; hoc dicebant Iudaei graviter ferentes Christum.

Christus malis gravis tripliciter.

ANNOTATIO 36.

(Vers. 44.). *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere.*

Nota, quod Scriptura detestatur tria genera desideriorum, scilicet desideria *carnalia*, de quibus primae Petri secundo [4]: « Obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis » etc. — Item, desideria *saecularia;* ad Titum secundo: « Abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo ». — Item, desideria *diabolica*, de quibus hic: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere.* — Desideria ista *detestanda* sunt, quia animam *impugnant;* primae Petri secundo [5]: « Obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam ». Animam *cruciant;* Proverbiorum vigesimo primo: « Desideria occidunt pigrum ». Animam *captivant;* unde illud Psalmi: « Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis ».

Tria desideria mala. Detestanda sunt triplici ratione.

COLLATIO XXXVI.

(Vers. 59.). *Iesus autem abscondit se et exivit de templo.*

1. In verbis istis tangitur duplex gradus subtrahendi gratiam malis. Dominus enim, cum a peccatore offenditur, primo aufert ei *gratiae sensum* sive experientiam, et tunc quasi *se abscondit*, cum spiritualiter non sentitur. — Secundo aufert *gratiae existentiam*, et tunc quasi *de templo exit*, cum per gratiam non habetur; quae duo significantur hic: primum, cum dicit: *Iesus abscondit se;* secundum, cum dicit: *Et exivit de templo.* — Domini igitur *absconsio* est consolationis spiritualis subtractio.

Duplex gradus subtrahendi gratiam.

2. Unde nota, quod Dominus abscondit se aliquando, ut *deserat;* aliquando, ut *corripiat;* aliquando, ut *promoveat.* — Abscondit se Dominus a *malis* ad deserendum, et hoc propter illorum malignitatem; qualiter abscondit se Dominus a Iudaeis hic, cum *abscondit se et exivit de templo;* et Deuteronomii trigesimo secundo [6]: « Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum ». — Abscondit se ab *infirmis* sive carnalibus ad *corripiendum*, et hoc propter illorum carnalitatem; qualiter abscondit se a turbis, Ioannis sexto, quibus eum volentibus « facere regem, fugit in montem »; Iob vigesimo octavo: « Abscondita est sapientia ab oculis omnium viventium », supple: suaviter secundum carnem. — Abscondit se aliquando a *bonis*, ut illos *promoveat*, qualiter abscondit se a Magdalena, Ioannis vigesimo, quando praesens erat, sed se ipsum non ostendebat; latebat, sed non recedebat, quod fiebat propter Magdalenae utilitatem.

De primo. Absconsio triplex. A malis ad deserendum. Ab infirmis ad corripiendum. A bonis ad promovendum.

3. Absconditur autem ab *electis* propter triplicem utilitatem: primo, ut *corrigat culpam;* quod figuratum est, Genesis quadragesimo secundo [7], de Ioseph, qui praesens fratribus nolebat agnosci, ab eis exigens poenitentiam sive dolorem super venditione fratris. — Secundo, ut *humiliet mentem;* quod

Absconsionis triplex utilitas. Prima. Secunda.

---

[1] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Prov. 6, 6; Exod. 20, 1. et Ier. 36, 2. — Superius post *Nota, quod* C addit *quadrupliciter*.

[2] Vers. 20. — Sequuntur Ps. 84, 9. et Osee 2, 14.

[3] Vers. 15. — Subinde allegatur Ioan. 11, 47. et 48.

[4] Vers. 11. — Sequitur Tit. 2, 12.

[5] Vers. 11. — Duo seqq. loci sunt Prov. 21, 25. et Ps. 80, 13: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt* etc. Cfr. Rom. 1, 24: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

[6] Vers. 20. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 6, 15; Iob 28, 21. (ibid. v. 13: Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra *suaviter viventium*) et Ioan. 20, 14.

[7] Vers. 8. — Subinde allegatur II. Reg. 14, 28. seqq., ubi dicitur, quod Absalom biennio *faciem regis non vidit*, et quod petitionem suam Ioab dedit: *Obsecro ergo, ut videam faciem regis; quod si memor est iniquitatis meae, interficiat me.* Ibid. 15, 1: *Igitur post haec* [visa patris facie] *fecit sibi Absalom currus et equites* etc.

figuratum est, secundi Regum decimo quarto, de Absalom, qui, quamdiu faciem regis non vidit, humiliter se habuit; postquam vero vidit, superbe se gessit, unde « fecit sibi currus et equites » etc. —

Tertia. Tertio, ut *excitet caritatem;* qualiter abscondit se a discipulis suis euntibus in Emmaus, cum quibus ibat et eos latebat et in eis caritatem accendebat; unde Lucae ultimo[1]: « Nonne cor nostrum ardebat »? — Propter haec tria *abscondit se* Dominus a bonis, sed ab ipsis *non recedit;* a malis vero *abscondit se* et *de templo exit.*

4. *De templo* autem exit propter tria: quia

De secundo. Exeundi a templo ratio triplex. templum *polluitur;* Psalmus[2]: « Polluerunt templum sanctum tuum ». — Quia templum *violatur;* primi Machabaeorum secundo: « Templum eius sicut homo ignobilis; vasa gloriae eius captiva abducta sunt ». — Quia in templo *lapidatur;* unde hic dicitur: *Tulerunt autem lapides* etc.; *Iesus autem*

Explicatur. *abscondit se et exivit de templo.* — Templum *polluitur,* quando *admittit* homo malam *delectationem.* Templum *violatur,* quando homo *perpetrat* malam *operationem.* Iesus vero *lapidatur,* quando homo *impugnat correctionem;* et haec tria cogunt Iesum deserere hominem.

5. *Iesus exivit de templo.* — Nota, quae Chri-

Christus gessit in templo et sustinuit, ut informet praelatos. stus in templo *gessit,* et quae Christus in templo *sustinuit.* Quae Christus in templo *gessit* informant praelatos in *agendis;* quae vero *sustinuit* Christus in templo informant eos in *damnis sustinendis.*

Nota ergo, quod Christus in templo *docuit,* in

In templo docuit. templo *corripuit,* in templo *absolvit.* — In templo *docuit;* Ioannis decimo octavo[3]: « Ego semper docui in synagoga et in templo, in quo omnes Iudaei conveniunt ». — In templo *corripuit;* Ioannis secundo: « Cum fecisset flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo ». — In templo vero *absolvit* adulteram; Ioannis octavo: « Diluculo venit in templum »; et sequitur: « Adducunt ei mulierem deprehensam in adulterio » etc. — Haec tria informant praelatos in *agendis,* ut sint in *praedicando docti,* in *corripiendo viriles,* in *remittendo benigni.* Praelatio enim sine *doctrina,* ut ait quidam sapiens[4], est quasi gladius in manu *stulti;* sine *virilitate,* quasi gladius in manu *pueri;* sine *clementia,* quasi gladius in manu *furibundi.*

Corripuit.

Absolvit.

Haec sunt imitanda.

6. Notanda sunt quae Christus in templo *sustinuit.* Fuit enim Christus in templo *tentatus,* in templo *blasphematus* et in templo *lapidatus.* — *Tentatus* fuit, Ioannis octavo[5], cum adduxerunt ei adulteram; unde sequitur: « Hoc autem dicebant tentantes eum ». — *Blasphematus* fuit in eodem, cum dicebant ei: « Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es et daemonium habes »? — *Lapidatus;* unde in eodem: *Tulerunt lapides, ut iacerent in eum.*

Sustinuit tria.

Tentatur.

Blasphematur.

Lapidatur.

7. *Iesus autem exivit de templo.* Sed nota, quod Christus tentatus *respondit,* blasphematus *sustinuit* et lapidatus *exivit;* et haec tria informant praelatos in sustinendis, ut non ex *indignatione taceant,* cum Christus *tentatus respondeat;* nec ex *superbia respondeant,* cum Christus *blasphematus sustineat;* nec per *violentiam se ingerant* vel vindicent, cum Christus *lapidatus iniuriae cedat.*

Informat in sustinendis.

Capitulum IX. *Et praeteriens Iesus.*

COLLATIO XXXVII.

(Vers. 1.). *Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate.*

1. Nota, quod est multiplex *caecitas.* Est enim

Quadruplex caecitas. Prima. caecitas *naturae,* caecitas *ignorantiae,* caecitas *poenae* et caecitas *culpae.* — Caecitas *naturae* est *miseranda;* de qua hic: *Praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate;* et sequitur infra[6], qualiter misertus est eius; Deuteronomii vigesimo septimo: « Maledictus, qui errare fecit caecum in iti-

Secunda. nere ». — Caecitas *ignorantiae* est *relevanda;* de hac caecitate Matthaei decimo quinto: « Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ». Haec relevanda est; unde Isaiae quadragesimo secundo: « Dedi te in foedus populi et in lucem gentium, ut aperias oculos caecorum » etc. — Caecitas *poenae* est *timenda;* de qua Sophoniae primo[7]: « Tribulabo homines, et ambulabunt ut caeci, quia Domino peccaverunt »; et Deuteronomii vigesimo octavo: « Percutiat te Dominus amentia et caecitate ac furore mentis, et palpes in meridie sicut palpare solet caecus in tenebris ». — Caecitas *culpae* est *abominanda;* de qua secundae Petri primo: « Cui enim non praesto sunt haec, caecus est et manu tentans »; loquitur de operibus virtutum; et Sapientiae secundo: « Excaecavit eos malitia eorum ».

Tertia.

Quarta.

2. Quoniam autem negotiandum est circa caecitatem *culpae,* notandum, quod haec est multiplex. Est enim caecitas *erroris* in *intellectu;* cae-

Caecitas culpae quadruplex.

---

[1] Vers. 32.

[2] Psalm. 78, 1. — Dein I. Machab. 2, 8. seq. et Ioan. 8, 59.

[3] Vers. 20. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 2, 15. et 8, 2. 3.

[4] Opuscul. B. Francisci, tom. 3., in Oraculo 19. legitur: Praelatus ergo non debet esse temerarius in praecipiendo; nam quid in temerario praeceptore auctoritas imperandi nisi gladius in manu furiosi?

[5] Vers. 3. et 6; ibid. v. 48. et 59. sunt duo seqq. loci.

[6] Vers. 6. seq.: Haec cum dixisset, exspuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos eius etc. — Tres seqq. loci sunt Deut. 27, 18; Matth. 15, 14. et Isai. 42, 6. seq.

[7] Vers. 17. — Subinde allegantur Deut. 28, 28. seq.; II. Petr. 1, 9. et Sap. 2, 21.

citas *praesumtionis* in *affectu;* caecitas *deviationis* in *effectu;* caecitas *obstinationis* in *peccandi consuetudine* et excessu. — Est ergo caecitas *erroris;* de qua ad Romanos undecimo [1]: « Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret »; et ad Ephesios quarto: « Alienati a via Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum ». — Est caecitas *praesumtionis;* de qua Apocalypsis tertio: « Tu dicis, quia dives sum et locupletatus sum et nullius egeo, et nescis, quia miser es et miserabilis et pauper et nudus et caecus ». — Est etiam caecitas *deviationis;* de qua Threnorum quarto [2]: « Erraverunt caeci in plateis, polluti sunt in sanguine ». — Est etiam caecitas *obstinationis;* de qua Matthaei decimo quinto: « Sinite eos; caeci sunt ducesque caecorum ». Sic ergo est quadruplex caecitas culpae.

Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

3. Dicitur autem *caecitas culpae* quadruplici ratione: quia ad modum caecitatis naturalis facit hominem *ignarum* in discernendo, *incautum* in evitando, *ineptum* in agendo, *praecipitem* in eundo. — Facit igitur hominem *ignarum in discernendo,* ut nesciat bonum eligere; propter quod dicitur Isaiae quadragesimo secundo [3]: « Audite, caeci, et intuemini ad videndum ». — Facit *incautum in evitando,* ut non possit malum cavere; Lucae sexto: « Nunquid potest caecus caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt » ? — Facit *ineptum in agendo,* ut non possit operari bonum; unde Isaiae quinquagesimo nono: « Palpavimus sicut caeci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus »; et de hoc Deuteronomii vigesimo octavo: « Palpari te faciet » etc. — Facit *praecipitem in eundo,* ut non possit prospicere; Tobiae undecimo: « Exsurgens caecus pater coepit offendens pedibus currere ». — Haec ergo incommoda caecitatis spiritualis, quae facit *impediendo bonum,* ne scilicet caecus spiritualis possit [4] *discernere,* vel *cavere,* vel *operari,* vel *proficere.*

Caecitas culpae habet 4 effectus. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Notandum.

4. Sunt etiam alia incommoda, quae facit caecitas spiritualis *inferendo malum,* quia scilicet *depauperat, molestat, vilificat* et *deformat.* — Reddit enim caecitas hominem *pauperem;* Marci decimo [5]: « Caecus sedebat iuxta viam mendicans »; et Apocalypsis tertio: « Pauper es et nudus et caecus ». Paupertas enim conscientiae et nuditas vitae comitantur caecitatem culpae. — Item reddit hominem *tristem;* Tobiae quinto: « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen caeli non video »? Cuius signum fuit, quia, cum quaereret Dominus a caeco, Marci decimo: « Quid vis, ut faciam tibi »? respondit nihil aliud nisi: « Rabboni, ut videam ». — Item, reddit etiam hominem *vilem et indignum* aliorum communitate; unde secundi Regum quinto [6]: « Caecus et claudus non intrabunt in templum ». Revera caecus spiritualis non intrat templum gloriae. — Item reddit hominem *deformem;* unde ad Ephesios quarto dicitur de peccatoribus: « Obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quae est in illis, propter caecitatem cordis ipsorum ».

Habet 4 alios effectus. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

5. *Vidit caecum a nativitate.* — Nota, quod est caecitas *innata,* et haec est caecitas *culpae originalis,* quae significatur per istum caecum, qui natus est caecus — et est caecitas *contracta* vel acquisita, et haec est caecitas *culpae actualis,* de qua Sapientiae secundo [7]: « Excaecavit eos malitia eorum ». Contrahitur autem haec caecitas a tribus. Contrahitur enim a *concupiscentia carnis* et a *concupiscentia oculorum* et a *superbia vitae.* Nocet enim oculis spiritualibus *sanguis luxuriae, pulvis avaritiae et ventus superbiae.*

Caecitas duplex. Innata. Contracta per triplicem concupiscentiam.

6. Excaecantur ergo quidam per *concupiscentiam carnis;* quod figuratum est, Iudicum decimo sexto [8], de Samsone, qui excaecatus fuit per Dalilam. Et nota primo, quomodo *blandiendo decepit;* secundo *crines,* id est ornatum virtutum, *rapuit;* tertio *manibus inimicorum tradidit,* qui eum excaecaverunt, ne statum suum cognosceret, et vinctum duabus catenis, pronitate scilicet ad malum et difficultate ad bonum, molere fecerunt per peccandi consuetudinem. — Excaecantur alii per *concupiscentiam oculorum;* et hoc figuratum est, Tobiae secundo [9], in excaecatione Tobiae, qui excaecatus est stercore hirundinum, quae significant temporalia, quae sancti viri arbitrantur « ut stercora », secundum quod habetur ad Philippenses tertio. — Excaecantur alii per *superbiam;* et hoc figuratum est, quarti Regum ultimo [10], de Sedecia, quem excaecavit Nabuchodonosor, id est diabolus, in Reblatha, cum fugeret de Ierusalem. *Reblatha* interpretatur *multum commissum,* et significat superbiam, de qua dicitur in Psalmo: « Emundabor a delicto maximo ». — Sic ergo caecitas spiritualis tripliciter *contrahitur.*

De prima. Figura in Samsone quoad tria. De secunda. Figura in Tobia. De tertia. Figura in Sedecia.

7. Sed notandum est, quod haec eadem caecitas tripliciter *sanatur.* Sanatur enim caecitas in Scriptura

Sanatur caecitas triplici medio.

---

[1] Vers. 25. — Sequuntur Eph. 4, 18: Alienati a vita Dei etc., et Apoc. 3, 17.

[2] Vers. 14. — Subinde allegatur Matth. 15, 14. — Inferius post *obstinationis* C addit *sive exorbitationis.*

[3] Vers. 18. — Quatuor seqq. loci sunt Luc. 6, 39; Isai. 59, 10; Deut. 28, 28. seq.: Percutiat te Dominus amentia et caecitate ac furore mentis; et palpes in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris etc.; Tob. 11, 10.

[4] Cod. B *ut scilicet caecus spiritualis non possit.*

[5] Vers. 46. — Tres seqq. loci sunt Apoc. 3, 17; Tob. 5, 12. et Marc. 10, 51.

[6] Vers. 8. — Sequitur Eph. 4, 18, ubi pro *in via* Vulgata *in vita.*

[7] Vers. 21. — Subinde respicitur I. Ioan. 2, 16: Quoniam omne, quod est in mundo, *concupiscentia carnis* est etc.

[8] Vers. 4. seqq., ubi etiam ea narrantur, quae inferius afferuntur.

[9] Vers. 11. — Sequitur Phil. 3, 8.

[10] Vers. 6. et 7. *Reblatha* secundum Hieron. (de Nominibus Hebraicis, de IV. Reg.) idem est ac *multam istam, sive multitudo.* Cfr. Gregor., VII. Moral. c. 28. n. 37. — Subinde allegatur Ps. 18, 14.

aliquando *collyrio*, aliquando *felle*, aliquando *luto*. — Collyrio. *Collyrium*, quod humores restringit, significat carnis mortificationem, quae fluxum concupiscentiae restringit; et haec est medicina caecitatis contractae per *luxuriam;* de qua dicitur Apocalypsis tertio [1]: « Collyrio inunge oculos tuos, ut videas ». *Inunge*, inquit; nam carnis maceratio et est corpori afflictio Felle. et unctio sive illuminatio spiritui. — *Fellis amaritudo* significat memoriam mortis; de qua Ecclesiastici quadragesimo primo: « O mors, quam amara est memoria tua » etc. Et haec est medicina caecitatis contractae per *avaritiam*, quia, sicut dicit Hieronymus [2], « facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum ». Et hoc figuratum est, Tobiae undecimo, in illuminatione Tobiae, qui sanatus est Luto. a caecitate sua, linitis oculis felle. — *Lutum* significat vilitatem humanae conditionis, quae, superposita oculis spiritualibus, id est reducta in mentem, medicina est caecitatis contractae per *superbiam*. Et hoc significari potest in illuminatione huius caeci, qui primo fuit *luto linitus*, considerando propriam vilitatem; secundo, *lotus* per lacrymarum effusionem; tertio, *illuminatus* per gratiam.

COLLATIO XXXVIII.

(Vers. 11.). *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit* etc.

1. Distinguitur multiplex lutum. Est enim lutum Triplex lutum. *naturae* — lutum *culpae* — et lutum *poenae*. — Est Lutum naturae iterum triplex. autem lutum naturae triplex, quia natura est aut natura *instituta*, aut natura *lapsa*, aut natura *reparata*. Primum. — De luto naturae *institutae*, quae dicitur *lutum* propter eius *ductibilitatem*, dicitur Isaiae sexagesimo quarto [3]: « Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos »; et Ieremiae decimo octavo: « Sicuti lutum in manu figuli, sic vos in Secundum. manu mea, domus Israel ». — De luto naturae *lapsae*, quae dicitur *lutum* propter eius *ignobilitatem*, dicitur in Iob quadragesimo primo: « Sternet sibi Tertium. aurum quasi lutum ». — De luto naturae *reparatae*, quae dicitur lutum propter eius *fragilitatem;* Iob trigesimo: « Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillae et cineri ».

2. Est praeterea lutum *culpae*, et dicitur culpa Lutum culpae propter tria. *lutum* propter eius *foeditatem;* secundae Petri secundo [4]: « Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti »; Psalmus: « Eduxit me de lacu miseriae et de luto faecis ». — Item, propter eius *lubricitatem;* Ieremiae trigesimo octavo: « Demerserunt te in coeno et in lubrico pedes tuos »; Psalmus: « Eripe me de luto, ut non infigar ». — Item, propter eius *laboriositatem;* unde Exodi primo dicitur, quod Aegyptii « ad amaritudinem perducebant filios Israel operibus duris luti et lateris ».

3. Est praeterea lutum *poenae*, et haec est tri- Lutum poenae triplex. plex, secundum quod est triplex poena, scilicet poena *inventa*, poena *inflicta* et poena *assumta*. — Poena Poena inventa. *inventa* dicitur *lutum* propter eius *difficultatem* ad transeundum; unde Habacuc tertio [5]: « Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum ». — Poena *inflicta* dicitur *lutum* propter eius *expo-* Inflicta. *sitionem* ad conculcandum; Isaiae decimo: « Mandabo illi, ut auferat spolia et dividat praedam et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum »; Psalmus: « Ut lutum platearum delebo eos ». — Poena *assumta* dicitur *lutum* propter eius *utilita-* Assumta. *tem;* de quo luto Nahum tertio: « Intra in lutum et calca, et tene subigens laterem ». — Est autem huius- Triplex ipsius utilitas. modi lutum utile ad tria: ad *lavandum;* unde Ioannis nono [6]: *Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit et unxit oculos meos et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe et lava* etc. — Est etiam utile ad *aedificandum;* unde Levitici decimo quarto dicitur de domo leprosa: « Iubebit sacerdos, lapides alios reponi pro his qui ablati fuerant, et luto alio liniri domum ». — Est etiam utile ad *impinguandum;* unde Lucae decimo tertio dicitur de ficu infructuosa: « Domine, dimitte anno isto, usque dum fodiam circa illam et mittam stercora ». — Lutum igitur est poena, quia utilis est ad *lavandam* culpam, ad *aedificandam* vitam, ad *impinguandam* animam.

4. *Lutum posuit super oculos meos, et lavi et video* [7]. — *Lutum posuit super oculos*, peccatum ad memoriam reducendo; *et lavi*, peccatum deflendo; *et video*, gratiam accipiendo. — Lutum ergo super oculos ponitur in culpae recordatione.

5. Et nota, quod est multiplex lutum secundum Septem genera culpae et luti. Primum. multiplex genus culpae. Est namque lutum *superbiae*, de quo Isaiae vigesimo nono [8]: « Perversa est haec vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo: Non fecisti me »; hoc est lutum ampullosum. — Est lutum *irae*, de Secundum. quo Isaiae quinquagesimo septimo: « Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum ». — Est praeterea lutum *invidiae*, de quo Iob quadra- Tertium. gesimo primo: « Sternet sibi aurum quasi lutum ».

---

[1] Vers. 18. — Sequitur Eccli. 41, 1.

[2] Cfr. supra pag. 91, nota 3. — Subinde allegatur Tob. 11, 13-15.

[3] Vers. 8. — Tres seqq. loci sunt Ier. 18, 6; Iob 41, 21. et 30, 19.

[4] Vers. 22. — Sequuntur Ps. 39, 2; Ier. 38, 22; Ps. 68, 15. et Exod. 1, 14.

[5] Vers. 15. — Tres seqq. loci sunt Isai. 10, 6, ubi pro *dividat* Vulgata *diripiat;* Ps. 17, 43. et Nahum 3, 14.

[6] Vers. 11. — Subinde allegantur Lev. 14, 40. et 42; Luc. 13, 8.

[7] Vers. 15, in quo continuatur eadem materia.

[8] Vers. 16. — Sequuntur Isai. 57, 20. et Iob 41, 21.

Quartum. — Est praeterea lutum *avaritiae;* Habacuc secundo [1]: « Qui multiplicat non sua, usquequo aggravat contra
Quintum. se densum lutum »? — Est et lutum *accidiae,* de quo Ecclesiastici vigesimo secundo: « In lapide luteo la-
Sextum. pidabitur piger ». — Est lutum *luxuriae,* de quo Ieremiae trigesimo octavo: « Demerserunt in coeno et in lubrico pedes tuos »; Psalmus: « Eripe me de
Septimum. luto, ut non infigar ». — Est etiam lutum *gulae;* secundae Petri secundo: « Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti ». — Et potest dici per appropriationem *gula* lutum *foetens* vel foetidum; *luxuria,* lutum *viscosum* vel lubricum; *accidia,* lutum *grave* vel ponderosum; *avaritia,* lutum *terrenum* et opacum; *invidia,* lutum *fragile* et passivum; *ira,* lutum *fluctuans* et inquietatum; *superbia,* lutum *tumidum* et ampullosum. — Hoc lutum ponendum est super oculos et lavandum, ut spiritualem spiritualis caecus recuperet visum.

Proprietas singulorum.

Capitulum X. *Amen, amen dico vobis.*

COLLATIO XXXIX.

(Vers. 1.). *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.*

1. In praesenti Evangelio distinguitur pastor
Duo distinguunt pastorem verum a non vero. *non verus* a pastore *vero,* et ex *modo ingrediendi* — et ex *modo praesidendi.* Ex *modo intrandi,* hic: *Qui non intrat;* ex *modo praesidendi,* infra [2]: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ». —
Primo, modus intrandi. Ex modo ingrediendi agnoscitur *verus* pastor, quando *intrat per ostium,* id est Christum; unde hic dicitur: *Qui intrat per ostium pastor est ovium; non verus* vero probatur qui *ascendit aliunde;* unde praemittitur: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille* etc.

2. *Qui non intrat per ostium.* Nota, quod Chri-
Tria nomina Christi. stus est huiusmodi ostium, qui se ipsum significat in praesenti Evangelio et sub figura *ostii* — et sub figura *pastoris* — et sub figura *ostiarii;* et con-
Pastor. grue. — Ipse enim fuit *pastor,* loquendo per appropriationem, in *praedicatione,* quando pavit oves suas cibo doctrinae; unde Isaiae quadragesimo [3]: « Sicut pastor gregem suum pascet » etc.; et in praesenti Evangelio ipse dicit: « Ego sum pastor bonus ».
Ostium. — Fuit *ostium* in *passione,* quia tunc per ipsum nobis patuit iter vitae; unde ipse dicit in praesenti Evangelio [4]: « Ego sum ostium »; et Ioannis decimo quarto: « Nemo venit ad Patrem nisi per me ». —
Ostiarius. Fuit *ostiarius* in *resurrectione;* tunc enim data est illi potestas alios introducendi in ovile; Matthaei ultimo: « Data est mihi omnis potestas » etc. Hic est ostiarius, qui dicit supra sexto: « Eum qui venit ad me, non eiiciam foras »; et de quo hic dicitur: « Huic ostiarius aperit ». — Sic ergo Christus est *pastor* et *ostiarius* et *ostium,* per quod ingreditur quisquis est pastor ovium.

3. Sed attende, quod multi, relicto ostio, *ascen-*
Non verus pastor ascendit aliunde. *dunt aliunde.* Aliunde enim ascendunt qui intrant *simoniace,* sicut illi qui per pecuniam vel per mu- Vel simoniace.
nera quaecumque intrant in ovile; de quibus tertii Regum decimo tertio [5]: « Quicumque implebat manum Ieroboam, fiebat sacerdos excelsorum ». De his dicitur Osee octavo: « Ipsi regnaverunt, sed non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi; argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent ». Isti volunt habere patrimonium Christi titulo *emptionis;* quibus dicetur Actuum octavo: « Pecunia tua tecum sit in perditionem ». — Item, aliunde ascendunt et Vel pompatice.
non intrant per ostium qui intrant *pompatice,* ut illi qui praeficiuntur ratione parentelae; quibus dicitur Amos sexto [6]: « Vae vobis! qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel ». Isti volunt possidere patrimonium Christi titulo *hereditariae successionis,* qui dixerunt, secundum quod habetur in Psalmo: « Hereditate possideamus sanctuarium Dei ». — Aliunde ascendunt et non per Vel fallaciter.
ostium qui intrant per *fallaciam,* sicut hypocritae; de quibus Matthaei septimo [7]: « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces ». Huiusmodi luporum ingressum timebat Apostolus, Actuum vigesimo: « Scio, quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos » etc. Isti volunt possidere patrimonium Christi titulo *mercenariae conductionis.* Volunt enim, ut suis reddatur meritis. — Isti ergo non intrant per ostium, sed *fures sunt et latrones,* non veri possessores, qui non possident sanctuarium Dei titulo sanctae vocationis.

4. Non sic intrat *verus pastor,* sed per ostium, Verus pastor intrat primo per Christum.
id est per Christum. Et nota, quod *verus* pastor debet intrare *per* Christum — *post* Christum — et *propter* Christum. — *Per Christum* debet intrare quisquam vocationi eius obediendo. « Neque enim quisquam assumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret [8] ». Sic ergo intrandum

---

[1] Vers. 6. — Quatuor seqq. loci sunt Eccli. 22, 1; Ier. 38, 22; Ps. 68, 15. et II. Petr. 2, 22.

[2] Vers. 11.

[3] Vers. 11. — Sequitur Ioan. 10, 11.

[4] Vers. 7. — Quatuor seqq. loci sunt Ioan. 14, 6; Matth. 28, 18; Ioan. 6, 37. et 10, 3.

[5] Vers. 33: *Quicumque volebat, implebat* etc. — Subinde allegantur Osee 8, 4. et Act. 8, 20.

[6] Vers. 1. — Sequitur Ps. 82, 13.

[7] Vers. 15. — Subinde allegatur Act. 20, 29. — Inferius pro *timebat* A *cernebat.*

[8] Ut dicitur Hebr. 5, 4. seq. — Sequitur Ioan. 10, 9.

est per Christum; Ioannis decimo: « Ego sum ostium. Per me si quis introierit, ingredietur et egredietur et pascua inveniet ». — Debet ingredi *post Christum* ipsum imitando, ut possit dicere illud Apostoli [1]: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ». De hoc Ieremiae tertio: « Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis ». Talem enim vult Deus « habitare in tabernaculo », « qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam ». — Debet etiam ingredi *propter Christum* nihil aliud praeter Christum quaerendo; unde primae Petri quinto [2]: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, ut, cum apparuerit Princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriae coronam ».

Secundo, post Christum.

Tertio, propter Christum.

5. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* [3].

Secundo, modus praesidendi.

Hic distinguitur pastor bonus a non bono ex *modo praesidendi*. Notandum igitur, quod pastor bene praesidens debet esse in cognoscendo *sollicitus*, in supportando *pius*, in deducendo *primus*, in protegendo *probus*. — Debet esse *sollicitus in cognoscendo* per vigiliam intuitionis, qualis fuit Christus; Ioannis decimo [4]: « Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas »; et Proverbiorum vigesimo septimo: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera ». — Debet esse in *supportando pius* per affectum pietatis, qualis fuit Christus; Isaiae quadragesimo [5]: « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit ». Quocontra Ezechielis trigesimo quarto: « Vae pastoribus Israel »! et sequitur causa: « Gregem, inquit, meum non pascebatis; quod infirmum erat non consolidastis, et quod aegrotum erat non sanastis, quod fractum erat non alligastis et quod abiectum erat non reduxistis; sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia ». — Debet etiam esse in *deducendo primus* per exemplum honestatis; Ioannis decimo [6] dicitur de bono pastore: « Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur ». Talis erat Apostolus, qui dicebat primae ad Corinthios undecimo: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. — Debet etiam esse in *protegendo probus* per constantiam virtutis, qualis fuit Christus; Ioannis decimo: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Talis fuit Iacob; Genesis trigesimo primo: « Arietem gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quidquid furto perierat, a me exigebas ». — Istae igitur sunt conditiones boni pastoris.

Virtutes 4 boni pastoris.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

6. Sed nota, quod multi sunt pastores, qui non habent vigilantiam rationis, sed sunt quasi *idola*, gregem negligentes. — Sunt alii, qui non habent affectum pietatis, sed sunt *lupi* gregem devorantes. — Sunt et alii, qui non exhibent exemplum honestatis, sed sunt *fures* gregem abigentes [7]. — Sunt et alii, qui non adhibent praesidium defensionis, sed sunt *mercenarii* gregem in necessitate dimittentes.

Non boni vitia 4.

7. Sunt ergo sicut *idola* gregem non curantes, quibus dicitur Zachariae undecimo [8]: « O pastor et idolum, derelinquens gregem »! et Isaiae vigesimo secundo: « Quis tu hic, aut quasi quis hic »? — Sunt alii sicut *lupi* gregem devorantes; de quibus Actuum vigesimo [9]: « Scio, inquit Paulus, quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi »; de talibus Ieremiae duodecimo: « Pastores multi demoliti sunt vineam meam »; et ideo dicitur ibidem: « Venite et congregamini, omnes bestiae terrae; properate ad devorandum ». — Sunt alii ut *fures* gregem abigentes; Ezechielis trigesimo quarto [10]: « Vae pastoribus Israel! qui pascebant semetipsos; nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis et lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis »; et post paululum: « Dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor ». Rationem huius reddit Dominus Ioannis decimo; quia scilicet « fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat ». — Sunt et alii *mercenarii* gregem in necessitate dimittentes; Ioannis decimo [11]: « Mercenarius, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit, et lupus rapit et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus ».

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

8. *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae* [12].

Describitur hic bonitas *pastoris* ex *comparatione ad oves*, cum dicit Dominus: *Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas* — et bonitas *ovis* ex *comparatione ad pastorem*, cum dicit: *Et cognoscunt me meae. Cognosco*, inquit, eas, *et cognoscunt me meae.* Cognosco eas per *electionem* et per *approbationem*, et cognoscunt me per *fidem* et *dilectionem.*

Bonus pastor et bona ovis describuntur.

---

[1] Epist. I. Cor. 11, 1. B C allegant: *Imitatores mei estote, sicut filii carissimi*, quod habetur Eph. 5, 1. — Duo seqq. loci sunt Ier. 3, 19. et Ps. 14, 1. 2.

[2] Vers. 2-4.

[3] Vers. 11.

[4] Vers. 14. — Sequitur Prov. 27, 23. — Superius pro *in deducendo primus* B *in deducendo praevius* (idem recurrit inferius), et pro *in protegendo probus* C *in protegendo providus.*

[5] Vers. 11. — Subinde allegatur Ezech. 34, 2-4.

[6] Vers. 4. — Tres seqq. loci sunt I. Cor. 11, 1; Ioan. 10, 11. et Gen. 31, 38. seq.: *Arietes gregis* etc.

[7] Cod. B *abducentes*, C *non curantes.*

[8] Vers. 17. — Sequitur Isai. 22, 16.

[9] Vers. 29. — Subinde allegantur Ier. 12, 10. et 9.

[10] Vers. 2. seq. et inferius v. 5, post quem sequitur Ioan. 10, 10.

[11] Vers. 12. et 13.

[12] Vers. 14.

9. *Cognosco*, inquit, *oves meas*. Nota, quod cognoscitur ovis ex quatuor. Cognoscitur enim *vultu*, *balatu*, *vellere* et *signo*. — Cognoscitur *vultu*, secundum illud Proverbiorum vigesimo septimo [1]: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui »; *vultus spiritualis* est conscientia, de qua Canticorum secundo: « Ostende mihi faciem tuam ». Faciem istam non habentibus mundanis dicitur Matthaei septimo: « Non novi vos ». — Cognoscitur *balatu*; per *balatum* intellige *confessionis vocem*; unde in Psalmo [2]: « Populus eius et oves pascuae eius; introite portas eius in confessione ». De hoc balatu Canticorum secundo: « Sonet vox tua in auribus meis ». — Cognoscitur *vellere*; unde quando ovis devoratur a bestia, solet ostendi pellis in signum, secundum illud Genesis trigesimo primo [3]: « Captum a bestia non ostendi tibi »; quasi: si captum fuisset, ostendissem tibi. Per *vellus* intellige *honestam conversationem*. Debet enim ovis spiritualis habere *vellus* agninae conversationis, secundum illud Proverbiorum vigesimo septimo: « Sint tibi agni ad vestimentum tuum ». — Cognoscitur etiam *signo*. Per signum intellige *dominicam passionem*. Debet enim signari ovis spiritualis signo dominicae passionis; Canticorum octavo [4]: « Pone me ut signaculum super cor tuum ».

Primo, pastor in comparatione ad ovem. Ovis cognoscitur ex vultu. Balatu. Vellere. Signo.

10. Sequitur: *Et cognoscunt me meae*.

Ut scias, qualiter ovis se debet habere ad pastorem, nota, quod ovis debet pastorem *cognoscere*, ad pastorem *accedere*, pastorem *audire* et post pastorem *ire*. — Pastorem *cognoscit* ovis per *fidem*, per gratiarum actionem; de quo Ioannis decimo [5]: « Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae ». — Ad pastorem *accedit* per *caritatem*; unde primae Petri secundo: « Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum ». — Oberrant enim oves peccando, sed convertuntur, quando pastorem *audiunt* per *obedientiam*; Ioannis decimo [6]: « Oves meae vocem meam audiunt ». — *Sequitur* pastorem per *imitationem*; Ioannis decimo: « Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius »; et infra eodem: « Cognosco oves meas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis ».

Secundo, ovis in comparatione ad pastorem. Pastorem cognoscit. Ad eum accedit. Eum audit. Eum sequitur.

11. *Proprias oves vocat nominatim* [7].

Nota hic tria de *pastore bono*. Primo, quod oves *vocat nominatim*, cum dicitur: *Proprias oves vocat nominatim*. Secundo, quod *educit*, cum dicitur [8]: *Et educit*. Tertio, quod *deducit*, cum subiungitur: *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit*. Bonus enim pastor debet oves *vocare* verbo praedicationis et *educere* Sacramento confessionis et *deducere* exemplo sanctae conversationis.

Alia tria de bono pastore.

12. Nota iuxta hoc tria de *bona ove*. Debet enim ovis esse *humilis*, ut pastori obediat; debet esse *mitis*, ne gregem offendat; debet esse *foetosa*, ut patrifamilias fructum afferat. — Debet ergo esse *humilis* per obedientiam; unde in Psalmo [9]: « Deducis velut ovem Ioseph »; velut ovis debet esse ducibilis Ioseph: aliquando *virga* correptionis, aliquando *pane* consolationis, aliquando *cane* tentationis. — Debet esse *mitis* per innocentiam, iuxta illud secundi Regum ultimo [10]: « Isti qui oves sunt, quid fecerunt »? Unde illud:

Item, de bona ove.

Quae meruistis, oves, animal sine fraude dolisque?

Debet esse *foetosa* per bonorum operum abundantiam, iuxta illud Psalmi [11]: « Oves eorum foetosae, abundantes in egressibus suis »; et Canticorum quarto: « Omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas ».

COLLATIO XL.

(Vers. 27. 28.). *Oves meae sequuntur me; et ego vitam aeternam do eis.*

1. In verbis istis praemittit Dominus ovis spiritualis, id est animae fidelis, *meritum*, cum dicit: *Oves meae sequuntur me* — et promittit *praemium*, cum adiungit: *Et ego vitam aeternam do eis.*

Divisio.

Praemittens ergo *meritum*, dicit: *Sequuntur me*. Nota, quod sequuntur quidam per *planitiem mandatorum*, quidam per *montana consiliorum*, quidam per *excelsa supererogationum*; quod figuratum est in Evangelio in tribus generibus sequentium Dominum. Sequuntur Dominum *turbae* — *discipuli* — et *Apostoli*: *turbae* per *plana mandatorum*; Matthaei octavo [12]: « Cum descendisset Iesus de monte, secutae sunt eum turbae multae ». — Discipuli per *montana*; Lucae vigesimo secundo: « Egressus Iesus ibat secundum consuetudinem suam in montem Olivarum; secuti sunt autem eum discipuli eius ». — Apostoli per *excelsa supererogationum*; Matthaei decimo nono et Marci decimo et Lucae decimo octavo: « Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te ». Primi, *incipientes*; secundi, *proficientes*; tertii, *perfecti*. Primi sequuntur quasi per *viam*; secundi, quasi per *semitam*; tertii, quasi per *compendium*.

Pars I. de triplici merito bonae ovis. Figurae in Evangelio.

2. Dicit ergo: *Sequuntur me* cum *turbis* per planitiem mandatorum, et hoc tripliciter: per *fidem* in intellectu; tertii Regum decimo octavo [13], verba Eliae

De primo, in via mandatorum tripliciter. Primo.

---

[1] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Cantic. 2, 14. et Matth. 7, 23.
[2] Psalm. 99, 3. et 4. — Sequitur Cantic. 2, 14.
[3] Vers. 39. — Subinde allegatur Prov. 27, 26.
[4] Vers. 6.
[5] Vers. 14. — Sequitur I. Petr. 2, 25.
[6] Vers. 27; ibid. v. 4. et v. 27. 28. habentur duo seqq. loci.
[7] Vers. 3.
[8] Vers. 3; sequitur v. 4.
[9] Psalm. 79, 1.
[10] Vers. 17.
[11] Psalm. 143, 13. — Sequitur Cantic. 4, 2.
[12] Vers. 1. — Quatuor seqq. loci sunt Luc. 22, 39; Matth. 19, 27; Marc. 10, 28. et Luc. 18, 28.
[13] Vers. 21; ibid. 14, 8. est seq. locus.

ad populum: « Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequîmini eum; si autem Baal, sequimini illum ». — Per *caritatem* in affectu; tertii Regum decimo quarto, verba Ahiae ad Ieroboam: « Non fuisti sicut servus meus David, qui secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo » etc. — Per *obedientiam* in effectu; Iob vigesimo tertio [1]: « Vestigia eius secutus est pes meus. Viam eius custodivi et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi » etc.; Ioannis decimo: « Cum proprias oves emiserit, vadit ante eas, et oves eum sequuntur, quia audiunt vocem eius ». — Sequuntur ergo Dominum per *fidem*, per *caritatem* et per *obedientiam;* quia sine his nullus sequitur; ad Galatas quinto: « In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per caritatem operatur ». — *Fides* quidem aspectum dirigit, *caritas* affectum attrahit, *operatio* effectum deducit.

Secundo. Tertio.

3. Sequuntur ergo Dominum cum *discipulis* per *montana consiliorum*, et hoc tripliciter secundum triplex consilium: per *carnis mortificationem* contra concupiscentiam carnis; Matthaei decimo [2]: « Qui non accipit crucem suam et sequitur me non est me dignus ». — Per *temporalium* dimissionem contra concupiscentiam oculorum; Matthaei decimo nono, Marci decimo, Lucae decimo octavo: « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni et sequere me ». — Per *propriae voluntatis abiectionem* contra superbiam vitae; Matthaei decimo sexto [3]: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me »; et Matthaei octavo.

De secundo, in via consiliorum tripliciter. Primo. Secundo. Tertio.

4. Sequuntur iterum Dominum cum *Apostolis*, per excellentiam supererogationum, et hoc tripliciter: per excellentiam *puritatis* cum *virginibus*, de quibus Apocalypsis decimo quarto [4]: « Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt; hi sequuntur Agnum, quocumque ierit ». — Per excellentiam *probitatis* cum *Apostolis*, qui « profecti ubique praedicaverunt, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis ». Huiusmodi *sequi* figuratum est primi Regum decimo quarto [5], dicente « Ionatha ad armigerum suum: Sequere me »; et sequitur ibidem, quia « ascendit Ionathas contra stationem Philisthinorum, manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum ». — Per *imitationem passionis* cum *Martyribus;* primae Petri secundo [6]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius »; et Ioannis vigesimo primo dixit Dominus Petro: « Sequere me »; et infra de Ioanne: « Sic eum volo manere, donec veniam; quid ad te? Tu me sequere ». — Sequuntur ergo Dominum per obedientiam mandatorum cum *turbis*, per eminentiam consiliorum cum *discipulis*, per excellentiam supererogationum cum *Apostolis*.

Tertio.

Tria genera non sequentium. Primo, qui nolunt sequi ob 2 impedimenta.

5. Nota, quod sunt quidam, qui sequi Dominum *nolunt* — sunt qui *negligunt* — et sunt qui non *possunt*. — Sunt autem duo impedimenta, quae reddunt homines *nolentes*. Primum *amor praesentis prosperitatis*, qui avertit illum, de quo Matthaei decimo nono [7], Marci decimo, Lucae decimo octavo, cum dixit Dominus: « Vade et vende etc., et veni, sequere me. At ille abiit tristis; erat enim multas possessiones habens ». — Secundum est *timor futurae adversitatis*, qui avertit illos quibus iuravit Dominus Numerorum trigesimo secundo [8]: « Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Aegypto a viginti annis et supra, terram, quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac et Iacob; et noluerunt sequi me praeter Caleb, filium Iephone, et Iosue, filium Nun; isti impleverunt voluntatem meam ». Nota causam in historia.

Item secundo, qui negligunt.

6. Sunt similiter duo impedimenta, quae reddunt homines *negligentes*. Primum est *affectio carnalis*, quae notatur in illo, de quo Lucae nono [9], cui dixit Dominus: « Sequere me. Ille autem dixit: Domine, dimitte, me primum sepelire patrem meum ». Et nota, quid Dominus dixit illi. — Secundum est *sollicitudo temporalis*, quae notatur in illo, de quo eodem Lucae nono, qui dixit Domino: « Sequar te, Domine; sed primum permitte, me renuntiare his quae domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum ad aratrum » etc.

Item tertio, qui non possunt.

7. Sunt similiter duo impedimenta, quae reddunt homines *impotentes*. Primum est *perversitas intentionis*, quae impedit progressum *affectionis*. Secundum est *infirmitas virtutis*, quae impedit

---

[1] Vers. 11. seq. — Subinde allegantur Ioan. 10, 4. et Gal. 5, 6.

[2] Vers. 38. — Sequuntur Matth. 19, 21; Marc. 10, 21. et Luc. 18, 22.

[3] Vers. 24; sequitur 8, 19-22, ubi scribae Christum sequi volenti dicit: *Vulpes foveas habent* etc., et alteri, patre insepulto, ait: *Sequere me, et dimitte mortuos* etc.

[4] Vers. 4. — Subinde allegatur Marc. 16, 20: *Profecti* etc.

[5] Vers. 12. et 13.

[6] Vers. 21. — Subinde allegatur Ioan. 21, 19, et 22.

[7] Vers. 21, seq.; Marc. 10, 21. seq.; Luc. 18, 22. 23.

[8] Vers. 11. et 12. — *Causas historiae* vide ibid. v. 1. seqq., ubi narratur, filios Ruben et Gad et dimidiam tribum Manasse, pecoribus abundantes, ad Moysen accessisse, deprecantes, « ut des nobis famulis tuis eam [terram Iazer et Galaad] in possessionem nec facias nos transire Iordanem. Quibus respondit Moyses: Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis? Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?... Cumque venissent usque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit ».

[9] Vers. 59. Cfr. supra nota 3. — Sequitur Luc. 9, 61. et 62.

progressum *operationis*. Primum notatur in illo qui dixit Lucae nono [1]: « Sequar te, quocumque ieris », cuius intentionem cognoscens, Dominus dixit: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos » etc. — Secundum notatur in Petro, Ioannis decimo tertio, cui, cum dixit Domino: « Domine, quo vadis? respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea ».

Exemplum de Petro.

8. Et nota, quomodo primo Petrus se obtulit non solum ad sequendum, sed ad praecedendum, vel comitandum, dicens [2]: « Domine, quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam ». Secundo, quando « de longe sequebatur », non solum non praecessit, sed nec de prope secutus est, sed « a longe, ut videret finem », Matthaei vigesimo sexto. Tertio, nec de longe nec de prope secutus est, quando eum negavit, eodem[3]; et hoc, quia infirmus fuit.

Pars II. de praemio duplici.

9. *Sequuntur Dominum* etc. Habito superius [3] de *merito* in sequendo Dominum, hic tangitur *praemium* de sequendo ipsum. Nota, quod sequi Dominum *fructum* habet in *praesenti* — et *praemium* in *futuro*. — In *praesenti*, quia *honorificum;* Ecclesiastici vigesimo tertio [4]: « Gloria magna est sequi Dominum ». — Quia *tutum;* Ioannis octavo: « Qui sequitur me non ambulat in tenebris »; Ioannis decimo: « Cognosco oves meas, et sequuntur me; et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea ». — Quia *proficuum*. Dominus enim sequentibus se

In praesenti est triplex.

Beneficium triplex.

triplex dat beneficium: *sanationis;* Matthaei decimo quarto [5]: « Secutae sunt eum turbae multae pedestres de civitatibus, et exiens vidit turbam magnam et misertus est eis et curavit languidos eorum »; simile Matthaei nono, Marci decimo, Lucae decimo octavo de duobus caecis. — *Instructionis;* Lucae nono: « Secutae sunt eum turbae, et excepit eos et loquebatur illis de regno Dei, et eos qui cura indigebant, sanabat ». — *Refectionis;* infra eodem [6] de miraculo quinque panum et duorum piscium; simile Marci secundo: « Multi publicani et peccatores discumbebant cum Iesu et discipulis eius. Erant enim multi, qui sequebantur eum ».

In futuro quadruplex.

10. Similiter sequi Dominum habet *praemium* in *futuro:* et promittitur sequentibus *sublimitas honoris;* Matthaei decimo nono [7]: « Vos, qui secuti estis me etc.; sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel ». — *Possessio hereditatis;* Iosue decimo quarto: « Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua et filiorum tuorum usque in sempiternum, quia secutus es Dominum Deum meum ». — *Lumen iucunditatis;* Ioannis octavo: « Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae ». — *Securitas aeternitatis;* Ioannis decimo [8]: « Cognosco oves meas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea »; Ecclesiastici vigesimo tertio: « Gloria magna sequi Dominum; longitudo dierum assumetur ab eo ».

Capitulum XI. *Erat autem quidam languens.*

Annotatio 37.

(Vers. 1.). *Erat autem quidam languens Lazarus.*

Infirmitatis gradus 6.

1. Nota gradus infirmitatis spiritualis. Homo enim primo *occasionatur* in cogitatione — *infirmatur* in delectatione — *languet* in mora — *moritur* in consensu — *effertur* in opere — *sepelitur* in consuetudine.

Primus.

Occasionatur ergo morbus in *cogitatione;* quarti Regum primo [9] de Ochozia, qui « cecidit per cancellos coenaculi sui et aegrotavit ». *Cancelli coenaculi* sensus sunt, qui varias cogitationes in coenaculo cordis immittunt. — *Infirmatur* homo in *de-*

Secundus.

lectatione; quod figuratum est, Ioannis quarto, in filio reguli, qui « infirmabatur Capharnaum », id est in villa pinguedinis vel agro consolationis, per quod intelligitur lectulus delectationis. — *Languet* in

Tertius.

mora; quod figuratum est, Ioannis undecimo [10], de Lazaro, et Ioannis quinto de paralytico. De hoc languore Ecclesiastici decimo: « Languor prolixior gravat medicum ». — *Moritur* in *consensu;* quod figuratum

Quartus.

est, Marci quinto, de filia archisynagogi mortua in thalamo. — *Effertur* in *opere;* quod figuratum est,

Quintus.

Lucae septimo [11], de adolescente, qui « efferebatur defunctus in porta civitatis filius unicus matris suae ». — *Sepelitur* in *consuetudine;* quod figuratum est

Sextus.

in sepultura Lazari, « quem invenit Iesus quatuor dies habentem in monumento » etc.

Expositio nominum.

2. *Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae, sororis eius.*

---

[1] Vers. 57. et 58. — Subinde allegatur Ioan. 13, 36.

[2] Ioan. 13, 37. — Duo seqq. loci sunt Matth. 26, 58. et 70. seqq.

[3] Num. 1. seqq.

[4] Vers. 38. — Subinde allegantur Ioan. 8, 12. et 10, 27. seq.

[5] Vers. 13. seq. Cfr. Matth. 9, 27. seqq. (cfr. 20, 30. seqq.); Marc. 10, 46. seqq. et Luc. 18, 35. seqq. Apud Marc. et Luc. agitur de sanatione *unius* caeci. Codd. allegant Marc. 2. et Luc. 5, ubi nihil simile occurrit. — Subinde allegatur Luc. 9, 11.

[6] Luc. 9, 13. seqq. — Sequitur Marc. 2, 15.

[7] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Ios. 14, 9. et Ioan. 8, 12.

[8] Vers. 27. et 28. — Sequitur Eccli. 23, 38.

[9] Vers. 2. — Subinde allegatur Ioan. 4, 46. Cfr. supra Collat. XVIII. n. 3.

[10] Vers. 1. et 5, 5. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 10, 11. et Marc. 5, 22. vel *Matth. 9, 23.* seqq., quem locum codd. allegant.

[11] Vers. 12. — Sequitur Ioan. 11, 17. seqq. Cfr. supra Collat. XXV. n. 2.

Ecce, quod hic describitur infirmus ex *nomine* et *loco* et *genere*. *Lazarus* interpretatur *adiutus a Domino* — *Bethania* interpretatur *domus obedientiae*[1] — Maria et Martha typum gerunt *societatis bonae*. Non ergo timeat talis languens, qui habet *adiuvamentum gratiae*, qui habitat in *domo obedientiae*, qui manet in *collegio societatis bonae*, quia, etiam si mortuus fuerit, potest surgere.

COLLATIO XLI.

(Vers. 3.). *Domine, ecce, quem amas infirmatur.*

1. In verbis istis tanguntur tria: *potestas medici* — *necessitas infirmi* — et *ratio miserandi*. — Potestas *medici*, cum dicitur: *Domine*. *Miserandi ratio*, cum dicitur: *quem amas*. *Necessitas infirmi*, cum dicitur: *infirmatur*.

Divisio.

Ecce, inquit, *quem amas infirmatur*. Praetermissa infirmitate *naturae*, nota, quod est *spiritualis* infirmitas duplex: infirmitas *toleranda*, et haec est infirmitas *poenae*; infirmitas *fugienda*, et haec est infirmitas *culpae*.

Infirmitas spiritualis duplex.

2. Infirmitas *poenae* multiplex est. Habet enim homo causam infirmitatis ab *interiori*, ab *exteriori*, ab *inferiori*, a *superiori*. — Ab *interiori* causatur infirmitas *contritionis*, scilicet ex consideratione sui; de qua Psalmus[2]: « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum ». — Ab *exteriori* causatur infirmitas *compassionis*, scilicet ex consideratione proximi; secundae ad Corinthios undecimo: « Quis infirmatur, et ego non infirmor »? — Ab *inferiori* causatur infirmitas *tribulationis*, scilicet ab intemperie mundi; de qua secundae ad Corinthios duodecimo: « Complaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in angustiis pro Christo ». De hac potest exponi quod habetur Ecclesiastici septimo[3]: « Non te pigeat visitare infirmum. Ex his enim in dilectione firmaberis ». — A *superiori* causatur infirmitas *sanctae aemulationis*, scilicet ex dilectione Dei, de qua Canticorum quinto: « Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo ».

Primo, infirmitatis poenae causae 4. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

3. Haec infirmitas *toleranda* est, quia reddit hominem *sanum*, reddit hominem *eruditum*, reddit hominem *sollicitum*, reddit hominem *probatum* et perfectum. — *Sanat* enim haec infirmitas infirmitatem *culpae*, sicut aliquando accidit, quod aliquis, cadens in unam infirmitatem, sanatur ab alia secundum naturam; unde Ecclesiastici undecimo[4]: « Malitia unius horae oblivionem facit luxuriae maximae »; et Ecclesiastici trigesimo primo: « Infirmitas gravis sobriam facit animam ». — Item *erudit intellectum*, secundum illud Isaiae vigesimo octavo: « Vexatio dabit intellectum auditui »; cuius habetur exemplum, secundi Machabaeorum nono, de Antiocho, qui « coepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga » etc. Unde et ait: « Iustum est, subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire ». Exemplum de milite laeso in pede et clerico, qui portabat aquam benedictam. — Item *excitat voluntatem*; unde in Psalmo[5]: « Multiplicatae sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt »; Osee sexto: « In tribulatione sua mane consurgent ad me ». — Item *probat* et *perficit virtutem*; secundae ad Corinthios duodecimo: « Virtus in infirmitate perficitur »; ideo dicit Apostolus in eodem: « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi ».

Eiusdem effectus 4. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

4. *Domine, ecce, quem amas infirmatur.*

Sicut est multiplex infirmitas *poenae*, ita est multiplex infirmitas *culpae*. Est enim infirmitas *elationis*, *cupiditatis*, *carnalitatis* et *curiositatis*. — Est infirmitas *elationis*; de qua Isaiae vigesimo quarto[6]: « Infirmata est altitudo populi terrae, et terra infecta est ab habitatoribus suis ». — Est etiam infirmitas *cupiditatis*; de qua Ecclesiastae quinto: « Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiae congregatae in malum domini sui ». — Est infirmitas *carnalitatis*; de qua Ecclesiastici trigesimo septimo: « In multis escis erit infirmitas », id est in multis voluptatibus; « et aviditas appropinquabit usque ad choleram ». — Est etiam infirmitas *curiositatis*; de qua Isaiae quadragesimo[7]: « Deficient pueri et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadent ». De hac Ecclesiastae tertio: « Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo Deus, et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem »; et Ecclesiastae octavo: « Inveni, quod operum omnium Dei nullam possit homo invenire rationem; et quanto plus laboraverit, tanto minus inveniet ».

Secundo, infirmitas culpae quadruplex. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

5. Haec infirmitas *fugienda* est, quia hominem *deformat*, *depauperat*, *debilitat* et *inquietat*. — *Deformat* conscientiam; primi Machabaeorum primo[8]: « Iuvenes et virgines infirmati sunt, et omnis speciositas mulierum immutata est ». — *Depauperat* animam; Ecclesiastae quinto: « Sicut egressus est nudus

Eiusdem effectus 4. Primus. Secundus.

---

[1] Vide supra pag. 394, notam 13. — Inferius respicitur Ioan. 11, 25: Etiam si mortuus fuerit, vivet.

[2] Psalm. 6, 3. — Duo seqq. loci sunt II. Cor. 11, 29. et 12, 10.

[3] Vers. 39. — Sequitur Cantic. 5, 8.

[4] Vers. 29. — Subinde allegantur Eccli. 31, 2; Isai. 28, 19; II. Machab. 9, 11. et 12.

[5] Psalm. 15, 4. — Sequuntur Osee 6, 1. et II. Cor. 12, 9.

[6] Vers. 4. et 5. — Duo seqq. loci sunt Eccle. 5, 12, ubi Vulgata *divitiae conservatae* pro *divitiae congregatae*; Eccli. 37, 33.

[7] Vers. 30. — Subinde allegatur Eccle. 3, 10. seq. et 8, 17: *Intellexi, quod* etc.

[8] Vers. 27. — Tres seqq. loci sunt Eccle. 5, 14. seq.; Thren. 1, 14. et Ps. 106, 12.

de utero matris suae, sic revertetur etc. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic revertetur ».

Tertius. — *Debilitat* virtutem; Threnorum primo: « Infirmata est virtus mea; dedit me Dominus in manu,

Quartus. de qua non potero surgere ». — *Inquietat* mentem; Psalmus: « Humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret ».

6. *Domine, ecce, quem amas infirmatur.*

Eiusdem 7 differentiae. Cum peccatum propter iam dictas causas dicatur *infirmitas*, nota secundum diversa genera peccatorum diversas *differentias* infirmitatum. Est namque infirmitas *superbiae, invidiae, irae, avaritiae, acci-*

Infirmitas prima. *diae, luxuriae, gulae.* — Est infirmitas *superbiae;* de qua secundi Paralipomenon vigesimo primo [1]: « Mortuus est Ioram in infirmitate pessima, et non fecit ei populus combustionis obsequias, sicut fecerat maioribus eius ». Et ita infirmitas pessima est superbia; *Ioram*, excelsus vel domini sublimitas. De hac infirmitate Isaiae vigesimo quarto: « Altitudo

Secunda. populi infirmata est ». — Est infirmitas *invidiae;* de qua Michaeae primo [2]: « Infirmata est in bonum, quae habitat in Maroth ». Invidiae enim infirmitas causam accipit ex bono et in amaritudine habitat.

Tertia. — Est infirmitas *irae;* de qua Ieremiae sexto: « Iniquitas et vastitas audietur in ea, coram me semper

Quarta. infirmitas et plaga ». — Est infirmitas *avaritiae;* de qua Ecclesiastae quinto: « Est alia infirmitas, quam vidi sub sole: divitiae congregatae in malum

Quinta. domini sui ». — Est etiam infirmitas *accidiae;* de qua Ecclesiastici trigesimo primo [3]: « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non

Sexta. occurret tibi ». — Est infirmitas *luxuriae.* Haec est infirmitas immunda; de qua Lucae octavo: « Erant cum Iesu mulieres, quae erant curatae a spiritibus

Septima. immundis et infirmitatibus ». — Est et infirmitas *gulae;* de qua Ecclesiastici trigesimo septimo: « In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram ».

7. Hae septem infirmitates sub figura leguntur

Harum figurae. curatae a Christo in Evangelio. Sanavit enim Dominus septem infirmitates incurabiles, scilicet *daemonium*, Matthaei octavo [4]; sanavit *lepram*, Matthaei octavo, Lucae quinto; sanavit *phrenesim*, Matthaei decimo septimo et Marci nono; sanavit *contractam*, Lucae decimo tertio; sanavit *paralysim*, Ioannis quinto, Matthaei nono; sanavit *fluxum*, Lucae octavo; sanavit *hydropisim*, Lucae decimo quarto. — Per *daemonium* intellige superbiam; per *lepram* intellige invidiam; Proverbiorum decimo quarto [5]: « Putredo ossium invidia »; per *phrenesim*, iram; per *contractam*, avaritiam; per *paralysim*, accidiam; per *fluxum sanguinis*, luxuriam; per *hydropisim*, gulam. Haec sanavit qui « sanavit omnem infirmitatem ».

Annotatio 38.

(Vers. 11.). *Lazarus, amicus noster, dormit.*

Triplex dormitio. Nota, quod est dormitio *quietis*, dormitio *salutis*, dormitio *mortis*. — Dormitio *quietis* est dormitio

Prima. *naturae*, quae homini *indulgetur;* de qua Matthaei vigesimo sexto [6]: « Invenit eos dormientes »; et subditur, quod « dixit eis: Dormite iam et requiescite ». — Est dormitio *salutis*, et haec est dormitio *gra-*

Secunda. *tiae;* haec homini *suadetur*, de qua Canticorum quinto: « Ego dormio, et cor meum vigilat »; et Canticorum secundo: « Adiuro vos, ne vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit » etc. — Est dormi-

Tertia. tio *mortis*, et haec, spiritualiter intelligendo, est dormitio *culpae*, et haec homini *interdicitur;* primae ad Thessalonicenses quinto [7]: « Non dormiamus, sed vigilemus et sobrii simus »; et ad Ephesios quinto: « Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus ». — Et dicitur culpa *somnus*

Triplex ratio. propter tria: quia ad modum somni naturalis claudit homini *visum*, ligat *sensum*, sistit *gressum*. — Clau-

Prima. dit *visum discretionis;* unde in Psalmo: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte ». — Ligat *sensum devotionis;* Proverbiorum vigesimo

Secunda. tertio [8]: « Eris sicut dormiens in medio maris, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo, et dices », id est, dicere poteris: « Verberaverunt me, et non dolui; traxerunt me, et ego non sensi ». — Sistit

Tertia. *gressum bonae operationis;* propter quod dicitur otioso Proverbiorum sexto: « Usquequo, piger, dormies? quando consurges de somno tuo » etc.

Annotatio 39.

(Vers. 11.). *Sed ego vado, ut a somno excitem eum.*

Excitatio triplex. Nota, quod a somno excitatur aliquis *lumine*, aliquis *pulsu*, aliquis *clamore*. Ita et dormientes somno *culpae* aliquando *lumine* divinae inspiratio-

---

[1] Vers. 19, ubi C cum Vulgata *exsequias* pro *obsequias*. Hieron., de Nominibus Hebraic., II. Reg.: *Ioram*, qui est sublimis vel manus sublimium. Ibid. III. Reg.: *Ioram*, qui est excelsus. Cfr. Fragment. IV. Graec. libri nominum Hebraic. (in tom. 3. oper. Hieron.), ubi secundum interpretationem latinam: *Ioram*, dominus altitudinis; secundum Hieron.: « *Ioram*, ubi est excelsus? aut quis est excelsus? sed melius, sublimabitur ». E codd. nostris A ante *sublimitas* omittit *domini*, quod ob abbreviationem in B etiam legi potest *doni*. — Sequitur Isai. 24, 4.

[2] Vers. 12, quem Hieron. (in suo Comment. in hunc locum) ita exhibet: *Quia infirmata est in bono* [ita etiam A; Vulgata et B *bonum*] *quae habitat in Maroth* [Vulgata: *in amaritudinibus*]. — Duo seqq. loci sunt Ier. 6, 7. et Eccle. 5, 12.

[3] Vers. 27. — Subinde allegantur Luc. 8, 2. et Eccli. 37, 33.

[4] Vers. 28. seqq.; Matth. 8, 2. seq.; Luc. 5, 12; Matth. 17; 14. seqq.; Marc. 9, 16. seqq.; Luc. 13, 11. seqq.; Ioan. 5, 5. seqq.; Matth. 9, 2. seqq.; Luc. 8, 43. seqq. et 14, 2-4.

[5] Vers. 30. — Inferius allegatur Matth. 4, 23.

[6] Vers. 43. et 45. — Sequitur Cantic. 5, 2. et 2, 7. 8.

[7] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Eph. 5, 14. et Ps. 12, 4. — Cod. A *omnibus interdicitur* pro *hominu interdicitur*.

[8] Vers. 34. et 35. — Subinde allegatur Prov. 6, 9. 10.

nis, aliquando *pulsu* divinae correctionis, aliquando *clamore* sanctae praedicationis. — Haec tria significata sunt Actuum duodecimo [1] in excitatione Petri dormientis, de quo dicitur : « Ecce, Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo »; ecce, primum; « percussoque latere Petri »; ecce, secundum; « excitavit eum dicens : Surge velociter »; ecce, tertium.

COLLATIO XLII.

(Vers. 21.). *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*

1. In verbis istis lamentatur Martha sub figura
Divisio. Ecclesiae duo, scilicet *absentiam medici* — et *mortem infirmi : absentiam medici*, cum dicit : *Domine, si fuisses hic;* quasi dicat : quia non fuisti hic. *Mortem infirmi*, cum subiungit : *Frater meus non fuisset mortuus*, qui scilicet est mortuus; et potest hoc intelligi de morte *naturae*, vel de morte *culpae*, ut dicamus : Domine, si fuisses hic corporaliter, frater meus non fuisset mortuus *temporaliter;* vel dicamus : Si fuisses hic per gratiam, frater meus non fuisset mortuus per *culpam*.

2. Distingue multiplicem mortem, et attende,
Mors quadruplex. De prima morte tria. quod est mors *naturae*, mors *culpae*, mors *poenae*, mors *gratiae*. — Mors naturae *horrenda* est malis, *optanda* iustis, *praecavenda* cunctis. — Est *hor-*
Est horrenda malis, quia spoliat. *renda malis*, quia ipsos *spoliat;* Ecclesiastici undecimo [2] : « Est qui locupletatur parce agendo » etc.; et sequitur : « Et nescit, quod tempus praetereat, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis et moriatur »; Iob vigesimo septimo : « Cum dives dormierit, nihil secum auferet »; Psalmus : « Cum inter-
Quia cruciat. ierit, non sumet omnia ». — Item, quia eos *cruciat;* Ecclesiastici quadragesimo primo [3] : « O mors, quam amara est memoria tua homini iniusto et pacem habenti in substantiis suis »! Si amara est memoria, multo magis praesentia; Lucae decimo sexto : « Mor-
Quia annihilat. tuus est dives et sepultus est in inferno ». — Item, quia eos *annihilat;* Iob decimo quarto [4] : « Homo, cum fuerit mortuus et nudatus atque consumtus, ubi, quaeso, est »? quasi dicat : nusquam est. Psalmus :
Item, optanda iustis, quia ditat. « Transivi, et ecce, non erat ».

3. Mors ista est *optanda iustis*, quia illos *ditat;* Iob tertio [5] : « Exspectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulcrum »; unde de iusto dicitur Iob quinto : « Ingredieris in abundantia sepulcrum »; ad Philippenses primo : « Mihi vivere Christus est, ait Apostolus, et mori lucrum ». — Item, quia illos *quietat;* Apocalypsis decimo quarto [6] : Quia quietat. « Beati, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis ». — Item, Quia exaltat. quia illos *exaltat;* Lucae decimo sexto : « Factum est, ut moreretur mendicus et deportaretur ab Angelis in sinum Abrahae ».

4. Mors nihilominus ista est *praecavenda cunctis*, Item, cavenda cunctis, quia necessaria. quia *necessaria;* secundi Regum decimo quarto [7] : « Omnes morimur et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur »; Psalmus : « Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem »? Versus :

Unde superbit homo, cuius conceptio culpa,
Nasci poena, labor vita, necesse mori?

Item, quia *propinqua;* Ecclesiastici decimo quarto [8] : « Memor esto, quoniam mors non tardabit ». Quia propinqua. Seneca : « Quidquid aetatis retro est, mors tenet, quidquid restat, incertum ». Ecclesiastici undecimo : « Nescit homo, quod tempus praetereat, et mors appropinquet » etc. — Item, quia *repentina;* Genesis Quia repentina. vigesimo septimo [9] : « Vides », ait Isaac, « quod senuerim et ignorem diem mortis meae »; primae ad Thessalonicenses quinto : « Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus »; unde « nihil est incertius hora mortis, morte nihil certius ».

Mors ergo naturae est *horrenda malis*, quia Epilogus. ipsos *spoliat, cruciat* et *annihilat; optanda* est *iustis*, quia ipsos *ditat, quietat* et *exaltat; praecavenda cunctis*, quia *necessaria, propinqua* et *repentina;* de qua hic [10] dicitur : *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, scilicet morte naturae.

5. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* morte *culpae*, quae multiplex est. Est Secunda mors est septuplex. enim mors *superbiae;* Iob decimo octavo [11] : « Consumat brachia eius primogenita mors »; Iob primo : « Irruit ventus vehemens a regione deserti et concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt ». — Est mors *irae;* Prima. Secunda.

---

[1] Vers. 7.

[2] Vers. 18. et 20. — Duo seqq. loci sunt Iob 27, 19. et Ps. 48, 18.

[3] Vers. 1. — Sequitur Luc. 16, 22.

[4] Vers. 10. — Subinde allegatur Ps. 36, 36.

[5] Vers. 21. seq. — Sequuntur Iob 5, 26. et Phil. 1, 21.

[6] Vers. 13. — Subinde allegatur Luc. 16, 22.

[7] Vers. 14. — Sequitur Ps. 88, 49. — Versus dein allegati inveniuntur in Meditation. püssimis de cognitione humanae conditionis (inter opera Bernardi), c. 3. n. 8.

[8] Vers. 12. — Seneca, Epist. 1. n. 2 : Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem aestimet? qui intelligat, se quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus, magna pars eius iam praeteriit, quidquid aetatis retro est, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis : omnes horas complectere, sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur, vita transcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est etc. — Sequitur Eccli. 14, 20.

[9] Vers. 2. — Subinde allegatur I. Thess. 5, 3. — Anselm., Meditat. 7. c. 1 : « Nihil certius morte, nihil hora mortis incertius ». Cicer., de Senectute (Cato maior), c. 20 : Moriendum enim certe est, et id incertum, an eo ipso die.

[10] Vers. 21.

[11] Vers. 13. — Tres seqq. loci sunt Iob 1, 19. et 5, 2 : *Vere stultum* etc.; I. Ioan. 3, 14.

Iob quinto: « Virum stultum interficit iracundia »; primae Ioannis tertio: « Qui non diligit manet in morte ». — Est mors *invidiae;* Iob quinto [1]: « Parvulum occidit invidia »; Ecclesiastici trigesimo octavo: « A tristitia festinat mors »; secundae ad Corinthios septimo: « Tristitia saeculi operatur mortem ». — Est mors *avaritiae;* Proverbiorum vigesimo primo: « Qui congregat thesauros lingua mendacii vanus et excors est, et impingetur ad laqueos mortis ». — Est mors *accidiae;* Psalmus [2]: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte ». — Est mors *gulae;* primae ad Timotheum quinto: « Vidua vivens in deliciis mortua est »; et ad Romanos octavo: « Prudentia carnis mors est ». — Est mors *luxuriae;* Proverbiorum quinto: « Favus distillans labia meretricis »; et sequitur: « Pedes eius descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant »; et Proverbiorum septimo, de meretrice: « Viae inferi domus illius penetrantes interiora mortis ».

Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.

6. *Aliter* nota de morte peccatorum pessima. Est enim mors *ignorantiae*, mors *culpae*, mors *finalis impoenitentiae.* — De morte *ignorantiae;* Ecclesiastici vigesimo secundo [3]: « Super mortuum plora, defecit enim lux eius; super fatuum plora, defecit enim sensus ». — De morte *culpae;* Ezechielis decimo octavo: « Nolo mortem morientis, sed ut magis convertatur et vivat ». — De morte *finalis impoenitentiae;* Proverbiorum undecimo: « Mortuo impio nulla erit ultra spes »; primae Ioannis quinto: « Est peccatum ad mortem; non pro illo, dico, ut roget quis ». — Sic ergo est mors *ignorantiae*, mors *culpae*, mors *finalis impoenitentiae.* Ignorantia aufert vitam *intelligentiae;* culpa, vitam *gratiae;* finalis impoenitentia, *reditum utriusque.*

Mors peccatorum triplex. Prima. Secunda. Tertia.

7. Mors ista *fugienda* est, quia ad modum mortis naturalis aufert *sensum*, aufert *verbum*, aufert *gressum.* — Aufert *sensum discretionis;* Ecclesiastae nono [4]: « Mortui nihil sciunt amplius ». — Aufert *verbum confessionis;* Psalmus: « Non mortui laudabunt te, Domine ». — Aufert *gressum bonae operationis;* unde in Psalmo dicitur de mortuis: « Sedentes in tenebris et umbra mortis, vinctos in mendicitate et ferro ». — Haec ergo est multiplex mors *culpae*, quam tollit beneficium divinae praesentiae; unde dici potest: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*

Tres ipsius effectus. Primus. Secundus. Tertius.

8. Sed et, *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus,* morte *poenae*, quae quidem est multiplex. Est enim mors poenae *temporalis* — et est mors poenae *aeternae.* — Mors *poenae temporalis* est multiplex, secundum quod multiplex poena. Est enim poena *contracta,* poena *inflicta* et poena *assumta.* — Est ergo mors poenae *contractae;* ad Romanos quinto [5]: « Per unum hominem intravit peccatum in mundum, et per peccatum mors ». — Est etiam mors poenae *inflictae*, et haec inflicta a *Deo;* primi Regum secundo: « Dominus mortificat et vivificat »; Ieremiae secundo: « Traduxit nos per terram sitis et imaginem mortis ». Vel inflictae a *mundo;* Psalmus: « Propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis ». Vel inflictae a *diabolo,* qui « persecutus est hominem inopem et mendicum et compunctum corde mortificare », secundum quod dicitur in Psalmo. — Est etiam mors poenae *assumtae;* primae ad Corinthios decimo quinto [6]: « Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres »; et secundae ad Corinthios undecimo gloriabatur Apostolus, fuisse « in plagis supra modum et in mortibus frequenter ». — Sic ergo est mors poenae temporalis triplex: mors poenae *contractae* et poenae *inflictae* et poenae *assumtae.*

Tertia mors est duplex. Temporalis iterum triplex. Prima. Secunda. Tertia.

9. Et nota, quod prima *deflenda* est; quam deflebat Apostolus ad Romanos septimo [7]: « Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius »? — Secunda *sustinenda* est; parit enim patientibus vitam; « Dominus enim mortificat et vivificat »; unde Deuteronomii trigesimo secundo: « Ego occidam, et ego vivere faciam ». Ideo dicebat Iob decimo tertio: « Etiam si occiderit me, in ipso sperabo ». — Tertia *assumenda* est; secundae ad Corinthios quarto: « Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu in corporibus nostris manifestetur »; et post paululum: « Mors in nobis operatur, vita autem in vobis ».

Prima est deflenda. Secunda, sustinenda. Tertia, assumenda.

10. Sequitur de morte poenae *aeternae*, quae multiplex est, secundum quod est multiplex poena. Est enim poena *carentiae visionis,* poena *sensus* et poena *vermis.* — Est mors *carentiae visionis*, et haec est mors caliginis vel caligo mortis; de qua Iob decimo [8]: « Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine » etc.; et non immerito appellatur carentia *mors,* quia, sicut dicitur Ecclesiastici quadragesimo, « melius est mori quam indigere ». — Est etiam mors *poenae sensus;* Apocalypsis vigesimo primo [9]: « Pars eorum erit in stagno igne ardenti et sulphure, quod est secunda mors »;

Item, aeterna triplex. Prima. Secunda.

---

[1] Vers. 2. — Subinde allegantur Eccli. 38, 19; II. Cor. 7, 10. et Prov. 21, 6.

[2] Psalm. 12, 4. — Sequuntur I. Tim. 5, 6; Rom. 8, 6; Prov. 5, 3. et 5. ac 7, 27.

[3] Vers. 10. — Tres seqq. loci sunt Ezech. 18, 32, ultima vero verba habentur v. 23; Prov. 11, 7. et I. Ioan. 5, 16.

[4] Vers. 5, ubi B et Vulgata *noverunt* pro *sciunt.* — Sequuntur Ps. 113, 17. et 106, 10. Cfr. de signis vitae et mortis supra coll. XVIII.

[5] Vers. 12. — Quatuor seqq. loci sunt I. Reg. 2, 6; Ier. 2, 6; Ps. 43, 22. et 108, 17.

[6] Vers. 31. et II. Cor. 11, 23. — Cfr. supra Collat. XXXVIII. n. 3, ubi eadem divisio occurrit.

[7] Vers. 24. — Subinde allegantur I. Reg. 2, 6; Deut. 32, 39; Iob 13, 15; II. Cor. 4, 10. et 12.

[8] Vers. 20. et 21. — Sequitur Eccli. 40, 29.

[9] Vers. 8. — Subinde allegantur Apoc. 20, 13-15. et Thren. 1, 20.

et eodem vigesimo: « Iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda », stagnum ignis. — Est etiam mors *poenae vermis*, de qua potest intelligi quod dicitur Threnorum primo: « Foris interficit gladius, et domi mors similis est ».

Tertia.

11. Mors ista *horrenda* est, quia *intolerabilis*, *inevitabilis* et *interminabilis*. — *Intolerabilis;* unde Apocalypsis nono [1]: « Quaerent homines mortem, et fugiet mors ab eis ». — Nota, quod est status intolerabilis, cui praeeligitur dolor mortis; ita erit ibi secundum illud Ecclesiastici trigesimo: « Melius est mors quam vita amara »; unde et propheta Isaias trigesimo tertio: « Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis »? — Item, *inevitabilis*, illis scilicet, qui peccaverunt; ad Romanos sexto [2]: « Stipendia peccati mors »; Apocalypsis decimo octavo: « In die una venient plagae eius: mors et luctus et fames, et igne comburetur, quia est fortis Dominus, qui iudicabit illam »; dicitur de Babylone. — Item, *interminabilis;* Isaiae ultimo [3]: « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur »; Apocalypsis decimo quarto: « Fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum »; et ideo dicitur in Psalmo: « Mors depascet eos »; in quo notatur mortis duratio; quod enim depascitur iterum ad pascendum renascitur. — Haec est ergo mors gehennae: *intolerabilis*, *inevitabilis malis* et *interminabilis;* de qua possumus dicere: *Si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, morte poenae.

Est intolerabilis.

Inevitabilis.

Interminabilis.

12. Sed, *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus* nisi morte *gratiae*, qua morte debet homo mori *carni*, *mundo*, et *peccato*. — Debet enim homo spiritualis mori *carni*. Hac enim morte voluit nos mortificari ille [4] « qui pro peccatis nostris mortuus est, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu »; unde ad Romanos octavo: « Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis ». — Debet etiam mori *mundo*, secundum illud ad Galatas sexto: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo »; ad Colossenses tertio: « Quae sursum sunt quaerite, non quae super terram; mortui enim estis » etc. — Debet iterum mori *peccato;* ad Romanos sexto [5]: « Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo »? item in eodem: « Qui mortuus est iustificatus est a peccato ». — Sic ergo debet homo spiritualis mori *carni*, mori *mundo* et mori *peccato*, quod est non retinere motum in illis vel sensum.

Quarta mors est triplex.

Prima.

Secunda.

Tertia.

13. Sunt autem tria, quae occidunt hominem morte spirituali, scilicet *studium contemplationis*, *affectus dilectionis*, *humilitas conversationis*. Contemplatio *suspendit*, dilectio *transfigit*, humilitas vero *sepelit* et *recondit*. — Debet ergo homo mori per *studium contemplationis*, ut sit eius meditatio quasi *suspendium;* unde Iob septimo [6]: « Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea ». — Debet etiam mori per *ardorem dilectionis*, ut sit eius affectio quasi *transfixa*, quia, sicut dicitur Canticorum octavo, « fortis est sicut mors dilectio, et dura sicut infernus aemulatio; lampades eius quasi lampades ignis atque flammarum ». Hac morte quasi transfixa erat quae dicebat: « Vulnerata caritate ego sum ». — Debet etiam mori per *humilitatem conversationis*, ut sit eius vita quasi *sepulta* sive abscondita, secundum illud ad Colossenses tertio [7]: « Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo ».

Tria faciunt mori.

Primum.

Secundum.

Tertium.

14. Haec mors *quaerenda* est et amanda, quia *placat Deum*, *aedificat proximum*, *locupletat defunctum*. — Mors ista *placat Deum;* est enim « pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius [8] »; et bene *pretiosa*, quia pro illa dat regnum caelorum; unde secundae ad Timotheum secundo: « Si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus ». — Item, mors ista *aedificat proximum;* unde secundi Machabaeorum sexto dicebat ille bonus senex Eleazarus: « Adolescentulis forte exemplum relinquam, si pro sanctissimis legibus honesta morte perfungar ». — Item, mors illa *locupletat defunctum;* unde Ioannis duodecimo: « Si granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert ».

Haec quaerenda.

Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

COLLATIO XLIII.

(Vers. 43.). *Lazare, veni foras.*

1. Circa suscitationem Lazari notandum est, quid Dominus ante suscitationem *fecerit* — et quid in suscitando *praeceperit*.

Divisio.

Nota igitur, quod Dominus, volens suscitare Lazarum, tria facit: *plorat*, *accedit* et *clamat*. — *Plorat;* Ioannis undecimo [9]: « Lacrymatus est Ie-

Christus fecit tria ante suscitationem.

Plorat.

---

[1] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 30, 17. et Isai. 33, 14.

[2] Vers. 23. — Sequitur Apoc. 18, 8.

[3] Vers. 24. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 14, 11. et Ps. 48, 15, ubi Glossa *ordinaria* (ex Cassiodoro): *Depascet*, a similitudine iumentorum, quae non radicitus herbas evellunt, sed summitates tantum carpunt; unde iterum herbae nascuntur ad pastum. Sic et illi morte depasti reviviscunt, quia non deficiunt. Vel *depascet*, id est, de poena ad poenam ducet [Petr. Lombard.: Vel *depascet eos*, id est de pascua ad pascuam, id est de poena ad poenam ducet].

[4] Ut dicitur I. Petr. 3, 18. — Sequuntur Rom. 8, 13; Gal. 6, 14. et Col. 3, 1. seq.

[5] Vers. 2. et subinde v. 7.

[6] Vers. 15. — Sequitur Cantic. 8, 6. Beda, IV. in Cantic. c. 19, exponens illud 5, 7: *Invenerunt me custodes... et vulneraverunt me*, ait: Huius siquidem ictu gladii [Spiritus sive verbi Dei] vulnus accipitur illud, de quo alibi: *Vulnerata caritate ego sum* [ita septuaginta interpretes Cantic. 2, 5, ubi Vulgata: *Amore langueo*].

[7] Vers. 3.

[8] Ut dicitur Ps. 115, 5. — Tres seqq. loci sunt II. Tim. 2, 11. seq.; II. Machab. 6, 28: *Adolescentibus* etc., et Ioan. 12, 24. seq.

[9] Vers. 35; sequuntur v. 38. et 43. — Subinde allegatur Eccli. 22, 10.

Accedit. sus ». — *Accedit;* unde sequitur: « Fremens in
Clamat. semetipso, venit ad monumentum ». — *Clamat;* unde
in eodem paulo post: « Haec cum dixisset, voce magna clamabat: Lazare, veni foras »; per hoc instruens
Haec spiritualiter imitanda. nos, quod qui vult proximum suum suscitare spiritualiter debet ipsum *plorare* per *compassionem*, secundum illud Ecclesiastici vigesimo secundo [1]: « Super mortuum plora, defecit enim lux eius; super fatuum plora, defecit enim sensus ». — Debet ad ipsum *accedere* per *subventionem*, secundum illud Proverbiorum sexto: « Discurre, festina, suscita amicum tuum ». — Debet ipsi *acclamare* per *praedicationem*, secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo: « Clama, ne cesses, quasi tuba » etc. — Haec ergo notantur ex parte *suscitantis*.

2. Ex parte *suscitati* nota, quod Dominus, vo-
In suscitandis tria requiruntur ante suscitationem. lens suscitare mortuum, aliquando iubet, *stare feretrum*, sicut praecepit Lucae septimo [2], quando voluit suscitare adolescentem. Aliquando iubet, *exire turbam;* unde Lucae octavo non permisit, turbam intrare secum, quando voluit suscitare filiam archisynagogi. Aliquando iubet, *deponi lapidem;* unde Ioannis undecimo, volens suscitare Lazarum, dixit:
Item, tria in sensu spirituali. « Tollite lapidem ». — Haec sunt tria, quae disponunt mortuum ad vitam spiritualem recuperandam, scilicet *peccatum dimittere, occasionem fugere* et *peccatum* in confessione *revelare*. — Tunc
Primum. *stat feretrum*, cum homo desistit a peccati operatione, secundum illud Isaiae primo [3]: « Quiescite
Secundum. agere perverse ». — Tunc *non intrat turba*, quando homo cavet sibi a peccati occasione; de quo dicitur Numerorum decimo sexto: « Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et ne tangatis quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum ». —
Tertium. Tunc *lapis tollitur*, cum homo revelat peccata sua in confessione; de quo Proverbiorum vigesimo octavo: « Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur ». — Haec ergo antecedunt suscitationem.

3. Post suscitationem dicitur, quod Lazarus *pro-*
Post suscitationem de Lazaro tria. *diit, solvitur* et *abiit. Prodiit;* unde dicitur [4]: *Prodiit, qui fuerat mortuus. Solvitur* et *abiit;* unde dicit Iesus: *Solvite eum et sinite abire*. — Nota,
Applicatio. quod mortuus spiritualis *exit* de sepulcro in *contritione; solvitur* in *confessione*, secundum illud Matthaei decimo sexto: « Quaecumque solveris super terram » etc.; *abit* in *satisfactione;* unde Lucae quinto: « Vade in domum tuam »; et Psalmus: « Ibunt » Sancti « de virtute in virtutem ».

Circa suscitatum tria dicuntur. 4. Item notandum, quod Dominus suscitatum aliquando committit *solvendum*, aliquando *pascendum*, aliquando *custodiendum*. — *Solvendus* com-
Eorum expositio spiritualis. mittitur spiritualiter suscitatus sacerdotibus; quod figuratum est Ioannis undecimo [5], cum dixit de Lazaro: *Solvite eum et sinite abire*. — *Pascendus* committitur praedicatoribus; quod figuratum est, Lucae octavo, de filia archisynagogi, cui praecepit Dominus dari manducare. — *Custodiendus* committitur praelatis; quod figuratum est, Lucae septimo, de adolescente, quem dedit Dominus custodiendum matri suae.

Recollige ergo, quod praelati, ut suscitent, de-
Epilogus. bent *plorare, accedere* et *clamare*. Postquam vero suscitatus est mortuus, debent *solvere, pascere* et *custodire*. — Mortui vero, ut suscitentur, debent *feretrum sistere, turbam repellere, lapidem deponere*. Postquam vero suscitati sunt, debent *prodire, solutionem quaerere* et *abire*.

COLLATIO XLIV.

(Vers. 50.). *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*

1. Cum hoc dicatur ad litteram de morte Chri-
Divisio. sti, hic [6] tangitur *necessitas*, cum dicitur: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo;* quasi dicat: alias moreretur populus. Cuius etiam tangitur *utilitas*, cum dicitur: *Et non tota gens pereat*. Notandum igitur, quid mors Christi debeat facere *pro nobis* — et quid debeat facere *in nobis*.

Circa primum nota, quod mors Christi est no-
Primo, duplex effectus mortis Christi. bis *remedium* contra malum — et est nobis *suffragium* ad bonum.

2. Est ergo nobis *remedium contra malum;*
Remedium contra malum tripliciter. et in malo, praecipue pro quo sanando Christus mortuus est, tria sunt: scilicet *macula, reatus* et *offensa*. Notandum est, quod mors Christi *delet maculam, tollit poenam, conciliat offensam*. — Mors
Primo. ergo Christi *delet culpam;* Apocalypsis primo [7]: « Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo »; ad Romanos sexto: « Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus », *baptizati*, id est loti. — Mors Christi igitur *tollit poenam;* Isaiae
Secundo. quinquagesimo tertio [8]: « Tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit ». — Mors Christi *conciliat of-*
Tertio. *fensam;* ad Romanos quinto: « Cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius ». — Sic ergo mors Christi est *remedium contra malum*.

3. Est etiam mors Christi *suffragium ad bo-*
Suffragium ad bonum tripliciter. *num*. Suffragatur enim ad bonum *veniae*, ad bonum

---

[1] Vers. 10. — Sequuntur Prov. 6, 3; Isai. 58, 1.

[2] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Luc. 8, 51. et Ioan. 11, 39. Cfr. supra collat. XXII. n. 2. et 3.

[3] Vers. 16. — Subinde allegantur Num. 16, 26. et Prov. 28, 13.

[4] Ioan. 11, 44, ubi etiam seq. locus. — Sequuntur Matth. 16, 19; Luc. 5, 24. et Ps. 83, 8. — Pro *mortuus spiritualis* C *mortuus spiritualiter*.

[5] Vers. 44. — Duo seqq. loci sunt Luc. 8, 55. et 7, 15.

[6] Cod. A *cuius hic*.

[7] Vers. 5. — Sequitur Rom. 6, 3.

[8] Vers. 12. — Subinde allegatur Rom. 5, 10.

Primo. *gratiae* et ad bonum *gloriae.* — Mors Christi *impetrat veniam;* unde ad Hebraeos nono [1]: « Ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis »; et ideo ad Hebraeos duodecimo confortat Apostolus fideles dicens: « Accessistis ad novi testamenti mediatorem Iesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel »; ideo *melius loquentem,* quia sanguis Abel loquebatur vindictam, sed sanguis Christi loquitur
Secundo. veniam. — Item, mors Christi *meretur gratiam;* unde primae Petri tertio [2]: « Christus semel pro peccatis nostris mortuus est etc., ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiri-
Tertio. tu ». — Item, mors Christi *aperit ianuam.* « Ipse enim per sanguinem suum semel introivit in sancta, aeterna redemptione inventa », ad Hebraeos nono; et haec apertio probata est introductione illorum in regno, qui ante mortem eius captivi detinebantur in limbo; de quo dictum est Osee decimo tertio: « Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne ». — Haec ergo facit mors Christi pro nobis.

4. Considera postea, quid debeat facere *in nobis;* et attende, quia mors Christi est a nobis
Secundo, facit in nobis tria. Est amanda. *amanda, praedicanda* et *imitanda.* — Debemus enim mortuum pro nobis Christum *amare;* unde ad Romanos octavo [3] ait Apostolus: « Christus Iesus, qui mortuus est, qui et resurrexit, qui est ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis »; et postmodum in eodem exclamat: « Quis ergo nos separabit a caritate Christi »? Et ad Romanos quinto: « Commendat Deus suam caritatem in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tem-
Praedicanda. pus, Christus pro nobis mortuus est ». — Debemus etiam mortuum pro nobis Christum *praedicare;* unde Apostolus primae ad Corinthios secundo [4]: « Non iudicavi, me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum
Imitanda. et hunc crucifixum ». — Debemus etiam mortuum pro nobis Christum *imitari;* unde secundae ad Corinthios quarto: « Semper mortificationem Christi Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu in corporibus nostris manifestetur ».

5. Nota autem, quod ad imitandam mortem
Tres rationes ad imitandum. Prima. Christi *obligamur* ex debito, *allicimur* promisso, *animamur* exemplo. — *Obligamur* ex debito; Christus enim comparavit vitam nostram morte sua; secundae ad Corinthios quinto [5]: « Christus pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt iam non sibi vi-
Secunda. vant » etc. — *Allicimur* ex promisso; unde ad Romanos sexto: « Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus »; et eodem: « Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul vivemus cum illo ». — *Animamur* exem- Tertia. plo; unde primae Petri secundo [6]: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius » etc.; et primae Petri quarto: « Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini ».

Annotatio 40.

(Vers. 5.). *Diligebat autem Dominus Mariam, Martham* et *Lazarum.*

Per istos tres nota tria genera hominum a Deo Tria genera hominum. dilectorum. — Per Mariam intellige *contemplativos;* per Martham, *activos;* per Lazarum, *poenitentes.* Eos habes significatos, Ezechielis decimo quarto [7], per Noe, Daniel et Iob, qui « in iustitia sua liberant animas suas »; eosdem etiam per Petrum, Iacobum et Ioannem, Matthaei decimo septimo, qui ascendunt cum Domino in montem. Ista enim tria genera hominum a peccato liberantur et a Deo diliguntur et in monte gloriae assumuntur.

Annotatio 41.

(Vers. 35.). *Et lacrymatus est Iesus.*

Nota, quod ter lacrymatus est. Lacrymatus est Ter Christus lacrymatus est. in resuscitatione, Ioannis undecimo [8]; unde hic dicitur: *Lacrymatus est Iesus.* — Item, lacrymatus est Iesus, cum appropinquaret civitati; Lucae decimo nono: « Videns Iesus civitatem, flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu »! — Lacrymatus est etiam in passione; ad Hebraeos quinto: « Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia ». — In passione flevit, compatiens miseriae *culpae;* ad monumentum flevit, compatiens miseriae *poenae;* super civitatem flevit, compatiens *ignorantiae.*

Annotatio 42.

(Vers. 43.). *Et cum haec dixisset, clamavit voce magna: Lazare, veni foras.*

Nota, quod ter legitur Christus clamasse. Cla- Ter Christus clamavit. mavit enim in *templo;* Ioannis septimo [9]: « Stabat Iesus et clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat ». — Clamavit ad *sepulcrum* Lazari; unde hic: *Haec cum dixisset, clamavit* etc. — Clama-

---

[1] Vers. 15; ibid. 12, 24. est seq. locus.

[2] Vers. 18, ubi codd., ut videtur, mendose habent *mortificatos* et *vivificatos* pro textu Vulgatae *mortificatus* et *vivificatus.* Vide supra pag. 590, notam 4. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 9, 12. et Osee 13, 14.

[3] Vers. 34; post quem subinde allegantur v. 35. et 5, 8. seq.

[4] Vers. 2. — Sequitur II. Cor. 4, 10.

[5] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Rom. 6, 5. et 8. — Pro *emit* C *comparavit.*

[6] Vers. 21. 22. — Subinde allegatur I. Petr. 4, 1.

[7] Vers. 14; cfr. v. 20. — Sequitur Matth. 17, 1.

[8] Vers. 35. — Duo seqq. loci sunt Luc. 19, 41. seq. et Hebr. 5, 7.

[9] Vers. 37. — Subinde allegatur Matth. 27, 50.

vit in *cruce;* Matthaei vigesimo septimo: « Iesus autem, iterum clamans voce magna, emisit spiritum ». — Stans in templo clamavit ad populum; stans ad sepulcrum clamavit ad Lazarum; pendens in cruce clamavit ad Patrem. Primus clamor fuit pro *ignorantia* populi instruenda; secundus clamor, pro *miseria* relevanda; tertius, pro *culpa* humani generis dimittenda. Unde illa relevavit clamando, quibus compatiebatur flendo [1].

Annotatio 43.

(Vers. 39.). *Tollite lapidem.*

Rationes 3, quare peccatum dicatur lapis.

Nota, quod peccatum dicitur *lapis,* quia *operit;* Psalmus [2]: « Operti sunt iniquitate et impietate sua ». — Quia *premit;* Psalmus: « Sicut onus grave gravatae sunt super me ». — Quia *includit;* Isaiae sexagesimo primo: « Ut annuntiarem clausis apertionem ».

Aliter.

Vel ideo dicitur peccatum *lapis,* quia habet *opacitatem, duritiam* et *gravitatem.* — *Obscurat* enim intellectum; Ecclesiastici undecimo [3]: « Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt ». — *Indurat* voluntatem; Ieremiae decimo septimo: « Induraverunt cervicem suam, ut non audirent me ». — *Gravat* virtutem; Gregorius: « Peccatum, quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit ».

Annotatio 44.

(Vers. 44.). *Prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies eius erat ligata sudario.*

Tria ligata.

1. Nota, quod tria erant in mortuo ligata: *facies, pedes* et *manus.* Ligat enim peccatum *faciem* cogitationis [4], ut non valeat de Deo peccator recogitare; *pedes* affectionis, ut non possit a peccato resipiscere; *manus* operationis, ut non possit in bono proficere.

Aliter.

Vel aliter: ligantur *pedes* affectionum per malum *amorem,* ne peccator culpam detestetur; unde Threnorum primo [5]: « Expandit rete pedibus meis ». — Ligatur *facies* per malum *pudorem,* ne peccatum confiteatur; Psalmus: « Confusio faciei meae cooperuit me ». — Ligantur *manus* per inordinatum *torporem,* ne de peccato satisfaciat; unde Actuum duodecimo, ligatus erat Petrus in manibus; unde legitur ibidem, quod in adventu Angeli « ceciderunt catenae de manibus eius ». Iste enim est triplex modus ligandi captivum, scilicet ut incatenetur pedibus, collo et manibus.

2. *Prodiit,* inquit, *qui fuerat mortuus.*

Tres mortui suscitati.

Nota, quod Dominus suscitavit tres mortuos: *puellam* in thalamo, Lucae octavo [6]; *adolescentem* in porta, Lucae septimo; *Lazarum* de monumento, Ioannis undecimo. Per *puellam* significantur peccantes in sola voluntate; per *adolescentem,* peccantes in opere; per *Lazarum,* peccantes in consuetudine.

Capitulum XII. *Iesus ergo ante sex dies Paschae.*

Annotatio 45.

(Vers. 3.). *Maria ergo accepit libram unguenti* etc.

Triplex unguentum in triplici statu.

Nota, quod Maria triplex unguentum obtulit Domino et in triplici statu. Obtulit enim unguentum Domino *recumbenti* et Domino *ad passionem accedenti* et eidem *resurgenti.* — Domino *recumbenti* obtulit unguentum; Lucae septimo [7]: « Ecce, mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod Iesus accubuit in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti » etc. — Domino *ad passionem accedenti* obtulit unguentum; Ioannis duodecimo: « Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi et unxit pedes eius » etc.; et Matthaei vigesimo sexto: « Accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti pretiosi » etc. — Domino *resurgenti* obtulit unguentum; Marci ultimo: « Cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum ». — Primum unguentum obtulit Maria ad ungendum *pedes,* et significat unguentum *contritionis.* — Secundum unguentum obtulit ad ungendum *pedes* et *caput,* et significat unguentum *compassionis;* compungitur enim anima ex consideratione *afflictionis humanitatis,* quae significatur per *pedes;* et ex consideratione *dignationis Divinitatis,* quae significatur per *caput.* — Tertium unguentum ad unctionem *totius corporis,* et significat unguentum *devotionis,* quo perungit anima totum Christum, et hoc duce Spiritu, qui « omnia scrutatur, etiam profunda Dei [8] ».

Horum significatio.

Annotatio 46.

(Vers. 7.). *Sinite illam* etc.

Triplex defensio.

1. Nota, quod Dominus ter respondit pro Maria. Respondit pro illa *Pharisaeo indignanti;* Lucae

---

[1] Vide annotationem praecedentem, in qua exponitur, Christum de eisdem tribus lacrymatum esse.

[2] Psalm. 72, 6. — Sequuntur Ps. 35, 4. et Isai. 61, 1.

[3] Vers. 16. — Sequitur Ier. 17, 23. Sententia Gregorii iam supra pag. 203, nota 15. allegata est.

[4] Cod. C *cognitionis,* et inferius pro *de Deo* B *de eo.*

[5] Vers. 13. — Sequuntur Ps. 43, 16; Act. 12, 7.

[6] Vers. 54. — Duo seqq. loci sunt Luc. 7, 12. seqq.; Ioan. 11, 43. Cfr. supra Collat. XXV. n. 2. et XL. n. 1.

[7] Vers. 37. seq. — Subinde allegantur Ioan. 12, 3; Matth. 26, 7. et Marc. 16, 1.

[8] Epist. I. Cor. 2, 10. — Superius pro *dignationis* B *dignitatis,* qui etiam subinde cum C pro *perungit* substituit *percurrit.*

septimo [1]: « Si esset propheta, sciret, qualis est mulier, quae tangit eum, quia peccatrix est ». — Respondit etiam pro ea *sorori conquerenti* et dicenti, Lucae decimo: « Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare »? — Respondit etiam *discipulo murmuranti* et dicenti: « Ut quid perditio haec » etc., Matthaei vigesimo sexto, et Ioannis duodecimo: « Quare unguentum non vaeniit trecentis denariis » etc.

Triplex commendatio.

2. Et nota, quod respondens Pharisaeo, commendavit Mariae *dilectionem;* Lucae septimo [2]: « Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum ». — Respondens sorori, commendavit Mariae *discretionem;* Lucae decimo: « Maria optimam partem elegit ». — Respondens discipulo, commendavit Mariae *operationem* dicens, Matthaei vigesimo sexto: « Bonum opus operata est in me ». — Unde invenitur Maria commendabilis quantum ad *intellectum* ex discretione, quantum ad *affectum* ex dilectione, quantum ad *effectum* ex operum pietate.

COLLATIO XLV.

(Vers. 13.). *Acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam ei.*

Triplex processio.

1. Nota, quod triplex processio celebratur in Ecclesia. Celebratur enim processio cum *ramis;* de qua hic: *Acceperunt* etc., et haec celebratur in Paschate. — Est processio cum *lucernis;* de qua Matthaei vigesimo quinto [3]: « Virgines acceperunt lampades suas et exierunt obviam sponso et sponsae »; de qua etiam in Psalmo: « Specie tua et pulcritudine tua intende, prospere procede et regna »; et haec celebratur in Purificatione. — Est etiam processio cum *vexillis,* et sunt vexilla Christianorum insignia passionis, iuxta illud [4]: « Vexilla regis prodeunt » etc.; ad quam nos invitat Apostolus ad Hebraeos decimo tertio: « Exeamus ad eum extra castra, improperium eius portantes »; et haec celebratur in Rogationibus.

Prima. Secunda. Tertia.

Earum significatio.

2. Attende igitur, quod procedunt *turbae* cum ramis, *virgines* cum lucernis et *apostolici viri* cum vexillis. Et nota, quod processio *turbarum* significat obsequium *activorum,* qui Christo offerunt ramos bonorum operum. Processio vero *virginum* significat obsequium *contemplativorum,* qui Deo offerunt ardorem spiritualium desideriorum. Processio vero Apostolorum significat *perfectorum* obsequium, qui, passionem Christi imitantes, sequuntur ipsum per ardua tormentorum.

Turbae faciunt tria.

3. *Acceperunt,* inquit, *ramos* etc. Nota, quod in ista processione tria faciunt *turbae: vestimenta prosternunt* in via; Matthaei vigesimo primo [5]: « Plurima turba straverunt vestimenta sua in via ». — *Ramos ferunt;* unde hic: *Acceperunt ramos palmarum. — Hosanna proclamant;* unde sequitur: *Et clamabant: Hosanna filio David.* — Per haec tria nota tria opera poenitentiae, quae sunt: *ieiunium, eleemosyna* et *oratio* [6]. In *prostratione vestimentorum* nota *ieiunium. Caro* enim vestimentum est; *poenitentia,* via; *prostratio* igitur *vestimentorum* in via est mortificatio carnis in poenitentia. — In *acceptione ramorum* significatur *eleemosyna;* haec est ramus boni operis procedens ex radice caritatis [7]. — In *cantico turbae* nota *orationem.* Illi enim cantant Domino: « Hosanna in excelsis », qui obsecrant, ut salventur in caelis.

Eorum significatio.

COLLATIO XLVI.

(Vers. 13.). *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Divisio.

1. Considerantes adventum Christi in carnem, de quo spiritualiter intelliguntur verba ista, invenimus in eo, quid *mirandum* — quid *amandum* — et quid *imitandum* sit. Est enim adventus eius dignus *admiratione,* dignus *dilectione,* dignus etiam *imitatione.*

Adventus Christi dignus admiratione.

Ratio 1.

2. Admiratione dignus est, si consideremus, *unde* venit, *quo* venit et *propter quid* venit. — Admirabilis est dignatio eius, quod de *summo* venit; Sapientiae decimo octavo [8]: « Omnipotens sermo tuus, Domine, exsiliens de caelo a regalibus sedibus venit ». — Admirabilis fuit eius dignatio, quod ad *imum* venit; unde in Psalmo: « Veni in altitudinem maris », id est in profunditatem, « et tempestas demersit me ». — Nec minus mirabilis dignatio eius, quod quasi *pro nihilo,* scilicet pro homine perdito, venit; unde Matthaei decimo quinto [9]: « Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel ». — Considerate ergo, *unde* venit et *quo* venit et *propter quid* venit; et « cantate Domino, quia mirabilia fecit ». Hoc est ergo admiratione dignum.

Ratio 2.

Ratio 3.

Dignus dilectione.

3. Sed nihilominus dignus est *dilectione* eius adventus, si consideremus *fructum.* Venit enim, ut

---

[1] Vers. 39. — Tres seqq. loci sunt Luc. 10, 40; Matth. 26, 8. et Ioan. 12, 5.

[2] Vers. 47. — Sequuntur Luc. 10, 42. et Matth. 26, 10.

[3] Vers. 1: Accipientes lampades suas, exierunt etc. (ita etiam B). — Subinde allegatur Ps. 44, 5.

[4] Hymnus pro Vesperis dominicae Passionis. — Sequitur Hebr. 13, 13. Cfr. Bernard., Serm. 1. et 2. in Dominica Palmarum; Serm. 2. de Purificatione B. Mariae.

[5] Vers. 8. — Subinde allegatur Ioan. 12, 13: *Acceperunt... et clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit* etc. (cfr. Matth. 21, 9: *Clamabant dicentes: Hosanna filio David*).

[6] Cfr. IV. Sent. d. 15. p. II. a. 1. q. 4. et a. 2. per totum.

[7] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 27. n. 1: Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una caritate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis. — Inferius allegatur Marc. 11, 10: *Hosanna in excelsis.*

[8] Vers. 15. — Sequitur Ps. 68, 3. Vide August. in hunc locum (serm. 1. n. 6.).

[9] Vers. 24. — Subinde allegatur Ps. 97, 1. — Superius post *Nec minus mirabilis* A brevius *propter peccatores venit.*

hominem perditum *salvaret* a miseria, *ditaret* gra-
Ratio 1. tia, *sublimaret* in gloria. — Venit igitur hominem *salvare a miseria;* Lucae decimo nono [1]: « Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod per-
Ratio 2. ierat ». — Venit et hominem *ditare gratia,* cuius adventum desiderabat sponsa in Canticis, orans sub figura, ut transiret aquilo culpae, et veniret auster gratiae ad renovandum et fecundandum hortum conscientiae; Canticorum quarto [2]: « Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluant aro-
Ratio 3. mata illius ». — Venit etiam hominem *exaltare in gloria;* Aggaei secundo: « Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus ». Hoc est gratiarum actione dignum.

4. Sed adhuc est dignus *imitatione* adventus eius,
Dignus imitatione. si consideremus adveniendi *modum.* Venit enim cum *humilitate,* cum *mansuetudine* et cum *paupertate.* Eius *humilitas* docet nos ordinari ad Deum; eius *mansuetudo,* ad proximum; eius *paupertas,* ad mun-
Ratio 1. dum. — Venit ergo cum *humilitate;* unde Ioannis duodecimo [3]: « Ecce, Rex tuus venit sedens super pullum asinae ». Magna humiliatio est, regem asinare; tunc autem asinavit Rex, quando insedit asino humanita-
Ratio 2. tis nostrae. — Venit etiam cum *mansuetudine;* Matthaei vigesimo primo [4]: « Ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam » etc. Propter haec duo dicit Dominus Matthaei undecimo: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde »; quasi dicat: exemplum mansuetudinis et humilitatis a me
Ratio 3. accipite. — Venit etiam cum *paupertate;* unde Zachariae nono [5]: « Ecce, Rex tuus veniet tibi iustus et Salvator: ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae ». — Sic ergo habes exemplum *humilitatis, mansuetudinis* et *paupertatis* in Christo veniente, et hoc est dignum imitatione in Christo veniente.

Annotatio 47.

(Vers. 17.). *Testimonium perhibebat turba, quae erat cum eo, quando vocavit Lazarum de monumento.*

Nota, quod signa, quae faciebat Christus, com-
Signorum effectus 3. pellebant turbas ad tria: ad *credendum*; unde Ioannis secundo [6]: « Cum esset Ierosolymis in festo, multi crediderunt in eum, videntes signa, quae faciebat ». — Ad *confitendum;* unde hic: *Testimonium perhibebat* etc. — Ad *sequendum;* unde Ioannis sexto: « Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat ».

Collatio XLVII.

(Vers. 32.). *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.*

1. In verbis istis duo praedicit Dominus: primo, Divisio. passionis suae *modum,* cum dicit: *Cum exaltatus fuero;* secundo, passionis suae *fructum,* cum dicit: *Omnia traham ad me ipsum.*

Ait ergo: *Cum exaltatus fuero a terra.* — Nota, Exaltatio trium. quod multiplex est *exaltatio.* Est enim exaltatio hominis-Christi — et hominis iusti — et hominis mali. — De exaltatione *Christi* nota, quod Christus Christus exaltatus tripliciter. fuit exaltatus in *passione,* in *ascensione* et in *Apostolorum praedicatione.* — In passione fuit exaltatus Primo. in *poena;* de qua hic: *Cum exaltatus fuero* etc.; et Ioannis tertio [7]: « Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis ». — In ascensione fuit exaltatus in *gloria.* Tunc enim Secundo. « Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris », ad Philippenses secundo. — In Apostolorum praedicatione fuit exaltatus in *fama;* Tertio. de quo in Psalmo: « Exaltabor in gentibus et exaltabor in terra »; et iterum: « Exaltare super caelos Deus »; quod factum est in ascensione; « et in omnem terram gloria tua »; quod factum est in Evangelii promulgatione.

2. Sequitur de exaltatione *hominis iusti,* quae Item, homo iustus tripliciter. multiplex est. Exaltat enim Deus hominem iustum in *gratia,* in *gloria* et in *fama.* — In *gratia* exal- Primo. tat, quando de culpa ad gratiam vocat; unde Psalmus [8]: « Qui exaltas me de portis mortis ». *Portae mortis,* quibus intratur ad mortem, peccata sunt; *portae* vero *vitae,* gratia et virtutes. Tunc ergo *exaltatur* homo de portis mortis, quando revocatur de statu peccati ad statum gratiae. De hac exaltatione Lucae decimo octavo: « Omnis, qui se exaltat, humiliabitur ». — In *gloria* exaltat, cum de miseria Secundo. ad regnum vocat, secundum illud Psalmi [9]: « Cornu eius exaltabitur in gloria ». De hac exaltatione Lucae decimo quarto: « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur ». — In *fama* Tertio. exaltat, quando eius gloriam in Ecclesia manifestat, cum facit, ut « exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum », secundum quod dicitur in Psalmo [10]; et Matthaei vigesimo tertio: « Omnis, qui se humiliat, exaltabitur » etc.; ubi praedicat Dominus de non quaerenda fama in praesenti sive gloria.

---

[1] Vers. 10.
[2] Vers. 16. — Sequitur Agg. 2, 8.
[3] Vers. 15. — Subinde pro *humiliatio* A C *humilitas.*
[4] Vers. 5. — Sequitur Matth. 11, 29. [5] Vers. 9.
[6] Vers. 23. — Subinde allegatur Ioan. 6, 2.
[7] Vers. 14. — Tres seqq. loci sunt Phil. 2, 9. seqq.; Ps. 45, 11. et 56, 6.
[8] Psalm. 9, 15. — Inferius allegatur Luc. 18, 14. — Subinde post *Portae* B omittit *mortis,* et pro *de portis mortis* substituit *de portis, quibus intratur ad mortem,* ac demum *de statu culpae* pro *de statu peccati.*
[9] Psalm. 111, 9. — Sequitur Luc. 14, 11.
[10] Psalm. 106, 32. — Subinde allegatur Matth. 23, 12.

3. Nota, quod meretur quis exaltari per tria. Exaltationis meritum triplex. Solet enim exaltari *servus*, quia est *officiosus* in domo; solet exaltari *amicus*, quia est *familiaris* in consilio; solet etiam exaltari *miles*, quando *probatus* est in proelio. Ista tria genera hominum solent reges exaltare, videlicet fideles servos, amicos familiares et probatos milites: primos propter suum *obsequium*, secundos propter suum *consilium*, tertios propter suam *fortitudinem*.

4. Nota igitur, quod *activi* exaltabuntur, sicut De activis. servi, ratione *obsequii;* Isaiae quinquagesimo secundo [1]: « Ecce, servus meus intelliget et exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde »; Matthaei vigesimo quinto: « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca De contemplativis. fuisti fidelis » etc. — Exaltantur amici, scilicet *contemplativi*, propter suam *sapientiam;* Proverbiorum quarto: « Arripe sapientiam, et exaltabit te, et glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus ». — De perfectis. Exaltantur *perfecti*, sicut Martyres, quasi propter suam *militiam*, secundum illud Psalmi [2]: « De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput ». — Omnibus istis dicitur primae Petri quinto: « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ».

5. Sequitur de exaltatione *hominis mali*, quae Item, homo malus tripliciter. multiplex est. Exaltantur enim mali in *corde* per superbiam — in *ore* per iactantiam — in *conversatione* per pompam. — Primo. Exaltantur ergo in corde per *superbiam*, quod prohibetur in Psalmo [3]: « Qui exasperant non exaltentur in semetipsis »; et Iob decimo quinto: « Quid te elevat cor tuum, et quasi Secundo. magna cogitans attonitos habes oculos »? — Exaltant se in ore per *iactantiam*, sicut ille Pharisaeus, de quo dicitur Lucae decimo octavo: « Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur ». Iactabat enim se de bonis Tertio. suis. — Exaltantur in conversatione per *pompam*, licet non diu; unde in Psalmo: « Inimici Domini mox, ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient ».

6. Talis exaltatio fugienda est, quia *ignominiosa*, Haec fugienda. Ratio 1. *momentanea* et *periculosa*. — *Ignominiosa*, quia, quanto magis exaltantur, tanto magis eorum crimina conspectius videntur, secundum illud [4]:

> Omne animi vitium tanto conspectius in se
> Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Exemplum de simia, quae, quanto plus ascendit, tanto plus apparent posteriora eius. Et hoc probatur, Isaiae decimo quarto [5], de lucifero, qui dixit: « Conscendam, super astra caeli exaltabo solium meum » etc.; et sequitur statim, quomodo apparuerunt posteriora eius. — Item *momentanea*, quia non Ratio 2. habet permanentiam secundum illud [6]:

> Invidia fatorum flumini summisque negatum
> Stare diu.

Et ideo dicitur in Psalmo: « Vidi impium elevatum et superexaltatum sicut cedros Libani »; et statim sequitur: « Transivi, et ecce, non erat ». Exemplum de fumo, qui quanto magis ascendit, tanto magis dispergitur et evanescit; unde Psalmus: « Mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient ». — Item, Ratio 3. *periculosa*, quia sic exaltati descendunt cum praecipitio, secundum quod descendit lucifer, qui dixit [7]: « Exaltabo solium meum »; et statim dictum est ei: usque « ad infernum detraheris »; Abdiae primo: « Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum; inde detraham te »; et in Iob dicitur in persona talium: « Elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide ». Exemplum de stulto, qui dixit, quod bonum erat volare, sed occidebat eum residere [8].

Annotatio 48.

(Vers. 24.). *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* etc.

Require supra undecimo [9], de morte gratiae.

Annotatio 49.

(Vers. 25.). *Qui amat animam suam perdet eam.*

Nota, quod *anima* aliquando accipitur pro vita Anima accipitur tripliciter. *naturali;* Ioannis decimo [10]: « Animam meam pono pro ovibus meis ». — Aliquando pro vita *spirituali;* unde in Psalmo: « Qui diligit iniquitatem odit animam suam ». — Aliquando pro vita *carnali* sive animali; Ecclesiastici decimo octavo: « Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis »; et hic: *Qui amat animam* etc.

Annotatio 50.

(Vers. 28.). *Venit ergo vox de caelo.*

Nota, quod vox Patris ter fuit audita super Vox Patris ter audita. Christum, scilicet in *baptismo*, Matthaei tertio [11];

---

[1] Vers. 13. — Duo seqq. loci sunt Matth. 25, 21. (cfr. v. 23.) et Prov. 4, 8.

[2] Psalm. 109, 7. — Sequitur I. Petr. 5, 6. — Superius post *perfecti* C addit *et probati milites*, et immediate post substituit *id est* pro *sicut*.

[3] Psalm. 65, 7. — Tres seqq. loci sunt Iob 15, 12; Luc. 18, 14. et Ps. 36, 20.

[4] Iuvenal., Satyra 8. v. 140. seq.

[5] Vers. 13. Ibid. v. 15. seqq.: Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint ad te inclinabuntur teque prospicient: Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram etc.

[6] Videntur esse versus sequioris aetatis. — Sequuntur Ps. 36, 35. seq. et 36, 20.

[7] Isai. 14, 13. et 15. — Sequuntur Abdiae 1, 4. et Iob 30, 22.

[8] Secundum Forcellini, Lexicon, *residere* significat etiam idem ac *descendere*. — Cod. A *sed occidit se*.

[9] Collat. XLII. n. 12.

[10] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Ps. 10, 6. et Eccli. 18, 31.

[11] Vers. 17. — Sequitur Matth. 17, 5.

et in *monte,* Matthaei decimo septimo; et in *via* ad Ierusalem, secundum quod hic habetur. In quo significatur, quod Deus Pater perhibet testimonium tribus generibus hominum, scilicet *innocentibus,* qui adhuc habent innocentiam baptismalem; *activis* incedentibus per viam bonae actionis; et *contemplativis* existentibus in monte contemplationis.

ANNOTATIO 51.

(Vers. 46.). *Ego lux veni in mundum.*

Nota, quod Christus venit ut *lux* ad *dirigendum;* unde hic: *Ego lux veni in mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* — Venit ut *mediator* ad *liberandum;* unde Ioannis duodecimo [1]: « Non veni in mundum, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum »; et Lucae nono: « Non venit Filius hominis animas perdere, sed salvare ». — Venit ut *amicus* ad *convivandum;* Lucae undecimo: « Amicus meus », id est Christus, « venit de via ad me ». — Venit ut *sponsus* ad *cohabitandum;* Matthaei vigesimo quinto [2]: « Ecce, sponsus venit; exite obviam ei ». — Venit ut *rex* ad *praesidendum;* Zachariae nono: « Ecce, Rex tuus veniet ». — Venit ut *iudex* ad *retribuendum;* Isaiae tertio: « Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi et iudicibus eius ».

Sex tituli Christi.

CAPITULUM XIII. *Ante diem festum Paschae.*

COLLATIO XLVIII.

(Vers. 2.). *Coena facta est.*

1. Nota, quod multiplex est *coena.* Est coena *gratiae, eucharistiae* et *gloriae.* Prima paratur interius in *thalamo conscientiae;* secunda, exterius in *tabernaculo Ecclesiae;* tertia, superius in *palatio gloriae.* Prima pertinet ad *incipientes,* secunda ad *proficientes,* tertia ad *pervenientes.* — De prima Apocalypsis tertio [3]: « Si quis mihi aperuerit », consentiendo, « intrabo ad eum », gratiam infundendo, « et coenabo cum illo, et ipse mecum », quia ipse debet ponere de suo opera virtutum, et ego de meo dona gratiarum. — De secunda coena, scilicet de coena *eucharistiae,* dicitur hic ad litteram: *Coena facta est;* primae ad Corinthios undecimo [4] de hac coena praedicat Apostolus: « Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare » etc. — De tertia, scilicet de coena *gloriae,* Lucae decimo quarto: « Homo quidam fecit coenam magnam et vocavit multos »; et Apocalypsis decimo nono: « Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt ».

Triplex coena. Prima. Secunda. Tertia.

2. *Coena* ista facta est in Paschate. Et nota, quod secundum multiplicem differentiam *coenae* est multiplex differentia *paschae,* ita quod quaelibet coena potest dici *convivium paschale.* Pascha enim *transitus* est [5], et est *triplex* transitus, scilicet transitus *incipientium* et transitus *proficientium* et transitus *pervenientium.* — Primus transitus est a *vitiis* ad virtutes; secundus, a vita *activa* ad contemplativam; tertius, a *miseria* in gloriam. — De transitu *incipientium,* qui est a *vitiis ad virtutes,* dicitur in figura, primae ad Corinthios decimo [6]: « Patres nostri omnes mare transierunt »; et Isaiae vigesimo tertio: « Transi quasi flumen terram tuam, filia maris ». — De transitu *proficientium,* qui est a *vita activa ad contemplativam,* dicitur Ecclesiastici vigesimo quarto: « Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini ». — De transitu *perfectorum,* qui est a *miseria in gloriam,* dicitur Michaeae secundo [7]: « Transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum »; quod factum est in ascensione. De hoc dicitur in Ioannis quinto, quod fidelis « in iudicium non veniet, sed transibit de morte ad vitam »; et in Psalmo: « Transibo ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei ». Vel intellige hoc de transitu praecedenti. — Attende ergo triplicem transitum, scilicet transitum *incipientium,* transitum *proficientium* et transitum *pervenientium;* et iste est triplex transitus paschalis; quorum primus est per *mare* contritionis, secundus per *desertum* religionis, tertius per *Iordanem* mortis; et sic pervenitur ad terram promissionis [8].

Coena paschalis triplex, quia triplex transitus. De transitu primo. De secundo. De tertio. Fit per tria maria mystica.

3. Et nota, quod iste triplex transitus significatur per triplex *pascha* celebratum a Iudaeis. Legimus enim, Iudaeos celebrasse pascha, Exodi duodecimo [9] quasi per totum; unde leguntur ibi comedisse victimam *transitus Domini,* et significat hoc pascha transitum *incipientium,* quia post illud pascha statim egredientes de Aegypto, transierunt mare rubrum. — Fecerunt etiam pascha filii Israel in *deserto* tempore suo, quarta decima die ad vesperum [10], in monte Sinai; et significat hoc pascha transitum *proficientium,* quia factum est a filiis Israel progredientibus per desertum. — Tertium pascha fe-

Figuratur per triplex pascha Iudaeorum. Primum. Secundum. Tertium.

---

[1] Vers. 47. — Subinde allegantur Luc. 9, 56. et 11, 6.
[2] Vers. 6. — Duo seqq. loci sunt Zach. 9, 9. et Isai. 3, 14.
[3] Vers. 20.
[4] Vers. 20. — Sequuntur Luc. 14, 16. et Apoc. 19, 9.
[5] Cfr. supra pag. 425, nota 2.
[6] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Isai. 23, 10. et Eccli. 24, 26.
[7] Vers. 13. — Subinde allegantur Ioan. 5, 24. et Ps. 41, 5.
[8] Respicitur Exod. 14, 21. seqq., ubi de transitu per mare rubrum; ibid. 19, 1. et Deut. 8, 1. seqq. de transitu per desertum; Iosue 3, 1. seqq. de transitu per Iordanem.
[9] Vers. 3. seqq.; ibid. v. 27: Dicetis eis: Victima transitus Domini est etc., et 14, 21. seqq. de transitu per mare rubrum.
[10] Cfr. Exod. 12, 18; Lev. 23, 5. et Num. 28, 16.

cerunt filii Israel in *ingressu* terrae promissionis, secundum quod habetur Iosue quinto[1]: « Manserunt filii Israel in Galgalis et fecerunt phase quarta decima die ad vesperum in campestribus Iericho et comederunt de frugibus terrae » etc.; et significat hoc pascha transitum *pervenientium*, quia factum est, transito Iordane, in terra promissionis. — Sic ergo est triplex pascha, in quo paratur fidelibus triplex coena.

COLLATIO XLIX.

(Vers. 4.). *Et cum accepisset linteum, praecinxit se.*

1. Nota, quod, per appropriationem loquendo, *succingimur* ad eundum — *accingimur* ad pugnandum — *praecingimur* ad ministrandum. — *Succingimur ad eundum;* Ecclesiastici trigesimo sexto[2]: « Quasi succinctus latro, exsiliens de civitate »; Ioannis vigesimo primo dicitur de Petro: « Cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se et misit se in mare ». — *Accingimur ad pugnandum;* unde Psalmus: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime »; et primi Machabaeorum tertio: « Accingimini, dixit Iudas, et estote potentes et estote parati in mane, ut pugnetis adversus nationes » etc. — *Praecingimur ad ministrandum;* unde Lucae duodecimo[3]: « Praecinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis »; de quo etiam dicitur hic: *Cum accepisset linteum, praecinxit se.* — Praecingamur ergo *linteo munditiae*, ut Deo ministremus; et accingamur *gladio iustitiae*, ut diabolum expugnemus; et succingamur *tunica passionis* mundanae, ut mundum contemnamus, et sic Deo placebimus.

Modus triplex cingendi. Primus. Secundus. Tertius. Notandum.

2. *Et praecinxit*, inquit, *se.* Nota, quod tria sunt in nobis praecingenda. Praecingendi sunt *renes;* quod figuratum est quarti Regum primo[4] de Elia, de quo ibidem dicitur, qui erat « vir pilosus et zona pellicea accinctus renes ». — Praecingendi sunt *lumbi;* Lucae duodecimo: « Sint lumbi vestri praecincti » etc. — Praecingendum est *pectus;* quod figuratum est, Apocalypsis primo, per illum quem vidit Ioannes « praecinctum ad mamillas zona aurea ». — Per *pectus* intellige mentem, per *renes* affectiones, per *lumbos* intellige carnem; quorum praecinctio significat triplicem munditiam: praecinctio *pectoris*, pudicitiam *cogitationis;* praecinctio *renum*, pudicitiam *affectionis;* praecinctio *lumborum*, continentiam *carnis.* « Lumbos enim praecingimus, ut ait Gregorius[5], cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus ». — Sic ergo praecincti simus, ut non sit mala *cogitatio* in pectore nec mala *affectio* in voluntate nec malus *motus* in carne.

Tria praecingenda. Renes. Lumbi. Pectus. Explicatio. Notandum.

3. *Praecinxit*, inquit, *se.* Nota, quod legimus in Scriptura aliquem praecinctum *pelle;* aliquem, *fune;* aliquem, *linteo;* aliquem, *auro.* — In *pelle* significatur mortificatio carnis; in *fune*, observantia regularis; in *linteo*, munditia castitatis; in *zona aurea*, vinculum caritatis; quibus praecingi debet anima fidelis. — Praecingitur ergo quis *pelle;* unde quarti Regum primo[6] dicitur de Elia, quod erat « zona pellicea accinctus renes »; et idem dicitur de Ioanne Baptista, Marci primo. — Praecingitur quis *fune;* Iob duodecimo: « Balteum regum dissolvit et praecingit fune renes eorum ». — Praecingitur quis *linteo;* Ioannis decimo tertio[7] de Iesu: *Cum accepisset linteum, praecinxit se.* — Praecingitur quis *auro;* Apocalypsis primo de Filio hominis, quem vidit Ioannes « praecinctum ad mamillas zona aurea ». In quo significatur, quod debemus cingi *pelle mortificationis* in carne, *fune observantiae regularis* in conversatione, *linteo castitatis* in mente, *zona caritatis* ubique.

Quatuor cingula. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

COLLATIO L.

(Vers. 6.). *Domine, tu mihi lavas pedes?*

1. In verbis istis duo admiratur Petrus: *excellentiam Domini,* cum dicit: *Domine; humilitatem obsequii,* cum subiungit: *Tu mihi lavas pedes?*

Tu, inquit, *mihi lavas pedes?* Nota, quod tria lavanda sunt in nobis. Lavandum est enim *caput, pedes* et *manus.* — Lavandum est *caput intentionis;* Isaiae primo[8]: « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis »; et Ieremiae quarto: « Lava a malitia cor tuum, Ierusalem, ut salva fias ». — Lavandi etiam sunt *pedes affectionis;* Canticorum quinto[9]: « Lavi pedes meos, quomodo coinquinabo illos »? Et Ioannis decimo tertio: « Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus ». — Lavandae sunt praeterea *manus operationis;* Psalmus: « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine ». — Sic ergo tria lavanda sunt in nobis; de quibus ait Petrus Ioannis decimo tertio: « Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput ».

Divisio. Tria lavanda. Caput. Pedes. Manus.

2. Haec autem tria lavanda sunt triplici lotione. Lavatur enim aliquid ad *emundationem sordis* primo,

Et haec triplici lotione.

---

[1] Vers. 10. et 11.

[2] Vers. 28. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 21, 7; Ps. 44, 3. et I. Machab. 3, 58.

[3] Vers. 37.

[4] Vers. 8, ubi Vulgata *renibus* pro *renes*. — Subinde allegantur Luc. 12, 35. et Apoc. 1, 13, in quem locum dicit Glossa *ordinaria:* « Hic legimus *praecinctum ad mamillas*, quia in N. T. etiam cogitationes iudicantur ».

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 13. n. 1. — Inferius pro *praecincti simus* B C *praecingendi sumus.*

[6] Vers. 8. Vide supra notam 4. — Sequuntur Marc. 1, 6. et Iob 12, 18.

[7] Vers. 4. — Subinde allegatur Apoc. 1, 13.

[8] Vers. 16. — Sequitur Ier. 4, 14.

[9] Vers. 3. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 13, 10; Ps. 25, 6. et Ioan. 13, 9.

secundo ad *intensionem candoris,* tertio ad *perfectionem decoris.* — Per hoc intellige, quod primo lavanda est anima ad *emundationem sordis,* et hoc in aquis *contritionis;* Psalmus[1]: « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis » etc.; et iterum: « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me ». — Secundo lavanda est ad *intensionem candoris,* et hoc in aquis *devotionis;* Psalmus: « Lavabis me, et super nivem dealbabor ». Haec lotio figurata est Danielis decimo tertio, quando « ingressa est Susanna cum duabus puellis solis, ut lavaretur in pomario ». — Tertio lavanda est ad *perfectionem decoris,* et hoc in sanguine passionis, id est in imitatione; Apocalypsis ultimo[2]: « Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut per portas ingrediantur in civitatem » etc. De talibus quaeritur Apocalypsis septimo: « Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt »? « Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni ».

Prima. Secunda. Tertia.

COLLATIO LI.

(Vers. 10.). *Et vos mundi estis, sed non omnes.*

1. In verbis istis breviter *commendantur electi,* cum dicitur: *Et vos mundi estis.* — A commendatione *excluduntur reprobi,* cum subiungitur: *Sed non omnes.*

Divisio.

Commendans ergo Apostolos, Veritas ait: *Vos mundi estis;* mundi, inquam, munditia *cordis* — munditia *oris* — munditia *operis* — et munditia *conversationis.* Vulgariter enim solemus mundare quatuor, scilicet faciem, os, manus et vestes. — Per hunc modum lavant iusti *faciem cordis;* Tobiae tertio[3] ait Sara: « Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia »; de hoc secundae ad Corinthios septimo: « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem ». Hanc petebat David in Psalmo, cum dicebat: « Cor mundum crea in me, Deus »; hoc praecipitur Isaiae primo: « Lavamini, mundi estote » etc. — Item, mundum habent *sermonem oris,* quod habebat Iob, undecimo[4], qui dicebat: « Purus est, Domine, sermo meus, et mundus sum in conspectu tuo ». Hanc monet Apostolus ad Ephesios quinto: « Fornicatio et immunditia non nominetur in vobis ». — Item, mundas habent *manus operis,* quod habebat ille, Genesis vigesimo, qui dicebat: « In simplicitate cordis mei et in munditia manuum mearum feci hoc »; et secundi Regum vigesimo secundo: « Restituet mihi Dominus secundum iustitiam meam, et secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum eius ». De hac Iob vigesimo secundo: « Salvabitur innocens munditia manuum suarum ». — Item, mundam habent iusti *vestem conversationis,* ad quam hortabatur Iacob filios suos, dicens Genesis trigesimo quinto[5]: « Abiicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini et mutate vestimenta vestra ». — Sic ergo habent munditiam *vultus,* munditiam *oris,* munditiam *manuum* et munditiam *vestium* Sancti, quibus dicitur a Domino: *Vos mundi estis.*

Primo, in electis commendatur quadruplex munditia. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

2. Notandum est autem quadruplex bonum, quod facit munditia spiritualis: *servat* innocentes, *expedit* laborantes, *gratificat* contemplantes, *remunerat* pervenientes. — *Servat innocentes* a peccati contagione, sicut vides, quod aliquid tersum et politum non de facili contrahit rubiginem; Iob vigesimo secundo[6]: « Salvabitur innocens munditia manuum suarum ». — *Expedit laborantes* in actione, sicut diceres, quod aliquis, reiectis superfluitatibus et lotis manibus, paratus est ad serviendum; ideo in Psalmo quaeritur: « Quis ascendet in montem Domini »? id est in eminentiam virtutis; et sequitur: « Innocens manibus et mundo corde » etc. — *Gratificat contemplantes* in oratione; Proverbiorum vigesimo secundo[7]: « Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem »; Iob octavo: « Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te ». — *Remunerat pervenientes* beata visione, quae est merces gloriae; Matthaei quinto: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ».

Munditiae effectus 4. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

3. *Vos,* inquit, *mundi estis,* et adiungit: *Sed non omnes.* Ideo mali de mundorum[8] numero excluduntur, quia multipliciter *polluuntur.* Polluit enim hominem mala *delectatio,* malus *consensus,* malum *opus* et mala *consuetudo.* Haec quatuor auferunt munditiam spiritualem et significata sunt in Lege per quatuor, quae auferebant munditiam *legalem.* Polluebat enim hominem secundum Legem immundus *contactus,* immundus *cibus,* immundus *locus* et immundus *morbus.* — Polluebat immundus *contactus,* ut quando aliquis tangebat morticinum; Levitici undecimo[9] quasi per totum: « Quicumque morticinum tetigerit, polluetur et immundus erit usque ad vesperum »; eodem: « Super quod ceciderit quidquam

Secundo, exclusorum quadruplex pollutio. Harum figurae 4. Figura prima.

---

[1] Psalm. 6, 7. — Sequuntur Ps. 50, 4. et 9; Dan. 13, 15. — Superius pro *Per hoc intellige, quod* C *Per hunc modum* (B *Per hunc*).

[2] Vers. 14. — Subinde allegantur Apoc. 7, 13. et 14.

[3] Vers. 16. — Tres seqq. loci sunt II. Cor. 7, 1; Ps. 50, 12. et Isai. 1, 16.

[4] Vers. 4. — Sequuntur Eph. 5, 3; Gen. 20, 5; II. Reg. 22, 25; Iob 22, 30.

[5] Vers. 2.

[6] Vers. 30. Vulgata post *innocens* addit *salvabitur autem.* — Subinde allegatur Ps. 23, 3. seq.

[7] Vers. 11. — Sequuntur Iob 8, 6. et Matth. 5, 8.

[8] Cod. A *bonorum.*

[9] Vers. 24: *Quicumque morticina eorum tetigerit* etc.; ibid. v. 32. et 35. est seq. locus.

Secunda. de morticinis immundum erit ». — Polluebat immundus *cibus*, ut quando aliquis gustabat immundum; Levitici undecimo [1]: « Quicumque comederit ex eo quidpiam sive portaverit, lavabit vestimenta sua et immundus erit usque ad vesperum »; loquitur de morticino; infra, postquam determinavit cibos immundos: « Nolite contaminare animas vestras » etc. —

Tertia. Polluebat immundus *locus*, ut quando aliquis incedebat per locum immundum; primi Regum vigesimo primo [2]: « Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus »? ait Abimelech. « Et respondit David: Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius. Verumtamen via haec polluta est ». Item, propter loci munditiam legalem praeceptum est, ut comedantur oblata « in loco mundissimo », Levitici

Quarta. decimo [3]. — Polluebat immundus *morbus*, sicut de lepra, Levitici decimo tertio, et de fluxu seminis, Levitici decimo quinto, et huiusmodi.

Nota *moraliter*, quod immundum *tangit* homo

Moraliter. in mala *delectatione;* immundum *gustat* in malo *consensu;* in immundum *incedit* in malo *opere;* immundum morbum *incurrit* in mala *consuetudine.*

4. Recuperatur autem munditia spiritualis per

Recuperatur munditia per quatuor figurata in Lege. quatuor. Recuperatur per *dolorem* contritionis, per *pudorem* confessionis, per *laborem* satisfactionis, per *flammam* tribulationis; et ista quatuor significata sunt per quatuor, quae erant mundativa secundum Legem, scilicet per *aquam*, per *scopam*, per *oblationem* et per *ignem*. — Mundat *aqua;*

Figura prima. Levitici vigesimo secundo [4]. « Cum laverit immundus carnem suam aqua », scilicet poenitentiae, « et occubuerit sol », id est ardor concupiscentiae; « tunc mundatus vescetur sanctificatis », id est donis gratiae; Ezechielis trigesimo sexto: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis

Secunda. vestris ». — Mundat *scopa;* Lucae undecimo [5] et Matthaei duodecimo: « Invenit eam scopis mundatam et ornatam »; ita aliquando mundabatur altare, cum removebantur cineres, et quasi ita mundatum est gazophylacium; Nehemiae ultimo: « Proieci, inquit, vasa domus Tobiae », id est peccata, « foras de gazophylacio, et praecepi, et mundaverunt gazophylacium, et retuli ibi vasa Domini », id est instrumenta virtutum; quae omnia fiunt in confessione; Psalmus:

Tertia. « Exercitabar et scopebam spiritum meum ». — Mundat *oblatio*, Levitici duodecimo [6], de oblatione puerperae, item Levitici decimo quarto, de oblatione leprosi, per quae omnia significatur oblatio boni operis, de qua Lucae undecimo: « Date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis ». — Mundat *ignis;*

Quarta. Malachiae tertio [7]: « Ipse quasi ignis conflans et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi »; Numerorum trigesimo primo: « Quod potest transire per flammas igne purgabitur ».

Moraliter peccatorem mundat aqua *contritionis*, scopa *confessionis*, oblatio *bonae operationis*, flamma *tribulationis.*

Moraliter.

5. Nota, quod ad munditiam debet hominem pollutum movere *pudor, timor, amor* et *honor*. —

Rationes motivae quatuor. *Pudor opprobrii;* Levitici decimo tertio [8] de *leproso:*

Prima. « Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit, et solus habitabit extra castra ». — *Timor supplicii;*

Secunda. Ieremiae quadragesimo quarto: « Non sunt mundati usque ad diem hanc, et non timuerunt Deum neque ambulaverunt in lege Domini » etc.; et sequitur: « Ecce, ego ponam faciem meam in vobis in malum et disperdam omnem Iudam » etc. — *Amor*

Tertia. *praemii;* Psalmus [9]: « Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum » etc.; secundi Regum vigesimo secundo dicitur: « Secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum eius »; Matthaei quinto:

Quarta. « Beati mundo corde ». — *Honor officii;* Isaiae quinquagesimo secundo: « Mundamini, qui fertis vasa Domini »; Nehemiae duodecimo: « Mundati sunt sacerdotes et levitae, et mundaverunt populum ».

Aliae rationes quatuor. 6. *Mundi estis, sed non omnes.* Dicas aliter: Debet homo munditiam diligere propter *se*, propter *proximum*, propter *Dominum* suum, propter *officium* suum. — Propter *se ipsum*, ut munde *vivat*,

Prima. quoniam « omnia sunt munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum », ad Titum primo [10]. — Propter *proximum* suum, ne ipsum *polluat;*

Secunda. « Omne enim, quod tetigerit immundus, immundum erit »; Levitici decimo quinto: « Qui tetigerit lectum eius, qui carnem, qui sederit, ubi ille sedit » etc.; dicitur de patiente fluxum seminis. — Propter *Dominum* suum, ne *offendat* ipsum; Isaiae

Tertia. quinquagesimo secundo [11]: « Mundamini, qui fertis vasa Domini ». Displicet enim Domino immunditia servi; Habacuc primo: « Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et ad iniquitatem respicere non poteris »; Isaiae primo: « Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestrae sanguine plenae sunt ».

---

[1] Vers. 40. et inferius v. 43.

[2] Vers. 4. et 5.

[3] Vers. 14: Pectusculum quoque, quod oblatum est... edetis in loco mundissimo etc. — Sequuntur Lev. 13, 7. seqq. et 15, 2.

[4] Vers. 6. seq. — Subinde allegatur Ezech. 36, 25.

[5] Vers. 25. et Matth. 12, 44. — Duo seqq. loci sunt II. Esdr. 13, 8. seq. (Vulgata *domus Dei* pro *Domini*) et Ps. 76, 7.

[6] Vers. 2. seqq. — Sequuntur Lev. 14, 2. seqq. et Luc. 11, 41.

[7] Vers. 2. et 3. — Subinde allegatur Num. 31, 23.

[8] Vers. 45. seq. — Sequitur Ier. 44, 10. et 11.

[9] Psalm. 17, 25. — Quatuor seqq. loci sunt II. Reg. 22, 25; Matth. 5, 8; Isai. 52, 11. et II. Esdr. 12, 30.

[10] Vers. 15. — Subinde allegantur Num. 19, 22: *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet;* et Lev. 15, 5-7. Vulgata plura transponit et addit.

[11] Vers. 11. — Sequuntur Habac. 1, 13. et Isai. 1, 15.

— Propter *officium* suum, ut ipsum *digne perficiat;* Nehemiae duodecimo [1]: « Mundati sunt sacerdotes et levitae, et mundaverunt populum »; Numerorum decimo nono; « Mundus lustrabit immundum »; Ecclesiastici trigesimo quarto: « Ab immundo quid mundabitur »?

Annotatio 52.

(Vers. 13.). *Vos vocatis me magister et domine.*

Tres tituli Christi.

Nota, quod aliquando Dominus fuit vocatus *magister*; Matthaei vigesimo secundo [2]: « Magister, scimus, quia verax es ». — Aliquando *dominus;* Ioannis sexto: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes ». — Aliquando *praeceptor;* Lucae quinto: « Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus » etc. — Et congrue; ipse enim est dominus, qui cuncta creavit *potenter,* ordinavit *sapienter* et disposuit *suaviter.*

Annotatio 53.

(Vers. 15.). *Exemplum dedi vobis.*

Christus dedit exemplum triplex.

Nota, quod Dominus dedit nobis exemplum in *agendis*, in *sustinendis*, in *cavendis* vel contemnendis. — Exemplum dedit nobis in *agendis,* Ioannis decimo tertio [3]; unde hic: « Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum feci vobis, ita et vos faciatis ». — In *sustinendis;* primae Petri secundo: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius ». — In *cavendis;* docuit enim nos mundum contemnere noster secundus Adam spiritualiter vivendo, quemadmodum docuit nos quaerere primus Adam vivendo carnaliter. Et ideo Zachariae decimo tertio [4]: « Adam exemplum meum ab adolescentia mea »; quod intelligitur de secundo Adam, ad cuius imitationem hortatur nos Apostolus primae ad Corinthios decimo quinto dicens: « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis »; et post paululum: « Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem caelestis ».

Annotatio 54.

(Vers. 21.). *Unus ex vobis me tradet.*

Christus traditus a quinque.

Nota, quod Christum tradidit *Deus Pater*, et hoc ex *pietate;* ad Romanos octavo [5]: « Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum ». — Tradidit semetipsum *ipse Christus*, et hoc ex *caritate;* primae Petri secundo: « Tradebat autem se ipsum iudicanti se iniuste ». — Tradidit *Iudas,* et hoc ex *cupiditate;* Matthaei vigesimo sexto: « Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam »? — Tradiderunt *Iudaei*, et hoc ex *invidia;* Ioannis decimo octavo [6]: « Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi ». — Tradidit ipsum *Pilatus*, et hoc ex *iniustitia;* Ioannis decimo nono: « Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur ».

Annotatio 55.

(Vers. 23.). *Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu.*

Quatuor personarum significatio.

Nota, quod quatuor personas specialiter nominant Evangelia, scilicet *Mariam* plorantem, Lucae septimo [7] et Ioannis vigesimo; *Martham* ministrantem, Lucae decimo; *Petrum* super mare ambulantem, Matthaei decimo quarto; *Ioannem* in sinu Iesu dormientem, Ioannis decimo tertio; unde hic: *Recumbens* etc. — Per *Mariam plorantem* intellige poenitentes; per *Martham ministrantem* intellige obedientes; haec duo pertinent ad *activos.* Per *Petrum supra mare ambulantem* intellige mundum contemnentes; per *Ioannem in sinu Iesu dormientem* intellige devotioni insistentes; quae duo pertinent ad *contemplativos.*

Annotatio 56.

(Vers. 36.). *Quo ego vado, non potes sequi me modo, sequeris autem postea.*

Require, supra capitulo decimo [8], de impedimentis sequendi Dominum.

Capitulum XIV. *Non turbetur cor vestrum.*

COLLATIO LII.

(Vers. 9.). *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.*

Divisio.

1. In verbis istis duo notantur: *assiduitas divinae liberalitatis,* cum dicitur: *Tanto tempore vobiscum sum* etc. — et *illiberalitas humanae ingratitudinis,* cum dicitur: *Et non cognovistis me.*

Primo, liberalitas Dei.

2. Memorans igitur suam liberalitatem ait: *Tanto tempore vobiscum sum.* Circa primum nota [9], quod Dominus fuit nobiscum tripliciter, videlicet *corporaliter, sacramentaliter* et *spiritualiter.* — Nobiscum

Triplex Christi praesentia.

---

[1] Sive II. Esdr. 12, 30. — Duo seqq. loci sunt Num. 19, 19. et Eccli. 34, 4.

[2] Vers. 16. — Subinde allegantur Ioan. 6, 69. et Luc. 5, 5.

[3] Vers. 15. — Sequitur I. Petr. 2, 21.

[4] Vers. 5. — Subinde allegantur I. Cor. 15, 47. et 49.

[5] Vers. 32. — Duo seqq. loci sunt I. Petr. 2, 23. et Matth. 26, 15.

[6] Vers. 35. — Sequitur Ioan. 19, 16. — Cfr. de hoc III. Sent. d. 20. dub. 3.

[7] Vers. 38. et Ioan. 20, 11. — Duo seqq. loci sunt Luc. 10, 40; Matth. 14, 29.

[8] Collat. XL. n. 5. seqq.

[9] Codd. B C *Circa quod notandum.*

Prima. fuit *corporaliter* in carne, quasi manens in eadem *domo;* Baruch tertio [1]: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est »; Isaiae septimo: « Vocabitur nomen eius *Emmanuel,* quod Secunda. est nobiscum Deus ». — Nobiscum est *sacramentaliter* in altari, quasi sedens in eadem *mensa;* Matthaei ultimo [2]: « Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus Tertia. usque ad consummationem saeculi ». — Nobiscum est *spiritualiter* in mente, quasi dormiens in eodem *thalamo;* secundae ad Corinthios decimo tertio: « Pacem habete, et Deus pacis erit vobiscum ».

3. Sequitur: *Et non cognovistis me;* ubi re- Secundo, ingratitudo humana. prehenditur *ingratitudo humana,* quae tam liberaliter exhibentem se non vult cognoscere. Nota autem, quod Dominus tripliciter cognoscitur a iustis. Cogno- Triplex modus cognoscendi aliquem. scitur enim aliquis ex *visu* solo, aliquis ex *colloquio,* aliquis ex *obsequio.* Dicimus enim, nos cognoscere aliquem, quem vidimus; et magis eum, cum quo locuti sumus; et maxime eum, apud quem obse- De primo. quia et fecimus et accepimus. — Dominus ergo cognoscitur quasi per *visum* ab *omnibus credentibus;* Ieremiae trigesimo primo [3]: « Dabo legem meam in visceribus eorum » etc.; et sequitur: « Non docebit ultra vir proximum suum dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo usque De secundo. ad maximum ». — Cognoscitur etiam quasi per *colloquium,* et hoc a *contemplativis,* qui audiunt colloquia divinae familiaritatis; Ieremiae nono [4]: « In hoc glorietur, quicumque gloriatur, scire et nosse me »; et Ioannis decimo quarto: « Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit ». — De tertio. Cognoscitur etiam quasi per *obsequium,* et hoc ab *activis,* qui Deo impendunt obsequium bonae operationis; primae Ioannis secundo [5]: « In hoc scimus, quoniam cognoscimus eum, si mandata eius observemus ». — Sic ergo Deus cognoscitur per *fidem* quasi per visum, per *caritatem* quasi per familiare colloquium, per *obedientiam* quasi per obsequium.

4. *Et vos non cognovistis me.* Non cognovistis, Ratio non eum cognoscendi prima. quia non *credidistis;* Ioannis primo [6]: « In mundo Secunda. erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit ». — Item non cognovistis, quia non *dilexistis;* primae Ioannis quarto: « Qui non diligit » non habet caritatem « et non novit Deum, quia Tertia. Deus caritas est ». — Item non cognovistis, quia non *obedistis;* primae Ioannis secundo: « Qui dicit, se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est ».

Annotatio 57.

(Vers. 6.). *Ego sum via, veritas et vita.*

Ego sum *via* dirigens effectum; Proverbiorum Expositio prima. quarto [7]: « Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis » etc. *Veritas,* intellectum docens; Matthaei vigesimo secundo: « Scimus, quia verax es et viam Dei in veritate doces ». *Vita,* affectum pascens; Ioannis decimo: « Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet ». — Item, ego sum *via* non errans, quam ne- Secunda. scierunt, de quibus Psalmus [8]: « Erraverunt in invio et non in via ». *Veritas* non fallens; Psalmus: « Omnia mandata eius veritas »; Psalmus: « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis ». *Vita* indeficiens; Lucae decimo: « Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea ». — Item, ego sum *via* in *exem-* Tertia. *plo;* Ioannis decimo tertio [9]: « Exemplum dedi vobis » etc. *Veritas* in *promisso;* Psalmus: « Quae procedunt de labiis meis non faciam irrita ». *Vita* in *praemio;* ad Romanos sexto: « Stipendia peccati, mors; gratia autem Dei, vita aeterna ».

Collatio LIII.

(Vers. 16. 17.). *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* etc.

1. In verbis istis promittitur Spiritus sanctus Spiritus S. promittitur ad tria. habendus in *advocatum* — habendus in *socium* — et habendus in *magistrum.* Hominem enim in ista vita [10] premit triplex malum: malum *ignorantiae* et malum *culpae* et malum *poenae.* Malum *ignorantiae* premit rationem; malum *culpae,* voluntatem; malum *poenae,* virtutem. Propter malum *ignorantiae* indiget *magistro;* propter malum *poenae* indiget *solatio;* propter reatum *culpae* indiget *advocato.* — Propterea promittit Dominus Iesus Spiritum sanctum Horum applicatio. ut *advocatum,* cum dicit: *Alium Paracletum dabit vobis;* promittit ut socium sive *solatium,* cum dicit: *ut maneat vobiscum in aeternum;* promittit etiam ut *magistrum,* cum adiungit: *Spiritum veritatis;* et haec omnia nobis promittuntur fienda per Christum. Unde ipse de omnibus his promittit: *Ego rogabo Patrem.*

2. *Alium,* inquit, *Paracletum dabit vobis.* Primo, triplex advocatus. Nota, quod in causa nostra triplicem dedit nobis Dominus *advocatum.* Dedit enim nobis advocatum ad

---

[1] Vers. 38. et Matth. 1, 23. — Sequitur Isai. 7, 14.
[2] Vers. 20. — Subinde allegatur II. Cor. 13, 11.
[3] Vers. 33. et 34.
[4] Vers. 24. — Sequitur Ioan. 14, 17.
[5] Vers. 3. — Inferius pro *familiare colloquium* C *familiaritatem alloquentiae.*
[6] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt I. Ioan. 4, 8. et 2, 4.
[7] Vers. 11. — Sequuntur Matth. 22, 16. et Ioan. 10, 9.
[8] Psalm. 106, 40: *Errare fecit eos in* etc. — Tres seqq. loci sunt Ps. 118, 86. et 144, 13; Luc. 10, 42.
[9] Vers. 15. — Subinde allegantur Ps. 88, 35. et Rom. 6, 23.
[10] Codd. B C *in praesenti vita.*

propugnandum et advocatum ad *proloquendum* et advocatum ad *intercedendum*. Propter haec tria so-
Christus. lent homines quaerere advocatum. — Primus advocatus *Christus* est; primae Ioannis secundo [1]: « Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris »; et iste advocatus est ad *propugnandum;* unde Isaiae sexagesimo tertio: « Ego, qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum ».

3. Secundus advocatus est *Spiritus sanctus;* de
Spiritus S. quo hic dicitur: *Alium Paracletum*, id est advocatum, *dabit*, et iste advocatus est ad *proloquendum;* unde ad Romanos octavo [2]: « Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus »; et Matthaei decimo: « Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis ».

4. Tertius advocatus est *beatissima Virgo.* Haec
B. Virgo. est advocata ad *intercedendum*, quae, ut magis moveat iudicem, femineum praefert sexum. Haec est illa Esther, ad cuius aspectum « convertitur cor regis in mansuetudinem », secundum quod figuratum est Esther decimo quinto [3]. Haec est illa, cui canit
Admonitio. Ecclesia: « Eia ergo, advocata nostra ». — Habentes ergo advocatum ad *propugnandum* Filium, advocatum ad *proloquendum* Spiritum, advocatum ad *intercedendum* Reginam virginum, committamus eis
Notandum. secure causam nostram quantum ad ea quae *iuris* sunt; si tamen emendaverimus *factum*, quia in his quae sunt facti, non redimit advocatus errorem clientum [4].

5. Sequitur: *Ut maneat vobiscum in aeternum,*
Secundo Spiritus S. est socius. ubi promittitur nobis Spiritus in socium sive in *solatium*, de cuius mansione require supra capitulo primo [5].

6. Tertio promittitur nobis Spiritus in *magi-*
Tertio est magister tripliciter. *strum*, cum dicitur: *Spiritum veritatis.* Ideo enim dicitur *Spiritus veritatis*, quia docet veritatem. Et quia magister iste non solum *docet* veritatem ad intelligendum, sed *suggerit* ad volendum et *adiuvat* ad exsequendum; ideo nota, quod aliquando dicitur Spiritus *veritatis*, quia docet veritatem; aliquando Spiritus *sanctitatis*, quia ad bonum movet voluntatem; aliquando Spiritus *virtutis*, quia adiuvat virtutem.
Primo. — Dabit ergo nobis Spiritum *veritatis* ad docendum; de quo Ioannis decimo sexto [6]: « Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ». —
Secundo. Dabit Spiritum *sanctitatis* ad suggerendum; Ioannis decimo quarto: « Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis ». — Dabit etiam nobis Spiritum *virtutis* ad adiuvan-
Tertio. dum; Actuum primo [7]: « Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, et eritis mihi testes » etc. Hic est « Spiritus, qui adiuvat infirmitatem nostram », ad Romanos octavo.

COLLATIO LIV.

(Vers. 23.). *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

1. In verbis istis primo praemittit magister ca-
Divisio. ritatis verae *dilectionis indicium*, cum dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* — Secundo promittit eiusdem *dilectionis fructum*, cum subiungit: *Et Pater meus diliget eum* etc.

Indicium ergo dilectionis est *observantia ser-*
Primo, tria indicia. *monis;* nec solum hoc, sed etiam cum hoc *dimissio terrenae possessionis*, et etiam *sustinentia temporalis tribulationis.* Solet enim probari dilectio largitione doni, exhibitione servitii et tolerantia damni.

2. Probatur ergo dilectio *largitione doni,* quando
De singulis. homo dat sive dimittit omnia amore Christi; unde Canticorum octavo [8]: « Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam ». — Item, probatur *exhibitione servitii;* unde hic: *Si quis diligit me* etc.; et supra eodem: « Si diligitis me, mandata mea servate ». — Probatur etiam *tolerantia damni;* Proverbiorumduodecimo [9]: « Qui negligit damnum propter amicum iustus est »; ideo dicitur Ioannis decimo quinto: « Maiorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis ».

3. *Sermonem meum servabit.* — Nota, quod
Tripliciter servatur sermo Christi. servandus est sermo Christi in intellectu per *memoriam*, in affectu per *dilectionem*, in effectu per *exsecutionem.* — De primo in Psalmo [10]: « Iustitia illius
Primo. in filios filiorum his qui servant testamentum eius et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea ». — De secundo in Psalmo: « Custodivit anima
Secundo. mea testimonia tua et dilexit ea vehementer »; et subiungit: « Servavi mandata tua ». — De tertio
Tertio. Matthaei decimo nono: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ».

4. Sequitur: *Et Pater meus diliget eum, et ad*
Secundo, de dilectionis fructu triplici. *eum veniemus* etc.; ubi promittit Dominus *dilectionis fructum.* Et nota, quod est triplex fructus observantiae mandatorum. Primus est *evasio poenae;*
Primus. Ioannis octavo [11]: « Si quis sermonem meum servaverit,

---

[1] Vers. 1. et 2. — Sequitur Isai. 63, 1.
[2] Vers. 26. — Subinde allegatur Matth. 10, 20.
[3] Vers. 11. — Ecclesiae verba sumta sunt ex Antiphona *Salve Regina.*
[4] Cod. B *clientuli.* [5] Collat. V. n. 5.
[6] Vers. 13. — Sequitur Ioan. 14, 26.
[7] Vers. 8, post quem allegatur Rom. 8, 26.
[8] Vers. 7. — Inferius proferuntur Ioan. 14, 23. et 15, 13.
[9] Vers. 26. — Sequitur Ioan. 15, 13.
[10] Psalm. 102, 17. seq. — Subinde allegantur Ps. 118, 167. seq. et Matth. 19, 17.
[11] Vers. 51. — Inferius allegatur Matth. 19, 17.

Secundus. mortem non videbit in aeternum ». — Secundus est *adeptio gratiae;* de quo hic: *Et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus* etc., scilicet per gra-
Tertius. tiam. — Tertius est *meritum gloriae;* de quo Matthaei decimo nono: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ».

5. *Ad eum,* inquit, *veniemus.* Nota, quod Deus venit libenter, ubi *diligitur;* unde hic: *Si quis diligit me* etc.; ubi *invitatur;* Sapientiae septimo [1]: « Invocavi, et venit in me spiritus sapientiae »; ubi *exspectatur;* Habacuc secundo: « Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet et non tardabit [2] ». Deus venit libenter ad tres.

Capitulum XV. *Surgite, eamus hinc* [3].

Annotatio 58.

(Vers. 1.). *Ego sum vitis vera.*

Nota, quod Christus fuit *vitis* in trunco *con-*
De Christo ut vite tria. *temptibilis,* in palmitibus *multiplex,* in fructu *dul-*
Primum. *cis* sive suavis. — In *trunco* fuit *contemptibilis;* Isaiae quinquagesimo tertio [4]: « Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti;
Secundum. non est ei species neque decor ». — In *palmitibus, multiplex;* Psalmus: « Extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines eius ». *Palmites* Christi fideles sui; Ioannis decimo quinto [5]:
Tertium. « Ego sum vitis, vos palmites ». — In *fructu, dulcis;* Ecclesiastici vigesimo quarto: « Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris » etc.; et Canticorum secundo: « Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo ».

Annotatio 59.

(Vers. 2.). *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.*

1. Nota, quod de vite Ecclesiae tollitur palmes
Tollitur palmes de Ecclesia tripliciter. inutilis aliquando per *divinam reprobationem,* sicut
Primo. legitur de Saul primi Regum decimo sexto [6]: « Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum »?
Secundo. dicitur Samueli. — Aliquando per *excommunicationem,* sicut legimus de adultero, primae ad Corinthios quinto: « Iudicavi huiusmodi tradere satanae in in-
Tertio. teritum carnis » etc. — Aliquando per *aeternam damnationem,* sicut dicitur de reprobis Matthaei decimo tertio: « Colligent eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis »; et Matthaei vigesimo quinto: « Servum inutilem eiicite in tenebras exteriores ».

2. *Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum.*
Triplex purgatio. Primo. Nota, quod palmes spiritualis purgatur tripliciter: per sacramentalem *confessionem;* primae Ioannis primo [7]: » Si confiteamur peccata nostra, fidelis et iustus est, ut remittat nobis peccata nostra »; *fidelis est,* ut « mundet nos ab omni iniquitate ». — Per
Secundo. temporalem *tribulationem;* Psalmus: « Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum ». — Per extre-
Tertio. mam *excommunicationem;* Malachiae tertio: « Sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi ».

Annotatio 60.

(Vers. 3.). *Iam mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Require supra de munditia capitulo decimo tertio [8].

Annotatio 61.

(Vers. 4.). *Manete in me, et ego in vobis.*

Nota, quod manendum est in Christo per *fidem,* Triplex mansio.
per *caritatem* et per *operationem.* — In Deo enim Prima.
manet qui in Christum *credit;* primae Ioannis quarto [9]: « Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in ipso manet, et ipse in Deo ». —
Item, in Deo manet qui ipsum *diligit;* primae Ioan- Secunda.
nis quarto: « Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo ». — In Deo manet qui ipsi *obedit;* Tertia.
Ioannis decimo quinto: « Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea »; et primae Ioannis secundo: « Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare ».

Annotatio 62.

(Vers. 7.). *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.*

Habitum est supra immediate, qualiter manen- Fructus manendi in Christo.
dum est in Deo; describitur hic *fructus* manendi in eo, qui est petitionum nostrarum exauditio. Nota igitur, quod petitio solet exaudiri propter *gratiam petentis;* unde primae Ioannis tertio [10]: « Si non reprehenderit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad

---

[1] Vers. 7. — Sequitur Habac. 2, 3.

[2] Cfr. infra collat. LVII. n. 1. et 3.

[3] In nostris edd. Bibliae haec verba habentur in fine c. 14, 31, dum c. 15. incipit verbis *Ego sum vitis vera.*

[4] Vers. 2. — Sequitur Ps. 79, 12.

[5] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 24, 23. et Cantic. 2, 3.

[6] Vers. 1. — Subinde allegantur I. Cor. 5, 5; Matth. 13, 41. seq. et 25, 30.

[7] Vers. 9. — Sequuntur Ps. 65, 10. et Malach. 3, 3.

[8] Collat. LI.

[9] Vers. 15. — Tres seqq. loci sunt I. Ioan. 4, 16; Ioan. 15, 10. et I. Ioan. 2, 6.

[10] Vers. 21. et 22.

Deum, ut quidquid petierimus accipiamus ». — Aliquando propter *meritum petentis;* unde hic dicitur: *Si manseritis in me* etc. — Aliquando propter *instantiam petentis;* propter quod dicitur Matthaei septimo [1]: « Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis »; et Lucae undecimo: « Amen dico vobis, quia, si perseveraverit pulsans, et si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget et dabit illi ».

Annotatio 63.

(Vers. 15.). *Iam non dicam vos servos.*

Require supra octavo capitulo [2] de servitute mala.

Annotatio 64.

(Vers. 16.). *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Triplex electio.

Nota, quod *omnes fideles* electi sunt ad *gratiam;* ad Ephesios primo [3]: « Elegit nos ante mundi constitutionem ». — *Apostoli* in gratiae *praerogativam;* supra sexto: « Ego duodecim vos elegi ». — *Christus* in singularem *plenitudinem;* Canticorum quinto: « Dilectus meus electus ex millibus ».

Annotatio 65.

(Vers. 18.). *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.*

Mundus accipitur tripliciter.

1. Nota, quod aliquando *mundus* dicitur *universitas creaturae;* Ioannis primo [4]: « Mundus per ipsum factus est ». — Aliquando, *congregatio Ecclesiae;* Ioannis tertio: « Sic Deus dilexit mundum » etc. — Aliquando, *amatores vanitatis* mundanae; et hic est, de quo hic dicitur: *Si mundus vos odit* etc. Hic est mundus, qui Christum *ignoravit* ut caecus, *odivit* ut malignus, *occidit* ut sacrilegus. Require de hoc supra septimo capitulo [5].

Triplex odium.

2. *Si mundus vos odit.*

Nota, quod est *odire* per *affectum;* primae Ioannis tertio [6]: « Qui odit fratrem suum homicida est ». — Est *odire* per *effectum;* Psalmus: « Qui diligit iniquitatem odit animam suam ». — Est *odire* per *negligentiam,* sicut dicitur de malis Proverbiorum primo secundum aliam litteram: « Quaerent me et non invenient, oderunt enim sapientiam ». — Est *odire* per *concomitantiam,* sicut dicitur, quod « qui odit legem odit regem »; secundum hoc dicitur Ioannis decimo quinto [7]: « Qui me odit et Patrem meum odit ».

Capitulum XVI. *Haec locutus sum vobis.*

Annotatio 66.

(Vers. 4.). Parum infra: *Haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*

Monitio valet ad tria.

Nota, quod recordatio verborum Christi ad tria valet: ad *convertendum* a malo; unde in Psalmo [8]: « Reminiscentur et convertentur ad Dominum ». Exemplum huius Matthaei vigesimo sexto de Petro: « Recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Iesus » etc. — Valet etiam ad *promovendum* in bono; unde Deuteronomii octavo [9]: « Observa et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui et negligas mandata eius »; et in Psalmo: « Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam ». — Valet etiam ad *praeservandum* in periculo; unde hic: *Haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini* etc.

COLLATIO LV.

(Vers. 7.). *Expedit vobis, ut ego vadam.*

Primo, Christus vadit ad tria.

1. Ideo expedit, quia vado ad *iter expediendum,* vado ad *hospitium praeparandum,* vado ad *negotium procurandum.* — Vado ad *iter expediendum;* de quo dictum est Michaeae secundo [10]: « Ascendet pandens iter ante eos ». — Vado ad *hospitium praeparandum;* unde Ioannis decimo quarto: « Vado, vobis parare locum ». — Vado ad *negotium procurandum;* unde hic: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Primum. Secundum. Tertium.

Secundo, vadit triplici modo. Primo.

2. Ecce, *ad quid* vado, sed discite, *qualiter* vado. Vado enim *mundum relinquendo;* Ioannis decimo sexto [11]: « Relinquo mundum et vado ad Patrem ». — Vado *virtutis exempla praebendo;* ego enim sum ille pastor, de quo Ioannis decimo: « Cum

Secundo.

---

[1] Vers. 7; cfr. Ioan. 16, 24. — Sequitur Luc. 11, 8.

[2] Collat. XXXV. n. 2. 3.

[3] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 6, 71. et Cantic. 5, 10.

[4] Vers. 10. — Sequitur Ioan. 3, 16.

[5] Collat. XXX.

[6] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Ps. 10, 6. et Prov. 1, 28. seq., secundum translationem septuaginta interpretum; Vulgata legit: Mane consurgent et non invenient me; eo quod exosam habuerint disciplinam etc.

[7] Vers. 23. — Aristot., V. Polit. c. 9. (c. 7.): Dissolventes leges... dissolvunt respublicas.

[8] Psalm. 21, 28. — Sequitur Matth. 26, 75.

[9] Vers. 11. — Subinde allegatur Ps. 118, 55. Cfr. August. in hunc locum (serm. 15. n. 7.). — Inferius pro *praeservandum* B *perseverandum.*

[10] Vers. 13. — Sequitur Ioan. 14, 2.

[11] Vers. 28. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 10, 4. et 13, 36. — Superius pro *Ecce, ad quid* B C *Ecce, quare.*

proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum
Tertio. sequuntur ». — Vado *tormenta passionis sustinendo;* de quo dictum est Petro Ioannis decimo tertio: « Quo ego vado, tu non potes me sequi modo; sequeris autem postea ». — Sic enim itur ad regnum *relinquendo* mundum, *operando* bonum et *sustinendo* malum.

COLLATIO LVI.

(Vers. 8.). *Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum* etc.

1. Nota, quod quatuor arguunt peccatorem. Ar-
Quatuor arguunt peccatorem. Primum. guit enim peccatorem *propria conscientia;* Ieremiae
Secundum. secundo [1]: « Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te ». — Arguit *sacra Scriptura;* secundae ad Timotheum tertio: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum, ad corripiendum »: ad *docendum* vera, ad *arguendum* falsa, ad *erudiendum* de iusti-
Tertium. tia, ad *corripiendum* perversa. — Arguit *divina iustitia,* haec in *futuro;* Psalmus [2]: « Arguam te et statuam contra faciem tuam »; et iterum: « Domine,
Quartum. ne in furore tuo arguas me ». — Arguit etiam *divina misericordia* in *praesenti;* Apocalypsis tertio: « Ego quos amo arguo et castigo ». — Propter haec argumenta cavebat sibi Habacuc dicens: « Super custodiam meam stabo et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me ».

2. *Cum venerit,* inquit, *Paracletus, ille ar-*
Differenter arguunt Spiritus S. et spiritus malus. *guet mundum.* Nota, quod arguit *Spiritus sanctus,* et arguit *spiritus malus,* sed *differenter.* — Arguit enim *spiritus malus* ad *seducendum;* arguit *Spiritus sanctus* ad *docendum;* ille *sophistice,* iste *demonstrative.*

Arguit enim spiritus malus ad seducendum du-
Spiritus malus arguit dupliciter. pliciter: aliquando quasi *in dictione* [3], cum decipit per *suggestionem;* tunc enim est principium fallendi quasi *in voce;* aliquando quasi *extra dictionem,* quando decipit per *rerum ostensionem;* tunc enim
De primo. est principium decipiendi quasi *in re.* Primo modo decepit Evam, Genesis tertio [4], scilicet per verba; et propter hoc dicitur Habacuc secundo: « Contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, et quid respon-
De secundo. deam ad arguentem me ». — Secundo modo decepit David, quando ostendit ei Bersabee, secundi Regum undecimo; et propter hoc dicitur Ecclesiastici decimo nono: « Vinum et mulieres apostatare faciunt » etiam « sapientes et arguunt sensatos ». Haec ergo sunt argumenta spiritus mali, quae dissolvit sapientia, de qua dicitur Sapientiae octavo [5], quod « ipsa scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum ».

3. Arguit Spiritus sanctus quasi demonstrative
Item, Spiritus S. ad *docendum,* et hoc dupliciter [6]: aliquando *ostensive,* ut promoveat discentes; aliquando quasi *ad impossibile,* ut reducat errantes. — Quasi *ostensive* ar-
Primo. guit Christus discipulos, « quibus et praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei », Actuum primo [7]. — Quasi *ad impossibile* ar-
Secundo. guit illos, de quibus hic dicitur: *Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.* Isti enim sunt
Syllogismi maior. quasi tres termini divinae argumentationis. *Proponit* enim dignitatem divinae iustitiae, illud scilicet quod habetur Ezechielis decimo octavo [8]: « Anima, quae peccaverit, ipsa morietur ». Et *assumit* peccatum
Minor. transgressionis humanae, quasi dicat: tu peccasti. Haec enim est passio contraria disciplinae, quam non acciperet doctor Spiritus, nisi daretur a respondente, id est a peccatore. Tertio *concludit* ex his iudicium
Conclusio. damnationis aeternae. Per hunc modum arguit Spiritus sanctus de *peccato et iustitia et iudicio,* quia *iustitiam* proponit, *peccatum* assumit et *iudicium* concludit. Hoc autem argumentum facit Spiritus, non ut stetur in iudicio damnationis, sed ut, viso inconvenienti, quod sequitur ex peccato, redeat peccator ad veritatem correctionis; propter quod dicitur Apocalypsis tertio [9]: « Ego quos amo arguo et castigo ».

COLLATIO LVII.

(Vers. 13.). *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

1. Duo tanguntur in verbis istis: primo, Spiri-
Divisio. tus sancti *adventus,* cum dicitur: *Cum venerit* etc.; secundo, advenientis *effectus,* cum subiungitur: *Docebit vos* etc.

Ait ergo: *Cum venerit Spiritus sanctus,* qui
Primo, de adventu Spiritus S. scilicet solet venire, ubi *diligitur,* ubi *invitatur* et ubi *exspectatur.* Require de hoc supra capitulo decimo quarto [10].

2. *Docebit vos omnem veritatem,* quae triplex
Secundo, de ipsius effectu tripli- est, scilicet *veritas doctrinae,* quae necessaria est
ci. Primus. *contemplativis;* de qua Matthaei vigesimo secun-

---

[1] Vers. 19. — Sequitur II. Tim. 3, 16.

[2] Psalm. 49, 21. — Tres seqq. loci sunt Ps. 6, 2; Apoc. 3, 19. et Habac. 2, 1. — Inferius pro *cavebat sibi* B *caverat sibi.*

[3] Cfr. Aristot., I. Elench. c. 3. et 4. (c. 4. et 5.), ubi loci sophistici sive fallaciae arguendi distinguuntur in eos, qui sunt *in dictione* et *extra dictionem.*

[4] Vers. 1. seq. — Subinde allegantur Habac. 2, 1; II. Reg. 11, 2. et Eccli. 19, 2.

[5] Vers. 8.

[6] Cfr. Aristot., II. Prior. c. 14, ubi haec duplex demonstrationis species exponitur.

[7] Vers. 3.

[8] Vers. 20. — De tribus terminis argumentationis cfr. supra pag. 541, nota 1. De vocibus, quae hic occurrunt, v. g. *dignitas* (axioma, quod communiter in *maiori* syllogismi habetur) et *passio* (i. e. proprietas) cfr. Aristot., I. Poster. c. 8. (c. 10.). Pro *passio* B *positio.*

[9] Vers. 19.

[10] Collat. LIV. n. 5.

do [1]: « Magister, scimus, quia verax es et viam Dei
Secundus. in veritate doces ». — *Veritas vitae*, quae necessaria est *activis;* de qua Isaiae trigesimo octavo: « Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in
Tertius. veritate et in corde perfecto ». — *Veritas iustitiae*, quae necessaria est *praelatis;* de qua Proverbiorum decimo octavo: « Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate iudicii ».

3. Vel aliter distingue: quia Spiritus sanctus so-
Alia distinctio. let venire, ubi *diligitur*, ubi *invitatur* et ubi *exspectatur*, ubi ei *hospitium praeparatur;* et tunc
Docet quadruplicem veritatem. adiunge, quod docet quadruplicem veritatem, scilicet veritatem *cognitionis;* unde Psalmus [2]: « Qui loquitur veritatem in corde suo » etc. — Veritatem *intentionis;* de qua Ioannis octavo: « In veritate non stetit », dicitur de diabolo; et Ioannis septimo: « Qui quaerit gloriam eius qui misit illum, hic verax est ». — Veritatem *locutionis;* de qua Zachariae octavo: « Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo ». — Veritatem *operationis;* de qua primae Ioannis tertio [3]: « Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate »; et Ioannis tertio: « Qui facit veritatem venit ad lucem ».

COLLATIO LVIII.

(Vers. 20.). *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

1. Nota, quod est tristitia, quae *vertitur in*
Duplex tristitia. *gaudium;* et est tristitia, quae *continuatur* [4] *in luctum*. Prima est tristitia *bonorum*, et haec est *sustinenda*. — Secunda est tristitia *malorum*, et haec est *fugienda*.

Tristitia *iustorum* triplex est: tristitia *contritio-*
Primo, iustorum tristitia prima. *nis*, quae accidit homini ex consideratione sui; secundae ad Corinthios septimo [5]: « Quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur; saeculi autem tristitia mortem operatur ».
Secunda. — Tristitia *compassionis*, quae accidit homini ex consideratione proximi; Psalmus: « Quaesivi, qui simul contristaretur mecum, et non inveni »; et Proverbiorum decimo: « Filius stultus moestitia est matri suae ». —
Tertia. Tristitia *spiritualis desolationis*, quam habet anima propter absentiam sponsi; de qua hic [6]: « Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia ve-
Est toleranda. stra vertetur in gaudium ». — Haec tristitia *toleranda* est, quia brevis; Ioannis decimo sexto: « Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos » etc.

2. Nota, quod dicitur: *Nunc tristitiam habetis*, quasi dicat: momentaneam tristitiam habetis, quia
Haec est levis. *levis;* tristitia enim spiritualis semper habet intra se admixtam veritatem consolationis; unde magis proprie dicitur *quasi tristitia* quam tristitia; ideo secundae ad Corinthios sexto [7]: « Quasi tristes, semper autem gaudentes ». — Quia *utilis;* secundae ad Co-
Utilis. rinthios septimo: « Ecce, quae est secundum Deum tristitia quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam ». — Haec est tristitia, quae, ut hic dicitur, *vertetur in gaudium*. De his tribus primae Petri primo [8]: « In
Vertitur in gaudium. quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus ». — Nota, quod dicit: *contri-*
Notandum. *stari nunc*, ecce, tristitia *brevis; contristari modicum*, ecce, tristitia *levis;* item: *si oportet contristari, exsultabitis*, ecce, tristitia *utilis*.

3. Sequitur de tristitia *malorum*, quae triplex
Secundo, malorum tristitia prima. est, scilicet tristitia *culpae;* de qua Ecclesiastici trigesimo octavo [9]: « A tristitia festinat mors »; et Ecclesiastici decimo quarto: « Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et qui non est stimulatus in tristitia delicti ». — Tristitia *sequelae;* Ecclesiastici
Secunda. decimo quarto: « Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam ». — Tristitia *damnationis aeternae;*
Tertia. Ezechielis vigesimo tertio: « Ebrietate et dolore repleberis, calice moeroris et tristitiae, et bibes illum usque ad faeces ». — Haec autem tristitia *fugienda*
Est fugienda ob 3 rationes. est, quia *dissipat* consilium rationis; Ecclesiastici decimo quarto [10]: « Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et qui non excidit a spe sua ». *Cruciat* affectum voluntatis; Ecclesiastici trigesimo: « Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa ». *Enervat* vigorem virtutis; Ecclesiastici trigesimo octavo: « A tristitia festinat mors et cooperit virtutem, et tristitia cordis flectit cervicem ».

4. Vel distingue aliter: quia tristitia mala aufert
Alii 3 effectus malae tristitiae. pinguedinem *internae devotionis;* Proverbiorum decimo septimo [11]. « Spiritus tristis exsiccat ossa ». — Aufert vigorem *bonae operationis;* Ecclesiastici trigesimo octavo: « A tristitia festinat mors » etc., ut supra. — Aufert spem *aeternae retributionis;* Ecclesiastici decimo quarto: « Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, et qui non excidit a spe sua ».

---

[1] Vers. 16. — Sequuntur Isai. 38, 3. (cfr. IV. Reg. 20, 3.) et Prov. 18, 5. — De hac triplici veritate cfr. supra pag. 460, nota 10. 11.

[2] Psalm. 14, 3. — Subinde allegantur Ioan. 8, 44. et 7, 18; Zachar. 8, 16.

[3] Vers. 18, post quem sequitur Ioan. 3, 21.

[4] Cod. A *vertitur et continuatur*. Superius pro *vertitur* B *convertitur*, C *vertetur*, qui etiam inferius pro *fugienda* substituit *detestanda*.

[5] Vers. 10. — Duo seqq. loci sunt Ps. 68, 21. et Prov. 10, 1.

[6] Vers. 20. — Sequitur Ioan. 16, 22.

[7] Vers. 10; ibid. 7, 10. et 11. habetur seq. textus. — Superius inter *quam* et *tristitia* codd. interserunt particulam *in*.

[8] Vers. 6.

[9] Vers. 19. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 14, 2. et 1. ac deinde v. 10; Ezech. 23, 33. seq.

[10] Vers. 2. — Subinde allegantur Eccli. 30, 25. et 38, 19.

[11] Vers. 22; Eccli. 38, 19. et 14, 2. sunt duo seqq. loci.

COLLATIO LIX

(Vers. 22.). *Vos igitur nunc tristitiam habetis; iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum* ».

1. In verbis istis duo facit Dominus. Primo con- Divisio.
solatur *praesentem Apostolorum tribulationem*, cum dicit: *Vos quidem nunc tristitiam habetis.* — Secundo exprimit *sequentem eorundem consolationem*, cum subiungit: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Tribulatio huiusmodi fuit in tempore passionis; consolatio, in die resurrectionis.

2. *Vos*, inquit, *tristitiam habetis.* Nota, quod Primo, triplex tristitia.
triplex est tristitia. Est enim *tristitia*, cuius principium est *malignitas*, et haec est *detestanda.* Est tristitia, cuius principium est *infirmitas*, et haec est *moderanda.* Et est tristitia, cuius principium est *caritas*, Prima.
et haec est *amplectenda.* — Est igitur tristitia *malignitatis;* de qua Matthaei sexto [1]. « Nolite fieri, sicut hypocritae, tristes »; Ecclesiastici decimo quarto: « Oculus malus ad mala, et in tristitia erit super mensam Secunda.
suam ». etc. — Est etiam tristitia *infirmitatis*, sicut quando tristatur aliquis super re temporali; Ecclesiastici trigesimo [2]: « Ne des animae tuae tristitiam, et ne affligas temetipsum in consilio tuo ». Haec *moderanda* est; primae ad Thessalonicenses quarto: « Non contristamini, sicut et ceteri, qui spem non habent ». Hanc moderabat Dominus in discipulis, Ioannis decimo sexto, cum dicebat: « Quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego in veritate dico vobis: Expedit vobis, ut ego Tertia.
vadam ». — Est etiam tristitia *caritatis;* de qua dicitur hic: *Vos quidem nunc tristitiam habetis*, quia scilicet me ad passionem ire videtis. Et hinc promittitur consolatio, cum subiungitur:

3. *Iterum videbo vos; videbo*, inquit, *vos*, id Secundo, triplex consolatio.
est, visitabo vos. Et nota, quod Dominus tripliciter visitat, scilicet *corripiendo* in culpa, *locupletando* Prima.
in gratia, *beatificando* in gloria. — Visitat, ut *corripiat culpam*, sicut solet praelatus visitare subditos; Psalmus [3]: « Visitabo in virga iniquitates eorum Secunda.
et in verberibus peccata eorum ». — Visitat *infundendo gratiam*, sicut solet dives amicus visitare pauperem amicum ipsum locupletando; Psalmus: « Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locu- Tertia.
pletare eam ». — Visitat *largiendo gloriam*, sicut solet medicus visitare infirmum, curando aegritudinem, tribuendo sanitatem. Ita ipse Deus curat miseriam et tribuit felicitatem; de qua hic dicitur: *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

COLLATIO LX.

(Vers. 24.). *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.*

1. In verbis istis exhortans nos Dominus ad pe- Divisio.
tendum, duo facit: *promittit exauditionem*, cum dicit: *Petite, et accipietis* — et *format petitionem*, cum dicit: *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Petite gaudium; sed attendite, *cuiusmodi* sit petendum. Est enim gaudium *mundi*, gau- Triplex gaudium.
dium *iusti* et gaudium *caeli;* vel: gaudium *temporale*, gaudium *spirituale*, gaudium *aeternale;* sive: gaudium *temporis*, gaudium *pectoris* et gaudium *aeternitatis.*

2. Gaudium primum, scilicet gaudium *tempo-* Gaudium mundi est vanum.
rale, non est petendum vel appetendum, quia *vanum;* Ecclesiastae secundo [4]: « Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, quid frustra deciperis »? — Quia *mixtum;* Proverbiorum decimo quarto: « Risus Mixtum.
dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat ». — Quia *momentaneum;* Iob vigesimo: « Gaudium Momentaneum.
hypocritae ad instar puncti »; et Iob vigesimo primo: « Tenent tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt ».

3. Gaudium secundum, scilicet *spirituale*, ap- Gaudii spiritualis ratio prima.
petendum est et est triplex. Gaudet enim homo spi- Prima.
ritualis pro *evasione periculorum*, id est peccatorum; Baruch quarto [5]: « Emisi vos cum luctu et ploratu; reducet autem vos Dominus cum gaudio »; loquitur Ierusalem in figura Ecclesiae ad peccatores. — Gaudet etiam pro *experientia beneficiorum;* Ha- Secunda.
bacuc tertio: « Ego autem in Domino gaudebo », id est in experientia bonitatis divinae; « et exsultabo in Deo Iesu meo »; quasi dicat: cum « ficus non florebit, et non erit germen in vineis » etc., cum scilicet non erit exterius consolatio, erit mihi interius in Domino exsultatio. — Gaudet etiam pro *ex-* Tertia.
spectatione praemiorum; Matthaei quinto [6], Lucae sexto: « Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis » etc.

4. Gaudium tertium, quod est *aeternale*, est Gaudium aeternale appetendum, quia est verum.
postulandum et desiderandum, quia *verum.* Est enim gaudium cordis; nec gaudet vere, nisi qui gaudet in corde; Ecclesiastici trigesimo [7]: « Non est oblectamentum super cordis gaudium ». Tale est gaudium caeli; Ioannis decimo sexto: « Videbo vos, et gaudebit cor vestrum ». — Quia *plenum;* Ioannis Quia plenum.
decimo sexto: « Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum »; et eodem: « Tristitia vestra vertetur in gaudium ».

---

[1] Vers. 16. — Sequitur Eccli. 14, 10.

[2] Vers. 22. — Subinde allegantur I. Thess. 4, 12. et Ioan. 16, 6. seq.

[3] Psalm. 88, 33. — Sequitur Ps. 64, 10.

[4] Vers. 2. — Tres seqq. loci sunt Prov. 14, 13; Iob 20, 5. et 21, 12.

[5] Vers. 23. — Inferius allegatur Habac. 3, 18. et 17: *Ficus enim non* etc.

[6] Vers. 12. et Luc. 6, 23.

[7] Vers. 16. — Tres seqq. loci sunt Ioan. 16, 22. 24. et 20. — Superius post *Est enim* C *unius gaudium* B *huiusmodi gaudium*, A omittit *enim*, et deinde *nec gaudet... in corde.*

5. Nota, quod tunc *omnia* erunt gaudium, quando « tristitia vertetur in gaudium »; ideo dicitur Ioannis decimo quinto [1]: « Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur »; et propter plenitudinem gaudii dicitur servo fideli, Matthaei vigesimo quinto, non: *accipe* gaudium, sed: « *intra* in gaudium Domini tui ». — Quia *aeternum;* Ioannis decimo sexto: « Gaudium vestrum nemo tollet a vobis »; et Isaiae sexagesimo quinto: « Gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum ».

Capitulum XVII. *Haec locutus est Iesus* [2].

COLLATIO LXI.

(Vers. 11.). Parum infra: *Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum in te, sicut et nos.*

Triplex unitas.

1. Quia quasi per totum capitulum de superna unitate agitur, quam Dominus Iesus Christus discipulis suis imprecatur; ideo notandum de superna unitate, circa quam distingue, quod multiplex est unitas. Est enim unitas, cuius vinculum est *malignitas;* et est unitas, cuius vinculum est *carnalitas;* et est unitas, cuius vinculum est *caritas.*

De prima.

2. De unitate *malignitatis;* Psalmus [3]: « Convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius »; Iob quadragesimo primo de Behemoth: « Corpus illius est compactum squamis se prementibus; una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas »; Proverbiorum primo: « Marsupium unum sit omnium nostrum », dixerunt impii. — De unitate *carnalitatis;* primae ad Corinthios sexto [4]: « Qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur »; *meretrici,* ad *litteram* mulieri, vel *moraliter* carni; et « erunt, inquit, duo in carne una », id est in carnalitate una. Bernardus super illud Psalmi: « Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum »: « Etsi in unum, inquit, non tamen in peccato ». — De unitate *caritatis;* ad Ephesios quarto [5]: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis », quam imprecatur Dominus discipulis, cum dicit: *Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.*

De secunda.

De tertia.

Unitas caritatis est triplex.

3. Et nota, quod unitas caritatis debet esse in homine triplex. Debet enim esse homo unus cum *Deo* per *conformitatem voluntatis;* debet esse unus cum *se ipso* per *integritatem mentis;* debet esse unus cum *proximo* per *concordiam caritatis.* —

Prima.

Debet ergo esse unus cum *Deo;* de qua unitate primae ad Corinthios sexto [6]: « Qui adhaeret Deo unus spiritus est ». De hac unitate Hugo: « Homo, aversus ab uno ad multa, evanuit; conversus a multis ad

Secunda.

unum, vitam invenit ». — Debet esse unus cum *se ipso* per mentis integritatem; quam integritatem commendat in sponsa ipse Sponsus Canticorum sexto [7]: « Una est columba mea, perfecta mea »; *una,* id est integra, non divisa, quales sunt, de quibus Osee decimo: « Divisum est cor eorum; nunc interibunt ». — Debet etiam esse unus cum *proximo* per caritatis concordiam, quae commendatur in Psalmo, cum dicitur: « Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare » etc.; et quam specialiter Dominus imprecatur, cum dicit: *Serva eos, ut sint unum.*

Tertia.

Tertia iterum triplex.

4. Et haec unitas cum proximo debet esse triplex. Debet esse unitas *voluntatum,* unitas *morum,* unitas *virtutum.* — Debet enim uniri fratrum *affectio* per *voluntatum indivisionem,* secundum quod dicitur Actuum quarto [8]: « Multitudinis credentium erat cor unum et anima una ». — Debet etiam uniri fratrum *conversatio* per *morum concordiam,* quia Deus ipse est, « qui habitare facit unius moris in domo », ut habetur in Psalmo; et iterum: « In domo Dei ambulavimus cum consensu ». — Debet etiam in unum convenire fratrum *operatio* per *mutuam subventionem,* sicut faciunt membra unius corporis ad invicem, quia, sicut dicitur ad Romanos duodecimo [9], « nos unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra »; et primae ad Corinthios duodecimo: « Sicut corpus unum est et membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ».

Prima.

Secunda.

Tertia.

Dominus rogat pro unitate et iniungit caritatem.

5. *Serva,* inquit, *eos, ut sint unum, sicut et nos.* Notabile est, quod Dominus, in recessu suo pro discipulis suis orans, eisdem prae omnibus *imprecatur unitatem,* et eisdem prae omnibus *iniungit caritatem;* quod non est propter aliud nisi propter multiplicem fraternae unitatis [10] *utilitatem.* Est enim fraterna unitas *cadentibus* in remedium, *resurgentibus* in auxilium, *pugnantibus* in praesidium, *patientibus* in subsidium, *proficientibus* in ducatum, *postulantibus* in suffragium, *exspectantibus* in solatium, *perseverantibus* in tutelam, *pervenientibus* in gaudium.

Novem unitatis fraternae effectus.

---

[1] Vers. 11. — Sequuntur Matth. 25, 21; Ioan. 16, 22. et Isai. 65, 18.

[2] Codd. allegant ultimum vers. c. 16: *Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.*

[3] Psalm. 2, 2, post quem allegantur Iob 41, 6. seq. et Prov. 1, 14.

[4] Vers. 16, ubi etiam habentur verba, quae paulo post sequuntur. — Sententia Bernardi super Ps. 132, 1. invenitur in Serm. in Assumt. B. Mariae (inter opera Bernard.), n. 10. et 11, ubi duplex unitas, scil. Sanctorum et facinorosorum, describitur. Cfr. Serm. 88. de Diversis.

[5] Vers. 3.

[6] Vers. 17. — De sententia Hug. cfr. eius lib. I. de Sacram. p. IX. c. 3. et I. Miscellan. (inter opera Hug.) tit. 55.

[7] Vers. 8. — Duo seqq. loci sunt Osee 10, 2. et Ps. 132, 1.

[8] Vers. 32. — Subinde allegantur Ps. 67, 7. et 54, 15.

[9] Vers. 5. — Sequitur I. Cor. 12, 12. et 13. — Superius pro *in unum convenire* A *uniri.*

[10] Cod. A *caritatis.*

6. Est igitur fraterna unitas *cadentibus in re-*
Primus. *medium;* Ecclesiastae quarto[1]: « Melius est, esse simul duos quam unum; habent enim emolumenta societatis suae; si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli! quia, si ceciderit, non habet sublevantem se ». Homo enim *ingratus* non potest sibi mereri gratiam; alius autem *gratus* potest illi mereri de
Secundus. congruo: « Melius est ergo » etc. — Est iterum *resurgentibus in auxilium,* ad impetrandam gratiam remissionis, per quam resurgant; saepe enim qui per se provocat aspectum regum ad puniendum per alios advocat ad miserendum. Unde Psalmus[2]: « Prospexit de excelso sancto suo; Dominus de caelo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum ». Sed quando? « In conveniendo populos in unum et reges », scilicet subditos et praelatos, « ut serviant Domino ».
Tertius. — Est iterum *pugnantibus in praesidium.* « Si enim quispiam praevaluerit contra unum, duo resistent ei. Melius est ergo, duos esse simul quam unum », Ecclesiastae quarto[3]. Exemplum de milite, qui vocavit maiorem de filiis suis ad frangendum tres lanceas; unde et Israel, quandocumque legitur *congregatus* « quasi vir unus », legitur vicisse; cum vinci debet, ostensus est *dispersus;* unde Michaeas, tertii Regum ultimo: « Vidi Israel dispersum
Quartus. in montibus » etc. — Est iterum *patientibus in subsidium.* Levior enim efficitur quaecumque tribulatio, cum a pluribus supportatur; quod facit unitas fraterna; unde primae ad Corinthios duodecimo[4]: « Unum corpus sumus in Christo » etc.; et sequitur: « Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra ».

7. Est nihilominus *proficientibus in ducatum*
Quintus. *et directionem operis;* unde primi Regum sexto[5] de vaccis reducentibus arcam Domini de terra Philisthiim legitur, quod « ibant vaccae in directum per viam, quae ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram ». *Vaccae* sive iuvenculae, quae non noverant iugum, sunt noviter conversi ad poenitentiam; isti *referunt arcam,* id est animam de *Philisthiim,* id est de captivitate diaboli; qui *in directum incedunt,* quando incedunt itinere uno, quod est, quando sunt sub iugo uno, ut in religione. Quamdiu enim religiosus est alligatus iugo religionis et nondum fregit iugum nec rupit vincula; tunc necesse est, ut vadat in directum per iter, per quod incedit[6]. Alii autem vadunt *pergentes* per actionem et *mugientes* per clamorem orationis usque ad *domum Bethsames,* quae est domus solis, vel illuminationis; et non *declinant ad dexteram* praesumtionis neque ad *sinistram* remissionis. Cum ergo caritas fraterna alligat fratres ad iugum unum, etiam qui per se ire non potest trahitur ab aliis, ut proficiat. — Est iterum *postu-* Sextus.
lantibus in suffragium. Quod enim non valet unus, obtinet multitudo intercessorum; unde illud[7]: « Impossibile est, preces multorum non exaudiri ». Quod significatum est Actuum primo, ubi legitur, quod « erant omnes discipuli perseverantes unanimiter in oratione » etc. Etenim, cum essent congregati « in eodem loco, factus est repente de caelo sonus » etc.

8. Est praeterea *exspectantibus in solatium;* Septimus.
unde Psalmus[8]: « Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite » id est Iesu Christo, « quod descendit » non nisi in membra capitis mediate, vel immediate continuata. Nota de eremitis, qui consolabantur se quotidie dicentes: cras migrabimus hinc. — Est prae- Octavus.
ter haec *perseverantibus in tutelam;* Ezechielis trigesimo septimo[9]: « Ecce, ego assumam filios Israel per poenitentiam de medio nationum, ad quas abierunt », per culpam, « et congregabo eos et faciam eos in gentem unam », per caritatem, « in montibus Israel » id est in perfectione iustitiae; et subiungit perseverantiam: « Et non erunt ultra duae gentes et non polluentur ultra in idolis suis, et salvos faciam eos de universis, in quibus peccaverunt ». Qui ergo in unum perseverant salvi erunt. Nam si separaverit se Dina a fratribus suis, prope est Hemor ad corrumpendum, Genesis trigesimo quarto[10]. — Est nihilominus *pervenientibus in gaudium.* Ibi Nonus.
enim est una vox laetantium et unus ardor cordium; ibi amor perfectus et unus omnium spiritus, ut dicit Augustinus[11]. Ibi erit illa felix consummatio

---

[1] Vers. 9. et 10. — Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. ad 3; ibid. q. 2. in corp. sub alio respectu dicitur, quod peccator posset sibi per bona opera mereri de *congruo.*

[2] Psalm. 101, 20-23. — Superius post *in auxilium* C addit *in restituendis virtutibus et maxime,* qui etiam subinde pro *remissionis* et *regum ad puniendum* substituit *resurgentibus* et *regium ad indignandum.*

[3] Vers. 12. et 9: Melius etc. — Subinde allegantur I. Reg. 11, 7: Et egressi sunt quasi vir unus; et III. Reg. 22, 17. verba Michaeae.

[4] Vers. 13. (cfr. Rom. 12, 5.) et 26.

[5] Vers. 12. et 13.

[6] Glossa *ordinaria* (ex Isidoro, in I. Reg. c. 3. n. 8.) in I. Reg. 6, 7: Vaccae arcam gestantes Sanctos significant, qui saeculo renuntiant, qui nullum delicti traxerunt iugum. Sicut enim vaccae vitulorum affectu a recto itinere non deviant, sic sancti patres tali affectu a bono proposito non exorbitant. — Ibid. eadem Glossa (ex Rabano) in v. 12: Via scilicet regia euntes *Bethsames,* id est in domum solis [cfr. Hieron., de Nominib. Hebraic. de III. Reg.], caelestem scilicet Ierusalem, ubi semper lucet sol iustitiae. Cfr. Gregor., III. in I. Reg. c. 4. n. 15. seqq.

[7] Glossa *ordinaria* (ex Comment. inter opera Ambrosii) in Rom. 15, 30: Multi minimi, dum congregantur unanimes, fiunt magni, et multorum preces impossibile est ut non impetrent. — Sequuntur Act. 1, 14. et 2, 1. seq. — Superius pro *ire non potest* B C *ire non poterat.*

[8] Psalm. 132, 1. seq. — Libr. VII. de Vitis Patrum, c. 44. n. 2. haec refertur sententia: Sic esto quotidie peregrinus et crastino liberandus. Hoc mihi quotidie consulebam. — Inferius post *migrabimus hinc* B C addunt *caritas enim est laetandis de paradiso* [C *laetanda desperatis*].

[9] Vers. 21-23.

[10] Vers. 1. seqq.

[11] Cfr. Enarrat. in Ps. 85. n. 11. 14. et 24. Vide etiam de

unitatis, quam imprecabatur Dominus discipulis, Ioannis decimo septimo, cum rogabat, ut essent consummati in unum: « Rogo, inquit, ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum ».

ANNOTATIO 67.

(Cap. 16, 33.). *Confidite, quia ego vici mundum*[1].

Christus circa mundum tria fecit.

Nota, quod Dominus dicit, se fecisse tria in mundo, scilicet *reliquisse* mundum, Ioannis decimo sexto[2]: « Relinquo mundum et vado a Patrem »; *vicisse* mundum; unde hic Ioannis decimo sexto: « Confidite, quia vici mundum »; *reprehendisse* mundum; Ioannis septimo: « Me odit mundus, quia testimonium perhibeo de eo, quia opera eius mala sunt »; per hoc ostendens fidelibus suis, quod relinquendae sunt mundanae *prosperitates*, sustinendae sive superandae mundanae *adversitates*, arguendae *perversitates* mundanae. — Sic mundum *conversatione* reliquit, *passione* superavit, *praedicatione* reprehendit.

COLLATIO LXII.

(Vers. 5.). *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret.*

Christus clarificatus tripliciter.

1. Nota, quod Christus clarificatus fuit in *passione causaliter;* Ioannis duodecimo[3]: « Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. Amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit » etc. — Clarificatus fuit in *resurrectione actualiter;* Ioannis decimo tertio: « Deus clarificavit eum in semetipso », continua clarificatione. — Clarificatus fuit in *Apostolorum praedicatione evidenter;* Ioannis decimo septimo: « Clarificatus sum in eis » et ideo dicitur, Ioannis ultimo, de Petro: « Hoc dixit Iesus, significans, qua morte esset clarificaturus Deum ».

Et per tria.

2. Nota autem, quod eius clarificatio manifestata est in tribus: in *miraculorum operatione;* Marci ultimo[4]: « Signa eos qui crediderint, haec sequentur »; in *linguarum divisione:* » Apparuerunt eis dispertitae linguae tanquam ignis », Actuum secundo; in *charismatum infusione;* primae ad Corinthios duodecimo: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus ». — Et nota, quod operatio miraculorum clarificat eius *potentiam;* divisiones linguarum, eius *sapientiam;* infusio charismatum, eius *bonitatem.*

Et a tribus.

3. Nota postea, quod Christus fuit clarificatus a Deo *Patre;* unde hic: *Clarifica me, Pater* etc.; a *Spiritu sancto;* Ioannis decimo sexto[5]: « Ille me clarificabit, quia de meo accipiet »; a *discipulis;* Ioannis ultimo: « Hoc dixit, significans, qua morte Petrus esset clarificaturus Deum ». — Recollige ergo, quod clarificatus fuit Christus *tripliciter* et *per tria* et *a tribus: tripliciter,* quia in passione, in resurrectione et in Apostolorum praedicatione; *per tria,* quia per miraculorum operationem, per linguarum divisionem, per charismatum infusionem; et *a tribus,* scilicet a Deo Patre, a Spiritu sancto et a discipulis.

Epilogus.

Quadruplex claritas.

4. *Claritate, quam habui, priusquam mundus fieret.* Nota, quod multiplex claritas invenitur in Christo, quae etiam communicatur homini iusto. Est enim claritas *sapientiae;* Sapientiae sexto[6]: « Clara est et quae nunquam marcescit sapientia ». — Claritas *gratiae;* secundae ad Corinthios tertio: « Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu ». — Claritas *famae;* Sapientiae octavo[7]: « Habebo propter hanc » sapientiam « claritatem ad turbas et honorem apud seniores ». — Claritas *gloriae;* ad Philippenses tertio: « Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae ».

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

CAPITULUM XVIII. *Haec cum dixisset Iesus.*

ANNOTATIO 68.

(Vers. 1.). *Haec cum dixisset Iesus, egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus* etc.

Tria facta sunt in horto.

Nota, quod Christus in horto fuit *captus,* in horto *sepultus,* in horto post resurrectionem *inventus.* — In horto fuit *captus,* sicut hic declarat historia: *Ubi erat,* inquit, *hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius;* et postea[8] sequitur de captione. — In horto fuit *sepultus,* unde Ioannis decimo nono: « Erat in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum »; et sequitur, quod ibi

---

Spiritu et anima (inter opera Augustini), c. 55. et 57; Manuale (inter opera Augustini), c. 6. et 17. — Subinde allegatur Ioan. 17, 11. et 22. seq. — Superius post *pervenientibus* C addit *et perseverantibus.*

[1] Nostra Vulgata ponit haec verba in fine c. 16, ita etiam supra Comment. in Ioan.

[2] Vers. 28. — Sequuntur Ioan. 16, 33. et 7, 7.

[3] Vers. 23. seq. — Tres seqq. loci Ioan. 13, 32; 17, 10. et 21, 19.

[4] Vers. 17. — Sequuntur Act. 2, 3. et I. Cor. 12, 4.

[5] Vers. 14. — Subinde allegatur Ioan. 21, 19.

[6] Vers. 13. — Sequitur II. Cor. 3, 18.

[7] Vers. 10. — Seq. locus est Phil. 3, 21.

[8] Vers. 12. — Sequuntur Ioan. 19, 41. seq. et 20, 15. — Notamus, quod in cod. C omittuntur haec Collat. et ea quae sequuntur usque ad c. 19. Hoc autem loco habet: *Decimum octavum caput. Haec cum dixisset Iesus etc. Quaere alibi collationes.*

« posuerunt Iesum ». — In horto fuit *inventus;* unde et Maria, quando primo vidit Dominum, existimavit, eum hortulanum esse, Ioannis vigesimo, quia scilicet in horto invenerat eum. — Per hoc intellige *spiritualiter* triplicem hortum, hortum scilicet, in quo Christus *persecutionem patitur*. Hic est hortus *mundanae concupiscentiae;* de quo tertii Regum vigesimo primo [1]: « Ait Achab ad Naboth », id est diabolus ad hominem: « Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum ». — Hortus, in quo Christus *absconditur,* est hortus *sacrae Scripturae;* de quo dicitur animae contemplativae Canticorum octavo: « Qui habitas in hortis, amici auscultant te; fac me audire vocem tuam ». — Hortus, in quo Christus *invenitur,* scilicet hortus *fidelis conscientiae;* de quo Canticorum sexto: « Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium »; et iterum in eodem: « Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum ».

Expositio spiritualis.

COLLATIO LXIII.

(Vers. 11.). *Mitte gladium tuum in vaginam.*

1. Nota, quod tria genera hominum solent portare gladium, scilicet *malignantes — militantes* — et *dominantes.* — Est ergo gladius *malignantium,* et hic est triplex, gladius videlicet *raneoris in corde,* de quo in Psalmo [2]: « Gladius eorum intret in corda ipsorum »; et Genesis vigesimo septimo: « In gladio vives et servies fratri tuo ». In gladio enim vivit qui gladium in corde gerit. — Gladius *detractionis in ore;* de quo in Psalmo: « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus »; Proverbiorum vigesimo quinto: « Iaculum et gladius et sagitta acuta homo, qui loquitur adversus proximum suum falsum testimonium ». — Gladius *persecutionis in opere;* Exodi decimo quinto [3]: « Evaginabo gladium meum » etc.; dicit malignus, quod intelligitur de persecutione. — Rancor enim est gladius *absconditus;* persecutio, gladius *evaginatus;* unde ibidem dicitur: « Dixit inimicus: Persequar et comprehendam » etc.; et sequitur: « Evaginabo gladium meum, et interficiet eos manus mea » etc.

Triplex gladius. Primus est triplex. In corde. In ore. In opere.

2. Est gladius *militantium* triplex: *Doctrina veritatis,* quae est gladius expugnans diabolum impugnantem per *fallaciam;* de quo ad Ephesios sexto [4]: « Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei ». — *Mortificatio carnis,* quae est gladius expugnans diabolum impugnantem per *concupiscentiam;* qui significatus est, Iudicum septimo, in pane subcinericio, qui non erat aliud, ut ibidem dicitur, nisi « gladius Dei et Gedeonis ». Panis subcinericius est mortificatio carnis, qui est gladius interimens castra Madian, id est motus concupiscentiae carnalis. — *Aemulatio caritatis,* quae est gladius expugnans diabolum impugnantem per *violentiam,* quod figuratum est in gladio Goliath, primi Regum decimo septimo [5], « quo interfecit eum David ». Tunc interficitur Goliath proprio gladio, quando diabolum tentantem vel tribulantem superat caritatis aemulatio; et de hoc gladio dicitur primi Regum vigesimo primo, quod « non est alter huic similis ».

Item secundus. Doctrina. Mortificatio. Aemulatio

3. Est praeter hos gladius *dominantium* sive iudicantium, et hic est triplex, scilicet gladius *discretionis,* de quo ad Hebraeos quarto [6]: « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti ». — Gladius *definitionis;* de quo Apocalypsis primo: « De ore eius », id est Christi, « exibat gladius ex utraque parte acutus ». — Gladius *ultionis;* de quo Isaiae primo: « Si nolueritis et ad iracundiam me provocaveritis, gladius meus devorabit vos ». — Hic est ergo triplex gladius Christi iudicantis: et est *discretio* quasi gladius *penetrans; definitio,* quasi gladius *dividens* sive secans; *ultio,* quasi gladius *occidens.* Est namque triplex actus gladii: *penetrare, secare* et *occidere.*

Item, tertius. Discretio. Definitio. Ultio.

4. Et nota, quod iste *iudicialis* gladius est exercendus vel exserendus a *Christo* in genus humanum; unde Apocalypsis primo [7] et Apocalypsis decimo nono: « De ore eius exibat gladius ex utraque parte acutus, et in ipso percutiet gentes ». — A *praelato* in subditum; ad Romanos decimo tertio: « Vis non timere potestatem? Bene fac, et habebis laudem ex ea. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat ». — Ab *homine* in se ipsum; unde in Psalmo: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime ». — Tripliciter exercetur *usus* iudicialis gladii, quando iudicium habet *homo* respectu sui, *praelatus* respectu subditi, *Christus* vero respectu generis humani.

Hic exseritur a Christo. A praelato. Ab homine.

COLLATIO LXIV.

(Vers. 11.). *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?*

1. Nota, quod est triplex calix, scilicet calix *hominis mali* — et calix *hominis iusti* — et calix *hominis-Christi.* Primum debemus *proiicere;* secundum debemus *bibere;* tertio debemus *communicare.*

Triplex calix.

2. Calix ergo *proiiciendus* est calix peccatorum, et hic est triplex: *fortunae, culpae* et *poe-*

Primus est triplex.

---

[1] Vers. 2. — Tres seqq. loci sunt Cantic. 8, 13; 6, 10. et 1.

[2] Psalm. 36, 15. — Sequuntur Gen. 27, 40; Ps. 56, 5. et Prov. 25, 18.

[3] Vers. 9, ubi etiam ea quae subinde allegantur.

[4] Vers. 17. — Sequitur Iudic. 7, 13. seq. — Superius voci *triplex* B praefigit *et hic.*

[5] Vers. 51; ibid. 21, 9. habetur seq. locus.

[6] Vers. 12. — Subinde allegantur Apoc. 1, 16. et Isai. 1, 20. — Pro *discretionis* et *discretio* B *disceptationis* et *disceptatio.*

[7] Vers. 16. et 19, 15. — Duo seqq. loci sunt Rom. 13, 3. seq. et Ps. 44, 4.

nae: primus, *inebrians;* secundus, *venenosus;* ter-
De primo. tius, *amarus.* — De primo Ieremiae quinquagesimo primo [1]: « Calix aureus Babylon in manu Domini; de vino eius biberunt omnes gentes, et ideo commotae sunt ». — De secundo Proverbiorum vigesimo
De secundo. tertio: « Cui vae? Cuius patri vae? Cui rixae? Cui foveae? Cui suffusio oculorum? Cui sine causa vulnera? Nonne his qui morantur in vino et student
De tertio. in calicibus epotandis? » — De tertio in Psalmo: « Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum »; et Apocalypsis decimo quarto: « Si quis adoraverit bestiam et imaginem eius, hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum est in calice irae ipsius ».

3. Est calix *iustorum*, et hic est triplex, scili-
Item, secundus. cet calix *gratiae*, calix *eucharistiae* et calix *examinationis divinae*. Primus continet quasi *claretum* divinae visitationis; secundus, quasi *rosetum* dominicae passionis; tertius, *raspetum* divinae correptionis.
De primo. — De primo in Psalmo [2]: « Calix meus inebrians
De secundo. quam praeclarus est »! — De secundo in eodem: « Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo »; primae ad Corinthios undecimo: « Hic calix novi te-
De tertio. stamenti est in meo sanguine ». — De tertio in Psalmo: « Calix in manu Domini vini meri plenus mixto »; Ieremiae quadragesimo nono: « Ecce, quibus non est iudicium, ut bibant calicem, bibentes bibent, et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes ».

4. Est praeterea calix *Christi;* de quo hic: *Ca-*
Tertius. *licem, quem dedit mihi Pater* etc. Et huic calici
Huic communicandum tripliciter. *communicandum* est tripliciter: per *spiritualem compassionem*, qualiter de ipso biberat quae dicebat Canticorum quinto [3]: « Bibi vinum meum cum lacte meo »: *vinum*, inquam, compassionis cum *lacte* consolationis; nam haec duo inveniuntur in passione Christi: *dolor compassionis* ex amaritudine et *dulcedo consolationis* ex utilitate. — Per *sacramentalem susceptionem*, qualiter dabat Dominus ad bibendum discipulis; Matthaei vigesimo sexto [4]: « Bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus ». — Per *actualem imitationem*, ad quam invitabat Dominus filios Zebedaei, Matthaei vigesimo dicens: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum »?

COLLATIO LXV.

(Vers. 17.). *Negavit Petrus et dixit: Non sum.*

1. Circa negationem Petri notanda sunt tria:
Tria notanda. qualiter Christum *negaverit* — et quid ipsum ad negandum *induxerit* — et quid eundem a negatione *reduxerit.*

Circa primum nota, quod sicut trina negatio *vo-*
Christus negatur a malis tripliciter. *calis* fuit, ita est trina negatio malorum *spiritualis*. Negant enim Christum quidam per *errorem infidelitatis*, quidam per *superbiam praesumtionis*, quidam per *insolentiam conversationis*. Per errorem negant Christum *infideles*, per praesumtionem *hypocritae*, per insolentiam *lascivi*. Primi negant Christum-*veritatem;* secundi Christum-*vitam*, tertii Christum-*viam*.

2. Negant quidam Christum per *infidelitatem;*
Per errorem. primae Ioannis secundo [5]: « Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet »; et ibidem: « Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam Iesus est Christus? Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium ». — Ne-
Per praesumtionem. gant Christum quidam per *praesumtionem;* Iob trigesimo primo: « Si deosculatus sum manum meam ore meo, quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum ». *Manum propriam osculari* est de proprio opere gloriari; et dicit super illud Gregorius [6]: « Deum scilicet negare convincitur qui bonum sibi tribuit, quod operatur ». — Negant alii
Per insolentiam. Deum per *insolentiam;* de quibus ad Titum primo [7]: « Confitentur, se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles et incredibiles et ad omne opus bonum reprobi ».

Sic ergo negant Christum *infideles* per errorem,
Epilogus. quia recedunt a Christo-veritate; *hypocritae* per praesumtionem, quia recedunt a Christo-vita; *lascivi* per insolentiam, quia recedunt a Christo-via. Primi negant *veritatem fidei* per errorem perfidiae; secundi dimittunt *vitam gratiae* pro vento superbiae; tertii vero *viam virtutis* pro devio concupiscentiae. Quae significata sunt in trina Petri negatione.

3. Circa secundum nota, quod tria *induxerunt*
Tria moverunt Petrum ad negationem. Petrum ad negandum, scilicet *locus*, *coetus* et *actus*.
Locus. *Locus,* domus principis; *coetus,* servi pontificis; *actus,* calefactio ignis. Negavit enim Petrus Christum in *domo* principis; Matthaei vigesimo sexto [8]: « Petrus sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum ». — Negavit etiam in *coetu* servorum
Coetus. pontificis; unde subiungitur ibidem: « Et ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem ». — Negavit etiam, cum esset in *actu* calefaciendi se;
Actus. Ioannis decimo octavo: « Erat autem Petrus stans et calefaciens se ».

4. *Spiritualiter* per *domum principis* signifi-
Expositio spiritualis. catur status conversationis mundanae; per *ministros pontificis*, congregatio societatis malae; per *calefactionem ignis*, ardor concupiscentiae. Et haec sunt quae inducunt hominem ad lapsum culpae. — Pro-
De primo. pter primum dicitur Numerorum decimo sexto [9]:

---

[1] Vers. 7. — Sequuntur Prov. 23, 29. 30; Ps. 10. 7. et Apoc. 14, 9. 10.

[2] Psalm. 22, 5. — Subinde allegantur Ps. 115, 13; I. Cor. 11, 25; Ps. 74, 9. et Ier. 49, 12. — De nominibus triplicis vini cfr. supra pag. 547, nota 8.

[3] Vers. 1. — Pro *compassionem* A C *devotionem*.

[4] Vers. 27. seq — Sequitur Matth. 20, 22.

[5] Vers. 23. et 22. — Subinde allegatur Iob 31, 27. seq.

[6] Libr. XXII. Moral. c. 9. n. 20.

[7] Vers. 16.

[8] Vers. 58, ubi etiam seq. locus est, post quem sequitur Ioan. 18, 18.

[9] Vers. 26. — Tres seqq. loci sunt Prov. 13, 20; Ps. 17, 27. et Iac. 1, 14.

« Recedite a tabernaculis hominum impiorum, ne involvamini in peccatis eorum ». — Propter secundum dicitur Proverbiorum decimo tertio: « Socius stultorum similis efficietur »; et in Psalmo: « Cum perverso perverteris ». — Propter tertium dicitur Iacobi primo: « Unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus ».

De secundo. De tertio.

5. Circa tertium nota tria, quae Petrum a negatione *reducunt*, scilicet *respectus Christi*, *cantus galli* et *recordatio Petri*. — Reducit ergo Petrum *cantus galli;* unde Lucae vigesimo secundo[1]: « Adhuc illo loquente, gallus cantavit ». — Et *respectus Christi;* unde sequitur: « Et conversus Dominus respexit Petrum ». — Et *recordatio Petri;* unde sequitur: « Et recordatus est Petrus verbi Domini ». — Ad haec tria sequitur conversio Petri; unde subiungitur: « Et egressus foras flevit amare ».

Tria Petrum reducunt. Cantus galli. Respectus Christi. Recordatio Petri.

6. *Spiritualiter* tunc *cantat gallus*, cum *praedicator* adhibet doctrinam; tunc *respicit Christus*, cum *Deus* infundit gratiam; tunc *recordatur Petrus*, cum *peccator* recurrit ad conscientiam. Et haec sunt tria, quae reducunt peccatorem ad poenitentiam. — Propter primum dicitur in Psalmo[2]: « Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur ». — Propter secundum dicitur Ecclesiastici undecimo: « Oculus Dei respexit illum in bono et erexit eum ab humilitate ipsius et exaltavit caput eius ». — Propter tertium, Apocalypsis secundo: « Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac ».

Expositio spiritualis.

COLLATIO LXVI.

(Vers. 36.). *Regnum meum non est de hoc mundo.*

1. In verbis istis innuitur quaedam regni distinctio. Est enim regnum *mundi* — et est regnum *Christi:* regnum mundi *contemnendum;* regnum Christi *venerandum.*

Duplex regnum.

Regnum *mundi contemnendum* propter tria, scilicet quia *inutile, ignobile* et *instabile*. — Est ergo regnum mundi *inutile*. Habet enim pro proventibus *sollicitudines*, quae auferunt homini spirituales delectationes. Propterea quaerentibus lignis, ut ungerent super se regem, respondit oliva, Iudicum nono[3]: « Nunquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur et homines, et venire, ut inter ligna promovear »? Idem respondit ficus de sua dulcedine, et vitis de vino suo. Ubi nota, quod volentes promoveri in regno mundi oportet deserere dulcedinem Dei, quae animam impinguat, inebriat et delectat. Nec erit qui regnum huiusmodi appetat nisi rhamnum, qui nec habet pinguedinem devotionis nec fertilitatem bonae operationis. — Est regnum *ignobile*. Qui enim in mundo regnare appetit cogitur miserabiliter *servire;* quod significatum est Matthaei quarto[4], ubi « ostendit diabolus Christo omnia regna mundi et gloriam eorum et ait illi: Haec omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me »; quasi dicat: non do ea nisi adorantibus me. Oportet enim, superbos de ipso vanitatem tenere, quia dicitur Iob quadragesimo primo: « Ipse est rex super omnes filios superbiae ». — Nota responsum philosophi adversus magnatem. — Est regnum *instabile*. Est enim regnum, de quo Matthaei duodecimo[5]: « Omne regnum in se ipso divisum desolabitur ». Regnum *divisum* est mundus; unde in Psalmo: « Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate », id est in mundo. — Exemplum habe ad hoc de Adonia, tertii Regum primo, cuius regnum fuit ipsa hora sui primi convivii desolatum. Propter huius regni instabilitatem dicitur Baruch tertio: « Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quae sunt super terram, et in avibus caeli ludunt »? etc. Et respondet: « Exterminati sunt et ad inferos descenderunt, et alii loco ipsorum surrexerunt ». — Ecce ergo, regnum mundi est *inutile, ignobile, instabile*, et ideo *contemptibile*. Propter hoc sapienter cantat quae dicit[6]: « Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi ».

De regno mundi contemnendo. Quia inutile. Quia ignobile. Quia instabile. Exemplum.

2. Sequitur de regno *Christi*, quod est *venerandum*. Est autem venerandum propter tria, scilicet quia *pingue*, quia *nobile*, quia *stabile*. — *Pingue* est regnum Christi; habet enim pro reditibus delicias paradisi; unde Lucae vigesimo tertio[7] latroni petenti regnum repromisit Dominus paradisum: « Memento, inquit, mei, dum veneris in regnum tuum »; et dixit illi Iesus: « Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso ». — Est iterum regnum *nobile*, et ideo Apocalypsis decimo nono[8]: « Rex Christus habet in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium »; et in Psalmo: « Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei ». — Est etiam *stabile* regnum Christi; Danielis septimo: « Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur »; et in Psalmo: « Et regni eius non erit finis ». — Regnum ergo Christi est *pingue, nobile* et *stabile*, et ideo *desiderabile*. Propterea non insipienter orat qui quotidie postulat[9]: « Adveniat regnum tuum ».

De regno Christi venerando. Quia pingue. Quia nobile. Quia stabile.

---

[1] Vers. 60; ibid. v. 61. habentur duo seqq. loci; tertius est v. 62.

[2] Psalm. 50, 15. — Sequuntur Eccli. 11, 13. et Apoc. 2, 5.

[3] Vers. 8. et 9; subinde respiciuntur v. 10. et 11; de *rhamno* habetur ibid. v. 14. seq.

[4] Vers. 8. seq. — Sequitur Iob 41, 25.

[5] Vers. 25. — Subinde allegantur Ps. 54, 10; III. Reg. 1, 5. seq.; Baruch 3, 16. seq. et 19.

[6] Habetur in Breviar. Romano in Communi non Virginum, scilicet in Responsorio lect. 8. — Pro *quae dicit* in A substituitur *qui dicit*.

[7] Vers. 42. et 43.

[8] Vers. 16. — Sequuntur Ps. 71, 11; Dan. 7, 14. et Ps. 144, 3. (cfr. Luc. 1, 33.).

[9] Matth. 6, 10. — Cod. A *orat*.

Communicatur propter triplex meritum.

3. Regnum istud non sibi soli retinet Christus, sed suis largitur fidelibus, quibus dicturus est: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum », Matthaei vigesimo quinto [1]. Et nota, quod propter tria contingit mereri regnum, scilicet per *contemptum mundanorum*, per *exsecutionem mandatorum*, per *sustinentiam adversorum*. — *Contemnentes mundana* merentur possidere regnum titulo *emptionis*, quo omnia sua dant pro regno habendo; unde Matthaei decimo tertio [2]: « Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum ». Notabiliter dicitur: *emit agrum:* forte non habuit unde emeret thesaurum; et ideo thesaurum abscondit et agrum emit, et per consequens cum agro thesaurum possedit. *Thesaurus*, regnum; *ager*, paupertas. *Homo* ergo, qui non habet quo comparet regnum caelorum, vendit universa, quae habet, et emit agrum paupertatis et in agro possidet thesaurum regni caelestis; unde Matthaei quinto [3]: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum ». — *Exsequentes mandata* merentur possidere regnum quasi ratione *conducti* pro mercede sui laboris; et ideo tertii Regum nono ait Dominus Salomoni: « Si feceris omnia, quae praecepi tibi, ponam regnum tuum super Israel usque in sempiternum »; et Matthaei decimo tertio: « Fulgebunt iusti », id est operantes iustitiam, « sicut sol in regno Patris mei ». — *Sustinentes adversa* merentur possidere regnum, quia *socii* sunt acquisitionis. Isti enim sunt socii Christi ad *praedam* et ad *lucrum;* et ideo dicitur eis Lucae vigesimo secundo [4]: « Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ideo dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo »; et ideo Matthaei quinto dicitur: « Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum caelorum ».

Primum. Secundum. Tertium.

Capitulum XVIII. et XIX. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum* [5].

Notantur quatuor de passione Christi.

Circa passionem Christi, de qua agitur in capitulo isto, consideranda sunt quatuor, scilicet *traditio, illusio, flagellatio* et *crucifixio*, quae quatuor breviter notavit ipse Iesus, cum ascenderet ad passionem, Matthaei vigesimo [6]: « Tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum ».

COLLATIO LXVII. ET PRIMA DE PASSIONE CHRISTI.

De Christi traditione triplici.

1. Circa Christi *traditionem* nota, quod Christus fuit iniuste traditus a tribus: a *Iuda;* Ioannis decimo octavo [7]: « Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum Iudaeis »; a *Iudaeis;* Ioannis decimo octavo: « Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi »; a *Pilato;* Ioannis decimo nono: « Tunc tradidit eis Iesum, ut crucifigeretur ». — *Iudas* tradidit eum ex *cupiditate;* Matthaei vigesimo sexto [8]: « Quid mihi vultis dare, et ego eum vobis tradam ». *Iudaei* ex *malignitate et invidia;* Marci decimo quinto: « Sciebat autem, quod per invidiam tradidissent eum ». *Pilatus* ex *populari gratia* vel favore; Marci decimo quinto: « Pilatus autem, volens satisfacere populo dimisit illis Barabbam et tradidit illis Iesum flagellis caesum, ut crucifigerent eum ». — Ad quorum exemplum quidam hodie persequuntur Christum-veritatem ex *cupiditate*, ut simoniaci; quidam ex *malignitate et invidia*, sicut haeretici; quidam ex *populari gratia* vel favore, sicut praedicatores remissi [9].

Et propter tria.

Hoc imitantur Christiani.

Christi traditio proponitur ad quadruplicem fructum.

2. Nota, quod Christi traditio nobis proponitur in *speculum* contemplationis, in *remedium* liberationis, in *exemplum* imitationis et in *documentum* instructionis. — In *speculum contemplationis* nobis proponitur, ut ex eius contemplatione ad dilectionem accendamur. Ter enim fuit Christus traditus: primo a *Iuda*, et in illa traditione fuit *venditus;* secundo a *Iudaeis*, et in illa traditione fuit *condemnatus;* tertio a *Pilato*, et in illa traditione fuit *crucifixus*. Quomodo ergo se poterat pro nobis perfectius expendere, nisi ut *venderetur* pro nobis redimendis, *condemnaretur* pro nobis absolvendis, *crucifigeretur* pro nobis liberandis? Hoc enim totum factum est in sua traditione; quod considerans, beatus Paulus dicebat ad Galatas secundo [10]: « Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me ».

De primo tria.

3. Traditio Christi nobis fuit in *remedium liberationis*. Ter enim fuit Christus traditus: primo *hosti;* secundo *iudici;* tertio *tortori*. *Iudas* enim tradidit eum hostibus, id est Iudaeis; *hostes* iudici, id est Pilato; *Pilatus* tortoribus, id est militibus,

De secundo tria.

---

[1] Vers. 34. — Subinde pro *per exsecutionem mandatorum* B *per obedientiam mandatorum.*

[2] Vers. 44.

[3] Vers. 3. — Duo seqq. loci sunt III. Reg. 9, 4. seq. et Matth. 13, 43.

[4] Vers. 28. et 29. — Sequitur Matth. 5, 10.

[5] Ex integris cc. 18. et 19. auctor seriem passionis collegit, quin speciatim tractet de aliquo versu nisi de duobus infra pag. 618 seq.

[6] Vers. 19.

[7] Vers. 5. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 18, 35. et 19, 16.

[8] Vers. 15. — Sequuntur Marc. 15, 10. et 15.

[9] Du Cange, Glossarium etc.: *Remissus*, Angl. *remiss*, ignavus, imbellis, segnis, iners.

[10] Vers. 20.

Notandum. qui eum crucifixerunt. Hoc autem totum factum est, ut homo traditus liberaretur; qui primo tradebatur *hosti* in peccati commissione; secundo tradebatur *iudici* in morte; tertio tradebatur *tortoribus* in inferno. Ut ergo ab ista triplici traditione liberaretur homo, tradi voluit Deus homo, ne ultra plangeret illud quod dicitur in Psalmo [1]: « Traditus sum et non egrediebar; oculi mei languerunt prae inopia ».

De tertio tria. 4. Proponitur tertio traditio Christi in *exemplum imitationis,* sicut praedixerat Dominus, discipulos suos tradendos esse, Matthaei decimo [2]: « Tradent vos in conciliis et in synagogis suis et flagellabunt vos » etc. Ne ergo nimis durum videretur eis tradi in conciliis, praemisit Dominus exemplum suae traditionis. Fuit enim traditus ab *amico,* scilicet a Iuda; ab *inimico,* scilicet populo Iudaeorum; ab *extraneo,* scilicet a Pilato, qui non cognoscebat eum: ut, sive traderentur discipuli ab *amicis,* sive ab *inimicis,* vel ab *extraneis,* acciperent a Christo exem-

Alia distinctio. plum humilitatis. — Vel distingue aliter, quia Christus fuit traditus a *discipulo,* ab *adversario* et a *Pilato,* ut, sive tradatur Christianus ab inferiori, sive ab aequali, sive a superiori, inveniat in Christo exemplum sustinendi. Ideo exemplum Christi considerans Paulus, cum prophetaret Agabus, Actuum vigesimo primo [3] dicens: « Virum, cuius est zona haec, sic alligabunt Iudaei in Ierusalem et tradent in manus gentium »; respondit: « Ego non solum alligari, sed etiam mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu ».

De quarto tria. 5. Proponitur etiam nobis Christi traditio in *documentum instructionis,* ut caveamus, ne simus traditores veritatis sive ex *cupiditate* cum Iuda, sive ex *favore* cum Pilato sive ex *invidia* cum Iudaeis, quod explanatum est supra in prima parte collationis [4].

COLLATIO LXVIII. ET SECUNDA DE PASSIONE CHRISTI.

De Christi illusione triplici. 1. Circa Christi *illusionem* nota, quod ter fuit Christus illusus. Illusum enim fuit ei in *domo pontificis;*

Prima. Lucae vigesimo secundo [5]: « Viri, qui tenebant eum, illudebant ei caedentes, et velaverunt eum et percutiebant faciem eius et interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis est qui te percus-

Secunda. sit »? — Illusum fuit ei in *domo iudicis;* Matthaei vigesimo septimo: « Tunc milites, suscipientes Iesum in praetorio et exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius et arundinem in dextera eius, et genu flexo illudebant ei dicentes: Ave, rex

Tertia. Iudaeorum ». — Illusum etiam fuit Christo in *patibulo crucis;* unde Marci decimo quinto [6]: « Et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei »; « similiter et summi sacerdotes, illudentes ad alterutrum cum scribis, dicebant: Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere ».

Quadruplex fructus. 2. Attende igitur Christi illusionem, quia ter proponitur in *speculum* contemplationis, in *remedium* liberationis, in *exemplum* imitationis, in *documentum* instructionis. — Proponitur ergo primo in

De primo tria. *speculum contemplationis,* ut videndo contumeliam illusionis agnoscamus in sustinente magnitudinem caritatis. Attende ergo, quod tribus generibus hominum grave est sustinere. Graviter enim sustinet illudi *sapiens* a minus sciente; gravius sustinet *potens* a minus potente; gravissime sustinet *benefaciens* ab egeno eius beneficium recipiente. — Haec omnia facta Primum. sunt Christo in eius illusione. In *domo* enim *pontificis* illusum est *sapientiae* suae a stultis, quando velaverunt faciem eius et interrogabant [7]: « Prophetiza: quis est qui te percussit »? quasi nihil sciret, nisi quae oculis corporeis videret. — In *domo iu-* Secundum. *dicis* illusum est suae *potentiae* a servis, quando « plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius et illudebant ei dicentes: Ave, rex Iudaeorum »; quasi ridiculum esset, quod ipse rex esse deberet. — In *patibulo crucis* illusum fuit eius *misericor-* Tertium. *diae* ab ipsis miseris dicentibus [8]: « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere »; quasi ridiculum esset, quod ipse genus humanum redimeret. — Contemplare ergo, anima fidelis, gravitatem Applicatio. illusionis, et repende vicem dilectionis ei qui pro te factus est « opprobrium hominum et abiectio plebis »; de quo Threnorum tertio: « Dabit percutienti se maxillam et saturabitur opprobriis ».

De secundo tria. 3. Proponitur Christi illusio in *remedium liberationis.* Nota ergo, quod Christus voluit sibi illudi, ut parceretur homini ab illusione *peccati,* ab illu- Duplex finis. sione *poenali.* Peccatori enim illuditur primo a *seducente,* quando peccat; secundo illuditur ei, ut solet aliquando illudi homini damnando a *deducente* sive deprehendente, a *iudice* et *tortore.* Ut ergo ab huiusmodi illusionibus liberaretur homo damnandus, voluit loco hominis Christus sibi illudi, quando *deprehensus* fuit in domo pontificis, et quando *condemnatus* fuit in praetorio iudicis, et quando *occisus* fuit in patibulo crucis, ne accideret homini illa illusio, de qua dicitur Ecclesiastici vigesimo septimo [9]: « Facienti nequissimum consilium super ipsum devolvetur, et non agnoscet, unde adveniat illi. Illusio et improperium super bonum » etc.

De tertio duo. 4. Proponitur etiam Christi illusio in *exemplum imitationis.* Non enim solum illuditur damnando, sed

---

[1] Psalm. 87, 9. 10.
[2] Vers. 17.
[3] Vers. 11. et 13.
[4] Num. 1.
[5] Vers. 63. seq. — Subinde allegatur Matth. 27, 27. seq.
[6] Vers. 29. et 31.
[7] Marc. 14, 65. — Sequitur Matth. 27, 29. — Subinde pro *illusum est suae potentiae* C *illusa est sua potentia.*
[8] Matth. 27, 42. — Duo seqq. loci sunt Ps. 21, 7. et Thren. 3, 30.
[9] Vers. 30. et 31.

aliquando innocenti illudit malitia illudentis; cuiusmodi illusionem Scriptura damnat Proverbiorum tertio [1]: « Illusores ipse deridet ». Et ideo Dominus sciens, illudendum fore suis, ut patienter sustineant, praemittit exemplum suae illusionis.

Triplex illusio.

5. Nota, quod Christo fuit illusum *signis, verbis* et *factis: signis*, ut quando ipsum adorabant et coronabant; *factis*, ut quando ipsum velabant et conspuebant; *verbis*, ut quando ipsum salutabant et blasphemabant [2]. Et haec omnia voluit Christus sibi fieri, ut, sive verbis, sive signis, sive factis illuderetur quis a suis, inveniret in Christo exemplum humilitatis.

De quarto duo.

6. Proponitur etiam Christi illusio in *documentum instructionis;* non enim illuditur solummodo *contumeliose*, sed etiam aliquando *seditiose;* et sicut vult Dominus, quod nos sustineamus contumeliosam illusionem, ita vult, quod praecaveamus seditiosam.

Diabolus illudit ad seducendum per tria.

— Nota ergo, quod diabolus illudit homini ad *seducendum*, secundum quod habetur Proverbiorum decimo quarto [3]: « Stulto illudit peccatum ». Illudit aliquando diabolus homini per concupiscentiam *honorum*, aliquando per concupiscentiam *divitiarum*, aliquando per concupiscentiam *voluptatum;* unde Psalmus: « Lumbi mei impleti sunt illusionibus ».

Figura harum in triplici Christi illusione.

7. Prima illusio notata est in Christi *coronatione;* secunda notata est in *veste purpurea*, quam ei circumdederunt; tertia notata est in *potu*, quem ei in cruce porrexerunt [4]. — Nota ergo, quod primo

Prima.

coronaverunt Christum, et statim, corona deposita, « percutiebant caput eius arundine [5] ». *Corona* ista significat *honorem* mundanum, qua quicumque coronatur, percutitur cor eius sollicitudine. — Simi-

Secunda.

liter in illusione *vestis* nota, quod primo ei vestem circumdederunt, et postmodum non solum eam quam ei circumdederunt, sed suam propriam abstulerunt [6]. Vestis ista significat mundanas *divitias*, quas postquam mundus alicui circumdederit, non solum eas aufert in fine, sed etiam vestem propriam, scilicet vestem virtutum ei deponit, ut exeat nudus de mundo non solum veste propriâ, sed etiam veste

Tertia.

mutuo accepta. — Circa *potus* oblationem nota, quod cum Dominus sitiret dulcedinem, obtulerunt ei fellis amaritudinem [7]; quod impletur spiritualiter in illusione, quae fit per carnalem *concupiscentiam*. Sitit enim homo carnalis dulcedinem voluptatis, et diabolus propinat ei amaritudinem mortis; unde Proverbiorum quinto dicitur de meretrice: « Novissima illius amara quasi absinthium ».

COLLATIO LXIX. ET TERTIA DE PASSIONE CHRISTI.

De Christi flagellatione triplici.

1. Circa Christi *flagellationem* nota, quod Christus fuit flagellatus in *capite;* unde, Matthaei vigesimo septimo [8], Marci decimo quinto, « percutiebant caput eius arundine ». Fuit etiam caesus in *facie;* unde Lucae vigesimo secundo: « Percutiebant faciem eius »; et Ioannis decimo octavo: « Unus ministrorum assistens dedit ei alapam ». Fuit etiam flagellatus in *toto corpore;* unde Matthaei vigesimo septimo et Marci decimo quinto: « Tradidit Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur ». — Nota igitur, quod tripliciter solet homo caedi sive flagellari. Aliquando caeditur homo ad *vituperandum*, sicut solet homo alium caedere de palma ad ignominiam. Aliquando caeditur sive flagellatur ad *eiiciendum*, sicut ostiarii solent intrare volentes flagellare sive caedere, ut ipsos eiiciant [9]. Aliquando flagellatur vel caeditur ad *puniendum*, sicut solent caedi malefactores.

Triplex finis flagellationis.

Fructus primus.

2. Et haec tibi proponuntur in *speculum contemplationis*, ut attendas, quantum debeas illi qui pro te sustinuit omne genus flagellorum. Fuit enim flagellatus in *facie*, quae est flagellatio vituperantium; fuit flagellatus in *capite*, quae est flagellatio *eiicientium;* fuit etiam flagellatus in *toto corpore*, quae est flagellatio *punientium*.

Secundus.

3. Haec etiam tibi proponuntur in *remedium liberationis*. Meruerас enim, o homo peccator, a summo iudice *confundi* in culparum discussione; *eiici* in sententiae promulgatione; *puniri* in sententiae exsecutione. Sed ecce, ab istis liberant te flagella Christi, qui pro te clamat in Psalmo [10]: « Ego in flagella paratus sum » etc. Flagellatur in *facie*, ne pro peccatis *confundaris;* flagellatur in *capite*, ne a regno *eiiciaris;* flagellatur in *toto corpore*, ne pro peccatis tuis in toto corpore *puniaris*.

Tertius.

4. Proponuntur tibi etiam flagella Christi in *exemplum imitationis*, ut, sive confundaris, sive eiiciaris, sive torquearis, accipias a Christo, qui primus haec sustinuit, exemplum [11] humilitatis.

COLLATIO LXX. ET QUARTA DE PASSIONE CHRISTI.

De crucifixione Christi.

1. Circa Christi *crucifixionem* nota, quod in Christo crucifixo nobis proponitur exemplum *poenae sustinendae — concupiscentiae refrenandae* — et *culpae vitandae*. — Habes enim in Crucifixo exemplum *poenae sustinendae*. Solet enim aliquando timeri poena propter eius *acerbitatem*, aliquando propter

Exemplum triplex.

De primo quatuor.

---

[1] Vers. 34. — Superius pro *damnando* B C *damnato*.

[2] De his tribus cfr. Marc. 15, 17. et 19; Marc. 15, 19. et Luc. 22, 64; Marc. 15, 18. et 29.

[3] Vers. 9: *Stultus illudet* etc. — Subinde allegatur Ps. 37, 8.

[4] Cfr. Matth. 27, 29; Ioan. 19, 2. et 29.

[5] Marc. 15, 19. et Matth. 27, 30.

[6] Cfr. Matth. 27, 28. seqq. et Marc. 15, 17. seqq.

[7] Cfr. Matth. 27, 48. et Ps. 68, 22. — Inferius allegatur Prov. 5, 4.

[8] Vers. 30. et Marc. 15, 19. — Sequuntur Luc. 22, 64. et Ioan. 18, 22; Matth. 27, 26. et Marc. 15, 15.

[9] Cod. B *reiiciant*.

[10] Psalm. 37, 18.

[11] Ita codd. B C, A praefigit *in*.

eius *multiplicitatem*, aliquando propter eius *vilitatem*, aliquando propter eius *diuturnitatem*. — Sed ecce, Christus occisus est morte *amarissima*, ne formides *acerbitatem* poenae. Poena enim Christi fuit in nervorum extensione, in quibus maxime viget fortitudo, et ideo afflictio acerbissima; unde Threnorum primo [1]: « O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus »! — Item occisus est poena *universalissima*, ne timeas *multiplicitatem* poenae. Afflictus enim fuit in qualibet corporis parte, et ideo clamat in Psalmo [2] ad Patrem: « Omnes fluctus tuos induxisti super me ». — Occisus etiam fuit morte *turpissima*, ne refugias *vilitatem* poenae. Mors enim crucis erat mors latronum, et ideo de morte eius dicitur Sapientiae secundo: « Morte turpissima condemnemus eum ». — Fuit etiam occisus morte *diutissima*, ne horreas *diuturnitatem* poenae; unde in Psalmo: « Fui flagellatus tota die » etc. — Habes ergo in Crucifixo exemplum poenae sustinendae.

Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

2. Habes etiam in Christo exemplum *concupiscentiae refrenandae*. Laxatur enim aliquando concupiscentia ad *voluptates*, aliquando ad *divitias*, aliquando ad *honores*. — Sed ut refrenes concupiscentiam *honorum*, tibi proponitur Christus in cruce *abiectus*, scilicet inter latrones crucifixus; unde Matthaei vigesimo septimo [3]: « Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris et alius a sinistris ». — Ut refrenes concupiscentiam *divitiarum*, proponitur tibi Christus in cruce *nudatus;* unde Ioannis decimo nono legitur, quod « crucifixores acceperunt vestimenta eius et fecerunt quatuor partes » etc. — Ut refrenes concupiscentiam *voluptatum*, tibi proponitur Christus in exemplum in cruce *afflictus* tanta afflictione, quod non est dolor sicut dolor eius, sicut dicitur Threnorum primo. — Sic ergo habes in Crucifixo exemplum poenae sustinendae, habes exemplum concupiscentiae refrenandae.

De secundo tria. Primum. Secundum. Tertium.

3. Habes nihilominus in eo exemplum *culpae vitandae*. Nota ergo contra *superbiam* capitis inclinationem; Ioannis decimo nono [4]. « Inclinato capite, emisit spiritum »; ecce, exemplum *humilitatis*. — Contra *iram*, pro inimicis orationem; Lucae vigesimo tertio: « Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt »; ecce exemplum *benignitatis*. — Contra *invidiam*, lateris apertionem; Ioannis decimo nono: « Unus militum lancea latus eius aperuit ». Voluit enim Christus, latus suum aperiri, ut ostenderet, quod paratus erat cor suum dare fidelibus suis; ecce, exemplum *caritatis*. — Contra *avaritiam*, manuum perforationem. Solet enim dici de homine largo, quod habet manus perforatas; Psalmus [5]: « Foderunt manus meas et pedes » etc.; ecce, exemplum *largitatis*. — Contra *accidiam*, devotam spiritus oblationem; Lucae vigesimo tertio: « In manus tuas commendo » etc.; ecce, exemplum *devotionis*. — Contra *gulam*, fellis potationem; Ioannis decimo nono: « Illi autem plenam aceto spongiam, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori suo. Cum autem gustasset, noluit bibere »; ecce, exemplum *ieiunii*. — Contra *luxuriam*, sanguinis effusionem; ecce, exemplum *mortificationis carnis*.

Tertium contra peccata septem capitalia.

Annotatio 69.

(Cap. 19, 29.). *Illi autem plenam aceto spongiam obtulerunt ori eius.*

Nota, quod Christus fuit afflictus in quadruplici sensu: in *auditu*, audiendo blasphemias Iudaeorum; in *visu*, sustinendo velationem oculorum; in *tactu*, quando fuit clavis confixus et flagellatus; in *gustu*, quando fuit aceto potatus. — Hoc totum factum est, ut exsolveret delictum primi hominis, qui fuerat primus in sensu quadruplici male delectatus [6]. Primo enim peccavit secundum *auditum*, quando audivit suggestionem sibi beatitudinem promittentem. — Secundo peccavit secundum *visum*, quando aspexit fructum « pulcrum visu et ad vescendum suavem ». — Tertio peccavit secundum *tactum*, quando fructum collegit. — Quarto secundum *gustum*, quando fructum comedit. — Cuius delictum exsolvens Christus fuit blasphematus, oculis velatus, clavis confixus et felle potatus, et ideo, *cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est* [7].

Christus afflictus in 4 sensibus.

Collatio LXXI.

(Vers. 41.). *Erat autem in loco, ubi crucifixus est* etc.

1. Hic agit de *sepultura* Christi. Circa quam tria sunt notanda. Christus enim mortuus fuit *conditus* unguento — *involutus* sudario — *reconditus* in sepulcro; quae tria tanguntur in littera ista, Ioannis decimo nono [8], ubi dicitur, quod « ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire ». — Per haec tria instruit nos Christus, quod homo spiritualis, qui vult « complantari similitudini mortis eius », secundum quod tangitur ad Romanos

De sepultura Christi tria.

Expositio spiritualis.

---

[1] Vers. 12. — Superius pro *occisus* A *mortuus*, quod etiam inferius in secundo membro occurrit.

[2] Psalm. 87, 8. — Sequuntur Sap. 2, 20. et Ps. 72, 14. — Inferius pro *diutissima* [cfr. Forcellini, Lexicon etc.], *ne horreas* C *diuturnissima, ne timeas.*

[3] Vers. 38. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 19, 23. et Thren. 1, 12.

[4] Vers. 30. — Subinde allegantur Luc. 23, 34. et Ioan. 19, 34. — Cod. C haec quae sequuntur usque ad *Annotationem* seq., omittit legitque *Quaere alibi et invenies.*

[5] Psalm. 21, 17. seq. — Duo seqq. loci sunt Luc. 23, 46. et Ioan. 19, 29.

[6] Cfr. Gen. 3, 5. et 6.

[7] Ioan. 19, 30.

[8] Vers. 40. — Superius pro *sunt notanda* C *tanguntur consideranda.*

sexto [1], debet *condiri* unctione Spiritus sancti, debet *involvi* quasi in sudario habitu regulari; debet *recondi* quasi in sepulcro in monumento claustri., ut habeat, videlicet homo spiritualis, *claustrum* pro monumento, *habitum* pro sudario, Spiritus sancti *gratiam* pro unguento.

Duplex unguentum.

2. Et nota, quod Christus fuit *conditus duplici unguento*, unguento scilicet *nardi pistici, pretiosi* a Maria, secundum quod habetur Ioannis duodecimo [2]; de quo unguento dicitur Matthaei vigesimo sexto, quia « mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit »; et unguento *myrrhae et aloes* a Nicodemo; Ioannis decimo nono: « Venit Nicodemus, ferens mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum ». — Per unguentum *myrrhae* intellige mortificationem carnis, per unguentum *nardi* devotionem mentis; quod est duplex unguehtum, quo condiri debet homo spiritualis. Solent enim infirmi ungi ad sanitatem [3] et sponsae ad decorem; et homo spiritualis debet ungi *mortificatione carnis* ad sanitatem, *devotione mentis* ad decorem.

Expositio spiritualis.

Fuit involutus duobus.

3. Nota iterum, quod Christus fuit *involutus* duobus. Fuit enim involutus *sindone;* Marci decimo quinto [4]: « Ioseph autem mercatus sindonem, deponens Iesum involvit in sindone »; et *linteis;* unde Ioannis decimo nono: « Ligaverunt eum linteis cum aromatibus ». — Per *sindonem* intellige munditiam conversationis, per *linteos aromatizantes* exempla bonae operationis, quae sunt duo, quibus decorari et indui debet homo spiritualis, ut habeat vestis eius *speciositatem* in conversatione, *pretiositatem* in bona operatione.

Expositio spiritualis.

De loco duo.

4. Nota tertio, quod in loco, ubi reconditus fuit Iesus, duo notat Evangelista, *hortum* videlicet et *monumentum*. De *horto* dicitur hic [5]: « Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus ». De *monumento* statim subiungitur: *Et in horto monumentum.* — Per *hortum* intellige fertilitatem bonorum operum; per *monumentum*, quod dicitur quasi *monens mentem*, intellige studium Scripturarum; in quo instruimur, quod homo spiritualis debet sibi requirere habitaculum in loco, ubi inveniat *hortum* bonorum operum et *monumentum* Scripturarum, ut possit aliquando exire ad *hortum actionis*, aliquando sedere ad *monumentum contemplationis.*

Expositio spiritualis.

Capitulum XX. *Una autem Sabbati.*

Annotatio 70.

(Vers. 2.). *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus, ubi posuerunt eum.*

Triplex Christi positio.

1. Nota triplicem Christi *positionem*. Fuit enim positus in *praesepio;* Lucae secundo [6]: « Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio ». — Fuit positus in *patibulo crucis;* Threnorum tertio: « Tetendit arcum suum et posuit me quasi signum ad sagittam ». — Positus etiam fuit in *monumento;* Ioannis decimo nono: « Ibi ergo, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum ».

Applicatio.

In praesepio docet duo.

2. Nota, quod Dominus in *praesepio* dat formam *innocentibus;* in *patibulo* dat formam *proficientibus;* in *monumento* dat formam *contemplantibus.* — In *praesepio* positus informat *innocentes* ad duo: ad relinquendam mundanam *possessionem* et mundanam *ambitionem.* Primum notat Evangelista [7], cum dicit: « Invenietis infantem pannis involutum »; secundum, cum dicit: « Positum in praesepio ». Primum enim est *paupertatis;* secundum, *humilitatis.* — In *patibulo* positus informat *proficientes* ad duo: ad *praecepta implenda* et *adversa sustinenda;* quae duo tanguntur ad Philippenses secundo [8], cum dicitur: « Factus obediens Patri usque ad mortem »; ecce, *impletio praecepti;* « mortem autem crucis »; ecce, *sustinentia supplicii.* —

Item, in patibulo.

Item, in monumento.

In *monumento* positus informat *contemplantes* ad duo: ad *quaerendam quietem spiritualem* et ad *fugiendam iactantiam mundanam.* Primum, quia iacuit in sepulcro *quietus;* secundum, quia fuit in sepulcro *absconditus;* quae duo tanguntur Matthaei vigesimo septimo [9], ubi dicitur, quod « accepto corpore, Ioseph posuit illud in monumento suo novo »; ecce, primum; « et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti »; ecce, secundum.

Collatio LXXII.

(Vers. 9.). *Oportebat eum a mortuis resurgere.*

Resurrectionis ratio prima.

1. Nota, quod multiplex fuit causa, quare oportuit, Christum a mortuis resurgere. Primo, ut *Scri-*

---

[1] Vers. 5: Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius.

[2] Vers. 3. — Sequuntur Matth. 26, 12. et Ioan. 19, 39.

[3] Cod. A addit *corporis.*

[4] Vers. 46. — Subinde allegatur Ioan. 19, 40.

[5] Ioan. 19, 41, ubi etiam seq. locus. — Isidor., XV. Etymolog. c. 11. n. 1: *Monumentum* ideo nuncupatur, eo quod *mentem moneat* ad defuncti memoriam. Cum enim non videris monumentum, illud est quod scriptum est [Ps. 30, 13.]: *Excidit tanquam mortuus a corde.* Cum autem videris, monet mentem et ad memoriam te reducit, ut mortuum recorderis. Monumenta itaque et memoriae pro mentis admonitione dictae.

[6] Vers. 12. — Duo seqq. loci sunt Thren. 3, 12. et Ioan. 19, 42.

[7] Luc. 2, 12, ubi etiam seq. locus.

[8] Vers. 8.

[9] Vers. 59. et 60. — Superius pro *iactantiam mundanam* A *curam temporalem*, qui etiam subinde pro *iacuit in sepulcro quietus* substituit *iacuit quieturus.*

pturas adimpleret; unde hic dicitur [1]: « Nesciebant Scripturam, quia oportebat, eum a mortuis resurgere »; et Actuum secundo: « Quem Deus suscitavit a mortuis, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri eum ab illo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum coram me semper etc.; quoniam non derelinques animam meam in inferno nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem ». — Secunda. Secundo, ut *captivos liberaret.* Ipso enim resurgente, resurrexerunt qui captivi tenebantur in limbo; primae ad Corinthios decimo quinto [2]: « Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium »; unde Ecclesia:

Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.

Tertio, ut *discipulos confortaret.* Sicut enim Tertia. tristes fuerunt ex eius passione, ita gavisi sunt resurrectione ex eius visione; Ioannis vigesimo [3]: « Gavisi sunt discipuli, viso Domino ». — Quarto, ut Quarta. *fidem confirmaret;* unde primae ad Corinthios decimo quinto: « Si Christus non surrexit, inanis est nostra praedicatio et fides nostra »; et iterum: « Si autem Christus praedicatur, quia surrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quod resurrectio Quinta. mortuorum non est »? — Quintum est, ut *mores informaret.*

2. Et nota, quod *informat* nos resurrectio Chri- De quinto notantur quinque. sti ad *desertionem peccatorum,* ad *profectum meritorum,* ad *tolerantiam adversorum,* ad *contemptum* Primum. *mundanorum* et ad *desiderium aeternorum.* — Informat ergo nos resurrectio Christi ad *desertionem peccatorum.* Sicut ergo Christus mortalem vitam deseruit, quando resurrexit; unde ad Romanos sexto [4]: « Christus, resurgens ex mortuis, iam non moritur » etc. — et sequitur — « ita et vos existimate, vos quidem mortuos esse peccato, viventes autem Deo »; et iterum: « Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tan- Secundum. quam ex mortuis viventes » etc. — Item ad *profectum meritorum.* Nam et Christus in resurrectione novitatem vitae assumsit; unde ad Romanos sexto [5]: « Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus ». — Tertium. Item ad *tolerantiam adversorum.* Videntes enim, quod est post mortem vivere, non debemus mortem pro Christo refugere; et ideo, sicut habetur ad Hebraeos undecimo, « distenti sunt » Sancti « non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem »; ad Romanos sexto: « Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus ». — Item ad *contemptum mundanorum* et Quartum et quintum. ad *desiderium aeternorum,* quemadmodum Christus in sua resurrectione mundum deseruit et ad Patrem ascendit. De his duobus ad Colossenses tertio [6]: « Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens » etc.; et iterum: « Quae sursum sunt sapite, non quae super terram ».

COLLATIO LXXIII.

(Vers. 17.). *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.*

1. Nota, quod quadruplicem ascensum Christi Quadruplex ascensio Christi. legimus in Scriptura, scilicet ascensum Christi in *carnem,* ascensum Christi in *crucem,* ascensum Christi *ab inferis* et ascensum Christi *ad Patrem.* — De ascensu Christi in *carnem,* Isaiae decimo Prima. nono [7]: « Ecce, ascendet Dominus super nubem levem et ingredietur Aegyptum ». — De ascensu Chri- Secunda. sti in *crucem,* Isaiae quinquagesimo tertio: « Ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti ». — De ascensu Christi *ab inferis,* in Tertia. Psalmo: « Iter facite ei qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi ». — De ascensu Christi *ad Pa-* Quarta. *trem,* hic: *Ascendo ad Patrem meum* etc.

2. Et nota [8], quod ascensus iste ultimus, qui De quarta notantur quatuor. inter alios est principalis, *nobilissimus* fuit quantum ad primatum, *potentissimus* quantum ad modum, *iucundissimus* quantum ad pompam, *altissi-* *mus* quantum ad terminum. — *Nobilissimus* fuit Primum. quantum ad *primatum.* Nullus enim ascendit in caelum primo et per se nisi Christus. Nam quotquot praeter ipsum ascendunt, *per* ipsum et *post* ipsum; et ideo Ioannis tertio [9]: « Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo ». — Fuit *potentissimus* quantum ad *modum.* Secundum. Non enim ascendit translatus, ut Henoch, vel subvectus, ut Elias, sed propria virtute elevatus; unde comparatur eius ascensio volatui; Psalmus [10]: « Ascendit super Cherubim et volavit ». — *Iucundissimus* Tertium. quantum ad *pompam;* unde in Psalmo: « Ascendit Deus in iubilo et Dominus in voce tubae ». — Fuit Quartum.

---

[1] Vers. 9. — Sequitur Act. 2, 24. 25. et 27, ubi allegatur Ps. 15, 8. seq.

[2] Vers. 20. — Versus, qui sequuntur, sumti sunt ex Hymno: *Aurora lucis rutilat,* quem Fr. Ios. Mone (Hymni latini medii aevi, Friburgi Brisgoviae 1853 tom. I. pag. 190, hymnus 141: *Ad matutinos paschae*) refert, cuius tertia stropha haec habet verba:

Ille qui clausus lapide
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.

[3] Vers. 20. — Sequuntur I. Cor. 15, 14. (ubi pro *fides nostra* Vulgata *fides vestra*) et 12.

[4] Vers. 9. 11. et 13.

[5] Vers. 4. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 11, 35. et Rom. 6, 5.

[6] Vers. 1. et 2.

[7] Vers. 1. — Duo seqq. loci sunt Isai. 53, 2. et Ps. 67, 5.

[8] Cod. C *Et iuxta quadruplicem Domini ascensum nota.*

[9] Vers. 13.

[10] Psalm. 17, 11. De Henoch cfr. Gen. 5, 24, et de Elia vide IV. Reg. 2, 11. — Tres seqq. loci sunt Ps. 46, 6; 67, 34. et Eph. 4, 10.

etiam *altissimus* quantum ad *terminum;* Psalmus: « Psallite Domino, qui ascendit super caelum caeli ad orientem »; et ad Ephesios quarto: « Ipse est, qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia ».

Quadruplex harum fructus.

3. *Ascendo,* inquit, *ad Patrem meum.* Iuxta quadruplicem Domini ascensionem nota quadruplicem generis humani *fructum.* Nota, quod aliquis solet ascendere ante alium, ut *viam ostendat,* ut *iter expediat,* ut *manum extendat* ad trahendum alium post se, ut *hospitium accipiat.* Per hunc modum

Primus.

ascendit Christus ante genus humanum. — In *incarnatione* ascendit ante nos, ut *viam vitae ostenderet;* Michaeae secundo[1]: « Ascendam ante eos, pandens iter ». Hoc figuratum est Exodi decimo tertio, ubi legitur, quod « ascenderunt filii Israel de terra Aegypti; Dominus autem praecedebat eos per diem in columna nubis et per noctem in columna ignis, ut esset dux itineris eorum in utroque tempore ». Per *columnam nubis* intellige in Christo exemplum *vitae;* per *columnam ignis* intellige in Christo exemplum vel eloquium *doctrinae;* quae duo portavit Christus ante nos quasi ceroferarius noster ad illuminandum nobis in sua *conversatione.*

Secundus.

3. In *passione* ascendit Christus ante nos, ut *iter* nobis *expediret.* Obstabat enim volentibus adire regnum impedimentum *poenae* et impedimentum *pugnae.* Sed Christus, ascendens in crucem, et poenam tulit et pugnam vicit, ita quod quilibet post ipsum ascendere possit. Quod figuratum est primi Regum decimo quarto[2], ubi legitur, quod « ascendit Ionathas contra stationem Philisthinorum, manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum »; et sequitur, quod cum vidissent faciem Ionathae, « alii cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat, sequens eum ». Item figuratum est primi Machabaeorum quinto, dicente Timotheo de Iuda Machabaeo: « Cum appropinquaverit Iudas et exercitus eius ad torrentem aquae, si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum, quia potens poterit adversus nos. Si vero timuerit transire et posuerit castra citra flumen, transfretemus ad eos et poterimus adversus illum »; et sequitur, quod « Iudas transfretavit ad illos prior et omnis populus post eum, et contritae sunt omnes gentes a facie eorum ». *Transitus torrentis* est sustinentia poenae, *contritio gentium* victoria pugnae; quae duo fecit Christus in sua passione; et sic expedivit nobis iter vitae.

Tertius.

4. In *resurrectione* ascendit ante nos, ut ad erigendum nos nobis *manum extenderet.* Omnes enim recludebamur in fossato mortis, quousque Christus, ascendens de morte, iacentibus extendit manum suam et extraxit eos ab inferis. Et pingi solet Christus egrediens ab inferis manu retro extensa ad trahendum post se alios. Ne timeas ergo, homo, submergi in profundo mortis, quia tibi tendit manum qui ascendit ab inferis; Deuteronomii trigesimo tertio[3]: « Ascensor caeli auxiliator tuus ». Ipse enim est, qui extendit manum Petro ad erigendum de mari, cum coepisset mergi, Matthaei decimo quarto.

Quartus.

5. In *ascensione* ascendit ante nos ad *hospitium praeparandum;* Ioannis decimo quarto[4]: « Vado vobis parare locum, et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum »; et ad Ephesios quarto: « Ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia ». Tunc autem adimplebuntur omnia, quando recipiet suos in aeterna tabernacula, « iudicabit nationes et implebit ruinas ». — Sic ergo Christus ascendit in *incarnatione* ad iter ostendendum, in *passione* ad iter expediendum, in *resurrectione* ad manum extendendum, in *ascensione* ad hospitium praeparandum.

COLLATIO LXXIV.

(Vers. 19.) *Stetit etiam Iesus in medio discipulorum suorum et dixit eis: Pax vobis.*

Notantur duo.

1. Congruit hic duo de Christo notare, scilicet *statum* — et *verbum. Status* eius dat nobis *formam virtutis, verbum* vero *formam pacis.* Stetit enim *in medio;* unde dicitur: *Stetit Iesus in medio discipulorum suorum;* et protulit *verbum pacis;* unde sequitur: *Pax vobis.*

Stetit, inquit, *in medio.*

Require supra de statu Iesu in medio, capitulo primo[5].

Triplex pax.

2. *Et dixit eis: Pax vobis.* Nota, quod triplex pax distinguitur in Scriptura, scilicet pax *mundana,* pax *interna,* pax *aeterna;* sive pax *temporis,* pax *pectoris* et pax *aeternitatis;* vel aliter: pax *peccatorum,* pax *iustorum* et pax *Beatorum.* — De pace

Prima.

peccatorum, in Psalmo[6]: « Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns ». — De pace *iustorum,*

Secunda.

Psalmus: « Pax multa diligentibus legem tuam »; et Isaiae quadragesimo octavo: « Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua ». — De pace *Beatorum,* Sapientiae tertio: « Iustorum

Tertia.

animae » etc.; et sequitur: « Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace ».

Prima est ignominiosa.

3. Pax *peccatorum contemnenda est,* quia *ignominiosa;* quod figuratum est, primi Regum undecimo[7], in responsione Naas Ammonitae ad filios Israel: « In hoc, inquit, feriam vobiscum foedus, ut omnium

---

[1] Vers. 13: *Ascendet ante* etc. — Sequitur Exod. 13, 18. et 21.

[2] Vers. 13. — Subinde allegatur I. Machab. 5, 40-43, ubi pro *citra flumen* Vulgata *extra flumen.*

[3] Vers. 26. — Sequitur Matth. 14, 30. — Superius pro *tibi tendit* B *tibi extendit.*

[4] Vers. 2. et 3. — Duo seqq. loci sunt Eph. 4, 10. et Ps. 109, 6: *Iudicabit in nationibus, implebit* etc.

[5] Collat. IV.

[6] Psalm. 72, 3. — Sequuntur Ps. 118, 165; Isai. 48, 18; Sap. 3, 1. et 2. seq.

[7] Vers. 2.

vestrum oculos dexteros eruam ponamque vos opprobrium in universo Israel ». *Oculus dexter*, meditatio supernorum, quem amittunt qui pacem peccatorum ineunt. Exemplum de medico, qui loco oculi humani commutavit oculum caprae. — Item, quia
Falsa. *falsa* sive seditiosa; unde Matthaei vigesimo sexto [1]: « Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum »; et secundi Regum vigesimo legitur de Ioab, quod ex una parte « tenebat mentum Amasae, quasi osculans eum », et ex alia parte infigebat ei gladium. —
Instabilis. Item, quia *instabilis* et momentanea; primae ad Thessalonicenses quinto [2]: « Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, et dolor sicut parturientis, et non effugient ».

4. Pax *iustorum quaerenda* est, quae debet
Secunda quaerenda est: ad Deum. esse triplex. Debet enim homo habere pacem ad *Deum;* Proverbiorum duodecimo [3]: « Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium ». Haec est pax, quam annuntiavit Angelus, Lucae secundo: « In terra
Ad proximum. pax hominibus bonae voluntatis ». — Debet etiam habere pacem ad *proximum;* ad Ephesios quarto: « Solliciti, servare unitatem spiritus in vinculo pa-
Ad se ipsum. cis ». — Debet etiam habere pacem ad *se ipsum;* de qua ad Romanos octavo: « Prudentia carnis mors est, prudentia vero spiritus vita et pax ».

Tertia desideranda ob tria. 5. Pax *Beatorum desideranda*, quia non patitur *incursum tentationis;* unde in Psalmo [4]: « Con-
Primum. fortavit Dominus seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem » etc.; Isaiae trigesimo secundo: « Sedebit populus meus in pulcritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, in requie
Secundum. opulenta ». — Non patitur *pressuram tribulationis;* Ioannis decimo sexto [5]: « In mundo pressuram habebitis », in me autem pacem; et in Psalmo: « In pace in id ipsum dormiam et requiescam ». — Non
Tertium. patitur *periculum occasus;* Isaiae trigesimo secundo: « Erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in sempiternum ».

Annotatio 71.

(Vers. 13.). *Illa existimans, quod hortulanus esset* etc.

Nota, quod Dominus post resurrectionem in triplici specie se ostendit: in specie *hortulani;* unde hic: *Illa existimans, quod hortulanus esset* etc. In specie *peregrini;* unde Lucae ultimo [6]: « Tu solus peregrinus es in Ierusalem »? In specie *crucifixi;* unde in eodem: « Videte manus meas et pedes meos, quia ego sum ». — Nota igitur, quod specialiter in specie *hortulani* se ostendit *incipientibus,* in quibus plantat germina virtutum; in specie *peregrini proficientibus,* quos deducit per viam mandatorum; in specie *crucifixi perfectis,* quos accendit ad imitationem passionis.
Apparet Christus triplici specie.

Annotatio 72.

(Vers. 19.). *Stetit Iesus in medio eorum.*

Nota, quod amor solet formari aliquando ex *visu,* aliquando ex *auditu,* aliquando ex *tactu,* aliquando ex *convictu.* Diligimus enim illum, in quo bonum vidimus, vel a quo bonum audivimus, vel in quo bonum experti sumus, vel cui bene convixi-
Amor formatur ex quatuor. mus. — His omnibus modis reformat Salvator caritatem discipulorum in die resurrectionis, quae laesa fuerat in tempore passionis. Dedit enim se discipulis cognoscibilem ex *visu;* unde hic dicitur: *Stetit in medio eorum;* et paulo post [7]: « Ostendit eis manus et latus ». — Ex *auditu,* quando salutavit eos; unde hic dicitur: « Pax vobis ». — Ex *tactu,* cum vocavit eos ad palpandum; Lucae ultimo: « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere ». — Ex *convictu,* quando quaesivit aliquid ad comedendum; unde Lucae ultimo: « Habetis hic aliquid, quod manducetur »?
Applicatur ad Christum.

(Vers. 25.). *Vidimus Dominum.* Require exemplum in fine [8]

Capitulum XXI. *Postea manifestavit se iterum.*

Annotatio 73.

(Vers. 1.). *Postea manifestavit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis.*

1. Nota, quod Christus post resurrectionem suam
Christus apparuit in quinque locis. legitur apparuisse in quinque locis: in *via,* in *mari,* in *domo,* in *horto* et in *monte.* — In *via* apparuit, Lucae ultimo [9], discipulis euntibus in Emmaus. — In *mari* apparuit discipulis laborantibus; unde hic: *Postea manifestavit se* etc. — In *domo* apparuit discipulis congregatis in unum, Lucae ultimo [10], Ioannis vigesimo. — In *horto* apparuit Mariae Magdalenae, Ioannis vigesimo. — In *monte* apparuit undecim, qui abierunt in Galilaeam, Matthaei ultimo.

2. Nota autem, quod spiritualiter *apparet* Do-
Expositio spiritualis. minus, id est, beneficia sua ostendit quinque generi-

---

[1] Vers. 48. — Sequitur II. Reg. 20, 9. seq.

[2] Vers. 3.

[3] Vers. 20. — Subinde allegantur Luc. 2, 14; Eph. 4, 3. et Rom. 8, 6.

[4] Psalm. 147, 13. et 14. — Sequitur Isai. 32, 17.

[5] Vers. 33. — Duo seqq. loci sunt Ps. 4, 9. et Isai. 32, 17. — Inferius post *occasus* B addit *sive defectus, quod idem est.*

[6] Vers. 18. et 39.

[7] Vers. 20; ibid. v. 19. est seq. locus. — Subinde allegatur Luc. 24, 39. et 41.

[8] Collat. LXXIX.

[9] Vers. 13. seqq.

[10] Vers. 36. et Ioan. 20, 19. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 20, 14. seqq. et Matth. 28, 16. seq.

bus hominum: *obedientibus, patientibus, studentibus, contemplantibus* et *praesidentibus;* ut dicamus, quod *obedientibus* apparet in via obedientiae, *patientibus* in mari poenitentiae, *studentibus* in domo sapientiae, *contemplantibus* in horto, *praesidentibus* in monte.

COLLATIO LXXV.

(Vers. 14.). *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum surrexisset a mortuis.*

Christus decies apparuit.

1. Nota de apparitionibus Domini post resurrectionem; et nota, quod decies legitur Dominus apparuisse: primo, Mariae Magdalenae, Ioannis vigesimo [1]. — Secundo, mulieribus revertentibus de monumento, quae « accesserunt et tenuerunt pedes eius », Matthaei ultimo. — Tertio, Petro, Lucae ultimo: « Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni ». — Quarto, discipulis euntibus in Emmaus, Lucae ultimo. — Quinto, discipulis congregatis in domo; Ioannis vigesimo [2]; et haec facta sunt ipso die Paschae. — Sexto, discipulis et Thomae, Ioannis vigesimo. — Septimo, discipulis piscantibus ad mare Tiberiadis, Ioannis vigesimo primo. — Octavo, discipulis undecim in monte Thabor, Matthaei ultimo. — Nono, discipulis congregatis in coenaculo in die ascensionis, Marci ultimo [3]. — Decimo, eadem die in monte Oliveti, quando, « videntibus illis, elevatus est », Lucae ultimo et Actuum primo.

Spiritualiter apparet tribus generibus hominum.

2. Ita *spiritualiter* nota, quod Domini *apparitio* est beneficiorum suorum exhibitio; et Domini *abscondsio*, beneficiorum suorum subtractio. Nota ergo, quod tribus generibus hominum apparet, quia tribus generibus hominum beneficia sua exhibet, scilicet *activis, contemplativis* et *praelatis*. Ista tria genera hominum significantur per ista tria nomina; *Daniel, Noe* et *Iob*, Ezechielis decimo quarto [4]; et per *Petrum, Iacobum* et *Ioannem*, Matthaei decimo septimo; et per *Mariam, Martham* et *Lazarum*, Ioannis undecimo.

Activis apparet tripliciter.

3. Apparet igitur activis, et hoc in triplici differentia, videlicet *revertentibus* per poenitentiam, *proficientibus* per obedientiam, *ascendentibus* per vitae excellentiam. — Apparet igitur *revertentibus* Primo. per opera poenitentiae; et hoc figuratum est, Ioannis vigesimo [5], in apparitione, qua apparuit Thomae. Thomas enim, egressus a discipulis, non vidit Dominum; « Thomas, inquit, qui dicitur Dydimus, non erat cum eis, quando venit Iesus ». Reversus vero ad discipulos, vidit et tetigit eum; Ioannis vigesimo: « Infer digitum tuum huc » etc. — Apparet *proficientibus* per opera obedientiae; et hoc figuratum est, quando apparuit discipulis euntibus in Emmaus, Lucae ultimo [6], ubi legitur, quod « ipse Iesus appropinquans ibat cum illis » in Emmaus. *Emmaus* interpretatur desiderium consilii; *discipuli euntes in Emmaus* sunt fideles de mandatis ad consilia proficientes. — Apparet etiam *ascendentibus* per opera excellentiae, et hoc figuratum est, quando apparuit undecim discipulis in monte Thabor, Matthaei ultimo [7]: « Undecim, inquit, discipuli abierunt in Galilaeam in monte, ubi constituerat illis Iesus, et videntes eum adoraverunt ». Per *montem* intellige excellentiam vitae. — Apparet ergo Dominus *activis revertentibus* per opera poenitentiae, *proficientibus* per opera obedientiae, *ascendentibus* per opera excellentiae.

Secundo. Tertio.

Item, contemplativis.

4. Apparet etiam Dominus *contemplativis*, et hoc in triplici differentia, scilicet *sedentibus* in meditatione, *plorantibus* in oratione, *fruentibus* in contemplatione. — Apparet ergo Dominus *sedentibus* Primo. *in meditatione*, vel etiam in *sancta collatione;* et hoc figuratum est, quando apparuit discipulis *congregatis in unum;* Lucae ultimo [8]: « Cum haec, inquit, loquerentur, Iesus stetit in medio eorum et dixit eis: Pax vobis »; et de hoc etiam Ioannis vigesimo. — Apparet etiam *plorantibus in oratione;* quod Secundo. figuratum est, quando apparuit Mariae ploranti, Ioannis vigesimo: « Conversa, inquit, retrorsum, vidit Iesum stantem et nesciebat, quod Iesus esset; et dixit ei Iesus: Mulier, quid ploras » etc. — Apparet Tertio. etiam *fruentibus in contemplatione;* quod figuratum est, quando apparuit undecim discipulis congregatis in coenaculo; Marci ultimo [9]: « Novissime, inquit, recumbentibus undecim discipulis, apparuit eis Iesus ». Per *coenaculum discipulorum*, quod erat Ierosolymis, intellige refectorium contemplationis. In isto coenaculo legitur Dominus comedisse cum illis; Actuum primo: « Convescens praecepit eis, ab Ierosolymis ne discenderent » etc. — Sic ergo apparet Dominus *contemplantibus,* sedentibus in meditatione vel in sancta collatione, plorantibus in oratione et fruentibus in contemplatione.

Praelatis, quadruplicifer.

5. Apparet etiam *praelatis*, et hoc in quadruplici differentia. Praelatorum enim est *accedere* ad Deum et *reverti* ad populum. Praelati *accedunt* ad Deum duabus de causis: ad *consulendum* et ad *offerendum*. — Praelatis ergo *consulentibus* apparet Primo.

---

[1] Vers. 14. seqq. — Subinde allegantur Matth. 28, 9; Luc. 24, 34. et 15. seqq. — In C desunt haec et seqq. collatt.

[2] Vers. 19. — Sequuntur Ioan. 20, 26. seqq.; 21, 1. seqq. et Matth. 28, 16.

[3] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Luc. 24, 50. seq. et Act. 1, 9: *Et... videntibus illis* etc.

[4] Vers. 20. — Subinde allegantur Matth. 17, 1. et Ioan. 11, 1. seq.

[5] Vers. 26; ibid. v. 27. est seq. locus.

[6] Vers. 15. — In Comment. in Luc. 24, 13. Emmaus exponitur *mater festinans;* utraque interpretatio datur a Card. Hugone ibid..

[7] Vers. 16. et 17.

[8] Vers. 36. — Duo seqq. loci sunt Ioan. 20, 26. et 14. seq. — Pro *fruentibus*, quod pluries hic occurrit, A *ferventibus*.

[9] Vers. 14. — Sequitur Act. 1, 4.

Dominus; et hoc figuratum est, quando apparuit Petro; Lucae vigesimo quarto [1]: « Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni »; et dicit Magister in Historiis: « quando Petrus cucurrit ad monumentum ». Petrus enim, audita Domini resurrectione, noluit narrationi mulierum omnino acquiescere, sed accessit ad monumentum, volens ipsam veritatem consulere. Et apparuit Dominus Petro visitanti monumentum, significans, quod apparet *consulentibus ipsum*. Praelatis *consulentibus* igitur apparet Dominus. — Apparet etiam praelatis *offerentibus;* quod figuratum est, quando apparuit mulieribus, Matthaei ultimo [2]. Legimus enim ibi, quomodo « emerant aromata, ut venientes ungerent Iesum »; ecce, *oblatio;* et quomodo exeuntibus de monumento « ocurrit Iesus dicens: Avete. Illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius »; et sequitur, qualiter Dominus iniunxit eis, ut nuntiarent discipulis gloriam resurrectionis; quod est totum mysterium, in quo significatur, quod Dominus apparet *offerentibus* et in secreto contemplationis praebet eis se ipsum, et ibidem eos instruit, quid revertentes dicant ad populum. — Sic ergo apparet Dominus dupliciter praelatis *accedentibus* ad ipsum.

Secundo.

6. Apparet etiam dupliciter praelatis *revertentibus* ad populum. Reverti enim debet praelatus ad populum, ut *praedicet verbo* et ut *deducat exemplo*. — Apparet ergo Dominus *praedicantibus;* quod figuratum est Ioannis ultimo [3], quando apparuit Dominus piscantibus Apostolis ad mare Tiberiadis. *Apostolorum piscatio* est praelatorum praedicatio. — Apparet etiam *deducentibus* gregem bono exemplo; et hoc figuratum est Lucae ultimo et Actuum primo, quando apparuit discipulis exeuntibus in montem Oliveti; quae fuit ultima apparitio Christi post resurrectionem. Tunc enim, « videntibus illis, in caelum elevatus est ».

Tertio.

Quarto.

COLLATIO LXXVI.

(Vers. 17.). *Petre, amas me?*

1. In verbis istis *exigit* Dominus a Petro *spiritualem* dilectionem, cum dicit: *Petre, amas me?* Nec solum exigit spiritualem, sed loquens per discretionem, amorem *non spiritualem interdicit; Amas,* inquit, *me?* quasi dicat: *me* et non aliud *a me,* vel aliud *contra me.* — Nota igitur, quod est amor *Christi,* et hic est *laudabilis;* et est amor *mundi,* et hic *culpabilis.*

Divisio.

Duplex amor.

2. De amore *mundi* Sapientiae decimo quinto [4]: « Malorum amatores digni sunt morte ». Et notandum est, quod iste amor est triplex. Est enim amor *carnalitatis;* secundae ad Timotheum tertio [5]: « Erunt homines se ipsos amantes »; et post paululum: « Voluptatum amatores magis quam Dei ». — Est etiam amor *cupiditatis,* de quo Ecclesiastici decimo: « Nihil iniquius quam amare pecuniam. Hic enim animam suam habet venalem ». — Est etiam amor *ambitionis,* de quo Matthaei vigesimo tertio: « Amant primos accubitus in coenis et primas cathedras in synagogis ».

Amor mundi est triplex.

Primus.

Secundus.

Tertius.

3. Iste amor *reiiciendus* est propter multas rationes: primo, quia *criminosus;* Sapientiae decimo quinto [6]: « Malorum amatores » etc. Nec mirum; inducit enim anima peccatrix fornicationem, sponso videnti; unde Ezechielis vigesimo tertio: « Fornicata est Oolla super me et insanivit in amatores suos ». — Secundo, quia *laboriosus;* Osee secundo: « Dixit: Vadam post amatores meos »; et additur: Ideo « sequetur amatores suos et non apprehendet eos ». — Tertio, quia *sumtuosus;* Ezechielis decimo sexto [7]. « Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedem amatoribus tuis et donabas eis, ut intrarent ad te ad fornicandum »; Proverbiorum vigesimo primo: « Qui amat vinum et pinguia non ditabitur ». — Quarto, quia *infructuosus;* Ecclesiastici quinto: « Qui amat divitias fructum non capiet ex eis », quod est verum de omni amore inordinato; ad Romanos sexto: « Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis »? Osee secundo: « Quaeret amatores suos et non inveniet ». — Quinto, quia *instabilis;* cito enim deficit; Ieremiae trigesimo [8]: « Omnes amatores tui obliti sunt tui, non te quaerent »; et Ieremiae quarto: « Frustra componeris, contempserunt te amatores tui, animam tuam quaerent ». — Sexto, quia *seditiosus.* Convertitur enim ad inimicitias; quod figuratum est secundi Regum decimo tertio, ubi loquitur, quod postquam Amon corruperat Thamar, sororem suam, « odivit eam odio magno nimis, ita quod maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo eam ante dilexerat ». — Propter haec omnia relinquendus est amor mundi.

Est reiiciendus, quia criminosus.

Quia laboriosus.

Quia sumtuosus.

Quia infructuosus.

Quia instabilis.

Quia seditiosus.

---

[1] Vers. 34. — Petr. Comestor, Histor. scholastica, in Evangelia, c. 190: *Et visa sunt ante eos sicut deliramentum verba haec. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum,* ut Lucas [24, 11. et 12.] dicit. Et tunc verisimile est, quod Dominus apparuit ei in via, etsi non legatur in Evangelio. De quo dicitur (cfr. Luc. 24, 34.): *Apparuit et Petro.* Quinquies prima die resurrectionis apparuit. Cfr. supra n. 1.

[2] Vers. 9. seq., ubi habentur verba inferius posita: *occurrit Iesus* etc.; quae vero praecedunt *emerunt aromata* etc., sumta sunt ex Marc. 16, 1.

[3] Vers. 1. seqq. — Sequuntur Luc. 24, 50. seq. et Act. 1, 9.

[4] Vers. 6, pro *morte* (cfr. Rom. 1, 32.) Vulgata alia ponit verba.

[5] Vers. 2. et 4. — Duo seqq. loci sunt Eccli. 10, 10. et Matth. 23, 6.

[6] Vers. 6. — Subinde allegantur Ezech. 23, 5; Osee 2, 5. et 7.

[7] Vers. 33, ubi verbo *donabas* Vulgata praefigit *dona.* — Sequuntur Prov. 21, 17; Eccle. 5, 9; deinde Rom. 6, 21. et Osee 2, 7.

[8] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Ier. 4, 30. et II. Reg. 13, 15.

Amor Christi amplectendus.

4. *Amplectendus* est *amor Christi*, ad exemplum eius quae dixit [1]: « Regnum mundi et omnem amorem saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi », scilicet amorem, quem exigit Dominus dicens: *Petre, amas me?* — Nota, quod amplectendus est amor bonus, quia *facilis* est ad acquirendum, *delectabilis* ad habendum, *securus* ad possidendum.

Quia facilis ad acquirendum.

5. *Facilis* est *ad acquirendum*. Ipse enim omnes diligit, qui eum volunt diligere; Proverbiorum octavo [2]: « Ego diligentes me diligo »; et Ioannis decimo sexto, amantibus se, ne parum videatur illis promittere amorem suum, promittit non solum *suum* amorem, sed etiam *paternum*, dicens: « Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis »; et Ieremiae tertio: « Tu autem fornicata es cum amatoribus tuis, et tamen revertere ad me, et ego suscipiam te ». Ecce, quia facilis est ad acquirendum. — Est etiam *delectabilis ad habendum;* Sapientiae octavo [3]; « In amicitia illius delectatio bona ». Vere *bona*, quia casta, non polluta; unde beata Agnes: « Ipsum amo, quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum ». Est ergo *delectatio* munda nec non et delectabilis *amicitia;* Proverbiorum quinto: « Cerva gratissima et gratissimus filius; ubera eius inebrient te omni tempore, et in amore eius delectare iugiter ». Ecce, quia delectabilis ad habendum.

Quia delectabilis.

Quia securus.

— Est nihilominus *securus ad possidendum;* Ieremiae trigesimo primo [4]: « In caritate perpetua dilexi te »; primae ad Corinthios decimo tertio: « Caritas nunquam excidit ». Et nota, quod ideo *securus* est ad possidendum, quia amator spiritualis intra se habet amatum; unde Augustinus [5]: « *Intus* in me est quod amo, ubi *lucet* quod non capit locus, ubi *sonat* quod non rapit tempus, ubi *fragrat* quod non spargit flatus, ubi *sapit* quod nulla minuit edacitas, ubi *haeret* quod nulla avellit anxietas ». Ecce, amoris inseparabilitas.

Habeat 3 qualitates. Prima.

6. Notandum autem, quod amor iste debet esse in *affectione* praecipuus, in *cohabitatione* assiduus, in *opere* officiosus. — Requirit enim *intensionem affectionum;* ideo dicitur Matthaei decimo [6]: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus »; et Iudicum decimo sexto dicitur tepide amantibus: « Quomodo tu dicis, quia amas me, cum animus tuus non sit mecum »? — Requirit etiam

Secunda.

assiduitatem cohabitationis, secundum illud Deuteronomii trigesimo tertio: « Beniamin, amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo; tota die quasi in thalamo commorabitur ». — Requirit etiam *officiositatem operis;* unde Gregorius [7]: « Amor Dei nunquam est otiosus; operatur enim magna, si est; quodsi operari renuit, amor non est »; unde Deuteronomii undecimo: « Ama Dominum Deum tuum et observa praecepta eius » etc.; et Ioannis ultimo Petro confitenti amorem statim iniungitur officium: « Pasce oves meas »; et dicit Beda: « Haec est sola et vera probatio integri in Deum amoris, si erga fratres studueris curam solliciti exercere laboris ».

Tertia.

Annotatio 74.

(Vers. 3.). *Ascenderunt in navem.*

Navis religionis ad tria.

Nota, quod *navis* est religio. Haec est enim navis utilis ad *transfretandum;* Matthaei nono [8]: « Ascendens Iesus in naviculam transfretavit et venit in civitatem suam ». — Ad *negotiandum;* Proverbiorum ultimo: « Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum ». — Ad *piscandum;* unde hic de discipulis volentibus piscari dicitur: *Exierunt et ascenderunt in navem.* — Religiosi igitur *transfretant* laborando, *negotiantur* orando, *piscantur* praedicando, ad quae omnia valet religio.

Annotatio 75.

(Vers. 6.). *Mittite in dexteram navigii rete.*

Piscatores faciunt quatuor.

Nota, quod quatuor hic dicuntur de piscatoribus: primo, quod *rete expandunt;* secundo, quod *pisces comprehendunt;* tertio, quod *pisces trahunt;* quarto, quod *extrahunt;* quae omnia patent in littera. — Piscatores ergo spirituales *rete expandunt* praedicando; *pisces comprehendunt* peccatores convertendo; *pisces trahunt* per bona exempla promovendo; *extrahunt* autem ad caelestia regna perducendo.

Annotatio 76.

(Vers. 7.). *Succinxit se et misit se in mare.*

Mare transitur tripliciter.

Nota, quod mare aliquando transitur *natando,* ut hic dicitur de Petro; aliquando *navigando,* ut hic [9] dicitur de aliis: *Alii autem navigio venerunt;* aliquando *calcando,* ut Matthaei decimo quarto di-

---

[1] Cfr. supra pag. 614, nota 6.

[2] Vers. 17. — Sequuntur Ioan. 16, 27. et Ier. 3, 1. — Subinde verbo *promittit* B praefigit *promittendo.*

[3] Vers. 18. — Sententia Agnetis exhibetur in Epist. 1. (in appendice operum S. Ambrosii) n. 3, post quam sequitur Prov. 5, 19: *Cerva carissima et* etc.

[4] Vers. 3. et I. Cor. 13, 8.

[5] Libr. X. Confess. c. 6. n. 8: Quid autem amo, cum te amo? Non speciem corporis nec decus temporis... Non haec amo, cum amo Deum meum, et tamen amo quandam lucem... cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget animae meae quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi haeret quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo.

[6] Vers. 37. — Duo seqq. loci sunt Iudic. 16, 15. et Deut. 33, 12. — Superius pro *affectionum* A *affectuosam.*

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 2. — Subinde allegantur Deut. 11, 1. et Ioan. 21, 17. De verbis Bedae cfr. supra pag. 525, nota 9.

[8] Vers. 1, deinde Prov. 31, 14.

[9] Vers. 8; sequitur Matth. 14, 29.

Applicatio. citur de Petro. — Nota, quod mare *natando* transeunt qui in mundi sollicitudinibus se immergunt; et isti submergendi periculo se exponunt. — Mare vero *transnavigant* qui *caute* mundanis occupationibus se exercent. — Mare vero *calcant* qui *omnino* a mundi sollicitudinibus se abstrahunt et mundana ad solam sustentationem habent. Isti ultimi a mari *portantur*, sed nec laborant nec immerguntur; priores vero *portantur* et *laborant*, sed non immerguntur. Primi vero et *portantur* et *laborant* et *immerguntur*.

Annotatio 77.

(Vers. 16.). *Pasce agnos meos.*

Nota, quod quidam pascunt *agnos*, quidam *lupos*, quidam *se ipsos*. — Agnos pascunt *boni* praelati; de quibus Isaiae quadragesimo [1]: « Sicut pastor gregem suum pascet » etc. — Lupos pascunt *mercenarii;* Ioannis decimo: « Mercenarius videt lupum venientem et dimittit oves et fugit » etc. — Se ipsos pascunt *fures*, quibus dicitur Ezechielis trigesimo quarto: « Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos » etc. — Ecce ergo, in grege Domini quidam sunt *fures*, qui pascunt semetipsos; quidam *mercenarii*, qui pascunt *lupos;* quidam *pastores veri*, qui pascunt agnos.

De tribus, qui pascunt et pascuntur.

Annotatio 78.

(Vers. 22.). *Sic eum volo manere, donec veniam.*

Nota, quod potestativum est *velle* Domini Iesu. Nam *velle* eius *mundat* leprosum; Matthaei octavo [2]: « Tetigit eum dicens: Volo, mundare ». — *Servat* discipulum; Ioannis ultimo: *Sic eum volo manere.* — *Glorificat* ministrum; Ioannis decimo septimo: « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus ». — Est ergo voluntas Christi, quae *mundat culpam* leprae, *servat vitam* gratiae, *tribuit vitam* gloriae.

Voluntatis Christi 3 effectus.

Collatio LXXVII.

(Cap. 4, 13.). *Omnis, qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum,* Ioannis quarto [3].

1. In hac parte agitur de multiplici genere aquae.

Divisio. Notandum, quod multae sunt aquarum differentiae. Est enim aqua *culpae* — et est aqua *poenae* — et aqua *fortunae* — et aqua *gratiae* — et etiam aqua *gloriae*. Huiusmodi aquarum aliae sunt *fugiendae*, aliae *transeundae*, aliae sunt *appetendae*. — Aquae ergo, quas *fugimus*, sunt aquae *culpae* et aquae *poenae;* inter quas primo videndum est de aquis *culpae*.

2. Est autem multiplex aqua *culpae*. Est enim aqua *superbiae;* Apocalypsis decimo septimo [4]: « Veni, et ostendam tibi damnationem meretricis magnae, quae sedet super aquas multas » etc.; loquitur de mundana vanitate. — Aqua *avaritiae*, de qua recte potest dici hic: *Qui bibit ex hac aqua sitiet iterum.*

Primo, de fugiendis. Aqua culpae triplex. Prima. Secunda.

Quo plus potatae plus sitiuntur aquae.

Est aqua *luxuriae;* Genesis quadragesimo nono [5]: « Ruben effusus es sicut aqua; non crescas, quia ascendisti cubile patris tui et maculasti stratum eius ».

Tertia.

3. Aquae istae *abominabiles* sunt, quia *turbidae;* obscurant enim rationem; unde dicitur Ieremiae secundo [6]: « Quid ibi vis in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam ». — Item, quia *immundae;* inquinant enim affectionem; Levitici undecimo: « Omnis cibus, quem comederis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit ». — Quia *steriles;* exinaniunt enim virtutem; Numerorum quinto: « Potum det mulieri aquas amarissimas »; et sequitur: « Pertransibunt eam aquae maledictionis, et inflato ventre, computrescet femur ».

Abominandae, quia turbidae. Quia immundae. Quia steriles.

4. Aquas istas sequitur aqua *poenae*. Et sunt aquae poenae *horribiles*, quia *obscurae* ad videndum, *amarae* ad potandum, *intemperatae* ad sentiendum. — Sunt igitur *obscurae* ad videndum; unde Exodi decimo quinto [7]: « Abyssi operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis »; et iterum: « Congregatae sunt abyssi in medio maris ». — *Amarae* quantum ad poenam vermis; Exodi decimo quinto: « Reduxit super eos Dominus aquas maris ». — *Intemperatae* quantum ad poenam sensus; Iob vigesimo quarto: « Ab aquis nivium transeat ad calorem nimium ». — Istae ergo sunt aquae, quas fugimus. Fugimus enim aquas *culpae*, ne incidamus in aquas *poenae*.

Aquae poenae horribiles, quia obscurae. Amarae. Intemperatae.

5. Sequitur de aquis, quas *transimus*, scilicet de aquis *fortunae;* et quia fortuna duplex est: *prospera* et *adversa;* ideo notandum, quod sunt aquae *prosperitatis* et *adversitatis*. Aqua *prosperitatis* multiplex: aqua *deliciarum;* Proverbiorum nono [8]:

Secundo, aquae transeundae. Aqua fortunae duplex. Prima est triplex.

---

[1] Vers. 11. — Subinde allegantur Ioan. 10, 12. et Ezech. 34, 2.

[2] Vers. 3. — Sequitur Ioan. 17, 24: *Volo* etc., et 12, 26: *Illic* etc.; verbotenus est in Officio unius Martyris.

[3] Hucusque auctor collationum secutus est ordinem Evangelii Ioannis; ab hac collatione incipit nova series, quae ex aliquibus capitulis quaedam in prioribus collationibus omissa tractat. Vel ipse auctor omissa postea adiunxit, vel librarius ob incuriam antea neglecta in fine posuit.

[4] Vers. 1. — Subinde allegatur Ovid., I. Fastorum v. 216, pro qua A *Qui plus bibit mundanae cupiditatis, plus sitiet*, e in quo pro *potatae* B *epotae:*

Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.

[5] Vers. 3. et 4.

[6] Vers. 18. — Sequuntur Lev. 11, 34; Num. 5, 26. et 27.

[7] Vers. 5. et 8. — Subinde allegantur Exod. 15, 19. et Iob 24, 19.

[8] Vers. 17. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 12, 15. et Ps. 92, 3. seq.

« Aquae furtivae dulciores sunt, et panis absconditus suavior ». — Aqua *divitiarum;* Apocalypsis duodecimo: « Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam magnam tanquam flumen, ut faceret eam trahi a flumine ». — Aqua *honorum;* Psalmus: « Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt fluctus suos a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris » etc.

Harum transitus periculosus, quia velociter decurrentes.

6. Istarum aquarum transitus *periculosus* est. Sunt enim aquae istae *velociter decurrentes;* Psalmus [1]: « Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens ».

Deorsum trahentes.

— *Deorsum trahentes;* Apocalypsis duodecimo: « Misit serpens post mulierem aquam magnam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine ». Hae enim aquae omnia secum trahunt, secundum illud Ovidii:

> Unda vehit tigres nec vires fulminis apro,
> Crura nec ablato prosunt velocia cervo.

Submergentes.

Sunt etiam *submergentes;* Exodi decimo quinto [2]: « Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus ».

Aquae adversitatis sunt amarae.

7. Sequitur de aquis *adversitatis,* quarum etsi timeatur transitus, non tamen est ita periculosus. Timemus enim eas, quia *amarae* sunt, et ideo difficiles ad potandum; Exodi decimo quinto [3]: « Non poterant bibere aquas Marath, quia amarae erant ».

Profundae.

— Item, quia *profundae* sunt, et ideo periculosae ad natandum; ideo rogat David: « Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum ».

Validae.

— Item, quia *validae* sunt, et ideo difficiles ad sustinendum; et ideo David: « Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam ». — Ideo timemus aquas istas, ne amaritudine *affligamur,* valitudine *subvertamur,* profunditate *submergamur.*

In his Deus confortat tripliciter.

8. Sed in his omnibus *confortat* nos divinum auxilium, quod praestat nobis istorum remedium.

Primo.

Dominus enim *amaritudinem dulcorat;* Exodi decimo quinto [4]: « Ostendit Moysi lignum; quod cum misisset in aquas, in dulcorem versae sunt ».

Secundo.

— *Profunditatem exsiccat;* Iob duodecimo: « Si continuerit aquas, omnia siccabuntur »; Isaiae undecimo: « Percutiam fluvium in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati »; Psalmus: « Abierunt

Tertio.

in sicco flumina ». — *Valitudinem retardat;* Iosue tertio [5]: « Ingressis filiis Israel Iordanem, steterunt aquae, descendentes in loco uno » etc.; et supra dictum fuerat Iosue: « Iordanis aquae inferiores decurrent atque deficient, quae autem desuper veniunt in una mole consistent »; Psalmus; « In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt ».

Tertio, quae appetendae.

9. Hae ergo sunt aquae, quas transimus; sunt aliae aquae, quas *appetimus,* quae sunt aquae *gratiae* et aquae *gloriae.* Inter quas primo videndum est de aquis *gratiae,* quae multiplices sunt, scilicet aquae *remissionis* sive iustificationis; Ezechielis quadragesimo septimo [6] dicitur de aquis, quae « descendebant in latus templi dexterum ». — Aquae *instructionis;* Ecclesiastici decimo quinto: « Aqua sapientiae salutaris potavit illum ». — Aquae *consolationis spiritualis,* quas deplorabat David dicens: « Anima mea sicut terra sine aqua tibi »; Proverbiorum vigesimo quinto: « Aqua frigida animae sitienti nuntius bonus, veniens de terra longinqua ».

Aqua gratiae triplex.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quaerendae sunt, quia emundant.

10. Istae aquae *quaerendae* sunt, quia *emundant;* Ezechielis trigesimo sexto [7]: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ». — Quia *reficiunt;* Numerorum vigesimo: « Aperi, Domine, thesaurum tuum, fontem aquae vivae, ut satiati, cesset murmuratio eorum ».

Reficiunt.

— Quia *enutriunt* et *fecundant;* unde in Psalmo [8]: « Tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo »; Iob decimo quarto: « Ad odorem aquae germinabit ».

Enutriunt et fecundant.

Aqua gloriae desiderabilis, quia delectat.

11. Aquas istas sequitur *aqua gloriae.* Aqua ista *desiderabilis* est, maxime propter tria. Haec est enim aqua *delectans, satians* et *vivificans.* Habet ergo aqua ista *delectationem;* delectat enim *aspectum;* Apocalypsis vigesimo secundo [9]: « Ostendit mihi fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum ». Delectat etiam *gustum;* etc. Psalmus: « De torrente voluptatis tuae potabis eos ».

Satiat.

— Item, habet *satietatem;* Ioannis quarto [10]: « Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum »; et Apocalypsis septimo: « Non esurient neque sitient amplius » etc.

Vivificat.

— Item, habet *vivacitatem,* ut nunquam possit deficere; Apocalypsis vigesimo primo: « Ego sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis »; et iterum: « Qui vicerit, possidebit haec, et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius ».

COLLATIO LXXVIII.

(Cap. 3, 5.). *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non poterit intrare in regnum caelorum,* Ioannis tertio.

---

[1] Psalm. 57, 8. — Sequuntur Apoc. 12, 15. et Ovid., l. Metamorph. v. 305. seq.

[2] Vers. 10.

[3] Vers. 23. — Duo seqq. loci sunt Ps. 68, 16. et 2.

[4] Vers. 25. — Sequuntur Iob 12, 15; Isai. 11, 15. et Ps. 104, 41.

[5] Vers. 15. seq.; postea allegatur v. 13. et sequitur Ps. 31, 6. — Secundum Du Cange, Glossarium mediae et infimae Latinitatis, *Valitudo,* accipitur vel pro violentia vel pro robore, virtute etc. *Retardare* sumitur pro impedire etc.

[6] Vers. 1. — Tres seqq. loci sunt Eccli. 15, 3; Ps. 142, 6. et Prov. 25, 25.

[7] Vers. 25. — Sequitur Num. 20, 6.

[8] Psalm. 1, 3, post quem allegatur Iob 14, 9.

[9] Vers. 1. — Sequitur Ps. 35, 9.

[10] Vers. 13. — Subinde allegantur Apoc. 7, 16; 21, 6. et 7.

1. De introitu regni caelestis nota, quod porta regni est *humilis*, et ideo non intrat per eam *elatus; angusta* est, et ideo non intrat per eam *inflatus; sancta* est, et ideo non intrat per eam *pollutus*. — Ideo non intrant *elati honoribus;* Matthaei decimo octavo [1]: « Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum ». — Non *dilatati possessionibus;* Matthaei decimo nono: « Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum; et iterum dico vobis: Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum ». — Non *polluti voluptatibus;* Apocalypsis vigesimo primo [2]: « Non intrabit in eam aliquid coinquinatum et abominationem faciens ».

Porta regni est humilis, angusta et sancta.

Excludit elatos.

Dilatatos.

Pollutos.

2. Nota, quod Dominus intravit *inclinatus, spoliatus, mortificatus:* « Nonne oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam [3] »? Sed isti « non cognoverunt vias meas, quibus iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam ».

De Domino intrante tria.

3. Nota autem, quod introitum in regnum caelorum concedit rex *servis* suis, *amicis* suis, et *sociis* suis. *Servi* sunt activi, qui Deo impendunt *obsequium actionis; amici,* contemplativi, qui Deo reddunt *obsequium devotionis* vel dilectionis; *socii* et commilitones, qui cum illo incedunt per *arcta passionis.* — Intrant ergo *servi;* Matthaei vigesimo quinto [4]: « Euge, serve bone et fidelis » etc.; sequitur: « Intra in gaudium Domini tui ». — *Amici;* Matthaei vigesimo quinto, de virginibus, « quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias ». — *Socii* regis sunt, de quibus Apocalypsis vigesimo secundo [5]: « Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem »; Ioannis tertio: « Nisi quis renatus fuerit » etc.; et Matthaei decimo nono: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata ».

Introitus conceditur tribus.

Servis.

Amicis.

Sociis.

COLLATIO LXXIX.

(Cap. 20, 25.). *Vidimus Dominum,* Ioannis vigesimo.

1. Nota triplicem visionem Salvatoris, qui recte dicitur *salutare Dei:* unam, quam recolimus de *praeterito,* qua visus fuit *corporaliter* in carne; aliam, quam quaerimus in *praesenti,* qua videtur *spiritualiter* in mente; tertiam, quam exspectamus in *futuro,* qua videbitur *feliciter* in aeterna beatitudine.

Triplex visio Salvatoris.

2. De prima Baruch tertio [6]: « Post haec in terris visus est et cum hominibus conversatus est ». — De secunda in Psalmo: « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus; exaltabor in gentibus et exaltabor in terra ». *Vacate* ab occupationibus carnis, *et videte* oculis mentis; Isaiae sexagesimo secundo: « Videbunt gentes iustum tuum », dicitur ad Sion; « et cuncti reges inclytum tuum ». — De tertia, Ioannis decimo septimo [7]: « Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi ». — Prima visio *praeteriit,* secunda *stat,* tertia *futura est.* Propter quod accipiamus secundam, quae sola in praesenti haberi potest, quae quidem visio spiritualis Salvatoris omnibus est salutaris.

Prima.

Secunda.

Tertia.

3. *Vidimus Dominum.* Visio *spiritualis* Salvatoris ideo est omnibus salvandis salutaris, quia *terret* peccatores [8], *sanat* poenitentes, *confortat* pugnantes, *deducit* proficientes, *laetificat* contemplantes, *consolatur* exspectantes. Quod sumitur secundum sex status, videlicet *culpae, poenitentiae, pugnae, iustitiae, sapientiae* et *perseverantiae. Terrentur* peccantes videndo *iudicantem; sanantur* poenitentes videndo *patientem; confortantur* pugnantes videndo *triumphantem; deducuntur* proficientes videndo *conversantem; laetificantur* contemplantes videndo *regnantem; consolati sunt* exspectantes videndo ipsum *revertentem* et suos in hac miseria visitantem. Nec videntur [9] in eo plura consideranda nisi vel *conversatio,* vel *passio,* vel *tribulatio,* vel *triumphus,* vel *regnum,* vel *iudicium,* vel *reversio* ad suos in hac vita.

Secundae visionis sex effectus.

4. Spiritualis ergo visio Salvatoris *terret* peccantes, ut *resipiscant.* Per timorem enim Domini declinat omnis a malo; et hoc ideo, quia ostendit eis iudicem suum omnia *videntem,* omnia *disquirentem,* omnia *punientem;* quae tria maxime deberent terrere peccatorem, scilicet si consideraret supra se iudicem suum, qui omnia videt, omnia disquirit, omnia puniet. — Utinam ergo viderent peccatores spiritualiter, ne visuri sint aliquando corporaliter iudicem omnia *scientem!* de quo Iob trigesimo septimo [10]: « Magnus est fortitudine et iustitia et iudicio »; *fortitudine* potestatis, *iustitia* aequitatis et *iudicio* veritatis; et sequitur: « Ideo timebunt viri, et non audebunt eum contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes » scilicet qui sapientes sunt, « ut a Domino abscondant consilium », ut dicit Isaias vigesimo nono.

Terret peccantes triplici-ter.

Primo.

5. Item, utinam viderent iudicem *omnia disquirentem!* cuius visionem terribilem describens, Malachias propheta dicit Malachiae tertio [11]: « Quis poterit cogitare diem adventus eius, aut quis stabit ad

Secundo

---

[1] Vers. 3. — Inferius sequitur Matth. 19, 23. et 24.

[2] Vers. 27, post quem in codd. subiungitur: C' est la porte de rochemador.

[3] Luc. 24, 26. — Subinde allegatur Ps. 94, 11.

[4] Vers. 21; cfr. v. 23; ibid. v. 10. est seq. locus.

[5] Vers. 14. — Sequuntur Ioan. 3, 5. et Matth. 19, 17.

[6] Vers. 38. — Subinde allegantur Ps. 45, 11. et Isai. 62, 2.

[7] Vers. 24.

[8] Cod. C *peccantes.*

[9] Cod. B *vident.*

[10] Vers. 23. et 24. — Sequitur Isai. 29, 15.

[11] Vers. 2. Cfr. Hieron., in hunc locum.

videndum eum »? Est namque terribilis ad *cogitandum*, sed terribilior ad *videndum;* et subiungit *quare:* « Erit enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum »; *ignis conflans* nihil metalli relinquit, quod non liquefaciat; *herba fullonum*, id est cardo, nec pilum nec filum relinquit, quod non attingat.

Tertio. 6. Item, utinam viderent iudicem omnia *punientem!* ad cuius visionem invitat eos ipse idem Ieremiae septimo [1]: « Ite, inquit, ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio; et videte, quid fecerim ibi propter malitiam populi mei Israel ». *Silo*, avulsa vel translata, *ubi habitavit nomen Domini a principio*, est caelestis patria, ubi habitavit a principio qui « in excelsis habitat »; quae *avulsa* vel translata est quantum ad partem peccantium angelorum. *Ite* ergo *et videte, quid fecerim ibi* etc., quia, « si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos » etc., secundae Petri secundo [2]; et Ieremiae septimo: « Nunc autem, quia fecistis omnia haec, dicit Dominus » etc.; et sequitur: « Ecce, furor meus et indignatio mea conflatur super locum istum, super homines et super iumenta, super ligna regionis et super fruges terrae et succendetur et non exstinguetur ».

Epilogus. 7. Sic igitur visio iudicis omnia *videntis* et scientis, omnia *disquirentis*, omnia *punientis* peccatores terret; quam videns Iob ait quadragesimo secundo [3]: « Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te; idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere »; *audivi* per inspirationem, *vidi* per considerationem; ideo *me reprehendo* interius in mente et *poenitentiam ago* exterius in opere. Et Isaiae sexto [4], visa gloria Domini sedentis « super solium excelsum et elevatum », exclamavit dicens et arguens se: « Vae mihi, quia tacui! quia vir pollutus labiis ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et Dominum Deum exercituum vidi oculis meis »; *vae mihi, quia tacui*, quod est *omissionis; quia pollutus* etc., quod est *commissionis*.

Sanat poenitentes a triplici infirmitate. 8. Spiritualis iterum visio Salvatoris *sanat poenitentes*, ostendens eis Dominum *patientem*. Solet quidem ex triplici concupiscentia insurgere *triplex infirmitas:* ex concupiscentia deliciarum infirmitas *carnalitatis*, ex concupiscentia divitiarum, infirmitas *cupiditatis*, ex concupiscentia honorum infirmitas *ambitionis*.

Remedium triplex. 9. Sed ecce, *remedium* contra hanc est *visio Salvatoris*, ostendens eum *afflictum* contra primum, *egenum* contra secundum, *abiectum* contra tertium. — Videant ergo poenitentes *afflictum* Salvatorem, ut sanetur infirmitas *carnalitatis;* ad cuiusmodi visionem invitat nos ipsemet Threnorum primo [5]: « O vos omnes, qui transitis per viam! attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus »; quasi dicat: non ametis voluptatem carnis, « quia non est dolor sicut dolor meus ». — Videant iterum Salvatorem *egenum*, ut sanetur infirmitas *cupiditatis*. « Venit enim princeps huius mundi et in me non habet quidquam », Ioannis decimo quarto [6]. Ideo dicitur in Psalmo: « Videant pauperes et laetentur; quaerite Deum, et vivet anima vestra »; quasi dicat: non timeant egere, sed laetentur nihil habere, cum Dominus nihil habeat. Item, non quaerant divitias mortales, sed vitales, scilicet Dominum vitae; unde ait: « Quaerite Dominum, et vivet anima vestra ». — Videant iterum Salvatorem *abiectum*, ut sanetur infirmitas *ambitionis;* de qua visione Isaiae quinquagesimo tertio [7]: « Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum » etc.; quasi dicat: non ametis « primos accubitus in coenis et primas cathedras in synagogis », nec timeatis humiliari, quia « vidimus eum despectum et novissimum virorum ». « Non enim est servus maior Domino suo ».

De primo. De secundo. De tertio.

Epilogus et figura. 10. Sic ergo *visio patientis* sanat poenitentes, cum ipsum vident in cruce *afflictum, nudum* et *abiectum;* quod figuratum est Numerorum vigesimo primo [8], ubi, postquam immiserat Dominus in populum murmurantem « serpentes ignitos », misertus eorum iussit, erigi serpentem in ligno, « quem aspicientes sanabantur ». *Serpens*, sensualitas; *ignis*, concupiscentia; *igniti serpentes*, motus concupiscentiales, qui sunt in sensualitate; *serpens in ligno*, Christus in cruce, quem qui aspiciunt sanantur; unde Sapientiae decimo sexto [9]: « Qui enim conversus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te, omnium Salvatorem ».

Confortat pugnantes tripliciter. 11. Visio iterum spiritualis Salvatoris *confortat pugnantes*. Dat enim *audaciam* aggredientibus, dat *confidentiam* certantibus [10], dat *victoriam* perseveranter sustinentibus. Dominus enim *praecedit* aggredientes, *adiuvat* congredientes, *liberat* et victores facit perseverantes. — Videant ergo eum *accedentes ad pugnam* praecedentem, ut sint *audaces;* propter quod dicitur Hebraeorum duodecimo [11]: « Curramus per

Primo.

---

[1] Vers. 12. Secundum Hieron. (de Nominib. Hebraic. de lib. Iesu) *Selom* (Selim), avulsio, vel dimissio, sive ubi est ipse. — Subinde respicitur Isai. 33, 5: Magnificatus est Dominus, quoniam *habitavit in excelso*. — Inferius pro *caelestis patria* B *caelestis habitatio*.

[2] Vers. 4. — Sequitur Ier. 7, 13. et 20.

[3] Vers. 5. 6. [4] Vers. 1. et 5.

[5] Vers. 12. — Inferius pro *non ametis voluptatem carnis* C *non timeatis mortificationem carnis*.

[6] Vers. 30. — Sequitur Ps. 68, 33.

[7] Vers. 2. et 3. — Subinde allegantur Matth. 23, 6. et Ioan. 13, 16.

[8] Vers. 6. seqq.

[9] Vers. 7.

[10] Cod. A *audaciam accedentibus, aggredientibus constantiam*.

[11] Vers. 1. seq. — Duo seqq. loci sunt Ps. 67, 25. et Hebr. 9, 12.

patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum ». In ipsum aspexerunt Martyres, qui ipsum secuti sunt per tormenta; de quibus dicitur in Psalmo: « Viderunt ingressus tuos, Deus » etc.; *ingressus* quidem illius, qui « per sanguinem suum introivit semel in Sancta »; *viderunt*, inquam, et ideo post illum in-
Secundo. gressi sunt per tormenta. — Videant iterum Salvatorem *certantes* ad adiuvandum assistentem, ut sint *viriles* vel constantes; qualiter vidit eum beatus Stephanus in certamine positus, Actuum septimo [1]: « Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intuens in caelum, vidit gloriam Dei et Iesum stantem a dexteris virtutis Dei ». Vidit enim *caelos apertos* quasi hospitium sibi paratum ad hospitandum, et *Iesum stan-*
Tertio. *tem* quasi paratum ad adiuvandum. — Videant etiam *perseverantes* ipsum servantem et protegentem, ut sint *victores*. « Fidelis enim est Deus, qui non permittet, vos tentari ultra quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum », primae ad Corinthios decimo [2]; et dicit David: « Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear ».

12. Sic ergo spiritualis visio Salvatoris *confortat*
Epilogus et figura. *pugnantes*. Ipse enim est dux exercitus caeli, quem vidit beatus Ioannes Apocalypsis decimo nono [3]; unde dicitur ibi: « Vidi caelum apertum, et ecce, equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur *fidelis* et *verax*, et cum iustitia iudicat et pugnat. Oculi eius sicut flamma ignis, et in capite eius diademata multa etc.; et exercitus caeli sequebatur eum ». — Nota exemplum de Angelo, qui visus est, secundi Machabaeorum tertio [4], qui percussit Heliodorum.

13. Visio iterum spiritualis Salvatoris *deducit*
Deducit proficientes tripliciter. *proficientes* in omnibus operibus iustitiae, visio videlicet ipsius *conversantis*. Quoniam autem ad perfectam virtutem tria necessaria sunt [5]: *scire* quantum ad intellectum, *velle* quantum ad affectum, *impermutabiliter operari* quantum ad effectum; notandum, quod in conversatione eiusdem videre possumus, unde *instruatur intellectus* ad sciendum, *moveatur affectus* ad volendum, *dirigatur effectus* ad proficiendum. In conversatione eius invenimus *verba*, *signa* et *exempla*: verba *veritatis*, signa *potestatis* et exempla *sanctitatis*. Docet enim *verbis*, movet *si-*
Primo. *gnis*, dirigit *exemplis*. — Videant ergo proficientes ipsum *docentem*, ut *instruantur*, ut instructus fuit beatus Ioannes, primae Ioannis primo [6]: « Quod audivimus et vidimus » etc.; « et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae » etc.; « hoc testificamur et annuntiamus vobis »; et beatus Petrus secundae Petri primo: « Non doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti ipsius maiestatis ». Valet enim ad instructionem non solum audire, sed videre magistrum suum; unde qui vult doceri a Christo convertat oculos suos spirituales ad ipsum; tertii Regum decimo [7]: « Omnis terra desiderabat videre vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius ». — Videant iterum eum *miracula facientem*, ut *mo-* Secundo.
veantur. Nam « multitudo magna sequebatur eum, quia videbant signa, quae faciebat [8] »; unde Deuteronomii undecimo dicitur filiis Israel: « Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quae fecit, ut custodiatis universa mandata eius » etc.; quod autem faciebat in eis visio *corporalis*, hoc debet in fidelibus facere visio *spiritualis*. — Videant iterum eum Tertio.
operantem et exemplum bonae operationis dantem, ut *imitentur;* unde Ioannis decimo tertio [9]: « Exemplum dedi vobis ». Propter quod dicitur Hebraeorum octavo: « Vide et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est »; et sumitur de Exodi vigesimo quinto.

14. Sic ergo visio spiritualis Salvatoris *deducit* Epilogus et figura.
et *promovet proficientes;* quod significatum est Iosue tertio [10], ubi clamabant praecones ad filios Israel volentes proficisci in terram promissionis: « Cum videritis arcam foederis Domini Dei nostri et sacerdotes stirpis Leviticae portantes eam, vos quoque sequimini praecedentes ». *Arca foederis* dicitur humanitas Christi, in qua erant tria, secundum quod dicitur ad Hebraeos nono, *lex* veritatis, *virga* potestatis et *manna* sanctitatis; quae modo dicebantur in Christo *verba*, *signa* et *exempla*. « Cum ergo videritis arcam et sacerdotes stirpis Leviticae portantes eam », id est viros apostolicos, *glorificantes et portantes Deum in corpore suo* [11], « vos quoque sequimini praecedentes ».

15. Visio iterum spiritualis Salvatoris *laetificat* Laetificat contemplantes tripliciter.
contemplantes, cum scilicet vident *gloriam regnantis*, quae visio ostendit eum *admirabilem* accedentibus ad contemplationem, *delectabilem* commorantibus in contemplatione, *laudabilem* revertentibus a contemplatione. Huiusmodi enim visione excitantur [12]

---

[1] Vers. 55. — Superius pro *viriles* A *habiles*, qui etiam inferius cum B *quasi erectum* pro *quasi paratum*.

[2] Vers. 13. — Sequitur Ps. 15, 8. — Cod. C a verbis *Videant etiam perseverantes* usque *Videant iterum eum miracula facientem* (in n. 13.) omnia omittit.

[3] Vers. 11-14.

[4] Vers. 25. seqq.

[5] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 4. Cfr. tom. V. pag. 548, nota 7. — Inferius pro *impermutabiliter operari* A *posse*, qui etiam subinde pro *instruatur* substituit *informetur*.

[6] Vers. 1. et 2. — Sequitur II. Petr. 1, 16.

[7] Vers. 24.

[8] Ioan. 6, 2. — Subinde allegatur Deut. 11, 7. seqq.

[9] Vers. 15. — Duo seqq. loci sunt Hebr. 8, 5. et Exod. 25, 40.

[10] Vers. 3. — Sequitur Hebr. 9, 4.

[11] Epist. I. Cor. 6, 20.

[12] Codd. A C prosequuntur: *ad comtemplandum* [C haec verba omittit] *meditantes, ad imitandum sentientes, ad gaudendum praedicantes*. Cfr. infra n. 16. Cod. B, qui exhibet nostram lectionem, voci *revertentes* praefigit *praedicantes fuit* [sive ?].

meditantes ad *admirandum*, *sentientes* ad *gaudendum*, *revertentes* sive praedicantes ad *laudem*. — Vi-
Primo. detur ergo *admirabilis* accedentibus per meditationem; quod figuratum est tertii Regum decimo[1]: « Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis et domum, quam aedificaverat, et cibos mensae eius et habitacula servorum eius et ordines ministrantium, vestes quoque eorum etc.; non habebat ultra spiritum »; et sequitur, quomodo dixit: « Vera est fama, quam audivi de te » etc.; ubi significatur per *regnum Salomonis* gloria Christi regnantis; « plus enim quam
Secundo. Salomon hic ». — Videtur iterum *delectabilis* commorantibus et experientibus per devotionem; unde Iob trigesimo tertio[2]: « Deprecabitur Dominum, et placabilis ei erit, et videbit faciem eius in iubilo »; et Isaiae sexagesimo: « Tunc videbis » meditando, « et afflues » sentiendo « et mirabitur et dilatabitur cor tuum »; *mirabitur* videns, et *dilatabitur* sen-
Tertio. tiens. — Videtur iterum *laudabilis* revertentibus; Lucae secundo, ubi, visa humili maiestate nati Regis, « reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quae audierant et viderant ». Quodsi ad laudandum movet visa humilitas nascentis, quam movere debet visa gloria regnantis!

16. Sic ergo visio Salvatoris laetificat *contem-*
Epilogus. *plantes*, dum aspectus spiritualis gloriae eius est illis materia *admirationis*, materia *delectationis* et materia *laudis*; quod totum figuratum est in visione, quam ostendit Dominus in monte discipulis suis, Lucae nono[3], ubi visa gloria Domini *territi et stupefacti sunt*, deinde *delectati*, unde Petrus dixit: « Domine, bonum est nos hic esse »; tertio vero ad *praedicandum* inflammati; Actuum quarto: « Non possumus quae vidimus et audivimus non loqui ».

17. Visio iterum spiritualis *consolatur exspe-*
Consolatur exspectantes tripliciter. *ctantes* quantum ad statum perseverantiae, cum scilicet considerant eum ad servos suos in hac miseria venientem et consolantem. « Non vos, inquit[4], relinquam orphanos, vado et venio ad vos ». Facit autem huiusmodi visio eius tria: *visitat*, ne *doleant* de promissorum dilatione; *certificat*, ne *diffidant* de promissorum assecutione; *praemiat*, et hoc in fine, ut *gaudeant* de promissorum adeptione. — Visio
Primo. igitur spiritualis Salvatoris *visitat exspectantes*, ne *doleant*; qualiter visitatus est ille Simeon « exspectans redemptionem Israel », Lucae secundo[5]: « Nunc, inquit, dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum »; Genesis trigesimo secundo: « Vidi Dominum meum facie ad faciem, et salva facta est anima mea ». — Visio ite-
Secundo. rum spiritualis Salvatoris *certificat de promissis*, ne *diffidant*; quod figuratum est Genesis vigesimo octavo[6], ubi vidit Iacob scalam et Dominum innixum scalae et dicentem sibi: « Ego sum Dominus Deus Abraham, patris tui, et Deus Isaac; terram, in qua dormis, dabo tibi et semini tuo ». Vidit enim eum ut *supportantem*, ne diffidat ex *propria impossibilitate*; quod figuratum est in hoc, quod erat *innixus scalae*; item vidit *promittentem*, ne diffidat ex Domini *voluntatis mutatione*, quod notatur ibi: *Terram, in qua dormis, dabo tibi.* — Visio
Tertio. iterum spiritualis *praemiat*, ut *gaudeant* de promissorum adeptione; Isaiae ultimo[7]: « Videbitis, et gaudebit cor vestrum »; Apocalypsis ultimo: « Servient illi, et videbunt faciem eius et nomen eius in frontibus eorum ». « Haec est enim vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum » etc., Ioannis decimo septimo.

18. Sic ergo visio spiritualis Salvatoris *conso-*
Epilogus et figura. *latur exspectantes*; quod significatum est in reversione Domini nostri Iesu Christi post resurrectionem ad discipulos suos, ubi primo *consolatus est* eos ex familiari sui ostensione: « Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum », Lucae ultimo[8]. Deinde *certificavit* eos de Scripturarum impletione, eodem: « Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum »; et de ipsius *reversione ad iudicium*, Actuum primo: « Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum ». Ultimo *praemiat* ex eius beata visione in patria, ubi revelata facie Regem cernunt in gloria: « Videbimus tunc facie ad faciem », primae ad Corinthios decimo tertio. — Sic ergo salutaris est omnibus visio Sal-
Epilogus. vatoris: *peccantibus*, visio *iudicantis*; *poenitentibus*, visio *patientis*; *pugnantibus*, visio *triumphantis*; *proficientibus*, visio *conservantis*; *contemplantibus*, visio *regnantis*; *exspectantibus*, visio *revertentis*; de qua visione salutari dictum est: *Vidimus Dominum.*

Annotatio 79.

(Luc. 3, 6.). *Videbit omnis caro salutare Dei.* Verba haec et evangelica et prophetica.

Verba ista et *evangelica* sunt et *prophetica*: *evangelica*, quia scripta sunt in Evangelio, Lucae tertio; *prophetica*, quia sumta de Isaiae quadragesimo[9]: « Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est »; vel quinquagesimo secundo: « Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri »; in quibus praenuntiatur adventus Salvatoris in car-
Continent duo. nem ut *visibilis* et ut *salutaris*: primum, cum dicitur: *Videbit omnis caro*, quasi dicat: non solum videbit oculus *mentis*, sed apparebit visibilis oculis *carnis*; secundum, cum dicitur: *Salutare Dei*,

---

[1] Vers. 4-6, post quos sequitur Matth. 12, 42.
[2] Vers. 26. — Subinde allegantur Isai. 60, 5. et Luc. 2, 20.
[3] Vers. 33. et 34; cfr. Marc. 9, 4. seq. — Sequitur Act. 4, 20.
[4] Ioan. 14, 18.
[5] Vers. 25. et 29. — Deinde allegatur Gen. 32, 30.
[6] Vers. 12. et 13.
[7] Vers. 14. — Duo seqq. loci sunt Apoc. 22, 3. seq. et Ioan. 17, 3. seq.
[8] Vers. 39, post quem sequitur v. 44. — Subinde allegantur Act. 1, 11. et I. Cor. 13, 12.
[9] Vers. 5; deinde 52, 10.

id est illum qui est effectivus salutis, qui scilicet « operatus est salutem in medio terrae [1] ». In his autem duobus tangitur perfecta consolatio exspectantium adventum Salvatoris, ut scilicet salus eis *daretur* et *ostenderetur*. Si enim *daretur* et non ostenderetur, non laetificaretur nostra tristitia. Si *ostenderetur* et non daretur, non relevaretur nostra inopia. Propter quod rogabat David [2]: « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis », quasi dicat: *da*, ut habeamus, *ostende*, ut videamus, quatenus videndo et habendo, gaudeamus; quod notatur, cum dicitur: *Videbit omnis caro* etc. Haec enim sunt duo bona nobis exhibita in adventu Salvatoris, scilicet *salus visibilis* et *visio salutaris* [3].

APPENDIX.[4]

ANNOTATIO 1.

Lucis proprietatis quinque.

Dicitur Filius Dei *lux* propter quinque. Quia maxime se *communicat* et etiam maxime se diffundit, unde « et in tenebris lucet [5] »; Dionysius: « Imago est bonitatis illius ». — Quia omnia *existentia ornat;* Genesis primo: « Fiat lux »; Damascenus: « Ibi incipit ornatus mundi et decor »; similiter et lumen intelligibile. — Quia omnia *viventia format,* ut patet in floribus et plantis; propter hoc dicitur *lumen vitae.* — Quia *animalia laetificat,* ut patet in avibus, aurora rutilante, quia spiritus luminosae naturae congaudet suo simili et delectatur in coniunctione convenientis; Ecclesiastae undecimo [6]: « Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem »; Tobiae quinto: « Quale gaudium mihi erit, quia in tenebris sedeo et lumen caeli non video »? — Quia *volentia illuminari illuminat,* suos splendores immittens; Isaiae quinquagesimo octavo: « Implebit animam tuam splendoribus ».

COLLATIO I.

(Cant. 6, 1.). *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat.*

Christus in suo duplici horto fecit quinque.

1. Hortus iste est *Ecclesia* et fidelis *anima;* et bene dixit *suum,* quem ipse *fecit,* ipse *excoluit,* ipse virtutum pigmentis *consevit,* fonte gratiae suae, ne deficeret, *rigavit,* muro custodiae suae, ne ab extraneis profanaretur, *conclusit.* — Hortus iste est *areola aromatum,* vernans *virore gratiarum,* fragrans *odore virtutum.*

Ibi pascitur tripliciter.

2. In hac autem *areola,* quae est Ecclesia, *pascitur* Christus *in hortis,* id est mentibus fidelium, tribus pascuis: *operibus misericordiae, munda virginitate, devotione suavi.* — De primo dicitur Matthaei vigesimo quinto [7]: « Esurivi, et dedistis mihi manducare ». — De secundo, Canticorum secundo: « Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae ». — De tertio Apocalypsis tertio:

Primo.

Secundo.

Tertio.

---

[1] Psalm. 73, 12.

[2] Psalm. 84, 8.

[3] Cod. C addit *Finitur. Amen.* — Deinde ibi adiungitur hoc schema: Vita nostra comparatur:

Umbrae: Sap. 5, 9: Transierunt omnia tanquam umbra.

Fumo: eodem (v. 15.): Tanquam fumus, qui a vento dispersus est.

Vapori: Iac. 4, 15: Quae est vita nostra? Vapor ad modicum parens.

Spumae: eodem (Sap. 5, 15.): Tanquam spuma gracilis, quae vento dispergitur.

Somno: Psalm. (75, 6.): Dormierunt somnum suum.

Vento: Iob 7, 7: Memento, quia ventus est vita mea.

Flori: Iac. 1, 10: Sicut flos transibit.

Foeno: Eccli. 14, 18: Omnis caro sicut foenum veterascet.

Folio: ibidem: Et sicut folium fructificans in arbore viridi.

Subinde in C exhibetur *index rerum* Collationum, qui tamen diversus est ab illo, quem habet cod. A. Omnes tres codd. hoc loco finem Collationum satis indicant, dum aliquod spatium membranae relinquunt vacuum.

[4] In cod. A, ut supra nota 3. iam diximus, in fine Collationum in Ioannem additur *index rerum,* cui subiungitur quaedam explanatio et applicatio sententiae, quae sequitur, Dionysii in libro de Div. Nom. c. 4. § 12: « Habet amor in superioribus vim inclinativam, in paribus seu mediis vim sociativam, in inferioribus vim elevativam seu imitativam »; et hoc potest patere tam in *naturalibus* quam in *voluntariis* et *divinis* etc.

Hoc additamentum, quod exscriptum complet unam paginam folii, nullo argumento seraphico Doctori vindicare possumus; unde illud omittimus. Deinde sequuntur ab eadem manu descriptae quatuor sive annotationes, sive collationes, in aliqua verba s. Scripturae, quae sumta sunt ex aliis ipsius libris. Istae sunt praecedentibus Collationibus valde conformes, et saltem secunda (in verba Cant. 6, 1.) spiritum nostri auctoris prae se ferre videtur. Cum igitur non improbabile esse videatur, easdem esse genuinum Bonaventuriani ingenii foetum, per modum *appendicis* eas subiungimus.

Etiam in cod. B. post finem Collationum in Ioannem sequitur quaedam collatio de verbis: *Vigilate in orationibus* (I. Petr. 4. 7.); deinde in initio novae columnae aliud opusculum, quod incipit: « Habito de tribus consiliis in generali, consequenter quaeritur de unoquoque consilio in speciali; et primo de paupertate » etc. Hoc ultimum opusculum non est nostri auctoris, et dubia est etiam praecedens illa collatio, quae in se aliquatenus sterilis est. Iuvat tamen eandem in nota adiicere.

[5] Ioan. 1, 5. — Sententia Dionysii habetur libr. de Div. Nom. c. 4. § 4. (cfr. Sap. 7, 26.) post quam sequitur Gen. 1, 3. et allegatur dictum Damasc., II. de Fide orthod. c. 7.

[6] Vers. 7. — Duo seqq. loci sunt Tob. 5, 12. et Isai. 58, 11. — Superius respicitur definitio delectationis: delectatio est coniunctio convenientis cum convenienti; cfr. tom. I. pag. 38, nota 4. et tom. IV. pag. 391, nota 3.

[7] Vers. 35. — Sequuntur Cantic. 2, 16. seq. et Apoc. 3, 20.

« Cum apperuerit mihi, ego intrabo ad eum et coenabo cum illo, et ipse mecum ».

Horum figura 3 convivia.

3. Haec tria figurata sunt in tribus conviviis, quae celebravit Dominus post resurrectionem, scilicet

Primum.

cum discipulis suis. — Comedit enim cum *euntibus* in Emmaus [1], qui « coegerunt eum » ad hospitium,

Secundum.

quod pertinet ad *opera misericordiae*. — Comedit etiam cum *piscantibus* super litus « partem piscis assi et favum mellis », quod pertinet ad *mundam virginitatem*. In *pisce* enim *asso* designatur contra libidinem carnis *mortificatio;* in *melle*, quod non provenit ex coitu, sed ex mundis floribus, *virginitatis munda refectio*.

Tertium.

— Comedit quoque cum discipulis *ascensurus in caelum* [2], « praecipiens eis, ab Hierosolymis ne discederent », quod interpretatur *pacis visio*, ubi permanent devoti, dum supernam contemplantur pacem; et haec devotio Christi est refectio.

Colligit tria lilia.

4. In hac quoque areola *lilia colligit*, cum plures ad se quadam familiaritate spirituali trahit. Tria sunt lilia: *innocentiae*, *virginitatis* et *perfectionis*. — De primo in Canticis [3]: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias »; sicut *lilium inter spinas*, sic innocens, qui est pacificus « cum his qui oderunt pacem ». — De secundo: « Qui pascitur inter lilia », « septus choreis virginum ». — De tertio dicit Osee in fine [4]: « Ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium ». Quod autem hoc lilium perfectionem significet, sequens docet littera: « Et erumpet radix eius ut Libani; ibunt rami eius », id est virtutes, crescendo usque ad perfectionem gloriae suscipiendae proficient etc.

COLLATIO II.

Renovamini spiritu mentis vestrae, ad Ephesios quarto [5]. Ad renovationem spiritus nos invitat Apostolus.

Renovatio prima.

1. *Ferrum* renovatur in igne, deposita rubigine, et spiritus noster renovatur in igne tribulationum et afflictionum, nisi sit exsecrabilis immunditia nostra; de qua Ezechielis vigesimo quarto [6]: « Multo labore sudatum est, et non exivit de ea rubigo, neque per ignem exsecrabilis immunditia tua ». Accendit Deus caminum tribulationum et infirmitatum, ut renovetur spiritus noster, deposita rubigine peccatorum; sed ita exsecrabilis est immunditia nostra, quod neque per hunc ignem tollitur.

Secunda.

2. Renovatur iterum spiritus mentis nostrae, sicut renovatur *aurum* vel *argentum* in conflatorio, quia, sicut dicitur Ieremiae sexto [7], succensum est conflatorium, appositum est plumbum, ut purgetur aurum. *Succensum* fuit *conflatorium* in passione Christi; *appositum* fuit *plumbum*, scilicet caro Christi, ut, carne ipsa in passione consumta, purgaremur sicut aurum vel argentum. Sed conqueritur Deus de eo, quod non sumus purgati; unde sequitur [8]: « Universi sunt consumti; defecit conflatorium. In igne consumtum est plumbum, frustra conflavit conflator; malitiae eorum non sunt consumtae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit eos ». Ecce, quam dura sententia Domini, cuius *proiectio* est reprobatio, id est ad aeternum supplicium reservatio.

Tertia.

3. Item renovatur spiritus noster, sicut renovatur « *cervus* desiderans ad fontes aquarum [9] ». *Cervus*, comesto serpente, aestuat, sitit et festinat ad aquas; sic homo, hausto peccati veneno, interius circa se aestuans sitiat et desideret et desiderando festinet ad aquas poenitentiae.

Quarta.

4. Item renovatur spiritus noster ad similitudinem *accipitris;* de quo Iob trigesimo nono [10]: « Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum »? *Accipiter expandit alas suas ad austrum*, qui est ventus calidus, ut ad teporem austri veteres plumas deponat et accipiat novas. Ad hoc ergo nos invitat Apostolus in hoc loco, ut ad similitudinem accipitris deponamus veteres pennas, id est veterem hominem, scilicet pristinam conversationem nostram, et accipiamus novum.

Christus induendus triplici modo.

5. Unde sequitur [11]: *Induite novum hominem*, id est Christum, quem *induere* est ei novis moribus conformari. — Debemus autem induere Christum, sicut *aër* induit lucem, quia ipse « est *lux*, et tenebrae in eo non sunt ullae ». — Item sicut *ferrum* ignem, quia ipse « ignis consumens est [12] ». — Item sicut *lana* colorem, quia ipse sanguine suo omnes nos tinxit; unde et passionem suam appellat *baptismum*, id est tinctionem. — *Aër*, induendo lucem, totus fit lux; *ferrum*, induendo ignem, to-

---

[1] Luc. 24, 29. seq.; ibid. v. 41. seq. habetur seq. locus.

[2] Act. 1, 4. — Hieron., de Nominib. Hebraic., de Isaia: *Ierusalem*, visio pacis.

[3] Cap. 2, 2. — Sequuntur Ps. 119, 7; Cantic. 2, 16. (cfr. 6, 2.) et subinde versus ex hymno: Iesu corona virginum (in Breviar. Roman. de Communi virginum).

[4] Cap. 14, 6; ibid. et v. 7. est seq. locus.

[5] Vers. 23.

[6] Vers. 12. et 13.

[7] Cod. allegat c. 7, in quo nihil hac de re occurrit; c. 6, 29: « Defecit sufflatorium, in igne consumtum est plumbum » etc. (cfr. paulo inferius); quae verba Hieron. (II. Comment. in Ier.) ita exponit: Quomodo enim plumbum miscetur metallis, quae adulterata sunt atque violata, ut materia separetur aliena, et si forsitan purgata non fuerit, plumbum omne consumitur et in nihilum redigitur; ita omne eloquium doctrinarum et sermo propheticus perit his qui audire contemnunt etc.

[8] Cap. 6, 28-30.

[9] Psalm. 41, 2. Cfr. Origen., in Matth. tom. 11. n. 18.

[10] Vers. 26. Vide Gregor. (XXXI. Moral. c. 46. n. 92.) in hunc locum.

[11] Vers. 24. — Subinde allegatur I. Ioan. 1, 5.

[12] Deut. 4, 24. — Inferius respicitur Luc. 12, 50: Baptismo autem habeo baptizari etc.

tum fit ignis; *lana*, induendo colorem, tota fit colorata: sic Ecclesia tota Christi sanguine tingi debet; unde Ieremiae duodecimo[1]: « Nunquid avis discolor hereditas mea mihi? Nunquid avis tincta per totum »? quasi dicat: Nunquid Ecclesia velut avis virtutum pennis volans, si non sit tota sanguine meo tincta, erit hereditas mea? quasi dicat: Non.

Annotatio 2.

Nolite conformari huic saeculo[2], id est in forma huius saeculi formati a diabolo tanquam fusore; de quo Isaiae quinquagesimo quarto[3] dicit, loquens in persona Domini; « Ego creavi fabrum » id est angelum, qui nunc diabolus, « sufflantem in igne prunas et proferentem vas in opus suum ». Habet diabolus *fornacem* mundum, ubi format *vasa* sua. Haec est *fornax Babylonis*, quam fecit incendi Nabuchodonosor quatuor fomentis, scilicet *naphta*, *malleolis*, *pice* et *stuppa*[4]. *Naphta* est ossa olivarum cum amurca; siquidem cum de oliva exprimitur oleum, remanet dura testa cum faece, scilicet amurca, et istud est *naphta*, et significat peccatum. Nam si ab ipsa separetur usus operum misericordiae, quod significatur in oleo, nihil aliud remanet quam incendium gehennae. — *Malleoli* sunt vinearum sarmenta. *Vinea* potentiam saecularem significat, quae se ferre non potest sine obedientia subditorum, sicut vinea, quantumcumque generosa sit, tamen indiget, ut sustentetur paxillis. *Rami* huius vineae sunt potentes huius saeculi, qui si adhaereant stipiti, id est Deo, a quo omnis potestas, nihil est speciosius in arboribus, id est hominibus. Si autem separentur a stipite, ut sint sarmenta, ignis sunt materia. — *Pix*, quae nigra est et inquinat et accensa tetrum facit odorem, *luxuria* est. *Stuppa* vanitas gloriae saecularis, quae cito transit sicut stuppa ad ignem.

Forma saeculi a diabolo.

Fornax Babylonis.

2. His prunis fervet fornax diaboli, in qua funditur homo velut metallum, et vadit alius in forma *luxuriae*, et alius in forma *avaritiae*; et sic de aliis. Sed pueri[5], qui missi fuerant in fornacem Babylonis, exierunt illaesi, ita quod nec « capillus capitis eorum adustus est, nec sarabala eorum fuerunt immutata ». Et beatus homo, cuius in hac fornace capillus, id est cognitio, et sarabala, id est continentia, non fuerint immutata[6].

Variae formae.

---

[1] Vers. 9.

[2] Rom. 12, 2.

[3] Vers. 16.

[4] Dan. 3, 46. Cfr. Hieron., in hunc locum.

[5] Dan. 3, 94.

[6] Sequitur collatio, quae exstat in cod. B, de qua vide supra pag. 632, notam 4.

Vigilate in orationibus (I. Petr. 4, 7.). In verbis istis circa nostram instructionem duo facit Apostolus. Primo monet nos ad vigilandum; et hoc tangitur, cum dicitur: *Vigilate*. Secundo ostendit, in quibus debemus vigilare; et hoc tangitur, cum dicitur: *in orationibus*. — Notandum, quod duplex est vigilia, *bona* et *mala*. De *bona* dicitur in octavo Proverbiorum (v. 34.): « Beatus homo, qui audit et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii ». De *mala* dicitur in Isaia (29, 20.) « Consummatus est illusor, et succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem ». Prima *appetenda*, quia per eam regnum caeleste acquiritur. De hac habemus in Matthaei vigesimo quarto (v. 46.): « Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus eius, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum ». — Secunda *fugienda*, quia ducit ad vigiliam infernalem. De hac habemus in Iob (21, 30-32.), ubi dicitur: « In die perditionis servabitur malus, et ad diem furoris ducetur: Quis arguet coram eo vias eius? quae fecit quis reddet illi »? Et sequitur: « Ipse ad sepulcra ducetur et in congerie mortuorum vigilabit ».

Ad vigiliam bonam invitat nos Apostolus, cum dicit: *Vigilate*; et ideo notandum, quod vigilare debemus propter tria: propter *mortis incertitudinem*; et de hoc habemus in Matthaeo (24, 42.), ubi dicitur: « Vigilate; nescitis enim, quando Dominus vester venturus sit »; sero, an nocte, an galli cantu, aut mane; et in Marco (13, 33): « Videte ergo et vigilate, nescitis enim, quando tempus sit ». Ut dicit Seneca: (cfr. supra pag. 588, nota 9; cfr. ibid. nota 8.) « Nihil certius morte, nihil autem incertius hora mortis ». — Propter *diaboli impugnationem vitandam*; et de hoc habemus in Epistola beati Petri (I. 5, 8.): « Sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide ». — Propter *aeternam beatitudinem acquirendam*; et de hoc habemus in Ecclesiastico (32, 18.), ubi dicitur: « Qui timet Deum excipiet doctrinam eius et qui vigilaverit ad illum inveniet benedictionem ». — Propter *mortis incertitudinem* debemus vigilare *perseveranter*.

Sequitur secundum, in quo notatur, in quibus debemus vigilare. Et ideo notandum, quod in tribus debemus vigilare, scilicet in *cavendis tentationibus*; et de hoc habemus in Matthaeo (26, 41.), ubi dicitur: « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem ». — In *adimplendis bonis operibus*; et de hoc habemus primae ad Corinthios (16, 13.): « Vigilate et state in fide, et omnia vestra in caritate fiant »; et secundae ad Timotheum (4, 5.): « Tu autem vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple; sobrius esto. — In *offerendis Deo orationibus*; et de hoc habemus hic: *Estote prudentes et vigilate in orationibus*.

INDEX

EORUM QUAE IN HOC SEXTO TOMO CONTINENTUR

Praefatio

Prolegomena in VI. tomum . . . . . *pag.* I.

Cap. I. De spuriis libris exegeticis sub nomine S. Bonaventurae prelo datis . . . . . » ib.

II. De genuinis huius voluminis Commentariis in S. Scripturam . . . . . *pag.* » XIV

Elenchus codicum pro hoc volumine edendo a nobis collatorum . . . . . » XXVII

I. COMMENTARIUS IN ECCLESIASTEN.

Prooemium Commentarii . . . . . *pag.* 3

Introductio generalis . . . . . » ib.

De quadruplici causa huius libri . . . . . » 5

Quaestio I. De fine libri Ecclesiastae . . . . . » 6

II. De materia eiusdem . . . . . » ib

III. De modo agendi in eodem . . . . . » 7

IV. De causa efficiente eiusdem . . . . » 8

Prologus Commentarii S. Hieronymi in Ecclesiasten . » ib.

Expositio huius prologi . . . . . » 9

Commentarius . . . . . » ib.

Capitulum I.

Vers. 1. De titulo huius libri . . . . . » ib.

Quaestiones . . . . . » ib.

Vers. 2-7. . . . . » 10

Quaestiones . . . . . » 14

Vers. 8-11 . . . . . » 15

Quaestiones . . . . . » 16

Vers. 12-15 . . . . . » 17

Quaestiones . . . . . » 18

Vers. 16-18 . . . . . » 19

Capitulum II.

Vers. 1-3. . . . . » 20

Quaestiones . . . . . » 21

Vers. 4-10 . . . . . » ib.

Quaestiones . . . . . » 23

Vers. 11-17 . . . . . » 24

Quaestiones . . . . . » 25

Vers. 18-26 . . . . . » 26

Capitulum III.

Vers. 1 . . . . . » 28

Quaestiones . . . . . » ib.

Vers. 2-8. . . . . » 29

Quaestio . . . . . » 32

Vers. 9-15 . . . . . » ib.

Quaestio . . . . . *pag.* 33

Vers. 16-22 . . . . . » 34

Quaestiones . . . . . » 36

Capitulum IV.

Vers. 1-6. . . . . » 37

Quaestiones . . . . . » 38

Vers. 7-12 . . . . . » 39

Quaestiones . . . . . » 40

Vers. 13-16 . . . . . » 41

Capitulum V.

Vers. 1-8 . . . . . » 43

Quaestiones . . . . . » 44

Vers. 9-11 . . . . . » 46

Quaestiones . . . . . » 47

Vers. 12-19. . . . . » ib.

Quaestiones . . . . . » 48

Capitulum VI.

Vers. 1-7. . . . . » 50

Quaestiones . . . . . » 51

Vers. 8-11 . . . . . » 52

Capitulum VII.

Vers. 1 . . . . . » 53

Quaestiones . . . . . » ib.

Vers. 2-7. . . . . » 55

Quaestiones . . . . . » 56

Vers. 8-10 . . . . . » ib.

Quaestiones . . . . . » 57

Vers. 11-16. . . . . » ib.

Quaestiones . . . . . » 58

Vers. 17-23 . . . . . » ib.

Quaestiones . . . . . » 60

Vers. 24-30. . . . . » 62

Quaestiones . . . . . » 63

Capitulum VIII.

Vers. 1-8. . . . . pag. 64
Quaestiones . . . . . » 66
Vers. 9-13 . . . . . » 67
Quaestiones . . . . . » 68
Vers. 14-15. . . . . » 69
Quaestiones . . . . . » 70
Vers. 16-17: . . . . . » 71

Capitulum IX.

Vers. 1-3 . . . . . » 71
Quaestiones . . . . . » 72
Vers. 4-10 . . . . . » 73
Quaestiones . . . . . » 75
Vers. 11-12. . . . . » 76
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 13-18. . . . . » 78

Capitulum X.

Vers. 1-3. . . . . pag. 79
Quaestio . . . . . » 80
Vers. 4-7 . . . . . » ib.
Quaestio . . . . . » 81
Vers. 8-11 . . . . . » 83
Quaestio . . . . . » 84
Vers. 12-20. . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 87

Capitulum XI.

Vers. 1-10 . . . . . » 88

Capitulum XII.

Vers. 1-14 . . . . . » 92
Scholion . . . . . » 99
Schemata. . . . . » 100

II. COMMENTARIUS IN LIBRUM SAPIENTIAE.

Prooemium Commentarii . . . . . pag. 107
Introductio generalis. . . . . » ib.
De quadruplici causa huius libri. . . . . » 108
Prologus S. Hieronymi in librum Sapientiae. . . . » 109
Expositio prologi. . . . . » ib.
Commentarius . . . . . » 110

Capitulum I.

Vers. 1-15 . . . . . » ib.

Capitulum II.

Vers. 1-25 . . . . . » 118

Capitulum III.

Vers. 1-19 . . . . . » 125

Capitulum IV.

Vers. 1-20 . . . . . » 131

Capitulum V.

Vers. 1-24 . . . . . » 137

Capitulum VI.

Vers. 1-27 . . . . . » 144

Capitulum VII.

Vers. 1-30 . . . . . » 151

Capitulum VIII.

Vers. 1-21 . . . . . » 160

Capitulum IX.

Vers. 1-19 . . . . . pag. 166

Capitulum X.

Vers. 1-21 . . . . . » 171

Capitulum XI.

Vers. 1-26 . . . . . » 177

Capitulum XII.

Vers. 1-26 . . . . . » 184

Capitulum XIII.

Vers. 1-19 . . . . . » 192

Capitulum XIV.

Vers. 1-31 . . . . . » 196

Capitulum XV.

Vers. 1-19 . . . . . » 204

Capitulum XVI.

Vers. 1-29 . . . . . » 209

Capitulum XVII.

Vers. 1-19 . . . . . » 217

Capitulum XVIII.

Vers. 1-25 . . . . . » 222

Capitulum XIX.

Vers. 1-20 . . . . . » 228
Scholion . . . . . » 233
Schemata . . . . . » 234

III. COMMENTARIUS IN EVANGELIUM IOANNIS.

Prooemium Commentarii. . . . . pag. 239
Quaestiones. . . . . » 242
Prologus S. Hieronymi in Evangelium secundum Ioannem » 244
Commentarius . . . . . » 246

Capitulum I.

Vers. 1-2. . . . . pag. ib.
Quaestiones . . . . . » 247

Vers. 3-5. . . . . pag. 248
Quaestiones . . . . . » 249
Vers. 6-8 . . . . . » 250
Quaestiones . . . . . » 251
Vers. 9-14 . . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 252
Vers. 15-18. . . . . » 254
Quaestiones . . . . . » 255
Vers. 19-23. . . . . » 256
Quaestiones . . . . . » 257
Vers. 24-28. . . . . » 258
Quaestiones . . . . . » 259
Vers. 29-30. . . . . » ib.
Quaestio . . . . . » 260
Vers. 31-34. . . . . » 260
Quaestiones . . . . . » 261
Vers. 35-42. . . . . » 262
Quaestiones . . . . . » 263
Vers. 43-51. . . . . » 265
Quaestiones . . . . . » 267

Capitulum II.

Vers. 1-11 . . . . . » 269
Quaestiones . . . . . » 271
Vers. 12-17. . . . . » 273
Quaestiones . . . . . » 275
Vers. 18-25. . . . . » 276
Quaestiones . . . . . » 277

Capitulum III.

Vers. 1-2. . . . . » 278
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 3-12 . . . . . » 279
Quaestiones . . . . . » 280
Vers. 13-16. . . . . » 282
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 17-21. . . . . » 283
Quaestiones . . . . . » 284
Vers. 22-26. . . . . » 285
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 27-36. . . . . » 286
Quaestiones . . . . . » 288

Capitulum IV.

Vers. 1-6. . . . . » 289
Quaestiones . . . . . » 291
Vers. 7-14. . . . . » 292
Quaestiones . . . . . » 293
Vers. 15-27. . . . . » 294
Quaestiones . . . . . » 296
Vers. 28-42. . . . . » 297
Quaestiones . . . . . » 299
Vers. 43-54. . . . . » 300
Quaestiones . . . . . » 302

Capitulum V.

Vers. 1-9. . . . . » 303
Quaestiones . . . . . » 305
Vers. 10-18. . . . . » 306
Quaestiones . . . . . » 307
Vers. 19-23. . . . . pag. 309
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 24-30. . . . . » 311
Quaestiones . . . . . » 312
Vers. 31-39. . . . . » 314
Quaestiones . . . . . » 316
Vers. 40-47. . . . . » 317
Quaestiones . . . . . » ib.

Capitulum VI.

Vers. 1-9. . . . . » 318
Quaestiones . . . . . » 320
Vers. 10-13. . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 321
Vers. 14-21. . . . . » 322
Quaestiones . . . . . » 323
Vers. 22-33. . . . . » 325
Quaestiones . . . . . » 326
Vers. 34-40. . . . . » 327
Quaestiones . . . . . » 328
Vers. 41-52. . . . . » 329
Quaestiones . . . . . » 330
Vers. 53-59. . . . . » 332
Quaestiones . . . . . » 334
Vers. 60-72. . . . . » 336
Quaestiones . . . . . » 337

Capitulum VII.

Vers. 1-13 . . . . . » 339
Quaestiones . . . . . » 341
Vers. 14-18. . . . . » 342
Quaestiones . . . . . » 343
Vers. 19-24. . . . . » 345
Quaestiones . . . . . » 346
Vers. 25-31. . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 347
Vers. 32-39. . . . . » 348
Quaestiones . . . . . » 350
Vers. 40-53. . . . . » 352
Quaestiones . . . . . » ib.

Capitulum VIII.

Vers. 1-11 . . . . . » 353
Quaestiones . . . . . » 355
Vers. 12-20. . . . . » 357
Quaestiones . . . . . » 359
Vers. 21-30. . . . . » 360
Quaestiones . . . . . » 362
Vers. 31-36. . . . . » 363
Quaestiones . . . . . » 364
Vers. 37-50. . . . . » 365
Quaestiones . . . . . » 368
Vers. 51-59. . . . . » 369
Quaestiones . . . . . » 371

Capitulum IX.

Vers. 1-11 . . . . . » 372
Quaestiones . . . . . » 374
Vers. 12-34. . . . . » 376
Quaestiones . . . . . » 379

Vers. 35-41 . . . . . pag. 380
Quaestiones . . . . . » 381

Capitulum X.

Vers. 1-10 . . . . . » 382
Quaestiones . . . . . » 386
Vers. 11-21 . . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 388
Vers. 22-42 . . . . . » 390
Quaestiones . . . . . » 393

Capitulum XI.

Vers. 1-6. . . . . » 394
Quaestiones . . . . . » 396
Vers. 7-32 . . . . . » 398
Quaestiones . . . . . » 402
Vers. 33-42. . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 404
Vers. 43-56 . . . . . » 405
Quaestiones . . . . . » 409

Capitulum XII.

Vers. 1-8. . . . . » 410
Quaestiones . . . . . » 412
Vers. 9-19 . . . . . » 413
Quaestiones . . . . . » 415
Vers. 20-23 . . . . . » 416
Quaestiones . . . . . » 417
Vers. 24-36 . . . . . » ib.
Quaestiones . . . . . » 421
Vers. 37-50 . . . . . » 422
Quaestiones . . . . . » 423

Capitulum XIII.

Vers. 1-11 . . . . . » 425
Quaestiones . . . . . » 426
Vers. 12-20. . . . . » 427
Quaestiones . . . . . » 428
Vers. 21-30 . . . . . » 429
Quaestiones . . . . . » 431
Vers. 31-38 . . . . . » 433
Quaestiones . . . . . » 434

Capitulum XIV.

Vers. 1-14 . . . . . » 435
Quaestiones . . . . . » 438
Vers. 15-24 . . . . . » 440
Quaestiones . . . . . » 442
Vers. 25-31 . . . . . » 444
Quaestiones . . . . . » 445

Capitulum XV.

Vers. 1-11 . . . . . » 446
Quaestiones . . . . . » 448
Vers. 12-17. . . . . » 450
Quaestiones . . . . . » 451
Vers. 18-27. . . . . » 453

Capitulum XVI.

Vers. 1-4. . . . . » 454
Quaestiones . . . . . » 455
Vers. 5-15 . . . . . pag 457
Quaestiones . . . . . » 459
Vers. 16-23. . . . . » 461
Quaestiones . . . . . » 463
Vers. 24-33. . . . . » 464
Quaestiones . . . . . » 465

Capitulum XVII.

Vers. 1-5. . . . . » 467
Quaestiones . . . . . » 468
Vers. 6-11 . . . . . » 470
Quaestiones . . . . . » 471
Vers. 12-19 . . . . . » 472
Quaestiones . . . . . » 473
Vers. 20-23. . . . . » 474
Quaestiones . . . . . » 475
Vers. 24-26. . . . . » 476
Quaestiones . . . . . » 477

Capitulum XVIII.

Vers. 1-3 . . . . . » 478
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 4-12 . . . . . » 479
Quaestiones . . . . . » 480
Vers. 13-23 . . . . . » 481
Quaestiones . . . . . » 483
Vers. 24-27 . . . . . » 485
Quaestiones . . . . . » ib.
Vers. 28-32 . . . . . » 486
Quaestiones . . . . . » 487
Vers. 33-38 . . . . . » 488
Quaestiones . . . . . » 489
Vers. 39-40 . . . . . » ib.

Capitulum XIX.

Vers. 1-16 . . . . . » 490
Quaestiones . . . . . » 493
Vers. 17-27 . . . . . » 495
Quaestiones . . . . . » 498
Vers. 28-37 . . . . . » 499
Quaestiones . . . . . » 501
Vers. 38-42 . . . . . » 502
Quaestiones . . . . . » 503

Capitulum XX.

Vers. 1-9. . . . . » 504
Quaestiones . . . . . » 506
Vers. 10-18. . . . . » 507
Quaestiones . . . . . » 510
Vers. 19-25 . . . . . » 512
Quaestiones . . . . . » 513
Vers. 26-34 . . . . . » 515
Quaestiones . . . . . » 517

Capitulum XXI.

Vers. 1-8. . . . . » 519
Quaestiones . . . . . » 521
Vers. 9-14 . . . . . » 522
Quaestiones . . . . . » 524
Vers. 15-17 . . . . . » 525
Quaestiones . . . . . » 526

Vers. 18-23. . . . . pag. 526
Quaestiones . . . . . » 528
Vers. 24-25 . . . . . » 529
Quaestio . . . . . pag. 530
Scholion . . . . . » ib.
Schemata . . . . . » ib.

IV. COLLATIONES IN IOANNIS EVANGELIUM.

Capitulum I. *In principio erat Verbum.*

Collatio I. (Vers. 5.) . . . . . pag. 536
» II. (Vers. 14.) . . . . . » 537
» III. (Vers. 16.) . . . . . » 538
» IV. (Vers. 26.) . . . . . » 540
» V. (Vers. 33.) . . . . . » 542
» VI. (Vers. 29.) . . . . . » 543
» VII. (Vers. 51.) . . . . . » ib.
Annotatio 1. (Vers. 1.) . . . . . » 544
» 2. (Vers. 6.) . . . . . » ib.
» 3. (Vers. 23.) . . . . . » ib.

Capitulum II. *Nuptiae factae sunt.*

Collatio VIII. (Vers. 1.) . . . . . » 545
» IX. (Vers. 3.) . . . . . » 547
» X. (Vers. 19.) . . . . . » 548
Annotatio 4. (Vers. 23.) . . . . . » 550
» 5. (Vers. 24.) . . . . . » ib.
» 6. (Vers. 25.) . . . . . » ib.

Capitulum III. *Erat autem homo ex Pharisaeis.*

Collatio XI. (Vers. 1.) . . . . . » ib.
» XII. (Vers. 18.) . . . . . » 552
Annotatio 7. (Vers. 19.) . . . . . » ib.
» 8. (Vers. 27.) . . . . . » ib.
» XIII. (Vers. 30.) . . . . . » ib.
Annotatio 9. (Vers. 16.) . . . . . » 554
» 10. (Vers. 20.) . . . . . » ib.
» 11. (Vers. 33.) . . . . . » ib.

Capitulum IV. *Ut autem cognovit.*

Collatio XIV. (Vers. 6.) . . . . . » ib.
Annotatio 12. (Vers. 8.) . . . . . » 555
» XV. (Vers. 32.) . . . . . » ib.
» XVI. (Cap. VI, 27.) . . . . . » 556
Annotatio 13. (Vers. 42.) . . . . . » 557
» 14. (Vers. 18.) . . . . . » ib.
» XVII. (Vers. 46.) . . . . . » 558
» XVIII. (Vers. 47.) . . . . . » ib.
» XIX. (Vers. 49.) . . . . . » 559
Annotatio 15. (Vers. 13.) . . . . . » ib.
» 16. (Vers. 36.) . . . . . » ib.
» 17. (Vers. 41.) . . . . . » ib.

Capitulum V. *Post haec erat dies festus.*

Collatio XX. (Vers. 2.) . . . . . » 560
Annotatio 18. (Vers. 3.) . . . . . » ib.
» XXI. (Vers. 14.) . . . . . » ib.
» XXII. (Vers. 21.) . . . . . » 561
» XXIII. (Vers. 32.) . . . . . » 562
» XXIV. (Vers. 40.) . . . . . » ib.
» XXV. (Vers. 28. 25.) . . . . . » 563
Annotatio 19. (Vers. 14.) . . . . . pag. 564
» 20. (Vers. 13.) . . . . . » ib.
» 21. (Vers. 19.) . . . . . » ib.

Capitulum VI. *Post haec abiit Iesus.*

Collatio XXVI. (Vers. 11.) . . . . . » 565
» XXVII. (Vers. 19.) . . . . . » 566
Annotatio 22. (Vers. 27.) . . . . . » 567
» 23. (Vers. 37.) . . . . . » ib.
» XXVIII. (Vers. 44.) . . . . . » ib.
» XXIX. (Vers. 67.) . . . . . » 568
Annotatio 24. (Vers. 15.) . . . . . » 569
» 25. (Vers. 19.) . . . . . » ib.
» 26. (Vers. 26.) . . . . . » ib.
» 27. (Vers. 33.) . . . . . » ib.

Capitulum VII. *Post haec autem ambulavit.*

Collatio XXX. (Vers. 7.) . . . . . » 570
» XXXI. (Vers. 24.) . . . . . » ib.
» XXXII. (Vers. 34.) . . . . . » 571
Annotatio 28. (Vers. 16.) . . . . . » 572
» 29. (Vers. 18.) . . . . . » ib.
» 30. (Vers. 38.) . . . . . » 573
» 31. (Vers. 46.) . . . . . » ib.
» 32. (Vers. 51.) . . . . . » ib.

Capitulum VIII. *Iesus perrexit in montem.*

Collatio XXXIII. (Vers. 10.) . . . . . » ib.
Annotatio 33. (Vers. 12.) . . . . . » 574
» XXXIV. (Vers. 26.) . . . . . » ib.
Annotatio 34. (Vers. 35.) . . . . . » 575
» XXXV. (Vers. 36.) . . . . . » ib.
Annotatio 35. (Vers. 43.) . . . . . » 577
» 36. (Vers. 44.) . . . . . » ib.
» XXXVI. (Vers. 59.) . . . . . » ib.

Capitulum IX. *Et praeteriens Iesus.*

Collatio XXXVII. (Vers. 1.) . . . . . » 578
» XXXVIII. (Vers. 11.) . . . . . » 580

Capitulum X. *Amen, amen dico vobis.*

Collatio XXXIX. (Vers. 1.) . . . . . » 581
» XL. (Vers. 27. 28.) . . . . . » 583

Capitulum XI. *Erat autem quidam languens.*

Annotatio 37. (Vers. 1.) . . . . . » 585
Collatio XLI. (Vers. 3.) . . . . . » 586
Annotatio 38. (Vers. 11.) . . . . . » 587
» 39. (Vers. 11.) . . . . . » ib.
» XLII. (Vers. 21.) . . . . . » 588
» XLIII. (Vers. 43.) . . . . . » 590
» XLIV. (Vers. 50.) . . . . . » 591

Annotatio 40. (Vers. 5.) . . . . . *pag.* 592
» 41. (Vers. 35.) . . . . . » ib.
» 42. (Vers. 43.) . . . . . » ib.
» 43. (Vers. 39.) . . . . . » 593
» 44. (Vers. 44.) . . . . . » ib.

Capitulum XII. *Iesus ergo ante sex dies Paschae.*

Annotatio 45. (Vers. 3.) . . . . . » ib.
» 46. (Vers. 7.) . . . . . » ib.
Collatio XLV. (Vers. 13.) . . . . . » 594
» XLVI. (Vers. 13.) . . . . . » ib.
Annotatio 47. (Vers. 17.) . . . . . » 595
» XLVII. (Vers. 32.) . . . . . » ib.
Annotatio 48. (Vers. 24.) . . . . . » 596
» 49. (Vers. 25.) . . . . . » ib.
» 50. (Vers. 28.) . . . . . » ib.
» 51. (Vers. 46.) . . . . . » 597

Capitulum XIII. *Ante diem festum Paschae.*

Collatio XLVIII. (Vers. 2.) . . . . . » ib.
» XLIX. (Vers. 4.) . . . . . » 598
» L. (Vers. 6.) . . . . . » ib.
» LI. (Vers. 10.) . . . . . » 599
Annotatio 52. (Vers. 13.) . . . . . » 601
» 53. (Vers. 15.) . . . . . » ib.
» 54. (Vers. 21.) . . . . . » ib.
Annotatio 55. (Vers. 23.) . . . . . » 601
» 56. (Vers. 36.) . . . . . » ib.

Capitulum XIV. *Non turbetur cor vestrum.*

Collatio LII. (Vers. 9.) . . . . . » ib.
Annotatio 57. (Vers. 6.) . . . . . » 602
» LIII. (Vers. 16. 17.) . . . . . » ib.
» LIV. (Vers. 23.) . . . . . » 603

Capitulum XV. *Surgite, eamus hinc.*

Annotatio 58. (Vers. 1.) . . . . . » 604
» 59. (Vers. 2.) . . . . . » ib.
» 60. (Vers. 3.) . . . . . » ib.
» 61. (Vers. 4.) . . . . . » ib.
» 62. (Vers. 7.) . . . . . » ib.
» 63. (Vers. 15.) . . . . . » 605
» 64. (Vers. 16.) . . . . . » ib.
» 65. (Vers. 18.) . . . . . » ib.

Capitulum XVI. *Haec locutus sum vobis.*

Annotatio 66. (Vers. 4.) . . . . . » ib.
Collatio LV. (Vers. 7.) . . . . . » ib.
» LVI. (Vers. 8.) . . . . . » 606
» LVII. (Vers. 13) . . . . . » ib.
Collatio LVIII. (Vers. 20.) . . . . . *pag.* 607
» LIX. (Vers. 22.) . . . . . » 608
» LX. (Vers. 24.) . . . . . » ib.

Capitulum XVII. *Haec locutus est Iesus.*

Collatio LXI. (Vers. 11.) . . . . . » 609
Annotatio 67. (Cap. 16, 33.) . . . . . » 611
» LXII. (Vers. 5.) . . . . . » ib.

Capitulum XVIII. *Haec cum dixisset Iesus.*

Annotatio 68. (Vers. 1.) . . . . . » ib.
» LXIII. (Vers. 11.) . . . . . » 612
» LXIV. (Vers. 11.) . . . . . » ib.
Collatio LXV. (Vers. 17.) . . . . . » 613
» LXXI. (Vers. 36.) . . . . . » 615

Capitulum XIX. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum.*

Collatio LXVII. (I.ª de passione Christi) . . . . . » ib.
» LXVIII. (II.ª de passione Christi) . . . . . » 616
» LXIX. (III.ª de passione Christi) . . . . » 617
» LXX. (IV.ª de passione Christi) . . . . » ib.
Annotatio 69. (Vers. 19) . . . . . » 618
» LXXI. (Vers. 41.) . . . . . » ib.

Capitulum XX. *Una autem Sabbati.*

Annotatio 70. (Vers. 2.) . . . . . » ib.
Collatio LXXII. (Vers. 9.) . . . . . » 619
» LXXIII. (Vers. 17.) . . . . . » 620
» LXXIV. (Vers. 19.) . . . . . » 621
Annotatio 71. (Vers. 13.) . . . . . » 622
» 72. (Vers. 19.) . . . . . » ib.

Capitulum XXI. *Postea manifestavit se iterum.*

Annotatio 73. (Vers. 1.) . . . . . » ib.
Collatio LXXV. (Vers. 14.) . . . . . » 623
» LXXVI. (Vers. 15.) . . . . . » 624
Annotatio 74. (Vers. 3.) . . . . . » 625
» 75. (Vers. 6.) . . . . . » ib.
» 76. (Vers. 7.) . . . . . » ib.
» 77. (Vers. 16.) . . . . . » 626
» 78. (Vers. 22.) . . . . . » ib.
Collatio LXXVII. (Cap. 4, 13.) . . . . . » ib.
» LXXVIII. (Cap. 3, 5.) . . . . . » 627
» LXXIX. (Cap. 20, 25.) . . . . . » 628
Annotatio 79. (Luc. 3, 6.) . . . . . » 631

Appendix.

Annotatio 1. . . . . » 632
Collatio I. (Cant. 6, 1.) . . . . . » ib.
» II. (Eph. 4, 23.) . . . . . » 633
Annotatio 2. (Rom. 12, 2.) . . . . . » 634

IMPRIMATUR

Datum Florentiae die 22 Novembris 1892.

† Fr. AUGUSTINUS Cardinalis BAUSA Archiepiscopus.

890 Bonaventura, Saint.
B673 Opera omnia ...
1882
v.6



53384

f
BX
890
B673
1882
v.6

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709